RODOLPHI
HOSPINIANI
HISTORIÆ
SACRAMENTARIÆ
PARS POSTERIOR.
Tomus Quartus.

RODOLPHI HOSPINIANI HISTORIÆ SACRAMENTARIÆ

PARS POSTERIOR.

DE

ORIGINE ET PROGRESSV CONTROVERSIÆ SACRAMENTARIÆ DE CŒNA DOMINI,

INTER LVTHERANOS, VBIQVISTAS, ET ORTHODOXOS; Quos Zvinglianos seu Calvinistas vocant, exortæ: Ab Anno M. D. XVII. *ad* M. DC. II. *deducta.*

In qua etiam de Origine & Progressu VBIQVITATIS agitur.

CVM DVPLICI INDICE, QVORVM ALTER EST RERVM ET VERBORVM Alter est PATRVM, PRINCIPVM, MAGISTRATVVM, THEOLOGORVM, SCRIPTORVM, CONFESSIONVM, CONVENTVVM & COLLOQVIORVM, *de Causa Eucharistica.*

EDITIO NOVA, ex Auctoris ante obitum recognitione variis observationibus Auctior.



GENEVÆ,

Sumptibus SAMVELIS DE TOVRNES.

M. DC. LXXXI.

NOBILISSIMO ET MAGNIFICO

VIRO

D^NO BONAVENTVRÆ BODECCERO

ELCOVIÆ DOMINO, &c.

S. D.

TANTA fuit, MAGNIFICE & NOBILISSIME DOMINE, improbitas ac audacia Satanæ, humani generis hostis atrocissimi, ut jam tum primo illo seculo, quo Apostoli post Incarnationem FILII Dei, adhuc in terris superstites fuerunt, non tam Sacramento Baptismi, quàm sacratissimæ Eucharistiæ insidiari ausus fuerit, & homines non tantùm à prima ejus forma, sed etiam vera doctrina sensim abduxerit, donec illam posterioribus ætatibus penitus obscurârit. Nam occasionem faciliorem, & magis perviam ad idololatriam & omnis generis errores ac superstitiones hinc, quàm ex Baptismo nancisci se posse perspexit. Deinde saluti hominum sic plùs officere se posse, hoc Sacramento Cœnæ Dominicæ adulterato & corrupto, animadvertit. Est enim hoc Sacramentum ideo peculiariter à Servatore nostro institutum, ut per id arctiùs Christo incorporemur, & ab eo vitam continuo tenore hauriamus, multáque charitate inter nos sub uno Capite Christo eò tenaciùs conglutinemur. Itaque nihil est ei magis quàm hoc veluti glutinum nostræ cum nostro Capite conjunctionis & unitionis invisum atque molestum. Has ob causas subinde hoc Cœnæ Sacramentum veterator iste corrumpere & adulterare tentavit. Hinc enim factum est, ut Capernaïtæ verba Christi de corpore suo manducando carnaliter intelligentes, carnem ejus corporaliter, realiter, oraliter ac sensualiter in sacra Cœna edi oportere censerent, ut ex Ioannis cap. 6. intelligitur. Secundò, horribilem in Ecclesia Corinthiaca mutationem Cœnæ induxit ille malignus spiritus, & talem quidem, ut non ampliùs, Apostolo teste, Cœna Dominica dici mereretur, quam illi habebant. Opulentiores enim neglecto proprio Cœnæ Dominicæ usu, sub illius prætextu sua symposia agebant, & soli cum suis luxuriosè convivabantur. Nec hoc fœdo abusu Cœnæ sacræ contentus Satan, eam insuper peregrinarum, & non communium linguarum usu in hac ipsa Corinthiaca Ecclesia corrumpere, depravare & fidelibus inutilem reddere illo ipso tempore tentare ausus fuit. Accesserunt his Simoniani & Menandriani hæretici, qui docue-

† 3 runt,

runt, Christum veram carnem non habuisse, imò prorsus eum in carnem non venisse, ideóque Eucharistiam, & in ea vera Symbola veri corporis & sanguinis Christi prorsus repudiârunt, quo dogma suum impium contra Orthodoxos faciliùs defendere possent, ut Ignatius in Epistola ad Smyrnenses testatur. Etsi verò Paulus hos abusus graviter in Corinthiis reprehenderit, sicut etiam in aliis D. Petrus, Iudas Apostolus & Ioannes Evangelista, eósque ad primam Sacramenti hujus institutionem revocâtit Paulus, prævaluit tamen Satan, nec tanta sanctissimorum Apostolorum apud posteros fuit authoritas, quò minùs ad Corinthiorum aliorúmque exemplum, multa zelo quidem pio ac bono, inconsulto tamen & non secundùm scientiam instituerent, quæ tandem nocentissimas superstitiones pepererunt, & horribiles simul ac perniciosas tenebras, ceu nubes quasdam atras totum cœlum occupantes, in Christi Ecclesiam induxerunt. Nam circa Cypriani tempora excitavit Satan Ebionitas, qui plebi in Calice Dominico non vinum, sed puram aquam porrigere soliti fuerunt. Proruperunt & Artotyritæ, qui tertium symbolum, nempe caseum, ad duo quæ Christus instituerat, addiderunt: vel loco vini substituerunt caseum, quòd Deo gratior casei oblatio, quàm vini videretur eis. Sub Valentiniano quoque & Valente Impp. Messaliani & Euchetæ innotuerunt, qui docuerunt, Sacramenta Baptismi & Cœnæ Dominicæ nec prodesse, nec obesse hominibus, quòd ipsi in unam certarum precum & verborum demurmurationem causam remissionis peccatorum, redemptionis & libertatis nostræ transferrent. Ebionitarum errorem, atque adeò Messalianorum & Artotyritarum quoque Cyprianus gravissimè refutans lib. 2. epist. 3. præclarè admodum; Si solus, inquit, Christus audiendus est, non debemus attendere, quid aliquis ante nos faciendum putaverit, sed quid, qui ante omnes est, Christus prior fecerit. Neque enim hominis consuetudinem sequi oportet, sed Dei veritatem. Quòd si nec minima de mandatis Dominicis licet solvere, quantò magis tam magna, tam grandia, tam ad ipsum Dominicæ Passionis & nostræ Redemptionis Sacramentum pertinentia fas non est infringere? aut in aliud, quàm quòd divinitùs institutum sit, humanâ traditione mutari? Nam si IESVS CHRISTVS Dominus & Deus noster ipse est summus Sacerdos Dei Patris, & sacrificium Deo Patri ipse primus obtulit, & hoc fieri in sui commemorationem præcepit, utique ille Sacerdos vice Christi verè fungitur, qui id quod Christus fecit, imitatur. Et sacrificium verum & plenum tunc offert in Ecclesia Deo Patri, si sic incipiat offerre, secundùm quod ipsum Christum videat obtulisse. Quibus verbis docere voluit Pater ille, eâ ipsâ formâ, quâ à Christo institutum est Eucharistiæ sacramentum, veluti omnium simplicissimâ, sed tamen perfectissimâ, absolutissimâ, & incorruptissimâ, celebrandum esse: ita quidem, ut si quid ab ea forma discrepaverit, non solùm quoad doctrinam, ac genuinum, verum & proprium sensum verborum Christi, sed quoad ritus etiam ac ceremonias, meritò ad hanc regulam & normam corrigi & emendari debeat. Vicit tamen Satan, & progressu temporis, inclinationem horribilem doctrinæ & Ceremoniarum in sacra Cœna invexit, novas & incommodas opiniones, stipulas & errores omnis generis complectentem. Veteres enim quoties in Memoriis Martyrum Cœnam Dominicam celebrabant, semper in ipsa Synaxi, ante consecrationem panis & vini, post Symbolum decantatum, & panem & calicem altari appositum, & mutuam Pacis consalutationem, nomina & certamina Martyrum in scheda conscripta, quam in altari ponebant, publicè recitabant, non sine laude & præconio virtutum, quæ in viventibus eluxerunt. Etsi verò

hæc

hæc in eum finem non facta sunt, ut in Cœna Dominica implorarent patrocinia Sanctorum mortuorum, ut propter ipsorum merita, intercessionem & preces, consequerentur misericordiam, gratiam & auxilium Dei, sed quòd sic optarent illorum consortes fieri, & ut sequentium animi ad Præcessorum viam exemplis insignibus suscitarentur, ut in dicta Smyrnensium epistola testantur: Tamen progressu temporis, paulò ante Augustini ætatem inclinatio quædam fieri cœpit: quam adjuverunt plurimùm magna illa miracula, quæ apud sepulchra Martyrum interdum fiebant, & à Deo ipso edebantur, ad ejus doctrinæ confirmationem, propter quam Martyres vitam & sanguinem profuderant, utque homines ad illam doctrinam amplectendam & confitendam sic invitarentur: homines autem hoc non perpendentes, mox de meritis, orationibus, adjumentis, ac intercessionibus Martyrum disputare cœperunt. Licèt autem nihil tum quidem definitum, sed hæc opinio de meritis Sanctorum in medio relicta fuerit, inficiari tamen non possumus, quin latissimum hoc modo aperuerint campum posteris, ad Sanctorum Sanctarúmque superstitiosas & impias invocationes, & quin imprudentes multùm sic promoverint Mysterium illud *ἀνομίας*, hoc est, iniquitatis, de quo Paulus 2. Thessal. 2. cap. vaticinatus est. Quum enim id jam tum Augustini tempore non occultè in Romanis Pontificibus ageret, Syricius Papa circa annos Christi 400. opinionem illam, quam Antecessores in dubio reliquerunt, pro orthodoxa amplexus est, & Cœnæ Dominicæ quoque accommodavit: ut nimirum ipsa actione Cœnæ impetretur, ut Sancti sua merita & preces inter Deum & homines interponant, sic ut ipsorum meritis & precibus concedatur, quo in omnibus divinæ protectionis muniamur auxilio. Est autem hæc Cœnæ Dominicæ horribilis prophanatio, quæ cum prima ejus institutione, & Apostolorum doctrina ex diametro pugnat.

Ex eodem fonte alius quoque error nocentissimus ac perniciosissimus manavit, Preces videlicet in Cœnæ Dominicæ celebratione pro defunctis institutæ. Cùm enim Ethnici pro suo ingenio, amicorum, præsertim verò propinquorum morte, luctu & mœrore consternati, lenimenta quærerent, quibus defunctorum desiderium levare possent, ideoque Convivia, Viscerationes, Cœnas exsequiales, Sacra & Ludos funebres, aliaque hujus generis multa instituerent: Christiani, quibus olim necesse fuit multa indulgere, ut qui plerumq; jam senes de Paganismo ad Christianam Religionem convertebantur, ex hac Ethnica consuetudine ad Eucharistiam, quæ in defunctorum Memoriis celebrabatur, cibos, atque omnis generis Donaria pro defunctis afferebant, quæ deinde inter pauperes distribuebantur. Has autem Collationes & distributiones Eleemosynarum, Tertullianus, Cyprianus, Augustinus & Chrysostomus *Oblationes* vocant: Non quòd putârint, defunctos, quorum nomine hæc fiebant, in Purgatorio aliquo cruciari, unde his exequiis redimendi essent: sed hoc pacto mutuum gratulabantur, quòd defunctorum animæ, ab omnibus doloribus & hujus vitæ miseriis ac ærumnis liberatæ, ad æternam requiem & beatitudinem pervenissent. Ad hunc ritum respiciunt phrases & locutiones illæ, *Offerre* pro defunctis: &, *Sacrificium* pro dormitione eorum offerre, quibus primis omnium, adeoque novo & peculiari modo loquendi Cyprianus & Tertullianus usi sunt. Pontificii quidem hæc de Sacrificio propitiatorio, & de suffragiis pro expiandis & redimendis ex Purgatorio animabus defunctorum hodie intelligunt. Cyprianus autem seipsum

pretatur, quòd per Oblationes pro dormitione alicujus, intelligat, sportularum contributiones : Sacrificium verò pro dormitione celebrare, interpretatur, nomen alicujus in prece Sacerdotum, quæ in Eucharistiæ celebratione fiebat, nominare. Atque ideo etiam idem Pater lib. 1. epist. 9. non vult pro ejus dormitione offerri & nomen ejus ad altare nominari, qui Presbyterum actorem seu tutorem nominaverat: non quòd sentiret ipsum ideo in æternum damnatum esse, sed ne Ecclesiastica celebratione post mortem honoraretur. Quamvis autem ab initio hæc pio studio in Ecclesiam sic introducta fuerit consuetudo, cœpit tamen superstitio, quæ nihil quicquam in Religione diu syncerum ferre potest, non modò sensim obrepere in animos vulgi ad omnis generis superstitionem propensissimi, verùm illos ipsos etiam suâ contagione inficere, qui ab ea vulgum avocare debuerunt. Ad honestanda enim funera haberi cœperunt ab Ecclesiarum Pastoribus, Orationes funebres & Conciones, in quibus mortuis requiem æternam optârunt, bene precati sunt, & varias apostrophas Poëticas & Rhetoricas usurpârunt, quales in vehementissimis affectibus sæpe erumpere consueverunt, & amor ac desiderium ingens interdum extrudunt. Imò cura pro defunctis apud multos tanta fuit, ut illis etiam Sacramenta Baptismi & Eucharistiæ administrarent.

Ex his initiis quæ inclinatio veræ & orthodoxæ doctrinæ progressu temporis facta sit, Epiphanii ætas paulò post Ambrosium luculentissimè testatur. Hæc enim tum vulgi communis sententia fuit, Orationibus, Eleemosynis & Oblationibus quæ in terris fiunt, animas defunctorum nonnihil juvari posse, sicut ex Epiphanii disputatione cum Aërio intelligitur. Etsi verò Epiphanius nihil certi hîc definiat, sed propter vulgi opiniones, quas reprehendere non audet, & tamen ex Verbo Dei probare non potest, in medio hoc relinquar, & de industriâ obscuritatibus involuat: non multò tamen pòst Augustinus aliquibus in locis hanc vulgi sententiam approbare cœpit, & negandum non existimavit, defunctorum animas, pietate suorum, qui in terris superstites sunt relevari, quum pro eis sacrificium Christi offertur, vel Eleemosynæ in Ecclesia fiunt. In quo certè, vir alioquin sanctissimus, & purioris Evangelii doctrinæ constantissimus, pertinacissimúsque assertor, Verbi Dei nequaquam sequitur vestigia, sed hominum judicia, & communem vulgi errorem. Nam ad Paulinum fatetur, se nullum hac de re Scripturæ testimonium habere. Deinde dicit, fundamentum totius disputationis se collocare in recepta consuetudine orandi & offerendi pro mortuis. Tertiò, quæ temporibus suis & receptis opinionibus concedit, alibi dubia & incerta reddit. Eodem tempore in Græca Ecclesia docuit Chrysostomus, & duas defunctorum Classes constituit: ad primam Christianos refert, qui in vera fide moriuntur : ad secundam eos pertinere dicit, qui vel sine Sacramento hinc discedunt in infidelitate, vel qui baptizati quidem sunt, sed in peccatis moriuntur. Pro utrisque autem docet orandum & Eleemosynas erogandas, ad Altare verò in Cœnæ Dominicæ celebratione pro fidelibus tantùm. Ac primus omnium docet, sed sine ullo testimonio, aut firmo aliquo argumento, ab Apostolis hoc institutum esse: homil. 69. ad populum Antiochenum : indeque probat, non inutile esse, si Ecclesia pro defunctis oret & Oblationes faciat. Ex quibus intelligimus, quo Christiana Religio jam tum Augustini & Chrysostomi ætate corruerit, & quantùm seculum illud jam desciverit à doctrina non tantùm Apostolorum, sed etiam Tertulliani & Cypriani, quantúmque

que degenerârit à consuetudine quæ horum tempore in aliquibus Ecclesiis viguit.

Sequutus est hos Gregorius cognomento Magnus. Ejus ætate omne superstitionum & idololatriæ genus, quasi mare quoddam, totum penè Christianum Orbem inundavit, obruit ac penitus submersit, nemine jam non modò reluctante, sed omnibus vires potiis quas quisque potuit addentibus & suppeditantibus, inprimis Romanis Episcopis. Et quantum quidem ad nostrum institutum attinet, quas reprimere debuit Gregorius Magnus superstitiones, eas magis magisque auxit & confirmavit, & quidem has ob causas: Prima erat, quòd intelligeret solennes fuisse institutas mortuorum Memorias in veterum Christianorum Sacris, eúmque ritum ad sua usque tempora tanquam per manus traditum pervenisse: Non autem intelligens, aut non expendens satis accuratè, quæ Veteres hoc ut facerent commovissent, aut certè dissimulans, mox inde collegit, frustra hæc fuisse à Majoribus sic instituta, si nihil mortuis conferrent, eorúmque adjuvarent & promoverent salutem, quum tamen longè alias, & quidem graviores, quas antè commemoravimus, hujus instituti sui causas habuerint: Secunda causa superstitionis & idololatriæ hujus, fuerunt Gregorio Magno apparentia spectra, seu illusiones diabolicæ, & ficta miracula: Nam in libris Dialogorum narrat, frequenter exemplo ostensum, seu visione revelatum esse, defunctorum animabus multùm prodesse Sacrificia. Adjuvabat hunc Gregorii conatum plurimùm status illorum temporum calamitosissimus & perturbatissimus, in quo magnam jacturam fecit vera Religio, pietas & eruditio in Occidentalibus Ecclesiis: incendiis perierunt instructissimæ Bibliothecæ, dissipatæ, imò eversæ sunt Scholæ, ideoque nulli docti & pii viri ampliùs supererant, qui ingruentibus superstitionibus & corruptelis sanæ doctrinæ obviam ire & resistere possent. Eundem errorem multùm quoque promovit vita Monastica; Nam crescente in Occidente numero Benedictinorum Monachorum post Gregorii tempora, crevit etiam Missarum numerus: excogitata sunt à Monachis quatuor inprimis suffragiorum & officiorum genera, quibus à viventibus mortuorum in Purgatorio supplicia mitigari, salutem adjuvari ac promoveri posse crediderunt: nempe, Eleemosynæ, Iejunia, Preces, & præ cæteris omnibus Missæ, quarum usum præcipuè ad expianda peccata vivorum ac mortuorum adhibere cœperunt.

Ceremoniæ quoque in sacratissimæ Cœnæ actione operâ ac studio Romanorum Pontificum crescere & in immensum accumulari cœperunt à Gregorii Magni tempore, quo Antichristus in lucem editus fuit. Hæc autem multitudo rituum & ceremoniarum, ab hominibus excogitatarum, plurimùm Ecclesiæ Christi nocuit. Dum enim Doctores earum institutione & administratione, populus verò spectatione occupantur, vera & solida institutio & doctrina de Cœna, ut de aliis Christianæ Religionis capitibus nihil jam dicam, obscurata & neglecta est. Deinde etiam cultus opinio accessit, quæ comes est & pedissequa splendidarum atque numerosarum ceremoniarum, ac veræ doctrinæ semper exitialis fuit. Nam hominum mentes mirificè capiuntur & fascinantur ceremoniarum pompâ & splendore: & mox istâ persuasione imbuuntur, quòd ejusmodi operibus gratiam & favorem Dei promereantur.

Eodem ferè tempore lac quidam offerebant pro vino. Quidam intinctam buccellam in calicem præbuerunt populo pro tota Eucharistia, exemplo Domini, Iudæ intinctam buccellam porrigentis. Nonnulli de botro vel granis & uvarum baccis succum mustúmque ad Cœnæ usum expresserunt: & communicantibus

cantibus ministrârunt. Inveniebantur etiam qui oblatum à Sacerdote panem accipiebant quidem, sed acceptum non comedebant. Imò ex Sacerdotibus quoque pretium aliqui pro administratione Cœnæ accipiebant, non contenti suis stipendiis: id quod principium fœdæ illius mercaturæ fuisse arbitror, quæ posteris ætatibus in Ecclesia, Romana inprimis, exerceri cœpit: de qua Mantuanus ita cecinit:

Venalia Romæ,
Templa, Sacerdotes, Altaria, Sacra, Coronæ,
Ignes, Thura, Preces, Cœlum est venale, Deusque.

Vitalianus quoque Pontifex Rom. decrevit, ut Missæ, & cætera Ecclesiastica ac divina Officia omnia Latinâ linguâ celebrarentur in Templis: idque anno Domini 666. qui numerus est Bestiæ à Ioanne in Apocal. 13. cap. notatus. Cùm autem perinde sit, si quis in Ecclesia ignotâ linguâ loquatur, ac si prorsus nihil loquatur 1. Corinth. 14. ideo ut fructum Evangelii apud simplicem plebeculam impediret Satan, omnem injecit remoram, ne vernaculâ & notâ, sed peregrinâ & incognitâ linguâ pleraque in Ecclesia peragerentur.

Pòst paulò cœperunt Missas celebrare pro tempestatibus, pro valetudine ægrotantium & pro bellatoribus. Ob has autem novitates contra Apostolicæ & Primitivæ Ecclesiæ exemplum & consuetudinem, in plerasque Ecclesias introductas, plurimi finitâ concione sacrâ & expositione Scripturæ, exiisse è Templis leguntur, quòd ejus idolomaniæ spectatores esse nollent, quæ in Missarum pompa, & toto cultu externo perpetrabatur. Missis etiam Vrbes lustrare, & Eucharistiam ad probandam & contestandam innocentiam de objectis criminibus dare & sumere cœperunt: quod antea per μονομαχίαν, vel candentis ferri gestationem factum legimus. Et sicut Veteres panis & vini symbolis fœdera confirmare & inire solebant, ita etiam fœdera & pacta Regum ac Principum Eucharistiæ interventu confirmata sunt. Imò fuerunt qui, Hostiæ extra usum vim sanandi morbos attribuerunt.

Certum quoque est Ludovico Pio Imp. regnante, ex actione Cœnæ Dominicæ publica factam fuisse privatam, & Missas, quas vocant Angulares, tum primùm in Ecclesiam introductas esse, in quibus Sacerdotes, quandoquidem nemo aderat, soli ab initio communicârunt: progressu verò temporis cœperunt iidem modum præparationis, & periculum indignæ manducationis supra modum exaggerare, & multa polliceri de utilitate & efficacia, quæ ex privato illo opere & actione Sacerdotis, ad præsentes vel absentes, communicantes & non communicantes rediret. Donec tandem ex illa Sacerdotis actione sine communicantibus, fabricatum est sacrificium propitiatorium pro peccatis, applicatorium omnium meritorum Christi, & impetratorium omnium quæ à Deo petimus. His verò opinionibus instillaris in hominum animis, cumulatæ sunt tandem sine modo nundinationes & emptiones talium privatarum Missarum. Nam judicârunt homines, viam esse valde compendiariam, sine magna præparatione, & sine metu indignæ manducationis, ex opere operato privatæ Missæ Sacerdotis consequi posse illa omnia: imò multò plura & præstantiora, quàm ipsa communio Cœnæ Dominicæ pollicetur.

Postquam verò errores isti in Cœna Dominica, quos hactenus enumeravi, recepti semel fuissent in Ecclesiis, sequuti sunt mox alii his longè nocentiores, imò nocentissimi. Cùm enim vera doctrina de sacramentali præsentia corporis & sanguinis Christi in symbolis Cœnæ, à temporibus Apostolorum ultra octingentos annos integra, pura & incorrupta in Ecclesia mansisset usque ad Caroli

Calvi

Calvi Regis Galliarum ætatem, hoc est, ad annos Christi 850. Tunc, quia fatalis illa inclinatio veræ doctrinæ aderat, quæ à Prophetis & Apostolis prædicta fuit, cœperunt nonnulli carnalem præsentiam corporis & sanguinis Christi Cœnæ symbolis statuere & docere. Occasionem aberrandi dedit illis ritus & compellatio ista Christi quæ fiebat in Cœnæ celebratione, quâ Patri sistebatur, ut Mediator. Inde enim pervasit opinio in animos hominum superstitiosorum, nec accuratè Verbo Dei & primitivæ Ecclesiæ doctrinæ attendentium, pani reale corpus Christi adesse, & coràm communicare semetipsum carne suâ substantialiter præsentis, & applicare merita sua intercessione & opere Sacerdotis, cœperuntq; symbolis externis, ceu Numinibus quibusdam inhærere: Sicut omni tempore non Ethnici solùm & Israëlitæ, sed Christianorum etiam maxima pars oblita Verbi Dei & promissionum, vertit signa in res signatas & Numina. Deinde confirmârunt hanc superstitiosorum hominum opinionem plurimùm, Phrases hyperbolicæ primitivæ Ecclesiæ Patrum, quibus majestatem & venerationem quandam huic Sacramento conciliare voluerunt. Non tamen sententia hæc nova & Vetustati incognita doctrina, ab omnibus illico approbata & recepta, sed tantùm ab initio in quæstionem proposita fuit, & de ea in Scholis tantùm disputari cœptum est. Nondum enim exoleverat doctrina Primitivæ Ecclesiæ Patrum, præsertim Augustini, quæ post mortem ejus, quasi per manus tradita fidelissimè custodita & confirmata fuit.

Initium concertationis factum est in Gallia, Bertramo, qui à Carolo Calvo Rege & omnibus bonis in magno pretio, propter summam eruditionem & vitæ sanctimoniam habebatur, cum aliis quibusdam Augustini sententiam acriter defendentibus. Quemadmodum autem zizania, si semel radices egerunt, facilè ampliùs evelli non possunt: quod etiam satis docent tribuli, cardui atque lappæ: nec non anserina, ranunculus & campanella in vineis: ubi enim aliquandiu floruerunt, inde nulla postea arte pelli possunt: & ut extantem caulem cum foliis admotâ falce maximè reseces, radicem tamen funditùs tollere difficile est: unde fit, ut quotannis denuò erumpant, & circumfusas segetes vel penitus suffocent, vel saltem impediant, quò minùs rectè adolescant: Sic etiam quum primùm falsa doctrina de reali corporis Christi in Cœna præsentia in Ecclesia locum aliquem invenisset, mox à Romanis Pontificibus & Monachis approbata & recepta est, ut quæ nundinationi & mercaturæ suæ accommodatissima foret, tamque altas radices egit, ut Ioannem Erigenam, ab aliquibus Scotum cognominatum, in Mamelsburiensi Cœnobio interpretantem Dionysii libellum de Hierarchia, & taxantem tunc vulgò receptam opinionem, de oblatione Cœnæ Dominicæ pro vivis & mortuis, itemque doctrinam de carnali corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentia, discipuli, à Monachis superstitiosis impulsi, graphiis confoderint, anno Christi 884.

Vexavit hoc certamen annos plùs minùs 200. Ecclesiam, antequam certi quicquam, contra orthodoxum consensum totius Ecclesiæ, totiusque Vetustatis ab Apostolorum ætate, ex parte corporalis Christi præsentiæ in Cœna, definiretur. Evolutis demum mille illis fatalibus annis, de quibus Iohannes in Apocal. 20. cap. scribit, quòd tunc Draconem vel Satanam solvi rursus, & omne genus superstitionum, idololatriæ, errorum, & abominationum in mundum introduci oporteat, primò omnium, quòd sciam equidem, de corporali præsentia Christi in Cœna, ceu pio & Catholico dogmate contra Berengar. tum etiam in Gallia orthodoxam Augustini & aliorum Patrum sententiam defendentem, cautum fuit, plùs quàm mille post natum Christum annos in Vercel-

lensi Concilio anno 1051. habito sub Leone IX. Pontifice. Paulò verò pòst rursus à Nicolao II. ita decretum est in Romana Synodo contra eundem Berengarium aliosque omnes rectè sentientes, ut credendum ediceretur, post panem consecratum ita esse in Sacramento corpus Christi, ut sensualiter etiam & in veritate manibus Sacerdotum tractaretur, frangeretur & credentium attereretur dentibus. Acta hujus Synodi promulgata, & ad omnes Italiæ, Galliæ, Germaniæ Ecclesias, aliáque loca missa sunt, ad terrendos eorum animos, qui novo huic dogmati Rom. Ecclesiæ de Eucharistia nondum subscripserant. Nondum tamen etiam tum Transsubstantiationis nomen inventum atque usitatum erat: nullam enim hic Nicolaus ejus facit mentionem, nec ipse Lanfrancus, adversarius Berengarii eo usus est, etiamsi rem ipsam palàm asserat. Mox tamen eum sequuti Doctores id usurpare cœperunt.

Post damnatam Berengarii doctrinam, cùm non satis tutum ampliùs esset, ob immanem Pontificum Rom. tyrannidem ei ex professo adhærere, multi tamen non improbare eam & repudiare omnino possent, ut Verbo Dei & Primitivæ Ecclesiæ doctrinæ consentientem: neque etiam, ob dictam causam, Transsubstantiationi publicè contradicere auderent, quamvis eam minimè approbarent tanquam orthodoxæ Vetustati & Apostolicæ doctrinæ contrariam, mediam quandam, inter has duas, excogitârunt sententiam: qui tamen etiam ipsi inter se variârunt opinionibus. Docuerunt enim aliqui, ut ex lib. 1. & 3. Guitmundi intelligitur, verum panem & vinum post consecrationem in Cœna quidem manere, sed simul in, sub, vel cum pane & vino, reale quoque corpus & sanguinem Christi existere & contineri: quam opinionem, Impanationem Guitmundus appellat, in eamq; acerbiùs multò invehitur, & eam insectatur vehementiùs, quàm Berengarii sententiam, imò hanc præ illa justificat. Nonnulli tradiderunt, materiam panis, mutari quidem in corpus Christi: sed tamen formam substantialem panis eandem manere. Rupertus verò Tuitiensis Abbas docuit, panem Eucharistiæ assumi à Verbo, eo prorsus modo, quo natura humana ab eodem assumpta est. Hæ tamen sententiæ omnes longiùs quàm Transsubstantiatorum à Christi verbis recedit, si vel litera spectetur, vel sensus. His itaque variis ac discrepantibus sententiis permotus Innocentius III. Papa, ne quid detrimenti Romana Ecclesia acciperet, Transsubstantiationem, seu doctrinam de mutatione & conversione signi in signatum, panis in corpus reale, & vini in sanguinem naturalem, sic ut de signis nihil reliqui ampliùs supersit præter speciem & apparentiam accidentium, denuò in Lateranensi Concilio, anno Christi 1251. congregato, non solùm approbavit, sed etiam inter articulos fidei retulit, & Transsubstantiationis nomen, prioribus seculis inauditum & incognitum, Decretalibus infarsit. A quo demum tempore hæc doctrina tanto studio, tantáque sævitia & tyrannide defensa fuit, ut Guilelmus Occamus, Petrus de Aliaco Cameracensis Cardinalis, aliique, Consubstantiationem, seu coëxistentiam corporis Christi in, vel sub & cum pane libentissimè approbâssent & amplexi fuissent, nisi obstitisset Ecclesiæ determinatio. Nam anathematis fulmine percussi, ac tanquam nocentissimi hæretici proclamati & damnati sunt, qui diversum sentire, vel hoc dogma carpere & oppugnare tentarent. Atqui à Vercellensi Concilio, in quo hæc doctrina primò recepta & approbata fuit, usque ad hunc præsentem 1602. Christi annum, colliguntur anni 551. quibus hoc Transsubstantiationis dogma in Ecclesia fuit & duravit.

In eodem Concilio Lateranensi decretum quoque fuit, Laicis semel in anno sufficere communione uti. Instituta tunc etiam fuit Confessio, omnium ac singulorum

gulorum peccatorum, facienda proprio Sacerdoti ante Eucharistiæ sumptionem. De quibus tamen neque Christus, neq; Apostoli quicquam præceperunt.

Quàm primùm autem hæc falsa opinio à Generali Concilio approbata receptáque fuit, eaque in mentes hominum invasit, Deum ex pane à Sacerdotibus creari, & in accidentibus panis, quæ sola maneant reliqua, Christum ipsum verum Deum & hominem realiter celari & contineri, maxima blasphemam & execrandam hanc persuasionem in Ritibus & Ceremoniis sequuta est idololatrica pompa, quo augustius suum Numen illud & Deum novum efficerent. Panis enim ille sic ad divinos honores evectus, & jam non pro pane ampliùs habitus, sed pro Deo cultus, nunc demum cœpit quoque in omnibus Ecclesiis, Romanæ tyrannidi subjectis, & aliâ formâ, nempe orbiculari seu rotundâ, & alio pistorio opere, & candore magis niveo apponi & commendari. Altera quoque pars Cœnæ Dominicæ, vinum scilicet, Laïcis adempta, & solis Sacerdotibus relicta est, tum ne quid fortè de sanguine Christi à rudi atque imperito populo effunderetur, tum verò ut eò major esset Sacerdotum dignitas; Facinus certè audax atque horrendum. Cœperunt etiam in honorem hujus Sacramenti parari Tabernacula, Thecæ & Ædiculæ, Ταμεῖα seu Ciboria, ex institutione Innocentii III. & approbatione Honorii III. qui etiam decrevisse dicuntur, panem Eucharisticum in decenti habitu cum tintinnabulo & lumine ad ægrotos deferri debere. Accessit his quoq; Elevatio & Adoratio corporis & sanguinis Christi: itemq; pulsus Squillæ seu Campanulæ, qui fit ad consecrationẽ & elevationem, ut eo audito populus procumbens adoret Sacramentum, ex decreto Gregorii IX. Consecrati panis & pro Numine habiti subsecuta est Circumgestatio, & Circumgestationi solenne institutum Festum ab Vrbano IV. anno Dni. 1264. quo ipso horrendæ idololatriæ latissima porta aperta fuit. Nam celebrationi hujus Festi homines persuadentur, Christum in pane illo, cùm circumgestatur & ostentatur in illa pompa, verè adesse: imò hunc panem non ampliùs panem esse, sed ipsissimum Christum: ideoque volunt Christum Deum & hominem adorandum esse, externo etiam latriæ cultu. Pontifices Rom. quoque largissimas Indulgentias illis promiserunt, qui cum reverentia & devotione festum hoc Panis celebrant. Cœperunt quoque pane hoc Eucharistico uti, eumque ostentare & circumgestare adversùs cœli inclementiam, ventos, procellas, tonitrua, fulgura, fulmina, pruinas, rubiginem & quascunque alias tempestates: nec non etiam ad extinguenda incendia, & avertenda spectra, aliaque mala seu infortunia: quin etiam ad depellendos morbos, caritatem, bella & similia: prorsus ad Ethnicorum imitationem. Sic enim Romani quoque Sementinas habuêre ferias, in quibus rustici solenni pompâ circuibant & sacrificabant Terræ, Cererique frugum parentibus: Celebrârunt iidem Robigalia & Floralia, in quibus Processio fiebat: Item Ambarvalia, quæ fiebant non solùm circa sementem, sed etiam ante messem, eaque lustrationes & purgationes arvorum esse credebantur. Denique Pontifices Romani, quoties peregrè proficiscuntur hodie, Eucharistiam equo exili impositam, cujus ex collo tintinnabulum pendeat, agasoni cuidam inter impedimenta, ad sui custodiam committunt.

Ex his omnibus, Magnificentia Tua intelligit, nullum caput esse totius Christianæ Religionis, cui Satan tantopere insidiatus sit, & quòd tam fœdè ac horribiliter jam inde ab Apostolorum temporibus, usque ad Patrum nostrorum, qui proximè nos præcesserunt, memoriam, depravârit, corruperit & adulterârit, ut hoc ipsum quod est de S. Domini Cœna. Etsi verò Deus Opt. Max. densissimas has nebulas & obscurissimas tenebras, quæ à Vercellensi Concilio usque ad an-

num quingentesimum supra millesimum totum mundum occupârunt, Verbo suo post tempus illud discusserit, ejúsque lumine Germaniæ & Helvetiæ primò, deinde etiam Galliæ, Angliæ, Scotiæ, Poloniæ, Hungariæ, Daniæ, aliorumque amplissimorum Regnorum ac Provinciarum Ecclesias illustrârit, & à multis tetris erroribus, idolomaniis, superstitionibus ac fœditatibus repurgârit; non tamen quievit Satan: Sed quemadmodum hostis urbem oppugnaturus, arietem muro adhibet, vel tormentis propugnacula verberat, non obvia quavis ex parte, sed quâ putat plurimùm se posse nocere: aut quæ jam antè semel atque iterum expugnata dicitur & oppressa: Sic veterator ille, quia vidit se plurimùm superioribus seculis sacramentariâ controversiâ damni Ecclesiæ dedisse, omnia tentavit, ut saltem similia, si non atrociora certamina excitaret, & magnam partem Reformatarum quoque Ecclesiarum, si non prorsus, saltem parte aliqua in pristinis tenebris contineret. Questi sunt primi illi Reformatores Ecclesiarum, Cœnam Domini horribiliter à Pontificiis profanari: Transubstantiationem seu Conversionem realem signi in signatum, panis in corpus, vini in sanguinem Christi naturalem doceri: alteram speciem contra institutionem Christi Laïcis eripi & negari; panem circumgestari, ostentari, adorari, elevari, reponi & asservari: vim eidem satisfactoriam pro peccatis viventium ac mortuorum tribui. De his inquam & similibus, ut leviora taceam, conquesti sunt illi: hæc eadem improbârunt, & magno zelo ex Ecclesiis ejecerunt. Quæ autem Pontificiis objecerunt, eadem ferè omnia multis Ecclesiis, quæ Reformatæ videri volunt, objici possunt. Asserunt enim illarum aliquæ, sub specie panis & vini, verum & naturale Christi corpus & sanguinem corporaliter & oraliter à piis & impiis sumi: nec quicquam hîc volunt immutatum, mitigatum, correctum & emendatum admittere. At qui Transsubstantiatio Pontificia hîc tanquam anguis in herba latet. Substantia enim panis & vini interiit, si corpus & sanguis sub speciebus panis & vini adsunt. Hinc etiam fit, ut nimii quoque honores externis illis symbolis in his ipsis tribuantur: nempe, Elevatio, Adoratio, Circumgestatio & Asservatio: quæ transelementati panis in reale & substantiale Christi corpus sunt quasi comites & pedissequæ individuæ. Panem equidem non per omnia elevant, adorant, circumgestant & reponunt, ut Pontificii; nihilominus tam propè his omnibus ad illos accedunt, ut perparùm inter ipsos sit discriminis. Si enim Amplitudo Tua, aliquam horum ingrediatur Ecclesiam, & Cœnam Domini celebrari videat, dicat in Ecclesia se Papistica potiùs quàm Reformata & Evangelica esse; Non solùm enim cernuntur ibi Cruces ligneæ, Cantus Latinus, adornata Altaria, pictæ & sculptæ Imagines, ardentes Cerei, alba Ministri Stola, & hujus generis complura, sed præcipuè etiam superstitiosus, idololatricus & nimius erga symbola Cœnæ externa honos. Verba institutionis canunt, non recitant: hostiolas integras rotundas distribuunt, non panem frangunt: porrectas plerique ore excipiunt, non manibus contrectant: ore exceptas non dentibus atterunt, sed quantâ possunt celeritate vel integras, vel liquescentes deglutiunt, metuentes ne quam injuriam carni Christi inferant. Sacrificium propitiatorium à Cœna quidem amovent, animis autem vulgi inhærere patiuntur. Multi sexcenties Eucharistiæ participes facti, quum primùm lethaliter ægrotare cœperint, quamvis lecto sint affixi, & jamjam morituri, eam tamen ad se per Pastorem de novo deferri petunt, ut hujus Viatici participes facti feliciùs ex hac vita migrent, & nisi id fiat, aliqui rectâ sibi descendendum ad inferos putant. Tacitam ergo expiandi vim Sacramento externo inesse opinantur, utcunque id verbis negent. Et hæc omnia aliaq; multa communia adhuc habent cum Papistis.

Deinde

Deinde Transſubſtantiationem Papiſticam repudiant illi, & meritò quidem; in ejus autem locum ſubſtituunt ipſi Conſubſtantiationem, parùm admodum ab illa differentem. Pro abſurdo enim miraculo ſubſiſtentiæ accidentium ſine ſubjecto, fingitur hac ſententia aliud non minùs abſurdum de penetratione duorum corporum. Et hoc ſolùm inter Transſubſtantiationem & Conſubſtantiationem intereſt, quòd cùm utraque veram, eamque carnalem Chriſti corporis & ſanguinis præſentiam in Cœna ſtatuat, in modo ſaltem præſentiæ diſſentit: quòd hæc non ut altera, aſpectabiles rerum cœleſtium notas cenſet in eas res converti, quarum notæ ſunt, verùm integras, & pro ſuæ naturæ modo in Sacramento permanere fatetur, docétque, ſed ita, ut cum ipſis rebus corporaliter & realiter conjungantur, quas ſignificant. Longiùs etiam Conſubſtantiatorum quàm Transſubſtantiatorum dogma à Chriſti verbis recedit, ſive litera ſpectetur, ſive ſenſus. Litera eſt, *Hoc*, id eſt, hic panis eſt corpus meum: ſenſus eſt, Panis iſte viſibilis fractus & diſtributus, eſt verum corpus meum, pro vobis tradirum: non tamen eſſentiali converſione, ut Papiſtæ volunt, ſed myſticè, ſive ſacramentali Metonymiâ: ut Chriſtus ipſe, & Paulus, totaque orthodoxa Antiquitas interpretatur. Ab hac litera & ſententia verborum Chriſti Conſubſtantiatorum dogma toto abeſt cœlo: ac falſiſſimum eſt, eos verum ſenſum verborum retinere, cùm pro verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum, ipſi hæc ſua afferunt; In pane, ſub pane, cum pane hoc, eſt corpus meum: vel, Panis, & corpus in pane inviſibiliter latens, eſt corpus meum. Nam nec ſolus panis, nec panis cum corpore intus latente, propriè & ſine tropo dicitur corpus Chriſti: ſicut nec crumena vacua, vel nummis plena, propriè & ſine tropo pecunia dicitur. Adverſatur etiam hæc verborum Chriſti interpretatio, præſentiam carnalem corporis Chriſti in Cœna ſtatuens, tum veritati carnis Chriſti circumſcriptæ, tum ejuſdem in cœlos Aſcenſioni, & ex cœlis reditu.

Ab hoc igitur propugnaculo verborum Chriſti depulſi, quibus realem Chriſti carnem in Euchariſtia evincere conati ſunt, Vbiquitatem corporis Chriſti arripuerunt, & ab unione hypoſtatica duarum naturarum in Chriſto, corpus Chriſti non minùs ubique præſens eſſe, quàm ejus Deitatem in omni lapide, ligno, cantharo cerviſiario, &c. ac proinde etiam in Cœna, docere cœperunt: aperteque faſſi ſunt, niſi concedatur, Chriſtum unà cum ſuo vero corpore & ſanguine verè ac realiter in Cœna præſentem eſſe priùs, quàm verba Cœnæ recitata ſint, ſe ne ad momentum quidem cum Zvinglianis ampliùs contendere velle. Hoc autem portentum (neque enim dogma, vel ſententia, vel opinio, vel ſimplex etiam hæreſis nominari debet) Scripturis repugnat, adverſatur Patribus, evertit totum Symbolum, Chriſti naturas cum Eutychete confundit, veteres hæreſes ferè omnes ab inferis revocat, & ipſum denique, quod mirabile eſt, Sacramentum deſtruit, pro quo tamen aſtruendo excogitatum eſt. Nos verò, qui hæc ipſorum portenta, falſa & erronea dogmata recipere & approbare nolumus, Neſtorianos, Arianos & Mahometanos nominant, omni genere conviriorum proſcindunt, calumniis & falſiſſimis criminibus apud Principes, Magiſtratus ac plebem oppugnant, nec ſolùm, quantum in ipſis eſt, ex pace Imperii excludunt, ſed etiam ex toto Chriſtianorum cœtu proſcribunt. Et quod illi ipſi Theologi publicis ſcriptis antehac contra Papiſtas ſæpiſſime conteſtati ſunt & contenderunt, iniquum eſſe ut ſcripta nondum lecta, & cauſa nondum cognita damnetur, quum Apoſtolus jubeat omnia probare, & ſpiritus Prophetarum Prophetis ſubjectos aſſerat: & alter Apoſtolus ſimiliter mandet piis, ut probent ſpiritus an ex Deo ſint: hoc, hoc inquam, quod in omnibus Iu-

diciis Civilibus & Ecclesiasticis æquissimum, ac jure Gentium comprobatum est, ut altera quoque pars audiatur priùs, quàm feratur sententia, hactenus Nostri impetrare non potuerunt, sed eorum Libris, Responsionibus & Apologiis omnis aditus ad alterius partis homines præclusus, & lectione illarum omnibus interdictum hactenus fuit. Sic autem ipsi faciliùs perrumpere, & erronea sua dogmata Auditoribus suis instillare potuerunt.

Hæc omnia, quæ hucusque pluribus à nobis commemorata sunt, quàm ab initio statueramus, sic se habere, etsi Antiquitatis & Historiarum studiosi non ignorare possunt, paucis tamen nota sunt. Ea verò non minima causa est tot ac tantorum errorum & superstitionum, quæ vel in hoc unico Christianæ Religionis capite de Cœna Domini, in primis verò de corporali præsentia Christi in Eucharistia, adhuc hodie non tantùm in Papisticis, sed multis etiam Reformatis Ecclesiis mordicus retinentur ac defenduntur. Cujus rei evidentissimum in Luthero exemplum habemus: Cùm enim aliquando in Colloquio privato, mentio hujus controversiæ inter ipsum & Philippum incidisset, & Philippus Vetustatis testimonia repeteret, quibus panis Eucharisticus signum corporis Christi à Patribus non solùm Græcis, sed etiam Latinis nominatur, & Lutherus non haberet quod opponeret, saltem dixisse fertur, Mirari se sententiam tot seculis usitatam in Ecclesia hærere potuisse, si falsa habenda sit. Quæ verba satis indicant, respexisse tantùm Lutherum ad proximè præcedentia secula, quibus dogma de carnali præsentia Christi in Ecclesia viguit, non autem ulteriùs ad Apostolorum & Patrum Primitivæ Ecclesiæ, vel saltem mediæ ætatis tempora, ideoque non mirum ipsum hallucinatum esse. Ob hanc verò, aliasque plures causas ante annos quatuor in historia mea *Originis & Progressus* errorum Ecclesiasticorum, in lucem quoque edidi primam partem Sacramentariæ Historiæ, in qua ordine descripsi à prima institutione integram historiam ex probatis Auctoribus & Patribus, de Ritibus, Ceremoniis & Doctrina sacrosanctæ Cœnæ Domini. In cujus priore parte solidè me demonstrâsse puto, etsi in accumulandis Ceremoniis & Ritibus, à simplici primæ & Apostolicæ Ecclesiæ forma posteræ ætates nonnihil recesserint: veram tamen & sanam doctrinam Christi & Apostolorum de sacra Cœna toto hoc temporis spatio, ultra octingentos videlicet annos, puram & incorruptam mansisse. In reliqua descripsi inclinationem sanæ doctrinæ de Cœna Domini: Primò, originem seu initium certaminis de vera præsentia Christi corporis in Cœna: quando videlicet, qua occasione, & quibus Auctoribus ab Apostolicæ & Primitivæ Ecclesiæ vera & orthodoxa doctrina Cœnæ recessum, ac de modo præsentiæ corporis & sanguinis Christi disputari cœptum sit. Secundò, progressum certaminis hujus, & primam Transsubstantiationis institutionem. Tertiò, Transsubstantiationis confirmationem. Quartò, quæ Transsubstantiationis dogma sint consecuta. Quia verò, quæ nostrâ Patrumque nostrorum memoriâ, in hac ipsa controversia sacramentaria inter Lutheranos, Vbiquistas, & quos sic odiosè Zvinglianos seu Calvinistas vocant, exorta, ab alterius partis Theologis gesta, scripta, defensa & propugnata sunt, vix crederet posteritas, quoniam ne nunc quidem multi Principes, Magistratus ac præsertim ignobile vulgus credit, idcirco hanc alteram partem ejus Historiæ nunc edo. Ac licèt, quod Deus novit, sempiternâ oblivione eam deletam velim, posteritatis tamen ratio habenda est, ut veritatem inquirere, in ea confirmari, ac de tota hac nostri seculi controversia rectiùs judicare possit.

Hanc

Hanc verò partem alteram Historiæ hujus, felicibus *Magnificentiæ Tuæ*, Nobilissime Vir, auspiciis in lucem nunc quoque edo, & ad posteritatem transmitto. Laudatissimum enim in Republica literaria mos est, & multorum seculorum exemplis confirmatus, ut quem quis colat maximéque faciat, in ejus fide, tutela & patrocinio scriptum, quod editurus est reponat, & quasi consecret. Causæ autem multæ & graves sunt, quæ me & alios complures in admirationem Magnificentiæ Tuæ abripiunt, eámque ut cum debita observantia colamus, suspiciamus & admiremur, compellunt. Nam ex Nobili Borussiæ Familia oriundus, Majores habuisti præstantiâ & virtute claros & conspicuos: Parentem inprimis BONAVENTURAM BODECCERUM tantæ auctoritatis & virtutis Virum, ut paucos illius ætas habuerit qui illi præferri potuerint. Si enim sapientiam & summam ipsius prudentiam ac vitam longævam spectemus, alter Nestor: Sin Linguarum cognitionem consideremus, alter Mithridates jurè vocandus erit. Nam præter maternam linguam, Gallicam quoque, Italicam, Sclavonicam, Anglicam, Latinam & Hispanicam exactissimè calluit. Quæ etiam causæ fuerunt, ut non tantùm dubiis in rebus maturo & salutari consilio Patriæ suæ sæpe succurrerit, sed etiam Cæsareæ Majestati officia fida quàm plurima præstiterit. Etsi verò magnum Dei donum sit ex præclara & nobili familia ortum, paternis item & Majorum virtutibus maximè conspicuum esse, longè tamen majus, imò maximum est, si quis propriis virtutibus, ac inprimis verâ pietate erga Deum emineat, & sic veram nobilitatem sibi conciliet. Omnia alia, præclatè admodum inquit Cicero, falsa, incerta, caduca & mobilia sunt: Virtus autem una altissimis defixa radicibus, nullâ unquam vi labefactari potest. Et rursus: Virtus in tempestate quieta est, & lucet in tenebris, & pulsa loco manet tamen, atque hæret in Patria, splendétque per se semper, nec alienis unquam sordibus obsolescit. Hæc quum perpenderet, Magnificentia Tua, & paternas, Majorúmque virtutes, ut rem debitam, à se quoque exigi intelligeret, postquam anno 69. Coloniam, tanquam ad mercatum bonarum artium, & theatrum virtutum nobilissimarum amandaretur, omnem suam operam eò contulit, ut jactis fundamentis, solidam omnium rerum cognitionem acquireret. Anno verò sequenti 70. Lovanium, Brabantiæ celeberrimam Academiam cùm inviseret, disputando & perorando ita sese exercuit, ut anno 71. in Galliam, mox ex Gallia in Italiam cum consultissimo viro Dn. Doctore Schillero, nunc Cancellario Augustano tunc verò præceptore ejus, sit ablegata. Ex Italia Tubingam studiorum causâ secessit. Tubingâ Spiram. Inde verò secundò in Italiam & Galliam est profecta. Ex qua peregrinatione Regionum illarum statum ita exploravit, ut ne Italus vel Gallus quidem exactiùs de eo disserere possit.

Sed hoc parum est, si reliqua considero. Ex eadem enim peregrinatione, quam viginti annorum spátio absoluisti, Amplissime Bodeccere, tantam non Philosophiæ & Iurisprudentiæ solùm, sed etiam Medicinæ & Theologiæ quoque cognitionem hausisti, ut verè Theologus, Iurisconsultus, Medicus & Philosophus haberi possis. Ardor in primis tuus in Theologiam hinc elucescit, quòd tametsi in Papatu & Lutheranismo natus & educatus sis, maximámque partem ætatis tuæ transegeris, ab orthodoxorum tamen librorum lectione non abhorruisti, sed iis intentus in veritatis cognitionem tandem pervenisti, & propter illius liberam professionem, maximè verò propter nocentissimum illud dissidium & controversiam implacabilem de Cœna Dominica ad nos in Helvetiam commigrasti. De scientia deinde tua Iuris cùm divini, tum humani,

Medicinæ item, & Philosophiæ singulari nihil in præsentia dicam, propter amplissimum campum qui mihi percurrendus esset. In Historiis autem ita exercitatus es, ut nulla ferè à condito Mundo ad nostrum usque seculum acciderit res mira, quam Amplitudo Tua non commemorare, &, quod miraculum est, dies & annos rei gestæ, & nomina Auctorum recitare possit; Historiam Ecclesiasticam alterum Eusebium; Romanorum & Græcorum res gestas alterum Livium; Germanorum ritus alterum Tacitum, qui Te audit, commemorare sibi videtur. Has ob causas non immeritò à Cæsarea Majestate in Consiliarium electus & expetitus, præstantissimas in multis Imperii Comitiis, aliisque gravibus & difficillimis ad Imperii incolumitatem & salutem pertinentibus negotiis, legationes summa cum laude obiisti. Adhæc nullis sumptibus pepercisti, quò Thesaurus ille Bibliothecæ Phocii Patriarchæ Constantinopolitani, nunquam antehac visus, è tenebris erutus juris tandem publici fieret: quæ res unica satis magno argumento esse potest, ut erga studia literarum, earúmque studiosos affectus sis. Ob has aliasque complures virtutes, quæ tanquam gemmæ lucidissimæ in Te fulgent, nec Rhelingorum Augustæ Vindelicorum nobilissima Familia affinitatem tuam aspernata est, & Amplissimus Senatus Populusque Tigurinus Tuam Magnificentiam amœnissimæ Arcis ac Iurisdictionis Elcovianæ Dominum confirmavit. Hæ sunt causæ præcipuæ, propter quas ego quoque hanc alteram partem Historiæ Sacramentariæ sub Amplissimo tuo Nomine in lucem prodire & publicam fieri volui. Illud saltem vehementer etiam atque etiam peto, ut qualemcunque hanc meæ erga Te summæ observantiæ & amoris significationem eo animo suscipias, quo à me proficiscitur. Deum Opt. Max. Patrem Domini nostri Iesu Christi toto pectore oro, ut Magnificentiam Tuam quàm diutissimè incolumem conservet, & ab omni malo defendat: Amen. Tiguri prid. Id. Aug. Anno nati in carne Filii Dei M. DC. II.

TVÆ MAGNIFICENTIÆ

Observantissimus

RODOLPHVS HOSPINIANVS

Tigurinus.

AD

CHRISTIANVM LECTOREM ADMONITIO.

ETSI *sciam, Christiane & benevole Lector, veritatis confessionem periculosam esse, in hac præsertim Controversia de Cœna Dominica, ejúsque historicâ narratione: Nihil enim tam orthodoxè, verè, rectè & bene dici potest, quod non ingenia callida & sophistica cavillari, & arrodere queant: è contrà nihil tam inconveniens, impium, blasphemum ab iisdem aut dici, aut fieri, aut scribi potest, cujus excusationem aut prætextum speciosum saltem non inveniant semper: Tamen multis honestis & gravibus de causis hanc alteram partem Historiæ Sacramentariæ in lucem edendam curavi. Primùm, cùm multa falsissima crimina apud Principes, Magistratus & plebem in Germanica præsertim Natione, de nobis, quos odiosè Zvinglianos seu Calvinistas vocant, spargantur, & odia contra nos variis calumniis à vesanis & furiosis alterius partis Theologis, accensa sint, hæc commemoratio mendacia illorum, ut spero, refutabit, & aliquorum saltem iracundiam leniet. Nonnulli etiam, cognitis fontibus, ad veritatem invitabuntur. Necesse quoque est, nos ad posteros relinquere publica testimonia, digna fide, opposita falsis criminationibus, ne posteritas sinistrè de nobis judicet: & ut aliqui hac Historiâ commonefacti, veritatem inquirant, & in vera ac orthodoxa sententia confirmentur. Speramus denique eos, qui legent & considerabunt diligenter Historiæ hujus seriem, & initia ac progressus horum certaminum, intellecturos esse, nec errore, nec ullo pravo affectu hanc, quam profitemur, doctrinam amplexos esse & tueri: nullum enim majus est scelus quàm agnitæ veritati adversari. Quod spectat ad* LIBRI CONCORDIÆ *initium & progressum, pertinet id ad peculiarem Tractatum, qui est hujus partis Historiæ Sacramentariæ, velut Appendix. Interea his fruere; quoad tertia item Historiæ Sacramentariæ Pars de Sancto Baptismo & adulterinis Sacramentis, aliisque compluribus quæ in manibus habemus, à nobis in lucem edetur. Vale.*

INDEX PERSONARVM,
QVARVM SCRIPTIS BELLVM
SACRAMENTARIVM *gestum est.*

ABDIAS Prætorius.
Abrahamus Musculus.
Adamus Christianus.
Adamus Franciscus.
Albertus Grauverus.
Alexander Alesius.
Alexander Novellus.
Albertus Sperlingus Iesuita.
Ambergenses Theologi.
Ambrosius Blaurerus.
Ambrosius Reudenius.
Ambrosius Wolfius.
Andræas Althamerus.
Andræas Callia.
Andræas Caroloftadius.
Andræas Chraftovius.
Andræas Musculus.
Andræas Osiander.
Andræas Schafmannus.
Andræas Volanus.
Anhaltini Theologi.
Antonius Sadeel.
Augustana Confessio.
Balthassar Menzerus.
Bartholomæus Major.
Basilius Satlerus.
Benedictus Talmannus.
Bernhardinus Ochinus.
Bilibaldus Birkheimerus.
Bremensis Senatus.
Bremenses Theologi.
Casparus Cruciger.
Casparus Francon.
Casparus Olevianus.
Casparus Peucerus.
Casparus Pfaffradius.
Casparus Pilcius.
Christianus Hessiander.
Christianus Valdensis.
Christophorus Granmundus.
Christophorus Pezelius.
Civitatum quatuor Imperialium Confessio.
Claudius de Xaintes Monachus.
Conradus Almannus.
Conradus Pellicanus.
Conradus Ris.
Conradus Schlussenburgius.
Conradus Somins.
Daniel Hofman.
Daniel Tossanus.
David Rungius.
Egidius Hunius.
Erasmus Alberus.
Erasmus Roterodamus.
Erhardus Schnepfius.
Eusebius Cleberus.
Fortunatus Crellius.
Franciscus Burkhardus.
Franciscus Costerus.
Franciscus Lambertus.
Fridericus Kranmeyer.
Fridericus III. Elector Palatinus.
Fridericus Petrus.
Georgius Alcrathius.
Georgius Cassander.
Georgius Harvvath.
Georgius Lupichius.
Georgius Mylius.
Georgius Sohnius.
Georgius de Valentia.
Georgius Grefekenius.
Graminæa de Vigiliis.
Guilelmus Klebitius.
Guilelmus Stuckius.
Hallenses Theologi.
Helias Palingenius.
Helveticæ Ecclesiæ.
Henricus Brunsvicensis Dux.
Henricus Bullingerus.
Henricus Erzbergerus.
Herman Hamelman.
Hermannus Pacificus.
Hermannus Rennecherus.
Heydelbergenses Theologi.
Heyzo Buscherus.
Hieronymus Zanchius.
Huldrichus Zvinglius.
Iacobus Faber Stapulensis.
Iacobus Groschius.
Iacobus Heylbrunnerus.
Iacobus Rungus.
Iacobus Schegkius.
Iacobus Schmidlinus.
Iacobus Schopperus.
Iacobus Struthio.
Iacobus Sturmius.
Ieremias Patriarcha Constantinopolitanus.
Iesuitæ.
Ingolstadienses Theologi.
Ioachimus Camerarius.
Ioachimus Cureus.
Ioachimus Gifthell.
Ioachimus Magdeburgius.
Ioachimus Vadianus.
Ioachimus Westphalus.
Ioannes Baptista Ficklerus.
Ioannes Brentius.
Ioannes Brentius F.
Ioannes Busæus.
Ioannes Calvinus.

Ioannes

INDEX
RERVM ET VERBORVM
QVÆ IN HOC OPERE CONTINENTVR.

A.

B.

C.

Cœlo

Haganoensis

D.

E.

F.

ut

INDEX.

se jun-

Q.

R.

S.

ab

T.

V.

INDEX
PERSONARVM, PATRVM,
SCRIPTORVM, SYNODORVM, COLLOQVIORVM
& Confessionum, quarum in hoc Opere fit mentio.

A.

præsen-

cur

Missam

Eutychia-

scribunt

INDEX.

non-

Landgra-

Eleva-

non-

M.

scribit

N.

Palladii

S.

de

quod

refutat

INDEX.

PROLE-

PROLEGOMENA

DE

INSTITVTO ET ARGVMENTO

SECVNDÆ PARTIS

HISTORIÆ SACRAMENTARIÆ

RODOLPHI HOSPINIANI.

IN prima parte Historiæ Sacramentariæ, à Cœnæ Dominicæ institutione, ad annum usque centesimum post natum Christum, integram Historiam Rituum, Ceremoniarum ac veræ Doctrinæ de Cœna in Christi & Apostolicâ Ecclesiâ, Libro primo complexi sumus. In Secundo & Tertio Libro exposuimus historiam ex probatis Auctoribus & Patribus, de Ritibus, Ceremoniis & Doctrinâ sacratissimæ Cœnæ, generaliter, in plerisq; Asiæ, Africæ & Europæ Ecclesiis: tum verò specialiter etiam in Romana: primò ab anno Christi centesimo, usque ad annum sexcentesimum: Secundò, ab Anno Domini sexcentesimo, usque ad annum octingentesimum. In qua tota Narratione solidè demonstravimus, licèt in accumulandis Ceremoniis & Ritibus, à simplici illa primæ & Apostolicæ Ecclesiæ formâ posteræ ætates nonnihil recesserint, veram tamen & sanam Doctrinam Christi & Apostolorum de sacrâ Cœna toto hoc temporis spatio, ultrà octingentos videlicet annos, puram & incorruptam in vera Ecclesia permansisse. In Quarto Libro de Inclinatione sanæ & veræ Doctrinæ de Cœna egimus: Ac primò, de Origine seu Initio Certaminis Sacramentarii: Quando videlicet, Qua occasione, & Quibus Auctoribus ab Apostolicæ & Primitivæ Ecclesiæ verâ & sanâ Cœnæ Doctrinâ recessum, ac de Modo præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini disputari cœptum sit: Et, An verba Christi, Hoc est corpus meum, &c. realiter citra mysterium exponenda sint, An verò sub Mysterii figurâ contineantur? Secundò, de Progressu Certaminis Sacramentarii, & primâ Transsubstantiationis institutione. Tertiò, de novi hujus, & puriori Antiquitati incogniti dogmatis confirmatione. Quartò, quæ Transsubstantiationis dogma sint consequuta In Quinto & Ultimo Libro refutavimus Ceremonias & Ritus Missæ, Transsubstantiationem, & alios penè infinitos errores, quibus Cœnæ prima Institutio, & sana de eadem Doctrina horribiliter in Papatu polluta & profanata est: unà cum sophismatis & argumentis Roberti Bellarmini Iesuitæ & Sociorum ejus, quibus hanc prophanationem & corruptelas defendere conantur: Simul quoque Patrum sanam de Cœna Doctrinam à corruptelis Bellarmini & aliorum vindicavimus.

Sequitur nunc pars Altera Historiæ hujus, de Origine & Progressu controversiæ de Cœna Domini, post renovatam & instauratam novissimis his temporibus Evangelii lucem, inter MARTINVM LVTHERVM & HVLDRYCVM ZVINGLIVM exortæ, & progressu temporis sub inde vehementioribus animis, studiisque sic agitatæ, ut non tantùm per Germaniam, in qua primùm exorta est, sed etiam per reliquas Christiani Orbis Regiones, tanquam nocentissima pestis, & funestissimum incendium pervaserit.

Quamvis autem ego hanc controversiam, quoniam infausta & infelix fuit, atque à Diabolo haud dubiè suscitata, ad impediendum, vel potiùs abrumpendum Evangelii cursum, oblivione sempiterna deletam cuperem: tantùm abest, ut in ea recitanda oblectet: Multis tamen gravibusque de causis Historiam hanc in manus à me sumptam, & ad hunc usque annum deductam, Christiano Orbi communicandam putavi.

Multi enim hinc inde in suis de Eucharistia & certamine Eucharistico libellis, plurima de his rebus nec dicta, nec scripta, nec facta, sed vel prorsus ficta, vel aliter quàm gesta sunt per orbem sparserunt, & sic non tantùm simplicioribus, sed Principibus quoque, aliisque magnis & piis Viris, quibus alterius partis scripta legere non licuit, nebulas & tenebras offuderunt, ut veritatem nec agnoscere, nec amplecti potuerint, & præjudiciis occupati, illorum animi, secus quàm oportet, de plerisque pronunciarint.

Deinde ex hac historica narratione disci poterit, quomodo ex parvis initiis interdum contentiones & turbæ in Ecclesia oriantur, quæ, nisi maturè præcidantur, progressu temporis vix, & ne vix quidem maximis etiam laboribus, sopiri atque sedari possint.

Præterea doctos quoque & pios alioquin Viros, inter quos Lutherum in primis numeramus, contendendi & vincendi studio & ardore, extra oleas, ut dicitur, interdum abripi: ideoque illos homines fuisse semper meminerimus, qui errare, labi & decipi potuerint: & propterea eorum vel auctoritatem tanti non esse faciendam, ut eam perpetuò totius veteris & orthodoxæ Ecclesiæ consensui anteferamus: vel ipsorum scripta pro norma doctrinæ Ecclesiasticæ non babenda, sic, ut quicquid cum ea congruat, orthodoxum, & quicquid ab ea discrepet, hæreticum pronuncietur, quod Vbiquistas hodie, ac præsertim infelicissimæ Concordiæ Bergensis Auctores facere notum est omnibus.

Intelligemus etiam ex hac historia, causas nonnunquam bonas, bonos quoque & literatos Viros, adversariorum potentiâ, auctoritate & eloquentiâ oppressos aliquandiu, tandem emergere & vincere.

Conciliationes item non bonas, tandem majores discordias & lites parere.

Illi quoque, qui utriusque partis scripta legendo & argumenta inter se conferendo, totam hanc controversiam cognoscere, deque ea judicare satagunt, multò meliùs id facere poterunt, si hujus controversiæ originem & progressum teneant.

Constabit etiam ex hac narratione, nonnullos Magistratus & Ecclesias, quæ sunt in Germania & Helvetia, nullis sumptibus & laboribus pepercisse, nihilque non fecisse, ut triste & infelix hoc schisma ex Ecclesia tolleretur: à Theologis autem pugnacibus & contentiosis hunc illorum pium conatum strennè impeditum fuisse.

Adhæc non obscurè colligi poterit ex hac historia & libris ab utraque parte editis, quinam pacem vel recusârint, vel initam priores turbârint: & utrùm Theologi, vel potiùs Principes & Magistratus moderatiores fuerint.

Cùm autem historiam nihil magis deceat, quàm veritas atque candor: Ego certè, ne quid in ea parte posset in me desiderari, diligenter incubui: nec enim ex vano quicquam hausi, vel auditione levi: sed scribendi materiam suppeditârunt partim Acta publica, quæ in omnium manibus sunt, partim Scripta & Rescripta Principum, Magistratuum, & doctorum Virorum, partim denique Libri editi, quæ omnia studiosè & diligenter non exiguis sumptibus collegi & comparavi, de quorum fide nemo dubitare possit.

Non quidem dissimulo, me Helveticarum Ecclesiarum Confessionem, adeóque etiam doctrinam de Cœna Domini amplecti. Vt autem nihil ex amore de Zvinglio & Calvino: ita nihil ex odio de Luthero falsi & ficti in medium afferam. Hos enim tres Viros nosco à Deo ornatos fuisse multis excellentibus donis & virtutibus, ingenio, luce doctrinæ cœlestis, eruditione, eloquentiâ, prudentiâ & sapientiâ, zelo gloriæ Dei, magnitudine animi adversùs omnes impetus invictâ, divinitusque formatos & excitatos ad Ecclesiam Christi, his postremis temporibus, tyrannide ac tenebris Antichristi horribiliter oppressam, in libertatem & lucem Evangelii vindicandam, & destruendam magnam partem regni Antichristiani. Scio etiam multas res maximas, Ecclesiasticas atque Politicas, ipsorum consilio gubernatas, & gestas feliciter esse. Atque utinam, inquam, nunquam infelix hoc dissidium & certamen inter eos exortum fuisset, quo junctis copiis, Antichristi regnum uberiori cum fructu expugnare potuissent. Sed tamen novum non est, Dominum sinere interdum servos suos inter se digladiari & contendere, quo humiliores eos reddat, & soli ipsi gloria tribuatur. Et certè si hactenus, ut tanquam homines optamus, prosperè cessissent, & ad voluntatem nostram fluxissent omnia, homines forsan obliti essent sui: aut gratia Dei, minùs quàm par erat, cognita fuisset.

Denique licèt non sim nescius, pios & fideles hoc contentos esse debere, quòd Christiani dicantur, juxta admonitionem Pauli 1. Cor. 1. & 3. cap. ubi docet, non à Doctoribus seu Pastoribus Ecclesiarum denominandos esse fideles, sed à solo Christo: quia is solus pro nobis crucifixus est, nosque pretioso suo sanguine redemit: tum etiam quia in nullius Doctoris, sed in Christi nomen baptizati sumus, ideoque ego schismatica ista Lutheranorum, Zvinglianorum & Calvinistarum nomina horream: tamen docendi causa illis nominibus in Historia hac utar, quòd alterius partis asseclæ, auctoritati Lutheri tantopere se addicant, ut non vereantur seipsos ab illo Lutheranos denominare: licèt contra voluntatem Lutheri, qui in Tomo 2. Wittembergensibus Germ. fol. 4. sic scribit: *Non sic, ô fatue, audi advertens animum. Primùm oro, ut nomen meum taceatur, & nemo Lutheranus, sed Christianus appelletur. Quid est Lutherus? Atqui doctrina non est mea, neque pro quoquam sum crucifixus. S. Paulus 1. Cor. 3. nolebat pati, ut Christiani dicerentur Paulini & Petrini, sed Christiani. Vnde igitur mihi, fœtido vermium sacco, hoc accideret, ut filii Christi à meo vilissimo nomine denominentur? Absit, ô amici: Deleantur schismatica nomina, & denominemur à Christo, cujus doctrinam habemus.* Alios verò per calumniam à Zvinglio & Calvino, Zvinglianos & Calvinistas denominant, quasi ab illorum, ut ipsi à Lutheri, auctoritate pendeant quoque, & non potiùs doctrinam illorum ideo amplectantur, quòd eam Verbo Dei consentaneam esse judicent.

His ita præmissis, ad Historiam ipsam aggrediemur, & singula quæque secundùm ordinem annorum, quibus gesta sunt, referemus.

HISTORIA,

HISTORIA,

DE

ORIGINE ET PROGRESSV
CONTROVERSIÆ SACRAMENTARIÆ,

De

CŒNA DOMINI,

Ab Anno Nati in Carne Filii Dei Iesu Christi,
M. D. XVII. *usque ad Annum* M. DC. II.

A

RODOLPHO HOSPINIANO
Tigurino, deducta.

DE MARTINO LVTHERO.

Lutherus quando natus & in bonis literis institutus.

MARTINVS LVTHERVS *natus Islebij in Saxonia, Anno Domini* 1483 *primò in patria, deinde Magdeburgi literas didicit. Inde verò Isenacum, Thuringiæ oppidū, concedens, ibi quatuor annis mansit, Erdfardiam postea profectus, claram & amplam Thuringiæ urbem, ubi celebris erat Academia, ibique Magisterii gradum adeptus, multis admirantibus, Monasterium ingressus est fratrum S. Augustini, qui vulgò Eremitæ dicuntur: factaque ibi legitima, post annum probationis, Ordinis illius professione, strenuè in studiis & exercitiis spiritualibus quatuor annos ibi militavit. Inde vocatus est anno Christi* 1508. *ab Electore Friderico* Witembergam, *ubi anno* 1502. *Academiam instituerat. Accidit autem ut anno Salutis decimo septimo, supra millesimum quingentesimum, Leo X. Romanus Pontifex, pro sua, quam in omnes Christiani orbis Ecclesias habere se putabat, quadam Majorum usurpatione, potestate, missis per omnia Regna literis atque diplomatis, omnium delictorum expiationem ac salutem æternam polliceretur, interventu pecuniæ quam quisque daret: ad eam rem qui mittebantur Quæstores, ac hujus tanti beneficii præcones, Æraria passim per omnes provincias constituebant: nec id modò, verùm etiam sparsis hinc inde literis ac editis libellis, dogmata sua, puriori Antiquitati incognita, defendebant, in Germania præsertim. Adhæc ovis, lacte, carne, caseo vescendi facultatem diebus vetitis precio vendebant. Hanc verò peccatorum condonationem, suo quodam vocabulo, jam olim recepto,* Indulgentias *appellabant. Has indulgentias Leo divulgavit occasione novæ structuræ Templi S. Petri Romæ, quam antecessor ejus Iulius secundus Papa sumptuosissimâ inceperat magnificentiâ, morte autem præventus, tanta magnificentiæ opus perficere non potuit. Exstruxerat, ut fama est, Templum illud religioso apparatu,*

Lutherus Witembergam vocatur.

Leo X. indulgentias vēdit

atque opere satis sumptuoso & magnifico Constantinus Magnus Imperator diversa ingentium columnarum serie suffultum & conspicuum. Id verò temporis diuturnitate labefactatum, quum in plerisque partibus suis dehiscere ac ruinam minitari videretur, Iulius Papa, illud non tam reparare in vetustate collapsis partibus, & sarta tecta reficere studuit, sed in maximam potiùs stupendamque molem à novo erigere cœpit: Vt est videre adhuc hodie in iactis ab eo fundamentis, & excelsis absidibus, testudinibusque & columnis, altissimarum turrium instar sublimatis & in aëra eductis. Nam ut Ecclesia Romana, sicut Pontifices ejus opinantur, potestate ac dignitate cunctis per orbem Ecclesiis, propter principatum Petri, supereminet atque præfulget: Ita & Templum Petri, magnitudine structuræ & operis magnificentiâ, cæteris omnibus anteferri voluit. At Leo, ut erat prodigus, atque ad profundendas pecunias pronus, quum esset tantæ structuræ sumptibus impar, & suis opibus tantarum impensarum opus ad complementum perducere non posset, istas Indulgentias divulgavit, quibus cuncta expilavit Regna, & omnes diripuit provincias, tantùm, ut libidinem suam in hoc absolvendo ædificio explere posset. Lutherus igitur Quæstorum istorum Romanæ Curiæ mercaturâ & nundinatione, nec non concionibus, promissis & libellis illorum excitatus, quum intelligeret vulgò credi quod illi undique jactabant, videlicet, infelices animas, si literas Indulgentiarum redemerint, de salute sua securas esse: Item animas de Purgatorio statim evolare, ubi contributionem in cistam conjecerint, sese acriter eis opposuit, cœpitque monere populum, agerent prudenter, neque merces illas tanti compararent: quod enim his rebus impenderent, multò posse collocari meliùs. Scribit quoque ea de re Archiepiscopo Moguntino, quem speciali commissione Leo Pontifex Indulgentiarum per Germaniam publicandarum negotio præfecerat, eumque hortatur, ut pro sua authoritate libellos editos aboleri jubeat, & declamatoribus illis meliorem docendi modum præcipiat. Theses etiam edidit 95. in quibus de Purgatorio, de pœnitentia & charitatis officio, deque Indulgentiis copiosè disputat. Eas quum legisset Tecelius, Quæstorum illorum coriphæus, & Commissarius Apostolicus, alias Theses Lutheranis opposuit, quibus & Pontificis potestatem & fructum Indulgentiarum uberrimum vehementer prædicabat. Atque his contrariis Thesibus jam publicè lis contestata erat inter Lutherum & Tecelium, quæ mox anno sequenti in apertum efflagravit incendium.

Lutherus Indulgentias oppugnat.

Certamen igitur Luthero cum Pontificiis ab initio tantùm de Indulgentiis & Purgatorio fuit, sic quidem, ut non rem ipsam per se, sed immoderata Indulgentiarum præconia & largissimas illas Quæstorum promissiones damnaret & improbaret Lutherus, simul tamen omnia de hac causa dicta, facta & scripta sua judicio Romani Pontificis subiiceret, & sese illi hoc suo studio gratificaturum arbitraretur, palam quoque profiteretur, si Indulgentiarum Quæstores maturè coercuisset Curia Romana, sese in tota hac causa ulterius progressurum non fuisse. Sic enim scribit Tomo primo Operum suorum Latinorum in Præfatione: Cùm anno 1517. Indulgentiæ in his regionis venderentur turpissimo quæstu, ego cœpi dissuadere populis, & eos dehortari, ne Indulgentiariorum clamoribus aurem præberent, habere eos meliora quæ facerent, & in iis certus mihi videbar, me habiturum patronum Papam, qui jam in suis Decretis clarissimè damnat Quæstorum (ita vocant Indulgentiarios prædicatores) immodestiam. *Item:* Ego contemptus, edidi Disputationis schedulam, simul & Germanicam concionem de Indulgentiis: paulò pòst etiam Resolutiones, in quibus pro honore Papæ hoc agebam, ut Indulgentiæ, non damnarentur quidem, sed bona opera charitatis illis præferrentur. *Rursus:* Si Moguntinus à principio, cùm à me admoneretur, denique si Papa, antequam me non auditum damnaret, & Bullis suis sæviret, hoc cepisset consilium, quod Carolus Miltitius cepit, & statim compescuisset Tecelianum furorem, non evasisset res in tantum tumultum. Sola culpa est Moguntini, *&c. Et in Epistola ad Leonem decimum,* Quare, *inquit,* beatissime Pater, prostratum me pedibus tuæ B. offero, cum omnibus quæ sum & habeo: Vivifica, occide, voca, revoca, approba, reproba, ut placuerit. Vocem tuam vocem Christi in te præsidentis & loquentis agnoscam: Si mortem merui, mori non recusabo. *Et in protestatione præfixa Resolutionibus disputationum de Indulgentiarum virtute:* Protestor, *ait,* me nihil prorsus dicere aut tenere velle, nisi quod in & ex sacris Literis primò, deinde de Ecclesiasticis Patribus, ab Ecclesia Romana receptis, hucusque servatis, & ex Canonibus & Decretalibus Pontificiis habetur, & haberi potest. Quod si quid ex iis probari vel improbari non potest, id gratia disputationis duntaxat, pro judicio rationis, & experientiâ tenebo, semper tamen in his salvo judicio omnium Superiorum meorum. *In Comitiis quoque Augustæ à Maximiliano Im-*

Certamen Luthero ab initio tantùm de Indulg.

[illegible] fuit cum Pontificiis

Imperatore anno 1518. *celebratis, apertè & ingenuè coram Caietano Cardinale fassus est*, se colere & sequi sanctam Romanam Ecclesiam in omnibus suis dictis & factis, præsentibus, præteritis & futuris: & si quid contra vel aliter dictum sit, pro non dicto se haberi velle. *Cùm etiam in disputatione Lipsica, anno Domini* 1519. *habita, inter disputandum ex verbis suis suspectus haberetur, tanquam fautor Bohemorum, quod etiam Eckius palàm ei obiiciebat; Idipsum, tanquam gravem contumeliam à se reiiciens, dixit*: Nunquam mihi placuit, nec in æternum placebit, quodcunque schisma iniquè faciunt Bohemi: quòd se authoritate propria separant à nostra unitate, etiamsi ius divinum pro eis staret. *Petebat igitur ab Eckio, ne velit sibi impingere tantam contumeliam, ut eum Bohemum faceret, quia sibi semper invisi fuissent. De Purgatorio quoque publicè dixit*: Ego, qui credo fortiter, imò ausim dicere, scio, Purgatorium esse, facilè persuadeor, In Scripturis de eo fieri mentionem. *In Epistola ad Lectorem Tom.* 1. *Lat. fol.* 116. *fatetur*: Romanum Pontificem hucusque non magno errore, nec pertinacia seu magni seu parui erroris repertum fuisse maculatum. *Ibidem folio* 50. Mirificè sibi placere *dicit*, quòd ad eam fidem, quam Romana Ecclesia profitetur; omnium fides debeat conformari. Nam & ego, *inquit*, gratias ago Christo, quòd hanc unam Ecclesiam in terris ita servat, ingenti, & quòd solùm possit probare fidem nostram esse veram, miraculo, ut nunquam à vera fide, ullo suo decreto recesserit, nec tot barathris pessimorum morum, diabolus tantum efficere potuit, ut penès hanc non maneret ab origine sua Canonicorum Bibliæ librorum, & Ecclesiasticorum Patrum & Interpretum authoritas, & authoritatis syncera professio, &c. *Et folio* 191. Ego coram te, Lector, protestor, me colere & sequi Romanam Ecclesiam in omnibus. *Item*: Contra Scripturam Romana Ecclesia nunquam sapit aut statuit. *Et anno* 1519. *ad Leonem Papam sic inter alia scribit.* Nunc Beatissime Pater coram Deo & tota creatura sua testor, me neque voluisse, neque hodie velle, Ecclesiæ Romanæ ac Beatitudini tuæ potestatem ullo modo tangere, aut quacunque versutia demoliri. Quin plenissimè confiteor, hujus Ecclesiæ potestatem esse super omnia, nec ei præferendum quicquam, sive in cœlo, sive in terra, præter unum Iesum Christum. Nec Beatitudo tua ullis malis dolis credat, qui aliter de Luthero hoc machinantur. Et quod unum in ista causa facere possum, promittam libentissimè Beatitudini tuæ, istam de Indulgentiis materiam me deinceps relicturum; penitusque taciturum (modò & adversarii mei suas vanas ampullas contineant) editurum denique in vulgus, quo intelligant & moveantur, ut Romanam Ecclesiam purè eo colant, & non illorum temeritatem huic imputent. Neque meam asperitatem imitentur adversùs Romanam Ecclesiam, qua ego usus sum, imò abusus, & excessi adversùs balatrones istos. Si qua tandem gratia Dei, vel custodio rursum sopiri queat excitata discordia. Nam unicè à me quæsitum est, ne avaritiæ alienæ fœditate pollueretur Ecclesia Romana mater nostra.

Lutheri progressus in cognita veritate.

Ex diligenti tamen & assidua lectione Scripturarum & Patrum, Augustini præsertim, atque aliorum librorum hausit paulatim initia Evangelicæ veritatis, & lux illa cœlestis doctrinæ, quæ, Dei beneficio, magis magisq; ei affulgere cœpit disputationum primarum de Indulgentiis, usu & studio sic aucta est, ut majores progressus subinde fecerit, & plerosque articulos Christianæ religionis rectè intellexerit. Sic enim ipsemet scribit in Præfatione ad librum de Captivitate Babylonica: Velim nolim, cogor indies eruditior fieri, tot tantisque Magistris certatim me urgentibus & exercentibus. De Indulgentiis ante duos annos scripsi, sed sic, ut me nunc mirum in modum pœniteat editi libelli. Hærebam enim id temporis magna quadam superstitione Romanæ tyrannidis: Vnde & Indulgentias non penitus reiiciendas esse censebam, quas tanto hominum consensu cernebam comprobari. Nec mirum, quia solus tum voluebam hoc saxum. At postea, beneficio Sylvestri & Fratrum adiutus, qui strenuè illas tutati sunt, intellexi, eas aliud non esse, quàm meras adulatorum Romanorum imposturas, quibus & fidem Dei, & pecunias hominum perderent. Atque utinam à Bibliopolis queam impetrare, & omnibus, qui legunt, persuadere, ut universos libellos meos de Indulgentiis exurant, &c. *Item*: Post hæc Eccius & Emserus cum conjuratis suis, de primatu Papæ me erudire cœperunt. Atque hîc etiam confiteor, me valde promovisse eorum opera: Nempe, cùm Papatum negassem divini, admisi esse humani juris: sed scio nunc & certus sum, Papatum esse regnum Baby-

Babylonis, & potentiam Nimrod robuſti venatoris. *Vixerunt etiam adhuc non ita pridem, qui ex ore Philippi Melanchthonis ſæpius ſe audiſſe teſtati ſunt, Lutherum etiam poſt impugnatum Papatum, aliquot annos ſe maceràſſe recitandis Horis Canonicis. Cùm autem per labores creſcentes non poſſet illis quotidie vacare, totum diem Sabbathi illis ſepties repetendis impendiſſe: donec à Philippo admonitus, eam ſuperſtitionem abiecerit: Motus hac Philippi Oratione:* Si peccatum eſſet illam recitationem Canonicam omittere, jam peccâſſe eum contra legem, non recitando quotidie: Sin autem abſque peccato omitti poſſet, quare fruſtra negotiis utilioribus & melioribus tempus eriperet? Reſpondit Lutherus, ſe rectè moneri, ac deinceps pro illis horis recitaturum Orationem Dominicam.

Inconſtantia Lutheri in doctrina.

Quemadmodum autem in ſana doctrina quoque pro humani ingenii infirmitate, à recto tramite deflexit interdum, ſicut non difficile eſt ex libris ipſius non pauca proferre, in quibus hallucinatio tam eſt manifeſta, ut ipſemet quædam progreſſu temporis ex iis retractaverit, & ipſius ſectatores ea non poſſint defendere: quædam verò non retractata reliquerit: Ita per totam vitam ſuam, tam varius & ſibi diſſimilis fuit in articulo de perſona Christi, præſertim autem de ſacra ejus Cœna ut, minimùm quinque ſententiæ de illa in ſcriptis ipſius reperiantur. Mallemus equidem, ut Hunni verbis contra Philippum utamur, iſtam tanti viri inconſtantiam, gravemque lapſum perpetuò occultare, niſi cauſa graviſſima nos hac ad ſcribendum impellerent. Cùm enim multis adhuc in locis authoritati Lutheri tantum deferatur, ut integritati potiùs doctrinæ, quàm ejus placitis & decretis renunciare plurimi ſoleant, monendi profectò ſunt homines, ne plùs hominis exiſtimationi, quàm Verbi Dei certitudini tribuant. Lutherum nos, ut virum multis ingenii dotibus à Deo, præ aliis, exornatum, ſuſpicimus, ejuſque utilia ſcripta, quatenus cum infallibili norma doctrinæ cæleſtis conſentiunt, amamus, & aliis frequenter commendamus. Interim verò officii noſtri ratio poſtulat, ut de iis, quæ tantus vir vel humani ingenii fragilitate, vel alio quovis naturæ morbo paſſus eſt, quæque minùs rectè ſenſit, parumque laudabiliter fecit, Eccleſiam moneamus, poſtquam illa in fraudem divinæ veritatis ab adverſariis publicè defendi cœpta ſint. Cumque Lutheri diſcipuli hoc ſibi licere putent contra Philippum, Zuinglium, Oecolampadium, Calvinum & alios: non ægrè ferre debent, ſi idem jus nobis quoque contra Lutherum vendicemus.

Lutheri lapſuum cauſæ.

Prima igitur hallucinationis iſtius & lapſuum cauſa fuerunt tenebræ illæ plus quàm Cimmeriæ, in quibus Lutherus natus & educatus fuit, & omnis generis Scholaſticorum erroribus imbutus, in iiſque ſupra quàm dici poteſt confirmatus. Quid igitur mirum eſt, eum ex tam denſis tenebris, & profundo Scholaſticæ & Monaſticæ mataologiæ ſpecu prodeuntem, ad tantæ lucis fulgorem, nonnihil caligâſſe: & ſicut illi cœco uſu venit, cujus Matthæus meminit, res ipſas animadvertiſſe, ſingulas tamen earum partes diſtinguere non potuiſſe? Sunt enim non modò diverſa donorum genera, ſed unius etiam ejuſdemque doni diſtributio certis quibuſdam momentis ac gradibus definitur. Hinc factum eſt, ut diu etiam poſt certamen contra Indulgentias, arcem Pontificii regni non invaſerit. Miſſam quidem privatam apud fratres ſuos Monachos Auguſtinenſes aboleverat anno 1510. Contra Canonem & Sacrificium Miſſæ circa id tempus etiam ſcripſit: Corporalem autem & realem præſentiam ne verbo quidem attigit, qua ſtante, ſacrificium pſeudo-Chriſtianum everti non poteſt. Altera cauſa fuit Iracundia, ad quam natura proclivis & propenſus fuit, ut etiam teſtatur Philippus in hiſtoria vitæ Lutheri, Præfationis loco præfixa Secundo Tomo Latinorum Operum ejus: Et Eraſmus in epiſtola ad Fridericum Electorem Saxoniæ nil niſi lenitatem in eo deſideravit. Unde Elector cùm poſtea graviſſimè ad Lutherum ſcriberet, hortatus eum eſt, ut ſtyli aſperitatem moderaretur. *Cui cùm non obtemperaret, ſic Irâ poſtea in fervore certaminum cum adverſariis exarſit interdum & abreptus fuit, ut multa præter & contra puram & ſanam Verbi Dei doctrinam ſcripſerit: adeòque ſuper fundamentum Propheticum & Apoſtolicum non ſemper aurum & argentum, ſed aliquoties etiam ſtipulam & fœnum ſuperſtruxerit; cujus generis quædam citiùs, quædam ſeriùs, quædam in fine demum vitæ, quædam nunquam depoſuit.*

Agnovit hæc ſua vitia ipſe Lutherus, & proptèrea in Præfatione Operum ſuorum de ſe & libris ſuis clamat, & graviſſimè obteſtatur univerſam Eccleſiam & poſteritatem his verbis: Ante omnia oro pium Lectorem, & oro propter ipſum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, ut legat cum judicio, imò cum multa miſeratione, Et ſciat, me fuiſſe aliquando Monachum, & Papiſtam inſaniſſimum, cùm iſtam cauſam aggreſſus ſum, ita ebrium, imò ſubmerſum in dogmatibus Papæ, utparatiſſimus fuerim, omnes, ſi potuiſſem, occidere, aut occidentibus cooperari & conſentire, qui Papæ vel una ſyllaba obedientiam

tiam detrectarent. *In Comitiis Augustanis anno 18. celebratis ad Caietanum Cardinalem inter alia dixit* : Nihilominus tamen sum homo, potens errare: submisi me, etiam nunc submitto, iudicio & determinationi legitimæ sanctæ Ecclesiæ, & omnibus meliùs sentientibus.

Quid igitur hodie dicturum Lutherum existimabimus, si reviviscerer, his qui ipsum tertium Heliam facientes, non hominem, nedum Monachum fuisse meminerunt? Quid item his Theologis, qui libros ejus normam esse volunt doctrinæ in omnibus Ecclesiis, & decisionis Controversiarum omnium: à cujus sententia quicunque discedant, eos etiam à Scriptura & Catholica Ecclesia dissentire, ac proinde hæreseos iustè condemnari concludunt? Hanc authoritatem Patres Ecclesiæ primitivæ suis libris tribui non postularunt, sed, quemadmodum Lutherus quoque voluerunt, ut eatenus illis assentiamur, quatenus Verbo Dei congruentia docent, aurum & gemmas ex illis colligamus, & grati accipiamus; ligna, fœnum & stipulas relinquamus. Augustinus Epistola decima nona ad Hieronymum. Ego inquit, fateor charitati tuæ, solis eis Scripturarum libris, qui jam Canonici appellantur, didici hunc timorem, honorémque deferre, ut nullum eorum autborem scribendo aliquid erràsse firmissimè credam. Alios autem ita lego, ut quantumlibet sanctitate, doctrináque præpolleant, non ideo verum putem, quia ipsi ita senserunt, sed quia mihi vel per illos autbores Canonicos, vel probabili ratione, quòd à vero non abhorrent, persuadere potuerunt. Nec te, mi frater, sentire aliquid aliud existimo: prorsus, inquam, non te arbitror sic legi tuos libros velle, tanquam Prophetarum vel Apostolorum, de quorum scriptis, quòd omni errore careant, dubitare nefarium est.

Prima Lutheri sententia de Cana.

Vt autem ad propositum revertamur, Lutherus etsi ex immensis istis Papatus tenebris & horribilibus erroribus nonnihil emersisset, non tamen, in causa Sacramentaria præsertim, se totum inde eiecit atque extulit. Transsubstantiationem quidem, hoc est, panis & vini in verum, reale & substantiale corpus & sanguinem Christi mutationem & conversionem, quam sub Papatu tenuerat primò, improbavit aliquo modo, *tanquam orthodoxæ & puriori Vetustati contrariam; ut est videre in libellis de Captivit. Babylonica, ad Regem Angliæ, & aliis. Quia tamen, ex communi ejus temporis errore, de substantiali & reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna sententia penitus animo ejus insederat, atque inveteraverat, ipse docere cœpit, verum panem & vinum post consecrationem in Cœna manere quidem, sed simul In, Sub, vel Cum pane & vino reale quoque corpus & sanguinem Christi existere & contineri, & à fidelibus & infidelibus, piis & impiis ore corporis veraciter percipi. Hanc autem præsentiam corporis & sanguinis Christi ab initio Lutherus voluit esse in sola Eucharistia, & his solis niti verbis* : Hoc est corpus meum. *Sic enim scribit in Captivitate Babylonica*: Explosa ista curiositate, in verbis Christi simpliciter hæremus, parati ignorare quicquid ibi fiat, contentique verum corpus Christi, virtute verborum, illic adesse. *Item*: Si ideo est Transsubstantiatio ponenda, ne corpus Christi de pane verificetur, cur non etiam ponitur transaccidentatio, ne corpus Christi de accidente affirmetur? *Item*: Ego sanè, si non possum consequi, quomodo panis sit corpus Christi; captivabo tamen intellectum meum in obsequium Christi, & verbis ejus simpliciter inhærens, credo firmiter, non modò corpus Christi esse in pane, sed panem esse corpus Christi. Sic enim me servabunt verba, ubi dicit: Accipit panem, gratias agens, fregit & dixit: Accipite, manducate, hoc (id est, hic panis, quem acceperat & fregerat) est corpus meum. Et Paulus: Nónne panis, quem frangimus, participatio corporis Christi est? Non dicit, In pane est, sed ipse panis est participatio corporis Christi. *Item*: In Sacramento, ut verum corpus, verusque sanguis sit, non est necesse panem & vinum transsubstantiari, ut Christus sub accidentibus teneatur, sed utroque simul manente, verè dicitur: Hic panis est corpus meum, Hoc vinum est sanguis meus, & è contra. *In Sermone contra Suermeros anno 27. habito, scribit*: Si verba hæc super pane pronuntiamus, Christi corpus revera præsens est. *In Confessione majore*; Cum Wiclefo, *inquit*, sentio, manere ibi panem: rursus etiam sentio cum Sophistis, corpus Christi esse ibi. Et contra omnem rationem & acumen dialecticum sentio; duas distinctas substantias bene unam substantiam esse & nominari posse. *Et hæc prima Lutheri fuit opinio.*

Lutherus unde primam sententiam de cœna hauserit.

Vnde autem & ex quo hanc suam sententiam de reali corporis cum pane, & sanguinis cum vino conjunctione, vel coexistentia hauserit ac didicerit, ipsemet indicat in libro de Captivitate Babylonica anno Domini 1520. *edito, his verbis*: Dedit mihi quondam, cùm Theologiam scholasticam haurirem, occasionem cogitandi D. Cardina-

lis Cameracensis, libro sententiarum 4. acutissimè disputans, multò probabiliùs esse, & minùs superfluorum miraculorum poni, si in altari verus panis, verumque vinum, non autem sola accidentia esse astruerentur, nisi Ecclesia determinâsset contrarium. Postea videns, quæ esset Ecclesia, quæ hoc determinâsset, nempe Thomistica, hoc est, Aristotelica, audacior factus sum, & qui inter saxum & sacrum hærebam, tandem stabilivi conscientiam meam, sententiâ priore: Esse videlicet, verum panem, verumque vinum, in quibus Christi vera caro, verusque sanguis, non aliter nec minùs sit, quàm illi sub accidentibus suis ponunt, quod feci, quia vidi Thomistarum opiniones, sive probentur à Papa, sive à Concilio, manere opiniones, nec fieri articulos fidei, etiamsi Angelus de cœlo aliud statueret. Nam, quod sine Scripturis asseritur, aut revelatione probatâ opinari licet, credi non est necesse: Hæc autem opinio Thomæ, adeò sine Scripturis & ratione fluctuat, ut nec Philosophiam, nec Dialecticam suam novisse mihi videatur. Longè enim aliter Aristoteles de accidentibus & subiecto, quàm sanctus Thomas loquitur, ut mihi dolendum videatur pro tanto viro, qui opiniones in rebus fidei, non modò ex Aristotele tradere, sed & super eum, quem non intellexit, conatus est stabilire, infelicissimi fundamenti infelicissima structura.

Non dicit Lutherus, dedisse sibi necessitatem cogitandi, & hanc sententiam, de reali panis cum corpore coexistentia, adeoque corporis in pane locali inclusione, arripiendi & defendendi, Evangelistas & Apostolos, sed Cardinalem Cameracensem. Ex lacunis igitur Scholasticorum impurissimis, & facibus Papatus fœtidissimis hanc suam opinionem hausit, & Ecclesia Christi propinavit Lutherus. Cùm enim videret absurditatem Transsubstantiationis, ut ea omissa, tamen opinionem inveteratam, & altissimis radicibus in ejus animo hærentem, de Christi præsentia corporali, retineret, Consubstantiationem substituit, errorem errore commutans, nec videns, suam opinionem non habere plùs, imò etiam minùs coloris, quàm Scholasticorum & Papa.

Origo consubstantiationis.

Quod autem Originem hujus sententia & opinionis attinet, ea sic habet, ut ex libro 1. & 3. Guitmundi intelligitur, qui claruit circa annos Christi 1060. Post damnatam Berengarii doctrinam, cùm non satis tutum esset ampliùs, propter immanem Pontificum Romanorum tyrannidem, ei ex professo adhærere, multi tamen non improbare eam & repudiare omnino possent, ut Verbo Dei & primitivæ Ecclesiæ consentientem: neque etiam, ob dictam causam, & Ecclesiæ determinationem, Transsubstantiationi publicè contradicere auderent, quamvis eam minimè approbarent, tanquam orthodoxæ Vetustati contrariam, mediam quandam inter has duas, sententiam quidam excogitârunt: & docuerunt, verum panem & vinum post consecrationem simul cum vero corpore & sanguine Domini in Eucharistia consistere. *Ac licèt* Impanationem Christi *rem istam Guitmundus appellet, non tamen apertè declarat, An panis hypostaticè à Verbo assumeretur ex illorum sententia, an non. Tum illos sic impugnat, ac si solùm docuissent, simpliciter corpus Christi pani misceri, & cum eo coexistere. Meminit etiam opinionis hujus Lombardus, qui floruit circa annos Christi 1170. libro 4. Sentent. cap. 3. distinct. 11.* Alii, *inquit,* putaverunt ibi substantiam panis & vini remanere: & ibidem corpus Christi esse & sanguinem: & hac ratione dici illam substantiam fieri istam: quia ubi est hæc, est & illa: quod mirum est. Et ipsam substantiam panis vel vini, dicunt esse sacramentum. *Hanc opinionem Berengarii discipulos aliquos excogitâsse, ex Guitmundo non obscurè colligi potest.*

In eam verò acerbiùs multò invehitur, eamque insectatur vehementiùs Guitmundus, quàm Berengarii sententiam, imò hanc præ illa justificat. Nam libro 3. sic scribit: Quæ insania est, ut Christum (ut ita dixerim) impanent? & quidem Christum incarnari humanæ redemptionis ratio exposcebat: At impanari vel invinari Christum nulla expetit ratio: nec Prophetæ hoc prædixerunt: nec Christus ostendit: nec Apostoli prædicaverunt: nec Mundus (exceptis his paucissimis hæreticis) credidit. Unde igitur illos malus error invasit? Totus mundus concinit: Sicut anima rationalis & humana caro unus est homo: ita Deus & homo unus est Christus. Nemo dicere audet: Ita Deus & homo, panis & vinum unus est. Unde igitur istis nova hæc Companatio? quare vel Apostolus non terruit eos, dicens: Si quis aliud Evangelium annunciaverit, anathema sit. Christum enim isti impanatum & invinatum annunciant. Sed hujusmodi Christum Apostoli non annunciârunt. Anathema igitur isti Apostolica authoritate incurrunt. Beatus sanè Ambrosius in libro de Sacramentis copiosè de his disserens, non in pane & vino corpus & sanguinem Domini latere, sed panem & vinum in corpus & sanguinem

guinem mutari docuit, *Et post hæc*: Hos autem Impanatores suos ipse Dominus Iesus verbo oris sui interficit, cùm accipiens panem, gratiasque agens & benedicens, ait: Hoc est corpus meum. Non ait: In hoc latet corpus meum. Nec dixit: In hoc vino est sanguis meus: sed, Hic est sanguis meus. Nec in Canone Missæ oratur; vt in oblatione, quam offert Ecclesia, corpus & sanguis lateat, aut in, & cum corpore & sanguine adueniat, sed vt ipsa oblatio corpus & sanguis Domini fiat. *Et post*: Equidem ego de hac Impanatione mecum etiam atque etiam retractans, non satis verbis exprimere possum, quantum super istorum stultissima audacia, & insanissima præsumptione miror pariter & indignor. Isti enim nequiores nequissimis, fratres suos vmbraticos Berengarianos, præ se iustificauerunt.

Hunc errorem iisdem ferè verbis exagitat & damnat Lanfrancus (ex quo Guitmundus sua descripsisse videtur) in lib. de Eucharistia contra Berengarium: Christum, *inquit*, incarnari humanæ redemptionis ratio expostulabat, at impanari Christum nulla expetit ratio, nec Prophetæ hoc prædixerunt, nec Mundus, exceptis his vanissimis hæreticis, credidit. Totus mundus concinit; Sicut anima rationalis & caro vnus est homo; ita Deus homo vnus est Christus. Nemo autem dicit: ita Deus homo & panis vnus est Christus. Vnde igitur istis hæc noua personatio? *Et post*: Hos Impanatores ipse Dominus Iesus verbo oris sui interficit: cùm accipiens panem: gratiasque agens & benedicens, ait: hoc est corpus meum, non autem in hoc latet corpus meum. Hinc & Ecclesia in Canone non orat, ut in oblatione, quam petit fieri adscriptam & acceptabilem, lateat seu adueniat corpus, sed vt fiat nobis corpus Christi.

Mentionem quoque opinionis huius facit Thomas Sentent. lib. 4. dist. 8. art. 1. & in Comment. in 1. Corinth. 11. quam tamen & ipse velut impossibilem repudiat. Eam verò postea Guilielmus Occamus, qui circa annos Domini 1320. vixit, præ cæteris libentissimè amplexus fuisset, nisi obstitisset (vt ipsemet fatetur in lib. 4. Sent. q. 5.) Ecclesiæ determinatio, & communis aliorum Doctorum sententia, nullam panis substantiam remanere asserentium. Neque enim existimant hanc Christi enunciationem, Hoc est corpus meum, veram esse posse, nisi panis in corpus Christi conuertatur & transmutetur: Falsa enim hæc enunciatio esset, Panis est corpus meum. Horum itaque authoritati, quia Occamus refragari non audet, Romana Ecclesia determinationem approbat. Rationes autem & argumenta, ob quæ sententiam hanc, tanquam probabiliorem libentiùs fuerit amplexurus, hæc fuerunt: Cùm quòd hanc non tam multa absurda consequi videantur, quàm alteram: nullaque esse absurda quæ ab hac sententia auocare possint: tum verò in primis, quòd ea excludi videatur, quod omnium docet absurdissimum ex aliorum interpretationibus consequi, videlicet, quòd in hoc Sacramento statuantur accidentia sine subiecto. Hanc ipsam sententiam quoque Petrus de Aliaco Cardinalis Cameracensis, cuius solius, tanquam recentioris, meminit Lutherus, in li. 4. Sent. quæst. 6. art. 2. sic probauit, vt manifestè etiam testetur, se eam potiùs, quàm Transsubstantiationem amplecti velle, nisi Romana Ecclesia contrà statuisset. Vixit autem circa annos Christi 1416.

Hac quidem sententia Transsubstantiatio *tollitur*: *statuitur autem* Consubstantiatio: *vel, vt Occamus loquitur*, Coexistentia: *& vt Lanfrancus & Guitmundus*, Impanatio. *Qua si recipitur, sic verba Christi exponenda erunt, Hoc est corpus meum, id est, Cum hoc, vel In hoc, vel Sub hoc, aut Iuxta hoc, est corpus meum. Et tum ne sic quidem simpliciter exponetur verbum* EST: *sed aliter Christi verba sonare videbuntur, aliter interpretatio.*

Ex hac opinione alia deinde nata est, huic non multùm dissimilis, prout fœcundus est error. Nam Rupertus Abbas Tuitiensis, qui claruit circa annos Domini 1125. docuit, Panem Eucharistiæ hypostaticè assumi à Verbo, eo prorsus modo, quo natura humana ab eodem Verbo assumpta est. *Hoc patet ex libro 6. in Iohannem, vbi explicans illa Christi verba*, Panis, quem ego dabo, caro mea est, *dicit*, Verbum æternum per incarnationem factum hominem, non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter humanitatem, & eodem modo per consecrationem Eucharistiæ, idem Verbum fieri panem non destruendo, vel mutando, sed assumendo personaliter panem. *Quibus verbis apertè docet: Christum dici, & esse panem facta consecratione, sicut dicitur, & est homo, per Incarnationem. Idem Rupertus libro secundo de Officiis diuinis capite secundo fusè hoc ipsum docet; vbi declarat* Ipsum panem fieri corpus Christi, non quia vertatur in Domini carnem, sed quia assumatur à Verbo. *Ex quo consequitur, panem quidem esse corpus Christi, sed non humanum, nec carneum, sed panaceum; & longè ab illo diuersum, quod de Virgine assumpsit. Ibidem docet*, hæc duo corpora posse dici vnum, quia vnum est suppositum vtriusque siue vnus est Christus, qui vtrumque assumpsit, *& disertis verbis dicit*, illa

Ex consubstantiatione alium error.

illa corpora *panaceum & carneum*, esse vnum, quia idem Christus sursum, *id est in cœlo*, est in carne deorsum, *id est, in altari & in pane. Hunc errorem notauit, & refutauit Algerus libro primo de Sacramentis capite sexto, vbi dicit*, hanc esse nouam hæresin, & absurdissimam. *Dominicus à Sota, Claudius Sanctius, Gulielmus Alanus & alij, qui de Eucharistia scripserunt, suspicati sunt authorem horum librorum de Officijs diuinis fuisse* Walramum, *seu* Valeramum, *ad quem extant duo opuscula Anshelmi, vnum de* Azymo, *alterum de* diuersitate Sacramentorum, *& primum authorem Impanationis faciunt. Sed ante eius tempora error iste exortus est: nec fuit Walramus, sed Rupertus Tuitiensis librorum istorum author.*

Hæc inquam deliria & figmenta Scholasticorum occasionem Luthero dederunt, vt ipsi quoque probabiliùs visum sit, vt panis quidem & vini substantia maneat in Cœna, sed Sub, In, Cum pane & vino sit etiam, vel coexistat reale corpus & sanguis Christi.

Lutheri de consubstantiatione sententia

Hanc verò sententiam ipse multò aliter, quàm Scholastici, & Author ipsius Cameracensis Cardinalis, & quidem nouo, omniumque periculosissimo sensu explicat in libro de Captiuitate Babylonica, dum videlicet panem ideo propriè & substantialiter corpus Christi esse, & credi vult, quia sicut se res in Christo, ita etiam se habeat in Sacramento. Sic enim scribit: Sicut in Christo res se habet, ita & in Sacramento. Non enim ad corporalem inhabitationem Diuinitatis necesse est trãssubstantiari humanam naturam, vt Diuinitas sub accidentibus humanæ naturæ teneatur, sed integra vtraque natura, verè dicitur: Hic Homo est Deus: Hic Deus est homo. Ita in Sacramento, vt verum corpus, verusque sanguis sit, non est necesse panem & vinum transsubstantiari, vt Christus sub accidentibus teneatur, sed vtroque simul manente, verè dicitur, Hic panis est corpus meum: Hoc vinum est sanguis meus, & è contra: *Rursus:* Cur non possit Christus corpus suum intra substantiam panis continere, sicut in accidentibus? Ecce ignis & ferrum duæ substantiæ, sic miscentur in ferro ignito, vt quælibet pars sit ferrum & ignis. Cur non multò magis corpus gloriosum Christi sic in omni parte substantiæ esse possit? *In hanc prorsus etiam sententiam scribit in libro contra Henricum Regem Angliæ anno Domini* 1522. Corpus, *inquit*, Christi sic saluo pane in Sacramento est, sicut est ignis in ferro, salua ferri substantia, & Deus in homine, salua humanitate; vtrobique sic mixtis substantijs, vt sua cuique operatio & natura propria maneat, & tamen vnum aliquod constituant. *Etsi autem corpus iuxta Lutherum, de pane, & homo de Deo dicatur, tamen non idem vtrobique prædicandi modus est, nec eadem intelligendi ratio. Quia cùm Christus sit homo, non in sua natura propria, sed in æterna Dei Verbi persona, ideo Deus de homine, non ratione naturæ seu formæ, sed propter hypostasis, in qua humana Christi natura subsistit, vnitatem, prædicatur: cuius certè non eadem, sed diuersissima planè ratio est in pane & corpore Christi, quorum non tantùm disparatæ species, sed & separatissimæ sunt hypostases. Eaque etiam propter, quia vtraque species seu forma, in hac propositione:* Panis Eucharistiæ est corpus Christi, *non conuenit in vnitate hypostasis, & subsistentia (alioqui Christum impanatum fateri oporteret) sed aliam speciem seu formam, in sua subsistentia, significat subiectum, aliam verò prædicatum: ideo omnium sanæ mentis hominum, ipsorumque adeò Transsubstantiatorum iudicio & confessione, non potest esse propriè & substantialiter vera hæc disparatorum de se specierum prædicatio.*

Discrimen inter Trãsubstantiationem & Consubstantiationem.

Deinde pro absurdo miraculo subsistentiæ accidentium sine subiecto, fingitur hac sententiâ Scholasticorum & Lutheri aliud non minùs absurdum de penetratione duorum corporum: quo fit, vt inciderit in Scyllam, dum voluit vitare Charybdim. Et hoc solùm inter vtramque sententiam Transsubstantiationis & Consubstantiationis interest, quòd cùm vtraque veram, eamque corpoream Christi corporis & sanguinis præsentiam in Cœna statuat, in modo tamen præsentiæ dissentit; quòd hæc non vt altera, aspectabiles rerum cœlestium notas censet in eas res conuerti quarum notæ sunt: verùm integras, & pro sua natura modo in sacramento permanere fatetur, docetque, sed ita, vt cum ipsis rebus coniungantur quas significant. Quod sanè concedi aliquo modo posset, si non tam apertè res spirituales cum corporeis, ac cœlestes cum terrenis, tanquam indissolubili quodam nexu, copularet, & sententia Papistica nonnihil accederet, quæ signorum aspectabilium substantiam in Cœna penitus tollit, quam altera retinet. Longiùs enim Consubstantiatorum quàm Transsubstantiatorum sententia à Christi verbis recedit, si vel litera spectetur, siue sensus. Litera est, HOC, *id est, hic panis est corpus meum: sensus est, Panis iste visibilis fractus & distributus, est verum & essentiale corpus meum, pro vobis traditum: non tamen essentiali conuersione, vt Pontificij volunt (panis enim non est à λόγῳ assumtus, neque pro nobis traditus) sed mysticè, siue Sacramentali Metonymia: vt Christus ipse & Paulus, totaque orthodoxa Antiquitas interpretatur. Ab hac litera & sententia verborum Christi,*

Christi, Consubstantiatorum dogma toto cælo abest. Quemadmodum igitur non est verum, Pontificias τὸ ῥητὸν seruare, quando pro verbis Christi, Hoc est corpus meum, *hanc glossam supponunt: Hac res, seu hæc substantia vaga, contenta sub his speciebus est corpus meum: Sic multò minùs verum est, istos literam & verum sensum retinere, cùm pro verbis Christi hæc sua afferunt: In pane, cum pane, sub pane est corpus meum: vel, Panis & corpus in pane inuisibiliter latens, est corpus meum: Nam nec solus panis, nec panis cum corpore intus latente, propriè & sine tropo dicitur corpus Christi: sicut nec crumena vacua, vel nummis plena, propriè & sine tropo pecunia dicitur.*

Secunda Lutheri sententia de Cœna.

Quod autem supra diximus, Lutherum ALIQVO MODO *Transsubstantiationem improbâsse, non sine causa à nobis factum est: Nam in hoc ipso Libro de Captiuitate Babylonica, in qua Transsubstantiationem apertis verbis reijcit, simul quoque de ea dubitat, imò liberum relinquit eam vel amplecti, vel repudiare. Quæ secunda eius de Cœna sententia videri potest. Sic enim scribit*: Permitto, qui volet, vtramque opinionem tenere: Hoc solum nunc ago, vt scrupulos conscientiarum de medio tollam, ne quis se reum hæreseos metuat, si in altari verum panem, verumque vinum esse crediderit. Sed liberum esse sibi sciat citra periculum salutis, alterutrum imaginari, opinari, & credere, cùm sit hic nulla necessitas fidei. *Rursus ibidem Lutherus*: In Sacramento, vt verum corpus, verúsque sanguis sit, non est necesse panem & vinum transsubstantiari, vt Christus sub accidentibus teneatur, sed vtróque simul manente, verè dicitur, Hic panis est corpus meum, &c. Permitto tamen alijs opinionem alteram sequi, quæ in Decretali, Firmiter, statuitur, modò non vrgeant suas opiniones pro articulis fidei acceptari. *In libro de Abrogatione Missæ scribit*, quòd Christus verbo virtutis suæ panem in corpus suum conuertat. *Anno autem 1523. contra Regem Angliæ, panem in Eucharistia manere, adeò definit confidenter, vt Anathema dicat ei, qui panem manere negauerit.* Nunc muto, *inquit*, & transsubstantiare volo meam sententiam & dico: Antea posui, nihil referre, sic siue sic sentias de Transsubstantiatione: nunc autem visis argumentis & rationibus assertoris Sacramentorum, decerno, Impium esse & blasphemum, si quis dicat, Panem transsubstantiari; Catholicum autem & pium, si quis cum Paulo dicat, Panis quem frangimus, est corpus Christi. Anathema sit qui aliter dixerit, & iota vel apicem vnum mutârit. *Rursus verò in libro ad Waldenses fratres, eo ipso anno, quo contra Regem Angliæ scripsit*, Errorem quidem esse *dicit*, affirmare, panem in sacramento non manere, sed tamen in isto errore non multum esse situm, modò corpus & sanguis Christi cum verbo ibi relinquatur. Verùm quia Papistæ tantopere errorem hunc vrgeant, ex propria audacia, absque Scriptura, ideo se tantùm in ipsorum inuidiam velle sentire, verum panem & vinum in Eucharistia manere, vnà cum corpore & sanguine Christi. *Et anno 1528. in Confessione maiore, rursum scribit*; Se hactenus docuisse & adhuc docere, parùm referre, nec magni momenti quæstionem esse, siue quis panem in Eucharistia manere, siue non manere, & Transsubstantiari credat. *In eadem Confessione, Palinodiam Berengarij, in qua commentum Transsubstantiationis apertè docetur, approbauit, atque etiam confessus est, Nicolaum Papam in hac parte rectè cum Berengario egisse.* Non rectè igitur faciunt, *inquit*, tam Sacramentarii, quàm Glossa Decretorum, cùm Nicolaum Papam reprehendunt, quòd Berengarium adegit ad hanc Confessionem, qua dicit, se atterere suis dentibus verum corpus Christi. Vtinam omnes Papæ tam Christianè in omnibus partibus egissent, quàm hic Papa egit cum Berengario in hac Confessione. *In Confessione parua, anno 44. edita, scribit*: Sic Papistæ docent, & nos cum ipsis simul, *Rursus dicit*, In Papatu eam doctrinam traditam esse, quam & ipse adhuc retineat, & ceu orthodoxam veteris Ecclesiæ doctrinam, quę ab annis iam 1500. durauerit, tradat, *In Papatu autem Transsubstantiationem doceri, nemo negare potest.*

NB.

NB.

Tertia Lutheri sententia de Cœna.

Tertia Lutheri sententia ea dici potest, quam ipsi ante certamen Eucharisticum euidentia & vis veritatis aliquoties extorsit, cùm ex animo pacato, & ad Christianam Theologiam composito, longè aliter quàm postea in feruore certaminis loquutus est. Sic enim scribit in Sermone de Sacramento corporis Christi anno 19. Tria in omni Sacramento consideranda sunt. Primò, externum & visibile signum. Secundò, res interna & spiritualis, sacramento significata, quæ mentis & fidei obiectum est, ab ipsoque spiritu hominis comprehenditur. Tertiò, fides, qua vtrumque in ipso vsu & vtilitate sacramenti coniungi oportet. Hac fide nos seriò expetere, atque etiam firmiter credere, nullâque dubitatione teneri oportere *vult Lutherus*, sicut sacramentum promittit & significat, ita quoque nobis accidere, vt cum Maria dicere possimus: Fiat mihi secundùm verba & signa tua. Sic enim in recto eorum

vsu

vſu veneranda eſſe ſacramenta, vt certò credatur, vera eſſe, nobiſque donari, atque nos etiam omnia illa conſequi, quæ per ſacramentum ſignificantur. Tantum autem accipi, quantum quiſque credit, ſicut Chriſtus ait; Fiat tibi ſicut credidiſti. Aliàs planè fruſtra ſacramentum ſumi, niſi credatur, omnia illa, quæ in ſacramento ſignificantur, & promittuntur, iam nobis collata, noſtraque effecta eſſe.

Lutheri vera ſententia de κοινωνίᾳ Paulina

In eodem Sermone, ſicut etiam in alio de Participatione Sacramenti, & in Poſtilla magna, hac Pauli verba, Panis quem frangimus nónne Communicatio corporis Chriſti eſt? *non de reali & externa ſub pane corporis Chriſti diſtributione, ſed de ſpirituali fructu, ipſaque Sacramenti efficacia, in recto vſu, ſeu de interna & ſpirituali illa re, qua per Sacramentum ſignificatur interpretatus eſt: eamque talem κοινωνίαν eſſe dicit & communionem cum Chriſto, qua fideles ita ei vniuntur & incorporantur, vt paſſionis & vitæ, omniúmque beneficiorum ipſius communionem habeant, ipſique inter ſe ſpiritualis & myſtici corporis ſocietate inuicem, vt membra, ſyncera dilectionis vinculo, mutuisque officijs ſint coniuncti. Hos enim duos eſſe Sacramenti fructus, in quibus ſpiritualis manducatio conſiſtat, quos Paulus his verbis voluerit explicare, cùm ait:* Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? *Item:* Vnus panis, vnum corpus multi ſumus: Omnes enim de vno pane participamus. Hæc, *inquit Lutherus,* ſpiritualis & interna Sacramenti ſignificatio eſt. Atque ſic ſacramentum in pane & vino accipere, nihil aliud eſt, quàm certum ſignum accipere huius communionis & incorporationis cum Chriſto, & omnibus eius ſanctis & fidelibus. Quemadmodum ſi ciui alicui daretur ſignum, chirographum ſeu ſymbolum aliquod, quo certus & perſuaſus eſſe deberet, ſe in ciuem receptum, vt membrum ciuitatis, omniumque eorum, quæ in iure ipſius ſunt, conſors atque particeps ſit, de quo Paulus ad Corinthios loquitur: Omnes vnus panis, & vnum corpus ſumus, qui de vno pane participamus. Hæc ſpiritualis communio, in Sacramento Cœnæ, velut in ſacro aliquo, & certo ſigno nobis promittitur, donatur & addicitur. Expedit enim, & eſt neceſſe, quòd hæc communio cum Chriſto, omnibuſque ſanctis, in ipſomet Chriſto arcanè, inuiſibiliter fiat, & quòd tantùm corporale, viſibile & externum ipſius ſignum nobis exhibeatur. *Item:* Quòd Chriſtus & Eccleſia vna ſunt caro, eſt vera illa communio, atque iſtius ſacramenti ſignificatio. *Hac Lutherus in Sermone de Excommunicatione latiùs explicans,* Sicut in ſacramento, *inquit,* duo ſunt, ſignum videlicet, & hoc quod ſignificatur: Ita quoque duplex eſt communio: quarum prior interna, ſpiritualis & inuiſibilis eſt, quæ fit & recipitur in corde, quando quis rectâ fide, dilectione & ſpe incorporatur in communionem Chriſti & Sanctorum, qualis ſignificatur & exhibetur in ſacramento, eſtque ipſa ſacramenti virtus & operatio. Hanc autem communionem neceſſe eſt tantùm ab ipſo Deo per Spiritum ſanctum in corda fidelium diſtribui, in recta fide ſacramenti. Altera & poſterior communio eſt externa, corporalis, & viſibilis, quæ fit ipſa participatione ſacramenti, eaque eſt ſignum prioris illius internæ & ſpiritualis communicationis. *Vidit itaque Lutherus, quum hac contra Pontificios ante certamen Sacramentarium ſcriberet, verba Pauli,* Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? *ex ſequentibus hiſce,* Vnus panis, vnum corpus multi ſumus; *intelligi omnino & explicari oportere, quomodo panis, qui frangitur, corporis Chriſti ſit κοινωνία. Quemadmodum enim quum panis, quem fideles in Cœna frangunt, corporis Chriſti communicatio eſſe dicitur, Sacramentum rei nomine appellatur: Ita viciſſim, quum fideles, qui de vno iſto pane participant, vnus panis, & vnum corpus eſſe dicuntur, Res ſacramenti, hoc eſt, vnum iſtud fidelium in Chriſto corpus, nomine ſacramenti, vnus panis vocatur. Sic etiam tota orthodoxa Antiquitas hanc κοινωνίαν corporis Chriſti interpretata eſt de ſpirituali conſociatione, vnione & incorporatione cum Chriſto, in quam vocati ſunt fideles, ſicut hoc prolixè demonſtrârunt Orthodoxi Conſenſus Authores capite primo. Lutherus autem poſt ſuſceptum cum Caroloſtadio certamen, quum vrgeri ac premi ſe hoc loco ab aduerſarijs intelligeret, repudiatâ hac genuinâ interpretatione, Pauli mentem ſimul & verba periculosè peruertere & immutare, quàm veritati cedere maluit: vt ſuo loco indicabitur. Bergenſes Patres quoque in ſuo Concordiæ libro, repudiato hoc Orthodoxo Lutheri ſenſu verborum iſtorum Pauli, alium eis affinxerunt. Nam* panem, quem frangimus, communicationem corporis Chriſti *à Paulo hoc ſenſu dictum eſſe interpretantur,* quaſi panis fractus ſit corpus Chriſti diſtributum, ita vt quicunque panem iſtum manducet, etiam corpus Chriſti diſtributum manducet & percipiat. *Verùm hac non ſolùm recens, & omni Eccleſiæ authoritate, conſenſu & teſtimonio deſtituta, ſed & cum ipſa cauſa, quam Paulus agit, ſcopo & ſtatu pugnans, atque diſſen-*

Lutherus mutat ſuam ſententiam de κοινωνίᾳ Paulina

dissentiens interpretatio est, & propterea quia in Ecclesia nec nata, nec recepta est, meritò repudianda.

Tom. 1. Ien. Lat. fol. 319. *In alio Sermone eodem anno habito sic scribit:* Cùm Sacramentum hoc voles accipere, potissima verborum erit cura, in quibus sentias eum thesaurum esse repositum, quo solo niti tutò possimus. Ad te enim sine dubio illa verba dicuntur: Meum corpus pro vobis traditur: Meus sanguis pro vobis effunditur. In quem vsum? num in hoc tantùm vt edas & bibas? non, imò in remissionem peccatorum tuorum. Hoc illud est, quod ad te potissimùm pertinet, cui omnia reliqua, quæ hic fiunt & dicuntur, seruiunt, vt tibi scilicet omnia tua peccata remittantur. Hic thesaurus ille est, quem nos in hoc Sacramento prædicamus, in hunc defige oculos tuos, & nugas illas Scholasticorum omitte, qui multùm sunt solliciti, quomodo possit adesse corpus Christi, præsertim in tam paruo corpore panis. Ad miracula illa ne respicias, sed simpliciter hæreas in verbo, atque ea tua vnica sit cura, quomodo hunc fructum ex hoc Sacramento queas capere, nempe remissionem peccatorum.

Tom. Ien. 1. Ger. fol. 331. b. *In sermone de Nouo Testamento anno 1520. habito; hæc inter alia habet:* Deus in omnibus suis promissionibus, addidit Verbo etiam signum ad maiorem certitudinem & confirmationem fidei. Sic Noæ dedit Iridem: Abrahamo Circumcisionem. Sic Christus in hoc Sacramento fecit. Nos enim miseri homines, cùm externis sensibus vtatur vita nostra, indigemus saltem aliquo signo externo, quod verbis annexum sit; sic tamen, vt illud signum sit Sacramentum, hoc est, vt sit externum, & tamen res spirituales habeat, & significet.

Tom. 2. Ien. Lat. *In Assertionibus contra Bullam Leonis Papa ita scribit;* In omni Sacramento est verbum promissionis diuinæ. Sic in Sacramento panis, datur corpus Christi in verbo istius promissionis: Accipite, manducate: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Oportet ergo manducantem omnino & firmiter credere, corpus Christi non tantùm pro alijs, sed etiam pro se datum esse, vt sic verum sit illud: Non Sacramentum, sed fides Sacramenti iustificat.

Tom. 2. Ien. Lat. *In libro de Abroganda Missa priuata anno 1521. edito, ad hunc modum scribit:* Hoc est corpus meum. Hic signum & pignus promissionis apponitur: Ita habet consilium diuinæ bonitatis, suas promissiones aliquo sigillo signare. Sic Circumcisio fuit signaculum pacti: sic literis sigilla appenduntur; stipulationes manuum fiunt, &c.

Serm. in Natiuit. Domini super Tit. 2. Idcirco vides, Christum tibi non tradi in manum, non deponi tibi in cistam, non ingeri tibi in sinum, NON DARI TIBI IN OS, sed offerri tibi tantùm Verbo Euangelij, & per aures proponi tuo cordi, vt qui pro te, tua iniustitia & immunditia se tradiderit: propterea nec vlla alia re, præterquam CORDE potes eum accipere.

Dominica Septuag. super 1. Cor. 10. Hic, inquit, primò sciendum est, sicut sæpe est dictum, Deum inde ab initio sanctos suos duxisse, redemisse & seruâsse, per duas res, nempe, per Verbum suum corporale, & externa signa. *Ibidem:* In omnibus est eadem fides, & idem Spiritus, etsi varia sunt verba & signa. Signa & verba quidem alijs temporibus alia traduntur, sed manet tamen eadem fides in vnum Deum, qui per diuersa signa & verba diuersis temporibus eandem fidem & Spiritum dat, & per hunc etiam eandem remissionem peccatorum, redemtionem à morte, & salutem in omnibus sanctis operatur, siue in principio, siue in medio, siue in fine mundi. *Ibidem:* Bibebant autem ex Spirituali Petra, quæ erat Christus, id est, Credebant in eundem Christum, in quem nos credimus, etiamsi nondum in carnem venerat, sed postea demum venturus erat. Et huius ipsorum fidei signum erat corporalis Petra, ex qua bibebant aquam corporaliter: sicut sumendo corporalem panem & vinum in altari, edimus & bibimus verum Christum SPIRITVALITER: id est, edendo & bibendo externè, exercemus fidem internè. *Et multa ibi similia. Item:* Turpissimum est, vel vnum inueniri Episcopum, qui nesciat Sacramentum à corpore Christi distinguere, quæ sic differunt, vt nec Oriens nec Occidens tantum differant. *Item:* Sacramentum nihil esset absque verbo: vrgent sacramenta verbum: Quomodo acciperent tu hæc nisi per fidem? Corpus meum traditur ad remissionem peccatorum? Hic situs est thesaurus. Abijce illam fatuitatem; quomodo Christus sit ibi: de fructu sis solicitus.

Tom. 2. folio 32. b. — In Sermo. de Sacram.

Ante certamen quoque cum Carolstadio, anno Domini 1523. verba Christi Iohan. 6. Caro non prodest quidquam, Spiritus est qui viuificat; *de ipsamet Christi carne, contra corporalem ipsius manducationem, cum Athanasio, Cyrillo & Augustino, rectè interpretatus est, quæ tamen postea in Zuinglio & Oecolampadio omnium acerbissimè, & ferè etiam crudeliter*

Lutheri vera expositio verborum Christi, caro non prodest quidquam &c.

Vide Colloquium cum Carolstadio an 24. Aliud panis veræ & panis altaris.

literinfectatus est. Panis, *inquit*, super altari tantùm est signum, sicut Baptismus, nec prodest quidquam, nisi iam verus panis intus sit manducatus, & ideo hoc Christi Euangelium non potest accommodari ad panem altaris: habet enim nimis claram & perspicuam promissionem. *Rursus:* Christus ait: Quicunque carnem meam manducat, & sanguinem bibit, &c. Illud manducare & bibere, nihil aliud est quàm credere. Nulla autem fides absque vita esse potest: Eum itaque qui credit, hunc viuere & iustum esse oportet. Ideoque manducatio hæc in corde fit, & non in ore; nec decipit hæc manducatio, externa autem decipere potest. *Item*: Hæc manducatio desinit, illa autem absque intermissione perdurat, quia cor semper nutritur & pascitur corpore Christi. *Rursus*: Nam & ipse postea ait: Caro non prodest quidquam: *Iterum*: Caro mea dat vitam mundo: Quomodo hæc discernemus? Spiritus hoc discernit, Christus vult, quòd corporalis manducatio carnis Christi nihil prosit, sed credere, quòd caro sit Filius Dei, qui propter nos descendit de cœlis, & sanguinem suum pro nobis fudit. Quapropter carnem Filij Dei manducare, & sanguinem bibere, nihil aliud est, quàm vt credam, carnem ipsius pro me datam, & sanguinem pro me effusum esse; & ideo spiritualem hanc manducationem esse oportet. Papistæ autem conati sunt hoc ad signum veri cibi, quasi illud cibare debeat, accommodare. Verùm Christus non de externo cibo ista tradidit & locutus est, sed de manducatione, quæ fit in corde, vt hoc modo saginemur: quoniam aliàs externè sumere, & non internè, non est verè cibari. *In hanc sententiam etiam scribit de Captiuit. Babylonic.* Christus, *inquit*, per hoc, quod ait, Verba mea spiritus sunt & vita, ostendit, se de spirituali manducatione loqui, qua, qui comedit, viuit, cùm Iudæi illum de carnali intelligerent: At nulla manducatio viuificat, nisi fidei. Hæc est enim verè spiritualis manducatio & vita. Sacramentalis enim non viuificat, cùm multi manducent indignè, vt non possit intelligi hæc de sacramento panis locutus.

Sola spiritualis manducatio prodest.

In festo corporis Christi in summaria.

In Postilla magna, Satis clarum est, *inquit*, ex hoc textu, quòd verba huius Euangelij non de Sacramento panis & vini, sed de fide sunt dicta. Qui credit carnem & sanguinem Christi pro se tradita esse, is edit & bibit eum spiritualiter absque intermissione, eò quòd nunquam desinit credere. Hoc modo Christus nunquam manducatur & bibitur indignè: Imò ne potest quidem aliter manducari & bibi, quàm dignè, hoc est, per gratiam & vitam æternam. Sacramentum autem multi indignè manducant, vt Paulus ait. *In Concione de Sacramento altaris anno 1519. sic etiam scribit de fructu Sacramenti*: Tanta Christi bonitas est, vt cum omnibus, quæ habet, se nobis tradiderit in illis verbis, quibus instituit Sacramentum. Cùm enim sic dicit: Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur: quid quæso aliud dicit, quàm hoc? En ego ipse sum, qui pro te trador, hunc thesaurum tibi dono, omnium istorum, quæ habeo, tu quoque sis possessor, si quid tibi deerit, mihi deerit: Iustitiam meam, beatitudinem meam, & vitam æternam tibi dono. Dignè verò is sacramento vsus est, qui ita cor suum hoc signo commotum sentit, vt etiam inimicos suos odisse desinat, & omnes alios, qui sua opera opus habent, iuuet, & aliorum calamitates suas esse existimet. Id enim non solùm Verbo suo nos docuit Christus: sed idem etiam expressiùs proponit externis illis signis panis & vini. Sic enim sentimus panem esse corpus, & hoc vinum sanguinem Christi. Aliud igitur vident oculi, aliud fides Verbo adiuta credit. Nam cùm Sacramento vtimur & audimus quoque Verbum, duo illa concurrunt: Verbum, quod in aures: & ipsum factum, quod in oculos incurrit: nihilominus tamen in externis & sensui subiectis rebus, æternam vitam, omnia item bonorum genera, imò Deum quoque ipsum, omnium bonorum authorem, apprehendimus. Qualis autem fidei, talis quoque charitatis imago in hoc sacramento expressa est, vt in pane & vino, quæ ex multis vnum aliquod fiunt, apparet. Atque in hunc modum Sanctus Paulus quoque accepisse ista videtur, cùm ait: Quoniam vnus panis, vnum corpus multi sumus: nam omnes ex eodem pane participamus. Quia enim Verbo credimus, manducamus corpus Christi, qui cibus animum pascit & reficit. Atque hoc quidem est spiritualiter manducare.

His etiam consentanea scribit in eadem Postilla, Concione de accipiendo Sacramento: Duo sunt, *inquit*, fructus Sacramenti: Vnus est, quòd membra nos, fratres & cohæredes cum Christo facit, ita vt ex ipso & nobis vna massa & vnus panis fiat: Secundus est, quòd etiam nos ipsi communione quadam vnum cum omnibus fidelibus, vnius corporis & panis instar efficimur. Hos duos fructus attingit Paulus in Epistola ad Corinthios, cuius verba non minus scire & intelligere debemus, quàm ea, quibus Christus in Sacramenti institutione vsus fuit. Ita verò Paulus ait: Vnus panis, vnum corpus multi

multi sumus: omnes enim de uno pane participamus: Et calix benedictionis, nónne communicatio sanguinis Christi est? Et panis, quem frangimus, nónne communicatio est corporis Christi? *Item*: Hæc verba, *inquit*, Hoc est corpus meum, quòd pro vobis traditur, dicuntur ad omnes, qui Sacramento utuntur propterea oportet iis fide adhærere, & dicere: Ideo accedo & expeto Sacramentum, quia credo, quòd corpus ipsius pro me traditum sit, & sanguis pro me effusus, ut hoc ipso fides mea confirmetur, & idcirco accipio signum.

In Sermone de morte, & præparatione ad Eucharistiam: Sacramenta, *inquit*, nihil aliud sunt, quàm signa, quæ fidem confirmant, quæque nos ad credendum invitant, & sine fide nihil prosunt. Proinde sic veneranda sunt Sacramenta, ut credamus vera esse, atque etiam nobis donari omnia illa, quæ per Sacramentum significantur, ut cum Maria dicere possimus: Fiat mihi secundùm verba & signa tua. Tantum enim accipies, quantum credis, sicut Christus ait, Fiat tibi sicut credidisti. *Rursus*: Tunc rectè utemur Sacramento, ubi crediderimus vera esse illa, quæ Sacramenta per Verbum nobis promittunt. *Item*: Sicut in omni Sacramento duo considerati oportet, verbum & sacra signa: ita quoque in Sacramento Missæ, seu Cœnæ, sunt verba, & panis & vinum. Verba sunt divina promissio, & Testamentum: Signa verò sunt Sacramenta, hoc est, sacra signa. Quemadmodum autem multò plùs situm est in Testamento, quàm in Sacramento: Sic etiam plùs momenti est in verbo, quàm in signo: quia signa possunt etiam non esse, ut tamen se verbo sustentet homo, atque sic absque Sacramento quidem, verùm non absque Testamento salvetur.

Ex hac Lutheri doctrina de Sacramentis & recto illorum usu, qua propria definitione sua, visibilia divina gratiæ signa & pignora, verbo promissionis, cujus fidem in nobis confirmant: addita esse dicuntur, quibus res, quarum signa, sunt, quaq; per ea significantur, in adjuncto promissionis verbo (quo nobis Christus, cum omnibus suis bonis & beneficiis, promittitur, offertur & donatur) credentibus per fidem certè conferuntur: non posse arbitror à quoquam realem istam vulgò creditam corporis Christi sub pane præsentiam, & corporalem ipsius manducationem (quæ neq; visibile signum, neq; etiam res verbo promissionis eblata & donata dici potest) rectè & in explicatione secum consentiente sententia, inferri, eamq; pro ipsa Sacramenti substantia venditari. Etenim si verba Cœnæ, promissionis & gratiæ verba sunt: ergo sic panem corpus in mortem traditum esse & dici oportet, ut concedatur, quatenus hoc verbo promissionis vescentibus in Cœna offertur, & fide accipientibus communicatur.

Deinde apertè in citatis testimoniis docet Lutherus, eadem ratione, qua in hoc promissionis uerbo: Qui crediderit & baptizatus fuerit, salvus erit, per Baptismum salus credenti & baptizato datur: In Sacramento panis corpus Christi offerri & dari in verbo hujus promissionis: Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: ac ideo manducantem firmiter omnino credere oportere, corpus Christi non tantùm pro aliis, sed pro se datum, & sanguinem pro se effusum esse in remissionem peccatorum. *Quibus apertissimè docet Lutherus, quemadmodum in Baptismo salus est, ita corpus & sanguinem Christi in Cœna esse ipsam Sacramenti gratiam, qua in verbo promissionis offertur, & accipientibus in fide communicatur. Quòd si itaque verba Cœnæ perinde habenda sunt, ut verba promissionis, quibus gratia sacramentis offertur, propter quod & signa gratiæ dicuntur: Sit autem absque omni dubio, hac Evangelii promissione res tantùm spirituales & piorū proprias, quaq; sola fide accipi possunt, offerri: nulla profectò hinc substantialis aliqua prædicatio corporis de pane, atque corporalis ipsius in pane existentia & manducatio inferri potest.*

Hac tam manifesta sunt, ut ipsi quoque Pontificii animadvertere & observare potuerint. Cùm enim in libro de abusu Missæ privatæ scripsisset Lutherus: In sacramento altaris solummodo duo reperiri, verbum promissionis, quo corpus & sanguis Christi promittuntur, & fidem istius verbi, quod nihil nisi fidem requirit: *Ioannes Dietenbergerus Monachus*, hæc Wiclephistica, & corporali præsentiæ in sacramento directè contraria esse, *apertissimè dixit.*

Aut si hac sententia & doctrina Lutheri non fuit, quum tamen scripserit, ut suprà videre licet, Verba Cœnę esse verba Testamenti & promissionis: signa verò esse sacramentū, & longè pluris facienda esse verba & Testamentum, quàm sacramentum, cùm possit Testamentum esse absque signo & sacramento: *explicari nobis vel à Luthero vel ab ejus discipulis cuperemus, quomodo hæc institutionis Cœnæ verba*, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, *simul verba promissionis & testamenti esse, & ad corporalem quoque in signo præsentiam efficiendam, pertinere & accommodari possint? Sed & quia in mysterio, sacramenti res signata multis modis*

dignior & præstantior est signo, quomodo non absurdissimum erit, quòd ex hac corporali illa sua in signo panis præsentia, concedere & fateri cogetur Lutherus cum discipulis, longè pluris æstimandum, & magis per fidem intuendum esse in hoc sacramento, corpus illud spirituale & mysticum, in eo significatum & promissum, quàm ipsum naturale Christi corpus in mortem pro nobis traditum? Cùm hoc sit primum fidei, in verbo promissionis & Testamenti, objectum, & Paulus dicat, quòd ex illa veri corporis Christi communicatione, quæ fit in fracti panis participatione, fideles unus panis, & unum inter se corpus efficiantur: adeò, ut quoniam hæc unitas mystici corporis Christi, in sanctis & fidelibus, nullatenus separari queat à veri & in mortem pro nobis traditi corporis communicatione: Testamentum autem & verba promissionis, etiam fatente Luthero, absque sacramentali signo esse possint: necessariò sit inde concludendum, corporalem illam sub pane præsentiam, non esse veri corporis communicationem, de qua loquitur Paulus, neque hanc signum dici posse, quòd verbo promissionis & Testamenti sit adjunctum, atque mystici in Cœna corporis Christi participationem promittat.

In præfatione ad Syngramma Suevicum anno Domini 1525. editum, idem se cum Theologis Suevicis sentire apertissimis verbis testatur Lutherus, perindeque ab omnibus haberi vult, ac liber iste ab ipsomet conscriptus esset. Sic autem inter alia scribunt authores Syngrammatis: Cùm Verbum Dei dona ipsius nobis præsentia faciat, non abs re, hoc verbo, Hoc est corpus meum: fit nobis & exhibetur corpus Christi præsens. *Et post:* Non opinamur quenquam tam impiè sentire, qui neget, fidem edere carnem, & bibere sanguinem Christi. Sic enim Ioh. 6. ait: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Cujus? Fidei: Nam fides edit carnem, & bibit sanguinem ejus, dum eredit. Iam si fides edat carnem, & bibat sanguinem, consentaneum est, carnem & sanguinem fidei esse præsentia: siquidem si non essent præsentia, non possent edi aut bibi, aut si mavis eredi. Breviter ergo fides, ut habet Deum præsentem, si credat in Deum, ita si edat corpus, & sanguinem bibat, hoc est, credat, habere oportet corpus & sanguinem præsentia. Porrò cùm Verbum, Deum cum omnibus suis donis fidei præsentem offerat, cur Verbum non idem faceret in corpore & sanguine Christi? quando hæc sunt nostra dona, quibus à peccato, inferni, adeoque sathanæ faucibus erepti sumus. Iohannes ait, Epist. 1. cap. 1. Sanguis Jesu Christi mundat nos ab omni peccato. Si igitur sanguis Christi nos emundat, oportet sanguinem nobis præsentem esse, siquidem res absens non emundat. At fides, inquis, sanguinem offert nobis: Sed unde fides sanguinem accipit, nisi à Verbo? Fides enim non est fides, nisi in Verbum directa sit: Verbum fidei objectum est: Verbum fidei offert, quicquid accipit aut credit: atque adeò quæcunque dona Dei vel nobis adempta, vel oculis nostris abscondita & longè posita fuerint, verbo restituuntur, revelantur, & ob oculos ponuntur. Percurramus aliquot donorum genera, quæ nobis Verbo adferuntur; & mox manifestum erit, quomodo pane, ad quem verbum accedit, corpus & sanguinē Christi eximia & nunquam satis laudata dona, accipiamus. *Et post:* Quid vetaret, cur idem non fieret in corpore & sanguine Christi, quod in remissione peccatorum? Nam ut remissio peccatorum solius Christi est, sedentis ad dexteram Patris, sed tamen verbo commendata est, ut in orbem per Apostolos vocali voce & externa spargeretur: Ita corpus & sanguis solius Christi sunt, ad dextram Patris sedentis, sed interim hoc verbo: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis meus: commendata sunt, ut pane & vino, rebus externis distribuerentur. Nam si remissio peccatorum donum nostrum est, cur non & corpus & sanguis, per quæ nobis hæc remissio contingit, dona essent? Iam si dona sunt, consentaneum est, ut & pro ratione donorum distribuantur. *Et post:* An autem adhuc imaginaris de adventu quopiam humiliationis vel glorificationis? Quasi verò novus Christi adventus sit, si verbo nobis mittatur vel Spiritus S. vel remissio peccatorum, vel justitia, vel corpus & sanguis ejus. Non enim quispiam adventus est Christi, sicut initio carne venit, novissimo in gloria venturus, sed doni communicatio & distributio est. *Quòd si hanc sententiam, de præsentia & communicatione corporis & sanguinis Christi, pro ratione donorum fidei, in pane & vino Cœna per verbum suam esse voluit Lutherus, sicut hoc verba Præfationis apertè testantur, nullo modo negari potest, quòd vel à semetipso dissentiat, atque sic etiam aliis ab eo dissentiendi licentiam & causam præbuerit, vel quòd omnia de Transsubstantiatione, Consubstantiatione, & Vbiquitate corporis Christi commenta, hac ipsa superiùs recitata sententia prorsus oporteat destrui atque everti.*

Ibidem scribunt Syngrammatis authores: Cùm corpus Christi carne nos edere asseveramus, non aliter quàm candida interpretatione accipias: Non ut corpus Christi atteramus & frangamus, ut est in Revocatione Berengarii: sed panem ipsum, quà panis est, tractamus, frangimus, edimus, & dentibus atte-

atterimus: Corpus autem accipimus, quà verbum accipimus, Hoc est corpus meum: ut pulcherrimè quidam dixit: Quod edimus intrat ventrem, quod credimus intrat mentem.

Lutherus quoque Confessionem Fratrum Waldensium, *quos alio nomine* Bohemos *&* Picardos *appellàrunt, priùs editam Tiguri, anno 25. & postea aliquoties* Witenbergæ *edidit: & Præfatione sua testatus est, se illos habuisse aliquando pro hæreticis, sed postea deprehendisse orthodoxos, & se cum illis in unum ovile fidei Christianæ sub Pastore Christo perductum esse. Constat autem* Waldenses *retinuisse semper & retinere doctrinam* Wiclefi *&* Hussi, *quæ non fuit diversa ab Helvetica: Constat ex ipsa Confessione* Waldensium, *præsertim recognita, & ex eorum Apologia, eandem esse Helvetiorum & ipsorum de Persona Christi & de Cœna confessionem & sententiam, utcunq; in veteri editione Confessionis obscuriùs quædam dicant, quæ tamen satis luculenter in Apologia explicant.*

Præterea Lutherus ad Principem Prussiæ, & in parva Confessione manifestè testatur, se contra Ecclesiæ consensum nihil hac in parte sentire velle. *Vera autem Ecclesia Christi, & Orthodoxa Antiquitas neque Transsubstantiationem, neque Consubstantiationem docuit, vel credidit. Ex multis testimoniis brevitatis causa, pauca adferam. Cyprianus in Serm. de Cœnâ,* Nostra, *inquit,* & Christi conjunctio, non miscet personas, nec unit substantias, sed affectus consociat, & confœderat voluntates. *Loquitur hoc loco Cyprianus ex professo de communicatione corporis Christi in sacra Cœna, Quòd si Christus corporaliter manibus & ore percipitur in pane, ut substantialiter in nobis secundùm carnem existat; quomodo talis conjunctio non miscet personas, aut immediata unione substantias confundit? Negans igitur in sacra Cœna fieri naturalem personarum mixturam, aut realem substantiarum coalitionem, sic, ut spiritualem unionis modum è contrario statuat, Consubstantiatoribus apertè contradicit. Ambrosius in Lucam scribit:* Christus nec super terram, nec in terra quærendus est, sed in cœlo. *Item:* Nos non corporaliter, sed per fidem tangimus Christum. *Quid est negare corporalem Christi, in, vel sub pane, & corporibus nostris præsentiam, si hoc non est? Idem:* Non iste panis est, qui vadit in corpus, sed ille panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. *Si caro Christi non est corporis, sed animæ cibus, quid opus eam corporaliter cum pane comedere? Potest enim fidelem animam fulcire & vegetare citra ullam trajectionem aut applicationem physicam. Athanasius in libello de passione Imaginis Christi capite ultimo inquit:* Nec etiam aliter æstimandum est à veris Catholicis, præter id quod scribitur à nobis, quasi ex carne & sanguine Christi possit aliquid in mundo inveniri, nisi illud quod in ara altaris per manus Sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur. *Vanissimum est ergo Consubstantiatorum figmentum de corporali Christi in pane præsentia, cùm modus præsentiæ Christi in sacramento & fidelibus spiritualis sit. Hieronymus in Levit. ut etiam habetur de Consec. dist.* 2. De hac quidem hostia, quæ in Christi commemorationem mirabiliter fit, edere licet: de illa verò, quam Christus in ara crucis obtulit secundùm se, nulli edere licet. *His verbis dupliciter considerat corpus Christi, absolutè secundùm se, in proprio subjecto suo, & relativè, in subjecto alieno, nempe in pane, ejus sacramento. Negat autem apertissimè, corpus Christi propriè, secundùm se, & absolutè consideratum, ore externo manducari, & duntaxat in Sacramento comedi pronuntiat, dum panis, ipsius symbolum, in quo illud censetur & repræsentatur, comeditur. Augustinus, ut habetur de Consec. dist. 2. c. Vtrum sub figura, inquit:* Quia Christum vorare dentibus fas non est, voluit Dominus hunc panem & vinum in mysterio verè carnem suam & sanguinem suum consecratione Spiritus sancti potentialiter creari, *&c. Hîc antithesis fit, inter oralem esum, corporis Christi respectu, propriè acceptum: & inter manducationem sacramentalem. Ergo sacramentalis manducatio, de ipso corpore per se considerato, propriè intelligi non potest. Idem in Psal.* 89. Spiritualiter intelligite, quæ locutus sum. Non hoc corpus quod videtis, manducaturi estis, nec bibituri sanguinem, quem fusuri sunt, qui me crucifigent. Sacramentum aliquod commendavi vobis, spiritualiter intellectum vivificabit vos. *Observa totum hoc mysterium intelligendum esse, & ita quidem animos nostros ad spiritualem manducationem ablegari, ut oralis esus veræ carnis propriè dictæ, prorsus tollatur. Tractat. 25. in Ioan.* Vt quid paras dentem & ventrem? Crede & manducâsti. *Ergo repudiatur ab Augustino carnalis manducatio veri corporis, quia Christi corpus animo per fidem, spiritualiter manducetur. De verbis Domini in Lucam Serm.* 33. Nolite parare fauces, sed cor: inde commendata est ista Cœna. Ecce credimus in Christum, cùm fide accipimus: in accipiendo novimus quid cogitemus, modicum accipimus, & in corde saginamur. Non ergo quod videtur, sed quod creditur pascit. *Idem:* Qui manducat intus, non foris: qui manducat corde, non qui premit dente, *&c. Ergo Christi corpus est cibus vivificus, non quia externa oris manducatione mãducatur, ut volunt Synusiastæ, sed*

quatenus corde per fidem apprehenditur. Chrysostomus Homilia in Matthæum: Si vasa, *inquit*, sanctificata ad privatos usus transferre peccatum est, sicut docet nos Baltazar, qui bibens de calicibus sacratis, de regno depositus est, & de vita: Si ergo hæc vasa sanctificata ad privatos usus transferre sic periculosum est, in quibus non est verum corpus Christi, sed mysterium corporis Christi continetur: quantò magis, &c. *Qui plura testimonia desiderat, legat Orthodoxum Consensum fol. 143. & sequentibus. Item Historiæ nostræ Sacramentariæ partem primam lib. 2. cap. 3.*

Ex his testimoniis Patrum, & verbis Lutheri sic colligo: Si Lutherus contra consensum veteris Ecclesiæ nihil hac in parte docere voluit, vel non semper Consubstantiationis dogma approbavit; vel si approbavit semper, protestatio ejus est contraria facto.

Hæc verò omnia non in hunc finem adduco, quòd Lutherum in Zuingli & Calvini partes pertrahere velim; ac probare, Lutherum, aliquando ejusdem cum Zuinglio & Calvino doctrinæ, & ut nunc loquuntur, Sacramentarium fuisse: non inquam hæc in eum finem profero: sive enim idem interdum senserit quod illi, sive non, perinde est: Non enim veritas à Luthero dependet: Sed ut ostendam, Lutherum antè motum isse certamen cum Carolostadio, longè alium fuisse, & quidem multò rectiùs de Eucharistia scripsisse quàm postea.

Quarta Lutheri sententia de Cœna.

Hactenus recensuimus tres Lutheri de Cœna Dominica sententias. Sequitur nunc Quarta. Cùm enim in ipso certamine seu conflictu cum adversariis versaretur, ex affectibus humanis & Monasticis est loquutus, tantoque impetu ab illis, quibus indignabatur, deflexit, ut rursus ad ipsam usque Transubstantiationem, quam sub Papatu approbárat, postea de ea dubitárat, tandem abjecerat, tanquam fluctus marinus ad scopulos allisus, revolveretur: sicut indicabitur quum ad annum 1528. *perventum fuerit.*

Quinta Lutheri sententia de Cœna.

Cùm autem urgebatur testimoniis de veritate corporis Christi, tum demumpotiùs, quàm se victum fateretur, in mediā paludem VBIQVITARIAM, *se præcipitem dabat; atque ita in* QVINTAM *sententiam impellebatur, quam post mortem Lutheri, præsertim verò Philippi Melanchtonis, Brentius, Iacobus Schmidlinus, Wirtenbergenses & horum sectatores sic arripuerunt, ut eam pro Lutheri & Confessionis Augustanæ propria venditarent atque proclamarent, ut suo loco videbitur.*

Cùm autem absurditatem hujus sententiæ intelligeret Lutherus, repudiatā illā, primam rursus arripuit, quam tamen etiam nonnihil in Concordia cum Helveticis Ecclesiis anno trigesimo sexto mutâsse videri potest. Sed & contra pacta & datam fidem rupta Concordia illa, primam rursus sententiam pertinacissimè ad finem vitæ usque publicè defendit, ut suis locis à nobis referetur.

Hæc autem magna Lutheri, in Cœna Dominica negotio, totaque de hac causa disputatione, inconstantia, & pugnantium sententiarum asseveratio, ex fundamentorum, quibus nitebatur, infirmitate & mobilitate consequuta est.

Hæc omnia, quæ hucusque de Lutheri inconstantia & varietate sententiarum in negotio Cœnæ Dominicæ diximus, attestatur etiam Ioannes Sturmius in Antipappo 4. fol. 98. Lutherus, *inquit*, anno vigesimo secundo moderatè suam sententiam exposuit, quæ eodem anno Witebergæ edita est: Sed excitata controversia cum Carolostadio, ut solet fieri, propiùs ad Pontificiorum accessit opinionem. Et primùm quidem Lutherus etiam ratione & fundamento Pontificiorum ad demonstrandum id quod volebat, utebatur: verborum retenta propria potestate, nullo admisso modo vel Metaphoræ, vel Metonymiæ, vel Synecdoches. Verùm vbi Zuinglius & Oecolampadius huic contentioni intercesserunt, & τὸ ῥητὸν non litera, sed sententia enucleabant, & Augustini adferebant sententiam, qui scribit: Non dubitavit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm corporis daret signum: Et cùm statim appareret, ut solet fieri in controversiis explicandis, Patres aliquando Eucharistiam typum, aliquando antitypum, aliquando gratiā, aliquādo virtutem, aliquādo panem & vinum imagines spiritualium rerum, aliquando typicum & symbolicum corpus, aliquando mortis similitudinem, aliquando memoriam nostræ redemptionis, aliquando figuram, item imaginem & similitudinem & sacramentum sanguinis vocâsse: & aliquando corpus esse & existere dicerent, aliquando repræsentari, aliquando vocari, aliquando figurari, aliquando signari, aliquando significari: cùm ista inquam apparere Lutherus animadverteret, Synecdochen concessit, & in pane & cum pane carnem, & in vino & cum vino sanguinem dari & comedi affeveravit. Sed hac Synecdoche Oecolampadius & Zuinglius primùm, pòst etiam Calvinus & qui cum eo faciebant, non acquiescebant, neque adhuc acquiescunt. Non enim negant Christi corpus in Cœna esse, & dari, & accipi, & comedi sed in signis & elementis, hoc est, in pane & vino corpus Christi inesse, id pernegant: neq; negant præsentiam corporis in Cœna, hoc est, τὴν παρουσίαν, sed hanc præsentiam non volunt esse σωματικὴν & corporalem, sed ἐνεργητικὴν & effectuosam: neq; corpus Christi

Contra Adimantū ca. 12.

Christi manibus attrectari & ore masticati, sed fide accipi: & fide hîc in hac vita & in hac Cœna accipi: adorari autem sursum erectis animis ad dexteram Patris: quod post hanc vitam in cœlesti regno, sensibus percipient spiritualibus atque immortalibus, cum omnium sensuum, sanctissima & verissima & spirituali recreatione. Lutherus igitur ad istud præsidium τῷ ῥητῷ, quo etiam Ecclesia Romana hodie utitur, addidit alterum subsidium de præsentia corporis Christi in omnibus locis, unde vocabulum *Vbiquitatis* natum est. Vbi verò concordia constituta fuit inter Saxonicas & superioris Germaniæ Ecclesias, Lutherus ab hoc fundaméto cœpit discedere, neque de Vbiquitate secum disputari voluit, neque ad hanc quæstionem pertinere putavit: & ita petiit præsentiam in Cœna concedi sibi, ut ipse concederet non esse localiter: & ita manducationem indignorum & oralem sibi dari, ut ipse non exigeret illam ab iis Ecclesiis, quæ de utraque realiter docuerant, &c.

Inconstãtia Lutheri de communione sub una vel utraque specie.

Eadem varietas & inconstantia, & crebra tanquam tempestatum, sic sententiarum commutatio in aliis quoque de Sacramento Eucharistia articulis apud Lutherum in suis scriptis invenitur. De communione sub una vel utraque specie: Anno 19. in Sermone de Sacramento, primò dicit, non necesse esse utramque speciem dari, sed alteram tantùm sufficere. *Secundò* satis esse, si populus alteram speciem solùm petat. *Tertiò*, Ecclesiam potestatem habere unam tantùm speciem instituendi, eaque populum contentum esse debere, si ab Ecclesia ordinetur. *Quartò*, Sacerdotes in conspectu omnium utramque speciem sumere, eoque populo satisfieri. *Quintò*, Mihi placeret, *inquit*, si generale Concilium utramque speciem populo restitueret, non quòd opus habeat utraque, & unica non sufficiat, sed propter pleniorem significationem. *Sextò*, Neutra specie opus esse, sed tantùm fide. *Septimò*, utramque speciem non magis necessariam esse, quàm immersionem in Baptismo. *Octavò*, Alteram speciem unam tantùm Sacramenti partem esse, ideoque non posse totam communionem sanctorum significare. *Nonò*, Christum pro omnibus fidelibus utramque speciem instituisse.

Tom. 1. Germ. f. 84.

Anno 20. scripsit declarationem in Sermonem de Eucharistia, ubi sic inter alia loquitur: Non dixi, neque consului, nec est intentio mea, ut unus, aut aliquot Episcopi propria authoritate incipiant alicui utramque speciem porrigere, nisi ita institueretur, ac præciperetur in aliquo generali Concilio. *Secundò dicit*, Boemos propter utriusque speciei sumptionem, non esse hæreticos, alioquin Christum hæreticum esse oporteret, propter utriusque speciei institutionem. *Tertiò*, Christum neque unam, neque utramque speciem præcepisse, ideoque fideles ab utraque abstinere posse. *Quartò*, Boemos Romanæ Ecclesiæ constitutionem sequi debuisse, sive erraverit, sive non, ac proinde una tantùm specie contentos esse. *Quintò*, utramque sententiam, Boemorum ac Papistarum, non hæresin esse, sed schisma tantùm.

Tom. 1. Lat. fol. 461. Germ. tom. 1. fol. 218. Tom. 1. Germ. fol. 338.

In literis contra Officialem Stolpensem scribit: Damnandos esse Boemos in suo schismate, sic tamen, ut sine charitatis & veritatis læsione id præstetur. *Secundò*, probat novissimi Lateranensis Concilii statutum, ut una species laicis tantùm detur.

In Sermone de Novo Testamento sic scribit: Speciem vini prorsus Ecclesiæ eripuerunt atque abstulerunt, quanquam id parvi refert, plùs enim in verbis, quàm in signis situm est.

In Captivitate Babylonica cùm multa disseruisset pro restitutione integri Sacramenti, & propter ablationem alterius speciei sacrilegii Pontifices Rom. accusâsset, tandem sic concludit: Negare utramq; speciem laicis, esse impium & tyrannicum, nec in manu ullius Angeli, nedum Papæ & Concilii cuiuscunque. *Item*: Non quòd peccent in Christum, qui una specie utuntur, cùm Christus non præceperit ulla uti, sed arbitrio cuilibet reliquit: dicens: Quotiescunque hæc feceritis, in mei commemorationem facietis. *Mox*: Non hoc ago, ut vi rapiatur utraque species, quasi necessitate præcepti ad eam cogamur, &c. *Rursus*: Hoc est quod dixi, mihi pulchrum videri, si generalis Concilii statuto ista captivitas solveretur, & nobis Christiana illa libertas è manibus Romani tyranni restitueretur, & cuique suum arbitrium petendi utendique relinqueretur.

In Assertionibus articulorum à Papa damnatorum, Artic. 16. sic scribit: Consultum mihi videtur nunc, ut non modò per Concilium, sed per quamque diœcesin, quilibet Episcopus, etiam invito Papa, Christum secutus in Evangelio, rursus utramque speciem laicis daret. *Et mox*: Hoc ego dico, si quis sciens omittat desiderare saltem alteram etiam partem sacramenti, licèt neutra necessaria sit, cùm fides sola hîc sufficiat, impium eum esse, & Christum ab eo negari. *In formula Missæ ita scribit*: Si quod Cõcilium statueret, aut permitteret utramque speciem, nos nequaquam utramque uti velle-

vellemus, sed in despectum Concilii, ejusq; statuti aut unà, aut neutra, & minimè utraque uti vellemus, maledicturi universos, qui ex potestate, aut statuto Concilii utraque uterentur.

Thyraeus in historia Confessionis Aug. fol. 131.

In suo Iudicio de Mediis Concordia in Comitiis Augustanis, anno 30. postremò à Pontificiis propositis, sic scribit inter alia: Quod adversarii à nobis petunt, ut doceamus, unam quoque speciem Sacramenti rectè exhiberi, nec præceptum, sed indifferens & adiaphorum esse, utraque vel una specie uti: Novit V.C. ex principalibus nostris articulis unum esse, quòd nihil in Ecclesia sit faciendum aut docendum, nisi in Verbo Dei certissima habeat fundamenta, ne sicut Paulus inquit, in incertum curramus, & pugnantes aërem feriamus. Nam hoc opus, hic labor est; etiam cùm certum Verbum Dei sequimur, ut in rectâ via firmi maneamus. Constat autem unam speciem Sacramenti, puram traditionem humanam esse, & Verbo Dei prorsus non confirmari, sed contrarium, utramque videlicet speciem, perspicuis & claris Verbi Dei testimoniis confirmatum esse. Ideo neque probare, neque docere possumus, unam speciem rectam esse. Christus enim Matt. 15. inquit: Frustra me colunt mandatis hominum. Præterea & hoc probari nequit, quòd Christi verbum & mandatum indifferens reddere volunt, cùm adeò severè & seriò præceperit: Hoc facite in mei commemorationem. Nec ipsi sanè indifferens esse credunt: Nam multos, quòd utraque specie usi essent, combusserunt, eiecerunt, persecuti sunt, & hanc doctrinam, ut magnam hæresin, damnârunt. Quare non tantùm Dei & nostrâ, sed ipsorum quoque causâ concedere nobis non licet, ut indifferens esse doceatur. Ita enim ipsos cogeremur velut homicidas & nefarios nebulones traducere, quòd rem indifferentem tanquam hæresin condemnâssent & persecuti essent. Qui igitur indifferens esse non credunt, multò minùs nos ita docere possumus, nisi ipsi revocent, & omnes eos, quos propterea persecuti sunt, restituant, *&c.*

Inconstantia Lutheri de manducatione Impiorum.

De manducatione impiorum, tanquam pro aris & focis depugnavit Lutherus. At in libro, Quòd verba Christi adhuc firma stent, *sic scribit:* Utile & bonum est, elatos & impios blasphematores sic excludi, ut non fruantur sancto Sacramento. Quia sanctum non est obiiciendum canibus, nec margaritæ porcis. Cùm autem fanatici credant, esse ibi merum panem & vinum, certò etiam sic est. Sicut credunt sic habent illud: atque ibi comedunt merum panem & vinum, corpore Domini neque spiritualiter, neque corporaliter fruuntur. Hoc valde bonum & utile est, ut bonum nostrum non spargatur in indignos, sed sanctum & purum apud solos humiles conservetur.

Inconstantia Lutheri de Concomitantia.

Similiter Lutherus de Concomitantia, hoc est, An totus Christus anima, corpore & sanguine sub qualibet sit specie? variè admodum loquitur. Anno 20. scribit in Captivit. Babyl. Assert. artic. 16. &c. Totum Christum accipi sub qualibet specie: & apertè fatetur, se hoc semper credidisse firmiter. *In Informatione autem ad quendam amicum, de Cõmunione sub utraque specie,* ridet Concomitantiam. *Anno 27. scribit,* Christi corpus, non sanguinem sub pane: & contrà, sanguinem, non corpus sub vino contineri. *In lib. ad Waldenses de Eucharistia, dissimulat hanc quæstionem, tanquam minùs necessariam: Dicit enim,* quosdam se torquere inanibus quæstionibus, quomodo anima & Spiritus Christi, deinde Divinitas, Pater & Spiritus Sanctus sint in sacramento.

Eadem modo Lutheri discipuli de hoc articulo postea variè quoque & senserunt & scripserunt. Quidam Concomitantiam rectè negârunt, licèt verum corpus & sanguinem in Eucharistiâ adesse contendant. In his est Tilemannus Heshusius in lib. de 600. erroribus Pontificiorum, tit. 17. errore 4. & 18. Numerat enim inter errores, quòd totum Christum sub utraque specie contineri dicunt Pontificii. Hermannus Hamelmanus quoque in lib. de Communione sub utraque specie, dicit, Concomitantiam diabolicum inventum esse. *Illyricus in libro contra Sacramentarios, parte 2. argumento 25. & parte 3. in solutione tertiæ obiectionis, apertè* negat, totum Christum esse sub qualibet specie. *Alii contrà, cum Papistis* fatentur, totum planè Christum sumi sub qualibet specie: *ut Iohan. Brentius in Confessione Wirtenbergensi, artic. de Eucharistia, & Kemnitius in fine disputationis de utraque specie, Tomo 2. Examinis fol. 158. ubi sic scribit:* Notum fuit antiquitati, Christum ubicunque adest, totum & integrum adesse: corpus ejus non esse exangue, nec sanguinem extra corpus ipsius. *Idem coguntur fateri omnes, qui Ubiquitatem defendunt. Si enim Christus totus ubique est, sanè totus in pane, & totus in vino erit. Alii denique prudentiores quæstionem hanc dissimulârunt: ut Philippus fecit in Apol. art. 10. August. Confess. Nam cùm Papista petiissent explicari,* An totum Christum sub qualibet specie Augustana Confessio ponat? *Philippus nihil ad hoc expressè, & in forma respondere voluit, sed in fine illius Apologia hoc tantùm dicit,* Se loqui de corpore vivo.

Eleva-

Inconstantia Lutheri de Eleuatione Sacramenti.

Eleuationem Sacramenti, seu corporis Christi in pane rem suo genere esse indifferentem docuit *Lutherus in Confess. parua anno* 44. quæ piè retineri possit, hoc fine, vt sit testimonium realis & corporalis præsentiæ in pane: quasi, cùm Eleuationem hanc facit, ipso facto diceret Sacerdos: videte Christiani, istud est corpus Christi, quod pro vobis traditum est. *Item*; se Eleuationem in inuidiam Papistarum tantùm oppugnare. *Et rursus*, in inuidiam & contemptum Caroloſtadij, *qui eleuationem hanc velut impiam & idololatricam damnabat*, eam diu in Ecclesijs retinuisse, *diuersis in locis scripsit. Nam vt etiam hac parte Christiana maneat & constet libertas*, retinendam esse Eleuationem, vbi vt impia prohibetur, & abolendam, vbi vt necessaria præcipitur. *In libro contra Cælestes Prophetas sic scribit:* Wiewol ichs für hatt das aufheben auch ab zu thun/ So wil ichs doch nu nicht thun/ zu troß vnd wider/ noch ein weile/ dem Schwermergeyst/ weil ers wil verbotten/ vnd als ein sünde gehalten/ vnd vns von der freyheit getriben haben. Dann ehe ich dem Seelmörderischen geyst/ wolt ein haarbreit/ oder ein augenblick weichen/ vnsere freyheit zulassen/ ich wolt ehe nach morgen/ so ein gestränger Mönch werden/ vnd alle Klösterey so fest halten/ als ich ye gethan habe. *Retinuit igitur Lutherus Eleuationem non solùm tanquam rem liberam, sicut & statuas & alias res Missales, sed etiam vt ne quid Caroloſtadio concessisse, aut, vt in Confessione parua scribit, aliquid à Diabolo (Caroloſtadio) didicisse videretur. Minimè profectò conueniens Christiano Theologo oratio, & magna infirmitas in Luthero.*

Institutis autem diuinis addere vel detrahere aliquid, adiaphorum seu liberum non est. Eleuatio autem est additamentum, sicut priuatio calicis, & omissio fractionis, est diminutio ceremoniæ à Christo institutæ. Ergo nihil horum est adiaphorum. Et si concederetur ei maximè esse adiaphorum, tamen propter finem & effectum execrabilem, cui seruit, retinere istum morem, non esset liberum. Non enim liberum, sed necessarium est, incîdere & abolere neruos superstitionis & idolomaniæ, adorationis & oblationis Papisticæ. Eleuatio autem istarum βδελυγμάτων *est neruus: videlicet persuasionis impiæ de oblatione corporis & sanguinis Christi in Missa, pro expiandis viuentium & mortuorum peccatis, ex opere operato: qui prorsus impius & horribilis error est, & cum tota Euangelij doctrina, de vnica Christi oblatione, semel in cruce facta, & singulis ferè apicibus verborum institutionis repugnat. Deinde ad confirmandum morem circumferendi & adorandi panem, Eleuatio allegatur, cùm constet nihil habere rationem Sacramenti extra actionem, verbo institutionis mandatam. Tertiò, aspiciens ritum illum leuandi, fingit, se bonum opus & cultum Deo gratum præstare, quo mala cuncta auertantur, & omnis felicitas præsentis & futuræ vitæ obtineatur, & concepta hac falsa fiduciâ, veram pœnitentiam & inuocationem negligunt.*

Inconstantia Lutheri de Adoratione Sacramenti.

Quod ad Adorationem Sacramenti attinet, Lutherus in libro ad Waldenses, *anno* 1523. *conscripto sic scribit*: Nos sentimus; eos non damnandos esse tanquam hæreticos, qui Sacramentum non adorant. Non enim hoc mandatum est, neque ob hanc causam Christus adest: Apostoli quoque non adorâsse leguntur, discumbentibus enim datus est panis & vinum. E contrà verò neque hi, vt hæretici, sunt damnandi, qui adorant sacramentum: Etsi enim Christus id non præcepit, non tamen etiam prohibuit. Liberum igitur est vtrumque. *Tomo autem 8. Ienensi Germ. fol. 381. ad articulos Louanienses, anno Domini* 1545. *apertis verbis dicit*, Venerabile sacramentum Altaris adorandum esse. *In libro contra Prophetas cœlestes, & in Sermone contra Sacramentarios similiter scripsit*, Corpus Christi in pane adorari & honorari debere, propter eius realem in pane præsentiam. *Rursus in libro ad Waldenses sic scribit:* Qui non credit Christum suo corpore & sanguine in Sacramento præsentem esse, ille rectè facit, quòd neque spiritualiter neque carnaliter adorat. Qui verò hoc credit, vt credi debere satis superque demonstratum est, ille profectò carni & sanguini Christi venerationem denegare sine peccato nullo modo potest. Fatendum enim mihi est, Christum ibi adesse, vbi corpus & sanguis illius præsens est, verba ipsius mihi non mentiuntur, nec à corpore & sanguine suo separari ipsa vlla ratione poterit. Verùm quid est, discrimen inter illa esse, quòd Christus supernè in cœlis considet, & hic in sacramento & in pectoribus fidelium præsens est, Omnino enim hanc ob causam ad cœlos ascendit, vt ibi ipsum adoremus. In Sacramento verò & cordibus fidelium propriè non hanc ob causam præsens est, vt ibi adorari velit, sed vt ibidem nobiscum agat, & nos saluet. *Quæ omnia cum principijs Christianæ fidei, & vera mysteriorum doctrina pugnant.*

Scripsit etiam, Papistas corpus Christi verè in Sacramento habere, & circumgestare, licèt hoc faciant sine mandato. *In quo præter durabilem illam corporis ad panem affixionem, quam postea anno* 36. *in Concordiæ arti-*

articulis cum Bucero, improbauit, planè magicam corporis in pane præsentiam statuere videtur, extra legitimum Sacramenti vsum, & contra mandatum seu institutionem Christi.

Inconstantia Lutheri de Ceremonijs Missæ.

In lib. de Captiuit. Babyl. c. de Eucharistia, scribit de Ceremonijs Missæ, Primò, Missam eò esse magis Christianam: quò est simplicior & similior Missæ Christi, in qua nulla fuit vestium, gestuum, cantuum aliarumque ceremoniarum pompa. *Quibus verbis obliquè Ceremonias reprehendit. Secundò verò addit:* Nō esse, propterea calumniandam vniuersam Ecclesiam, quæ multis alijs ritibus & ceremonijs Missam ornauit & ampliauit. *Et in lib. de Formula Missæ promittit multas ceremonias. Hoc autem posterius pugnat cum priore: Nam si pompa ceremoniarum faceret Missam minùs Christianam, vt habet prius, meritò Ecclesia, quæ pompam illam inuexit, posset ac deberet reprehendi. Vnde rectè ibidem scribit:* Vbi cantus cœpit, mutari sunt Psalmi in Introitum: Tum additus est hymnus ille angelicus, Gloria in excelsis, &c. At vbi iam licentia fiebat addendi & mutandi Christi institutionem pro ut cuiuis libebat, accedente tum & quæstus & ambitionis sacerdotalis tyrannide, tum cœperunt Altaria illa & insignia Baal, & omnium Deorum poni in Templum Domini, per impios Reges nostros, id est, Episcopos & Pastores. Hic sustulit impius Achas altare æreum, & constituit aliud è Damasco petitum. Loquor autem de Canone illo lacero & abominabili, ex multorum lacunis ceu sentina collecto. Ibi cœpit Missa fieri sacrificium, ibi addita Offertoria & Collectæ mercenariæ, ibi Sequentiæ & Prosæ inter, Sanctus & Gloria in excelsis insertæ. Tum cœpit Missa esse monopolium sacerdotale, totius mundi opes exhauriens, ditiues, otiosos, potentes: voluptuarios & immundos illos cœlibes toto orbe ceu vastitatem vltimam exundans. Hinc Missæ pro defunctis, pro itineribus, pro opibus, *&c. Ex pompa igitur illa immodica, abominationes omnes Missæ in orbem Christianum tanquam diluuium quoddam, exundârunt, & propterea meritò est reprehendenda nec tolerranda.*

De consecrationibus seu ministrantibus Eucharistiam Lutheri sententia.

Lutheri quoque sententia fuit, quemlibet Christianum ex Baptismo potestatem habere Eucharistiam consecrandi, licèt officium nemo assumere debeat, nisi legitimè vocatus, excepta casu necessitatis: vt est videre in lib. de Capt. Bab. de Ordine. lib. de instituendis ministris ad Senatum Pragensem: lib. de Abroganda Missa: lib. de Notis Ecclesia, & alibi. Putauit igitur ordinationem ministrorum necessariam solùm esse ob disciplinam & ordinem Ecclesiæ: nimia enim confusio esset, si quilibet sacramenta conficere vellet: non autem quòd Sacramentum non esset verum, si ab aliquo non ordinato conficeretur. Et in lib. de Missa priuata & Vnctione Sacerdotum, anno 34. edito, eò vsque progressus est, vt diceret, Sacramentum verum futurum, etiamsi à Diabolo conficeretur.

Lutheri varietas de verbis Christi, Caro non prodest quicquam.

Locum Ioh. 6. Caro non prodest quicquam, *extra pugnam passim de ipsa carne Christi interpretatur. Super Epistolam Dominica Septuagesima sic scribit inter alia:* Non prodest caro illis, qui non aduertunt animum ad verba, quæ de carne sua dixit, *Cùm autem verba hac opponerentur Luthero à nostris, exposuit ea de carnalibus affectibus hominum. Nam in lib. contra Cœlestes Prophetas & de verborum Christi firmitate:* Non dicit, *inquit*, MEA caro non prodest: sed, Caro nihil prodest. Itaque Oecolampadium oportet obmurescere. Scriptum est enim: Caro: non autem Mea caro.

Lutherus rectè docuit de fractione panis in Cœna.

Rectè tamen docet in lib. de Abroganda Missa priuata, panem Eucharistia frangi, & inter multos distribui omnino necesse esse, vt exemplum & institutum Christi imitemur: aliàs celebrationem communionis nullâ ex parte cum instituto Christi conuenire. Illos itaque proximè omnium Christi Cœnam imitari & repræsentare, qui hunc ritum in frangendo & distribuendo pane obseruant, eumque propter hac Christi verba, Fregit & Dedit, illis secura conscientia sequendum & retribuendum esse monet. Verba eius hæc sunt: Vide, vt Missarum vniuersarum ritus hodiernus cum Euangelio faciat. Omnes tres Euangelistæ vna diligentia, similiter & Paulus, memorant, panem esse à Christo fractum & datum discipulis: tacent verò an & ipse comederit & biberit cum eis. Quid enim est frangere, nisi in multa partiri? Quid dare discipulis, nisi in multa partitum alijs distribuere? SI ergo Missa Institutum & exemplum Christi referre debet, necesse est, vt nulla vnquam fiat, nisi in Eucharistia frangatur & multis distribuatur per sacerdotem. Si autem aliqua allter perficitur, non est Christiana Missa, nec cum instituto Christi vlla ex parte conuenir. Quid hic diceris priuari imò & publici Missarij? &c. *Item*: Hi enim proximè omnium hanc Cœnam Christi repræsentant, quia accipiunt, gratias agunt, frangunt & dant alijs, ipsi ministri eorum, sicut Christus factus minister non sibi accipit, sed alijs ministrat. Hi verò qui celebrant, quid faciunt? Simulant fractionem hanc, dum in tres partes hostiam partiuntur, & vnam viuentibus, vnam defunctis, vnam

vnam beatis deputant: Scilicet egregij distributores, qui beatis adhuc necessariam fidem & promissionem faciunt. Sed quid aliud nugarentur, postquam vsum fractionis aboleuerunt. Deinde nullis distribuunt, sed sibi solis vniuersas partes sumunt, alijs auferunt. Confer nunc istos Antichristos cum Christo. Ille frangit & partitur in multos, & partitum distribuit, isti contra per omnia nullis frangunt, & sibi solis sumunt, nisi quòd simulant quandam fractionem. Et vbi manet verbum Christi, Hoc facite? *&c.*

Lutheri discipulorum sententia de Fractione panis.

Progressu verò temporis discipuli Lutheri, qui tamen ipsum sequi in omnibus videri volunt, contentionis studia, panis fractionem inter adiaphora retulerunt: quibus respondimus primâ parte Historiæ Sacramentariæ fol. 395. & seq. Ipse quoque Lutherus dicto loco dicit, Ea saltem libera esse, quæ in Christi institutione non inueniantur. *At fractio panis in institutione Christi inuenitur, & ab Euangelistis, sicut etiam à Paulo, singulari diligentiâ annotatur. Adhæc Lutherus in supra citatis verbis, disertè, contra discipulos, mandatum Christi,* Hoc facite, *non solùm ad distributionem, sed etiam ad fractionem refert:* Confer, *inquit*, nunc istos Antichristos cum Christo. Ille frangit, & partitur in multos, & partitum distribuit. Isti contra per omnia nullis frangunt, & sibi solis sumunt, nisi quòd simulant quandam fractionem. Et vbi manet verbum Christi? *Ergo secundùm Lutherum quaque Fractio panis in vsu Cœnæ non est res libera, seu indifferens, sed necessaria: & proinde non rectè faciunt, qui eam è Cœna Domini reijciunt & explodunt. Ac docet nos sanè historia Ecclesiastica fides, demum post abrogatum hunc sacrum Cœnæ ritum, Transubstantiationis portentum Ecclesiam inuasisse.*

Lutherus mutat suã sententiam de Fractione panis.

Anno verò 23. in libello ad Waldenses in Bohemia, Lutherus Fractionem panis in Cœna pro Distributione vsurpat, his verbis: Fractio panis est distributio corporis Christi. *Et in libro contra Cælestes Prophetas in loco Pauli 1.Cor.11.* Hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur, *Frangendi verbum eodem modo interpretatur. Sic enim scribit:* Brechen ist hie nicht anders / dann daß der leyb außgeteilet wirt / in die gemeine / wie man sonst brot bricht oder außteilet in die gemeine. Das nicht noht ist hie zu trewmen wie Christus leyb hie im Brot geradebrochen werde / sondern ist genug / daß er gebroch en / das ist / außgeteilet wirt in allen stucken vnd particklen des Brots gantz / vnd volkommen.

Lutheri sana doctrina de persona Christi.

Rectè etiam Lutherus docuit de persona Christi extra certamen Sacramentarium, in quo postea aliquid humani de hoc ipso quoque articulo interdum passus est: & quidem multò rectiùs de ea docuit, quàm eius discipuli, Brentius, Schmidlinus & alij. Nam in libello de postremis verbis Dauidis, de vtraque natura in Christo sic scribit: Quòd si credis & intelligis, Christum verum esse Deum & hominem, quemadmodum Scriptura nos docet, tum caue, ne personam Christi diuidas, neque vtramque naturam, hoc est, Diuinitatem & humanitatem, commisceas in vnam essentiam, sed naturas distingue, & personam integram serua. Nam hic impegerunt multi scioli, qui vel Diuinitatem & humanitatem vnam naturam esse, vel duas personas constituere voluerunt, sicut Nestorius & Eutyches fecerunt, Age, sine istos sciolos suo iudicio ad satietatem vsque perfrui: tu autem firmiter in Christiana fide permane, quæ nos in sacra Scriptura docet, Iesum Christum verum esse Deum, & Dei Filium, adhæc etiam verum hominem, Dauidis & Mariæ filium: Non tamen duos filios, duos homines, vel duas personas, sed vnicum filium, & vnicam personam, in duabus naturis, Deitatis & humanitatis. Quemadmodum enim in Diuinitatis articulo cauere debes, ne tres personas in vnam confundas, vel essentiam diuinam diuidas in tres Deos, sed tres distinctas personas in vna diuina essentia retineas; Ita similiter cauere debes, ne vnicam personam discerpas in duas, vel duas personas in vnam commisceas, sed duas distinctas naturas in vnica persona serues. Sicut etiam ambæ naturæ in vnica persona coniunguntur, sic coniungentur etiam nomina naturarum in vna illa persona, quod Latini Communicationem Idiomatum vel proprietatum appellant. Exempli gratia: Homo Christus dicitur natus ex virgine & crucifixus à Iudæis: Hoc nomen etiam Filio Dei tribui debet, & dici: Deus est natus ex Maria & crucifixus à Iudæis: Deus enim & homo vna sunt persona, nec duo sunt filij, vnus Dei, alter Mariæ, sed vnicus est Filius Dei & Mariæ. *Ibidem ad locum Dan. 7. c.* Nos Christiani, *inquit*, ex Nouo Testamento illuminati, confitemur, Christum duas habere naturas in vna indiuisa persona. Vnus enim est Christus, non duo iuxta Nestorij deliria. Secundùm primam natiuitatem, seu naturam diuinam, non temporaliter, sed ab æterno à Patre accepit æternam potestatem, seu Diuinitatem, & Pater ei dedit eam totam & perfectam, quemadmodum ipse habuit eam ab æterno. Non sic eam dedit ei, quòd ille seipsum priuârit ea, sed eam potestatem, nec aliam,

quam

quam ab æterno perfectam & totam habuit, & in æternum seruabit, Filio quoque dedit. Non enim sunt duæ Diuinitates, sed vtriusque personæ est vna eademque Deitas: ideoque Isa. 42. rectè dicitur, Ego sum Dominus, & gloriam meam alteri non dabo. De hoc Christus etiam loquitur Ioh. 16. c. Omnia quæ Pater habet, mea sunt: propterea dixi illum de meo acceptutum, &c. Non dicit, Pater nil ampliùs habet, ego solus omnia habeo: vel, Pater solus omnia habet, ego verò nihil: Sed, Pater omnia habet: quæcunque autem habet etiam mea sunt. Quod perinde est ac si diceret, Pater & Filius vnam eandemque Diuinitatem habent, Ioh. 5. Sicut Pater habet vitam in seipso, sic dedit & Filio habere vitã in seipso. Et sicut Pater excitat mortuos & viuificat, ita & Filius quos vult viuificat, vt omnes honorent Filium, prout honorant Patrem. Hæc omnia dicta sunt de prima, æterna & diuina generatione. *Hac Luth. Ex quibus intelligimus, iuxta diuinam naturam intelligendum esse*, Omnia quæ habet Pater mea sunt. *Item*, Filius vitam in seipso habet. *Rursus ibidem*: Secundùm alteram & temporalem hominis natiuitatem, etiam data est Christo æterna Deitatis potestas, sed temporaliter & non ab æterno: quia non vt Diuinitas, ita quoque humanitas Christi ab æterno fuit. Verùm eo ipso momento, quo Diuinitas & humanitas Christi in vnitatem personæ coniungi cœperunt, homo filius Mariæ est & dicitur omnipotens & æternus Deus, cuius est potestas, qui omnia creauit & sustentat per communicationem idiomatum, quatenus vna cum Deo persona & verus Deus est. De hac potestate loquitur Matt. vltimo: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra: cui? mihi? Mihi, inquam, Iesu Nazareno, Mariæ Filio, & homini nato. Ab æterno habui eam à Patre, antequam essem homo, sed homo factus temporaliter eam accepi, secundùm humanitatem. *Hac ex libello de postremis verbis Dauidis: cuius si scopum consideremus, Lutherus hoc potissimùm in eo vult agere, vt Iudæos confutet, negantes Christi crucifixi Deitatem. Quorsum ergo, quæ ibi pro defendenda Deitate dicuntur, ad naturam assumptam Vbiquitarij hodie detorquent? Certè Lutherus disertis ibidem verbis affirmat*, dici Filium Mariæ omnipotentem, quatenus est verus Deus. *Sed non est verus Deus ratione carnis assumpta. Ergo nec secundùm hanc omnipotens est. Deinde eadem ratione de Filio Mariæ prædicari testatur quòd sit omnipotens, & quòd sit æternus, atque creator omnium, per communicationem videlicet Idiomatum, hoc est, quatenus vna cum Deo persona, & verus Deus est, sicut ipse expressè loquitur. Sed humanitas nec æterna, nec creatrix dici verè potest. Ergo nec omnipotens. Eadem enim ratio est vtriusque propositionis, & eodem modo vera sunt ambæ: Filius Mariæ est æternus & Creator: Et Filius Mariæ est omnipotens. Sic idem Lutherus perpetuò à sessione ad dexteram Patris argumentatur pro diuina in Christo natura, quod merum hominem ad tantam euehi dignitatem impossibile sit. Vnde etiam historiam Conceptionis enarrans, memorabilem hanc sententiam edidit*: Regnum æternum huic personæ datur, quod est impossibile dari homini puro. Quia solius Dei est, esse Regem sine fine. *Hinc colligo, Si solius Dei est, possidere regnum æternum, adeò vt homini puro illud dari impossibile sit: Ergo non tantùm humana Christi natura datur, sed potiùs ipsi Christo datur, vt Deo incarnato, seu personæ missæ.*

Homini Christo æterna potestas Dei data, non quòd humanitas diuinitati similis sit facta, sed quòd cum Diuinitate in vnam personam cõiuncta sit. Item, quomodo intelligi debeat, homini Christo datum esse, vt omnipotens & æternus Deus sit: Et, quòd creator & conseruator rerum omnium sit: nempe non per confusionem aut exæquationem naturarum, sed per communicationem idiomatum.

In Postilla Oeconomica de festo Ascensionis sic scribit: Spiritus sanctus docet nos, Christum non mansisse in terra, sed in altum ascendisse. *Item*, Christus etiam post resurrectionem habuit verum corpus, carne & ossibus constans, & quod palpari potest: *Item*: Christum ideo in cœlos ascendisse, & ad dexteram Dei consedisse, vt iuxta Pauli testimonium omnia impleret; hoc est, omnia nobis impertiret & donaret ad salutem & vitam æternam necessaria. *Et alibi*: Vt omnia impleret, *inquit*, id est, vt omnia in omnibus rebus operetur, & sine ipso nil agatur, dicatur, aut cogitetur. *Vtramvis interpretationem eligas, carnis Christi omnipræsentia, nunquam bona conscientia extorqueri poterit.*

Item in concione in Dominicum diem Natali Christi proximum, in hac verba Luc. 2. Puer autem crescebat, &c. Finxerunt, *inquit*, argutuli quidam nouum fidei articulum, Christum in instanti, vt loquuntur, conceptionis suæ etiam secundùm hominem fuisse plenum Spiritu & sapientia, adeò vt nihil prorsus in ipsum potuerit postea quouis modo immitti, quasi anima eius fuerit in modum vtris, quem ita impleas, vt nihil præterea queat in se recipere. Nesciunt planè isti & quid loquuntur & quid affirmant. *Et mox*: Amplectamur igitur verba Euangelistæ, & ea quàm simplicissimè de Christi humanitate intelligamus, quę Deitatis instrumentum & veluti domus quædam fuit, plena semper Spiritu Dei. At is non semper similiter eam mouit, sed alia atque alia ratione secundùm diuersitatem negotiorum & occasionum rem Patris agendi. Ita, licèt nunquam ei abfuerit Spiritus

Ecce vt Lutherus eorum errorem refutet, qui fingunt, humanitatem Christi ab vtero matris diuinitati potentiâ, sapientiâ, & omnibus Deitatis proprietatibus exæquatam fuisse. Non dicit Lutherus Subitò, ...

omniscientia in humanitate latens, sed Spiritus operatus est, per quem λόγος in carne fuit efficax. Dona Spiritus reipsa in humanitate crescebant. Differunt autem dona illa ab Idiomatis, quae neque incrementum neque augmentum sumunt.

Spiritus S. sicut corpus eius per incrementa temporis succrescebat, & rationis vsus quotidie reddebatur auctior pro modo naturae, vt & alijs hominibus euenit, ita & spiritus continuò penitus illi sese immisit, mouitque illum pro aetatis ratione potentiùs & ad plura. Neq; enim figmētum est quod Lucas ait, Corroborabatur spiritu, sed, vt verba sonant, ita simplicissimè quoque res euenit, vt quantum accessit aetatis, tantum & magnitudinis, quantum verò magnitudinis, tantum & rationis, vtque ratione auctior, ita & spiritu euasit robustior & sapientiâ plenior coram Deo in seipso, & coram hominibus: neque verba haec opus habent aliâ glossâ, sed haec huius loci naturalis intelligentia, & sine periculo & Christiana est. *Et mox:* Quum sit ita comparatum, vt omnes homines augeantur corpore, ratione, spiritu & sapientiâ, neque sit qui aliter se habeat, voluit Lucas hic de Christo illud praedicare, quod Paulus scripsit Phil. 2. Christum se inaniuisse, &c. nempe Christum ad eundem modum sese habuisse, & cum tempore etiam aliarum rerum incrementa accepisse, sed accepisse praestantiùs alijs, eò quòd ingenio fuerit nobilior & diuinis dotibus opulentiùs alijs ornatus. Hoc pacto nihil erit difficile in verbis Lucae, modò arceantur argumentorum istorum subtiles nugae. *Quid potest clariùs afferri ad commentum Vbiquistarum de carnis Christi omniscientia euertendum, quàm haec ipsa Lutheri verba, quae omniscientiam illam non carni, sed Diuinitati Christi apertè tribuunt. Et non quidem omniscientiam, sed dona, data carni Christi per gratiam habitualem, creuisse in Christo, quoad humanitatem affirmant.*

Ad Euangelium verò in Natali Christi, Luc. 2. inquit: Hoc propterea dico, vt fundamentum fidei nostrae teneamus, & credamus, Christum verum esse hominem, nobis per omnia, excepto peccato similem. *Nota, quòd Lutherus dicit, fundamentum fidei nostrae esse, vt Christus non tantùm Deus, sed etiam verus homo sit.*

Rursus in Postilla maiori in Concione de Natali Christi scribit: Haec hominis vox est, Pater maior me est, Ioh 14. Et Mar. 13. De die hoc nemo scit, non Angeli, neque Filius quidem, sed solus Pater. Vbi quidam intempestiuam enarrationem afferunt, dicentes: Filius nescit, id est, non vult scire. Christus verus homo fuit. Quare vt alius verus, sed sanctus homo, secundùm humanitatem, non quolibet tempore cogitauit, dixit, voluit, intellexit omnia: Sicut imperiti quidam Omnipotentem ex eo hominem faciunt, permiscentes duas naturas, & opera earum imprudenter. Sicut enim non quolibet tempore omnia vidit, audiuit, atque sensit: ita etiam corde non omnia semper agnouit, sed quantum illum duxit, ac docuit Deus. *Ex his Lutheri verbis haec quatuor contra Vbiquitarios modernos colliguntur. 1. Quòd Christus secundum humanam naturam non sit omniscius, nec omnipotens. 2. Quòd falsus sit dispensationis praetextus, quo Vbiquistae dicunt, Christum secundùm humanam naturam statim à conceptionis momento verè in sese participem fuisse omnium proprietatum Diuinitatis, nisi quòd haec participatio ad tempus fuerit obtecta, neque communicatam illam maiestatem carni suae Christus exercere voluerit. Negat enim Lutherus, Christum tempore infirmitatis, quatenus verus homo fuit, idcirco nesciuisse aliquid: Quia quatenus homo fuit, non fuit omnipotens, & proinde non omnia corde agnouit. Ideo apertè reijcit illud glossema:* Nescit, id est, potest quidem, sed non vult scire. *3. Quòd non tantùm naturarum substantiae, sed ipsa etiam earundem proprietates & operationes sint distinguenda. Ergo Diuinitatis proprietates & actiones humanitati in sese considerata, tribui non debent, secundùm Lutherum. 4. Quòd naturas permisceant, quicunque Christum secundùm humanitatem faciant omnipotentem. Propterea enim reprehendit eos Lutherus, qui ex Christo faciunt hominem omnipotentem, quòd naturas permisceant. Quare cùm duae Christi naturae etiam in gloria & maiestate, sint & maneant impermixtae: sequitur ex Lutheri sententia, humanae naturae etiam glorificata omnipotentiam tribui non oportere. Qui verò ei hanc tribuunt, id est, Christum secundùm vtramque naturam faciunt omnipotentem, naturas apertè confundunt. Hoc diligenter obseruetur contra eos, qui distinctione inter statum humiliationis & exaltationis, hoc Lutheri dictum eludere solent. Cur enim magis necesse esset Eutychianam σύγχυσιν & σύγκρασιν Diuinitatis & humanitatis fieri per communicationem realem omnipotentiae in statu humiliationis, quàm in statu gloriosae exaltationis? Frustra igitur Lutherum ibi de Christo humiliato loqui Vbiquitarij excipiunt.*

Rursus in eadem concione: Credere nos oportet, Christum non tantùm secundùm Diuinitatem supra omnia esse, sed etiam iuxta humanitatem, sic, vt Christo homini omnes creaturae subiectae sint. Ipse omnia creat, tanquam Deus, sed tanquam homo nihil creat, & tamen omnia ei subiecta sunt.

Item: Scriptura pulchrè personam cum natura iungit, ac rursum naturas nequaquam confundit; vt pauci sint (quod humanis commentis debemus, quibus aetatem

tem nostram attriuimus & ingenium corrupimus) qui id rectè percipiant, vt ipse profectò persæpe in his & similibus locis errauerim, & naturæ tribuerim, quod competit personæ, & contrà, vt in illo loco Pauli Phil. 2. hodie posset alicui vsu venire, vbi dicit, Tametsi in forma Dei esset, &c. Quòd in forma Dei fuisse prædicatur, certè Diuinitatem indicat, item quòd se exinaniuisse dicitur. Porrò exinanitio & serui forma, quid aliud quàm humanitatem testantur?

In eadem concione, super illud, Sedit ad dexteram maiestatis in excelsis. Hæc, *inquit*, iuxta humanam naturam dicta sunt, in qua etiam peccata expurgauit, sic tamen, vt credamus Filium Dei id fecisse, nec personam diuidamus propter naturarum distinctionem. Sic verum etiam est, Filium Dei sedere ad dextetam maiestatis, licèt hoc solùm secundùm humanitatem fiat, nam secundùm Deitatem ipse quoque est Maiestas cum Patre, ad cuius dexteram sedet. *Et mox*: Ad dexteram maiestatis sedere, est similis maiestati esse. Vbicunque igitur de Christo scribitur, quòd ad dexteram Dei sedeat, ibi probatur, quòd verus Deus sit, quoniam Deus nulli similis est, quàm ipsi Deo. Licèt igitur rectè dicatur, Hominem Christum sedere ad dexteram Dei, perinde tamen est ac si dicatur, ipsum esse verum Deum, iuxta Psalm. 110. Dominus dixit Domino meo, Sede ad dexteram meam, &c. Hoc est, Christo dixit, qui homo est: Sis mihi similis: id est, non tantùm homo, sed etiam Deus agnosci debes. Et Ps. 8. Tu subiecisti pedibus eius omnia opera manuum tuarum: hoc est, Ipsum similem tibi fecisti, non quòd nunc demum inceperit Deus esse, sed quòd homo antea non fuerit Deus, & Deo similis. Nam quum primùm homo cœpit fieri, homo ille cœpit quoque Deus esse.

In libro de Concilijs prolixè docet, Negantur proprietates, negare naturam ipsam. Nos Christiani, *inquit*, debemus Idiomata duarum naturarum in Christo, personæ omnia tribuere. Veluti, Christus est Deus & homo in vna persona, ideo quod de eo tanquam homine dicitur, de Deo quoque dici oportet: nempe, Christus est mortuus, & Christus est Deus, ideo Deus mortuus est: non Deus separatus, sed Deus coniunctus cum humanitate: nam de separato Deo vtrumque falsum est, videlicet, quòd Christus Deus sit, & quòd Deus mortuus sit: Sic enim Deus non est homo. Quod si Nestorio mirum videtur, Deum mori, meminisse debebat, mirum etiam esse, Deum hominem fieri. Sic enim immortalis Deus id fit, quod mori, pati, & omnia humana Idiomata habere oportet. Quid enim esset homo ille, cum quo Deus sese personaliter vniuit, si non haberet vera humana Idiomata? Necesse esset ipsum esse phantasma, sicut Manichæi docuerunt. Contrà, quicquid de Deo dicitur, homini quoque tribui debet; nempe, Deus mundum creauit, & est omnipotens: Homo Christus est Deus, ergo homo Christus mundum creauit & est omnipotens. Ratio: Quia vna persona ex Deo & homine facta est, ideo persona retinet vtriusque naturæ Idiomata. *Super Hebr. 1. ca.* Humanitas Christi, sicut alius sanctus & verus homo, non semper omnia cogitauit, loquuta est, voluit, intellexit, quemadmodum aliqui omnipotentem (& sic etiam omniscium) hominem (scilicet quatenus homo est) ex eo faciunt: commiscentes imprudenter duas naturas & earum operationes. *Item*: Sicut non semper omnia vidit, audiuit & sensit; ita etiam corde non semper omnia respexit, sed sicut Deus ipsum rexit. Plenus gratiæ & sapientiæ fuit, de omnibus iudicare potuit ac docere, quòd Diuinitas, quę sola omnia videt & nouit, in eo personaliter & præsenter erat. *Non dicit Lutherus, quòd humanitas personaliter, id est, ex vnione personali, vt Vbiquistæ faciunt, acceperit in se maiestatem omniscientiæ, quam δυνάμει secum quolibet tempore possederit: Sed disertè ait,* SOLAM Diuinitatem omnisciam.

In Enarratione cap. 53. Isaiæ, anno 1544. edita, luculentissimis & apertissimis verbis declarat suam de Communicatione Idiomatum sententiam, & simul refutat figmentum de duplici Communione, verbali & reali; vnà cum vanissima Regula, Quòd tantùm diuina natura humanæ suas communicet proprietates, nihil autem è contra ab humana accipiat: Item, quòd dicitur, Communicare persona, idem esse, quod vnius naturæ proprietates in alias effundere, &c. Hæc, inquam, noua & portentosa dogmata modernorum Vbiquitariorum his verbis solidè refutat Lutherus. Vtrumque verum est, *inquit*, Christus est verus Deus (brachium Domini) & tamen seruus miserrimus, sicut illud Rom. 1. Est semen Dauidis, & tamen Dei Filius, Dauidis quidem in infirmitate & humilitate carnis, Dei verò in virtute. Sic declaratur per Spiritum sanctum post resurrectionem suam. Mira certè locutio est, brachium Domini & seruus, id est, Filius Dei Messias est sublimis, exaltatus, non tantùm in cruce à terra, sed & ad dexteram Dei æterni Patris, sic, vt sit ipsum brachium Domini & dextera Dei, per quam

Deus

Agnitio duarum naturarum in Christo clavis est Scripturæ.

Deus omnia fecit, ac facit potenter, eduxit filios Israel ex Ægypto, cibavit Mannâ in deserto 40. annis Israelitas. Hæc est sapientia Christianorum. Iudæi offenduntur in conjunctione naturarum. Hæc diligenter inculcanda & credenda sunt, cùm aperitur Scriptura: Aliàs enim nemo cogitet unquam, quòd possit intrare in penetralia & secreta Scripturæ, excluso illo brachio Domini, incarnato Deo.

Constituto autem, quòd Filius Dei & Davidis sit unus, non duo filii, tota Scriptura patet, quia de uno tantùm loquitur. Ergo quatenus est naturalis filius Davidis, seu secundùm naturam hanc assumtam, vocatur tota persona servus. Non enim distrahenda & dividenda est persona Filii Dei & Davidis: Sed debemus credere & confiteri, quòd illæ duæ naturæ sunt unus filius, quia sunt iam unitæ unione hypostaticâ. Est enim verè unus Filius, quia est una persona, ut Angelus Luc. 1. dicit: Quod nascitur ex te (muliere scilicet virgine) Filius Altissimi vocabitur. Tuus quidem Filius erit, nascetur enim ex te: concipies, & paries eum tuo utero: sed iste Filius tuus, sive hoc ipsum, quod ex te naturâ est, vocabitur Filius Altissimi. Sic 1. Cor. 2. Si cognovissent Dominum gloriæ non crucifixissent. Paulus clarè ait, non Filium Mariæ aut Davidis crucifixum tantùm, sed Dominum gloriæ, id est, Dominum gloriosum. Et ad Hebr. 6. Crucifigentes Filium Dei. Ergo caveamus Nestoriana & Suvenckfeldiana deliria, quæ personam distrahunt, & faciunt duos filios, & teneamus firmiter, non esse duos filios, sed unum Filium.

Cur Scriptura naturarū appellationes & proprietates tribuat personæ.

Quid sit Communicatio idiomatū Luthero.

Porrò autem, Patres hoc *Communicationem Idiomatum* appellârunt, quòd communicet suas proprietates utraque natura illi personæ, quæ est Filius Dei. Humana communicat illi personæ, quæ est Filius Dei, & Divina natura ei, quæ est Filius Mariæ. Quod accidit huic, qui est Filius Dei, dicitur accidisse Filio virginis, & è contrà, ut Iesus Nazarenus est Filius virginis, & simul Dei, in unitate personæ, id est, unâ unione duarum naturarum: ut rectè dicatur: Hic homo condidit stellas, Deus vagit in cunis: & homo creator & gubernator Angelorum, qui sugit ubera matris, qui creavit omnia, iacet in præsepio. Sic Spiritus sanctus servavit Ecclesiam in hoc articulo, qui quidem præcipuus est in nostra religione, ut Psalm. 8. pulcherrimè dicitur: Quid est homo, & Filius hominis; quòd visitas illum? O quàm admirabile est nomen tuum Iesu Christe? Nihil potest unquam cogitari mirabilius, quàm quòd ita desertus à Deo, & tamen constitutus sit Rex super omnia, &c.

Et paulò post: Sic igitur Christus verus est Deus & servus, atque equidem vilissimus omnium peccatorum; Quomodo autem servus? secundùm humanitatem: Nunc autem, quia divina & humana natura copulatæ sunt in unam personam, & Christus revera est Deus & homo, Ideo dicitur etiam Filius Dei servus noster. Ergo rectè & divinitus opinor factum in Grammatica, ut quædam vocabula dicantur concreta, quædam abstracta. Sic rectè dico: Divinitas non patitur, Humanitas non creat: Hîc loquor de abstracto & de separata Divinitate. Sed non hoc faciendum est, non separanda abstracta sunt, alioqui fides nostra falsa est: Sed credendum est in concreto, Ille homo est Deus: Hîc propria & attributa rectè manent. Humanitas non creat, scilicet in Humanitate separata vel seorsim posita, si de ea sola loquimur: Sic econtrà, Divinitas non moritur: Ideo hoc loco de abstracto tacendum est prorsus, quia fides docet: hîc nullam esse abstractionem, sed concretionem conjunctionem & copulationem utriusque naturæ.

Discrimē propositionum in Concreto et abstracto.

Quapropter de hac re loquendum est, ut de Concreto: Filius Dei conservat omnia, Filius virginis conservat cœlum & terram, Filius Dei moritur, patitur, Filius virginis moritur, patitur. Sic loquitur Scriptura, quod diligenter observemus, ut hoc loco servus dicitur exaltari, &c. Nam natura seorsim sumta, est serva, sed eadem est conjuncta cum divina. Ergo eadem persona vocatur Filius, & æqualis Deo in natura humana, non per se vel seorsim, sed in illa concretione, de qua dicuntur omnia. Quæ possunt dici de divina naturâ, dicuntur in concreto & de altera, scilicet unita in unam personam.

Contra divisionem personæ.

Hæc sunt Ipsius Scripturæ, non nostra, qui vocatur brachium Domini, Filius Dei: sed quia est unitus cum natura humana, rectè dicitur ascendere, mori, pati, &c. propter illam unionem. Hæc ubique diligenter considerentur in Prophetis, ubi simpliciter loquitur Scriptura ut de homine, tribuens ei omnia humana, humanas passiones, & quæcunque possunt de ea natura dici, non secundùm abstractionem, sed concretionem. Stultè igitur & ridiculè Nestorius quærit, quomodo Deus potest nasci? Et Diaconus eius clamabat coram populo: Non tu, Iudæe, crucifixisti Filium Dei, quia non potuit crucifigi.

Populus novo ſermone eſt attonitus, cùm hactenus audiviſſet ſuos Epiſcopos ex Scriptura docentes, 1. Cor. 2. Nunquam Dominum gloriæ crucifixiſſent. Hunc Diaconum ſequitur Neſtorius. Sed contra hunc Synodus piè decrevit, verè dici virginem θεοτόκον, ut etiam in ſuperioribus ſcriptoribus legebatur: quia peperit non ſeparatum hominem quaſi ſeorſim ipſa haberet filium, & ſeorſim Deus ſuum Filium: ſed eundem quem ab æterno Deus genuit, peperit ipſa in tempore. Ergo virgo non tantùm eſt mater Chriſti, ut concedit Neſtorius, hoc verbo ornans ſuum venenum, ſed Filii Dei, qui idem paſſus, crucifixus, mortuus eſt, ſicut dicit Angelus: Quod ex te naſcetur, vocabitur Filius Dei. Hoc dico ad confirmandam fidem noſtram contra præſtigias. Neſtorius facit duas perſonas, duos filios, alterum natum ex Virgine, alterum natum ex Deo, cùm dicit: Non crucifixiſti Filium Dei, ſed Filium Virginis. Hoc non poſſumus pati, ſed docemus concretionem & unionem in eandem perſonam & filiationem, quòd idem ſit Virginis & Dei Patris Filius.

Regula, quomodo propria [illegible] naturæ divinæ tribuantur Chriſto homini.

Quidquid ergo de Filio Dei dicitur, idem dicitur de homine, vel humana natura in concreto. Ita hic Propheta cõjungit utrumque, Eſt brachium Dei, & Filius Dei: & tamen ait, aſcendit, quod eſt proprium naturæ humanæ, & nihilominus idem etiam divinæ tribuitur, propter concretionem, quia eſt unum brachium, non duo, & eadem perſona.

Item: Chriſtus etſi eſſet in forma Dei exaltatus, tamen non oſtendit ſe eſſe talem Dominum, qualis erat: creſcebat, & aſcendebat, ut alius homo, & tamen erat Rex regum, Chriſtus gloriæ & Majeſtatis, de quo tota Scriptura dicit, conſtitutum eſſe Dominum omnium, Pſ. 8. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius: Imò etiam Dominus Angelorum, Eph. 1. Quia clarè dicit: Conſtituiſti eum ſuper omnia opera manuum tuarum Alſo ſol ers auch haiſſen/ ſecundùm naturam humanam, ſed tantùm ſecundùm concretionem, ut etiam Angeli omnes adorent, flectant genua illi Filio Virginis, ſugenti ubera, & dicant: Tu es Creator & Dominus.

Chriſtus homo quomodo adorandus.

Ideo puto, Satanam ipſum in principio Alcorani ſeſe prodidiſſe & manifeſtâſſe, cùm ſcribit initio libri, ideo Diabolos protruſos eſſe in infernum, quia noluerint adorare Adam. Hæ ſunt verè voces Diaboli, per Mahometh ſignificantis ſe fuiſſe in cœlo, vidiſſe in Verbo Dei, & ſpeculo Divinitatis, fore, ut aliquando incarnaretur Filius Dei: poſtea illius recordatum, cœpiſſe perſequi hominem ſtatim conditum, quia videbat hanc naturam aliquando adorandam. Hoc detrectabat facere, nimiâ inflatus ſuperbiâ, vidit alios Angelos libenter adoraturos, etiamſi quam inferiorem naturam induiſſet Filius Dei: Sed ipſe præ nimia ſuperbia non voluit ſic humiliari, videtur id ei nimis abſurdum. Ergo rectè dicitur: Naturam humanam adorari non in abſtracto, ſed in concreto, quia eſt una perſona, ut non poſſis adorare Deum, quin adores hominem. Hoc eſt quod dicit: Aſcendit illud brachium ſecundùm naturam humanam.

Lutheranus non idem docuit quod Brentius & Smidelinus de perſona Chriſti.

Hæc omnia ſi conferantur cum iis, quæ Iohannes Brentius in ſuis libris contra Bullingerum, Iacobus Andreas in omnibus ferè ſuis ſcriptis, & alii multi de Perſona Chriſti docuerunt, intelliges, quàm procul diſcipuli à ſui Magiſtri doctrina deflexerint. Improbat enim aperiè Lutherus figmentum Majeſtaticum, effuſionem realem omnium Deitatis proprietatum in carnem, operationes omnes per humanitatem ab incarnationis momento, & ſimilia portenta: quæ iſti pertinaciter aſſerunt ac probant.

Lutherus ſibiipſi diſſimilis in doctrina de perſona Chriſti.

Ipſemet Lutherus quoque in certamine cum Sacramentariis, vincendi ſtudio, ab hac ſua vera & ſana doctrina de Perſona Chriſti nonnihil receſſit. Cùm enim de præſentia corporis Chriſti in Cœna Dominica diſputatio inter Lutherum & Zuinglium orta eſſet, & utrinque libris editis diſceptaretur; Lutherus ut adverſæ parti de veritate corporis Chriſti, aſcenſione in cœlum, & reditu ad iudicium corporali reſponderet, & ſe faciliùs expediret, ad Vbiquitatem corporis Chriſti confugit, atque ex ea confutare adverſariorum argumenta de veritate corporis Chriſti, de aſcenſione in cœlum, & reditu ad iudicium, & ſic tueri corporis Chriſti in Cœna corporalem præſentiam & oralem manducationem voluit, duobus annis, nempe 27. & 28. & duobus ſcriptis, quorum alterum, Quòd hæc Verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum adhuc firma ſtent: *alterum*, Confeſſio magna *vocatur: in quibus multa diverſa ab his, quæ modò ex aliis ejus libris recenſuimus, docet, quæ etiam breviter referemus cùm eò perventum fuerit.*

LITVR-

LITURGIA LUTHERI:

Hoc est,

FORMULA MISSÆ (*ut quidem ab ipsomet Luthero appellatur Tomo 2. Ienensi Lat.*) **ET COMMUNIONIS** *pro Ecclesia Witembergensi à Luthero instituta, Anno Christi* 1523.

PRimò, Introitus Dominicales & in festis Christi, nempe, Paschatis, Pentecostes, Nativitatis, probamus & servamus, quanquam Psalmos mallemus, unde sumpti sunt ut olim, sed nunc sicusui recepto indulgebimus. Quòd si qui Apostolorum, Virginis, aliorumque sanctorum Introitus (quando è Psalmis aut aliis scripturis sumpti sunt) probare volent, non damnemus.

Secundò, Kyrie eleison, ut hactenus celebratum est, variis melodiis, pro diversis temporibus amplectimur, cum sequenti hymno Angelico: Gloria in excelsis, Tamen in arbitrio stabit Episcopi, quoties illum omitti voluerit.

Tertiò, Sequens oratio illa seu Collecta, modò sit pia (ut ferè sunt, quæ Dominicis diebus habentur) perseveret ritu suo, sed ea duntaxat unica. Post hanc, lectio Epistolæ. Verùm nondum tempus est & hic novandi, quando nulla impia legitur, Alioqui cùm rarò eæ partes ex Epistolis Pauli legantur, in quibus fides docetur, sed potissimùm morales & exhortatoriæ, ut ordinator ille Epistolarum videatur fuisse insigniter indoctus & superstitiosus operum ponderator, officium requirebat eas potiùs pro majore parte ordinare, quibus fides in Christum docetur. Idem certè in Evangeliis spectavit sæpius, quisquis fuit lectionum istarum author. Sed interim supplebit hoc vernacula Concio. Alioqui si futurum est, ut vernacula Missa habeatur (quod Christus faveat) danda est opera, ut Epistolæ & Evangelia suis optimis & potioribus locis legantur in Missa.

Quartò; Graduale duorum versuum simul cum Halleluia, vel alterutrum, juxta arbitrium Episcopi cantetur. Porrò Gradualia, quadragesimalia & similia, quæ duos versus excedunt, cantat quisquis velit in domo sua. In Ecclesia volumus tædio extingui spiritum fidelium. Sed nec ipsam Quadragesimam, sive majorem hebdomadam aut sextam feriam pernosam; aliis ritibus ostentare decet, quàm alias quascunque, ne semimissa & altera sacramenti parte Christum ampliùs ludere & ridere velle videamur. Halleluia enim, vox perpetua est Ecclesiæ, sicut perpetua est memoria passionis & victoriæ ejus.

Quintò; Sequentias & Prosas nullas admittimus, nisi Episcopo placuerit illa brevis in Nativitate Christi: Grates nunc omnes. Neque fermè sunt, quæ Spiritum redoleant, nisi istæ de Spiritu sancto: Sancti Spiritus, &, Veni sancte Spiritus, & pauculæ aliæ. Quas vel post prandium, vel sub vesperis, vel sub Missa (si Episcopo placet) cantari licet.

Sextò, sequitur Evangelii lectio, ubi nec candelas, neque thurificationem prohibemus, sed nec exigimus, Esto hoc liberum.

Septimò, Symbolum Nicenum cantari solitum non displicet, tamen & hoc habet in manu Episcopus. Idem de vernacula Concione sentimus, ut nihil referat, sive hic post Symbolum, sive ante Introitum Missæ fiat. Quanquam est alia ratio, cur aptiùs ante Missam fiat: Quòd Evangelium sit vox clamans in deserto, & vocans ad fidem infideles, Missa verò sit usus ipse Evangelii & communio mensæ Domini, quæ duntaxat fidelium est, & seorsim fieri conveniebat. Sed tamen liberos vos ratio ista non ligat; præsertim quòd omnia, quæ usque ad symbolum in Missa fiunt, nostra sunt & libera, à Deo non exacta, quare nec ad Missam necessariò pertinent.

Sub Symbolo vel post Concionem apparetur panis & vinum ad benedictionem ritu solito. Nisi quòd nondum constituit mecum, miscenda-ne sit aqua vino, quanquam huc inclino, ut merum potiùs vinum paretur, absque aquæ mixtura, quòd significatio malè me habeat, quam Isaiæ 1. ponit: Vinum tuũ, inquit, mixtum est aqua. Merum vinum enim pulchrè figurat puritatem doctrinæ Evangelicæ. Deinde, quòd pro nobis non est fusus nisi solius sanguis Christi impermixtus nostro, cujus ibi memoriam facimus. Ut non stet illorum somnium, qui dicunt ibi figurari unionem nostri cum Christo, hujus unionis memoriam hìc non facimus. Nec sumus uniti ante eius fusionem, alioqui simul quoque noster sanguis cum sanguine Christi pro nobis fusus celebrabitur. Tamen contra libertatem non introducam legem superstitiosam. Christus hæc non magnopere curabit, nec res digna est contentione, pu-

gnavit satis hanc pugnam stultam, Romana & Græca Ecclesia,ut & alias multas.

Quòd verò aliqui adducunt,è latere Christi fluxisse aquam cum sanguine, nihil probat. Aliud enim illa aqua significat, quàm volunt per hanc mixtam aquam significari, sed nec mixta illa fuit cum sanguine:Figura insuper nihil probat, exemplum autem non constat. Quare ut humanum inventum liberè tractetur.

Apparato pane & vino,mox procedatur ad hunc modum: Dominus vobiscum,Respon. Et cum Spiritu tuo. Sursum corda.Respon. Habeamus ad Dominum.Gratias agamus Domino Deo nostro.Respon. Dignum & justum est. Verè dignum & justum est, æquum & salutare, Nos tibi semper & ubique gratias agere, Domine sancte, Pater Omnipotens,æterne Deus, per Christum Dominum nostrum.Deinde.

Qui pridie quàm pateretur, accepit panem, gratias agens fregit,deditque discipulis suis, dicens: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur.

Similiter & calicem, postquam cœnavit, dicens: Hic calix est Novi Testamenti in meo sanguine, qui pro vobis & pro multis effunditur in remissionem peccatorum. Hoc quotiescunque feceritis,in mei memoriam faciatis.

Hæc verba Christi velim modica post præfationem interposita pausa, in eo tono vocis recitari,quo canitur aliàs Oratio Dominica in Canone, ut à circumstantibus possit audiri, quanquam in his omnibus libertas sit piis mentibus,vel silenter, vel palàm ea verba recitare.

Finitâ benedictione, Chorus cantet Sanctus, & sub cantu Benedictus,eleventur panis & calix,ritu hactenus servato,vel propter infirmos, qui hac repentina hujus insignioris in Missa ritus mutatione fortè offenderentur, præsertim ubi per conciones vernaculas docti fuerint, quid eâ petatur elevatione.

Post hæc legatur Oratio Dominica: Oremus,præceptis salutaribus moniti,&c.omissa oratione sequenti: Libera nos quæsumus, cum omnibus signis, quæ fieri solent super hostiam, & cum hostia super calicem, nec frangatur hostia, nec in calicem misceatur. Sed statim post orationem Dominicam dicatur: Pax Domini,&c. quæ est publica quædam absolutio à peccatis communicantium, Vox planè Evangelica, annuncians remissionem peccatorum unica illa & dignissima ad mensam Domini præparatio,si fide apprehendatur,non secus atque ex ore Christi prolata. Vndè vellem eam annunciari ad verso populum vultu,quemadmodum solent Episcopi,quod unicum est vestigium Episcoporum priscorum in nostris Episcopis.

Deinde communicet tum sese, tum populum, Interim cantetur Agnus Dei. Quòd si orationem illam: Domine Jesu Christe Fili Dei vivi, qui ex voluntate Patris, &c. ante sumptionem orare voluerit, non malè orabit, mutato solùm numero singulari in pluralem,nostris & nos,pro meis & me. Item & illam: Corpus Domini, &c. Custodiat animam meam vel tuam in vitam æternam. Et sanguis Domini nostri, &c. Custodiat animam tuam in vitam æternam.

Si communionem cantari libet, cantetur.Sed loco Complendæ seu ultimæ Collectæ quia ferè sacrificium sonant, legatur in eodem tono oratio illa: Quod ore sumsimus Domine. Poterit & illa legi: Corpus tuum Domine quod sumsimus, &c. mutato numero in pluralem, Qui vivis & regnas, &c. Dominus vobiscum,&c.Loco,Ite Missa, dicatur:Benedicamus Domino, adjecto (ubi & quando placet) Halleluia in suis melodiis,vel ex vespertinis, Benedicamus,mutuentur.

Benedictio solita detur, vel accipiatur illa Num. 6. quam ipse Dominus digessit, dicens: Benedicat nos Dominus & custodiat nos, Ostendat nobis faciem suam, & misereatur nostri, Convertat Dominus faciem suam ad nos, & det nobis pacem. Vel illa Psal. 96. Benedicat nos Dominus Deus noster, Benedicat nos Deus, & metuant eum omnes fines terræ, Amen. Ejusmodi credo & Christum usum fuisse, cùm in cœlum ascendens, suos discipulos benedixit.

Et hîc quoque liberum sit Episcopo, quo ordine velit utramque speciem vel sumere, vel ministrare,poterit enim utrumque nempe,panem & vinum continuò benedicere, antequam panem sumserit: vel inter benedictionem panis & vini statim sese & quotquot voluerint,pane communicare.Deinde vinum benedicere,ac demum omnibus bibendum dare: Quo ritu,Christus usus videtur fuisse, ut verba Evangelii sonant, ubi manducare jussit panem,antequam calicem benediceret.Deinde expresse dicit: Similiter & calicem postquam cœnavit. Vbi post manducationem primum calicem esse benedictionum sentias.Sed ritus hic nimis novus, non patietur ea fieri,quæ hactenus post benedictionem diximus, nisi & ipsa mutentur.

Sic

Sic de Missa sentimus: In quibus omnibus cavendum est, ne legem ex libertate faciamus, aut peccare cogamus eos, qui vel aliter fecerint, vel quædam omiserint, modò benedictionis verba sinant integra, & fide hic agant. Christianorum enim hi debent esse ritus, Id est, filiorum liberæ, qui sponte & ex animo ista servent, mutaturi quoties & quomodo voluerint. Quare non est, ut necessariam aliquam formam velut legem in hac re quispiam vel petat vel statuat, quâ conscientias illaqueet & vexet. Vnde & in priscis Patribus & Primitiva Ecclesia nullum exemplum legimus ritus hujus plenum, nisi in Romana Ecclesia. Sed nec servandum esset, si quidquam pro lege in hac re sanxissent, quòd legibus hæc obstringi nec possint nec debeant.

Deinde si etiam diversi diverso ritu utantur, nullus alterum vel judicet vel contemnat, sed unusquisque sensu suo abundet, & idem sapiamus ac sentiamus, etiamsi diversa faciamus, & uniuscujusque ritus alteri placeat, ne ad diversitatem rituum diversæ sequantur opiniones & sectæ, quemadmodum sub Romana Ecclesia contingit. Externi enim ritus, etsi iis carere non possumus, sicut nec cibo nec potu, non tamen nos Deo commendant, sicut nec esca Deo nos commendat. Fides autem & charitas, nos Deo commendant. Quare hic regnet illud Pauli: Non est regnum Dei esca & potus, sed iustitia, pax & gaudium in Spiritu sancto. Ita nec ritus ullus est regnum Dei, sed fides intra vos, &c.

Vestes præterivimus. Sed de his, ut de aliis ritibus, sentimus. Permittamus illis uti liberè, modò pompa & luxus absit. Neque enim magis places, si in vestibus benedixeris. Neque enim vestes etiam nos Deo commendant. Sed nec eas consecrari velim, aut benedici, velut sacrum aliquod futuræ sint præ aliis vestibus, nisi generali illa benedictione, quâ per verbum & orationem omnis bona creatura Dei sanctificari docetur, alioqui mera superstitio & impietas est per abominationes Pontificis introducta, sicut & alia.

Hæc de Missa & officio Ministri seu Episcopi dixerimus, nunc de ritu communicandi populi dicemus, cujus gratiâ potissimùm Cœna ista Domini Instituta est, & eo nomine vocatur. Vt enim longè absurdissimum est, Ministrum verbi sic desipere, ut verbum publico ministerio pronunciet, ubi nullus est Auditor, & sibi soli inter saxa & ligna, aut sub divo clamet: Ita perversissimum est, si Ministri publicam Cœnam Domini parent & ornent, ubi nulli sint hospites, qui edant & bibant, & ipsi soli, qui aliis ministrare debent, in vacua mensa & aula comedant & bibant. Quare si verè Christi institutum amplecti volumus, nulla debet Missa privata relinqui in Ecclesia, nisi toleretur & hic infirmitas ad tempus.

Hic autem servandus est ritus, qui in Baptismo servatur, nempe, ut Episcopo primùm significetur, qui futuri sint communicantes, petantque ipsi Cœnâ Domini communicari, ut eorum & nomina & vitam cognoscere queat. Deinde petentes non admittat, nisi rationem fidei suæ reddiderint, & interrogati respoderint, an intelligant, quid sit Cœna Domini, quid præstet, quo usu illâ velint potiri.

Arbitror autem hanc interrogationem seu explorationem sufficere, si semel in anno fiat cum eo, qui petit communicari. Quin poterit tam intelligens esse, qui petit, ut vel semel in tota vita vel prorsus nunquam interrogetur. Nam hoc ritu illud cavere volumus, ne irruant ad Domini Cœnam, digni & indigni, sicut hactenus vidimus fieri sub Romana Ecclesia, ubi nihil quæsitum est aliud, quàm communicari. De fide, de solatio, & de toto usu & fructu Cœnæ prorsus ne mentio quidem aut cogitatio fuit: Quin & ipsa verba benedictionis scilicet ipsum panem vitæ absconderunt, ingenti studio, imò summo furore id agentes, ut communicantes opus operarentur bonum suâ dignitate, non autem fidem alerent & roborarent Christi bonitate. Nos autem eos, qui respondere non poterunt juxta prædicta, prorsus exclusos & alienos volumus istius Cœnæ communione, tanquam veste nuptiali carentes.

Deinde, ubi Episcopus viderit eos intelligere hæc omnia, etiam hoc observabit, an vitâ & moribus eam fidem & intelligentiam probent. Nam & Satan hæc omnia intelligit & loqui potest. Hoc est: si viderit aliquem scortatorem, adulterum, ebrium, luforem, usurarium, maledicum, aut alio crimine manifesto infamem, prorsus ab hac Cœna excludat, nisi manifesto argumento vitam sese mutâsse testatus fuerit. Nam illis, qui aliquando labuntur, & redeunt, dolentque de lapsu, Cœna ista non solùm negari non debet, quin propter eos ipsos maximè institutam esse nosse oportet, ut reficiantur & roborentur, In multis enî offendimus omnes, & onera invicem portamus, & dum mutuò nos oneramus. De illis enim contemptoribus loquor, qui inverecundè &

dè & fine timore peccant, & magnifica nihilominus de Evangelio jactant.

Deinde ubi Missa celebratur, convenit, ut communicaturi seorsim uno loco & una turba constent. Ad hoc enim repertum est altare, repertus est & chorus. Non quòd apud Deum aliquid sit, hìc vel illic stetisse, aut quidquam fidei hinc accedat, sed quòd oporteat eos palàm videri & nosci, tam ab iis, qui communicant, quàm iis, qui non communicant, quò deinde eorum vita quoqoe meliùs videri & probari & prodi possit. Nam hujus communio Cœnæ est pars confessionis, qua coram Deo, Angelis & hominibus sese confitentur esse Christianos. Ideo curandum, ne velut furtim auferant Cœnam, deinde inter alios mixti ignorentur, an bene vel malè vivant. Quanquam ne hìc quidem legem figere velim, sed id solùm monstrare, quod honestum ac decorum sit à Christianis liberis liberè præstari.

Confessio privata approbata à Luthero.

De Confessione verò privata ante communionem sentio, sicut hactenus docui, esse eam scilicet, nec necessariam, nec exigendam, utilem tamen & non contemnendam: Quando nec ipsam Cœnam Dominus necessariò exegerit, aut lege firmaverit, sed cuique liberam permiserit dicens: Quotiescunque hæc feceritis, &c.

Sic de præparatione ad Cœnam hanc sapimus, ut liberum sit jejunio & orationibus sese componere. Sobrios certè oportet adesse, & sedulos ac diligentes, ut maximè nihil jejunes, aut parùm ores. Sobrietatem verò dico, non illam superstitiosam Papistarum, sed ne crapula ructues, & distento ventre pigrescas. Nam optima præparatio est (ut dixi) anima, peccatis, morte, tentationibus agitata, esuriens & sitiens medelam & robur. Verùm quidquid est harum rerum, ad Episcopum pertinet, ut populum doceat.

Id nunc reliquum est, An utramque speciem, ut vocant, populo ministrari oporteat? Hìc sic dico, postquam Evangelium nunc biennio toto apud nos inculcatum est, satis simul indultum & donatum est infirmitati, deinceps agendum est, juxta illud Pauli: Qui ignorat, ignoret: nec enim refert, si neutram speciem accipiant denuò, qui Evangelium tanto tempore non cognoverunt, ne fortè perpetua infirmitatis tolerantia pertinaciam alat, & adversùs Evangelium præscribat. Quare simpliciter juxta institutum Christi utraque species & petatur, & ministretur. Qui hoc noluerint, sinantur sibi: & nihil ministretur ipsis. Nam hanc Missæ formam, iis præmonstramus, quibus Evangelium annunciatum, & aliqua ex parte cognitum est. Qui verò modum audierunt nec cognoscere potuerunt, iis nondum quidquam hujus rei consuli potest.

Cantica velim etiam nobis esse vernacula quamplurima, quæ populus sub Missa cantaret, vel juxta Gradualia, item juxta Sanctus & Agnus Dei. Qui enim dubitat, eas olim fuisse voces totius populi, quæ nunc solus Chorus cantat, vel respondet Episcopo benedicenti? Possunt verò ista Cantica sic per Episcopum ordinari, ut vel simul post Latinas cantiones, vel per vices dierum, nunc Latinè, nunc vernacula cantarentur, donec tota Missa vernacula fieret.

Sed Poëtæ & Musici nobis desunt, aut nondum cogniti sunt, qui pias & spirituales cantilenas (ut Paulus vocat) nobis concinant, quæ dignæ sint in Ecclesia Dei frequentari. Interim placet illam cantari post communionem: Gott sey gelobet und gebenedeyet/ der uns selber hat gespeyset/ &c. præter hanc illa valet: Nun bitten wir den heiligen Geist. *Item*: Ein kindelin so löbelich/ &c. Nam non multas invenias, quæ aliquid gravis spiritus sapiant. Hæc dico, ut si qui sunt Poëtæ Germanici, extimulentur, & nobis Poëmata pietatis componant.

Atque hæc quidem Martini Lutheri doctrina de Persona Christi & Cœna Domini fuit, ante & post initum certamen cum Carolostadio. Nunc, quæ in Sacramentaria causa, & præsertim Missæ abrogatione ad annum usque Domini 1523. in Saxonia acciderint, paucis referemus.

In Lutheri absentia Witenbergæ Augustinenses Missam privatã abrogant.

Lutherus quum in Comitiis Wormatiensi*bus anno 21. publico decreto à Cæsare proscriptus esset, Fridericus Saxoniæ Elector, è nobilitate nonnullis, de quorum fide compertum habebat, negotium dabat, ut in locum quendam secretiorem, & ab hominum frequentiâ remotum, deducerent Lutherum, vitandi causa periculi: quod quidem summâ diligentiâ & taciturnitate administratum fuit; cumque locum postea* Pathmum *appellare solitus fuit Lutherus. In ejus absentia Augustiniani Monachi, è quorum familia & ipse erat, omnium primi* Witembergæ *intermittere cœperunt Missarum ritum. Quo cognito, Fridericus Princeps admodum solicitus, ne turbas ea res ac majorem aliquem motum excitaret, potius Academiæ sententiam exquiri, & ad se referri jubet. Academia ad eam rem deligit Iustum Ionam, Philippum Melanchthonem, Nicolaum Amstorfium, Andream Carolostadium, Iohannem Dulcium, & Hieronymum Schurfium, ut videre licet Tomo 9. Operum*

Lutheri

Lutheri Witembergen. folio 136. Hi cum Augustinianis collocuti, quid ipsorum esset propositi, his verbis renunciant Principi. Illustrissime Princeps, Domine clementissime, & voce & scripto, Augustiniani, mandato Cels. V. rationem sententiæ suæ nobis exposuerunt, ac intelleximus, his ferè de causis eos Missas priuatas in suo cætu abrogâsse, quas Cels. V. ex hac illorum scheda cognoscet.

Ob quas causas Augustiniani Missas priuatas Witebergæ abrogârint.

Principio, postquam vbique gentium adeò inualuit Missarum perniciosus & impius abusus, tam apud sacris initiatos, quàm profanos homines, vt euelli nequeat ex animis tam insita penitus opinio, videlicet, quòd Missa sit tanquam bonum opus, quo placaturi sint Deum λύτρον, seu precium illi offeramus pro peccatis nostris & aliorum: idque adeò, vt sacrificulus, viuens in proposito mortalis peccati, salubriter & fructuosè putetur eam cæteris applicare. Propterea Augustiniani intermiserunt Missæ celebrationem, cùm talia Missarum spectacula sint reipsa neruus, basis & fons horum abusuum, cupiunt per eam occasionem verum & sincerum vsum Cœnæ Domini à Christo & Apostolis traditum, obseruatumque adiutore Deo, restituere.

Secundò, priuatæ Missæ, quales hodie fiunt, apertè pugnant cum institutione atque obseruatione Christi & Apostolorum. Nam Christus vt minimùm duodecim Apostolis multis vnà distribuerunt, nec vnquam vnus priuatim seipsum communicâsse legitur. Hinc etiam Paulus priuatas Cœnas Corinthijs prohibet, cùm inquit 1. Cor. 11. Quoties conuenitis ad manducandum, &c.

Tertiò, Christus vtramque partem, hoc est, integrum Sacramentum dari iussit, & ordinauit omnibus. Cùm igitur Missæ, quas nostra ætas videt, ita dispositæ sint, vt astantibus vna duntaxat pars Sacramenti exhibeatur, non possunt Augustiniani bona conscientiâ hanc ceremoniam à verbis Christi alienam suo exemplo confirmare.

Academiæ Witebergensis indicium de Missæ priuatæ abrogatione.

De his Augustinianorum articulis, Principi deinde deputati breuiter cogitata sua perscripserunt: videlicet, certissimum esse, inter grauissima omnium & maximè horribilia peccata numerandam esse Cœnæ Dominicæ profanationem: quum igitur suo illo tempore indignissimè, & prorsus abominandis modis polluatur sacratissima ceremonia, non mirum esse, si horribiliter puniatur mundus cùm bellis, fame, pestilentiâ, & alijs infinitis cladibus, tum verò cœcitate, & reprobæ mentis furoribus, quæ inadministris & defensoribus Missarum quotidie conspiciantur. Nam Missam, seu Cœnam Dominicam iuxta Christi institutionem propriè & principaliter nihil esse, nisi ipsam distributionem & manducationem corporis & sanguinis Domini: cætera, quæ addantur, hominum & Romani Pontificis authoritate recepta, in diesque cumulata fuisse. Nec differre manducationem Sacerdotis ab opere laici sumentis. Hinc ergo effici, Missam seu manducationem Sacerdotis nequaquam esse tale bonum opus, quod Deo reddamus, aut offeramus aliquid placans Deum, & satisfaciens, pro nobis, aut alijs, sicut nec manducatio laici alteri possit applicari, nec cuiusquam Baptismum valere pro alio. Porrò omnium Confessione liquere, totum illud regnum Missarum hoc errore constitutum esse, vt sint bonum opus ad nostra & aliorum peccata expianda. Id verò nil aliud esse, quàm prorsus obscurare præcipuum articulum doctrinæ Euangelicæ, de iustitia fidei, totoque vsu sacramentorum: Hoc itaque superstitionis contagio serpente paulatim, longiusque prodeunte, factum esse, vt in singulis ferè templis & monasterijs hebdomatim, quatuor, quinque, aut etiam plures Missæ à singulis personis, in singulis altaribus celebrandæ, ordinatæ & fundatæ fuerint, præter alias funebres, & quas votiuas vocârint, quæ in dies magno cumulatæ sint. Hinc impuros sacrificulos, occasione corradendæ pecuniæ, & faciendi quæstus oblata, lætari, & cupidè talia Missarum aucupia amplecti. Ac si qui fortè integri bonique viri in illo ordine, secundùm conscientiam suam piè sacramento mallent vti, hos tamen ob illas constitutiones & pactiones inuitos & cum molestia, nec sine animi offensione cogi celebrare Missas. Ex his igitur, quæ dixerint, Cels. eius facilè æstimare posse, quantum ad pietatem adferat, si vel nebulo aliquis lucelli causa, vel probus minister exactione fundationis, nec volens, neque cum aliquo bono motu, aut etiam reclamante conscientiâ, Missam consecret? Non esse enim in re atq; natura positum, vt quamuis bonus, religiosusque sacerdos toties cum voluptate, flagrantique studio ad hoc opus veniat, quoties per fundationem obligatur ac penè obstringitur.

Et leue esse, quòd obijciant aliqui, in Missa recitationes precum prodesse cæteris etiamsi manducatio sacerdotis nemini salubris aut fructuosa sit. Nam facilè iudicare posse Cels. eius, quantum vel improbi sacerdotis oratio, vel pij non alacris ac exercitati impetret, aut promereatur alijs.

 Deinde,

Deinde, vt maximè precatio in Missa valeret, tamen etiam religiosissimam & pienam pietatis precationem sacerdotis in Missa nihilo plùs virium, efficaciæ, dignitatisque habere ad reconciliandum Deum, aut ad impetrandum alijs bona, quàm pij cuiusuis laici preces & gemitus in cubiculo. Ex ijsdem etiam causis, quas suprà memorârint, institutas esse Missas pro defunctis, aliasque sexcentas id genus imposturas, quę si præterea nihil virij haberent, quàm quòd sint meræ imposturæ, ad fraudem & falláciam propter quæstum excogitatæ, vtcunque tolerari posse. Nunc verò cùm in hac audacia, titulo & nomine sanctissimæ ceremoniæ, tam impudenter in Ecclesia homines imperitos ludificare turpissimè, confictis imposturis & mendacijs de efficacia operis sacerdotis, pro defunctis, pro itinerantibus, nauigantibus, &c. sint detestabilia & enormia peccata: nullo modo ferri dissimulariue debere, etiamsi totus orbis afficiatur scandalo. Quocirca pertinere ad officium Cels. eius, in cuius ditione singulari Dei beneficio lux Euangelij rursus effulserit, curare, vt talis Missæ profanatio in Ecclesijs eius prorsus aboleatur, ac contrà verus piusque sacramenti vsus, quem Christus instituerit, & Apostoli obseruârint, instauretur. Sic enim Christum ipsum in prima Cœna multis verbis, & ante, & post distributionem Eucharistiæ concionatum Apostolis de morte, resurrectione & regno suo in Ecclesia, &c. Et in institutione sacramenti clarè præcepisse, vt quoties conueniant ad hanc Cœnam sui recordentur. Vnde hanc postea fuisse Ecclesiæ consuetudinem, vt quoties conuenisset populus, primùm prædicatum sit Verbum Dei: Nam has cōciones semper fuisse præcipuas causas & neruum publicæ congregationis, & ministerium Euangelij debere esse publicum: deinde benedictum fuisse panem & vinum, & distributum petentibus: Hæc forma, cùm sit rectissima, sic quoque eandem fore tutissimam, nec daturam occasionem alicui profanationi. Hanc ob causam Augustinianos restitutionem sinceri & veteris vsus Cœnæ expetiuisse, & quia abhorreant à Missarum nefarijs abusibus, malintque sine coactione liberè ac sua sponte administrare hanc ceremoniam, supra nominatos delegatos approbare eorum sententiam.

Quòd autem inter reliqua, & hanc causam sui facti, exponant Augustiniani: Neminem priuatim & solum debere communicare, ea sibi quidem non satis firma videri: Scilicet ad SVBITO abolendam Missam priuatam. Etsi enim illa ratio vera sit, quæ scandalum amplificet, quòd ritus vsitati Missarum priuatarum teneant occupatos animos rudiorum ac simpliciorum, vt cùm videant ab alijs retineri morem seorsim communicandi, perseuerent in suo abusu: Tamen & hoc considerandum, quòd nunc quidem in re his temporibus prorsus noua, & fratres in fide infirmi ad tempus ferendi, fouendique sint, donec meliùs Dei Verbo erudiantur.

Quæ postremo loco addant de vtraque specie seu integro sacramento, ea existimare sese non posse refutari. Neque enim se videre, quo pacto illi excusari queant, qui alterutram tantùm partem sumunt, aut porrigunt: cùm nominatim Christus de calice loquatur: Bibite ex hoc omnes, imperatiuè. Ac tametsi non desint astutis variæ elusiones, effugia, prætextus, ad excusandam prohibitionem calicis, tamen hæc sophistica plurimùm habere periculi. Ideo rectum esse, primum & antiquiorem vsum sacramenti restitui in Ecclesia & renouari. Quapropter humiliter se à Principe Electore petere, vt quòd Principe Christiano dignum sit, seriò negotium istud suscipere ac promouere, & huiusmodi Cœnæ Domini prophanationem in Ducatibus ac territorio suo quamprimùm abolere velit, & verum vsum Cœnæ, iuxta mandatum Christi & morem Apostolorum instituere, & aduersariorum contumelias omnes fortiter contemnere. Sic enim comparatum esse, vt qui veram Euangelij doctrinam suscipiat propugnandam, hunc multa perpeti oporteat.

Iudicium Friderici Elect. Sax. de abrogatis Missis priuatis Witeberg.

Ad ea Fridericus, nihil omnino se, quod ad pietatem pertineat, prætermissurum: sed quoniam res admodum sit ardua, sibi videri, non esse properandum, & per ipsos, qui pauci admodum sint, vix aliquid perfici posse: quòd si Scripturæ testimonijs causa nitatur, fore vt complures accedant, & tunc mutationem illam, quæ pia videbitur & necessaria, multò posse commodiùs fieri: se, qui Scripturæ sit imperitus, ignorare, quando ritus ille Missarum vsitatus, quem ipsi damnent, sit introductus, & quando ille, quem Apostoli dicuntur obseruâsse, in desuetudinem venerit: pleraque omnia templa Ecclesiasticorum esse Collegia propter Missas instituta, maximis ad eam rem collatis facultatibus: quòd si nunc Missa aboleatur, fore, vt professoribus ea bona auferantur, quæ Missarum nomine olim donata sint: quanta verò ex eo futura sit perturbatio, quemuis intelligere: & quoniam ad se totam actionem reiecerint, suum

suum esse consilium, vt cum reliquis Academiæ viris bonis atque doctis re communicata, negotium moderatè tractent, & rationes excogitent ad pietatem & tranquillitatem retinendam idoneas.

Responsio deputatorum ad Electoris iudicium.

Delecti habita rursus deliberatione respondent, &, sicut antea, monent, vt abrogari Missam iubeat, posse id fieri sine tumultu, & vt non possit, tamen quod rectum sit atque pium, non idcirco prætermitti oportere: quod numero superentur, nihil esse noui: semper inde à condito mundo maiorem hominum partem veræ doctrinæ restitisse: fore etiam, vt hunc Cœnæ Domini rectum vsum ij solùm recipiant & approbent, quibus diuinitus datum sit: Collegia quondam instituta, non propter Missas; verùm vt iuuentus in ijs ad pietatem erudiretur, & possessiones illas in eorum fuisse donatas, qui docerent simul & discerent; & in pauperum etiam vsus: & hunc quidem morem ad Bernardi propè durâsse tempora: verùm ab hinc annis circiter quadringentis, natam esse Missarum illarum nundinationem, quæ omnino tollenda sit: quòd etiamsi vetustiorem haberet originem ista prophanatio, tamen idcirco non tolerandam esse: & si ferè motus ex ea mutatione nascantur, id non esse doctrinæ, sed aduersariorum nequitiæ tribuendum, qui sui emolumenti causa, veritatem contra conscientiam oppugnent: ad hoc verò genus incommoda non esse respiciendum, sed progrediendum constanter, quomodocunque tandem mundus tumultuetur: hæc enim omnia iam à Christo olim prænuntiata fuisse.

Scripsit etiam Lutherus sub finem anni 21. ad fratres Augustinianos ex Pathmo suo librum, de Abroganda Missa priuata, *in quo ipsorum factum, tanquam pium & sanctum, laudat.*

DE HVLDRICHO ZVINGLIO.

Zuinglius quando & vbi natus. Vbi in literis institutus.

HActenus de primo Protagonista Certaminis Sacramentarij diximus, nunc de altero quoque, HVLDRICHO ZVINGLIO *videlicet, agemus, eiusque historiam ad annum vsque 1525. perstringemus. Natus est ille in Heluetia, in Comitatu Toggenburgico, parentibus honestis & ex antiqua familia, Anno Domini 1487. Calend. Ianuarij. Cùm decem annorum esset, Basileam ablegatus; præceptorem ibi nactus est fidelissimum simul & doctissimum. Basileâ Bernam missus est ad Henricum Lupulum, sub quo in Græca & Hebræa lingua plurimùm profecit. Viennam inde in Austriam profectus est philosophiam addiscendæ causa. Tubingæ etiam literis operam dedit. Posteà Basileam reuersus, celebres ibi præceptores nactus est, & inter alios Clarissimum Virum Thomam* Witenbachium *Bielensem, Theologiæ Doctorem, qui circa annum Domini 1505. Basileæ & Tubingæ Papisticas Indulgentias grauiter oppugnauit. In Basileensi Academia magna cum laude Magisterij gradum assumpsit.*

Zuinglius quando & vbi concionari cœperit.

Mox anno 1506. maxima cum auditorum admiratione publicè concionari cœpit. Claronam deinde, qui celebris est Heluetici fœderis Pagus, vocatus, Ecclesiæ illi summa cum laude ad annum vsque Domini 1516. præfuit. Inde ad Eremitanam Ecclesiam regendam accersitus, eò se contulit ob frequentiam potissimum omnis generis hominum, qui tum magno numero ex varijs nationibus & locis, religionis causa, ad Mariæ idolū confluebant. Sperabat enim conciones suas peregrinis hominibus fructum non paruum allaturas, atque hoc modo Euangelij doctrinam longè lateque propagari posse.

Zuinglius quando Euangelium prædicare cœperit.

Nam iam ante apud Claronenses Euangelium purè prædicare cœperat, priusquam Lutherus in publicum prodijsset, aut nominis illius vlla mentio facta esset. In Mariæ quoque eremo cùm adhuc ageret, circa annum Christi 1517. conferre ac disputare cœpit cum D. Matthæo Cardinali & Episcopo Sedunensi, tum in Heluetijs agente, de Ecclesiæ corruptione, de humanarum traditionum fœdis erroribus, deque grauissimo ceremoniarum pondere, pios tantùm non opprimente,

Zuinglius de corrupto statu Ecclesiæ queritur.

simulque monere, vt ceremoniarum, superstitionum, abusuum & errorum ingentem vim, paulatim tollere aggrediantur, qui clauum Ecclesiæ teneant, & ad gubernacula eius sedeant. Hoc enim nisi maturè fiat, illam aliquando nimio pondere nutantem ac depressam, maximo cum fragore ruituram. Eius zelum, studium & feruorem, cùm omnes, qui liberationem Ecclesiæ expectabant, vehementer probarent,

Zuinglius Tigurum ad Ecclesiæ ministerium vocatur.

Tigurum ad pastoralem Ecclesiæ curam suscipiendam legitimè vocatur. Eò cùm venisset ipsis Calend. Ian. anni 1519. incepit publicè è sacra Ecclesiæ cathedra, iam suæ fidei concreditæ, Euangelium Matthæi enarrare, & beneficium redemptionis nostræ in vnico Dei Filio Iesu Christo demonstrare. Id cùm magno animi studio, & frequenti totius Ecclesiæ concursu, omniumque ordinum gratulatione summa ac lætitia faceret,

Quæstor Indulgentiarum Româ Tigurum venit.

venit Tigurum etiam, Româ à Pontifice missus, Franciscanus quidam Monachus, Samson nomine, Mediolanensis, Indulgentiarum Pontificiarum præco impudens.

Quæstoris indulgentiarum impudentia.

Prædicabat hic, sanctissimum ac beatissimum Papam gratiarum aperuisse fontem, plenariamque peccatorum remissionem ad Heluetios deriuâsse, ad eos inquam, qui oblatam salutem recipiant, & promptâ redimant pecuniâ. Prædicabat etiam, animas iam olim à corpore solutas,

nunc

nunc proximè Indulgentiarum beneficio ex purgatorio ad cœlos euolare, his etiam additis clamoribus, Ecce volant, volant iam. Non difficilem quoq; idem nugiuendulus se ijs præbebat, qui committendorum in posterum scelerum postularent veniam, imò quicquid petijsset sceleratissimus quisque ab eo impetrabat, modò in promptu pecuniam haberet. Huic verò pro munere sibi concredito, se omnibus viribus Ecclesiæ Tigurinæ Pastor Zuinglius opposuit, gregem suum fideliter monens atque adhortans, ab impostore hoc, velut à lupo atroci & voraci, sibi vt caueat. Remissionis enim peccatorum beneficium non debere acceptum referri vanissimis Pontificum Indulgentijs, sed merito ac morti Christi, cœlumque ipsum nullâ pecuniâ emi, sed vera in Christum fide recipi: Ea cùm audisset D. Hugo Constantiensis Episcopus, literas ad Zuinglium per Vicarium suum, Iohannem Fabrum, dedit, quibus eum hortabatur, vt, quod feliciter cœperit, fortiter exequeretur & absolueret: se nuspiam periclitanti defuturum. Hac occasione diuinitus oblata, Zuinglius priuatim & publicè cœpit, debitâ reuerentiâ & modestiâ, ab Episcopo petere, vehementissimeque vrgere, vt Euangelicæ veritati ex animo faueret, & renascenti adesset, quam cerneret magno cum successu emergere. Apud Antonium Puccium quoque Pistoriensem Episcopum, Romani Pontificis apud Heluetios legatum, & Ennium Verulanum, idem conatus, hoc disertè adiecit, se posthac per synceram Euangelij doctrinam omnibus modis regnum & errores Papatus impugnaturum, vt Verbi Dei & Euangelicæ veritatis lux postliminio in Ecclesia Christi luceat: quod etiam fideliter præstitit. Nam cùm Episcopi alijque Prælati Ecclesiastici, quorum maximè intererat horum curam gerere, securè in vtramuis aurem dormirent, Zuinglius tamen suo non defuit officio, sed in semel cœpto opere sanctо strenuè perrexit.

Zuinglius contra Indulgentias pugnat.

Ne quid tamen temerè, aut priuato affectu geri hic videretur, placuit Coss. Senatui, totique populo Tigurino, Synodum ad diem 29. Ian. anno 1519. in vrbem conuocare. Ad eam vndique, ex ditione Tigurina & vicinis Ecclesijs, magna Cleri & populi multitudo confluebat. Veniebat & Episcopi Constantiensis Legatus, D. Iohannes Faber, cum Doctore Tubingensi & alijs viris doctis. Zuinglius summam doctrinæ suæ 67. Articulis vel Conclusionibus comprehendit & typis vulgauit, easque huic Synodo examinandas proposuit. Inter eas 18. sic se habet: Christus, qui sese semel in cruce obtulit, hostia est & victima satisfaciens in æternum pro peccatis omnium fidelium. Ex quo colligitur, Missam non esse sacrificium, sed sacrificij in cruce semel oblati commemorationem, & quasi sigillum redemptionis per Christum exhibitæ. D. Faber multis conabatur Synodo persuadere, negotium religionis grauissimum non debere Disputatione publicâ in præsentiarum discuti, sed ad futurum vsque Concilium differri. Cumque Zuinglius vrgeret, quandoquidem certò constaret, libros vtriusque Testamenti Canonicos, vnicam & certissimam esse Regulam, ad quam omnia in Ecclesia componi & institui debeant, ex ijs demonstraret, si quid contra Scripturas, contra religionem & veram fidem in his Conclusionibus contineri videretur. Respondebat Faber, se non in hac Synodo, sed coram Vniuersitate aliqua disputaturum: pollicebatur etiam se contra articulos istos scripturum, & eos non orthodoxos esse ostensurum: sed neutrum præstitit. Post Fabrum nullus erat in Synodo tota, licèt frequentissimâ, qui Scripturâ Sacrâ Conclusiones propositas refutare, vel erroris redarguere vellet, Magistratus igitur sub finem Synodi, omnibus Pastoribus & Ministris vrbis & ditionis suæ mandauit, ne quid posthac aliud Ecclesijs suis proponant & annuncient, quàm purum putum Dei Verbum, Prophetarum & Apostolorum libris comprehensum.

Synodus propter reformationem conuocatur Tigurum

Zuinglius theses huic Synodo examinandas proponit.

Synodi huius exitus.

Iam ergo non solùm in vrbe, sed etiam passim in agro, Veritas populo prædicabatur, quam etiam tanto Zelo ac studio arripuit, vt illa, quæ contra & præter verbum Dei in Ecclesiam superioribus seculis introducta intelligebat, simul inde omnia expelli, exterminari & eijci cuperet. Id cùm intelligeret Magistratus, ne quid rursum immaturè, aut zelo quidem bono, sed non secundùm scientiam ageretur, Synodum alteram indicit; & ad eam vocat Episcopos, Constantiensem, Curiensem & Basileensem cum Academia, Confœderatosque omnes: non tamen omnes venerunt, nec Episcopi quenquam miserunt. Nihilominus posterior hæc priore longè fuit celebrior. Conuenerunt enim in vrbem circiter 600. Sacerdotes, alijque Viri docti & clari. De præcipuis fidei articulis disputabatur, inprimisque tribus continuis diebus de Imaginibus & Missa: vicit autem veritas, ac soluta est Synodus.

In vrbe & ditione Tigurina veritas doceri incipit. Synodus 2. Tigurina celebris.

Magistratui autem visum est, tempus iam esse, vt pro suo officio ea tolleret, quæ iam didicerat apertissimè cum Verbo Dei pugnare. Primò igitur omnium mandauit Sacerdotibus & Monachis, ne posthac vllas publicas Processiones instituant, & præsertim ne consecratum panem in pompa per vrbem & agrum circumferant, aut in Templis adorandum proponant, quòd hæc manifestè primæ Institutioni Cœnæ aduersentur. Præterea delecti è Senatu vnà cum Ministris, è præcipuis vrbis Templis tumbas,

Tiguri reformatio instituitur.

bas, in quibus dicebant, corpora Martyrum, vel reliquias eorum esse reconditas, sustulerunt, & his apertis, vel nulla prorsus ossa, sed nescio quas quisquilias repererunt in quibusdam, vel in alijs aliqua sunt inuenta, quæ reuerenter terræ mandata, non, vt multos dicere non puduit, abiecta, aut contumelijs affecta sunt. Sacerdotibus quoque mandatum est, ne Organis posthac ludant in Templis, ne Campanarum pulsu funera plangant: aut tempestates auerruncare seu arcere conentur, ne palmarum ramos, sal, aquam, cereos, & similia consecrent, néue morituros oleo inungant, quem nouissimum Baptismum vocare solent: hæc enim omnia superstitiosa esse, & cum expresso Dei Verbo pugnare.

Decretum Heluetiorum contra Reformationem.

E contra verò ad 26. diem Ian. Anni 1524. Lucernæ, qui Heluetiorum celebris Pagus est, confœderati omnes, exceptis Tigurinis, conueniunt. Ibi factum est decretum, Ne quis eam doctrinam, quæ supra mille quadringentos annns denunciata sit, mutet, néue Missam, in qua corpus Christi cnnsecratur, ad ipsius honorem, & viuorum atque mnrtunrum snlamen, derideat aut contemnat: qui Cœnam Domini per ætatem percipiunt, delicta sua, Quadragesimæ tempore, sacerdoti bis confiteantur, & reliqua omnia more consuetn faciant: Ecclesiæ ritus nmnes atque consuetudines seruentur: snn quisque Pastnri pareat, ab eoque sacramenta percipiat, vti fieri snlet, & quam debet ei annuam pecuniam persnluat: Sacerdotibus exhibeatur hnnos: diebus vetitis abstineatur ab esu carnium, & per Quadragesimæ tempus, ab nuis etiam atque caseo: Zuinglij nihil prinatim aut publicè doceatur aduersùs receptum Ecclesiæ morem: In cauponis atque conuiuijs, Zningiij, vel nouæ cuiuspiam doctrinæ nulla fiat mentiô; Diuorum imagines atque statuæ sint vbiuis inniniatæ: Ministri Ecclesiæ rationem suæ doctrinæ reddere non teneantur, nisi Magistratui tantùm: tutela præstetur illis atq; patrocinium, si quis fortè motus ingruat: qui Sancti Spiritus, Mariæ virginis, diui Anthonij circumferunt reliquias, à nemine rideantur: quas Constantiensis Episcopus tulit de religinne leges, eæ seruentur: qui decretum hoc vinlârint, Magistratui deferantur, & sint vbique tanquam inspectores eorum, quæ fiunt.

Querela Heluetiorum de Tigurinis.

Ex hoc tempore per Heluetios augescebat indies magis atque magis simultas, & reliqui Pagi, missis legatis ad Tigurinos, dolorem suum testabantur. Antiquitùs omnia rectè pieque constituta, nec vllam doctrinæ fuisse contentionem: nunc autem à temerarijs aliquot hominibus pulcherrimum hoc ocium & quietem tum Ecclesiæ tum Reipublicæ turbati, & discordiæ semina spargi: nimirum oportuisse iam pridem crescenti malo medicinam facere, ac more Mainrum vindicare Dei omnipotentis, & Mariæ virginis & diuorum glnriam atque nomen; in eoque facultates omnes, vitam atque sanguinem profundere: nunc etiam in primis, vt ita fiat, tempus ipsum postulare: nam alioqui futurum, vt ipsis nmnibus perniciem & animæ quoque iacturam ea res adferat: cuiusmodi sit enim hnius, quam Lutherus inuexit, doctrinæ fructus; nunc satis apparere: populum videlicet ac promiscuam multitudinem vix cohiberi iam posse: multa facere proteruè ac insnlenter, sumere sibi magnos spiritus, & ad rebellionem omnino spectare: quin etiam eius rei nuper dedisse nnn obscuram significationem: huius verò mali contagionem à Zuinglin esse profectam ad ipsos, atque Leone Iuda, qui Verbum Dei, quod pacem atque cnncnrdiam adferre debebat, sic doceant, proque suo arbitratu interpretentur, vt turbis atque dissidijs nmnes aditus patefaciant: & qnanquam sibi nnn planè constet, quid illi dnceant, tamen quid ex eorum doctrina sequatur incommodi, quotidie sese in multis experiri: diebus ab Ecclesia vetitis edi nunc indifferenter carnes & oua. Sacerdotes & Deo cōsecratos tum viros tum mulières, violata fide, deserere pfnfessionem ac nrdinem suum, & cnntrahere matrimnnia, cultum omnem diuinum intermitti, nihil iam in Templis cantari, nullas fieri preces, in contemptum venire Sacerdotes, Monachorum dissipari sodalitia: delictnrum cnnfessionem atque pœnitentiam negligi, sic qnidem, vt ijs prætermissis, percipere Cœnam Domini quidam nihil vereantur: Missam proscindi cnnuitijs, virginem Mariam cæterosque Diuos contumelia affici, statuas & imagines renelli, confringi & dissecari, sacramentis Ecclesiæ nullum deferri honorem, & tantam nnnc esse licentiam ac impunitatem, vt in manibus Sacerdotis vix tuta sit hnstia sacrosancta, panis videlicet azymus, Christi corpus repræsentans: Hæc omnia tanti esse momenti, vt meritò sint deplnranda: se quidem non pnsse illa ferre diutiùs, & nuper in proximn Conuentu, qunsdam è socijs, ordinis Ecclesiastici, communi missa legatinne suam opem implnrâsse. Quæ cùm ita sint, orare, vt discedant ab instituto, inque veteri Mainrum religione permaneant: si quid verò sit, In quo sese grauari putent à Pontifice e ipsius clientela, Cardinalibus, Episcopis & id genus alijs, quando scilicet

illi

illi Præfecturas Ecclesiarum inuadunt, vendunt, quando suis Indulgentijs pecuniam regionis exhauriunt, quando nimiam sibi iurisdictionem vsurpant, & quæ solum in rebus sacris exerceri debebat, eam ad res prophanas atque ciuiles applicant potestatem: hæc & eius generis permulta, si molesta sint ipsis atque grauia, non se recusare, quò minùs corrigantur: nam sibi quoque vehementer illa displicere, & vnà cum ipsis velle deliberare, quomodo onus illud excutiant.

Respon. sio Tigurinorum. *Ad ea Senatus Tigurinus, 21. Martij respondet:* Suos Ecclesiæ Ministros nunc in quintum annum docere sacra: & initio quidem doctrinæ genus hoc nonnum sibi fuisse visum, eò quòd nihil eiusmodi priùs audissent: cùm autem intelligerent ac viderent, hunc eius esse scopum atque finem, vt Iesum Christum ostendat, aram præsidiumque salutis, qui pro mundi delictis vitam atque sanguinem profuderit, & solus ab æterna morte miseros liberârit, & sit vnicus apud Deum humani generis aduocatus, non se potuisse tam salutare nuncium ardenti studio non complecti: summam extitisse concordiam olim & consensionem inter Apostolos & eos, qui post illorum ætatem doctrinam Christi complectebantur, idem sese sperare nunc quoque futurum inter illos, qui huc animum adijciunt, postpositis hominum traditionibus, alienis à Verbo Dei. Quòd si Lutherus aut quiuis alius ita doceat, rectè fieri, neque tamen idcirco nomen eius obduci oportere, quasi propter ipsum dogmati fides habeatur: hoc enim & esse inuidiosum, & ad Verbi diuini contumeliam pertinere: cæterùm, etsi Christum solum adorent, ad eumque confugiant, nullam tamen idcirco iniuriam facere vel Virgini matri, vel cæteris etiam Diuis: nam hos omnes, cùm in terris agerent, per solius Christi nomen æternam salutem expectâsse: nunc eam esse lucem excitatam in animis multorum, vt plerique omnes in sua ciuitate, Biblica scripta diligenter euoluant: nec esse quòd Ecclesiæ Ministri Scripturam detorqueant, quæ sic in manibus omnium versetur: nullam ergo sectam sibi posse obijci, sed nomen istud in eos rectè quadrare, qui sui quæstus atque splendoris retinendi causa, Verbum Dei, quò volunt, inflectunt: errorem sibi attribui, neque tamen ab vllo demonstrari: Constantiensem, Basileensem, Curiensem Episcopum, Academias etiam aliquot & ipsos adeò non semel efflagitatos, vt id facerent, sed in hunc vsque diem nihil esse præstitum. Adhæc, in postremo suo Conuentu neminem ab Episcopis, nec ab ipsis etiam adfuisse, præter Scaphusianos & Sangallenses. Qui verò tunc aderant, eos, re totâ diligentiùs consideratâ, suam in sententiam venisse. Quòd Episcopi fortè dicant, non ipsis licere passim ita Verbum Dei tractare, id nulla ratione niti: cùm enim sit illorum officij, cauere, ne pereant oues, æquum esse profectò, vt aberrantes in viam reducant: sed quoniam id non faciant, & ad Patres atque Concilia rem omnem reijciant, velle se, non quid homines decernant, sed quid Christus velit atque iubeat, audire: suos doctores atque Ministros non dare vllam causâ diuulsionis Reipublicæ, verùm in illos hanc culpam conferendam esse, qui sui compendij atque emolumenti causa, diuersum à Verbo Dei docent: nam ab ijs & seduci populum in errorem, & grauiter offendi Deum, qui varijs deinde calamitatibus audaciam istam vlciscatur: dissidium hoc omne ex eorum cupiditate manare, qui metuunt, ne quid commodis ipsorum decedat: quòd si puram doctrinam isti sequerentur, non dubium esse, quin fastum, luxum & auaritiam omnem ab se remouesent, & concordiæ rationes inirent. Inundâsse iam multa vitia, Maioribus ipsorum incognita, quæ suæ Ciuitatis doctores reprehendant, & simul ad metum Numinis diuini cohortentur. Quòd autem concionibus illorum plerique non emendentur, neque fructum eâ doctrinâ dignum proferant, id non seminis proiecti, sed ipsius fundi vitium esse. Certè suos intra fines non eum vulgò conspici luxum nec intemperantiam, quæ passim alibi regnet, in primis verò suæ ditionis homines non sectari militiam illam externam & mercenariam, vt olim, quæ certè multorum vitiorum materiam subministret. De carnium & ouorum esu, quanquam liber sit, minimeque à Christo prohibitus, legem se tulisse, qua temeritas & offendiculum prohibentur. Matrimonij Deum authorem esse, qui omnibus illud permiserit: Paulum etiam iubere, vt Ecclesiæ Minister sit vnius vxoris maritus: & quum Episcopi, Sacerdotibus, accepta pecunia, concubinas permittant, turpi nimirum exemplo, neque fœminis iiii carere vel possint aut velint, non se posse Deo, qui coniugium instituit, reluctari. Eandem esse rationem, ad fœminas quod attinet, quæ castitatem vouisse dicuntur: nam putare se genus hoc obligationis atque voti, minùs gratum esse Deo: cumque donum continentiæ non sit omnibus datum, præstare multò, sua quidem opinione, vt nubant, quàm vt in impuro viuant cœlibatu: Canonicorum,

nicorum, & id genus alia Collegia, quondam esse instituta propter homines egenos: nunc autem eas facultates ab iis plerumq; teneri, qui satis alioquin habent ex patrimonio, neque rarò fieri, ut unus aliquis possideat quantum ad multos alendos satis esse potest: æquum ergo sibi videri, ut in pauperum usus ea bona rursus accommodentur: qua tamen in re moderationem hanc adhibeant, ut usumfructum possessoribus permittant, donec è vita decedant, ne quis videlicet querimoniæ causam habeat. Templorum ornamenta non pertinere ad verum Dei cultum, sed hoc esse Deo vehemente r gratum quando miserorum sublevatur inopia, Christum adolescenti locupleti mandâsse, non ut sua bona suspenderet in Templo, sed ut vendita distribueret in pauperes. Ordinem Sacerdotum abs se minimè contemni, sed eos magnifieri, qui suum munus faciant & rectè doceant: reliqua verò turba, quæ publicè nihil prodest, imò nocet, si paulatim & sine offensione minuatur, eorumque bona pios in usus assumantur, non se dubitare, quin Deo sit illud officium longè gratissimum. An autem Deo sint acceptæ cantiones illorum atque preces, in dubium posse vocari. Nam ex ipsis plerosque non intelligere quid dicant: deinde, mercede conductos illud facere. Confessio illa tacita, quæ delicta recenset atque enumerat, quanti sit æstimanda, in medio sese relinquere, sed illam, quâ verè pœnitentes ad Christum intercessorem confugiunt, arbitrari sese non inutilem modò, sed necessariam quoque perturbatis & mole peccati depressis conscientiis. Genus illud satisfactionis usitatum & quæstuosum sacrificis, permultum habere tum erroris tum impietatis: hoc demum esse verè pœnitere & satisfacere, si quis vitam emendet. Monachorum Ordines, inventum esse humanum, non institutum Dei. Sacramenta, quæ Deum habeant authorem, summâ veneratione sese prosequi, neque pati, ut quis ea contemnat: utendum autem illis juxta verbum atque præscriptum divinum: & Cœnam Domini non eò transferendam esse, quasi vel oblatio sit aut sacrificium. Quòd si Clerus ille, qui nuper missâ legatione, querimoniam habuit impedimentum ipsis illatum, vel errorem aliquem suum docere possit, non se recusare, quò minùs illis satisfiat: sin minùs, tum æquum sibi videri, ut jubeantur officium facere, nimirum, ut vera doceant, & ab aliorum abstineant contumeliis. Quòd Pontificiorum rapinas illas & expilationes & immoderatam potestatem aboliri cupiant, auditu sibi fuisse longè gratissimum: id autem nulla ratione posse fieri meliùs, quàm si Verbum Dei per omnia recipiatur. Nam quoad leges illorum atque mandata valebunt, non esse quòd liberationem aliquis expectet: sola verò prædicatione Verbi divini dignitatem illorum omnem atque potentiam labefactari: quanta sit enim Evangelii vis & veritatis, illos videre satis & intelligere, & quia suis viribus diffidant, Regum implorare subsidia: Si nunc igitur hac quidem in parte Scripturæ sit utendum adminiculo, rem ipsam postulare, ut idem in aliis quoque rebus fiat, & ut ea, quibus offenditur Deus, abrogentur. Quemadmodum verò sit iis omnibus medendum, ad hoc libenter sese non operam tantùm & consilium, sed fortunas etiam collaturos: jam olim enim hoc oportuisse fieri. Quod cùm ita sit, orare, ut ista boni consulant, & secum diligenter expendant, se quidem nihil expetere vehementiùs, quàm ut pacem colant omnes, nihil quoque facturos contra leges atque pacta fœderis: in hac verò causa, quæ sempiternam ipsorum salutem contineat, non posse se aliter facere, nisi demonstretur error. Itaque vehementer ipsos orare, si doctrinam istam sacris literis adversari putant, ut hoc intra certum tempus, nimirum ante finem Maii demonstrent sibi, nam eò usque se responsum ab ipsis, atque etiam ab Episcopis, & ab Academia Basileensi expectare velle.

Constituto igitur termino elapso, nullo verò responso accepto, ex omnium tam Clericorum, quàm civium numero, Ecclesiarum in urbe Ministros primarios, cum duodecim Senatoribus è singulis Tribubus desumptis, Magistratus delegit, addito simul Ædili urbis. Hi omnes, assumptis secum fabris, aliisque servorum manu ad id opus idonea, unà ingressi Templa, & his clausis, citra omnem tumultum, imagines omnes sustulerunt, atque Templa ab his expurgarunt. Deinde per reliquas Urbes, Comitatus & Præfecturas totius agri Tigurini, singulæ Ecclesiæ, præsente loci Præfecto, interrogata suam sententiam, omnes ferè agnoverunt Imaginum cultum à Deo prohibitum esse, ideoque Magistratus exemplo eas communi consensu sustulerunt. Atque hæc quidem facta sunt mense Iunio anni 1524.

Imagines Tiguri è Templis ejiciuntur.

Sublatis Imaginibus, Missa adhuc restabat, cujus authoritas quotidie vilescebat: neque enim quisquam amplius ad eam cogebatur, & plerique ex concionibus & disputationibus Zuinglii abominationes ejus agnoscere didicerant. Sed tamen, quia Missa, tanquam medicato quodam poculo omnes terrarum Reges, Principes & populi

Missam Senatus Tig. potius abrogari noluit, quàm plebe de ejus abominatione planè edocta esset.

populi hucusque ab annis proximè sexcentis ita fuerunt inebriati, ita stuporis & vertiginis spiritu impleti, ut salutis suæ proram ac puppim in hac una collocârint: quia etiam propitiatorium seu expiatorium esse sacrificium credita fuit hactenus pro peccatis vivorum & mortuorum, ideo Magistratus noluit eam abrogare, nisi priùs plebe bene edocta de Institutione ac vero usu Cœnæ Dominicæ, quæ in locum Missæ substituenda erat.

Constantiensis Episcopus Tigurinis respondet.

Constantiensis Episcopus interim, habito concilio suorum Theologorum, respondet Tigurinis, uti petierant, & conscripto libello hæc potissimùm agit: Cujusmodi fuerint olim idola & simulachra, quomodo prophanæ gentes illa coluerint atque Iudæi, cur Ecclesia receperit imagines atque statuas, quo primùm tempore sint introductæ, quid aliarum gentium atque Iudæorum idola differant à statuis hominum Christianæ professionis. *Exitus hic est, ut dicat,* Scripturam, ubi statuas & imagines removere jubet, loqui solùm de Iudæorum atque gentium idolis: itaque retinendas esse receptas ab Ecclesia imagines. *Ab hoc Missam tractat, & multis adhibitis Pontificum atque Conciliorum testimoniis,* oblationem & sacrificium esse contendit. *Hunc verò librum ita conscriptum, & sic satis prolixum, mittit Senatui sub Calendas Iulias, & ne vel imagines auferant, vel Missam abrogent, néve populum aliter doceri patiantur, multis gravibusque verbis hortatur. Librum deinde typis evulgari jubet, & cùm ad alios, tum ad Canonicos etiam, ut vocant, Tigurinos mittit.* Et quanquam ista Senatui sint scripta privatim, qui hoc ab se flagitârit, tamen quòd aliis etiam in locis hac de re quæstiones audiat atque simultates oriri, voluisse *dicit* unâ eademque operâ cæteris etiam consulere: Sequantur ergo receptam Ecclesiæ consuetudinem, nec ullius oratione diversum persuadere sibi patiantur.

Tigurini respondent Constant. Episcopo.

Lectus est liber hic in frequenti Senatu: qui etiam ad eum respondet Augusti mensis die duodevigesima: & quòd eum in lucem emiserit, lætari sese plurimùm *scribit*, sic enim futurum, ut utri justiorem causam defendant, appareat. *Postea* suorum hominum atque doctorum sententiam *explicant*, & è Scripturis contrarium *demonstrant*.

Ministri Ecclesiæ Tigurinæ petunt à Senatu ut Missa abrogetur.

Hoc responsa ad Episcopum misso, expectatum est mensibus aliquot, si quid fortè contrà prodiret in publicum. Id verò cùm non fieret, Ecclesiæ Tigurinæ Ministri, Zuinglius, Leo, Engelhardus, Megander *&* Myconius *undecimo die Aprilis anni* 1525. *Senatum ducentorum, ut Missam, unà cum panis ac vini adoratione, & similibus, aboleret, multis ex Verbo Dei adductis argumentis rationibus, hortati sunt. Tum urbis Cancellarius, seu Protoscriba surrexit in Senatu, atque ad hunc modum loquutus est:* Equidem Patres conscripti, non eo sum ordine aut loco, ut mihi coram vobis verba facere liceat, dummodo causa ageretur quantumvis magna, quæ ad Rempublicâ attineret: quum autem hic animarum salutis cardo versetur, ipsaque fides periclitetur, cniusque esse arbitror, ut in medium adducat, quæ sentiat. Ego igitur firmiter credens in isto pane verum corpus ac verum sanguinem edi, testor me in hac esse opinione, neque me patiar ab ea divelli, speroque de vobis Patres conscripti, quòd nullo pacto me ad Zuinglii opinionem adacturi sitis. Et tu Zuingli, *inquit,* Sophistarum versutiis acerrimè obstitisti, nunc verò, ut planè dicam quod sentio, videris nos denuò Sophistarum cavillis circumscribere: *& in hanc sententiam plura alia. Cumque Zuinglius ad ea quæ responsione digna videbantur, videlicet,* Tiguri neminem unquam ad fidem fuisse compulsum, neque sophisticum esse, si hanc vocem EST, per *significat*, quisquam exponat, *& alia quæ roboris aliquid habere videbantur respondisset: Protoscriba verò ad hæc arma se converteret:* Ego sic credo, Sic sonant verba, Hoc est corpus meum: EST, est verbum substantivum, ideo alius intellectus esse nequit, quàm quòd panis sit caro, *& similia. Tum Henricus Engelhardus vir gravi indicio, & Pastor Ecclesiæ Tigurinæ,* Ausculta paulisper, *ait*: Ego abundè ostendam tibi ex sacris literis, panem corpus Christi esse non posse. *Ac deinde ad hunc fermè modum disseruit:* Patres conscripti, si ulla in re unquam perniciosè erravimus, hoc quoque in adoratione Eucharistiæ factum est non solùm perniciosè, verùm etiam stultè. Cùm enim debeamus Scripturam ex Scriptura, Christo etiam monitore, qui Scripturas scrutari jubet, exponere, quid oro causæ est, cur non per omnem Novi Testamenti Scripturam navigando lustremus, quàm variè corpus Christi accipiatur, ac deinde iudicemus, de quonam corpore isto loco loquatur? Invenimus autem omnino trifariam de Christi corpore mentionem in divinis literis fieri. Semel de naturali corpore isto, quod ex Virgine natum est, quo esurivit, sitivit, fervit, alsit, hilaris ac tristis fuit, quod postremò in ara crucis pro nobis cæsum est. Iterum invenimus de corpore, quòd à mortuis excitatum atque ab his morbis defecatum, per miraculum tamen discipulis ad tangendum exhibitum est. Postremò de mystico ejus corpore, quod est Ecclesia. Expendamus igitur, quodnam isto-

Scriba vel filius Ministris Ecclesiæ Tigurinæ Senatum.

rum

rum corporum sit hic discipulis datum. Non primum hoc naturale, sic enim edi non posset, nisi dentibus manderetur ac ut reliqui cibi commoleretur, à qua manducatione Christus ipse avocat Ioh.6. Cùm Iudæi de sensibilis corporis manducatione cogitantibus, dum ipse de fiducia in se habenda dissereret, ad hunc modum respondit, Caro non prodest quicquam. Hoc unicè volens confutare, in quo isti hallucinabantur, nempe corpoream manducationem: hoc enim pacto neque dentibus tritus, neque stomacho perfectus, quicquam prodest. Quòd si discipuli ad hunc modum edissent, aliter nimirum edissent atque nos, ipsis enim edentibus nondum erat in cruce cæsus. Deinde, quomodo potuisset corporaliter edi, quem oportebat in cruce corporaliter extendi? Cùm ergo ipse neget se corporaliter devoratum quicquam prodesse, constat, hæc verba: Hoc est corpus meum, nulla causa de naturali corpore intelligi debere, ut panis sit corpus: nam corpus ad hunc modum nihil prodest, cùm caro sit. Sed neque de corpore secundo loco accepto intelligi possunt: primùm, quòd discipuli non eodem modo, quo nos, edissent: ipsis enim edentibus, ne occisus quidem etiamnum erat, nedum à mortuis excitatus. Secundò, quòd hoc corpus, quod à mortuis resurgendo purissimum ac mundissimum reddidit, cœlis intulit: ubi ad dexteram Dei sedet usque ad diem istum, quo mundum judicabit: expectans, donec inimici ejus scabellum pedum suorum fiant, Heb. 10. De mystico verò corpore, quod est Ecclesia, sic non possunt intelligi Christi verba, ut nullum sensum minùs ferant, quàm, Hoc est corpus meum, id est, Iste panis est Ecclesia mea: nam Ecclesia non traditur pro nobis: at continuò sequitur, Quod pro vobis traditur. Quum ergo Christus pro nobis traditus sit, non Ecclesia (quid enim est Ecclesia quàm nos?) colligitur, in his verbis Tropum esse, neque ulla ratione de carnali corpore Christi posse intelligi.

Obiiciebat rursus Scriba iste, Christum ex Virgine natum esse, à qua te sensus non minùs abhorreret, quàm ab ista carnali mãducatione: *ad quæ Zuinglius illi pro dignitate respondit.*

Post conflictationem hanc cum Scriba habitam, statuit Senatus, ut à prandio Senatores quatuor, cum D. Engelhardo, Leone, Megandro, Myconio & Zuinglio conveniant, quo res tanta diligenter ventilaretur, & omnibus satisfieret. Deliberabatur aliquandiu variè, sed omnis deliberatio hunc exitum accepit, ut sequenti die, duodecimo Aprilis, ad Senatum universa causa iterum referretur. Cùm igitur dicto die Ministri Ecclesiæ urbis Tigurinæ ad Senatum redirent, atque ut Missa in universum aboleretur peterent, prodit denuò Scriba iste, atque eandem cantilenam canit. Et verò cùm Zuinglius copiosè & solidè respondisset, ut nihil contrà potuerit ampliùs in medium proferre, sese è Senatu domum recepit. Tum Senatusconsultum factum est, ut Eucharistia juxta Christi institutionem, ritumq; Apostolicum deinceps celebraretur: infirmis verò liceret hac vice veteri more, si vellent, aliis in locis ea uti: Vt Missa in universum sic abolita, antiquata & ablegata esset, ut ne crastino quidem die repeteretur: Vnde totius urbis ingens gratulatio secuta est atque lætitia. Monachi enim & sacrificuli hactenus in Confessionibus privatim, & concionibus suis publicè docuerant, Corpus Domini sub specie panis tanta contineri magnitudine, quanta pependisset in cruce. Illosque qui vacui hac fide ad altare, sacramentum petituri accessissent, æterno exitio addixerant: *de merito verò Christi mentionem nullam fecerant. Hinc injucunda hominibus reddebatur Cœna. Multi enim dies noctesque suam sortem deplorabant, quòd hæc non crederent, & quòd nec credere possent miserè sese excarnificabant. Liberati igitur illis erroribus, læti ad Cœnam accedebant: Quæ celebrabatur tribus diebus: nempe die Iovis, qui erat Aprilis Mensis decimus tertius, die Veneris, qui erat decimus quartus; & Pascha festo.*

Missa Tiguri abolita.

Duodecimo autem die, quum Zuinglius post conflictationem cum Scriba, omnia cogitaret, omniaque revolveret, ut Tropum in verbis Christi citra omnem ambiguitatem sequenti die toti Ecclesiæ in verbis Christi demonstrare atque etiam explicare posset commodè, tertiodecima Aprilis appetente, visus est, ut in libello de Subsidio Eucharistiæ *de se ipse scribit*, sibi in somnis denuò cum Scriba contendere, sicque obmutuisse, ut quod verum sciret proloqui non posset. Ibi subitò visum esse Monitorem (ater an albus fuerit non meminisse) qui diceret: Quin ignave respondes ei, quod in Exodo legitur: EST Phase, hoc est Transitus Domini: simul expergefactum è lecto exsiluisse, locum diligenter inspexisse, ac de eo mox coram tota Ecclesia disseruisse: Illumque Sermonem omnibus piis, qui adhuc nonnihil hærebant, omnem nebulam dicussisse.

Somniũ Zuinglij.

Somnium hoc Zuinglii, sicut ipse in narratione sua prodidit, postea Papistæ, Lutherani, Vbiquistæ, aliique adversarii, acerbissimis judiciis exagitârunt atque infectati sunt. Huius sic argumentatur: Zuinglius suam sententiam de Cœna Domini ex somnio didicit:

Somniũ Zuinglii acerbissimè exagitatum.

Ergo hoc ipſo Deus Zuinglianam ſectam notare, & omnes monere voluit, ut ſibi ab ea caveant: *Negatur conſequentia. Non enim ſequitur, Dominus nocte in viſione locutus eſt cum Paulo: Ergo notavit Deus Pauli ſectam, & omnes monuit ut ſibi ab eo caveant. Sic etiam Ambroſius Epiſt.* 28. *Theodoſio Imp. ſcribit*, ſe in ſomnio admonitum eſſe à Deo, ne ad communionem admittat eum ante factam pœnitentiam. *Similiter Hieronymus ad Euſtochium ſcribit*, ſe noctu in ſomnis admonitum eſſe, ut à lectione Ethnicorum librorum abſtineat. *Ita etiam Poſſidonius de Auguſtino ſcribit*, quòd vocem audierit, quæ ipſum hortata ſit, ut ſacras Scripturas legat.

Act. 18.

Eſt & Antecedens falſum in Huniano argumento: Non enim ex ſomnio iſto ſuam demum ſententiam didicit Zuinglius, ſed in ea, quam pridem ex Verbo Dei didicerat, inde ſaltem confirmatus fuit.

Falſum & hoc eſt, quod idem ſcribit, Zuinglium neſciviſſe, an ille Angelus ater, vel albus fuerit. *Nam Zuinglius nullius* Angeli *meminit: Aut ſi meminiſſet maximè, quid inde abſurdi colligere vellet Hunius? An neſcit quæ Lutherus ſcribat Tom. 6. Ger. Ienenſi fol.* 83. *non de Angelo, ſed de ipſomet Diabolo, qui noctu colloquium cum eo habuerit, eumque de multis abuſibus Miſſæ Pontificiæ edocuerit? Dicet-ne, hîc etiam, ſectam Lutheranorum notatam eſſe? Sed* Monitoris *mentionem facit Zuinglius. Monitores autem illi ſunt interdum, vel Spiritus Dei, qui habitat in cordibus fidelium: vel Conſcientia & Mens hominis, quæ ſæpiſſime dormiente corpore, & ceſſante ſenſu, recogitat ea, quæ vigilando concepit. Cùm igitur interdiu Zuinglius, ut paulò antè dictum eſt, omnia de explicanda Tropo in verbis Christi cogitaret atque revolveret, an obſecro mirum eſt, ſi mens in ſomnio eadem illa recogitavit, & Deus per Spiritum ſuum id, quod nondum ſatis commodè explicare poterat, revelavit.*

Exagitat & illud, quod ſcribit Zuinglius, Ater an albus fuerit neſcio. *Quid autem Proverbio hoc ſibi voluerit, ſi neſcit Hunius, legat Eraſmi Adagia, & inveniet dici, de re, vel homine ignoto. Sic Cicero Philip.* 2. Te is, quem nunquam vidiſti L. Rubrius Caſſinas fecit hæredem. Et quidem vide quàm te amârit is, qui albus ater-ve fueris ignorans, Fratris filium præteriit. *Hieronymus contra Helvidium:* Quis te, oro, ante hanc blaſphemiam noverat? Ego ipſe, qui contra te ſcribo, cùm in eadem urbe tecum conſiſtam, quâ balbutis & erubeſcis, albus, ut ajunt, an ater ſis neſcio. *Nam vult dicere, ſe neſcire, albus an ater Angelus fuerit. Sic etiam Zuinglius voluit dicere*, ſe ignorare quis aut qualis ille Monitor fuerit.

Hunio tamen impudentiores ſunt Compilatores Hiſtoriæ Auguſtanæ Confeſſionis, quos non ſcribere pudet fol. 47. Zuinglium conſilio Atri Monitoris obtemperâſſe: unde dogma Sacramentarium profectum, & hucuſque agitatum fuerit. *Nec enim ſcribit Zuinglius, Atrum monitorem illum fuiſſe, ſicut iſti impudenter mentiuntur.*

Quòd autem Zuinglius expergefactus, Somnium illud pro revelatione Divina, non pro febrili ſomnia aut ſatanæ ludibrio habuit, juſtiſſimis ex cauſis id fecit. Nam primò, à Monitore illo, non ad fabulas, neque ad Lombardum, Cardinalem Cameracenſem, vel Nicolaum Papam & ſimiles, adeoque ad Scholaſticarum lacunas, à quibus Lutherus ſuam didicit ſententiam; ſed ad Verbum Dei ablegatus eſt, quod ſcrutari ipſemet jubet Chriſtus. Secundò, quòd eò in veritatis cognitionem deductus, in eaque confirmatus fuit: quod Spiritus ſancti proprium opus eſt. Iohan. 14. 16. *&* 1. *Ioh.* 2. *Tertiò, quòd hoc Somnium pertinebat ad promovendam gloriam Chriſti, & abrogationem Miſſatici ſacrificii, quo Chriſti unicum & in omnem æternitatem efficax ſacrificium imminuitur. Columniatores igitur hos non immeritò annumeraveris Phariſæis veritatis truculentiſſimis hoſtibus, qui de Chriſto dicebant: Dæmonium habet, & dæmonia eiicit per Beelzebub, principem dæmoniorum, Matth.* 12.

LITVRGIA A ZVINGLIO in Eccleſia Tigurina in Cœnæ Dominicæ celebratione, inſtituta.

Finito concione, Menſa in Templo mundâ mappâ inſternitur. Huic imponitur caniſtrum pane infermentato plenum, catini, & pocula lignea, quæ vino implentur. Accedit ad menſam Paſtor Eccleſiæ cum Diaconis, & totum cœtum ad attentionem excitat. Mox alter ex Diaconis ſubiicit Inſtitutionem Cœnæ Domini, ex Epiſtola ad Corinthios: alter verò recitat partem capitis ſexti Ioannis, ut ex verbis Domini omnes diſcant, quomodo Chriſti carnem edamus verè, & ſanguinem ejus verè bibamus. Mox recitato ſymbolo fidei, Paſtor admonet, ut quiſque ſeipſum examinet & exploret, ne indignè accedendo, corporis & ſanguinis Domini reus fiat: poſtea omnes ſe in genua demittunt, & Paſtore præeunte, Orationem Dominicam dicunt. Quâ abſolutâ, Paſtor panem infermentatum in manus accipit, & ſpectante fidelium cœtu, altâ voce, magnoque religione Inſtitutionem Cœnæ Dominicæ ex Evangeliſtis recitat:

de-

deinde panem Ministris distribuit, & poculum porrigit: Qui panem in catinis &c. vinum in ciathis circumferunt, & Ecclesiæ exhibent. Quisque in manus sumit, quod traditur à Ministris, edit, & proximè assidenti offert partem ejus, quod accepit: similiter etiam poculum porrigit. Interim verò dum de pane Domini edunt & de poculo ejus bibunt, unus ex Ecclesiæ Ministris prælegit ex Evangelio Iohannis dulcissima illa Domini colloquia, quæ abiturus cum discipulis habuit, à pedum ablutione initium faciens, &c. Si catini & pocula ad mensam redeunt, Ecclesia iterum in genua procumbit, & Deo pro beneficio redemptionis Christi gratias agit. In Ecclesiis autem agri Tigurini, Minister omnia solus recitat, & ad mensam singuli accedunt. Hunc ritum multa Ecclesiæ in Helvetia & Rhetia, postea imitatæ sunt.

ZVINGLII DOCTRINA & sententia de Cœna Domini.

Zuinglius ut verba Christi, Hoc est corpus meum, exposuerit.

V*Erba Christi*, Hoc est corpus meum, *&c. quibus in Cœnæ institutione usus est, per Tropum, & quidem Metonymiam exposuit Zuinglius;* EST *per* SIGNIFICAT *interpretans: ac proinde, Verba Cœnæ sic exponenda docuit:* Hoc significat corpus meum: *vel*, Hoc est signum, figura, memoria corporis mei: *& familiare in Scripturis esse contendit, ut quoties de Sacramentis agitur, rei signatæ nomen, ad signum ipsum transferatur. Hunc igitur sensum verborum Domini esse docuit:* HOC, *videlicet*, hic panis (*ut ex ipso sermonis hujus contextu, & cum præcedentibus & sequentibus cohærentia perspicitur*) est corpus meum, quod pro vobis datur, seu frangitur. *Id est*, Hic panis est symbolum sive signum, & pignus corporis mei, significans non solùm, sed etiam testificans & obsignans vobis, qui in me creditis, corpus meum dari pro vobis in crucem, ut illic frangatur, *hoc est*, acerbissimis doloribus excrucietur. *Item:* HOC (*scilicet poculum, seu vinum in poculo contentum, ut etiam ex ipsa cohærentia, & Evangelistarum collatione planè liquet*) est sanguis meus Novi Testamenti seu fœderis, qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum: *Id est*, Hoc poculum, seu vinum, est signum & pignus sanguinis mei, significans, obsignans & testificans vobis, sanguinem meum effusum iri in cruce, ad confirmandum fœdus illud gratiæ, atque ita promerendum vobis apud Deum remissionem peccatorum, quatenus scilicet expiavero illa, proque eis satisfecero iustitiæ Dei morte mea. *Atque hunc esse verborum Christi sensum multis rationibus probavit.*

Zuinglius qualem significationem statuerit in verbo EST.

Quum itaque Zuinglius EST, *interpretatur* SIGNIFICAT, *suum* significandi *modum eo sensu sumi vult, quo solent modo Sacramentorum signa significare. Nam ut varia sunt signorum genera, ita significandi quoque rationes variæ sunt, pro natura cujusque tum materiei, tum argumenti in quo versamur. Zuinglius ergo, in Sacramento Cœnæ, non aliam ipsi significationem tribuit, quàm quæ veterem referat Sacramentorum naturam. Itaque si panem corpus Christi, & vinum sanguinem significare docuit, modo significandi Sacramentis proprio & peculiari, non intellexit profectò hanc significationem inanem, vacuam & nudam sine certissima rei significatæ præsentia, & cum rebus quas significant societate. Neque dubitavit quin idipsum Deus revera præstet, quod Sacramenti hujus symbolis repræsentat, quodque promissio ipsis annexa, tanquam Divina nota ipsis impresso, testatur & continet. Neque aliud exegisse videri posset Lutherus, qui magis probavit Synecdochen. Namque partem pro toto accipi, panemque & vinum corporis & sanguinis Christi nomine appellari, non ita interpretatus est, ut sublatâ panis & vini substantiâ, nihil jam fiat præter corpus & sanguinem Christi reliquum: sed utrumque ait simul ita inesse sub nomine rei significatæ, ut signum quoque comprehendatur & offeratur. Nulla enim alioqui posset Synecdoche agnosci, sed recideret ejus interpretatio in Transubstantiationem Papisticam.*

Dilucidior explicatio sententiæ Zuinglii.

Sed ut Lector mentem & doctrinam Zuinglii de Cœna adhuc meliùs percipiat & intelligat, paulò fusiùs eam ex scriptis ejus, & libris ab ipso editis repetam. Et quantum quidem ad sensum verborum Domini attinet, Hoc est corpus meum, *&c. docuit unà cum Oecolampadio, sententiam hanc non reddendam esse ex litera, sed ex mente Domini loquentis. Figuratum enim sermonem esse, non constituentem panem corpus, sed, signum, figuram, vel Sacramentum & memoriam corporis Christi. Instituti enim hîc Sacramentum: Sacramentum verò rerum signatarum nomina sibi usurpare. Hoc etiam docuisse in negotio Cœnæ vetustos Patres: & idcirco hæreticos non esse, qui per Tropum verba Domini,* HOC EST CORPVS MEVM, *exponant, sicuti & illa*, Phase est transitus, Petra erat Christus, *&c. nisi libeat etiam vetustos orthodoxos Patres hæreseos damnare. Deinde monuit, Panem quidem in substantiam corporis Christi non transire, sed manere panem, non tamen nudum, seu vulgarem panem, qualem pistor habet. Institutione enim, verbo, voluntate & sanctificatione Domini, fieri panem Domini, & Sacramentum veri corporis Christi. Ubi & Consecrationem Papisticam (quam*

efficacem existimant, si Sacerdos legitimè ordinatus, consecrandi intentione, verba illa solennia quinque pronunciet super panem) reprobauit. Non itaque docuit, Christum Dominum à Cœna sua absentem, sed maximè institutioni suæ præsentem esse, adeoque sine Domino non posse esse Cœnam Domini. Explicationis autem & perspicuitatis gratia docuit simul, præsentiam hanc Domini non essentialem, sive corporalem, sed talem esse, qualem Sacramenta requirunt mystica. Ostendit etiam, figmenta esse verborum, quando dicitur, Corpus Domini adesse substantialiter & corporaliter, non tamen quantitatiuè, aut in loco. *Verum enim corpus Domini retinere etiam post vnionem cum Diuinitate & post clarificationem, humani corporis proprietates atque naturam: verum autem corpus semper vbicunque sit, suum habere locum, neque vnquam posse simul in pluribus esse locis, nedum vbique.*

Quemadmodum verò Ecclesiam Dei præsentia Christi viuifica non spoliauit Zuinglius, ita cibum & potum corporis & sanguinis Christi saluificum non subduxit Ecclesiæ, & pro eo putamina, hoc est, inania signa, falsamque & inefficacem imaginationem reposuit. Docuit enim, ipsum Domini verum corpus, quod traditum est pro nobis, & verum eius sanguinem, qui in cruce pro nobis effusus est, verè manducari & bibi ad vitam æternam. Neque enim vllum alium esse cibum & potum viuificum, nisi corpus & sanguinem Domini. Rursus tamen explicandi, & perspicuitatis gratiâ addidit, fieri hæc non corporaliter, sed spiritualiter, per fidem. Carnem enim corporaliter manducatam (sicut ipsemet Dominus attestatus est Iohannis sexto) nihil prodesse. Atque modum hunc non esse miraculosum, aut ineffabilem, licèt interim fidei mysterium ideo nuncupari possit ineffabile, quòd perficiatur cœlesti virtute Spiritus, quæ nunquam possit plenè, vel exactè & congruis explicari verbis. Docuit quoque, credendum esse verbis Domini, & non curiosiùs in illa inquirendum. Credendum autem, quòd in mortem sit tradita Christi caro, & non quòd panis sit facta caro, vel quòd In, Sub, & Cum pane sit vera caro. Taxauit itaque peruersam Monachorum diligentiam, cumque instituisset populum in ea fide, quæ cuiuis necessariò credendum est, corpus Christi verum pro nobis traditum esse in mortem, & sanguinem eius effusum in remissionem peccatorum; isti, præterita hac doctrina, eam potiùs fidem docuerunt, quâ credere iubentur homines, sub specie panis latere tectum verum Domini corpus, vel substantiam panis conuersam esse in corpus Domini, quod adorari oporteat sub specie panis: æxitio sempiterno mancipantes omnes, qui hoc non credunt, & ibi Christum non adorant: cùm in Scriptura illi potiùs damnentur, qui non credunt Christum Dei Filium pro ipsis incarnatum, crucifixum & ex mortuis excitatum esse, atque ita non plenè redemisse fideles, eundemque non adorant ad dexteram Patris. Reiecit etiam eorum sententiam, qui docent. Cùm, In, & Sub pane contineri verum & substantiale corpus Christi, & simul cum pane comedi: hunc enim sensum non solùm non elici posse ex verbis Domini, sed etiam pugnare cum articulis Fidei, Ascendit in cœlum, Sedet ad dexteram Patris, Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

Præterea, cùm fide omnino careant impij, fide autem percipiatur corpus Domini, docuit etiam, impios percipere Sacramenta corporis Domini in iudicium, & non ipsum corpus Domini, quod nunquam percipiatur, nisi ad vitam, cùm sit cibus vitæ vnicus & verissimus. Hanc doctrinam Lector in omnibus Zuinglij libris tam didacticis, quàm polemicis passim inueniet.

Testem horum omnium habeo Bucerum, qui in Retractationibus suis anno 53. editis, sic inter alia de Doctrina Zuinglij, quod ad Cœnam Domini attinet scribit: Cùm Lutherus, & alij contenderent, panem esse corpus Domini, aut, in pane esse corpus Domini, persuaserat sibi Zuinglius, illos statuere corpus Domini, aut cum pane redigi in eandem substantiam: aut in pane localiter includi: eoque contra prius semper obiecit: Si panis est corpus Domini, panis est pro nobis crucifixus. Contra alterum, loca, quæ testantur relicto hoc seculo periisse cœlos, & sedere ad dexteram Patris, indeque cœpit *Est*, In verbis Domini, hoc est corpus meum, per, significat, interpretari, caloreque contentionis eò euectus est, ut cùm vellet solam impanationem & localem inclusionem, præsentiamque Christi ratione hujus seculi impugnare, magis abesse in sacra Cœna Dominum, quàm adesse, & dari potiùs symbola hîc, quàm corpus & sanguinem Domini diceret: cùm tamen non vellet simpliciter abesse à Cœna Dominum, aut inania corporis, & sanguinis Domini omnino hîc symbola dispensati: ut ipse postea apud me agentem cum eo de concordia Ecclesiarum in hoc dogmate, confessus est, & In Apologia ad Principes Germaniæ scripsit. Nam ibi, verbis D. Augustini confiteri præsentiam Domini, sustinuit.

Ita alicubi, dum cavere vellet, ne homines ab externo opere in sacramentis salutem peterent, disertè affirmat, Sacramenta tesseras modò esse societatis Christianæ, nihil conferre ad salutem. *At alibi disertè scribit,*

facra-

Sacramenta auxilium, opemque adferre fidei. *Ex quo satis liquere potest, cùm scripsit Sacramenta nihil conferre ad salutem, nec confirmare fidem, eò intellexisse: Sacramentis id est, actioni externæ Sacramentorum per se nihil inesse huius, ut conscientias roboret fide aucta. Dum enim istam suam sententiam: Sacramenta non dispensare salutem, nec confirmare fidem, probare instituit, adfert, confirmare & augere fidem esse opus Christi per Spiritum sanctũ. Quod argumentum simile illi est, Deus sanat vi naturæ: Ergo, Medicus, & medicina ad id nihil conferunt. Efficit quidem omnem salutem in nobis unus Christus, idque nulla aliena virtute, sed sua sola Spiritu: interim tamen ad id ipsum vtitur ad nos suo Verbo, tam visibili in Sacramentis, quàm audibili in Evangelio. His remissionem peccatorum, communionem sui, & vitam æternam adfert, & exhibet. Id Zuinglius agnovit. Proinde cùm negavit, Sacramenta dispensare gratiam, intellexit Sacramenta, id est, externam actionem huc non valere ex se; sed salutis omnia niti actione interna Christi cuius Sacramenta suo modo instrumenta sunt. Iam & Lutherus primus omnium hoc quidem seculo, impugnavit sententiam illam Scholæ; Sacramenta ex se conferre gratiam, sic bono motu cordis, absque fide. Itaque & in hac quæstione oppugnavit Zuinglius, quod Lutherus non affirmavit.*

Calumniæ Pontificiorum & Vbiquistarum de Zuinglij doctrina.

Falsissimum igitur est, quòd vivente adhuc Zuinglio & post mortem eius Pontificij. Lutherani & Vbiquistæ de ipso sparserunt, & pro certo affirmârunt, quòd verbis Christi novam & alienam interpretationem, adeoque Primitivæ Ecclesiæ Doctoribus incognitum & inusitatum sensum affingat: quòd item à pane & vino corpus & sanguinem Christi prorsus abstrahat, cœloque concludat, vacua & inania signa statuat; & tantùm fructus seu merita passionis Christi per Sacramentum Eucharistiæ percipi concedat. Huic enim calumniæ quatuor turpissima insunt mendacia.

1. Mendacium. Zuinglius sensit cum Tertulliano.

Primum *est*, Zuinglium verbis Cœnæ nouum sensum affingere, adeoque noui dogmatis authorem esse. *Nam verba Christi eodem modo, quo Patres in Primitiva Ecclesia, interpretatus est, & quo à vetustissimis Doctoribus olim tradita sunt, ipse bona fide docuit. Tertullianus enim corporis Christi veritatem hinc maximè probari posse existimavit, quòd corpus suum pane significari voluerit. Contra Marcionem enim scribens, sic ait lib. 4.* Christus acceptum panem & distributum discipulis corpus suum illum fecit, Hoc est corpus meum dicendo, id est, FIGVRA CORPORIS MEI. Figura autem non fuisset, nisi veritatis esset corpus. Cæterùm vacua res, quod est phantasma, figuram capere non posset. *Argumentum tale est.*

Figura corporis naturale corpus arguit: Spectri enim seu phantasmatis figura esse non potest.

Christus autem discipulis suis corporis sui figuram distribuit: panis enim ille quem Dominus corporis sui figuram effecit, dicendo, Hoc est corpus meum, figura est corporis eius.

Ergo, Christus verum & naturale, non phantasticum corpus, vel imaginarium habuit.

Idem libro 1. contra eundem inquit: Sed Christus quidem vsque nunc, nec aquam reprobauit creatoris qua suos abluit, nec oleum quo suos vngit, nec mellis & lactis societatem qua suos infantat, nec panem quo ipsum corpus suum REPRÆSENTAT, etiam in sacramentis proprijs egens mendicitatibus creatoris. *Zuinglius ergo sua expositione à vetustissimo hoc Patre ne verbis quidem dissentit. Vt enim hic, ita ille quoque panem corporis figuram vocavit, & Christum hac suâ locutione non aliud significare voluisse docuit. Licèt enim in primo libro* Repræsentandi *verbo vsus esset, alterum tamen illud quod de* Figura *corporis loquitur, quomodo superiùs illud intelligi debeat, abundè satis declarat.*

Hieronymo, Explicatur locus Hieronymi.

Sic etiam Hieronymus in cap. 26. Matth. dicit, Christum panem in manus acceptum Ecclesiæ suæ Sacramentum ordinâsse, vt eo veritatem corporis sui repræsentaret. *Hic Iesuitæ & Lutherani cùm aliud non habeant quo loca hæc eludere possint, dicunt,* Repræsentandi *verbum sic accipiendum, quasi ipsum corpus per panem, vel accidentia panis realiter præsentari, hoc est, præsens reddi intellexerint.*

Repræsentare quid significet Hieronymo.

Quasi verò dicti Patres, ac præsertim Hieronymus, politissimus Latinæ linguæ cultor, voce hac tam barbarè uti voluissent, & non potiùs vsurpare pro eo, quod est, rem aliquam similitudine quadam aut imagine referre. Et hoc sensu vsurpasse hîc voculam hanc Hieronymum ex alijs eius locis intelligi potest. Nam in 1. Cor. 12. c. sic scribit: Quia morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando, carnem & sanguinem Domini, quæ pro nobis oblata sunt significamus. *Alibi ait,* Dominum in Cœna vltima nobis sui quasi pignus quoddam reliquisse. *Contra Iovinianum,* In typo, *inquit*, sanguinis sui obtulit vinum: *lib. 2. Sic etiam alij Patres panem & vinum Cœnæ* Typos *&* Antitypos *nominârunt. Typus autem Græcis idem, quod Latinis, figuram significat. Ambrosius alijque Cœnam* Memoriam redemptionis, *id est, corporis & sanguinis, per quæ re-*

dempti sumus, vocârunt. Memoria *non ipsam rem, sed rei in memoriam redigendæ signum vel figuram esse apud omnes constat. Zuinglij igitur expositio verborum Cœnæ in Ambrosio & alijs Patribus deprehenditur quoque.*

Augustinus.

Augustinus in enarratione Psalmi 3. scribit, Christum in sacro hoc conuiuio corporis & sanguinis sui FIGVRAM discipulis commendâsse & tradidisse. *Hic Figuræ vocabulum propriè & absolutè ab Augustino ponitur, vt antea à Tertulliano. Idem contra Adimantum Manichæi discipulum cap. 12. Manichæorum ineptias discutiens, quibus Scripturæ locutiones de sanguine, carne & alijs tropicè dictas miserè torquebant, inter alia sic scribit:* Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum, cùm SIGNVM daret corporis sui. *Vbi quod antea* Figuram *dixit, nunc* Signum *vocat Augustinus, quod perinde est, ac si* Significandi *verba cum Zuinglio vsus fuisset. lib. 3. de Doctrina Christiana cap. 16. scribit:* Nisi manducaueritis carnem Filij hominis, & sanguinem eius biberitis, non habebitis vitam in vobis: facinus vel flagitium videtur iubere: Figura est ergo, præcipiens passioni Domini esse communicandum, & suauiter atque vtiliter recondendum in memoria, quòd pro nobis caro eius crucifixa & vulnerata sit. *Eiusdem generis est, quòd ad Bonifacium de Sacramentis & sacramentalibus loquendi formulis in genere inter alia hæc scribit:* Si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino sacramenta non essent. Ex hac autem similitudine plerumque etiam ipsarum rerum nomina accipiunt. Sicut ergo secundùm quendam modum Sacramentum corporis Christi corpus Christi est, Sacramentum sanguinis Christi sanguis Christi est, ita Sacramentum fidei fides est, *&c. Quid his quæso apertius dici poterat? Sacramenta non ipsas res esse dicit, sed rerum in se habere similitudinem: Interim Scripturæ locutiones non tollit, non inuertit, non mutat, non violat, sed secundùm eum modum accipiendas esse dicit, quo dictæ sunt, sacramentalem videlicet, qui à figurato nihil distat, cùm omnia sacramenta rerum spiritualium figuræ sint. Vide plura loca & testimonia Patrum, Parte prima nostræ historiæ Sacramentariæ à folio 61. per aliquot sequentia. Ex quibus constare spero, Zuinglium circa mysticam Cœnam Domini nostri Iesu Christi non nouæ alicuius interpretationis, aut dogmatis autharem fuisse, cùm ex Veterum sententia ijsdem propè verbis & proprijssimis loquendi formulis verba Cœnæ exposuerit.*

Cur Christus non dixerit, Hoc est figura corporis mei.

Ad id autem, quod obijcitur, Christum non dixisse, Hoc est figura, *vel* signum corporis *aut,* Hoc significat corpus: *Respondetur ex Ambrosio lib. 4. de Sacramentis cap. 4.* Non etiam dictum esse, Baptismum significat mortem Christi, sed, mors est, non quidem in ipsius mortis corporeæ veritate, sed in similitudine. *Nam sicut hîc in Baptismo, ita etiam in Dominica Cœna carnis & sanguinis Christi similitudinem accipimus: & vt cum Christo reuera sepulto consurreximus, sic etiam participatione corporis & sanguinis eius in ipsum transimus. Ex vsitato igitur Scripturæ loquendi modo de Sacramentis, cùm Petra dicitur esse Christus, signum quod significat, eius rei, quam significat nomine appellatur, vt etiam Augustinus docet.*

2. Mendaciũ de Zuinglij doctrina.

Alterum mendacium est, Zuinglium à pane & vino corpus & sanguinem penitus abstraxisse, & nuda tantùm signa statuisse. *Quid enim hoc aliud esset, quàm inter Sacramenta, & res communes nullum facere discrimen? Sed hoc ab initio, & postea semper docuit ex Verbo Dei, eam non esse rei significatæ & signorum copulationem, quam nonnulli imaginentur, quasi videlicet reipso caro & sanguis sit inuisibiliter, In, vel Sub, vel Cum pane, quum minimè hoc requirat sacramentalis coniunctio, vt vbi est signum, ibi quoque sit res sacramenti, idque manifestè corporis Christi veritati, & eiusdem in cœlos assumptioni repugnet, atque adeò vel vnicum* MEMORIÆ *nomen eum errorem plus satis arguat. Non igitur* Rem à Signis *abstraxit Zuinglius, sicut hostes eius confinxerunt, sed illam cum his non nisi sacramentaliter coniunctam affirmauit: cuius quidem coniunctionis hæc vis est, vt quod externo symbolo sensibus corporeis figuratur, vel significatur, & fidei nostræ per Verbum promittitur, id ipsum spiritualiter quidem, at verè tamen fide percipiendum donetur. Est enim sua peculiaris Sacramentorum figurandi & significandi ratio, quæ congruit eorum naturæ & institutioni: quia non quæuis, sed sacra & mystica Dei gratiæ & promissionum sunt signa, quibus Spiritus Sanctus vtitur, in excitanda & confirmanda fide, tanquam visibili aliquâ, rerum his significatarum, promissione. Vnde etiam non quouis vulgari quorumcunque communium signorum modo significandi vim habent: sed sicut rerum in ipsis promissionibus oblatarum nominibus appellantur: Ita ex diuinæ institutionis pacto non minus verè, & certò eas exhibent, quàm in verba promissionis significant & repræsentant. Hinc dicitur,* Quòd in recto sacramenti vsu inseparabilis sit veritas à signo, *quatenus videlicet ex diuina promissionis veritate coniunctam habet, in Spiritus sancti virtute & operatione, ipsius rei exhibitionem & communicationem, cuius significandæ & obsignandæ causa, vt sacramentale*

signum est institutum. Et hoc Augustinus de Consec. distinct. 2. cap. 6. Beneficium Sacramenti esse, *ait*, participem eius fieri, quod per sacramentum significatur. *Non igitur præsentiam & exhibitionem rerum excludit Augustinus, sed prædicationis modum in verbis respicit significatio: Exhibitio verò in recto & legitimo Sacramenti vsu, ipsiusque mysterij gratia, seu virtute fit, & intelligitur, quo, vt Cyprianus ait in Serm. de Chrismate,* Adest veritas signo, & Spiritus Sacramento, cuius hæc ab ipsa rerum efficientia, gratiæ dignitas est, quòd in illo Christi & Ecclesiæ ipsius vnitas datur, & confirmatur filijs adoptionis.

Hanc interpretationem etiam admisit Glossator Decretorum, qui Augustini verba, quæ ex lib. Sent. Prosperi citantur de Cons. dist. 2. cap. 48. Cœlestis panis, qui verè caro Christi est, corpus Christi suo modo vocatur, *sic est interpretatus:* Cœlestis panis, qui verè repræsentat corpus Christi, impropriè, & suo modo dicitur corpus Christi, non rei veritate, sed significante mysterio, vt sit sensus, Vocatur Christi corpus, id est, significat.

Ab hac etiam explicationis ratione non abhorrent, nec aliena sunt, quæ ipse Lutherus quoque extra contentionem scribens, tria videlicet in omni Sacramento considerando esse docet; primò, externum & visibile signum: *secundò*, rem internam & spiritualem, sacramento significatam: *tertiò*, fidem: *Vide integrum locum supra in tertia eius sententia de Cœna Domini.*

Talem etiam significationem *in verbis Cœnæ ipsemet quoque Brentius olim in Exegesi in Iohannem cap. 20. agnouit, & recipi posse concedit. Postquam enim eos, qui ex* EST, Significat, *& ex* corpore figuram *faciunt, atque per hoc præsentem corporis Christi exhibitionem in verbo à Cœna auferre conantur, errare, & in ipsius Christi liberalitatem peccare scripsisset; fatetur deinde,* ferri & tolerari posse eiusmodi explicationem, quia planè verum sit, corpus per panem significari, modò non ita significari intelligatur, vt corpus Christi fidei nostræ præsenter non distribuatur. *Vult itaque ipse, panem Cœnæ dici corpus Christi, non commutatione panis in corpus, aut imaginatione carnali corpusculi sub pane latentis, sicut humana ratio corpusculum quoddam, quod ita carnaliter in pane subsistat, nugaci imaginatione fingit, sed distributione, & præsenti exhibitione:* Corpus enim Christi, pane Cœnæ, per verbum, fidei nostræ donati, & distribui. *Vtque se magis explicet, de qua distributione loquatur, sic pergit:* Cùm fidei nostræ corpus & sanguis distribuuntur, eo ipso dispensantur externo ministerio, iustitia, vita, salus, remissio peccatorum, adeoque omnia bona, per Christi mortem, & sanguinis effusionem parta. *Sic corpus & sanguinem in Cœna spiritualia dona esse dicis, quia ex fide quæruntur. Quæcunque enim ex fide, & spirituali cupiditate quæruntur, spiritualia dici, etiamsi maximè corporalia sint. Atque hæc ita tunc sensit & scripsit Brentius, cùm contra Zuinglium se scribere videri vellet: tamen hodie hæc eadem sententia & explicatio, sub Zuinglij & Caluini nomine acerbissimis iudicijs reprehenditur, & pro sacrilega Dominici Testamenti depravatione rabiosè laceratur & condemnatur. Tam syncerus scilicet est, & probè sibi constans Contentionis spiritus.*

Ergo modus significandi non fuit intellectus.

Qualis sit distributio corporis Christi in Cœna.

Corpus & sanguis Christi quomodo spiritualia dona.

Ipsimet quoque Scholastici essentialem Sacramenti rationem in significando *consistere & sitam esse docent. Dicunt enim* Sacramentum esse corporale, vel materiale elementum, ex similitudine repræsentans, & ex institutione signans, quod offerendo se sensibus, facit aliud in cognitionem venire. Vnde non esse purum elementum corporale, sed cum hoc significare etiam aliquid spirituale, quod ei vniatur secundùm intentionem instituentis. Hanc autem vnionem non esse aliam, quàm signi, & rei signatæ, & ideo hinc sequi, quòd vera sacramenti ratio sit significatio.

Bonauent. lib. 4. dist. 1. q. 1. & dist. 22. q. 3.

Non igitur crassus solùm error, sed impudens etiam calumnia est eorum, qui Zuinglium nudo & vacuo signo statuisse dicunt; quòd in pane & vino verè & essentialiter contineri, & corporali præsentiâ adesse negauit corpus & sanguinem Christi, sed panem & vinum corpus & sanguinem Christi significare *docuit. Cùm enim sacramentis insit promissio rerum, quas significant, velut in verbo visibili, in ijsque secreto salutis nostræ dispensatio fiat & peragatur, quomodo nuda signa, hoc ipso, quo instituta sunt, fine & effectu dici poterunt? Nam etsi corpus & sanguis Christi, ex immota fidei analogia, realiter in pane & vino existere, & contineri rectè negentur: Tamen non magis, ea propter, nuda & vacua signa erunt, quàm dici verè & constanter possit, panem & vinum, primo ac præcipuo institutionis suæ fine, esse signa corporis & sanguinis Christi, non vt hæc in mortem pro nobis tradita sunt, sed sicut realiter, & inuisibiliter in pane & vino existunt; & corporali præsentiâ continentur. Neque enim aliter corporis & sanguinis, quàm promissionis gratiæ signa sunt. Ergo nec alio modo, velut à præsentia & communicatione corporis & sanguinis Christi, quàm ob ipsa promissione gratia (quæ hæc corporis & sanguinis Christi communicatio*

in verbis Cœna offertur) nuda & vacua signa dici, ex ipsa vera ratione & definitione sacramentorum possunt.

3. Mendacium

Tertium mendacium est, quòd inuidiosè criminantur, à Zuinglio corpus & sanguinem cœlo concludi, *quasi videlicet cælum pro quodam ergastulo habuerit Zuinglius: ac non potiùs hac calumnia quadret ijs, qui Christum vel pane, vel armarijs & pixidibus, ventre denique ipsarum etiam impiorum concludunt. Quòd si sententia Zuinglij non placet istis hominibus, quam scripsit*, verum Christi corpus nusquam nunc reipsa esse nisi in cœlis, quibus illum capi ad alterum vsque aduentum oporteat, *age si libet cum Petro, id est, cum ipso Spiritu sancto litigent.*

4. Mendacium.

Quartum est, Zuinglium existimâsse, merita passionis Christi per sacramentum Eucharistiæ percipi. *Nam hoc certè falsum est, quo sensu ab istis dicitur, & ab illius omniumque verorum Theologorum sententia prorsus alienum. Etsi enim Sacramenta (vt & verbum simplex) agnouit pro Spiritus sancti organis, quo sensu dixit Paulus, hunc panem esse corporis Christi κοινωνίας, nequaquam tamen, quod vnus Spiritus sanctus in credentium cordibus operans efficit, id est, Christi perceptionem, ad vllas res creatas, quantumuis sanctificatas, id est, sancto vsui destinatas, transtulit. Istorum igitur, non Zuinglij hoc est commentum, qui postquam sursum attollenda corda per ludibrium vociferati sunt, mox ad suum inane spectrum fascinatas miserarum mentes transferunt.*

Zuinglius orthodoxam sententiam de Cœna sub ipso Papatu amplexus est.

Sententiam autem hanc amplexus est Zuinglius sub ipso Papatu. Sic enim scribit alicubi: Fuimus ante annos plures quàm nunc conueniat dicere, huius sententiæ de Eucharistia. *Item*: Nemo nostrûm (sub Papatu) vnquam verè credidit, se in isto pane tale quiddam edere, quod somniauimus. *Quæ verba Zuinglij dicti Compilatores & Hunnius sic malitiosè interpretantur, quasi ex impia ac profana quadam incredulitate hæc eius sententia præmanârit. Si enim rectè, nec prauo præiudicio fascinati sic ex verbis istis colligunt, respondeant ad id, quod in Iohannis Mathesij senioris Historia de Lutheri vita & doctrina extat, anno* 1600. *à Paulo Kauffmanno Norinberga rursus excusâ: Ibi enim Concione* 12. *de historia Lutheri folio* 130. *legitur.* M. Antonium Musam quodam tempore grauiter conquestum esse apud Lutherum, & deplorâsse, quòd ne ipsemet quidem ea possit credere, quæ alios doceat: *eique Lutherum respondisse*, Laus Deo, quòd alijs idem quod mihi accidit: & huius consolationis Musam per totam suam vitam non potuisse obliuisci.

Zuinglius præmeditatè suam sententiam de Cœna in lucem prodidit.

Priusquam verò publicè hanc doctrinam propaneret Zuinglius, omnibus veterum libris euolutis, sententias earum de Eucharistia, in vnum librum collegit. Deinde cum paucis amicis, quorum fides ei nota & perspecta erat, suam sententiam contulit: quos inter non postremus Henricus Bullingerus erat: It enim cùm anno 23. *accessisset Zuinglium mense Septemb. exposuit ei Zuinglius suam sententiam, & petiit etiam quid ipse sentiret de Sacramento corporis & sanguinis Christi. Ille bonâ fide declarauit suam sententiam, quam ex fratrum* Waldensium *& D.* Augustini *libris didicerat, & tum etiam totus in ea erat, vt Patrum iudicium de hac re cognosceret. Cuius sententiam & iudicium probauit Zuinglius vehementer, monuit tamen eum simul, ne cui id mysterij hoc adhuc tempore explicaret, nondum enim tempus idoneum esse, vt publicè propanatur.*

Adhac operam dedit, vt ferè omnes qui in Germania & Gallia eruditione & authoritate præstabant, partim ex ipsius, partim ex amicorum literis, se hac de re scripturum esse cognoscerent. Idque hoc consilio faciebat, vt si res maxima & vulgi auribus inaudita, prodiret, patronos multos haberet, inuidiamque declinare posset. Prouidebat enim, difficillimum esse, homines ab hac opinione, quæ per aliquot secula altissimas radices in animis eorum egerat, penitus auellere: quòd nefas esse putarent de hac re vel cogitare, nedum dubitare. Non ignorabat etiam quid Berengario, Wiclefo, *Husso & alijs, qui hanc sententiam defenderant, accidisset. Has ob causas minimè inconsideratè, multò minus temerè, aut fortuitò irruens Zuinglius, sed circumspectè cauteque, & consultis fideliter Deo & hominibus, ad hanc causam peculiariter agendam accessit, quam à Berengarij tempore, præter* Wiclefum, *Hussum & alios paucos, nemo resumpserat, neque hi tamen eam absoluerant.*

Plerique verò, cum quibus conferebat, in eius sententiam concedebant, nec aliter respirabant, quàm si diuturnâ captiuitate liberati, in lucem, & amicorum complexus redijssent. Hac, paucis exceptis, sunt verba Lauatheri in historia Sacramentaria. Mentiuntur igitur Compilatores historia Augustana Confessionis anno 85. *Lipsia Latinè edita, quum scribunt, Lauatherum referre, Zuinglium ad præcipuos Germania & Gallia viros doctos scripsisse, se nouam quandam ac singularem de Cœna Domini sententiam producturum esse. In* Subsidio *etiam suo, hanc suam sententiam subinde* veterem, *&* veterum Patrum sententiam, *item*, veterum expositionem post-

liminio

liminio à se reductam *appellat Zuinglius.*

Eodem tempore Ioannes Rhodius & Georgius Saganus, pij & docti viri, Tigurum venerunt, vt de Eucharistia cum Zuinglio conferrent. Qui cùm eius sententiam audiuissent, dissimulantes suam, gratias egerunt Deo, quòd à tanto errore liberati essent; atque Honij Batani epistolam protulerunt, in qua verbum EST, *in verbis institutionis Cœnæ, per* Significat, *explicatur, quæ interpretatio Zuinglio commodissima videbatur. Hîc etiam crimen falsi committunt ijdem Compilatores, eo quòd scribunt,* quia clarissima verba institutionis, sibi obstare, & veluti sudem in oculis esse animaduerteret Zuinglius, nullam inuenire rationem potuisse, quâ ad conceptam suam opinionem verba detorqueret, donec fortè fortuna incideret in sarcinam Batani cuiusdam Honij, epistolam ipsi subministrantem, in qua pretiosissimam hunc vnionem repererit. *Quibus in margine addunt*, Zuinglium suam de Sacramento sententiam didicisse atque accepisse primò ex sarcina cuiusdam Batani. *(Ergo non ab atro spiritu.) Nam antequam duo illi viri, Rhodius & Saganus, hanc ei epistolam dedissent, eos de vera sententia Cœnæ instituit: Deinde in libello, cui titulum fecit*, Subsidium, *siue* Coronis de Eucharistia, *hæc scribit:* Fuimus ante annos plures, quàm nunc conueniat dicere, huius opinionis de Eucharistia, quam & per epistolam, & in Commentario promulgauimus: sed consilium erat eam non temerè in vulgum dissipare. *Sed & ipse Zuinglius, quasi hanc insignem calumniam prœuidisset oculis, sic disertis verbis eam refutat in Responsione ad Lutheri librum*, Quòd verba, Hoc est corpus meum, adhuc firma stent: Post, *inquit*, omnia hæc Honij epistola diuini Numinis prouidentiâ nobis transmissa est, quæ huius rei notitiam & intellectum nobis nequaquam tunc demum primùm peperit, quod ipsum charissimi in Christo fratres, qui hanc ad nos detulerunt, facilè testari possunt (nam singulari quodam gaudio afficiebantur, cùm nostram quoque super hac re sententiam audiuissent) sed occasionem præbuit, quâ adiuti verba hæc simplici turbæ commodiùs proponere possemus.

Honij calumnia contra Zuinglium.

Errat igitur Hunius quoque, qui scribit, Zuinglium suam sententiam de Cœna Domini, & verborum Christi interpretationem, non ex Scriptura, sed ex ratione humana hausisse. *Non enim hoc ex Zuinglij verbis colligi potest, sed ipse Hunius id ex suo cerebro impudenter confinxit. Etsi enim commodam interpretationem verborum Institutionis aliquandiu ignorârit, non tamen sequitur, ipsum propterea sententiam suam de carnali præsentia, & orali manducatione corporis Christi in Cœna ex rationis humanæ iudicio temerè mutauisse. Nam, vt ipsemet in* Exegesi *sua ad Lutherum scripsit, non ambitione, curiositate, petulantiâ & fiduciâ ingenij, aut carnis, aut humanæ rationis cogitationibus, sed fide & authoritate Scripturæ adactus, sententiam Papistarum de Cœna Domini abiecit, & hanc amplexus est.* Fide, *inquit*, didicimus carnem non esse datam ad edendum: Fide enim perspectum habemus nos saluos fieri per Iesum Christum: omnia nobis cum illo donari: per eum nos esse filios Dei factos. Quid caro manducata super his omnibus faceret, non inueniebamus in diuinis oraculis. Pollicentur multi multa, si carnem edas: sed quæ isti pollicentur, non habet rata summus Imperator & Iudex. Accedebat toties prædicta caro abitura. Hæc nos coëgerunt paulò propiùs intueri Scripturę Tropos & ingenium, sic cogitantes: Quid si verba Christi, quandoquidem caro non prodest quicquam ad edendum, pro linguæ huius proprietate alium sensum, quàm qui tantopere cum tot Scripturæ locis pugnat, reddunt? Omnia peruestigamus, Hebraïca, Græca, Latina, vetera, noua. Inuenimus rem aliter habere quàm opinati sumus omnes: Imposuisse nobis linguarum ignorantiam, & quæ istam secuta est, audaciam. Nam si curiosas cogitationes sequendo huc peruenissemus, iamdudum fuisset mota controuersia: Non est enim dubium ante aliquot secula huiusmodi cogitationes torsisse animos fidelium. Sed fides, indubitataque oracula, quæ huic sensui repugnabant, huc adegerunt, neque vt arbitror, infeliciter.* *Et rursus in Responsione ad Lutheri librum*, Quòd verba Christi, Hoc est corpus meum, firma stent, *eandem calumniam sic diluit:* Hæc, *inquit*, loca cum infinitis alijs, quæ non minùs clara & expressa in Scripturis continentur, alteram causam nobis pepererunt, quæ Christi verba, Hoc est corpus meum, vestro illo sensu accipere prohibuit: fecit item, vt diligenti Scripturarum consideratione vsi inquisiuerimus, an-non sæpenumerò sacra verba simili modo aliud quiddam significent, quàm primâ fronte nobis promittant. Quod ipsum tu nobis fraudulentiæ & doli mali loco imputas, vt qui sensum aliquem ex nobis confinxerimus primò, deinde verò Scripturas quæsiuerimus, quarum authoritate hoc commentum nostrum tueri possemus. Hoc à nobis minimè factum est: quin potiùs iam olim, idque multò antequàm tu id feceris, ex Hilarij lectione hoc

per-

peruersum & præposterum esse didicimus. Sed altera illa verba, quæ istis opponi poterant non minùs quàm hæc perpendimus, cùm & illa non minùs quàm hæc Dei verba sint. Dum verò ex primis fidei Christianæ fundamentis illa dijudicamus & inspicimus, horum authoritas, non cogitationis nostræ figmentum, nos compellit & vrget, vt Scripturas inuestigemus, &c.

Quòd autem de vero sensu, & explicatione commodô verborum Christi, cum pijs & doctis viris seriò contulit Zuinglius, quid obsecro in eo peccauit? Nónne idipsum fecit, quod Scriptura nos facere hortatur. Petrus dicit 2. Pet. 1. Nullam Prophetiam Scripturæ esse propriæ explicationis. *Paulus verò* 1. *Cor.* 14. Spiritus Prophetarum Prophetis subditos esse. *Rursus Petrus iubet*, Si quis loquitur, loquatur vt eloquia Dei, 1. *Pet.* 4. *Et Paulus Rom.* 12. Habentes, *inquit*, diuersa dona pro gratia quæ nobis data est, siue prophetiam, prophetemus proportione fidei, &c. *Iussit etiam Christus* Scripturam scrutari; *Salomon*, Sapientiam indagare, *& Iacobus* eandem à Deo petere. *Paulus etiam docuit*, Varia dona Spiritus non vni soli, sed multis dari, iuxta mensuram donorum Christi, sed tamen ad communem vtilitatem, 1. *Cor.* 12. *&* 14. *Ephes.* 4. *Nónne ex hac prudentia, quâ vsus est ab initio Zuinglius, apparet, controuersiam, quæ postea in negotio Sacramentario exorta est, ei adscribendam & imputandam esse, qui maluerunt hanc causam coram vulgo tribunitijs suis & plus quàm Manlianis concionibus exagitare, quàm amicè & moderatè veritatem inquirere, ac Scripturarum rationes & Patrum testimonia, seposito omni affectu, diligenter examinare & inter se ponderare?*

Cùm autem Euangelium Ioannis publicè pro suggestu interpretaretur Zuinglius, & ad sextum caput peruenisset, multis ostendit, carnis Christi manducationem corporalem, nihil prodesse. Nam in Annotationibus ad caput illud hæc leguntur ad verbo ista, Panis, quem ego dabo caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita: In compendium totam suam doctrinam contrahit Christus. Quasi dicat: Dixi iam diu me panem esse vitæ æternæ, sed nondum dixi quo pacto id fiat: hoc iam aperiam. Ego carnem meam in mortem tradam, atque hoc sacrificio iustitiæ Patris mei satisfiet: hinc fit vt humanum genus cum eo in gratiam redeat, irâ scilicet eius per mortem meam placatâ. Moriendo ergo fit panis vitæ, non quòd dentibus conteratur, sed quòd credatur quòd carnem suam pro nobis dederit in mortem. Neque enim dicit, Panis quem ego dabo caro mea est, quam vobis corporaliter edendam proponam: Sed sic, Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita: & hic animam cibabit, quemadmodum panis corpus, &c. *Rursus ad verbo illa*: Amen dico vobis, nisi ederitis carnem Filij hominis, &c. Christus, *inquit*, subinde eadem repetit, clariusque sese declarat. Per manducationem ergo sui corporis, & bibitionem sui sanguinis, nihil aliud intelligit, quàm fidere morte sua, quam pro nobis pertulit. Nam cùm hîc dicit, Qui edit carnem meam, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam: & suprà, Qui in me confidit, habet vitam æternam: quis non videt, manducationem corporis sui, & fidem in eum, idem esse? nisi quis duas vias ad salutem ponat, vnam per esum corporis Christi, aliam per fidem. Sed hoc si esset, nihil opus fuisset morte, aut cruce, quia vitam æternam habuissent discipuli mox à Cœna, quum corpus eius edissent, & sanguinem bibissent. Sed absit hæc absurditas à mente piorum, quæ sequeretur, si verba Christi carnaliter quis intelligat. Sed Christus docet, se piorum salutem & vitam esse, qui carnem & sanguinem suis pro eis in mortem expenderit. Caro igitur Christi, quatenus in mortem tradita est pro nostra liberatione, verè est cibus animæ, & sanguis quatenus fusus est in cruce pro ablutione nostra, potus est salutaris. *Et ad verba illa*: Spiritus est qui viuificat, caro nihil prodest. Verba quæ ego loquor spiritus sunt, &c. Sensus est, *inquit*: Imprudenter nimis cogitatis, quum putatis me de ista carne loqui, quæ venis & neruis alitur & constat. Ea non prodest quidquam. Clarè dico vobis, quòd tam abest, quòd de corporea carne, aut essentiali corpore loquar, vt palàm tester, meam carnem nihil penitus prodesse. *Item:* Ostendit ergo, quòd caro ad edendum planè sit inutilis, imò ad fidendum quoque si naturaliter ac sola consideretur; spiritum oportet esse cui fidamus. *Item*: Quum videritis me cœlos ascendere, tum rei experientiâ confitebimini, & quòd sim Filius Dei, & quòd de fiducia in me sim loquutus, non de edenda carne, quam videbitis ad cœlum migraturam. *Rursus*: Quum Christus dicat, carnem nihil prodesse, non debet humana temeritas vnquam de ea edenda disputare. Si dicat quis, carnem Christi prodesse, quum simus ea à morte redempti; Respondemus, carnem Christi plurimùm omnino, imò immensum prodesse, sed cæsam, non carnaliter ambesam. Cæsa nos seruat à cæde, non carnaliter manducata. *Item:* Veteres carna-

carnalem sensum eum intelligunt, qui fingit carnem & sanguinem carnaliter aut substantialiter hic edi & bibi. Spiritualem sensum intelligunt eum, de quo Christus loquitur, nempe, quòd edere carnem Christi nihil aliud sit, quàm quòd anima fidat se morte Christi redemptam. Quidquid ergo hîc de esu panis aut carnis dicitur, de fide in Christum debet intelligi. Manducare aut edere hîc nihil aliud est quàm credere.

Zuinglius cur sacramentis parùm tribuere visus sit aliquibus.

Quòd autem quadam inveniuntur in Zuinglii epistolis & alibi, unde videri posset vir ille Sacramentis minùs tribuisse, quàm eis Scriptura tribuit, si scopus & intentio ejus spectetur, id nemo nisi Momus ei vitio vertere, & sinistrè interpretari poterit. Cùm enim Pontificii Transsubstantiationem, seu conversionem elementorum in res ipsas his significatas docerent: Lutherus autem cum Scholasticis quibusdam localem inclusionem corporis Christi in pane docere videretur: difficillimum autem esset, has opiniones, qua diu jam & altiùs radices egerant, prior prasertim, in animis hominum, revellere, omnes ingenii vires ad eas impugnandas applicuit; ita quidem, ut magis abesse in sacra Cœna Dominum, quàm adesse corpore & sanguine suo, & dari potiùs symbola hic, quàm corpus & sanguinem Domini, sentire videretur: quum tamen non vellet simpliciter abesse à Cœna Dominum, aut inania corporis & sanguinis Domini omnino hîc symbola dispensari: sicut Bucerus testatur in suis Retractationibus, quòd ipsemet Zuinglius apud se, agentem cum eo de Concordia Ecclesiarum in hoc dogmate, ingenuè & apertè confessus sit, atque etiam ex Apologia ejus ad Principes Germania apparet: Nam ibi verbis Augustini prasentiam Domini in Cœna apertissimè confessus est. Eodem modo alicubi, dum cavere vellet, ne homines ab externo opere in Sacramentis salutem peterent, affirmare visus est. Sacramenta tesseras tantùm esse societatis Christianæ, & nihil ad salutem conferre. *At alibi disertè scribit*, Sacramenta auxilium opemque adferre fidei. *Ex quo satis liquere potest, quum scripsit*, Sacramenta nihil conferre ad salutem, nec confirmare fidem, *eo intellexisse, sacramentis, id est, externa actioni sacramentorum per se nihil inesse hujus, ut conscientias roboret fide aucta. Dum enim istam suam sententiam*, Sacramenta non dispensare salutem, nec confirmare fidem, *probare instituit, adfert*, confirmare & augere fidem esse opus Christi per Spiritum sanctum. *Quibus verbis primâ fronte, nec mente Zuinglii probè intellectâ, argumentum inesse videtur simile illi, Deus sanat vi natura, Ergo Medicus & medicina nihil ad id conferunt. Efficit quidem omnem salutem in nobis unus Christus, idque nullâ alienâ virtute, sed sua solo Spiritu: interim tamen ad idipsum utitur ad nos suo verbo, tam visibili in Sacramentis, quàm audibili in Evangelio. His remissionem peccatorum, communionem sui, & vitam aternam affert & exhibet. Id Zuinglius optimè agnovit, probavit & docuit: proinde quum negavit* Sacramenta dispensare gratiam, *intellexit per Sacramenta externam actionem ejusq; sententia fuit, eam huc non valere ex se, sed salutis omnia nisi actione interna Christi, cujus Sacramenta suo modo instrumenta sunt.*

1524.

ANNUS DOMINI M.D.XXIV.

De Prima Origine Certaminis Sacramentarii.

Hucusque, qua Lutheri & Zuinglii doctrina de Cœna Domini ante & post Certamen Sacramentarium fuerit, narravimus: nunc de Origine, adeoque primis authoribus infelicissimi istius Certaminis agemus, ut inde appareat, quinam maximo cum damno Ecclesia Christi, & plurimorum offendiculo certare, quàm pacem colere maluerint.

Lutherus author certaminis Sacramentarii

Cùm Lutherus in Pathmo suo delitesceret, ut suprà indicavimus, Andreas Carlstadius, Archidiaconus Cathedralis Templi Witenbergæ, *interea non solùm purè docebat Verbum Dei, sed etiam plures errores Papisticos abrogabat, videlicet idola seu imagines in Templis, discrimen & prohibitionem ciborum certis diebus, Confessionem auricularem, & prasertim Missam privatam: Transsubstantiationis quoque figmentum, & carnalem corporis Christi in Cœna prasentiam simul damnabat. Hanc verò instituit reformationem non propriâ authoritate & motu, seu intempestiva quodam zelo & seditioso spiritu, sicut adversarii ejus de ea postea sparserunt, sed à tribus Consiliariis Principis, & aliquot Collegis vel Symmistis Lutheri adjutus, quemadmodum ipsemet disertè fatetur in Colloquio Ihena cum Luthero habito. Cumque Augustinenses* Witenbergæ *eodem tempore propriâ authoritate in suo cœnobio privatam Missam abrogâssent, & Fridericus Elector hoc ipsorum factum non probaret, ideoque eos unà cum aliis Collegii Ecclesiastici, & Academia membris hanc causam ita gubernare juberet, ne qua dissidia, aut turbulenti motus inde existant; peteretque judicium Academia de hoc eorum facto: Iussus Ionas Prapositus, Ioannes Dulcius, Andreas Carlostadius, Hieronymus Schurfius, Nicolaus Amsdorfius, & Philippus Melancthon, delecti ad id ab Academia, id approbârunt, & commendârunt Electori.*

1524.

Ineptè igitur ab Hunio Hieronymi Schurfii accusatoria literæ ad Fridericum Electorem contra Carlostadium allegantur, in quibus scribit, nonnullos, licèt non fuerint vocati, sese in Ministerium Ecclesiasticum intrusisse, & concionandi munus sibi arrogâsse. Nam his verbis Carlostadium non accusari, inde apparet, quòd ille, vel ipsius Lutheri testimonio, à Principe Friderico Witebergam *legitimè vocatus, & ab Academia ordinatus fuit, ut Verbum Dei publicè in Templo Cathedrali annunciaret, & in Academia doceret, ac disputaret: quod etiam diu magno cum fructu fecit. Augustinenses autem Monachi doctiores ex suo numero ad concionandum emiserunt, ut patet ex scripto eorũ, quod extat Tomo 9. Operum Lutheri* Witenbergen. *fol. 134. & hoc sine omni dubio Schurfius temeritatis apud Principem suum accusavit.*

Cùm autem Lutherus ex sua Eremo Witebergam *redisset, tam indignè hanc Reformationem tulisse dicitur, quòd ea sine se facta esset, ut quæ prius improbârat, jam probare, & quæ probârat, jam improbare non dubitârit. Cæteris autem silentibus, quorum operâ, consilio & judicio hæc omnia facta & approbata erant, solus Carlostadius fortiter sese Luthero opposuit, & abusus illos omnes rectè abrogatos & sublatos esse contendit. Cùm etiam inter cætera à Luthero accusaretur, quòd non rectè de Cœna Domini sentiret ac doceret, constanter id negavit, indicans, se rectiùs quàm ipsum de ea docere, eo quòd Transsubstantiationem, & carnalem præsentiam, seu localem inclusionem corporis Christi in pane repudiaret.*

Doctrina Carlostadii de verbis Cœnæ.

Docebat autem Carlostadius, particulam in verbis Institutionis, HOC, non panem, quem Christus discipulis porrexit, sed Christum ipsum monstrare, quòd demonstrativa particula genere non conveniret cum substantivo, panis. *Huncque esse sensum,* quòd Christus corpus suum discipulis monstrâtit, dicens, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. *Zuinglius in epistola ad Matthæum Alberum Rutlingensium Concionatorem, de hac Carlostadii doctrina, & sensu verborum Domini, in eandem sententiam, sed fusiùs ita scribit*: Carlostadius, in eo libello quem legi, vult demonstrationem hic variari, ut cùm dixerit, Accepit Iesus panem, & benedixit, fregit, deditque discipulis suis, dicens; Accipite & comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: istud Pronomen, HOC, non in panem direxerit, sed in seipsum: ut sit sensus, Accipite & comedite, nam ego hoc corpus meum sum pro vobis traditurus. Addit, quòd istud Pronomen, HOC, eam emphasim habeat, ut corpus suum crucifigendum, quod etiam Prophetæ prædixerint, referat: ut sit sensus, Quod Prophetæ prænuntiârunt me carnem assumpturum, & in ea dolores mortalium expiaturum: En vobis hoc meum corpus, ipsum est, quod Prophetæ promiserunt: ipsum est, quod pro multitudine traditur. *Et mox:* Aiunt & in eo Dialogo, quem ego non legi, nonnihil ex linguæ Græcæ proprietate adduxisse, quo demonstrationis immutationem probare conetur: quòd scilicet ἄρτος Masculinum sit, & σῶμα Neutrum, sed ut bonâ veniâ dixerim, arbitror non paucas ejusmodi locutiones esse Græcis, quemadmodum & Latinis, ut quod præcesserit expresso masculino genere, vel fœminino, pòst neutro domonstretur. *De hac sententia Carlostadii ibidem sic scribit:* Sensit pius homo verbis Christi alium oportere subesse sensum, quàm scilicet primâ fronte promittant: verùm ut illum explicaret non satis clarè vidit. *Eodem prorsus modo de hac Carlostadii sententia scribit Zuinglius in libro de vera & falsa Religione, Tomo 2. folio 208. eamque solidè refutat, indicans,* quòd toti causæ, & præsenti actioni planè repugnet.

Vide Tomum 2. operum Lutheri Ihenen. fol. 447.

Cùm verò simultas: odia, rixæ & contentiones quotidie inter Lutherum & Carlostadium augescerent, Carlostadius, Orlamundam concessit, & à Senatu populoque ejus loci Minister Ecclesiæ ordinatur, ut ibi Evangelium doceat. Mox graves rumores de eo Witenberga *atq; in aula Electoris sparguntur, quòd Anabaptistarum dogmata defenderet, imò illorum partes foveret, qui illo tempore jactabant sibi cum Deo colloquium esse, & mandatum habere, ut impiis omnibus interfectis, ipsi novum constituerent mundum, in quo pii solùm & innocentes viverent, ac rerum potirentur; quorum secta postea Rusticorum furoribus ac seditioni occasionem dedit: quòd item in Lutherum ejusque collegas acriùs inveheretur. Mittitur ergo Lutherus à Principe Orlamundam & vicina loca, ut rem totam cognosceret, & populum, si is forsè seductus esset, in viam revocaret. In itinere cùm venisset Lutherus Ihenam anno 1524. die 22. Augusti, & postridie acerbissimam concionem contra Carlostadium habuisset, ut licèt eum non quidem nominasset, facilè tamen omnes caput & collum Carlostadii petitum esse intellexissent: (dixerat enim inter alia,* destructionem Templorum, & abrogationem imaginum, lapidum, lignorum, Baptismi & Sacramenti altaris, fructus esse seditiosi illius Alsterensis spiritus) *Carlostadius, qui concioni interfuerat, circa meridiem in hospitio, quod nigri Ursi insigne habet, Lutherum cum bona eius venia accessit, eique in præsentia multorum hominum, obiecit primò quòd abrogatores imaginum & Missæ, seditionis & homicidii*

spiritui

ſpiritui Alſtetenſi matutinâ ejus diei concione annumerârit, eoque ipſum non obſcurè notârit, in eo ſibi ingentem feciſſe injuriam, ſeſe enim cum ejuſmodi ſpiritibus nihil prorsus habere commercii: ſecundò, quòd contra Chriſtianam dilectionem non priùs ab ipſo admonitus & emendatus, quàm publicè, & quidem pro concione traductus ſit: tertiò, quòd ipſe Lutherus in doctrina de Sacramentis multa ſibiipſi contraria, quæq; non vero & crucifixo, ſed imaginario potiùs Chriſto convenirent, ſcripſerit, idq; probare ſe poſſe polàm edixit, eoq; nomine ſe ad publicam diſputationem, atque etiam ad ſententiæ ſuæ emendationem, ſi meliùs edoceretur, obtulit: Lutherus quædam à ſe dicta negavit, quædam diſſimulavit: Carloſtadius acrius inſtitit. Tandem hinc inde multis inter ipſos permutatis ſermonibus, exacerbato utrinque animo, Lutherus Carloſtadium, ut contra ſe publicè ſcribat, invitat; Friſch her / habt ir etwas ſo ſchreibt es frey herauß. Schreybt wider mich offentlich und nicht heimlich. *Simul ex concitato iſto animi fervore, aureum nummum extractum ex pera, ipſi offert, inquiens;* En accipe, & quantum potes animosè contra me dimica; Age verò vergas in me alacriter: Nembt hin / und greifft mich nun dapffer an / friſch auff mich. *Quod etſi recuſaret primùm Carloſtadius, & rem cognitioni piæ permittendam moneret ac peteret, tandem tamen cùm urgeretur, hunc aureum nummum accepturum ſe reſpondit, eumque omnibus aſtantibus oſtendens, dixit:* En chari fratres, iſtud eſt ſignum & arrabo, quòd poteſtatem acceperim contra doctorem Lutherum ſcribendi. Rogo itaque vos, ut ejus rei teſtes eſſe velitis. *Cumque aureum nummum marſupio ſuo recondidiſſet, Luthero manum in ſponſionem pactæ & ſuſceptæ contentionis porrexit, pro cuius confirmatione Lutherus ipſi viciſſim hauſtum vini propinavit, adhortans eum,* ne ſibi parceret, ſed quanto vehementiùs & animoſiùs contra ſe ageret, tantò illum ſibi chariorem futurum: Ich beger / das ir wider mich ſchreiben ſolt / und giben euch darumb den goldgülden / das ir meiner nicht ſchonen ſolt / und ie dapfferer ir mich angreifft / ie lieber ir mir ſein ſolt. *Hæc poſtquam ita Ihenæ facta fuiſſent, Lutherus, cùm Orlamundam veniſſet, ibique Carloſtadium inveniſſet, qui ei manum benevolentiæ causâ porrigere volebat, hoc recuſans, ita eſt eum alloquutus:* Tu es meus hoſtis & inimicus, nam ejus rei nomine aureum nummum tibi dedi; *& Colloquio, quod cum Orlamundenſibus habuit, ne intereſſe quidem Carloſtadium voluit, inquiens:* Herr Doctor ir wolt hinauß gehn / ich wil euch bey der ſach nicht haben: ir ſeit mir verdächtig / und mein feind. *Cumque Carloſtadius abire nollet, Lutherus famulo ſuo dicebat,* Spann an / ſpann an / ich hab mit Karlſtad nichts zůthůn / wil er nicht hinauß / ſo wil ich faren / und ſtůnd auff.

1524.

Hæc, Chriſtiane Lector, fuerunt infeliciſſimi iſtius Certaminis, quod ex pacto & ſponſione ſuſceptum, tot jam annis Eccleſiam graviſſimè exercuit, infauſta auſpicia: quæ ſi quis diligenter apud ſe animo, ſepoſitis affectibus, expendat, ex quo ſpiritu fuerint profecta, tantò rectiùs & æquiùs non ſolùm de toto hoc Certamine, ſed etiam de Polemicis Lutheri ſcriptis, in quibus quod ſemel in invidiam Carloſtadii, & adverſariorum ſuorum odio defendendum ſuſceperat, quoquomodo aſſerere & tueri, quàm cuiquam opinione ſuâ ceſſiſſe videri maluit, eſt judicaturus. Nec (quæ deploranda humanæ fragilitatis conditio eſt) magnopere eſt ampliùs admiraturus, cur adeo vehemens, & in ſententia varius, ſibique diſſimilis in hac affectata contendendi & vincendi cupiditate fuerit Lutherus.

Fides hujus narrationis.

Conatur quidem Hunius, ſed fruſtra, fidem narrationis hujus de Colloquio iſto Ihenenſi in dubium vocare. Nam etſi narratio illa à Luthero ipſo non ſcripta ſit, fidem tamen ejus non minuit hoc: alioquin libris omnibus Veteris & Novi Teſtamenti, tabulis item & inſtrumentis publicis nulla etiam fides habenda eſſet, ut quæ ab his, ad quos potiſſimùm ſpectant, non ſunt ſcripta. Deinde hæc narratio, vivente adhuc Luthero, operibus ejus inſerta, nec unquam ab eo, tanquam non vera, rejecta eſt. Tertiò, in libro contra Cæleſtes Prophetas ipſe Lutherus apertiſſimis verbis gloriatur, ſe aureo nummo Carloſtadium ad hoc certamen provocâſſe, nec unquam facti hujus pœnituiſſe.

Carloſtadius provocatus à Luthero ſcribit de Cœna Domini.

Provocatus hoc modo ad certamen Carloſtadius, libellos aliquos de Cœna Baſileæ edidit, qui longè lateq; ſparſi ſunt. Ejus tamen expoſitio verborum Cœnæ pleriſque diſplicebat. Senatus quoque Tigurinus rei novitate turbatus, cavebat, ne publicè hi libelli in urbe ſua venderentur.

Zuinglius hortatur ſuam Eccleſiam, ut Carloſtadii libros legat.

Zuinglius autem, etſi ne ipſe quidem Carloſtadianam iſtam expoſitionem probaret, hortabatur tamen pro ſuggeſtu Senatum, ut libellos illos, ſicuti alias quoque, ab omnibus legi pateretur, totamque Eccleſiam ad lectionem eorum incitabat, ut eò magis eſſet ingenua veritatis victoria. Carloſtadio idem accidiſſe *dicebat* quod tyroni, cui animus & arma ad pugnandum non deſunt, ſed armorum peritia. Qui neſcit quæ corporis pars, quibus armis munienda ſit, galeam pectori thoracis loco præfigit, armillis crura tegit, ocreis tempora: ex thorace clypeum facit, &c. Ita Carloſtadium quidem veritatem aliquo

1525.

aliquo modo agnoscere dicebat: sed quia Troporum vim non habeat perspectam, verba non recto ordine collocare atque disponere.

Zuinglius sententiam suam publicè proponit.

Zuinglius itaque & alii Ministri Ecclesiæ Tigurinæ, amplam istam occasionem nacti, cùm jam pridem veterum expositionem ac mentem cognovissent, nefas esse existimabant, rem tanti momenti diutiùs dissimulare, & homines sua cura à Deo sibi commissos, in priores tenebras retrudere. Mox igitur cœperunt Tropum, qui in verbis Dominicis latet, aperire: atque hoc tam feliciter, ut captus auditorum, qui tamen à Carolostadii expositione non parùm abhorrebat, Ministrorum enarrationem anteverteret. Pauci quidam querebantur, Christum sibi eripi, & sacramentorum dignitatem everti.

Zuinglius scribit ad Alberum Reutlingensem de Carolostadii libellis.

Mox etiam ut Carolostadii libri prodierunt, Zuinglius epistolam scripsit ad Matthæum Alberum Reutlingensium Ecclesiasten, quem cum fratre quodam de Eucharistia disputationem instituisse intellexerat. Initio hujus epistolæ de Carolostadii libellis sic scribit: Carolostadius sive tempestivè, sive minùs, de improviso hanc rem in vulgus dissipavit, ac libellum quendam rrium paginarum de hac re edidit, sub titulo, De execrabili abusu Eucharistiæ: eum legimus, lectus placuit mulris locis, in quibusdam displicuit, quòd res omnium difficillima non satis humerorum haberet. In eo libello videmus quidem verum dici, sed eâ lege, ut magis offendat, quàm ædificet. Sententia Carolostadii nô improbatur nobis simpliciter: verùm oratio ipsa non assequitur, quod res postulat. Ajunt etiam Dialogum ab eodem esse paratum, longè duriorem: in quo, quod per se sit horribile, scommatis intempestivis degravet, & rem per sese in auribus simplicium aut impiorum inusitatam, reddat tanquam de industria odiosiorem. *Deinde suam de Eucharistia sententiam in ea epistola explicat Zuinglius, & quomodo Christus verè manducetur, multis ex capite sexto Iohannis declarat. Verba etiam Institutionis ut sint exponenda indicat. Et hoc fuit primum scriptum quod Zuinglius de hac causa composuit.*

Zuinglii primum scriptum de Cœnâ.

Vanitas Compilatorum Confessionis Augustanæ.

Ex hac verò epistola, qua de Carolostadio scripsit Zuinglius, eiusque libris, in hunc potissimùm finem adduximus, ut inde rursus appareat Compilatorum historiæ Confessionis Augustanæ, vanitas, quos non pudet scribere, Zuinglium hæresin Carolostadianam excusâsse atque defendisse: *quum tamen ex hac epistola manifestè intelligatur, eum expositionem Carolostadianam verborum Christi nequaquam approbâsse. Non etiam omnem cum Carolostadio præsentiam Christi in Cœna improbavit, sed carnalem tantùm: Sacramentalem verò agnovit, docuit, atque defendit: ideoque etiam signa vacua & inania cum eo non statuit, sed exhibitiva, & vera veri corporis & sanguinis Christi symbola esse contendit. Quàobrem suspicionem istam rursus, & quidem disertis apertisque verbis à se depellit ab initio statim ejus libri, quem* Subsidii *nomine inscripsit.*

ANNVS M. D. XXV.

Lutherus Carolostadii libellis respondet.

Summa Lutheri libri contrà cœlestes Prophetas, ejusque errores. Prima pars.

I*Nitio statim anni* 1525. *Martinus Lutherus respondit ad libellos Carolostadii, libro quem inscripsit*, Contra cœlestes Prophetas seu fanaticos: *quem duabus partibus complectitur. In prima tractat de Imaginibus & Missa. De Imaginibus docet:* In lege Mosis nullas alias Imagines, quàm Dei, prohiberi, ne adorentur: Crucis autem, vel alicuius Sancti Imagines non prohibitas esse. In Evangelio autem neminem teneri Imagines, ne Dei quidem, vi abrogare, nam ibi omnia libera esse. Christianos Mosem audire non debere Abrogatores Imaginum Mosaicos doctores esse. Non solum Ceremoniales & Iudiciales, sed etiam Morales leges in Novo Testamento abrogatas esse, adeoque ipsum quoque Decalogum, ex quo reliquæ leges omnes fluant, & nil præter Ceremoniales & Iudiciales leges comprebendat. Christum ipsum approbâsse Imagines, eo quòd denarium acceperit cui Cæsaris imago impressa erat. Si Iudæis licuerit in moneta sua habere imagines Cæsarum, multò magis licere Christianis habere etiam in Templis Cruces, & Mariæ Imagines. Mosis leges de uno Deo colendo, deque adulterio & furto non committendo, non servandas, quatenus Mosis, sed quatenus naturæ leges sunt.

De Missa autem docet, posse hoc vocabulum in Christi Ecclesia retineri, & Eucharistiam sic nominari. Elevationem Sacramenti rem liberam esse, quòd neque Christus, neque Apostoli eam prohibuerint. Liberum quoque esse sive in vulgari, sive in peregrina lingua Missam celebrare.

Secunda pars.

In secunda parte libri agit de Sacramento altaris: Et dicit inter alia, verba hæc: corpus Christi tam magnum, latum, crassum & longum in Sacramento contineri, rationi quidem humanæ, non autem Verbo Dei adversari. Pronomine Demonstrativo, HOC, in verbis Cœnæ panem demonstrari: *Id verò Schmidlinus in Mulbrunensi Colloquio disertis verbis negavit.* Weil Christus/ inquit Lutherus, das Brot in die hand nimpt/ danckt/ brichts/ gibts seinen Jüngern

Schmidlinus dissentiens à Luthero, negans panē demonstrari pronomine HOC.

gen vnd spricht / Nemmet hin vnd esset/ vnd flugs darauff sagt / Das ist mein leib/ zwingt die art vnd natürlicht folge der worten/ das er von dem Brot sage/ da ers in die hand nam vnd gabs/ vnd hieß es essen / Anders haben die Jünger nicht mögen verstehen/ vnd kondts auch noch niemand anders verstehen wer es von ihm hörete. Dann ihre augen haben ja müssen sehen auff seine händ/ wie er das Brot nimbt/ bricht/ gibt vnd darreicht. Vnd ihre ohren müssen ja die wort hören/ die er vber dem darreichen/ vnd in dem geben spricht. Nun spricht er aber kein andere wort im darreichen / dann dise/ Das ist mein leib/ ꝛc. *Schmidlinus contrà in Mulbrunensi Colloquio dixit*, Nos non fatemur Christum vocabulo Hoc, visibilem, naturalem, fractum & corporaliter manducatum panem intelligere, sed contrarium apertè & perspicuè docemus.

Scribit porrò Lutherus in dicto libro; Christum verè & carnaliter corpore suo esse in Cœna. Communicationem corporis Christi, de qua Paulus loquitur, esse corpus Christi in pane edere: Communicationem illam non esse spiritualem, sed corporalem. *In Sermone autem de Sacramento anno 19. edito, & in alio de Participatione Sacramenti, item in Postilla magna, verba hæc Pauli, non de reali & externa sub pane corporis Christi distributione, sed de spirituali fructu ipsaque Sacramenti efficacia, in recto usu, seu de interno & spirituali illo re, quæ per Sacramentum significatur, exposuit: eamque talem κοινωνίαν esse dicit & communionem cum Christo, quâ fideles ita ei uniuntur & incorporantur, ut passionis & vitæ, omniumque beneficiorum ipsius communionem habeant, ipsique inter se spiritualis & mystici corporis societate invicem, ut membra, syncera dilectionis vinculo, mutuisque officiis sunt coniuncti. Vide plura supra, ubi de tertia Lutheri sententia de Cœna egimus.*

Dicit ibidem Lutherus, Panem fractum, in Cœna verè & corporaliter corpus Christi esse, sed tamen invisibiliter. Impios etiam verè edere corpus Christi. Eosdem etiam verbis Pauli *dicit* reos fieri corporis Christi, quòd indiguè id cum pane sumant, & ore manducent. *Cùm tamen Apostolus non dicat, corpus Christi ejusque sanguinem manducari & bibi indignè, sed panem & poculum. Licèt autem addat*, cum pane & poculo sumi corpus & sanguinem verum, *non tamen id probat, neque hoc fieri potest nisi in usu legitimo, qui est conjunctus cum fide.*

Probare autem inter alia quoque conatur Pronomine, Hoc, demonstrari simul panem & vinum, adeoque in pane verum corpus Christi esse, Primò, exemplo ferri igniti: quemadmodum enim, *inquit*, ferrum & ignis, licèt duæ substantiæ sint, tamen in ferro ignito miscentur, sic etiam panis & corpus coniunguntur in pane, ut de eo rectè dicere possis, Panem simul & corpus esse. *Sed hoc exemplum nullâ ratione probat, panem Eucharistiæ verè, propriè & reipsa corpus Christi esse: Tum quia mysterio sacramenti, in quo est relatio quædam, analogia & similitudo rerum corporalium & spiritualium, non est accommodatum: Tum etiam quòd nulla sit in isto exemplo propria unius disparatæ speciei de alia prædicatio. Neque enim ferrum, quamvis ignitum, propriè est ignis, nec è contra. Taceo, quòd hæc ipsa Lutheri sententia à Lanfranco & Guitmundo, primis de Transsubstantiatione scriptoribus, sit velut* Impanatio *quædam Christi, hæretici erroris damnata, & Anathemate ex Ecclesia profligata.*

Deinde hanc etiam suæ sententiæ affert rationem: Quia, sicut se habet res in ipso Christo, propter personalem unionem, sic quoque de Sacramento sentiendum esse; in quo panis & corpus unum quiddam constituant, & præter omnem rationis captum una sint essentia seu massa. Vnde sicut homo Deus est, ita etiam panis dicatur corpus, & è contra. *Et alibi pro explicatione hujus suæ sententiæ supra modum erroneè dicit Lutherus*, quòd eadem ratione, qua in unitate personæ una natura dicitur de alia, etiam in unione sacramentali corpus propriè dicatur de pane. *Aut enim utrobique, sicut in homine Christo, ita in pane & corpore, identitatem hypostasis ponit Lutherus (quod non puto eum sensisse) & sequetur, Christum impanari: Aut in utroque diversas ponit hypostases, & tunc homo Christus per æquivocationem dicetur Deus: Aut dissimilem in hoc facit rationem unionis personalis & Sacramentalis, id quod sentire voluisse videtur: & adhuc concedendum erit, panem non posse dici verè, propriè & reipsa corpus Christi, exemplo istius locutionis, quâ propter hypostaticam duarum naturarum in Christo unionem, Homo dicitur Deus; quia videlicet eadem est Dei & Hominis in persona unione hypostasis & subsistentia: Sed ex sententia Nestorii, propter duas & diversissimas hypostases, panis erit corpus Christi per æquivocationem.*

Adhæc, Synecdochen *in verbis Cœnæ recipiendam esse vult Lutherus. Si autem de ipsomet prædicationis modo quæratur, per quem panis sit corpus, hoc est, res seu dona de signis dicuntur, hæc prædicatio, seu locutio propriè non dici potest synecdochica, in qua una res disparata de* alia,

Lutheri synecdochen probat in verbis Cœnæ.

alia, spiritualis videlicet & interna, de corporali & externa dicitur: quod certè alium significandi sensum habet, quàm qui convenire possit Synecdoche. Iste enim Tropus, per quem panis & corpus Christi, per Pronomen, HOC, ut continens & contentum, simul conjunguntur & accipiuntur, sicut sacramentalem prædicationem corporis in mortem traditi, de pane, quem accepit, fregit & dedit Christus: Ita quoque sensum verborum Cœnæ tollit & pervertit. Verùm si de ipso exhibitionis usu, & quid in eo, ex causa & virtute sacramentalis prædicationis, pane Cœnæ per verbum distribuatur, & fide accipiatur, quæstio sit, talis concedenda erit Synecdoche, qualis est ille rerum cum signis conjunctionis modus, quo rebus externis & sensibilibus, spiritualia dona dari dicuntur. Et sic olim Brentius in Exegesi cap. 6. & 20. antequam renovato per odium & ambitionem certamine, portentosa invalescerent Vbiquitas, Verba Cœnæ ad hanc figuram seu tropi explicationem redigi voluit: hoc nimirum sensu, ut intelligatur pane & vino Cœnæ, tanquam mediis quibusdam & signis per Verbum factis, corpus & sanguinem Christi, fidei nostræ, ut donum & res signatas, præsenter offerri & dispensari, quò non tantùm externo ventris ori, sed & suus fidei cibus relinquatur, & spiritualis homo, in hoc Cœnæ mysterio, suis speratis bonis non defraudetur.

Synecdoche quatenus recipienda.

Præterea, cùm Lutherus concesserit Synecdochen, non potuit fieri ut retineret τὸ ῥητὸν, sicut videri voluit, sed coactus fuit concedere, propositionem figuratam esse, ac proinde quærendam in Scriptura ipsius ἑρμηνείαν.

Lutherus figuratã locutionẽ in verbis Cœnæ agnoscere cogitur.

Verba etiam Christi, Caro non prodest quicquam, novo prorsus & inusitato modo interpretatur, ne causa sua officiant. Distinguit enim inter carnem, & carnem Christi; nec vult Christum carnem hic suam intelligere, sed carnalem verborum suorum intellectum. Sic enim inquit; Christus spricht nicht/ Mein fleisch ist kein nütze: Sondern also / Fleisch ist kein nütze. Von seinem fleisch sagt er aber also/ Mein fleisch ist ein rechte speiße. Item: Darumb sol man nicht sagen / daß Christus fleisch kein nütze sey: Sonden fleisch ist kein nütze/ wie Paulus sagt: Fleisch vnd blut besitzen das himmelreych nicht: das fleisch hie sey/ fleischlicher sinn/ wille/ verstand/ vnnd dünckel/ wie Paulus Rom. 8. sagt/ Fleischlich gesinnet seyn/ ist der Tod. Alßda Christus Joh. 6. von seinem fleisch redet/ daß er die rechte speise were/ straffe er der Juden vnuerstand/ der es fleischlich ver stund / vnd spricht Söliche wort seyen geyst vnd leben/ fleisch aber seye kein nütze/ das ist/ fleischlich solche geystliche wort zuverstehen ist nichts dann Tod. Ante certamen autem cum Carolstadio initum fatetur apertissimè, Carnem hoc loco à Christo propriè sumptam: & sensum esse, Carnem Christi physicè manducatam non prodesse. Panis, inquit, super altari tantùm est signum, sicut Baptismus, nec prodest quicquam, nisi jam verus panis intus sit manducatus, Rursus: Nam & ipse postea ait: Caro non prodest quicquam. Iterum: Caro mea dat vitam mundo. Quomodo hæc discernemus? Spiritus hoc discernit: Christus vult, quòd corporalis manducatio carnis Christi nihil prosit, sed credere, quòd caro sit Filius Dei, qui propter nos descendit de cœlis, & sanguinem suum pro nobis fudit, &c. Vnde apparet, Lutherum hanc orthodoxam interpretationem tantùm vincendi studio in Carolostadiano certamine abiecisse.

Ibidem dicit, In hoc Sacramento remissionem peccatorum esse: vnd Christus hab die krafft vnd macht seines leydens ins Sacrament gelegt/ daß mans daselbs sol holen vnd finden.

Suis etiam affectibus eousque abripitur, ut dicat: Jch wil ein schwur thun. Wenn. D. Carlstadt gleubt/ daß irgend ein Gott sey in himmel vnd erden / so sol mir Christus mein Herr nimmermehr hold noch gnedig seyn/ das ist ia thewer geschworen.

Per hunc denique totum librum Carolostadium omnibus Lectoribus sic ridendum propinat Lutherus tot Ironiis, scommatis, sannis, myctērismis & sarcasmis, ut nullus eum oculus tam planè perspicere intuendo potuerit, quàm oratione ejus depictus proponitur. Cumque bene ridiculum fecit, jam pulueris, scobis, terræ, offutiarum, hoc est, contumeliarum, calumniarum, convitiorum ac maledictorum tantum in miserum jacit, ut spectatores omnes suspendat ac incertos faciat, hominémne rideant, an misereantur.

Mense Martio hujus anni, Zuinglius in lucem edidit Commentarium de vera & falsa Religione, ad Christianum Regem Galliæ Franciscum: in quo inter alia Christianæ doctrinæ capita suam de Eucharistia sententiam prolixè ac solidè explicat atque defendit. Adducit enim eos Scripturæ locos, in quibus negari non potest verbum EST, omnino pro SIGNIFICAT esse positum. Deinde evidentissimè probat, etiam in verbis institutionis EST, pro SIGNIFICAT accipi.

Zuinglius edit librum de vera & falsa religione.

Scripsit autem hunc Commentarium, atq; in eo sententiam orthodoxam defendit, non ut Lutherum in certamen provocaret, sed ut Transubstantiationis Papisticæ figmentum confutaret, in Gallorum gratiam, quemadmodum ipsemet testatur in Epistola tum ad Galliarum Regem, tum etiam ad Lectorem. Eoque plurimi in

Zuinglius quo consilio hunc librum scripserit.

Gallia & Heluetia sic moti sunt, vt cùm ante nihil de hac sententia audire vellent, postea mitigati eam diligentiùs perpenderent.

Bellarminus calumniatur de hoc libro Zuinglij, & ad eas responsio

Bellarminus in Præfatione Satyrica, quam præfixit secundo Disputationum Tomo de Sacramentis, ex hoc libro, Zuinglio hanc opinionem tribuit, quòd Sacramenta sint meræ notæ obligationis & professionis nostræ: atque vnum tantùm effectum & fructum Sacramenti: *ipsi per calumniam affingit, propterea quòd huius solius in dicto libro mentionem faciat. Idem facit col. 54. eiusdem Tomi L.C. Cùm tamen vbique in suis Epistolis alijsque libris Zuinglius doceat, multa eaque salutaria Sacramentorum nostrorum effecta esse, tum ex parte Dei, tum ex parte nostri. Ex parte Dei; Quòd sint ipsius gratia nobis per & propter Christum oblata pignora, sigilla & testimonia. Ex parte nostri, vera nostra erga Deum Patrem tam benignum obedientiæ futura pignora, & penè iuramenta. In primis in libello ad Principes Germaniæ sic inter alia scribit:* Signa ipsa sic à Christo ipso sunt instituta, vt etiam analogia sua plurimùm polleant ad inducendum in rem fide & contemplatione præsentem. *Et mox clariùs:* Frustra non sunt Sacramenta: Prædicant enim salutem à Deo datam: sensus huc conuertunt: & subinde fidem exercent, quam & proximo pollicentur, atque ad fraternam charitatem trahunt. Atque hæc omnia dum fiunt, vnus atque idem operatur Spiritus, qui inspirando nunc citra instrumentum trahit, nunc cum instrumento, quò, quantum, & quem vult. *Idem repetit in Expositione Christianæ fidei. Hoccine verò est meras notas professionis vel obligationis nostræ erga Christum & Ecclesiam eius ex Sacramentis facere?*

Bellarminus se ipsum mendacij arguit.

Hanc verò opinionem Zuinglio per calumniam à se tribui, ipsemet Bellarminus testatur col. 54. secundi Tomi, vbi scribit, Carolostadianam & Anabaptisticam opinionem de meris notis professionis, fuisse tum ab alijs, tum etiam à Zuinglio confutatam, & ferè penitus sepultam.

Zuinglius cur vnius tantùm effectus Sacramentorum in hoc libro meminerit.

Quòd autem in libro de vera & falsa Religione huius tantùm effectus meminit, nihil pro Iesuita facit: alioquin etiam reprehendendus esset Paulus, qui in 1. Corinth. 10. v. 16. & 17. effectum Cœnæ Dominicæ tradit esse mutuam inter nos coniunctionem, & charitatem: de sanguine Christi, de lauacro Regenerationis nihil ibidem agit. Nec enim semper omnia simul dici vel debent vel possunt. Frustra igitur Zuinglio locos ex Matth. 3. Ephes. 5. 1. Ioan. 5. & Patres nonnullos obijcit. Nam Zuinglius idem planè, quod hi Scripturæ & Patrum loci habent, credidit & docuit.

Zuinglius Subsidium suum edit de Eucharistia.

Quia verò in hoc Commentario, quædam propter ingentes occupationes & festinationem, Zuinglio exciderunt, quæ postea in memoriam reuocauit: quædam de nouo succurrerunt: quædam ab aduersarijs obiecta sunt, mense Augusto, Subsidium de Eucharistia *scripsit, in quo hæc omnia vberiùs complexus est.*

Zuinglio accedit suum Achates Oecolampadius.

Oecolampadius quoque Basiliensis Ecclesiæ Pastor, qui propter doctrinam & artium linguarumque cognitionem, nec non etiam propter vitæ ac morum innocentiam magnæ apud omnes erat authoritatis, tum alijs Symmistis, idem de Eucharistia, locis hinc inde vrgentibus, in sua Ecclesia docebat, quod Zuinglius.

Oecolampadius fit Monachus, sed mox Monachatum relinquit.

Concesserat hic biennio ante in cœnobium Saluatoris propè Augustam, factus ibi Monachus, quum metueret Reipub. à Lutheri scriptis: Sed in primis, vt otium ei conseruaretur ad studia sua Theologica. Hoc grauissimè in eo tulit Erasmus. Non diu autem apud Monachos substitit, & egressus cœnobio, Pastor Ecclesiæ Basiliensis creatus, statim anno Christi 1525. sese cum Zuinglio docendo & scribendo coniunxit, sicut diximus.

Oecolampadij doctrina & sententia de Cœnâ Domini.

Vt autem Zuinglius in verbis Christi Tropum monstrauit in verbo EST, *& docuit, id pro* Significat *accipi debere: Ita Oecolampadius Tropum ostendit in nomine* Corpus, *& voluit, panem dici corpus per figuram Metonymiæ, quâ nomen rei significatæ tribuitur signo.*

Cessit igitur his Oecolampadius, qui contendunt verbum, EST, non esse figuræ ac significationis, sed veritatis, aliamque attulit expositionem, quâ idem quidem probauit, sed tamen clariùs ostendit, EST in verbis Christi simul & veritatis esse & significationis. Reliquit igitur verbum EST, pro verbi Substantiui natura, in sua genuina & propria significatione, ea tamen lege, vt, sicut diximus, Metonymia collocetur in nomine Corporis: *vt hic sensus reddatur, quem verè ac doctè olim Tertullianus expressit sua expositione,* Hoc est corpus meum, id est, figura corporis mei: *Nam hoc pacto, EST, relinquitur verbum veritatis, & vt loquuntur, existentiæ: Corpus verò, pro corporis, figura capitur & significatione, sed quæ vera sit; & ipsam rei veritatem contineat, quam repræsentat.*

Nullum discrimen inter Zuinglij & Oecolampadij doctrinam de Cœna.

Lutherus cum suis, quemadmodum etiam Pontificij, indoctæ plebi ingens discrimen inter vtramque expositionem ostendere, & probare voluerunt summam inter ipsos fuisse in hac causa dissensionem. Sed ipsimet ad hanc calumniam luculenter responderunt. Zuinglius enim in Responsione ad Lutheri confessionem sic inter alia scribit: Nulla, *inquit,* inter

nos de Cœnæ verbis pugna est vel dissonantia. *Rursus*: De nobis illud pronunciant, quòd diuersas sententias tueamur. Arqui non aliquem hominum, eorum saltem qui sensu sano vtuntur, existere arbitror, qui verba nostra diuersos & sibi inuicem contrarios sensus proferre, probare possit. Cùm enim Oecolampadius noster, Tertullianum secutus, inquit, Hæc est figura corporis mei, vel symbolum: Nos verò iuxta Ambrosij sententiam, Hoc corpus meum significat, dicimus, vtraque hæc in vnum & eundem sensum recidunt: Hæc est corporis mei significatio: & Hoc corpus meum significat. Quis est qui ex his duplicem vel diuersam sententiam colligere possit? *Idem in Exegesi ad Lutherum*, Cùm, *inquit*, per Catachresin dico, Hic panis significat, figurat, aut repræsentat corpus meum quod pro vobis traditur: & Oecolampadius Metonymicωs dicit, Hic panis est figura, significatio, repræsentatio, commemoratio corporis mei, quod pro vobis traditur: Quid quæso discriminis est in sententiæ summa? *Oecolampadius autem in praeliminari ad Zuinglium Epistola, quam Responsioni sua ad eandem Lutheri Confessionem scriptam præmisit, sic inquit*: Nullum in nobis diuersum aut contrarium sibi spiritum agere (quemadmodum Lutherus falsò de nobis scribit) certò constat. Interim tamen hæc non minima rationum & probationum ipsius est, quâ doctrinam nostram suspectam reddi posse arbitratur. Quamuis illud interim luce clarius constet, simulque ipse Lutherus contra seipsum testimonium ferens palàm fateatur, vnam & eandem vtriusque esse sententiam, nisi quòd verbis diuersis vtamur. Legantur quæ in libro suo scripsit, & me verum dixisse omnes fideles facilè videbunt. Atqui nos nunquam tibi contrà diximus, nec tu quoque te nobis vnquam contrarium opponere conatus es: quin potiùs tuis verbis non rarò ipse vsus sum, quemadmodum te quoque nostrorum non pudet, *&c.*

Cùm verò Oecolampadius Basileæ de Cœna Domini ad hunc modum doceret, mox secutum est ingens odium atque dissidium. Proinde à Senatu Basiliensi Disputatio decreta fuit, qua lites sperabantur diremptum iri: Sed publici tumultus vt multis alijs, ita & huic bono obstiterunt.

Oecolampadius librum edit de Genuina verborum Christi, Hoc est corpus meum, &c.

Interim nonnulli Concionatores per Sueuiam & Bauoriam pro suggestu in Oecolampadium debacchabantur, & Caralostadianum, cum quo tamen ei nulla consuetudo & familiaritas erat, subinde appellabant: His etiam clamoribus Ecclesias & Templa, in quibus docebant, opplenerunt: prodit noua hæresis omnium perniciosissima, aures igitur obturate: *& similibus. Accedebat quod amici, qui eius pietatem, & doctrinam & iudicium plurimi faciebant: & aduersarij, quibus dolebat talem ac tantum virum à Luthero dissentire, crebris literis & quotidiano conuitio efflagitabant, vt scripto publico suam de Eucharistia sententiam explicaret, suaque fidei toti orbi rationem redderet. Tandem igitur scripsit Apologiæ loco, libellum* De genuina verborum Domini, Hoc est corpus meum, iuxta vetustissimos authores expositionem. *In quo demonstrat, nullum miraculum in pane mystico esse supra captum hominis: Et cùm verba hæc*, Hoc est corpus meum, *absque Tropo constare non possint, vt multa absurda coueantur, & ne contra Spiritum & gloriam Dei ipse pugnet, grauibus causis adductum sese, nec Patrum destitutum testimonijs, à recepta Petri Lombardi sententia discessisse. Cæterùm non ideo se Patrum sententias collegisse, alibi scribit, quòd fiducia sua præsidium in illis collocârit: sed quod illorum authoritas in summo sit veneratione, quodque in tractandis Scripturis minùs suspecti, & fideliores recentioribus putentur. Scripsit autem hūc librum tanta cum modestia, vt se amicis pariter & inimicis satisfacturum sperârit. Erasmus ipse, qui alioqui causa eius porùm fauebat, in Hyperaspiste contra Lutherum nullis eum cōuitijs egisse testatur. Multorum tamen calumnias & criminationes falsas effugere non potuit. Sic enim scribit ad Theobaldum Billicanum:* Cùm sperarem modestiæ me studuisse, non defuerunt qui ex pacifico, turbatorem rerū: ex amatore veri, blasphemum: ex interprete fideli, peruersorem facere non sunt veriti.

Oecolampadius ab Augustino sentētiam & doctrinam de cœna didicit.

Porrò in Epistola ad Melanchthonem scribit, D. Augustinum sibi primùm vellicâsse aurem, & reuocâsse à sententia, in qua hactenus fuerit. Antequam verò Dominus eum respexit, *vt scripsit postea ad Billicanum*, supra modum religiosus erat ac planè superstitiosus, adeò vt etiam Spiritui in se loquenti contradiceret. Quoties enim seriem verborum institutionis Cœnæ Dominicæ apud Euangelistas legebat, aliam in cortice medullam subesse in animum incidebat, quod tamen leui certamine refutans cogitabat, vt plerique alij: Num tu alijs vis sapientior esse? Credendum est quod alij credunt. Sæpenumerò seipsum accusabat (*quid in aliorum pectoribus lateret non cogitans*) Tu-ne solus tam abiectus es à facie Domini, vt illic repugnes, vbi ferè nemo? Sæpe antiquorum Doctorum lectione infirmitatem suam vincere conabatur, sed princi-

principio non occurrebat quo iuuaretur. Crebrò erat obuium corpus Domini, & sanguis Domini: sed qualiter corpus, qualiter sanguis, rariùs explicabatur, & valdè obscurè. *Pendens itaque ab aliorum iudicio, parùm rectè sentiebat. Tandem semotâ authoritate hominum, veritas ei fulgidior affulsit, vt vltro Papisticam sententiam inferre opus non esset. Suam verò hincinde cum amicis contulit: Ac integrum iam annum Sermo eius de Cœna Domini per ora omnium volârat, priusquam quidquam hac de re euulgâsset.*

Oecolãpadius cur libellum suum Sueuis dedicârit.

Libellum verò dictum, fratribus per Sueuiam Christum annunciantibus, dedicâuit, ipsorumque de eo iudicium atque censuram exquisiuit, quòd pracipui inter illos, institutione eius in Heidelbergensi Academia vsi fuerant, & qua in linguis sciebant, ab illo hauserant, eoque nomine singularem cum ipso familiaritatem hucusque coluerant.

Oecolãpadij liber prohibitus legi à Senatu Basiliẽsi.

Cùm autem in publicum prodijsset liber ille, Senatus Basiliensis rei insolentiâ nonnihil motus, eum tantisper apud se vendi prohibuit, donec à Censoribus examinaretur, & certius quidpiam decerneretur. Consuluit etiam Erasmum Roterodamum, Berum Prapositum, & Cantiunculam Iurisconsultum, quidnam de hoc libro sentirent. Erasmus Senatui hisce verbis respondit: S.P. Magnifici Domini Celsitudinis vestræ hortatu, perlegi librum Ioannis Oecolampadij de verbis Cœnæ Domini, meâ sententiâ doctum, disertum & elaboratum, adderem etiam pium, si quid pium esse posset, quod pugnat cum sententia consensuque Ecclesiæ, à qua dissentire periculosum esse iudico. *Ad amicos etiam scribebat*, Oecolampadium emisisse libellum, tam accuratè scriptum, tot machinis argumentorum, totque testimonijs instructum, vt posset vel electos in errorem pertrahere. *Et quamuis multi hortarentur Erasmum, vt Ecclesia Romana doctrinam contra Oecolampadium edito libro defendendam susciperet, noluit tamen illis obsequi, sed respondit*, Se cœpisse quidem, sed sibi videri rebus tam supputatis non consultum vt absoluat, se enim intellexisse, quòd nihil profecturus esset, quàm vt tumultum excitaret.

Erasmi iudicium de libro Oecolãpadij.

Erasmus contra Oecolãpadium non vult scribere.

Ritus Cœna in Basiliensi Ecclesia.

Quod verò Ceremonias attinet, Oecolampadius hunc morem in celebratione Cœna Dominica in sua Ecclesia seruabat. Pro suggestu legebat omnia vsque ad verba Cœna, qua ante mensam recitabat: Mox finitâ oratione & conuocatione, sequebatur communio. Interim dum communio fieret, plebs Psalmos vernaculâ linguâ concinebat. Finitâ communione, cœtum cum exhortatiuncula dimittebat. Ægrotis quoque, qui petebant, Eucharistiam non negabat. 1525.

Syngrãma Sueuicum contra Oecolãpadium.

Interea Sueuici Concionatores, numero quatuordecim, Hala Sueuorum conuenerunt, & libri Oecolampadiani Refutationem conscripserunt: cuius tamen Ioannem Brentium authorem fuisse postea compertum est. Eam verò quasi communi studio ac viribus adornatam, omniumque manibus subscriptam, hoc titulo emiserunt: Syngramma Sueuicum super verbis Cœnæ, Hoc est corpus meum.

Bucerus Sueuos à proposito dehortatur.

Bucerus ad aliquot ex Sueuis illis scripsit, eosque sedulò hortatus est, vt perpenderent, quàm parùm deceat, illos qui eundem Christum docent, dissidere, quantumque scandalum simplicioribus obijciatur. Adhac Oecolampadium cùm de ipsis, tum de tota Ecclesia optimè meritum esse. Argumentum literarum, Bucerus ipse in Apologia sua ad Brentium, de qua postea, pluribus recitat.

Oecolampadij Antisyngramma

Sueuis nihilominus existimantibus rem praclarè à sese gestam esse, Oecolampadius Syngrammati eorum respondet, libello quem Antisyngramma *inscripsit. Ponit autem primùm ipsorum verba, postea confutationem subiungit, simulque ostendit Sueuicis Ministris, ipsos, qua euertere studerent, argumentis proprijs suis incogitantissimè stabilire, & asserere.*

Iudiciũ Zuinglij de Syngrammate Sueuico.

Zuinglius etiam postea in Exegesi suo anno 27. *edito, sic de Syngrammate Sueuico iudicauit*: Eloquentiam eius si spectes, ea recens nata videtur, nec quicquam solidum atque firmum respirare, imò sic anxiè tumultuarieque comparata, vt vix ad hunc librum satis suppellectilis videantur habuisse. Si verò argumenta, nihil est eis imbecillius. Si acumen nihil obtusius: tam enim istic malè colligitur, tam segniter ad peniores intelligentias penetratur, vt non satis sit intelligere, quonam sibi opus aggredi sint ausi.

Doctrina Syngrammatis de præsentia Christi in Cœna.

Opera pretium hic me facturum arbitror, si Lectorem moneam, quomodo Sueuici Doctores Christum in Cœna prasentem esse docuerint in suo hoc Syngrammate, nimirum longè alio modo, quàm postea Brentius Vbiquista factus, & alij discipuli eius docuerunt. Deinde, quid Oecolampadius in suo Antisyngrammate potissimùm oppugnârit. Docuerunt igitur Sueuici Concionatores, quòd in Sacramento, seu actione Cœnæ, præsens sit Christus ex virtute & efficacia verbi, quâ, vt Augustinus ait, ex elemento fit sacramentum, & ipsum tanquam visibile verbum; quatenus videlicet præsens in verbo, eodem in sacramentis præsens efficitur & offertur modo. *Rectè sanè. Nam quia Sacramenta constant verbo promissionis, quo ipsa res offeruntur,*

1525. *runtur, & visibili signo, quo confirmantur & obsignantur, consequens hinc est, non alia moda res in Sacramentis, quàm in verba præsentes esse. Sic igitur isti olim senserunt & docuerunt de præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, quatenus nempe hac verbo comprehensa est, atque per verbum ad panem Eucharistiæ adfertur, eoque modo pro ratione spiritualium donorum fidei accipienda offertur. Postquam enim panem & calicem piè à Patribus corporis & sanguinis Christi symbola vocari, Panem etiam carpus significare, item Figuram & Exemplar ipsius dici: denique sicut Baptismum, non propter signum, sed propter verbum lauacrum regenerationis esse, sic etiam panem propter verbum, dici corpus Christi concedunt & fatentur: ita deinde præsentiam Christi in verba & sacramentis, spiritualium donorum exemplis, explicant atque probant: Et tamen hac ipsa doctrina hodie propter Zuinglianì & Caluiniani nominis inuidiam & odium plus quàm Vatinianum, quo in veritatis oppressionem conspiratum est, teterrimam calumniam patitur. Sic autem inter alia scribunt Syngrammatis authores. Sicut hisce verbis,* Remittuntur tibi peccata tua. *Item:* Pax huic domui: *Item*, Ego sum resurrectio & vita: *velut quodam promissionis verbo remissio peccatorum, pax, resurrectio & vita quodammodo includitur, & ad credentes adfertur, sic simili ratione hoc verbo, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, & sanguis meus, qui pro vobis effusus est: corpus & sanguis Christi comprehensa sunt, & fidelibus offeruntur, vsque adeò, vt, quicunque hoc verbum arripit & credit fideque tenet, arripiat, accipiat, habeat & teneat verum corpus & sanguinem Christi, eum scilicet, qui effusus est, non spiritualem, sed carnalem. Hac verò ita explicant & intelligi volunt istius libri Authores: Quòd si simplex Dei verbum tanta est energia, vt Christi corpus, quoteenus hoc continet, ad nos adferre, seu nobis præsens sistere possit: Multò hac minùs negandum esse de verbo, quod Sacramento panis accedit.* SIC ENIM, *inquiunt*, OMNIA IN COENA VT IN IPSO VERBO QVAERENDA SVNT. Eadem namque ratione, quâ nobis corpus in Cœna, ita quoque donauit Christus totum Euangelium, quo NON SOLVM NOBIS PRAESENTIA FIVNT CORPVS ET SANGVIS CHRISTI: sed & tota Dei potentia, totus Deus, cum omnibus bonis suis. *Et pòst*: Non opinamur, quenquam tam impiè sentire, qui neget, fidem bibere sanguinem, & carnem Christi edere. Sic enim ait Ioh.6. Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus. Cuius? Fidei: NAM FIDES EDIT CARNEM CHRISTI ET BIBIT SANGVINEM EIVS, DVM CREDIT: Iam si fides edat carnem, & bibat sanguinem, consentaneum est, CARNEM ET SANGVINEM ESSE PRAESENTIA: Siquidem si non essent præsentia, non possent edi aut bibi, aut si mauis, credi. Quandoquidem Deum ipsum edere, hoc est, credere nemo potest, nisi cui Deus præsens fuerit. Impijs & infidelibus absens est, proinde nec illum edunt, hoc est, non credunt in Deum: Breuiter, Fides vt habet Deum præsentem, si credat in Deum: Ita si edat corpus & sanguinem bibat, hoc est, credat, habere oportet corpus & sanguinem præsentia. Quis autem Deum præsentem facit (loquimur enim de ea præsentia, quâ pijs adest) nisi verbum? *Et pòst*: Porrò cùm verbum Deum cum omnibus suis FIDEI PRAESENTEM OFFERAT, cur verbum non idem faciat in corpore & sanguine Christi? Siquidem hæc nostra sint dona, quibus mortis, peccati adeoque Sathanæ faucibus erepti sumus. Iohannes scribit: 1. Epist. cap. 1. Sanguis Iesu Christi mundat nos ab omni peccato. Si igitur sanguis nos emundat, oportet sanguinem nobis præsentem esse, siquidem res absens non emundet. At fides, inquit, sanguinem offert nobis: Sed vnde fides sanguinem acciperet, nisi à verbo? Fides enim non est fides, nisi in verbum sit directa: Verbum fidei obiectum est, VERBVM FIDEI OFFERT, QVICQVID ACCIPIT AVT CREDIT. Atque adeò quomodocunque dona Dei vel nobis adempta, vel oculis nostris abscosa & longè posita fuerint, verbo restituuntur, reuelantur, & ob oculos nostros ponuntur. Sic pax Dei, sic remissio peccatorum, velut dona, FIDEI PRAESENTIA FIVNT & offeruntur per verbum. *Et pòst*: Itaque Apostoli verbo suo remissionem peccatorum spargebant in populum, & verè credentibus peccata remittebant. Nunquid sua pietate? Absit. Christus enim solus peccata remittit, sed verbo Christi, id quod Christi erat, in populum vulgabant, Christum interim relinquentes sedere ad dexteram Patris, nec quicquam ei detrahentes vel auferentes. Quid igitur vetaret, cur idem non fieret in corpore & sanguine Christi? quod in remissione peccatorum: Nam vt remissio peccatorum ipsius Christi est, sedentis ad dexteram Patris, sed tamen verbo commendata est, vt in orbem per Apostolos vocali & externa voce spargeretur: Ita corpus & sanguis solius Christi sunt ad dexteram Patris sedentis, sed interim verbo: Hoc est corpus meum: Hic est sanguis

Ab exemplo donorum per verbum fidei oblatorum

Quomodo corpus & sanguis verbo oblata accipiatur.

Eadem Christi in verbo & Sacramentis præsentia.

Hæc Schmidlinus tanquam

Zuingliana damnauit in lib. cõtra Bezam.

sanguis meus: commendata sunt, vt pane & vino, rebus externis distribuerentur. Nam si remissio peccatorum nostrorũ donum est, cur non & corpus & sanguis, per quæ hæc remissio contingit, dona essent? Iam si dona sunt, consentaneum est, vt & pro ratione donorum distribuantur. Distribuuntur autem verbo, sicut hoc ex præcedentibus manifestum est. Proinde si uerbum nobis corpus præsens offerat, quid prohiberet, cur non ad panem ferret, quod in se continet? Ex his igitur hoc liquidò consequitur, sicut remissio peccatorum ad externam Euangelij vocem, sic se habent corpus & sanguis Christi, pro ratione donorum, ad externa panis & vini symbola. *Et post*: Quid verò hoc? si panis corpus est Christi. Igitur crucifigendum est: Bella profectò argumentatio, quasi verò rursus Christo resurgendum esset, quia hoc verbum, Ego sum resurrectio: ad nos resurrectionem, quæ & nostra est, adfert. Et hoc verbum caro factum est: Christi incarnationem nobis præsentem facit: nonne absurdum esset, nunc contendere, Christum propterea incarnandum esse? Sic neque, dum fatemur, PANEM ESSE CORPVS CHRISTI, propter verbum, Imaginandum fuerit de aduentu quopiam vel humiliationis, vel glorificationis, sed per verbum Christi in pane & vino fit distributio. Quemadmodum & remissio peccatorum donum longè omnium maximum verbo nobis reuelatur & distribuitur: nemo tamen propterea, quantumuis crassæ Mineruæ aduentum aliquem vel humiliationis, vel glorificationis imaginatur: Ita dum verbo corpus Christi, per quod remissio peccatorum facta est, in pane distribuitur, doni distributio & dispensatio, non nouus quispiam Christi aduentus est. *Et post*: Distribuitur autem, sicut aliàs pax & remissio peccatorum, ita corpus & sanguis, per verbum, in pane & vino, siquidem verbum ad panem & vinum accesserit. Exemplo res manifestior erit: Præceptor quispiam voluntatem suam verbo (ut ita loquar) includens, omnibus quotquot verbum recipiunt, eam dispartitur, retinens interim sibi suam mentem, nihilominus tamen alijs per verbum distribuens: Hinc dicere solemus: Hæc est mens illius Autoris, hæc est sententia huius scriptoris: Quod si tantum homini licet, ut mentem suam & sententiam verbo imponat includatque & inclusam auditoribus communicet: cur idem non liceret Christo Deo, vt corpus & sanguinem suum in verbum inclusa, pane & vino distribueret & communicaret? *Eadem est (vt hinc apparet) ratio & idem modus præsentiæ & distributionis corporis Christi, in pane Cœnæ per verbum, quæ pacis & remissionis peccatorum aliorumque Euangelij donorum. Sicque sacramentum panis cum verbo & corpus Christi in communicatione ipsius conferuntur cum alijs spiritualibus Euangelij donis atque beneficijs. Elucescit enim clarissimè non aliam ab Antharibus huius scripti præsentiam corporis statui in pane, quàm vt ea contenta est & offertur in verbo, non quidem pro corporali ipsius corporis, sed pro ea, quæ est verbi & fidei propria, in offerendis & communicandis Euangelij donis, hoc est, spirituali ratione & modo: Ideo procul abesse iubent corporalem imaginationem de duobus corporibus in eodem loco:* Si enim, *aiunt*, absurdum non fuerit, CORPVS VERBO GESTARI, quomodo erit absurdum, pane per verbum gestari? *Non magis igitur, quàm in hac Euangelij verbo, corpus Christi pro nobis est traditum, quæ nobis hac ut donum offertur, sic etiam in pane Eucharistia, cui accessit verbum*, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, *realis & corporalis aliqua imaginanda est præsentia seu subsistentia. Et iterum*: Remotus quidem erat Agni paschalis tempore Christus, & ab auribus & ab oculis carnalibus, præsentissimus tamen erat fidei, quæ motis alis suis, ex hoc mundo in spiritualem transvolat, ac pro natura visus Dei, quæ Christi sunt videbat. Sic enim Deus omnia etiam futura, sibi præsentia videt. Ita FIDES rem longissimè pro mundi captu positam sibi PRAESENTISSIMAM facit & videt. *Et post*: Nemo est qui neget, corpus Christi spiritu præsens fuisse Patribus, nam per verbum promissionum Christus totus ipsis præsens factus est, sed longè aliter nobiscum res agitur, non enim solùm spiritu, sed & præsenti verbi exhibitione corpus & sanguis Christi præsentantur. Nunc enim reuelato Christo, non solùm spiritus verbi, quo Patribus præsentem exhibuit in promissionibus, sed & litera (absit verò maligna interpretatio) corpus Christi & sanguinem præsentia exhibet, adfert & demonstrat. Hoc (inquiens) est corpus meum, & hic est sanguis meus: Sic autem edimus corpus & bibimus sanguinem carne, non vt corpus Christi atteramus & frangamus, vt est in reuocatione Berengarij, sed panem ipsum, quà panis est, tractamus, frangimus, edimus, & dentibus atterimus, CORPVS AVTEM ACCIPIMVS, QVA VERBVM HOC ACCIPIMVS, HOC EST CORPVS MEVM (vt pulcherrimè quidam dixit) QVOD EDIMVS INTRAT VENTREM, QVOD CREDIMVS INTRAT

1525. TRAT MENTEM. *Et pòst*: Neque est quod timeas optime Oecolampadi, ne quis Cœnæ tempore vanè se occupet in miraculo considerando, qua ratione scilicet corpus pani vniatur, neque enim hoc nobis probari posset, si fieret, sed dabimus, vt hoc fiat à superstitiosulis. Quid ergo? An ideo negabimus, panem esse corpus? *Et pòst:* Corpus Christi solum nihil prodest, sed quia pro nobis traditum est, sed quia vita, vita mundi est. Ita sanguis Christi solus nihil prodest, sed prodest plurimùm, quia pro emundatione nostri effusus est. Adeóque hæc vnica causa est, quare edamus corpus & bibamus sanguinem eius in Cœna. Nisi enim corpus pro nobis traditum esset & sanguis effusus, frustra ederemus & biberemus. Porrò QVOD FIDE MANDVCANDVM SIT CORPVS, & bibendus sanguis, nihil adimir pani, vt non sit corpus: vt enim non propterea Christus carne caruit, quòd Petrus, aut alius Apostolus EDERIT EVM SPIRITVALITER: Ita non propterea corpus Christi in pane edi negandum est, quòd SPIRITVALITER sit manducandum. Quid igitur absurdum erit, si fateamur, corpus Christi incomestibile, carnaliter nos edere, dum panem Cœnæ edimus? Neque enim negauerit quispiam, NON ESSE SPIRITVALITER EDENDVM CORPVS, QVOD PANE PER VERBVM EDIT. Quemadmodum nemo tam stupidus est, qui diffiteatur, Verbum Euangelij spiritualiter, hoc est, fide recipiendum esse, vt maximè auribus recipiat. *Quo loco illud inter cætera memorabile, & quasi totius illius scripti certa & perspicua explicatio est, quod rectè & ingenuè fatentur, non ideo posse à quoquam ex supra dictis probè inferri, spiritualiter corpus Christi edendum non esse, quia scilicet pane per Verbum edatur: sicut nec propterea Euangelij Verbum spiritualiter, hoc est, fide non recipiatur, quia carnalibus auribus audiatur: Quasi dicerent: Esus carnis Christi in pane per Verbum, non mutat spiritualis manducationis modum in verbo, sicut nec præsentiæ modus alius fit, seu mutatur, eò quòd Verbum ad panem accesserit.* Vt enim fides, *aiunt*, Verbum quod auribus accipitur, pro sua ratione recipit: ita & corpus, quod pane accipitur, PRO RATIONE FIDEI ASSVMITVR, CORPVS ENIM CHRISTI CORPORALE NON RECIPITVR A CORDE, ANIMO, FIDE, NISI PRO RATIONE FIDEI, QVÆ EST SPIRITVALIS, vt maximè ipsum sit corporale. Hinc facilè manifestum est, quo candore citaueris huc eum locum, qui est Ioan. 3. Omne quod ex carne est, caro est: quasi verò fides carnali ratione corpus Christi acciperet? *Et pòst*: Ita ne quis igitur colligere auderet, panem Cœnæ non esse propterea corpus, quòd corpus Christi fide edendum sit.

Hæc verò diligenter quæso vt expendantur: sunt enim talia, quæ corporali in pane præsentiæ & manducationi, quali hodie vulgò docetur, omnium manifestissimè aduersantur & repugnant. Fatentur namque huius scripti Authores, corpus Christi, etsi per se maximè corporale sit, non tamen pro ratione ipsius corporis, sed pro ratione fidei, quæ spiritualis est, accipi & communicari: Indéque hanc corporis Christi in Cœna communicationem, non pro ipsiusmet corporis, quod perpetuò corporale manet sed fidei, quâ corde & animo percipitur, ratione ac modo spiritualem dici, sicut hoc sensu, pro explicanda latiùs ipsius scripti sententia, Iohannes Brentius in sua Exegesi, Corpus & sanguinem Christi in Cœna ideo spiritualia dona vocati ait, quoniam ex fide quærantur: Quæcunque enim ex fide & spirituali cupiditate quæruntur, *ait*, spiritualia dicuntur, etiamsi maximè per se sint corporalia. *His autem an-non planè contraria sunt, quæ longè nunc aliter docent Vbiquistæ? Corpus videlicet & sanguinem Christi, ipsa quidem percipiendi actione, seu modo, corporaliter & ore, verùm vt non per se corporalia sunt, sed pro ratione Maiestatis & Sessionis ad dexteram, velut rei omnium spiritualissima, in qua nihil corporale aut carnale sit, sumi atque manducari. Contra quæ tamen, sicut in supra dictis, non spirituale aliquod, sed verum & corporale, seu carnale corpus, quatenus in mortem traditum est, per verbum fidelibus offerri, & in verbo per fidem accipi, haberi & teneri: ita etiam in iis quæ sequuntur, sic iterum sentiunt huius istius scripti Authores:* Sed Christus, *ais*, abijt & sedet ad dexteram Patris, & misit Spiritum sanctum in corda Apostolorum. Heus tu, ita-ne abijt, vt tuarum rerum nihil post se reliquerit? Abijt ergo & remissio peccatorum, abiit & sanctificatio, adeoque omnis iustitia, abiit & Spiritus sanctus, siquidem hæc omnia Christi sunt. Sed gratias agimus tibi Domine Iesu Christe, quòd te sic non abstuleris, vt nihil nobis rerum tuarum reliqueris. Sedes tu quidem ad dexteram Patris, sed interim tamen nobis dona tua non denegas: Nónne Spiritus sanctus Christo est agnatissimus? communicat tamen eum piis & mittit eum in corda ipsorum, manens interim ad dexteram Patris sedens, nullâ parte disiunctus. Iam si Spiritus sanctus vehiculo verbi ad nos aduehitur, manens, vt diximus, interim Christo ad dexteram Patris sedenti coniunctissimus

mus: cur eodem verbi vehiculo non posset ad nos advehi corpus & sanguis Christi? Neque verò propterea imaginandus est novus Christi adventus, si verbo nobis mittatur vel Spiritus sanctus, vel remissio peccatorum, vel justitia, vel corpus Christi, vel sanguis ejus. Non enim aliquis Christi adventus est, sicut initio carne venit, novissimè venturus in gloria: sed doni communicatio & distributio est, siquidem verbum ea, quæ in primo adventu allata & impetrata sunt, conservat & nobis distribuit. Impetrata est remissio peccatorum, ea verbo conservatur. Allatum est corpus, allatus est & sanguis: hæc verbo conservantur, manente interim Christo, summo Pontifice & Sacerdote, à dextris Patris, nec in multos Christos diviso. Vnus enim est Christus, sicut & unum corpus Christi & sicut non multi fiunt Christi, ex credentium in Christum multitudine, ita non fiunt multa corpora ex humero manducantium. *Hoc tempore, cùm nondum penitus invaluisset contentionis spiritus, ut apparet, ignota fuit adhuc universalis illa præsentia corporis Christi in omnibus creaturis, secundùm modum Dexteræ & Sessionis ad dexteram, quo solo fundamento hodie nituntur Vbiquistæ, ac præsertim Concordiæ libri authores. Sicut autem articulus de Sessione ad dexteram non repugnat communicationi corporis & sanguinis Christi in verbo, ita hinc rectè inferunt hujus scripti Authores, nec per hanc Sessionem ad dexteram impediri communionem corporis & sanguinis Christi, quatenus hæc fit in pane Cœnæ per verbum, quia videlicet idem utrobique præsentiæ modus est. Neque enim corpus Christi magis realiter existit seu continetur in pane, quàm verbo sic contineri, conservari, & offerri dicitur.*

Summa Syngrammatis Suevici de Cœna.

Post verò Oecolampadium sine causa superioribus oppugnatum, sic tandem concludunt: Nos diligenter collatis rationibus cogimur à Spiritu Verbi fateri, panem Cœnæ esse verum Christi corpus, non Tropicum, sed illud ipsum, quod pro nobis traditum est, non detrahentes interim Christum à dextera Patris, sed donum corporis verbo commissum & consecratum, & sic per verbum ad panem adventum, summâ animi gratitudine suscipimus.

Status controversiæ de Cœna initio ab utraque parte non intellectus fuit.

Vt autem ex hoc Suevicarum Ecclesiarum scripto, in quo expressissimè negatur, præsentiam Christi in Cœna sacra esse novum aliquem corporis Christi ad panem adventum, seu miraculosam ipsius cum pane unionem, sed verbo promissionis & fide eam constare, hoc est, doni ipsius in verbo conservati & oblati communicationem esse, quæ pro ratione fidei corde & animo accipiatur, intelligimus; hac 1525. *ad realem seu corporalem illam in pane præsentiam, quæ non est, nec conservatur in verbo, ut donum fidei, omnino non pertinere: ita ex eodem simul apparet; non satis fuisse ab initio intellectum ab utraque parte verum hujus controversiæ statum, atque sic ferè idem accidisse Oecolampadio cum his suis adversariis, quod Cyrillo cum Orientalis Ecclesiæ Episcopis, Theodoreto, & aliis, in causa Nestorii. Metuebant Suevici Doctores, ab Oecolampadio omnem corporis Christi à Cœna communicationem, per eum, quem assereret, Tropum auferri, solâ figurâ relictâ. Hoc verò sibi non injuriâ reprehendendum existimârunt; quòd falsum & absurdissimum videretur, non esse veram ipsius Christi corporis in pane Cœnæ communicationem, per verbum, quandoquidem hæc nulla ratione simplici verbo adimi & detrahi posset.* An enim (*inquiunt*) panis aliquid adimet verbo? Absit, SED VERBUM AD PANEM FERT QUOD IN SE CONTINET: *Et sic alibi idem Brentius in Epistola ad Bucerum:* Adhibe, *inquit*, verbum pani: Hoc est corpus meum: cur non in pane acciperemus, quod in verbo? Hanc sinceram & candidam verborum Christi expositionem si & vos sequeremini; maneret pax & concordia. *Item*: Nam si scire volueris, quid peccent assertores Tropi in hac locutione, Hoc est corpus meum: facilè dicam. Idem enim faciunt, quod alius, dum Christus inquit: Ego sum lux mundi; si ex luce figuram lucis faceret: aut, Ego sum resurrectio, si in resurrectione figuram resurrectionis imaginaretur. Vt enim in hoc verbo: Ego sum lux mundi: lux nobis adfertur: quod verbum si qui fide acceperit, veram lucem accipit: ita hoc verbo, Hoc est corpus meum; adfertur ad nos corpus Domini nostri, quod idem cur non faceret, si ad panem accedat? *Et mox*: Quòd verò vobiscum non consentiamus, in causa est; quia videmini nobis auferre donum, quod verbo adfertur, id quod nullo pacto patiemur. Nos fatemur, hoc verbo, Hoc est corpus meum, Christum corpus suum tradere; non figuram corporis: corpus cibat animam nostram, non figura. Iam quidquid panis de corpore habet, ex verbo habet: Nec aliter panis est corpus, quàm quà verbum ad nos corpus adfert. *Item*: Verbo donum corporis sui nobis præsens offertur, & si verbum corpus adfert, perinde & hoc, cui verbum accessit, id est, panis Cœnæ. *Hæc Brentius: quorum nec sensus, nec ratio constabit, si alia, eaque corporalis ponatur vera corpo-*

Præsentia corporis Christi in Cœna, ut doni, constat verbo promissionis & fide. O. causa controversiæ inter Zwinglium, Oecolampadium, & Lutheranum.

Hanc plane oblationem hodie non servant Vbiquistæ.

Verbum fide acceptum præsens facit quod continet.

1525.

corporis Christi communicatio in pane Cœna, quàm in verbo. Nam eadem prorsus ratiane, qua verba in communicanda carporis Christi dono, nihil adimi dicitur per panem, cui accedit: Ita etiam vicißim per verbum hac cammunicatio doni, sua perceptianis modo, in pane non mutatur, nec desinit esse spiritualis per fidem. Est igitur totius illius disputationis hic scopus, hac summa & intentio; Non minarem videlicet esse in cammunicando corporis & sanguinis in Christi dono, panis Eucharistia virtutem, per verbum, quàm sit ipsius per se verbi: Hoc est, quod Augustinus ait : Accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum, etiam ipsum, tanquam visibile verbum *: His verbis apertißimè fatetur & concedit Brentius, panem esse figuram carporis Christi: sed negat, & rectè, ampliùs in Cœna, per verbum, quàm figuram dari.*

Scopus supra dictæ disputationis.

Cantrà verò Oecolampadius verebatur, à suis adversariis carporalis prasentia & oralis manducationis commentum stabiliri, quòd is tantùm, & non ipsam veri carporis Christi communicationem à Cœna removendam esse cantendebat, sicut hoc disertè est à D. Bucera ostensum & explicatum: ipsiusque inprimis Oecolampadii Propasitiones, quas pro constituenda cum suis adversariis concordia conscripsit, manifestißimè demonstrant. Corpus, *inquit*, adesse pani libenter fateor, eo modo, quo adest ipsi verbo, per quod panis fit sacramentum & visibile verbum. *Item* : Pani per verbum corpus datur, sicut verbum corpus in se habet. *Item* : Benè & religiosè loquuntur, qui se dicunt accedere ad corpus Domini, vel manducare corpus: profanè autem & contemptim, qui tantùm panem & signum suscipere se dicunt. Declarant enim infidelitatem suam. Fidelis autem injuriâ se affectum & pro proditore se haberi putat, si solum sacramentum, & non etiam rem ipsam, quam sacramentum signat, manducâsse dicatur, tametsi illud ore, hanc animo & fide accipiat, ut habet mos loquendi Veterum. *Hac ita tunc Oecolampadius pacem & cancardiam in veritate ab adversariis suis pio studio quarens, qua prorsus ejusdem sententia sunt, cum iis, qua alim Brentius in sua ad Bucerum Epistola & Exegesi in Iohannem, pro explicatiano Syngrammatis scripsit. Sic itaque facilè potuisses tunc, manente hoc controversia statu, in quo prafectò nulla de corparali prasentia & manducatiane lis & dissēsio fuisse videri potest, res camponi, sicut & adhuc posses facillimè, si veritati & ingenio suo cadere potiùs, quàm ambitioni & contentionibus indulgere vellent illi, à quibus tandem infausto hujus cantroversia progressu, exquisito turbanda in Ecclesia pacis studio, eò vesania perventum est; ut jam non tam aliorum, quàm suipsius, execrandâ quadam opinianis levitate, in prioris sententiæ mutatione, gravißimi sint facti hostes & adversarii: evidentißimo certè divini iudicii testimonio, & dignâ istiusmodi ambitiosis & cantentiosis hominibus pœnâ & confusione. Quid enim sibispsis quaso, sciscitante eorum conscientiâ, aliisque, quibus hac non immeritò suspectum est, sunt bana fide responsuri? quòd à superiùs explicata sententia (cui quidem, si quis tunc assentiretur, pacem & cancordiam benignè obtulerunt, sin verò quis ab ea dissentiret, ualuerunt tamen ea propter dilectianis jus & vinculum dissalui) adeò procul est discessum, ut nec in adversariis suis nunc ea ferre poßint, sed ut Zuingliana & Calviniana hostiliter & clamasè insectentur, qua ipsimet alim cantra eos, non rectè (ut hinc videre licet) intellectos, velut à certa indicio Spiritus Dei prafecta, pro veris approbaverunt, & quibus receptis, pacem & cancordiam hac parte sancitam, amnemque controversiam sublatam esse voluerunt. Aut igitur hinc omnium verè piorum & rectè sentientium iudicio, ad quod provocare nan dubita, vialata fidei, & turbata in Ecclesia pacis, perpetuò accusandi, & iustißimè rei habendi sunt Vbiquista: Aut fidem jam alim datam liberent, & revocata in hanc causam priore illo supra pasito & explicato cantroversia statu, da vero prasentia & communicatione carporis Christi in Cœna, pra ratione danarum per verbum in fide, turbatam iam satis diu afflicta Ecclesia pacem restituant: aut saltem facienda ipsius jam pridem ab amnibus bonis speratam & exoptatam occasianem amplius non impediant.*

Vide epistolas Zuinglii & Oecolampadii Basilea excusas anno 36. fol. 119. Vera præsentia corporis Christi in Cœna nūquam ab Oecolampadio negata fuit.

Vanitas & inconstantia adversariorum veritatis.

Audiamus autem breviter, quomodo hac ipsa, quam supra recensui, sententia, ab ipsamet Brentia suisque sectatoribus, Zuingliani Calvinianique dogmatis, & sacramentarii erroris, omnium acerbißimè condemnata sit. Sic enim Vbiquitatis ille patranus Brentius cantra Bullingerum, imò contra semetipsum scribit. Qui concedere & fateri non vult, corpus Christi esse ubique, manifestè per hoc declarat, etsi multa verbis jactet, de vera præsentia Christi, & usu Cœnæ Dominicæ, donis item & beneficiis, quæ nobis in ea offerantur, quòd in intimo corde sit Zuinglianus. *Item*: Qui dicunt, Christum in Cœna præsentem, sed tamen humanitatem ipsius uno tantùm loco in Cœna esse, isti vetam corporis & sanguinis Christi præsentiam ex Cœna auferunt. *Et in libro Recognitionis* : Quæso te mi Lector, reputa cum animo tuo, an non is, qui pio & sano intellectu ex animo confitetur, divinam & humanam in Christo naturam esse inseparabiliter in una persona conjunctas, necesse habeat etiam

Brentius suam sententiā de Cœnā in Syngrāmate expressā ut Zuinglianam condēnat progressu temporis

In Tract. de verbis Domini in domo patris. &c. f. 23.

Fol. 116.

Monstrosa sententia de unione personali

etiam sentire & confiteri, quòd ubicunque est Divinitas Christi, ibi etiam sit humanitas ejus? Si enim hæc sunt semper inseparabiliter conjuncta & unita, quomodo potest alicubi esse Divinitas Christi absque Humanitate ejus? *Et post*: Non nunc de Zuinglianis, sed de nostris loquor, qui fatentur veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna. Nisi crediderint, Christum unà cum corpore & sanguine suo verè in Cœna præsentem esse, priusquam verba Cœnæ recitaverint, non video, quomodo effugere queant magicam Papistarum sententiam. Papisticum, hoc est, magicum est, his verbis: Hoc est corpus meum: tantam virtutem esse additam, ut mox ad prolationem eorum corpus Christi, antea absens in cœlo, fiat præsens. Credendum est itaque corpus & sanguinem Christi jam antè præsentia esse, per majestatem ejus: & talis præsentia verbis institutionis annunciatur tantùm & distribuitur.

In protocollo Heydel. fol. 283.

Et Schmidlinus contra Heydelbergenses de Colloquio Mulbrunnensi sic scribit: Non volo vos celare, quicunque inter eos, qui Augustanam Confessionem profitentur, dicunt se credere veram corporis & sanguinis Christi præsentiam in Cœna, & tamen interea Vbiquitatem, sicut ea à nobis de Maiestate hominis Christi docetur, negant, eique contradicunt, hos certè oportet aut Magicos Papistas esse; qui putant, quòd per recitationem verborum Cœnæ, corpus Christi antea absens, statim præsens è cœlo faciant & adducant: aut in intimo corde cum Zuinglianis sentire: Christum videlicet tantùm Divinitate suâ nobis præsentem esse, corpus autem ipsius non esse realiter in pane, sed tantùm per fidem præsens, puta, si credimus, corpus hoc pro nobis in mortem traditum, & sanguinem ejus fusum esse. *Item*: Quicunque hanc Majestatem ubiquitatis nobiscum fateri non volunt, isti verum fundamentum præsentiæ corporis Christi in Cœna negant. Quòd si enim non iam antea semper & perpetuò, secundùm modum dexteræ Dei, præsens ibi esset Christus, nihil aliud cum corpore suo facere oporteret, quàm incessabili modo ascendere & descendere, & ab uno loco in alium migrare. Quæ sententia si non recipiatur, omnino in castra Zuinglianorum transeundum esse fatentur *Vbiquistæ*. Nisi enim ex hypostatica unione duarum naturarum in Christo ponatur, corpus ipsius esse in omnibus ubique locis, frustra *dicunt* inculcari veritatē verborū: Hoc est corpus meum: pro quibus etiam ne ad momentum quidem

Scripto secundo contra Heydelderg. fol. 62.

In epistola ad Wittebergenses Schmidlinum, & contra Sperlingum.

amplius velint dimicare. *Hæc omnia ex diametro pugnant cum iis, quæ Authores Syngrammatis docent, & subinde repetunt, videlicet*, per verbum adferri pani & vino corpus & sanguinem Christi. *Iam verò hoc* Magiam Papisticam *vocant*.

1526.

Syngramma Suevicum Ioannes Agricola in linguam Germanicam convertit: Cui Lutherus epistolam virulentam admodum præfixit. Sic enim eam orditur: Prodiit libellus quidam Latinus, à Concionatoribus Suevicis isti sectæ oppositus, quæ novis somniis de Cœna Dominica in medium allatis, totum mundum turbare conatur. Et hic quidem libellus ita mihi arrisit, ut de illo in Germanicum è Latino convertendo cogitārim. *Et paulòpost Exordium, inquit*: Non obscurè etiam tunc temporis, quando contra Carolostadium scribens, τοῦ ipsius aggrediebar, divinare potui, latere adhuc, qui cum EST & SIGNIFICAT in arenam descensuri essent. Et hos quidem adprimè doctos futuros prævidebam, licèt fundamentum prorsus puerile sit, nulloque Scripturæ exemplo nitatur. *Item*: Tanta huius sectæ ferocitas est, ut unius anni spacio quinque vel sex capita acquisierit. Primus illius author erat Carolostadius cum suo τοῦ: Secundus, Huldrichus Zuinglius cum suo Significat: Tertius Ioannes Oecolampadius cum sua Figura corporis: Quartus ordinem textus invertit. Quintus jam in scena est transponens verba: Sextus adhuc in alvo est ventilans verba. Septimus fortasse etiam mox aderit omnia sursum ac deorsum mistturus, &c.

Lutherus Syngrammati Suevico præfigit epistolam.

Ad hanc Præfationem Lutheri necessariò respondit Oecolampadius Germanicè, quæ prima est ejus Responsio *ad Lutherum: conjunxit etiam Germanicam, sed brevem* Responsionem *ad Syngramma Suevicum.*

Oecolāpadii prima Responsio ad Lutherum.

Cùm hæc fierent, Papistæ se jungebant adversariis Oecolampadii, eos collaudabant & in pretio habebant, ac tantum non ignoscebant eis quicquid jactura hactenus ab eis fecerant.

Papistæ se jungunt Lutheranis cōtra Oecolāp.

Carolostadius post unum & alterum à se in lucem datum libellum de re Eucharistica, in quibus tropicam seu figuratam esse locutionem eam disputārat in verbis Institutionis, sed tropum ibi quæsierat & figuram, ubi nulla erat, & τοῦ particulam ad σῶμα, non ad ἄρτον, ut genere diversum, retulerat; ut fieret τοῦτο, Hoc est corpus meum: non autem, Hic panis est corpus quod merè dicitur & indubitatè, figuratè & tropicè: de illa causa, quam rectiùs & meliùs jam agi intelligebat à Zuinglio & Oecolampadio, nihil scripsit ampliùs. Excusationem tantùm suam edidit ad Lutherum, in qua scribit, se, quæ de causa illa edidisset, disputandi tantùm,

Carolostadius nil amplius de Cœna scribit.

1525. *& veritatis exquirendæ studio scripsisse, non quòd in iis acquiesceret: quod mox arripiens Lutherus, ad vulgus exagitavit, & hac de causa magis cavendum omnibus esse monuit à Carolostadio, qui se sua doctrina plerophoriam nullam habere profiteretur.*

Pomerani epistola de Cœna.

Ioannes quoque Pomeranus *Ecclesiæ Witebergensis Pastor, epistolam Latinè & Germanicè excudi curavit*, contra novum (*sic enim ipse vocat*) errorem de Sacramento corporis & sanguinis Iesu Christi, *ad doctorem Ioannem Hessum Vratislaviensem. Huic epistolæ responderunt Zuinglius, cuius nominatim mentionem fecerat Pomeranus, & Michaël Cellarius, Augustanæ Ecclesiæ Minister sub nomine Conradi Ris. In fine epistolæ rogat Pomeranum Zuinglius*, ut ipse & alii à talibus invectivis & maledicentissimis scriptis, si ullâ ratione fieri possit, propter ingens offendiculum abstineant in posterum.

Chaselius Witebergam pro pace impetranda missus.

Missus est etiam hoc anno Mense Novembri à Ministris Ecclesiæ Argentinensis, Georgius Chaselius Witebergam, *cum hujusmodi mandatis, ut Luthero & aliis exponeret, quàm periculosum incendium exoriturum esset, si infestis scriptis illi inter se contenderent, quos in expugnando regno Pontificis Romani, animis, viribus & studiis quàm conjunctissimos esse oporteret. Deinde oraret eos, ut de sensu verborum Cœnæ scriberent quæcunque vera & Verbo Dei consentanea esse crederent, & refutarent quæ falsa esse putarent: Interim verò reliquam veritatem quam eandem cum ipsis prædicarent, non reiicerent, fratres eos agnoscerent, & non odio insectarentur. Quid verò Lutherus Chaselio & Argentinensibus responderit, publicè extat, Tomo 2. Epistolarum Lutheri. Summa ejus est, quòd eos hortatur*, ut prudentes sint, Sathanam enim astutum esse. Se coactum scribere contra Zuinglium & Oecolampadium (quos illi laudârant) eò quòd editis libellis de Eucharistia, mentes hominum commovissent; se extenuantibus suam authoritatem nolle cedere: aut sese aut illos Sathanæ Ministros esse. Rogat, animas seducere desinant; quòd nisi faciant, se hæc tempora Arriano seculo comparaturum. Defendit denique fastuosum illud verbum suum, Es muß ia recht sein was ich schreibe: *quo Zuinglius & alii non injuria offensi fuerant; Hoc enim nullus veterum Patrum sibi arrogavit, sed omnia sua Verbo Dei subiecerunt. Responditque ad hoc Lutherus, se hinc colligere*, quòd Zuinglius & alii morbo quodam animi in ipsum laborent.

Nota causam ob quam Lutherus contra Zuingliũ & Oecolãpadium scripserit. N B.

Theobaldus Billicanus scribit cõtra Zuinglium & Oecolampadium.

Mense Novembri hujus anni, Theobaldus Billicanus, *Ludimagister & Ecclesiastes Nordlingensis*, Epistolam de verbis Cœnæ Domini & opinionum varietate, *Vrbano Regio, Augustæ Vindelicorum Ecclesiæ Ministro, inscriptam, edidit: in qua suum de Carolostadii, Zuinglii & Oecolampadii libris iudicium aperit, eosque ex natura & proprietate linguarum refutare conatur. Fundamenti autem loco ponit ipsa Institutionis Cœnæ Dominica verba, præfatus*, quòd illorum συ̃ζεν, circumstantias, naturam & vim excessurus sit. Interea dum hoc faciat, non se moveri velle, neque sexto cap. Ioannis, neque aliis locis & argumentis. Vbi verò à verbis Cœnæ redierit, tum se de reliquis argumentis facilè judicaturum esse. Negari enim non posse, vim & sensum Cœnæ Dominicæ in ipsissimis Institutionis verbis propriissimè verissimeque expressum esse. Quot autem modis ipsi verba Dominica ludificent, hoc se demonstraturum esse: quanquam in summa conveniant, Quòd videlicet In Cœna aliud nihil sit præter panem & uinum. Non enim esse utilitatem carnis & sanguinis in Cœna, quæ fuerit in cruce & redemptionis opere: præterea Christum, qui ad dexteram Patris sit, non descensurum, ac sese in ventrem cujusuis sumentis demissurum: Hoc enim ipso quando Memoriam passionis nominat, satis significâsse Christum, quòd à Cœna abesset. Et quia nullibi tanquam miraculum allegetur hoc, quòd panis & vinum sit corpus & sanguis Christi, ideo satis indicio illud esse, neque corpus neque sanguinem illius in Cœna esse, nisi spiritualiter. Adhæc omnem Cœnæ Dominicæ fructum, citra corporis & sanguinis Christi præsentiam, inoffensè constare posse. *Dicitque Billicanus*, has ferè esse persuasiones, quibus corpus & sanguinem Christi è Cœna tollere conentur.

Hoc falsissimè de Zuinglio & Oecolampadio asseritur.

Vrbanus Regius approbat Billicani scriptum.

Circa 8. Decemb. illius ejusdem anni, Vrbanus Regius ad hanc Billicani epistolam respondit, actisque pro hoc labore gratiis, inter alia dicit, superiori seculo Wiclephum *Anglum, &* Waldenses, *in sua ad Vladislaum in Hungaria Regem Confessione, hunc eundem de Cœna Domini articulum, iisdem Scripturis & testimoniis defendisse, & acerrimè contendisse, panem figuraliter & non naturaliter esse corpus Christi, quemadmodum Ioannes fuerit figurativè Helias, & non personaliter, &c.*

Birckheimerus contra Oecolampadium scribit.

Hoc ipso quoque anno Bilibaldus Birckheimerus Reipublicæ Noribergicæ Senator, contra Oecolampadium etiam, quem amicum antè habuerat, calamum stringens, ut omnis generis homines contra Zuinglium & Oecolampadium æstuarent ac furerent, librum illius, cujus supra facta est mentio, scripto oppugnavit,

quod

quod anno sequenti Noribergæ typis excusum est. Statim autem ab initio libelli propositionem his verbis constituit: Non esse errorem, si quis credat, Christi corpus & sanguinem ejus in pane & vino contineri non solùm mysticè, sed verè. Imò potiùs illos errare qui ita non credant. *Item*: Nolumus, ut nobis aliud relinquatur, quàm ut corpus σωματικῶς exponamus, Nempe, Hoc est corpus meum, id est, in hoc est, vel continetur corpus Christi. *Item*: Dicis necessarium esse, ut Tropus assumatur. Rectè quidem: Nam si falsa interpretatio veritas esse deberet, non nisi per Tropum posset defendi. Verùm cùm manifesta & clara sint verba Christi, nullo ficto Tropo sacram Scripturam adulterari patiemur. *Item*: Credimus illi, qui ita mandavit, nil de modo disputantes, sed certi de Christi verbis existentes. *Item*: Non est hoc controversum, quid Eucharistiæ operetur Sacramentum, sed potiùs quid sub illo contineatur.

Oecolampadius edit Sermonem de Dignitate Eucharistiæ.

Mensis Decemb. 21. die, hujus anni, qui S. Thomæ sacer est, Oecolampadius Sermonem Apologeticum de Dignitate Eucharistiæ habuit, & paulò pòst edidit. In eo primò respondet ad vulgarem abjectionem hanc adversariorum, Quamvis sensibus aliter videatur, & nihil sentiant eorum quæ hic asserimus, scimus tamen sensus falli, verba non fallere: Fides eorum est quæ non videntur: Beati qui non viderunt, & tamen crediderunt. *Deinde contra adversariorum calumnias sese & alios purgat: veluti quòd dicunt*, Nostros sacramenta conspurcare & exinanire: Sponsum Christum ex Ecclesia eiicere: Spiritualem cibum, ac pretiosissimum thesaurum animarum, ipsum nimirum corpus Christi & sanguinem, quibus in mundo nihil divinius, prorsus surripere. *Imò quòd his aliqui non contenti clamârunt insuper*, in Ecclesiis nostris nihil aliud esse præter panem & vinum, adeòque nos destitutos Deo & Christo: seque & porcos suos domi suæ æquè atque nostros lautè pasci. *In harum calumniarum & blasphemiarum refutatione, simul docet*, quàm honorificè ipse, nostrique de Cœna Dominica sentiant.

Oecolampadius hortatur amicos ne contra Carolstadium scribant. Lib. epist. fol. 8.

Iam antea etiam hinc inde ad amicos scripsit Oecolampadius, eosque hortatus est, ne Carolstadium propter libellos suos infamarent. Tametsi enim non assequutus esset, quod voluisset, nihilominus rei summam improbandam non videri, quòd videlicet verba Christi de carporea carne intelligenda non statuat. In hanc sententiam scripsit etiam circa finem huius anni ad doctum quendam virum bisce verbis: Non parùm tuo nomine anxius sum, ne quid præcipitanter contra Carolstadium evulges, cujus tandem sera ducaris pœnitudine. Nos quamvis non subscribamus illi per omnia, invenimus tamen virum pleraque magnâ utilitate in medium attulisse. Nam carnem & sanguinem Christi hoc modo sacramentalibus signis assignare, quo modo doctum est hactenus, non modò contra communem sensum, sed & contra Christi gloriam facit, & nescio aliquid pestilentius inuehi potuisset. Etenim dum adhæsum est carni & sanguini, quomodo in pane caliceque delitescerent: oblivioni ferè tradita fuit immensa charitas, quâ caro immolata, & sanguis effusus: quorum tamen MEMORIAM, in hunc usum sanctificatis pane & vino, subinde refricari Christus voluit. Atque non sine desipientia homines adstringere voluimus, fateri hunc ipsum panem esse corpus Christi, vel sublatâ, vel præsenti materiâ panis. Quod si non est veritatem mutare in mendacium, non video quid aliud dixeris veritatem in mendacium vertere. Porrò si tam religiosè Tropo Hebraïco neglecto urges verba Domini, Hoc est corpus meum: oportebat circumspicere quid sequatur. Nónne dicit, Hoc facite in mei commemorationem? Quid est, Hoc facite? nempe, Cœnam Dominicam servate ritu nunc vobis exhibito, ut per panem carnis, per vinum sanguinis memoriam habeatis. Non hoc sibi vult, τὸ, Hoc facite, perficite corpus & sanguinem crasso modo, quo illi urgent, sed ritum servate, quem & Apostolos servâsse in primitiva Ecclesia perspicuum est: & quanto tempore legitimè instauratus non fuerit, deplorabilis Ecclesiæ facies erit. Dicit autem, In Memoriam. Quorum est Memoria? Dic quæso, nónne absentium? Quòd si præsentem se testari voluisset hoc modo, quo traditur, rectiùs dixisset aliis verbis. Iam quid est facere in sui memoriam? Nónne accipere & comedere? Porrò quid, quod dicis, substituisse tunc corpus & sanguinem? Siccine dices confirmari fidem? Confer omnia signa, quibus infirmitas fidei iuvatur, num tam occultum tamque difficile, fermè dicerem tam infelix, atque illud? Charitas Dei persuabilior, quàm ut hoc nova ratione persuaderi oporteat, sufficiet ritus ad illam commendandam, &c.

1525.

ANNUS M. D. XXVI.

Oecolampadius Billicano respondet.

O*Ecolampadius hoc anno ad epistolam Billicani Vrbano Regio inscriptam, respondit, ostenditque*, Quinam in verbis Cœnæ alienum sensum inferant. *Billicanus enim in*

1526. *Exordio & fine epistola suæ, Oecolampadium accusârat, quòd in Scripturam, sensum, non quem illa requirat, sed qui ipsi arrideat, intulerit.*

Zuinglius Billicani & Regii epistolis respondet. Zuinglius certamen Sacram. deprecatur.

Mense Martio Zuinglius quoque Billicani & Regii epistolis Responsionem *opposuit: In qua fundamenta Billicani, supra enumerata omnia evertit & destruit, & ad rationes ejus non minùs solidè, quàm doctè respondet. In fine epistola ad Regium sedulò certamen Sacramentarium deprecatur.* Nos, *inquit*, perpetuò pugnam deprecamur apud omnes, quòd si prorsus ungues nostros, quos tam cunctanter exerimus, quidam experiri cupiunt, dolet nobis hoc in præsentia, postmodum vereor, ne illis nequicquam doleat, ubi senserint. Resipiscite Billicani, Regii, Brentii, & id genus bonarum sacrarumque literarum candidati, dum tempestiuum est. Perpendite etiam atque etiam, quantam respirandi Pontificiis occasionem præbeatis, dum carnem adseritis in pane: & contrà, quàm verum sit quod Paulus, in hoc divini Spiritus molimine compulsus, dixit. Et si cognovimus Christum secundùm carnem: at jam non cognovimus secundùm carnem. Det ille nobis idem in se sapere ac sentire.

Bucerus Apologiam edit, qua Brentii calumnias depellit.

Quia Brentius mense Octobri superioris anni epistola Buceri respondit, & responsionem publicavit, non addita Buceri responsione, ideo is quoque hoc anno Apologiam edidit, in qua studium suum quo Suevicarum Ecclesiarum Doctores ad pacē & concordiam, sed frustrà hortatus sit, multis exponit. Hortatus eos fui, *inquit*, ut perpenderent, quàm non modò dedeceret, eundem Christum & Deum eodem spiritu confitentes & prædicantes diffidere: verùm etiam quantum hîc scandalum obiiceretur infirmioribus. Taceo quòd Oecolampadius cùm de ipsis, tum de gloria Evangelii multò meliùs meritus sit, quàm ut posset piè ab ipsis proscindi, &c.

Bucerus ad concordiam & pacem hortatus est adversarios.

Item: Brentio etiam hac de re scripsi, quòd spes esset, eum, si pacis & concordiæ causam agendam suscepisset, quâ est apud suos vicinos fratres authoritate, inter quos nimirum eruditione atque iudicio haud mediocriter excellit, faciiè quotquot in tota ea vicinia Evangelii præcones habentur, à calidiore contentione servaturum, ac si qui in illam imprudentes incidissent, revocaturum. Ergo Brentio scripsi occasione, quam dixi, quòd videretur idoneus, si voluisset, ad studium concordiæ vicinos suos revocare. Admonui juxtà, quanta offendicula hæc contentio infirmioribus, quorum maximè ratio habenda est, obiectura sit, & jam obiecerit: quantum etiam damni datura, præsertim, si immodestiùs fideles Christi ministri traducantur & proscindantur, id quod leve nimis quidam ducunt, &c. *Hucusque Bucerus. Deinde fidei suæ atque doctrinæ de Cœna Dominica, quam cùm ipse, tum alii Ministri Argentinenses profitebantur, rationem simpliciter reddit. Vltimò, crimina, quæ in sua epistola Brentius ei obiecerat, depellit.*

Zuinglius edit perspicuam expositionem Cœnæ Germanicè.

Zuinglius nihil adhuc Germanicè scripserat de negotio Eucharistico. Causam ipse indicat in clara, perspicua & brevi Expositione Cœnæ Dominicæ, his verbis: Intra anni unius curriculum ter aut quater ob graves causas de Sacramento corporis Christi publicè meam sententiam testari coactus sum: sed Latino sermone hactenus usi, vulgari linguâ nihil dum super hac re conscripsimus, eò quòd altera illa non tam Germanis nostris, quàm aliis quoque vicinis, Gallis nimirum ac Italis servire videretur. Quoniam verò plures esse video, qui singulari quadam operâ & studio cavere solent, ne quando in eas regiones & urbes in quibus ipsi degunt, scripta nostra delata perveniant, nec à quoquam legi possint (quàm bonâ verò & saluâ animorum conscientiâ id facere possint, qui non semel magno cum fervore & studio Paulinum illud, Omnia probate, quod bonum est tenete, quibusuis occinere soliti sunt, ipsorum judicio decernendum relinquimus) præterea eadem hæc publicè pro erroneis hæreticisque condemnant, omnesque Deos in suis scripris invocant, ut nos ab errore hoc extricare & abducere dignentur: quibus deinde alii quoque accedunt, qui nos nostræ hujus sententiæ, quâ corpoream Christi carnem & sanguinem in Sacramento hoc verè & corporaliter edi bibique iuxta divini Verbi oracula negamus, certam & solidam cognitionem nondum habere clamitent, & magni alicujus erroris jam obstinatis animis nos publicè insimulent, ut nullam omnino institutionem ad doctrinam admittentes, quóduis dictum nostrum acerbis & iratis mentibus arripiant: operæ pretium igitur & utile judicavi esse, si Germanicè quoque hoc negotium tractarem.

Zuinglius cur Germanicè scribere cœperit de Cœna.

Edidit igitur Zuinglius mense Februario Germanicum librum, de quo diximus, cui hunc titulum præfixit, DE COENA DOMINI, plana brevisque institutio, in simplicium quorundam usum conscripta, ne argutis aliorum fallaciis decipiantur. *Et quoniam potissimâ contētionis causam Christi verba, quibus in Cœna usus, dixit,* HOC EST CORPVS MEVM,

MEVM, *minùs propriè intellecta, præbuerunt:* Primo *loco, de falsis & erroneis horum expositionibus agit, & quantum hinc errorum exortum sit, demonstrat.* Secundo, *partim certis & manifestis Verbi Dei testimonijs, partim verò fidei Christianæ articulis & axiomatis indubitatis, eadem hæc Christi verba absolutum hunc & substantialem sensum, quem hactenus quidam ipsis violenter obtrudere conati sunt, nequaquam admittere posse ostendit.* Tertio, *genuinum & proprium verborum eorundem sensum profert, & euidentissimis Scripturæ locis comprobat.* Quarto *loco, obiectiones aliquot validiores in speciem confutat.*

Zuinglij vaticinium de diuturnitate & damno Certaminis Sacramentarij

In Præfatione inter alia hæc scribit: Illud certò affirmare possum, quòd si semel importuniùs de hac re contendere libuerit (quamuis meliora mihi polliceat) pugnam hanc non vno die finitum iri: quod si verò eandem hanc verborum impudentium dicteriis conuitiisque inficere libuerit, tenebras eas obortituras esse videbimus, vt veritatem prorsus amissuri simus. Altercando enim & contendendo (vt veteri prouerbio dici consueuit) amittitur veritas. Omnes igitur, qui Doctrinæ & eruditionis nomine præstant, admonitos velim, ne causam hanc inhumanis & insuauibus clamoribus obruere instituant, quin potiùs modestiæ memores illam obseruent, ne fortè plùs mali ex importuna illa verborum rabie oriatur, quàm ex vera causæ totius sententia boni desumi possit.

Zuinglij modestia, qua vsus est erga Lutherum.

In fine autem libri sic scribit: Hanc sententiam nostram nunquam non summâ, quâ fieri potuit, modestiâ & facilitate proposuimus, ne aliquod contumaciæ exemplum in Christianam Ecclesiam induceremus. Et vt de Deo, qui cœlum & terram creauit ex nihilo, & Christo Iesu vero Dei Filio non quicquam dubito: Ita Christi quoque corpus in hac Cœna corporaliter præsens non esse certò cognoui. Si enim hoc statuere libeat, iam omnes fidei Christianæ articuli, quorum suprà meminimus, nobis negandi & infringendi erunt. Quapropter eruditissimum virum MARTINVM LVTHERVM mordaciùs perstringere animus non est, qua in re alius quidam mihi nondum cognitus edito libello apud hunc me excusare dignatus est. Nolite ergo permittere, ô fratres, vt doctorum quorundam disputationibus inextricabili laborum & molestiarum Labyrintho hac in re vos implicemini. Plures enim ex horum numero sunt, qui cùm in primis initijs incautiùs sese fluctibus hisce immerserint, eò vesaniæ deuenerunt, vt errorem potiùs defendere, quàm agnoscere velint.

1526.

Conr. Pellicani controuersia cum Erasmo.

Interea Conradus Pellicanus *quoque Hebraicæ linguæ apud Tigurinos Professor, ab amicis interrogatus, quid Erasmus Roterodamus, cui Basileæ familiarissimus fuerat propter linguarum cognitionem, de Cœna Domini sentiret, respondebat, eum solùm agnoscere Christi manducationem per fidem. Hoc cùm Erasmus intellexisset, per aliquot epistolas grauissimè cum eo expostulauit, quasi euulgâsset, se credere cum Carlostadio, in Eucharistia nihil nisi panem & vinum haberi. Respondit autem ei Pellicanus quid & quibus conditionibus hoc scripserit: citat etiam quædam loca ex eius libris, quæ, si non solam, certè præcipuam commendent manducationem spiritualem. Cumque Erasmi ad Pellicanum epistola tandem euulgarentur, Pellicanus iniquissimè id tulit, ac cum Typographo expostulauit, quòd suas quoque responsiones non adiunxisset. Fuit hic Pellicanus anno 1493. Minoritarum Ordinis. Sæpe autem testatus est, antequam Zuinglius & Lutherus docere cœpissent, se legisse ac obseruâsse perspicuam eius controuersiæ, quæ nunc sit, explicationem, quòd videlicet sacramenta sint signa, quæ accipiant nomen rerum signatarum: atque ita panem esse & nominari corpus Christi, nempe in Sacramento: Colloquutum etiam esse ea de re cum doctissimo viro D.* Wolfgango *Capitone: sed tamen ita falso titulo authoritatis Ecclesiæ obcæcatum, & communi errore fascinatum fuisse, vt non auderet tum temporis de his rebus cogitare, aut simpliciter Augustinum sequi, cui aliàs tribuerit plurimùm.*

Pellicanus sub Papatu de Cœna rectè sentire cœpit.

Leopoldi libellus de Lutheri & Erasmi sententia de Cœna.

Mense Aprili etiam Germanicus liber editus est, cui titulus præfixus erat, Doctissimi Erasmi Roterodami ac Martini Lutheri sententia de Cœna Domini nostri Iesu Christi: In fine additur nomen Ludouici Leopoldi. Argumentum libri est, quòd Erasmus & Lutherus, dum contentione nondum calerent, sic scripserint, vt in spirituali Christi & præsentia & manducatione omnia posuisse videantur. Hunc libellum mutato nonnihil nomine, Leo Iuda, Ecclesiæ Tigurinæ Pastor ad D. Petrum, non alio consilio scripserat, teste Zuinglio in Exegesi, quàm vt viam eis muniret, quò ab errore suo commodè discedere possent. Eum verò Erasmus Epistolâ admodum acri & vehementi, Heluetiorum Legatis: tum Badæ congregatis, inscriptâ, excepit: Et paucis pòst diebus emisit libellum Apologeticum, quem in epistola promiserat. Compilatores quoque Sacramentariæ historiæ de hoc libello sic iudicant, quasi dolo quodam & fraude insigni sub hoc prætextu dogma suum Zuingliani propagare conati sint. Leo Iuda autem sufficienter sese purgauit: & contra epistolam Erasmi libellum edidit, quo profitetur, se authorem esse libelli quem detestatur epistola: Nec nouum esse dicit, vt libri absque nomine

Leonis Iudæ excusatio de edito à se libello.

1526.

authoris edantur: se alia quoque in lucem edidisse, quibus non metu, sed humilitatis potiùs causâ, nomen suum non præfixerit: se non esse mendacem, nec nebulonem, sed illum potiùs, qui seditiosum illum Dialogum, qui Iulius inscribitur, & cuius Erasmus author esse dicebatur: non apposito suo nomine, publicauerit. Probat deinde, se nihil posuisse in suo libello, quod non de verbo ad verbum in Erasmi libris reperiatur.

Conuentus Imperij Spiræ, & Fabri in eo postulatio.

Hoc quoque anno Conuentus fuit Ordinum Imperij Spiræ, in quo cùm de aliis, tum etiam de Religione tractatum fuit. In fine eius, Ioannes Faber Episcopi Constantiensis Vicarius, cum multis lachrymis Principes obtestabatur, vt si nihil aliud, hoc saltem cauerent, ne ipsis Christus, atque adeò salus tota, corporis Christi conculcatione eriperetur: quod nunc illi molirentur, qui ipsum in sacramento negarent oraliter manducari. Postea etiam in aliis Imperij conuentibus, Pontificij hoc inprimis vrserunt, vt Zuinglij doctrina disertis verbis damnaretur, vtque Zuinglianis publica Imperij Pax negaretur. Intelligebant enim, sublatâ corporali illâ præsentiâ, quo fundamentum est Papatus, actum esse de sua dignitate & quæstu. Multi quoque ex Lutheranis idem sæpè moliti sunt, vt in progressu historia huius indicabitur.

Disputatio Badensis in Heluetiâ.

Mense Maio duodecim Heluetiorum Pagi disputationem instituerunt Bada, insciis Tigurinis: Interim tamen ad Tigurinos, perinde ac si ipsorum imperio subiecti essent, literas dedêre, quibus significabant, se disputationem Bada habendam instituisse, precipere igitur, vt & ipsi vnà cum Zuinglio suo Badam proficiscerentur. Venerunt eò primi nominis Theologi Pontificij, Faber, Eccius, Murnerus: Legatos verò mittebant Constantiensis, Basiliensis, Curiensis & Lausannensis Episcopi, quorum illi sunt in ditione Ecclesiastica. Inter themata quæ à Pontificiis ad disputandum proposita erant, & ab Oecolampadio impugnata, etiam hoc fuit, Quòd verum Christi corpus atque sanguis adsint in Cœna Domini, & pro viuis atque mortuis verè in Missa offerantur.

Senatus Tigur. cur Zuinglium ad Disputationem Baden mittere noluerit.

Amplissimus Tigurinorum Senatus Zuinglium ad hanc Disputationem mittere noluit, quòd Bada non sui duntaxat iuris oppidum esset, sed alieno etiam imperio subiectum. Et licèt octo Pagis parere cogatur, Pontificij tamen reliquos hoc adhuc tempore suffragiorum numero vicerunt. Illi ipsi etiam iam antè in hoc coniurârant, vt fidem & doctrinam, quam Zuinglius docebat, tanquam hæreticam persequantur. Ad hæc ipsum ceu hæreticum proclamârunt & proscripserunt, non solùm apud Grisones, Rhætos & Sangallensium populum, sed etiam in his ipsis literis, quas de Disputatione hac inchoanda hinc inde transmiserunt: Interim verò in literis, quæ ad Tigurinos perferendæ erant, non sine astuto dolo idem illud ab ipsis omissum erat. Non etiam multis ab hinc retro annis præceperunt, vt captiuus, nullâ communium fœderum ratione habitâ, Lucernam abduceretur. Fryburgi item libros eius, nulla excusatione admissa, combusserunt. Sed & Lucernæ imaginem eius effictam publicè cremârunt. In illis ipsis quoque Scriptis, quibus Disputationem hanc promulgârant, palàm testati sunt, se non aliam ob causam hoc consilij cepisse, quàm vt antiquam suam religionem à Maioribus suis traditam, retinere & Lutheranam Zuinglianamque opprimere possint, eò quòd hæc multorum malorum & dissidiorum causa sit. Magis autem veritatem promouit Zuinglius domi manendo, ibique cogitando, vigilando, consulendo, monendo, scribendo & literas & libellos, quos Badam miserat, quàm præmonuisset disputando inter medios hostes.

Exitus Disputationis Badensis.

Actionis hic fuit exitus, vt decretum facerent Pontificij, in ea, quam hucusque seruâssent, religione permanerent omnes, & Concilij sequerentur authoritatem, neque nouum vllum dogma suos intra fines admitterent.

Lutherus adoritur Zuinglium & Oecolampadium.

Cùm Zuinglius, vt ex suprà dictis liquet, neque Carolstadij causam suscipere, neque Lutherum lædere aut oppugnare cogitans, rationem consilij, & sententiam suam de Cœna Domini, vno ac altero moderato & placido scripto, ad se & Ecclesiam suam à calumniis infensissimorum hominum vindicandam, in publicum edidisset, idque Lutherus intellexisset, indignans quenquam reperiri, qui cum Carolstadio præsentiam Christi corporalem in pane Eucharistico negaret, eodem impetu, quo priùs Carolstadium, adortus est Zuinglium, scripsit in ipsum & Oecolampadiũ plùs quàm iracundè & contumeliosè, & fortissimos fidissimosq́; Christi milites, quos grauiter contra communes hostes, Antichristum Romanum, & alios, non sine magnis periculis & difficultatibus, pugnantes, fideliter adiuuare debebat, inclementiùs tractauit, quàm eos oppugnârunt ipsi Papistæ, quibus in stabiliendo capite & fundamento Idolomaniæ Pontificiæ, nempe, Christo illo fictitio, sub pane vel specie panis latente, percommodam operam nauauit, & iucundissimum spectaculum, sæuiendo in Christi viscera, exhibuit.

Lutheri Sermo contra Spiritus fanaticos & eius errores.

Hoc igitur anno Lutherus Sermonem de Sacramento corporis & sanguinis Christi, Witenbergæ contra Spiritus vertiginosos habitum, *euulgauit. Cùm enim sub id tempus, vt Compilatores referunt, propter alias occupa-*

tiones,

tiones, non liceret ei nominatim contra Zuinglium scribere, hoc sermone eius doctrinam damnare voluit.

1. *Lutherus petit principium.*

Primò in hoc Sermone, quemadmodum etiam in aliis suis scriptis, Lutherus subinde urget verba Christi, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur, *iisque pro argumento vtitur, cùm de ijs sit controuersia.*

Lutherus quod sibi licere putat in aliis reprehendit.

Atqui hoc ipsum, quod sibi contra Zuinglium licere putat Lutherus, in libro contra Henricum Angliæ Regem, idem sibi ius arrogantem, vehementer reprehendit. E nostra parte, *inquit Lutherus*, habemus clarissimum contextum verborum Christi, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, &c. Hæc sunt verba illa, quæ iactamus, plana & perspicua, &c. *Item*: Omnia certè hæc verba manifesta ac plana sunt, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, &c. *Item*: Nos: oculis atque sensibus clausis, verbis omnino insistamus, cùm nemini obscurum sit, quidnam significet, Hoc est corpus meum, &c. *Eodem prorsus modo Rex Angliæ contra Lutherum argumentabatur. Lutherus autem sic ei respondit:* Du sagst/ es sey klar/ das kein Brot da bleybe/ wenn er spricht/ Das ist mein leib. Ja in deinem kopff ists klar/ da eitel finsternuß innen sind. *An non, Luthere, idem quoque Zuinglius tibi respondere potuisset?* Mein stu/ wie du mich spottest/ Christus sage nicht/ Das ist mein Brot/ oder/ Da bleibt Brot: Ich köndte dich nicht auch spotten/ vnd sagen/ Christus spricht nicht/ hie vergehet daß Brot/ oder/ hie wirt das Brot verwandelt/ als du für gibst. Wo hastu das gelesen/ das so zu glossieren ist das hälle wort Gottes? Du sprichst/ die wort sind klar/ Das ist mein leib/ freylich sind sie klar: Aber sie geben nicht/ daß da auf höre Brot: (*Sic quoque, Luthere, verba hæc non probant, in pane, cum pane, vel sub pane corpus Christi esse, vt tu fingis, & tamen clara sunt:*) Sondern viel mehr/ das es bleibe. Dann das wörtlin (das ist) weiset auff das Brot: vnd die wort da er spricht/ Er nam/ er segenet/ er gab/ rc. weisen alle auff das Brot/ das er in die hende nam: vnnd vom selben/ das in die hende genommen/ gesegnet/ gebrochen vnd geben ward/ hat er gesprochen/ Das ist mein leib: Also/ daß die wort klar alle sampt auffs Brot lauten in allen sprachen/ das man es greiffen mag/ ohn bey den blinden Sophisten. *Ergo, vel ipso Luthero teste, verba hæc ad panem solum referuntur, & panem solum demonstrant, non etiam corpus Christi sub pane latens, vt postea in seruare certaminis Lutherus, Schmidlinus & alij docuerunt. Item:* Sihestu nicht auch/ wenn du drauff dringest/ es sol allein der leib Christi da bleiben/ wann er spricht/ Das ist mein leib/ daß dasselbige eben so starck schleußt/ das auch kein farb/ gestalt/ geruch/ schmack/ dicke vnd weiche vom Brot da bleibe/ sonder allein Christus leib/ wie die wort lauten/ Das ist mein leib?

1526.

2.

Secundò, *in eodem Sermone Lutherus, verba Christi*: Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum, *hoc vulgari, & omnibus obuio sensu accipi & intelligi vult, ac si quis Similam alicui proponens, dicat: Accipe, comede, Hoc est panis albus: quem naturalem & vsitatum sermonem ipsis etiam pueris & infantibus intelligibilem esse dicit, quo aliquid indicatur, vt, quid sit, intelligatur. Hæc autem explicatio ipsa Transsubstantiatione est deterior: Præsupponit enim panem non fieri, seu in pane adesse incipere corpus, ipsa verborum Christi recitatione, sed iam antea verè & realiter, atque adeò identicâ prædicatione esse corpus, sicut Simila est panis albus.*

3. *Localis absentia non tollit præsentiam Christi in Cœna, nec efficit nuda & vacua symbola. Distantia loci non impedit veram Christi præsentiam in cælo.*

Tertiò, *Lutherus in hoc Sermone dicit*, Satanam in hoc negotio per suos id agere, & subtiles cogitationes passim inter homines hoc fine excitare, vt ouo exsorpto putamina nobis relinquat: *hoc est*, vt corpore & sanguine Christi è pane & vino sublatis, præter nudum panem, qualem pistor habet, nihil remaneat. *Hæc verè insignis est calumnia, quâ Zuinglij doctrinam odiosam reddere voluit. Nam Zuinglius nudum panem & vinum in Cœna Dominica nunquam statuit, sed tantùm localem corporis Christi à pane absentiam docuit: ea verò vera Christi in mysterio præsentia non excluditur. Interuallum namque & distantia loci, quæ est inter cælum & terram, vt non impedit S. Sancti virtutem (qui, vt rectè Paschasius ait cap. 6.* Velut pignus totius Ecclesiæ, interiùs mystica salutis nostræ ad immortalitatem operatur) *quò minùs spirituali hac fruitione corporis Christi per fidem, verè participes & membra ipsius fiamus, & Christus verè in nobis habitet, de quo sic non ineleganter Nyssenus*: Fieri non potest, *ait*, vt aliter, qui ab inuicem distant, vniantur, nisi per vnitatem Spiritus coalescant. Si quis enim Spiritum Christi non habet, non est eius: *Ita quoque impedire non potest hanc veram corporis Christi in Cœna præsentiam, quatenus videlicet ea vsu, fine atque modo suo, ex institutione, significatione & virtute mysterij definita est. Quia præsens esse, Relatiuè intelligitur, secundum aliquam eius, cui quid præsens esse dicitur, perceptionem & apprehensionem. Porrò corpus Christi, ex instituto ipsius, non offertur in Cœna vt reali quadam existentia in pane, actione & membris corporis percipiatur, eoque modo, velut vero sacramentali fine præsens sit: sed vt pro ratione donorum, quæ in hoc mysterio, & secreta illa*

salutis

1526. *salutis nostræ dispensatione, rebus sensibilibus offeruntur, fide accipiatur, cuius perceptio & apprehensio, omni sensuum & rationis comprehensione, longè magis est certissima. In hanc sententiam scribit Augustinus Epist. 85. & alibi:* Ascendit ad cœlum, ibi sedet ad dexteram Patris, audiant & teneant: Respondet aliquis, tenebo absentem? Quomodo in cœlum manum mittam, vt ibi sedentem teneam? Fidem mitte, & tenuisti. Parentes tui tenuerunt carne, tu tene corde, quoniam absens Christus, etiam præsens est: nisi enim præsens esset, à nobis teneri non posset.

4. Quartò, *falsò etiam scribit, optima Sacramentariorum & Schuermerorum fundamenta, præcipuè duo esse: primum, quòd dicant,* Inconueniens esse, vt corpus & panis Christi sit in pane, *Alterum*, minùs hoc esse necessarium.

5. Quintò, *calumnia est, quòd scribit, docere Sacramentarios,* Cœnam Dominicam tantùm symbolum, siue notam esse & tesseram Christianæ professionis, ne quid omnino præter putamina fidelibus relinquant. *Et hanc calumniam Zuinglius solidissimè diluit in Responsione sua ad Lutheri librum*, Quòd verba Christi, Hoc est corpus meum, adhuc firma stent, *folio* 382.

6. Sextò, *Verba Pauli*, Panis quem frangimus est communicatio corporis Christi, *multò, quàm antea, aliter, & sensu prorsus alieno, adeoque variè & inconstanter interpretatur; quasi panis, qui frangitur, corpus Christi distributum à Paulo dicatur: Et quòd sequentia eiusdem Pauli verba, non rectè sic legi, ac sententiam inde cum Paulo pugnantem elicere vult:* Vnus panis est, *scilicet qui frangitur*, & vnum corpus multi sumus, *id est, communis quidam cætus, qui de isto vno pane participamus.*

7. Septimò *dicit*, Christum non tantùm secundùm Diuinitatem, sed etiam secundùm humanitatem vbique præsentem esse. *Et addit hæc prodigiosa verba:* Er ist vberal in allen creaturen/ also/ das ich in möchte im stein/ im fewr/ im wasser oder auch im strick finden/ wie er dann gewißlich da ist. *Item:* Himmel vnd erde ist sein sack: wie das korn den sack erfüllet/ also füllet er alle ding. *Quibus verbis, corpus & sanguinem Christi, secundùm substantiam, non modò in pane & vino Eucharistiæ, sed etiam in cordibus fidelium, imò etiam in omnibus creaturis, in aqua, igni & laqueo, seu fune, quo desperati sibi mortem consciscunt, esse, & reperiri: denique omnia vbique intus & extra plena esse Christi, etiam secundùm humanitatem, planè mirabiliter, ne dicam absurdè docet: quamuis ibi Christus absque verbo non sit quærendus, sed in pane & vino Eucharistiæ tantùm, ad quæ se ita verbis Cœnæ alligârit, ac si dixisset:* Hic me quæras: Hic me comprehendas: Quod enim dixit, Hoc est corpus meum; perinde habendum ac si dixisset, Vbi est panis, ibi est corpus meum.

8. Octauò *scribit:* Siue Christus in panem & calicem, aut in quamcunque aliam rem irrepat, perinde mihi est: si verbum ipsius habeam, nihil præterea vel spectabo vel cogitabo. *Ad eundem prorsus modum Lombardus quoque suum de Transsubstantiatione figmentum defendere conatus est: Constat: inquit*, verum corpus & sanguinem Christi, Imò integrum Christum esse in altari sub vtraque specie, & substantiam panis vinique potentiâ Dei per consecrationem sacerdotis conuerti in substantiam corporis & sanguinis Christi. Si quæris modum quomodo id fieri possit, credi hoc salubriter debet, inuestigari salubriter non debet.

9. Nonò *ait*, Etsi corpus Christi in aliquo loco esset, tamen quia glorificatum est, longè illi faciliùs esse inuadere & penetrare in panem, quàm sonus humanæ vocis ad multorum aures peruenire possit: Quoniam subtilior est res, *inquit*, glorificatum corpus, quàm sit sonus humanæ vocis. *Cuiusmodi farina est etiam, quòd alibi corporis Christi in pane præsentiam confert* cum splendore Solis: *Quæ sanè, & alia similia multa, quæ ad probandam suam sententiam adducit, Marcionitarum vel Eutychianorum errori sunt vicinissima.*

10. Decimò *scribit*, Papistas verum Christi corpus in processionibus circumgestare, licèt hoc faciant sine mandato Dei. *Cuius contrarium sentit in articulis Concordiæ cum Bucero. Et quid hoc aliud est, quàm ex pane, & imaginario corpore Christi in pane, idolum facere, & abominationes Papisticas defendere? Et tamen qui hæc cum eo approbare nolunt* Suermeros *appellare audet.*

In Præfatione ad nobilem virum Guilielmum à Zell, quam præfixit Zuinglius Refutationi huius Sermonis Lutheri contra Suermeros scribit, Plurimos, quum legissent hunc Lutheri sermonem, doctrinam & sententiam eius deseruisse, quòd nimirum dicerent, se ex eo intelligere. Lutherum sibi ipsi non ampliùs conuenire.

Zuinglii epistola ad Neroberg. *Mense Iulio, Zuinglius Epistolam scribit ad Nerobergenses, qui tam ipsius quàm Oecolampady libris publico consilio aditum in vrbem suam praecluserant. Amico igitur & verè Christiano pectore eos hortatur, monet & obsecrat,*

ne Christianæ doctrinæ libertatem vllis humanæ rationis consilijs aut limitibus includi, nec vllorum insidiosis conatibus impediri patiantur. Vt autem faciliùs, quod petebat, impetraret, sententiæ suæ de Cœna Domini rationem breuiter quidem, sed euidentissimè reddens, hanc sententiam suam non nouam aut nuperam, sed à Christo Saluatore olim traditam, cum omnibus omnium Apostolorum ac veterum Doctorum scriptis conuenire: aduersariorum autem opinionem non modò nouam & erroneam, sed cum fidei Christianæ articulis pugnare, firmis rationibus & apertis Scripturæ sacræ testimonijs comprobat.

Hosiander respondet literis Zuinglij.

Sequenti anno, Andreas Osiander Concionator Nerobergensis epistolam Apologeticam ad has Zuinglij literas scripsit, in qua ostendit, quidnam in disputatione de Sacramento in ipsius libris, quibusque de causis improbârit, non dissimulans, quænam etiam in posterum sua de hac controuersia sit futura sententia, quidque de ipso expectare Ecclesia debeat. Ad hanc epistolam, certis de causis publicè non respondit Zuinglius.

Zuinglij epistola ad amicum.

Mense Augusto, respondit Zuinglius publicè ad scriptum amici cujusdam non vulgaris, ad se priuatim missum, de Eucharistia causa. In qua responsione inter alia scribit: Quòd nos à veri assertione ad hunc modum terres, quòd, qui hanc rem vnquam aggressi, extincti sint, parùm moues: nondum nos piget Christi, ne & ipsum nostri coram Patre Angelisque suis pigeat. Is quoque mortuus est, non pro veritate modò, sed ipsa veritas. Quid tibi Apostolos obiectem? quum innumeri sint, non modò ex Christianis, sed ex philosophis ac gentibus, ausi pro veritate mori, neque ideo, quòd occisi sunt, verum non fuit id, quod docuerant: sed sunt ista vltima carnis subsidia: cùm veritatem nequit ferre vel superare, iam ad manus spectat: ferrum acuit, omnia miscet. Ego verò dudum didici, pium hominem terreri his non debere, beatúmque fore qui in hoc mundo proscinditur. Quantò enim plus contumeliarum pro Christo tulerimus, tantò nos maior manet gloria. Dominum oro, vt me confortet, rari enim admodū fuerunt, qui ad finē perseuerauerint. Quòd porrò mones, ne meæ scientiæ nimium fidam, nescio quomodo debeam accipere: Nam si fidei certitudinem intelligis per scientiam, sic ei fido, vt sciam veritatem superaturam esse, vbi etiam ossa mea in fauillam fuerint redacta. Tametsi videam nonnullos sic armis fidere, vt nil non sibi polliceantur. Occiditur quidem Christus, sed breui resurgit, ac de hostibus triumphat. Sin verò scientiam pro eruditione accipis, non ignoro, mihi eam adeò mediocrem euenisse, vt ei fidendum non sit. Fuerunt multò plurimi, qui vt eruditione nihil polluerunt: ita fide ac veritatis scientiâ adeò clari fuerunt, vt nunc inter superos non aliter luceant, quàm in firmamento astra, &c.

1526.

Zuinglij epistola ad Ecclesiam Eslingensem.

Mense Octobri scripsit Zuinglius epistolam ad Eslingenses: quæ impressa quidem extat Germanicè, sed in eius operibus non habetur, in qua ita dicit: Non Papistæ tantùm, sed & illi, qui Euangelici videri volunt, Ministros quoque verbi, nedum sedentes, in Ecclesia loqui prohibent. Hoc verò magnas dissensiones alit: è contra dum omnia dogmata examinantur, & quæ bona sunt recipiuntur, concordia retinetur. Liberè vobiscum loquar: Concionatores quidam ab initio huius controuersiæ de Sacramento corporis & sanguinis Christi, magnâ confidentiâ in palæstram descenderunt, & quia præstantes viros videbant à suis partibus stare, insolenter gloriati sunt, se corporalem Christi in Cœna præsentiam defendere posse. Postquam verò Deus hos quoque hallucinari passus est, ne in cordibus suis dicerent, Meâ sapientiâ hæc facta sunt: meâ prudentiâ hæc veritas primùm proposita est: (certum enim est nimiùm sibi multos tribuere, & videri velle, quòd omnia soli fecerint) & hanc veritatem per viles & contemptos homines, tam perspicuè & firmiter protulit, vt magni illi verbo Dei eam oppugnare non possint, vertunt se ad illa præsidia, ad quæ se Pontifex & caro semper conuertit. Vehementiùs clamant quàm ipse Papa, hæreticos esse, Suermeros, nebulones, doctrinam eorum non esse audiendam. Conuertunt se ad violentiam, ad quam se Papa conuertit, dicentes, Magistratum debere totis viribus illis obsistere. At si nostra opinio tam manifestè falsa est, cur hoc faciunt? an fideles per oppida & regiones, judicio carent? Quòd si iudicio præditi sunt, cur non potestas ea legendi eis permittitur, quæ per fideles Euangelij Ministros proferuntur? Sin verò falsa est, eò citiùs eam repudiabunt. Breuiter, abiectissimi etiam verba in Ecclesia, non contemnenda: sed audienda & iudicanda sunt. Hoc enim pacem nutrit & concordiam. Accipite exemplum nostræ Ecclesiæ, si vos non offendit, in qua nolumus ferre Anabaptismum, sed volumus etiam infantibus, qui non minùs ad fœdus Dei pertinent quàm nos, Baptismum conferre. Quidam se valdè opposuerunt, & hac de re quædam scripta evulgârunt. Ibi nostra Ecclesia se ad hunc modum gessit: Scripta cùm Anabaptista-

Quid Tiguri actum sit cum Anabaptistis.

1526. pristarum, tum aliorum quoque etiamnum concedit publicè prostare. Doctrina ipsorum septies publicis & liberis colloquijs confutata est, Atque sic Anabaptismus sublatus & pædobaptismus defensus fuit, atque pax inter nos constituta, quam aliàs consequi nunquam potuissemus. Illi itaque discordiæ authores sunt, qui id, quod verum esse vident, quodque confutare non possunt, ideo odiosis clamoribus traducunt, quòd altiùs ab initio aquas ingressi sunt, quàm vt nunc pedem reflectere possint. Nam si controuersiæ ex verbo Dei ortæ, in Ecclesia liberè audiantur & iudicentur, Deus Ecclesiam suam non deserit. Non enim Deus est discordiæ, sed pacis & tranquillitatis. Atque sic vnaquæque Ecclesia veritatem cognoscet & amplectetur. Hoc Papistæ intelligere & concedere nolunt. Vbicunque enim Verbum Dei ad hunc modum tractatur, non ampliùs præcipere possunt, vt ipsorum arbitratu intelligatur: sed iudicium Ecclesiæ permittitur. Illorum exemplum sequuntur fanatici, qui carnem & sanguinem Christi carnaliter manducari asserentes, interim omnes alios accusant, quòd sint fanatici. Videte enim, quæso fratres, quænam effugia quærant, si dicamus eandem nos vobiscum fidem profiteri, nempe fiduciam in mortem Domini nostri Iesu Christi, id quod est comedere carnem eius, & sanguinem eius bibere, respondent, alium quoque esum esse carnis ipsius. Manducari enim corporaliter & tamen spiritualiter. Etenim si dicamus carnem corporaliter comesam non prodesse, inquiunt, hoc fit spiritualiter, & tu non intelligis, infidelis es, Suermerus, hypocrita, seditiosus. Quòd si dicamus, num Christus duo corpora habuit, vnum corporale, alterum spirituale? iteratis clamoribus Suermeros nos vocant: & dicunt, corpus Christi essentiale, spiritualiter comedimus. Si dicamus, idem nos quoque facimus, posità in mortem eius fiducià, iterum inquiunt, Non satis est; Oportet eum etiam corporaliter, substantialiter, carnaliter, & tamen spiritualiter manducare. Si respondemus: duplex itaque erit corporalis esus corporis Christi, vnus quando in eum confidimus, alter quando carnem eius corporaliter spiritualiter manducamus: & postulamus ab eis vt duplicem hanc manducationem Scripturis confirment, statim furere incipiunt, & omni præsidio destituti, obmutescunt. Videte quæso quinam furiosorum & fanaticorum more agant. Nos ex verbo Dei asserimus Christum edere, idem esse quod in ipsum credere, neque ipsum manducari à quoquam corporaliter. Etenim de naturali suo corpore dixisse: Me non semper habebitis: &c: Ipsi absurdum hoc commentum afferunt de corporali manducatione, quæ nihilominus sit spiritualis, quam tamen Verbo Dei probare non possunt, quemadmodum neque hoc, quòd Deus corporalem manducationem aliquà promissione ornauerit. O quàm libenter sextum caput Iohannis huc torquerent, sed non possunt: quia iampridem confessi sunt, & rectè quidem, illo in loco, de corporali manducatione non tractari. Videte quæso, quinam sint fanatici, nos-ne qui tam euidentem sensum ex Verbo Dei proferimus, & corporalem manducationem refellimus? an illi qui talem sensum verbis pingunt, quem nullæ mentes capere & credere potuerunt, quique nihil sit præter inane figmentum? Certè qui dicunt corpus manducari corporaliter & nihilominus spiritualiter, sunt fanatici vel Suermeri, si nomen hoc rectè intelligo. Furiunt enim propter rem quam non intelligunt: nihilominus tamen omnibus persuadere volunt, se rem bene intelligere, quam alij non assequantur. Quemadmodum impostor ille ad nobiles quosdam dicebat, se templum ipsorum egregiis picturis exornâsse, quæ ab illis duntaxat conspici possent, qui legitimo thoro nati essent. Nobiles, quia spurij haberi nolebant, omnes dicebant, se picturam illam videre. Idem in hoc negotio fit, si magni illi doctores tragicis clamoribus contendant, illos non esse Christianos, sed fanaticos, qui corporalem præsentiam non credunt, singuli volunt in numero Christianorum haberi, & dicunt se credere, quod tamen reuera non credunt, &c.

Fanatici & Suermeri qui.

Zuinglius Lutheranos pictori fallaci comparat.

Fuit etiam hoc anno Noriberga Philippus, accersitus à Senatu ad deliberationem, cùm de Ecclesiarum suarum, tum de noua Schola constitutione, quo tempore in eadem adhuc erat sententia cum Luthero: Nec pro ea minùs fortiter dimicabat quàm Birckheimerus Senator Noribergensis, cui Philippum propter ingenij acumen, & excellentem vim, eruditione excultam multiplici, alioquin charum admodum, penèque admirabilem, reddebat commendatiorem & gratiorem eadem de vna re controuersa opinio. Cum hoc Birckheimero, cùm sæpe & multùm esset Melancthon, eo tempore, quo Noribergensibus de Ecclesijs & Scholis consuluit, & ad eadem conuiuia adhiberetur Albertus Durerus, pictor & vir sapiens, in quo Melancthon narrabat picturiam artem, qua fuit excellentissima, minimam fuisse, sæpe inciderunt inter Birckheimerum & Durerum, de hoc recenti

Birckheimeri & Dureri pictoris contentio de Cœna.

recenti certamine Sacramentario disputationes: in quibus cùm Durerus, ut valuit ingenio plurimùm, acriter adversaretur Birckheimero, & quæ proferebat, ille refutaret, , tanquam ad certamen paratus accessisset; incanduit Birckheimerus; fuit enim naturâ iracundus admodum, ac propterea sævissima arthritidi obnoxius; sæpeque erupit in has voces : Non, *inquiens,* pingi ista possunt : At ista, *inquit Durerus,* quæ tu adfers, nec dici quidem, nec animo concipi possunt. *Hæc sæpe ex illo Birckheimeri & Dureri certamine Melancthonem narrâsse discipuli ejus domestici testantur: ac ita retulisse aiunt, ut se quoque ad pictaris, tam acriter tanto viro resistentis, tam argumenta, quàm animum præsentem obstupuisse dixerit, & recordatum esse fatuitatis Theologi cujusdam Tubingensis Doctoris Lempii, qui solitus sit suis auditoribus; inter quos & ipse fuerit, Transsubstantiationem creta pingere in tabulâ.*

ANNVS M.D.XXVII.

Zuinglii Apologia ad Struthiogem.

INitio *anni* 1527. *edita est Zuinglii* Apologia Germanica ad Struthionem de Eucharistia. *De qua Zuinglius in epistola ad Philippum Marchionem Badensem (quæ in libro Epistolarum extat) inter alia sic scribit:* Cùm Iacobus Struthio homo fortassis audentior quàm doctior, loquentior quàm circumspectior, libellum in nos ediderit, se quidem non magnopere, te verò Illustrissimo ac optimo Principe indignissimum, quo & Eucharistiæ veritatem subruere, & quam in Evangelii sui ministerio authoritatem Dominus dedit, contaminare ex professo etiam nititur, nihil cessandum esse duxi, quò minùs istius impudentiæ responderemus, propterea quòd esset à sacris concionibus tuis. Certus enim sum, quòd quicquid tandem in considerationem veniat, ubi veritas ejus singulari prudentiæ tuæ planiùs exponatur, nullatenus offensum iri posse. Est igitur Eucharistiæ causa nobis hoc libello denuò tractata, faxit Deus, ut omnia in gloriam suam cedant. Non hercle quasi prius non sint affatim omnia prodita, sed ut qui contentiosi sunt, planè videant, verborum figmentis veri faciem obscurari nequire: semperque futuros esse, qui illius amore non modò silere, sed in discrimen quoque venire nolint. Lege ergo si licet ac decet eum libellum, neque hic quicquam dictum puta in sacrosanctam pietatem tuam. Videbis haud dubiè indignè facere, qui rem minimè comptam sic apud indoctam plebem traducunt, &c.

Bucerus Pomera-

Singularis quædam Martini Buceri dexteritas fuit, Latinè scripta in Germanicam linguã transferendi. Is igitur hoc anno Latinum Pomerani super Psalmos Davidicos Commentariũ in sermonem popularem, hortatu Pomerani, cõvertere aggressus est: quem etiã brevi spacio absolutũ Basileæ typis excudi curavit. Et quia Pomeranus facultatem ei fecerat, etiam aliter quædam in suo Cõmentaria interpretandi, addendi ac detrahẽdi, nonnulla de Eucharistia adjecerat Bucerus. Id verò Pomeranus indignissimè tulit, ac editâ Apologiâ Bucerum summa perfidia accusavit.

1527. ...ni Commen. in Psalmos in Germ. linguam vertit.

Similiter Bucerus, hortatu Lutheri, paulò pòst, Postillam, *ut vocant, Germanicam Lutheri in Latinam linguam transtulerat, opere in certos Tomos distributo. In quarto Tomo uno & altero loco, quæ Verbo Dei parùm consentanea videbantur, adjunctis Annotationibus indicârat, & Præfationem, summam doctrinæ Christianæ ad fratres Italiæ continentem, præmiserat. His Lutherum adeò irritavit, ut Idibus Septem. epistolam ad Hervagium Typographum Basiliensem scripserit, in qua Præfationem illam,* ditam & sacrilegam appellat, & annotationibus virulentis opus suum crucifixum *queritur. Simulque petit ab Hervagio, ut si denuò quartum Tomum edat, hanc epistolam vice antidoti adjungat. Compilatores quoq; Sacramentariæ historiæ scribunt,* utrumque à Bucero factum esse, ut Zuinglii dogma syncerorum Theologorum nomine vestitum atque obductum, simplicioribus propinari eò meliùs posset.

Bucerus Postillã Lutheri in Latinã linguam transfert.

Lutherus translatione Postillæ irritatur.

Edidit itaq; Bucerus libellum, in quo ea, quibus Lutherum offendisse videri poterat, omnibus legenda & diiudicanda offert. His addit Lutheri epistolam. Postremò paucula subiectis sese purgat. Subjungit etiam Responsionem ad Ioan. Pomeranum: cujus hæc summa fuit, quòd capitis pœnam dare velit, si quid contra Pomerani sententiam scripsisse eum eo loco possit convincere: Quanquam id suo quodam jure potuisset, quòd facultatem ei dederit, etiam aliter quædam in eo interpretandi: addendi, detrahendi, ita ut hic liber, non tam esset Pomerani quàm Buceri. *Ad hæc quoq; Zuinglius postea in sua Exegesi ad Lutherum sic respondit:* Satis, *inquit;* distinxit Bucerus sua à Pomeranicis & tuis. Quòd autem tu huc tendis, quasi argumentis destituti quidam, vel vestris adseruerint suam de Eucharistia sententiam, vel sua vestris miscuerint, non rectè negotium perpendis. Video enim & Bucerum & Leonem (qui se Leopoldum fecerat) viam vobis munire potiùs voluisse, quàm vestris niti. Amantes ac studiosi nominis vestri hoc fecerunt. Videbant enim à multis non videri quid liquidò in causa esset, ac subinde illorum doctrinam in suspicionẽ rapi, quòd alicubi hallucinentur. Vlnas ergo & sinum expanderunt, ut casum vestrum

Buceri ex-positio.

1527. excipèrent: non ut errorem suum vobis obtruderent, qui error certè non est: non ut laboranti causæ oominibus vestris auxilium ferrent, sed ne nomina vestra malè audirent.

Pomerani Confessio.

Contra hanc verò Buceri Apologiam, Pomeranus Confessionem *quandam edidit, cujus Bucerus meminit in Epistola ad generosum virum Georgium ab Erdpach, quam expositioni Propheta Zephonia præfixit.*

Rhegius & Billicanus Zuinglii & Oecolampadii doctrinā amplectuntur.

In Epistola ad Andream Hosiandrum concionatorem Naribergeusem hoc anno, 6. die Maii data, scribit Zuinglius, Vrbanum Rhegium ad se sua ipsius manu exaratam epistolam misisse, quâ testetur, se à partibus ejus in Eucharistia negotio stare: Et Theobaldum Billicanum ad Oecolampadium scripsisse, coram etiam Petro Gynorao, homine pio & docto, caufessum esse ingenuè, se contra Zuinglii & Oecalampadii sententiam nihil amplius posset.

Clichtoveus & Roffensis scribunt contra Oecolampadium.

Circa hoc etiam tempus Iodocus Clichtoveus duos libros, & Iaaunes Fischerus, Roffensis in Anglia Episcopus, libros quinque contra Oecalampadium de venerabili Sacramento Eucharistia conscripserunt & in lucem emiserunt.

Birchaimerius secundò scribit contra Oecolāp. qui etiā ei respondet.

Edita quoque est Bilibaldi Birkheimeri secunda Responsio ad Ioannis Oecolampadii librum. Huic postea Oecolampadius respandet, & in principio sui libri causam suam firmat: deinde obiectiones & argumenta adversarii refutat: postremò convitia eius abstergit.

Certamē Sacramētariū quibus authoribus auctum.

Ex his quæ hactenus narravimus, ariginem & progressum certaminis Sacramentarii cognovimus. Etsi verò id hucusque à prima sua origine mediocribus viribus ab utraque parte gestum sit, hoc tamen anno longè vehementiùs, quàm antehac agitari cœptum est: Qua autem occasione & quibus authoribus id factum fuerit, si paucis referam, opera pretium me facturum arbitror.

Suevici concionatores. Lutherus Pomeranus. Birchaimerus. Billicanus.

Suevicarum Ecclesiarum Ministri & alii, publicè & privatim debacchabautur in Oecolampadium, ejusque doctrinam: In Præfatione ad Suevicum Syngramma nominatim Oecolampadii & Zuinglii doctrinam damnabat Lutherus: Ioannes Pomeraunus in epistola quadam, Latinè & Germanicè edita, eandem, tanquam novum & blasphemum errorem improbabat: Idem faciebaut Birkheimerus; & Billicanus: Rursum Lutherus in Sermone de Sacramento & alibi, accensebat eos cœlestibus nescia quibus Prophetis, hominibus fanaticis & vertiginosis spiritibus, Schuermeris, Ecclesia perturbatoribus, & Sacramentorum prophanatoribus, denique à nullo convitiorum & maledictorum genere abstinebat, quòd verba Christi tropicam seu figuratam loquutionem esse affirmarent.

Bucerus deprecatur certamen Sacramentarium. Idem faciunt Argentinenses & Zuinglius.

Bucerus intercedebat pro eis apud Brentium & Suevicos doctores: Idem faciebant quoque Argentinensis Ecclesia Ministri per Chaselium Witenberga apud Lutherum: Zuinglius quoque in Responsionibus suis ad Pamerani epistolam, & Vrbanum Regium: Item, in plana & brevi Institutione de Cœna Domini, supplex certamen deprecabatur. Adhac, licèt se multis sic scriptis à Luthera ad pugnam non obscurè provocari & lacessiri videret Zuinglius, tamen pertinaci silentio ejus impetum frangere instituebat: qua etiam causa fuit, quòd nihil nominatim contra eum ad hoc usque tempus scripserat, quamvis interim argumentis, tacito ejus nomine, responderet. Vnde in Exegesi sua ad Lutherum inter alia sic scribit: Videbamus, *inquit*, tibi oonnihil jubaris deesse, etiamsi justi luminis nihil deesset. Attamen oe ulli dissidio daremus occasionem, ad omnia coonivimus, hac spe: quòd esses in diem certiùs atque certiùs quæque contemplaturus. Idem fecimus io Eucharistiæ causa, cùm commemorationem appellare desisteremus, solùm, ne videremur tanti viri authoritati obstrepere. Tu verò quantumcunque te fratres admonent literis, ne festinares, oeque in eam rabiem descenderes, quâ tam immaniter io bonos & doctos viros tot atrocibus cootumeliis desævires, teneri te ooo es passus. *Hac Zuinglius. Frustra igitur tentabantur omnia.*

Zuinglius coactus in palæstrā descendit.

Quid igitur hìc Zuinglio, tam superbè & importunè lacessito ac provocata, faciendum fuit? Officii certè, ac vocatianis, donorumque ratione, tacere saluâ conscientiâ ampliùs nec potuit, nec debuit, neque etiam voluit, in ejusmodi præsertim causa, quâ communem Ecclesiæ salutem agi animadvertebat, sed contra vim experiundum putavit. Sic enim ipsemet Zuinglius scribit in Responsione ad Lutheri librum, cui titulus, Quòd verba Christi, Hoc est corpus meum, adhuc firma stent: Cùm, *inquit*, nos eo nomine pluribus suspectos facere conaris, quasi te à tergo adorti simus importuniùs interea tempotis, quo tu Scripturas io lucem produxeris: gravi nos afficis injuriâ. Plures enim è præstantissimorum Virorum numero non semel amicè te (*Luthere*) admonuerunt, quibus necessarium planè videbatur, ut omnibus consideratis, nihil temerè aut ex affectu ageres. Quod nòs attinet, passus sum, ut quartâ vice oomen nostrum amarulentis ac odiosissimis scriptis (qualia Deo volente contra te nunquam emissuri sumus) proscinderes: adhuc tamen lo tantum mihi temperare animo meo statueram, ne quid in nomeo tuum conscriberem: donec tot epistolis clàm hinc inde transmissis, tot etiam scriptis publicis multorum

animos

1527.

animos ſolicitare cœpiſti, ut neceſſitate quadam veritati ſuppetias ferre coacti ſimus. *Et paulò pòſt*: Quis Zuinglium, Inquis Luthere,& Oecolampadium ſcribere iuſſit? Audio. An ergo citra tuum conſenſum & permiſſum nihil ſcripſiſſe debebamus? Quis antehac, priuſquam hæc controverſia orietur, ut ſcriberemus, permiſit? Et cùm ſcribere primùm inſtituiſſemos, an unquam te nomenque tuum duriùs aut iniquiùs perſtrinximus? Quid? quanto temporis ſpacio tuam illam maledicentiam, quam privatis ſcriptis clàm,& publicis palàm in nos exercuiſti, ſilentio præterivimus? Ad Rutlingenſes epiſtolam dediſti,ut irâ turgidam, ita non ullis rationibus fide dignis ſuſtultam: aliam rurſus ad Argentinenſes adeò ſuperbam & arrogantem, ut tuo nomini parcentes quidam illam evulgari noluerint. Quibus Caroloſtadii palinodiam jungere voluiſti, in qua me nominatim laceſſere non es veritus. Acceſſit his quarto loco Suevorum Syngramma, non ſine ſumma nominis veſtri contumelia editum. Quæ omnia ſilentio præterire non dubitavi: interim verò apud alios fideles privatim rationes expoſui vel confutavi, quibus te aut carere omnino, aut ſaltem fruſtra niti videbam: nomen verò tuum nuſquam perſtrinxi: partim ne ulla contendendi occaſio per nos tibi præberetur: partim verò ne reliqoa illa doctrinæ tuæ capita feliciter an bene tractata, vel ſuſpecta aliis fierent, vel in dubium vocarentur. Attamen, ne error hic pernicioſus ingrueret, cùm quinto loco contumelioſam illam epiſtolam Latino ſermone ad Hervagium dediſſes, ipſe quoque non Germanicâ, ſed Latinâ linguâ ad te ſcribere inſtitui, modeſtiâ tamen longè majori, quàm tu nunc in hoc tuo libro Germanicè conſcripto uſus ſis. Hinc ergo quisnam lupus ille ſit, diiudica, qui pugnam & diſſidium excitari omnino voluit: quæ denique oves ſint, quæ non aliud quàm pacem ſemper quæſiverunt.

Lutherus Helvetios invitos ad certamen Sacramentarium pertraxit

Non ergo Zuinglius Lutherum & Saxones, ſed Lutherus cum ſuis Zuinglium & Helveticas Eccleſias invitas & reluctantes ad pugnam & certamen Sacramentarium ſolicitavit & pertraxit. Cùm enim Zuinglius, abolitâ Tiguri Miſſâ Papiſticâ, veram Domini Cœnam Eccleſia ſua reſtituiſſet, ac neque Caroloſtadii cauſam ſuſcipere, neque Lutherum lædere aut oppugnare cogitaſſet, rationem ſaltem conſilii, & ſententiam ſuam de Cœna Domini, uno vel altero moderato & placido ſcripto, ad ſe & Eccleſiam ſuam à calumniis Fabri Conſtantienſis Epiſcopi Vicarii,& aliorum infenſiſſimorum hoſtium vindicandam, in publicum edidit. Id cùm primùm Lutherus intellexiſſet, indignans quenquam reperiri, qui cum Caroloſtadio, quem hac de cauſa, dato aureo nummo, ad certamen provocaverat, præſentiam Chriſti carnalem, vel corporalem in pane Euchariſtico negaret: arrepto calamo, eodem impetu, quo prius Caroloſtadium, eſt adortus Zuinglium, ſcripſit in ipſum, & Oecolampadium; quum tamen antea hunc excellentem doctrinâ & pietate virum, *illum verò* fortem Chriſti athletam *vocârit; plùs quàm iracundè & contumelioſè: & fortiſſimos fidiſſimosque Chriſti milites, quos gnaviter contra communes hoſtes, Antichriſtum Romanum, & alios, non ſine magnis periculis & difficultatibus pugnantes, fideliter adiuvare debebat, inclementiùs tractavit, quàm eos oppugnârint ipſi Papiſtæ, quibus in ſtabiliendo capite & fundamento Idolomaniæ Pontificiæ, nempe, Chriſto illo ficititio, ſub pane vel ſpecie panis latente, percommodam operam navavit,& iucundiſſimum ſpectaculum, ſæviendo in Chriſti viſcera, exhibuit. Adeò non potuit Lutherus in his ſuis invectivis celare ſuum affectum, ut ea, quæ ſuprà à nobis commemorata ſunt, apertiſſimè teſtantur, illam vehementiam, quâ in fratres innocentes exarſit, non ex aliqua ipſorum blaſphemia, impietate aut culpa, aut in ipſum vel levi iniuriâ quorum nihil unquam demonſtrare potuit, ortam fuiſſe: ſed ex indignatione adversùs illos, qui vel ipſo non conſulto aliquid dixiſſent, aut egiſſent, vel diverſum aliquid ab eo docuiſſent.*

Lutheri teſtimonium de Zuinglio & Oecolampadio ante certamen

Vanitas argumentorum quibus probare conantur, Helvetios Lutherum ad certamen provocâſſe.

Rationes, quibus Vbiquiſtæ moderni probare conantur, Helvetios Lutherum ad certamen laceſſiviſſe & provocâſſe, nullius ſunt ponderis. Aiunt primò, Helvetios Caroloſtadium exulem humaniter excepiſſe. *Secundò*, conceſſiſſe ut libri Caroloſtadii contra Lutherum Baſileæ excuderentur. *Ergo, vel ipſorum teſtimonio, Lutherus odiſſe & calumniis proſcindere cœpit Helvetios, non propter eorum doctrinam, ſed propter exoſum Caroloſtadium: non aliter, quàm ſi Turca Chriſtianis bellum indiceret ob profugum Turcam ab ipſis exceptum, & in vera religione inſtitutum. Atqui Helvetii etiam Brentium & alios Lutheranos tempore* interimiſtico *exceperunt perquàm familiariter, & omnis generis fraternæ charitatis officia eis præſtiterunt: non tamen quiſquam ex Papiſtis eos propterea odio proſequutus eſt. Paulus inquit Rom.4.* Vbi non eſt lex, ibi non eſt tranſgreſſio. *Lutherus autem legem nullam in orbe promulgârat de non excipiendo Caroloſtadio. Aut ſi hac ratio valere debet, quam pœnam optimus Princeps Fridericus Elector Saxoniæ commeritus fuiſſet, quòd damnatum & proſcriptum in Comitiis* Wormatienſibus *Lutherũ nihilominus*

1527. *fouit atque defendit? Deinde etiam Lutheri libri Basileæ excusi & omnes ad lectionem eorum inuitati sunt, non solùm Carolostadii, ut veritas eò magis elucesceret, ejusque victoria magis esset ingenua. Sic enim Zuinglius in Exegesi sua:* Aude, *inquit*, hoc mi Luthere, quod nos fumus ausi, libros nostros apud omnes Ecclesias legi patere: Nam nos non tam tua io hac re, quàm Pontificiorum libros commendavimus ad legendum, ut eò magis esset ingenua veritatis victoria. *Et hanc ob causam Heluetii magis sunt laudandi, quàm Lutherani, qui non solùm Zuinglianorum librorum lectione suis interdicunt, sed iis omnem prorsus aditum ad suos praecludunt. Tertiò dicunt, Zuinglium & Oecolampadium libros contra Lutherum edidisse. Hoc autem, ut ex suprà commemoratis abundè liquet, Lutherus prior fecit, adeoque non nisi lacessiti & provocati cum eo descendere in arenam coacti sunt.*

Zuinglius Lutheri suam edit Exegesin ad Lutherum. Summa libri. *Edidit igitur Zuinglius suam* Exegesin amicam, *hoc est*, Expositionem totius Eucharistici negotii ad Lutherum. *In qua primùm ad sex illa scripta respondet, quæ Lutherus jam antea ediderat, & in iis Zuinglium ejusque doctrinam nominatim reprehenderat, priusquàm ipse ex professo quicquam contra eum scripsisset. Nempe ad Syngramma Suevicum, quod Lutherus suprà modum commendaverat: ad epistolam eius ad Hervagium Typographum: ad eo quæ contra Carolostadium & fanaticos scripserat: ad libellum de Adoratione Sacramenti, Boemis inscriptum, & epistolas ad Argentoratenses & Rutlingenses. In secunda deinde libri parte sua argumenta subjicit, & verborum Domini,* HOC EST CORPVS MEVM, *verum sensum indicat. Tertiò loco ostendit, quæ Lutherus in hoc causa citra omnem Scripturæ authoritatem afferat & doceat. Postremò, de Confessione & Imaginibus quædam auctarii loco adnectit.*

Collatio doctrinæ Lutheri & Zuinglii. *In fine primæ partis inter se confert Lutheri & suam verborum Christi expositionem & doctrinam de Cœna Domini: atque ostendit, quàm multa ex Lutheri tam expositione quàm doctrinâ sequantur absurda, quamque multis locis Scripturæ ea repugnet. Verba Zuinglii, Lectoris confirmandi gratiâ, adnotabimus.*

Lutherus Debent hæc verba Christi, Hoc est corpus meum, naturaliter ac simpliciter intelligi.

Zuinglius. Sed ex isto sequetur, panem transire in corpus ejus. Vicit ergo Transsubstantiatio Romani Pontificis. Et Paulus peccâsse videbitur, quando panem appellavit quod caro Christi est: 1. Cor. 10.

L. Non debent autem intelligi, quòd panis transeat in substantiam corporis Christi.

Z. Ergo non intelligentur hæc verba naturaliter & simpliciter. Quid enim putas demonstrari per, HOC?

L. Et panem demonstrat & corpus Christi, hoc sensu: Hoc est panis & corpus Christi, vel in pane est corpus Christi. Nam utrumque ponit Lutherus.

Z. Ergo jam non simpliciter, sed planè dupliciter intelligentur verba Domini, si Hoc est panis & est corpus Christi. Si verò panis manet panis, sed in pane editur corpus Christi, jam iterum non simpliciter aut naturaliter intelliguntur, est enim Synecdocha. Non enim dixit Christus, In pane est corpus meum, sed, Hoc, panis scilicet, est corpus meum. Quæ ergo est ratio diversitatis, ut Synecdocham admittamus: Metonymiam autem æquè Tropum atque istam respuamus?

L. Panis est panis, & tamen corpus Christi: manducanturque ambo io isto sacramento miraculosè modoque nobis ineffabili.

Z. Christus iubet se à miraculis æstimari, si alioqui nollent credere Iudæi. Miraculum ergo ostendite. Prædixit idem Christus pseudoapostolos talia signa facturos, ut pii quoque io fidei discrimen veniant. Vnde si Prædicatores fratres ad miracula concinnanda appositissimi, nunc aliquid miraculi commentarentur, non tamen tutum esset illis credere. Quantò magis nihil debemus moveri, cùm ostenduntur miracula, quæ nunquam usquam sunt facta aut dicta?

L. Non editur Christi corpus sic crasso modo, sed modo quodam Christo satis noto. Nobis minimè licet hac in re curiosis esse?

Z. At crassissimo edi modo oportet, si verba sunt naturaliter accipienda. Hunc enim sensum reddunt: Hic panis est corpus istud meum, quod pro vobis traditur. Crassè, vulneribus, pugnis, mortique obnoxium est pro nobis traditum, ad huoc ergo modum cœnitari oportet. Aut ostende nobis ex Scriptura, quo tandem modo possit edi.

L. Christi corpus est ubique, nam & regnat & omnia implet.

Z. Ergo meotitus est fœminæ Angelus cùm diceret: Surrexit non est hìc. Mentitus erit Christus, cùm negavit, se pro humana natura ampliùs in mundo futurum, id autem toties, ut labor sit recensere.

L. Christi humanitas cùm sit ubique omniaque impleat non aliter atque triticum saccum implet, tamen singulariter voluit se huic sacramento inserere ac nobis dare, ut sciremus ubi se inveniremus.

Quòd

2\. Quòd Christi corpus omnia impleat, jam satis patuit frivolum esse per Angeli sermonem & abitionem. Sed contra secundam partem pugnat, quod de isto tempore, in quo nos quoque sumus, quòd scilicet inter ejus ascensionem & summa comitia est, dixit: Si ergo dixerint in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus, nolite credere, sicut enim fulgur exit ab Oriente, & videtur usque in Occidentem, ita erit & adventus Filii hominis. Repugnant articuli fidei. Sedet ad dexteram Patris Dei omnipotentis, inde venturus est iudicare, &c. non legimus aliò, aut ad aliud venturum, quàm ad judicandum. Repugnant Christi verba cum Matt.26. dicit: Posthac videbitis Filium hominis sedere ad dexteram. En nobis hominem, ad dexteram Dei sedet, isthic se futurum prodidit, & posthac inquit: Ne ergo posthac eum alibi quæramus.

1\. Omnia fiunt invisibiliter, non enim gradibus aut climace nunc descendit, ac sursum se recipit.

2\. Sed obstat quod Angeli dicunt: Hic Iesus, qui à vobis assumptus est in cœlum, sic veniet, quemadmodum vidistis eum ire in cœlum. Visibilis omnibus veniet.

1\. Sic ad iudicandum veniet. Nihil facit hic locus ad præsentiam istam, quæ est in Eucharistia.

2\. Non est ad aliam rem descensurus, quàm ad iudicium. Vetat enim se quæri uspiam. Pseudoprophetas vocat, qui se aut hic aut isthic ostendant: & posthac, ait, videbitis Filium hominis sedere ad dexteram. In illo, POSTHAC, nos sumus: Videamus ergo eum isthic ubi est. Nam ad quid esset corpus eius naturaliter in gratiarum actione.

1\. Vt mentem fidemque confirmet.

2\. Spiritum ait esse oportere, quòd mentem vivificet, carnem nihil prodesse. Spiritum promittit adfore, omniaque facturum, ut ne commentandum quidem sit, quid loqui velimus, &c.

1\. Peccata remittuntur corporis esu corporeo.

2\. Morte eius expiata esse peccata (factus est enim pro nobis maledictum) tot est Scripturæ locis proditum, ut hîc producere nihil sit opus. Si autem esu corporis eius remittuntur peccata, iam discipulis remissa fuerunt concœnato corpore. Adeóne effusus sanguis non solùm lustrat, sed etiam potus? Cur ergo cruci est adfixus? Num duæ sunt ad iustitiam viæ? altera credenda, altera corporaliter edendi? Quò ruimus?

1\. In pane isto præsens datur quod verbo prædicatum est.

2\. Vbi est, Qui credit in me, habet vitam æternam? Et, Nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum? Si homo potest præsens dare, quod prædicavit, cur non iis damus qui Evangelium audiunt, sed non credunt? quò Inuitis succos præberemus amaros quidem, sed salutares.

1\. Sic stupidi estis, ut spiritus inanes nihil intelligatis subtilium istarum rerum, quæ spiritualiter amant intelligi. Qui credunt, hi tandem edunt corpus Christi.

2\. Et nos credimus. At non edimus corpus naturaliter.

1\. Credi oportet hîc corpus Christi edi, iam qui credunt, edunt.

2\. En vobis ut fidendi credendique verba varietis. Nónne ista fides est salutaris, cùm credimus Iesum Christum esse Filium Dei, atque eo fidimus? Credere autem hîc edi corpus, aut sanguinem hauriri, ubi oro Scripturarum est propositum? Cur credendi verbum huc trahitis? Quis unquam Apostolorum dixit: Nos credimus, quòd corpore edaris? Nónne omnes dicebant: Nos credimus quòd tu es Christus Filius Dei vivi? Iohan. 6. & Matth. 16. Sed simplicibus vobis, ô fratres, ponuntur hæ tendiculæ. Vt cùm interim dicunt de fidendo Christo, id autem ex Scriptura, mox ab eo genere fidendi desiliant ad credendi genus istud, quo fingunt credi corpus & sanguinem comedi. Ipse scio: scio inquam: fratres quosdam in urbe non pœnitenda verbi ministerio præfectos: Qui quandoquidem pedem referre nequeunt, hisce latibulis sese tegunt: fidem obtendunt, quam nemo pius non putat religionis totius esse colophonem: sed simul vitiant naturale fidei ingenium, quod nihil est aliud, quàm Christo Dei Filio fidere: atque pro credere, corpus Christi edi, simplicium animis inferunt. Credi oportere dicentes, quòd hîc edatur, quod verba præ se ferunt: bis peccantes, & quòd verba minùs intellecta iubent perperam intelligere: &, quòd hoc in iussu credendum proponunt, quod nusquam est ad credendum traditum. Nusquam enim docti sumus credere, quòd corpus Christi edatur corporaliter: quamvis edi oporteat Christum, hoc est fidem in eum haberi. Quod dum sit Ioh.6.cap. per, corpus edere, tropicum sermonem traditum, mirum est ut perdicum more elabendi locum quærant.

Hunc librum ideo se inscripsisse Exegesin ipsemet scribit, quòd sententiam suam amicè & placidè citra omnem contumeliam exponat, ne

1527. *scilicet ad manus & pugnam veniretur, quod Pontificii unicè optabant. In Præfatione scribit*, se hactenus hanc ob causam nihil contra Lutherum scripsisse, & aliis quoque, ne contra ipsum scriberent, auctorem fuisse, quòd metueret, ne atrox dissidium & ἄσπονδον bellum inter ipsos exoriretur. Cogitasse enim, quòd Deus, cujus arcana & imperscrutabilia sunt consilia, fortassis nondum statuerit hanc veritatem prodere. Postquam verò viderit, Lutherum hoc non esse contentum, quòd impunè ei liceat in Zuinglium debacchari: sed quòd ea quoque quæ contra ejus sententiam dicuntur, ne lectione quidem dignetur, sibi omnino videri, hoc esse Dei consilium, ut contra eum scribat. *Erasmus scribit ad Lutherum*, Zuinglii librum nequaquam edentulum esse. *Amicus & placidus est ubique, nisi quòd Suevos, qui Syngramma contra Oecolampadium ediderant, & inprimis Brentium, paulò acerbiùs accipit.*

Zuinglius cur hactenus nihil contra Lutherum scripserit.

Erasmi indicium de Exegesi Zuinglii.

Mense Aprili sermonem Lutheri, pro substantialis corporis & sanguinis Christi in Sacramento assertione, contra Suermeros aut Fanaticos Witenbergæ *habitum, Germanicè confutavit Zuinglius in amici cuiusdam, id petentis, gratiam: non autem edidit. Post verò mortem ejus Latinitate donata & Tomo 2. Operum ejus inserta est Refutatio ista. In ea de Lutheri sententia & doctrina inter alia sic scribit:* Lutherus Christi verba, HOC EST CORPUS MEUM, simpliciter & absolutè citra omnem figuram & tropum accipienda esse contendit. Cui si dicamus necessariò hinc sequi, ut ipsum panem (qui per particulam HOC denotatur) ipsissimum Christi corpus esse fateamur, & Pontificem bene sentire, qui panem substantialiter in Christi corpus commutari docet: præterea panem quoque pro nobis crucifixum esse, si quidem corpus est, quod pro nobis Christus tradidit: Lutherus hunc nihilominus panem esse & manere dicit, interim verò simul cum pane Christi corpus esse contendit. Hanc enim sententiam in hoc libello suo citra omnem controversiam clarissimè doceri, videre licet, quòd si verò, ut Scripturis hanc suam opinionem probet & confirmet, postulemus, jam Paulum producit, qui in 1. Cor. cap. 10. panem vocârit. Atqui nemo nostrûm id ignoravit hactenus: imò nos quoque juxta substantiam panem vocamus, & panem esse credimus. Interim verò nulla Scripturarum testimonia prodire videmus, quæ hîc panem simul & carnem adesse probare possint. Christus panem δεικτικῶς demonstrans, imò manu porrigens HOC EST (inquit) CORPUS MEUM, nec quisquam Apostolorum aut Evangelistarum, nec etiam veterum doctorum extat, qui vel aliquo signo prodat, se in ea fuisse sententia, ut hæc Christi verba sic intelligi debere putârint, ut hanc unam & eandem rem panem simul & carnem esse credamus. Tantum enim abest, ut divini verbi testimoniis hanc suam sententiam asserere & tueri Lutherus possit, ut ne hominis quidem verbum invenire liceat, quod hujusmodi sensum Dei verbis obtrudere videri possit.

Zuinglius refutat Lutheri librum contra Suermeros seu fanaticos.

Eodem anno Lutheri liber de Eucharistia, lingua Germanica prodiit, cui titulum fecit, Quòd verba Christi, HOC est corpus meum, adhuc firma stent, contra fanaticos Sacramentariorum spiritus. *In hoc libello Zuinglio & Oecolampadio acerbissimè respondet; in eo etiam, & in sequentibus libris de Cœna vehementiùs hanc causam egit, quàm antehac unquam, sive quòd Christi præsentia corporalis in Cœna, eitam res divina & necessaria videretur, propter inveteratam idololatriam, ut contrarium asserentes, ferre non posset: sive, ut alii putant, prærepta sibi laudis dolore: sive denique, ut quidam scribunt, ne si Zuinglii doctrinam recepisset, reliqua à se antè tradita contemnerentur.*

Lutherus acerbissimum librum edit contra Zuinglium & Oecolampadium, hoc titulo Quòd verba Christi adhuc firma stent, ejusque argumentum. Ordo & summa libri Lutheri.

In hoc enim suo scripto, primò mentes hominum ad unicum tantùm fundamentum, quia videlicet aliis argumentis destituebatur, verborum scilicet institutionis Testamenti Christi revocare & deducere conatus est. Is enim quia omnipotens & verax sit dubium esse nullum, quin etiam hoc quod instituit atque promisit, præstare possit. Omnes igitur homines subinde in hoc libro hortatur, ut reliquorum argumentorum scopulis devitatis, huic unico argumento, Christi scilicet verbis, simplici fide apprehensis, immorentur. Qua toto ejus disputatio Petitio principii est. Probandum illi fuit, Corpus Christi substantialiter esse in pane: hæc enim ejus doctrina & sententia fuit. Ille probavit verbis Christi, & clamavit perpetuò, Christus dixit, Hoc est corpus meum. *Responsum est, hanc sententiam non posse ex verbis istis elici, nam Christum non dixisse, In hoc, vel sub hoc pane est corpus meum, sed Hoc, id est, Hic panis est corpus meum: ac proinde si Tropus omnis à verbis Christi sit excludendus, Pontificiorum sententiam veram esse: Lutheri prorsus non posse consistere: nec etiam hunc, quem Lutherus fingebat, esse sensum locutionum Scripturæ de Sacramentis, Panis est corpus: id est, In pane est corpus: neque esse posse sine manifesta antilogia Scripturarum quæ nihil tale patiantur cogitare de corpore Christi, & de signis ac rebus Sacramentorum. Ille contra* clara & perspicua esse verba Christi *dicebat, & ea* firma & immota stare *subinde in toto hoc libro*

Disputatio Lutheri in hoc libro est Petitio principii.

libro clamat: & hac ratione id pro argumento adducit, de quo est controuersia: Verba utriusque Christi, quorum sensum esse negabat Zuinglius, quem eis affingebat Lutherus.

1. Lutherus de præsidio verborum Domini depulsus, ubiquitatem in hoc libro primò arripuit

Negabat autem Zuinglius hunc esse verborum Christi sensum, quem afferebat Lutherus, articulis fidei Christianæ, Ascendit in cœlos, Sedet ad dexteram Patris: Inde venturus est iudicare viuos & mortuos. Cumque his articulis de præsidio verborum Domini depelleretur, ipse nouam, & toti Antiquitati incognitam, Scripturæ quoque manifestè contrariam viam inuenit, qua elabi conatus est. Nam in hoc libro & in altero contra Suermeros primùm non sine grauissimo scandalo, & uberrima multorum inde sequentium errorum occasione, se ad UBIQUITATEM *corporis Christi conuertit, atque ex ea refutare Zuinglij & Oecolampadij argumenta de veritate corporis Christi, de Ascensione in cælum, & reditu ad iudicium, & tueri tam hoc modo corporis Christi in Cœna corporalem præsentiam, & oralem manducationem voluit. Humanam enim naturam Christi iuxta diuinam extendit & dilatat, hoc est, docet, quòd Christi humanitas essentialiter & corporaliter præsens sit, vbicunque Diuinitas fuerit.*

4. Argumentum Lutheri pro Ubiquitate ex dicto Christi Ioh. 3.

Hanc verò absurdam, & Ecclesiæ incognitam doctrinam inter alia probare conatus est Lutherus ex dicto Christi Ioan. 3. c. Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo. *Ex his enim verbis colligit, corpus & carnem Christi iam tum simul in terris & cælo, adeoque etiam vbique, & in omnibus cum Diuinitate locis fuisse, aliàs persona vnitatem in Christo solui. Non autem ignorauit Lutherus, vel non ignorare debuit, cùm Augustinianus monachus fuerit, quid Augustinus ad hunc prauum intellectum verborum Christi respondeat ad Dardanum, & tract. 27. in Ioh. & contra Maximinum.* Secundùm hominem (*inquit*) in terra erat, & non in cœlo, vbi nunc est, quando dicebat: Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis, qui est in cœlo, quamuis secundùm id, quod Filius hominis erat, adhuc esset in terra, nondumque ascenderat in cœlum: ac proinde sicut rectè dici potuit, Dominus gloriæ crucifixus, cùm ad solam carnem passio illa pertineret: ita rectè dici potuit, Filium hominis descendisse de cœlo, & esse in cœlo. Hoc enim propter personæ vnitatem dicitur. *Item*: Vna persona Deus & homo est: si distinctionem naturæ attendas, Filius Dei de cœlo descendit, & Filius hominis est crucifixus. Propter hanc vnitatem personæ, Filius hominis dicebatur esse in cœlo, cùm hic loqueretur in terra: per hanc vnitatem personæ Christi, ex vtraque natura constantem, quælibet earum vocabulum alteri attribuit, diuina humanæ, & humana diuinæ. Alioqui si, quod de Filio hominis dicitur, non de Deo Verbo, vt humanæ naturæ hypostasi, in qua Filius est hominis, sed humanitatis assumptæ respectu intelligatur, non minùs hinc cum Apollinario, qui hoc dicto Christi ad erroris sui confirmationem abutebatur, fateri, & colligi oportebit, Christum secundùm humanitatem carnis suæ descendisse de cœlo, quàm tunc esset in cœlo, cùm hic Nicodemo loqueretur in terra. *Quod sanè mirandum est, Lutherum non animaduertisse, quem hac sententià Christi (sicut & Apollinarium) ad introducendam corporis ipsius, etiam in hoc humilitatis statu, plurium locorum vbique præsentiam contra aduersarios suos, nimio isto contendendi studio, manifestè & periculosè constat fuisse abusum. Non enim potuit, aut debuit ei, præsertim cùm is alios redarguere, & adeò quidem omnium vehementissimè vellet, ignotum esse, quòd ab hac ipsa Christi sententia*, Nemo ascendit in cœlum, *&c. tota orthodoxa Antiquitas, longè aliâ, quàm ipse Lutherus faceret, explicatione & intelligentiâ, qualis videlicet verè fit illa in vtraque natura personæ Christi vnitas, quâ quod vni naturæ proprium est, toti personæ in concreto tribuitur, probare & ostendere consueta fuerit: de quo sic Theod.* Quoties de persona loquimur, oportet ea communia facere, quod naturarum sunt, propria. Sciendum est enim quòd vnio communia facit nomina. Sic Dominus gloriæ dicitur crucifixus: Non enim communis alicuius hominis, sed diuinæ gloriæ corpus ligno affixum fuit: Sicut & carnem Domini de cœlo descendisse dicimus. Nam etsi diuina quidem natura de cœlo descendit, Filius tamen hominis vocatur propter vnionem. *Nazian. ad Cletod. contra Apollinaristas*: Si quis carnem de cœlo descendisse, & non à nobis esse dicit, Anathema sit, *&c. Respondet etiam Luthero Fulgentius lib. 2. ad Trasymundum: Theophilactus c. 3. in Ioh. Cassianus lib. 4. de Incarnatione Christi contra Nestorium. Vide Orthodoxum consensum fol. 15. 16.*

Contra sermonem Arrianorum cap. 8.

4. *Scribit quoque in hoc libro Lutherus*, Non esse quæstionem magni momenti, an substantiam panis in Eucharistia manere, vel non manere, credendum sit, cùm omnino credi oporteat Christi corpus ibi, hoc est, siue sub pane, siue sub specie panis adesse.

5. *Dicit*, Non est necesse, vt Christi corpus adsit in pane, sicut vinum est in dolio. Leui erat in lumbis Abrahami: omnis generis colores sunt in oculo: omnia sunt in speculo:

1527. Arbores ſunt in ſeminibus, *&c. Quæ prorſus Marcionem olent.*

6. *Ibidem:* Nos ſic dicimus, quòd Chriſti caro pertineat ad dictum: Quod è Spiritu natum eſt, Spiritus eſt. Ipſius enim caro non eſt ex carne, ſed ex Spiritu ſancto genita, ſegregata eſt ex omni carne, *&c. Hæc Schuenkfeldij ipſiſſima voces ſunt.*

7. *Dicit etiam hic & alibi,* Se corpus Chriſti cum pane manducare corporaliter, & ſimul etiam in corde credere, quòd ſit corpus quod pro ſe detur in remiſſionem peccatorum, vt verba ſonant. *Item:* Impios ſolùm Chriſti corpus ſine verbo, ſolo ore, abſque corde, tantùm *corporaliter*, & non ſpiritualiter manducare. *Rurſus:* Os manducare corpus Chriſti corporaliter. *Item:* Noſtra corpora phyſicè percipere Euchariſtiam corporis Chriſti. *Iterum:* Coràm adſunt verba, Hoc eſt corpus meum: quæ continent & nobis exhibent corpus Chriſti corporaliter. *Schmidlinus autem in Apologia ad Theſes Ingolſtadianas ſcribit, has propoſitiones* Pag. 53. 54. *δὶς διὰ πασῶν differre,* Chriſtus adeſt in Cœna corporaliter: *Et*, Corpus Chriſti adeſt in Cœna corporaliter. *In poſteriori enim propoſitione per vocabulum* corporaliter, *dimenſionem intelligi: vt dicatur ſecundùm longitudinem & latitudinem, & altitudinem adeſſe:* Hoc autem nemo, *inquit*, niſi abſurdiſſimi quidam ex Scholaſticis dixerunt. *Propoſitio autem hæc, quam Schmidlinus, vt abſurdam damnat, à Luthero vſurpata eſt. Iudicent igitur Lectores, an Luthero cum ſuis fiat iniuria, quum dicitur, eos Capernaiticam, craſſam & carnalem præſentiam, & manducationem carnis Chriſti aſſerere.*

8. *Illud etiam hoc loco ſilentio præterire non debeo, quòd inter alia multa valdè exotica & falſa, Lutherus in hoc libro, contra Oecolampadium, virum omnium confeſſione doctiſſimum & optimum, ſuper Tertulliani loco lib. 4. contra Marcionem, de pane corporis Chriſti Figura, ſcribens, primò omnium præfractè & obſtinatè negat, Figuram corporis Chriſti, à Tertulliano ſignum ſeu ἀντίτυπον dici. In quo ſic explicanda, ſalſitatis & impoſturæ arguit Oecolampadium. Contendit autem ſeriò, Figuram apud Tertullianum intelligi Mathematicè, de longo, lato, denſo & rotundo, per quæ res qualibet videri, ſentiri & contrectari poſſit. Porrò ſententiam Tertulliani, cùm panem Figuram corporis Chriſti factum dicit, hanc eſſe, mirabiliter, ne quid aliud dicam, interpretatur: nempe, quòd ſpecies & figura panis, hoc eſt, latitudo longitudo, denſitas, & color, iam non ampliùs ſint ſpecies & figura panis, ſed corporis Chriſti longitudo, latitudo, denſitas & color, ipſius adeò figura & ſpecies facta, per hæc verba, cùm ait:* Hoc eſt corpus meum: *Et hinc Tertullianum ſic contra Marcionem, ad probandam corporis Chriſti veritatem, inferre voluiſſe.*

> *Species & figura non poteſt eſſe ſine corpore.*
>
> *Sed panis eſt figura & ſpecies corporis. Ergo.*
>
> *Oportet corpus Chriſti ibi eſſe, vbi ipſius ſpecies & figura eſt, quæ ex pane per verbum figura & ſpecies eius facta eſt.*
>
> *At non potuiſſet corpus Chriſti verè in pane eſſe, & panis figuram ſeu ſpeciem capere, niſi eſſet verum corpus.*

Hæc cuiuſmodi, & à quo ſpiritu & iudicio profecta ſint, nihil attinet multis dicere: φιλονεικίας autem Lutheri qui hac in parte non agnoſcunt, præ nimia προσωποληψίᾳ planè cæcos & dementatos eſſe oportet. Certè Philippus Melanchthon in epiſtola ad Cratonem, multos eruditos ſe vidiſſe teſtatur, à quibus iſta in Luthero non fuerint lecta abſque gemitu. Quid enim quaſo manifeſtâ verborum Chriſti interuerſione magis abſurdè dici poteſt? quàm figuram ſeu ſpeciem panis, in longo, lato, denſo & colore, per verbum Dominicæ Cœnæ, iam non ampliùs eſſe ipſius panis, ſed corporis Chriſti figuram ſeu ſpeciem effectam? Multò quidem ſaniores ſunt Scholaſtici, qui etſi panis ſubſtantiam tollunt, ſpecies tamen & accidentia potiùs miraculosè ſine ſubiecto ſubſiſtere, quàm corporis Chriſti ſpecies & accidentia fieri aſſerere voluerunt. Et quid putat æquus Lector, non ſolùm Oecolampadium, ſed etiam alios veritatis amantes homines, de Luthero & infelici hoc certamine, ex pacto ab eo inchoato, ſibi polliceri potuiſſe?

9. *In hoc porrò libro docet, verba Scripturæ,* Comedite feſtinantes: Eſt enim Phaſe ſeu Paſcha Domini; *non verè de agno, quod certo & ſolenni ritu, vt comederetur, commendatum à Deo fuit, ſed de ipſomet die intelligendum eſſe: Quia dies ille ſit Paſcha & tranſitus Domini, & non agnus. Sicut ſi quis dicat, Comede aſſaturam: Eſt enim dies Dominica: Bibe aquam, eſt enim dies quinta feria.*

10. *Verba etiam Pauli,* Petra erat Chriſtus, *non de viſibili & corporali, aquam in deſerto ſtillante & præbente, petra, eoque modo ſignificatiuè, vt omnes orthodoxi ſenſerunt, ſed de ſpirituali, hoc eſt, de ipſomet Chriſto petra, ſubſtantialiter eſſe intelligenda. Cuius contrarium antea docuit in libro de Papatu, contra Romaniſtam Lipſenſem.*

11. *Item: Hanc eſſe corporalis manducationis vtilitatem, vt os, gula & corpus, quæ corpus Chriſti manducant, inde vitam æternam conſequantur. Hanc enim eſſe ſecretam virtutem*

&

& vtilitatem, qua ex Christi corpore in Cœna manducato, in nostrum corpus penetret. Oportere enim necessariò, vt vtile sit corpus Christi, cùm non possit frustra ibi adesse. Cuius tamen contrarium docuit in Postilla magna, carnem videlicet non prodesse ideo à Christo dictum, quòd carnalis illius manducatio nihil prosit, sed sola spiritualis, quæ fide fit, & apud Ioannem 6. cap. commendata est manducatio.

Oecolampadij secunda Responsio ad Lutherum.

Huic Lutheri libro Oecolampadius mense Iunio alium opposuit, cui titulum fecit: Secunda, iusta & æqua Responsio ad Martinum Lutherum. *Per integrum caput 18. hoc duntaxat commonstrare contendit, se & Zuinglium nunquam docuisse vel scripsisse, quòd fideles nuda duntaxat signa participent in Cœna Domini.*

Zuinglij ad Lutheri librum responsio

Nec ita multò pòst Zuinglius quoque eidem peculiari libro Germanicè respondit, quo Christi verba, HOC EST CORPUS MEUM, quod pro vobis traditur, veterem ac vnicum sensum perpetuò retinere, & Lutherum vltimo suo scripto: nec suum, nec Pontificis Rom. sensum confirmasse, *solidè docet: Eumque Illustriss. Principi Ioan. Saxoniæ Electori dedicauit.*

Zuinglius cur hactenus Latinè tantùm de Cœna scripserit

In Præfatione ad Luth. scribit, se hactenus ad argumenta eius Latinâ linguâ, tacito eius nomine, respondisse, ne quando: *inquit,* nos alicuius odij ac inuidiæ insimulare posses, quasi dedecoris & infamiæ tuæ fiti inflammati, nomen tuum vniuersis Germaniæ populis inuisum & exosum facere cupiamus: tua verò Germanicè composita sunt, ne ad exteros aliquod ex ijs detrimentum aut periculum redire posset.

Summa Zuinglianæ responsionis ad Lutherum.

In ipsa autem Responsione vniuersa & singula libri Lutheri percurrit capita, sic vt omnia verbum vel breuiùs, vel copiosiùs prout rei necessitas postulare videbatur, dissoluat & confutet. Inprimis autem duo hæc capita, quibus nimirum Christum ad dexteram Patris sedere dicimus, & quibus ipse carnem nihil prodesse, pronunciat, Scripturæ rationibus & argumentis solidissimis exponit & confirmat.

De conuitijs, quæ in suo libro habet Luth. sic scribit in hoc libro mox ab initio Zuinglius: Te verò iræ affectu correptú furere & insanire, non equidem negare poteris, si modò librum tuum, quem tuipse conscripsisti, probè perlegeris. Tanta enim conuitiorum copia & peruersarum opinionum multitudo ex charitatis fonte, & diligenti animi consideratione: vel præmeditato studio proficisci non potest, quemadmodum luce clarius demonstrabimus. Omnia enim omnium illorum scripta percurrito, qui vnquam ex animi amarulentia scripsère, & videamus an aliquem inuenire liceat, qui tam licenter omnes rationis limites transilierit, quàm abs te hoc in libro factum est, in quo totus tibi excidisse videris.

1527.

Lutherum non seruare proprietatem verborum Christi.

Deinde inter alia quoque docet, Luth. verborum Christi, Hoc est corpus meum, *simplicitatem non seruare, vt subinde in suis libris glorietur.* Particula, *inquit,* HOC, panem denotat, verè ergo & benè de Transubstantiatione disseruit Pontifex. Si enim quod ille demonstrat corpus Christi est, ipsum panem corpus illius esse necesse erit, cùm panem hîc Christus demonstret. Hæc (inquam) si dicamus, mox tu tuique omnes exclamare soleris: Hic verborum sensus nequaquam est. Panis in panis substantia permanet, & in pane corpus Christi manducatur. Iamne ergo intelligis, te primum esse eorum, qui à verborum simplicitate recedunt? Nec enim hoc modo Christus loquutus est: In pane hoc est corpus meum: vel, in hoc pane manducatur: vel, hoc est panis & corpus meum, quem admodum tu alibi disertis verbis dicere non vereris. Vide ergo quàm egregiè simplici Christi verbo adhæreas.

Tertiò, loca Scripturæ inter alia etiam citat, quæ Lutheri sensui verborum Christi, Hoc est corpus meum, *repugnant & contradicunt. Primus locus est,* QUOD pro vobis traditur. *Neque enim duo hæc inter se conuenire possunt, vt nimirum Christi corpus manducemus, illudque sic à nobis manducetur, quemadmodum pro nobis traditum est. Alter Scriptura locus Pauli verba continet, quibus in 1. Cor. 11. cap. verba Christi,* Facite hoc in mei commemorationem *exponit, addens:* Quotiescunque enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciate. *Ex quibus videre licet, particulam,* HOC, *nequaquam ad carnis & sanguinis manducationem referri posse, sed ad mystica illa & solennia signa, panem nimirum & vinum, quæ in Cœna apponuntur. Tertius locus est:* Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam: *manducata nimirum. Quartus est:* Amodò videbitis Filium hominis sedentem ad dexteram Dei, & venientem in nubibus cœli cum virtute magna. *Quintus:* Dominus Iesus postquam locutus est eis, in cœlum susceptus est, & consedit ad dexteram Dei. *Sextus:* Exiui à Patre, & veni in mundum: Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. *Septimus:* Abhinc non ero in mundo: ipsi autem in mundo erunt, *Ioh. 17.*

Quartò, Vbiquitatem corporis Christi, quam in suo libro Lutherus finxit Zuinglius solidè refutat,

1527. *refutat, & multis docet eum nouo quodam more contra Verbum Dei & communem omnium Patrum, imò Scholasticorum quoque Doctorum, consuetudinem de vtroque in Christo natura disputare.*

Denique hanc suam Responsionem & Librum his verbis Zuinglius concludit: Cùm totus liber tuus, Luthere, nihil aliud, quàm manifestam calumniam, & purissimæ veritatis Euangelicæque lucis obscuritatem oppressionemque contineat, quod ipsum certis & validis rationibus per nos demonstratum iam esse spero, non equidem opus esse arbitramur, vt ad immodestissima illa conuitia vniuersa, quibus nos obruis, respondeamus. Partim enim omnibus istis innocentia nostra respondere solet, partim verò eadem hæc patienter sustinet. Errores autem, qui in hoc tuo libro per te docentur, hi sunt.

1. Corpus Christi, quemadmodum & Diuinitas ipsius, vbique locorum præsens est.

2. Christus idcirco se nobis in sacramento hoc commonstrat & exhibet, vt vbinam quærendus sit, non ignoremus.

3. Corpus Christi oraliter & corporaliter manducatum peccata tollit.

4. Caro Christi tota spiritualis caro est.

5. Corpus Christi corporaliter manducatum corpora nostra ad resurrectionem pascit.

6. Corpus Christi corporaliter manducatum fidem largitur & auget. Quæ omnia abs te contra omnem diuini Verbi authoritatem docentur.

Dissidium sacramentariorum inter præcipuos doctores Euangelicos.

Atque sic Instauratores illi veræ religionis & Heroes eruditione præstantes, qui breui tempore regnum Pontificium vehementer afflixerant, inter se commissi fuerunt: sequutumque est triste & calamitosum dissidium Ecclesiarum, non sine magno piorum luctu ac gemitu. Vtrinque res magna cum contentione, multisque priuatis & publicis scriptis, colloquiis & consilijs agitata fuit. Lutheri nomen authoritatemque sequuti Saxones, eius sententiam præcipuè probarunt: Heluetij verò, Rhæti & non paucæ superioris Germaniæ vrbes, Zuinglij doctrinam amplexæ sunt: cui deinde subscripserunt etiam Reformatæ Ecclesiæ omnes in Italia, Gallia, Anglia, Scotia, Polonia, Hungaria & Belgio. Impij verò & aperti Christi hostes, ex mutua illa doctorum concertatione, summam voluptatem, & doctrinam Euangelicam calumniandi occasionem accipiebant. Multi qui Pontificiam religionem deposuerant, ad veterem superstitionem reuerterunt. Multi quoque qui oculos ad Euangelij lucem [illegible] cœperant, quid potissimùm sequerentur incerti, magnopere perturbabantur, & dubio atque suspenso animo expectabant, quoad Euangelij primarijs doctoribus positis contentionibus inter se conuenirent. Adhæc Pontificij freti illis dissensionibus & dimicationibus intestinis, acerba edicta promulgârunt, & persecutionem piè docentium maiori quàm vnquam antea sæuitiâ instituerunt. Multi enim in Germania, Gallia, Italia, Anglia & Hispania, præcipuè propter hanc doctrinam crudelibus supplicijs affecti sunt. Zuingliani accusabant Lutherum, quòd longè aliter de naturis in Christo, & ipsa corporis Christi manducatione scriberet, quàm initio fecerat, & multa absurda palàm traderet, quò meliùs suam causam tueri posset, quodque scriptis illis vrgeri nollet, quæ ante mo[illegible] hanc controuersiam publicauerat. Modest[illegible]tiam ac citra omnem contumeliam, doctri[illegible]n eius de reali præsentia corporis Christi in pane Cœnæ Dominicæ, aliaque prodigiosa dogmata, quibus illam tueri voluit, refutabant. Lutherus contrà in suis Responsionibus & inuectiuis adeò non potuit celare suum affectum, vt, nobis tacentibus, res ipsa loquatur, illam vehementiam, quâ in aduersarios suos exarsit, non ex aliqua ipsorum blasphemia, impietate aut culpa, aut in ipsum iniuria, quorum nihil vnquam demonstrare potuit, ortam fuisse, sed potiùs ex indignatione aduersùs illos, qui, ipso non consulto, aliquid dixissent, aut egissent. Ex Verbo Dei petitis testimonijs aut argumentis, nunquam aduersarios refutauit: Conuitijs autem & subsannationibus eos coopertos reddidit, verborum ampullis & fulminibus populi in Germania aures repleuit & obtudit; causam suam sic defendit, vt qui non ex magni viri authoritate, sed ex Dei Verbo rem æstimet, potiùs absterreatur ijs, quibus vtitur argumentis, ob ipsius opinione, quàm ad eam alliciatur. Eiusmodi verò humanæ infirmitatis exempla, proponit interdum nobis Deus, etiam in summis & sanctissimis viris, ne, quod hodie Vbiquistæ cum Luthero faciunt, homines in idola, & organo Dei in Deum conuertamus.

In quibus potissimùm capitibus Zuinglius à Luthero dissentiat.

Hæc autem præcipua fuerunt capita, in quibus Zuinglius à Luthero in hac causa dissentiebat. Nempe, quòd hæc verba Christi, per Metonymiam essent explicanda. Quòd Christi caro & sanguis non ore carnali, sed fide duntaxat perciperetur. Quòd Christi corpus in certo cœli loco degeret, neque per omnia, vt Diuinitas diffunderetur. Quodque impij symbola tantùm corporis & sanguinis Christi, non ipsum corpus Christi eiusque sanguinem acciperent.

Lutherus ante certamen

Ante motum hoc certamen Lutherum de Zuinglio præclarè sensisse, indicio est epistola

eius

Sacramentariorum de Zuinglio honorificè sensit.

eius, quam libro Iusti Iono de Sacerdotum Coniugio præmisit, in qua Zuinglium fortem Christi Athletam *vocat. Pellicano quoque, qui eum per literas ad modestiam hortatus fuerat, placidè respondit, dicens inter alia,* se quidem sentire, quòd modum in scriptis contra suos aduersarios aliquando excedat, importunitate tamen ipsorum hoc fieri, *&c. Epistola hæc extat in fine Annotationum Lutheri in Psalmos.*

Zuinglius de Luthero ante motum certamen præclarè sensit.

Vicissim Zuinglius etiam ante certamen de Luthero præclarè admodum sensit, scripsit & loquutus est. Nam in Explanatione Articulorum siue Conclusionum sic scribit fol. 38. *Tom.*1. Lutherus (quantum ego possum iudicare) fortissimus miles est Christi, qui tantâ diligentiâ Scripturas scruratur, vt ab annis mille alius nemo. Qui tam immoto & constanti animo Papam sit aggressus, nullus fuit ab eo tempore quo cœpit Pontificatus Romanus. Nec moratur quid hostes Dei contrà moliantur, nec curat quàm toruè eum respiciant, quidue minentur. *Item*: Lutherum tanti æstimo, quanti nemo mortalium.

Zuinglij iudicium de Luthero in certamine Sacramentario.

In ipso quoque certamine sic de eo scripsit Zuinglius in Exegesi suâ: Te primarium esse propugnatorem Euangelij: Diomedem, qui Venerem Romanam petere: Ionathan, qui Palæstinorum præsidia solus adoriri fuit ausus, non inuiti concedimus. *Rursus in fine eius libri*: Ego fui Lutheri & admirantissimus & obseruantissimus, futurusque talis sum perpetuò. *Item*: Cùm nemo esset, qui se discrimini obijcere auderet ex omnibus castris Israel, adeò metuebant omnes immanem istum Goliath, tanto armorum viriumque pondere minacem. Hic hîc tu vnus fidelis Dauid, ad hoc vnctus à Domino, induis arma: Primùm, cùm iuxta illorum ritum pergis cum eis disputare, ac paradoxa, nodosque Gordeos obijcere: mox tamen reiectis his impedimentis, è cœlesti flumine lapides eligis ac libras: Expeditaque & rotata funda tam vehementer iacis, vt in magnum agri spatium inusitata membra porrigas. Vnde fideles animæ nunquam cessare debent, quò segniùs canant: Percussit Saul mille, Dauid autem decem millia. Tu vnus fuisti Hercules, qui vbi discriminis aliquid esset, occurreres: Aprum Romanum occidisti: Antæum terræ filium compressisti. Quis enim luculentiùs aut puriùs, quàm tu, inimicitias carnis & spiritus ex Apostolorum fontibus propinauit? Cacum, qui non modò boues auersos, verùm etiam viduarum domunculas in speluncam abigebat, protraxisti. Quid multa? augiæ stabulum, si modò eas imagines, quæ ad cultum prostant, sustulisses: fictum in pane corpus Christi corporaliter non ederes: In Euangelij luce videres purgatorium tete pecuniarum esse, absolutionem autem vel claues, Euangelij fidem: non solùm repurgauisses, verùm etiam cœlum ipsum tulisses. *Subinde quoque ipsum in Certaminis feruore,* præstantissimum virum, *&* dilectum Lutherum *vocat. Zuinglius denique, & qui à partibus eius stabant Doctores, Lutherum cum suis nunquam vt hostes auersati sunt: quod non tantùm scripta eorum testantur, sed illud inprimis euincit, quòd nunquam eos, qui viam Concordiæ quærebant & commonstrare conabantur, auersati sunt & repulerunt: sed & sponte suo Luthero suisque societatem & fraternitatem non semel obtulerunt. Sicuti ne hodie quidem dissentientes à nobis, pro hostibus habemus, neque quidquam detrectaremus adhuc recipere, quod veritate saluâ & clarâ, in Concordiam sanctam reducere posset. Quin imò non desiuimus orare Dominum; vt affectibus vehementioribus sedatis, in Concordiam sanctam nos omnes redigat.*

1528.

ANNVS M.D. XXVIII.

Disputatio celebris Bernensis.

BErnates, *quorum est cum Tigurinis in Heluetiis præcipuum nomen & potentia, cùm & Disputationis Badensis Acta non essent ipsis communicata, licèt obnixè flagitassent, & dissidia religionis augescerent, nec eadem esset Ministrorum Ecclesiæ doctrina, disputationem aliam suo in vrbe decernunt, edito scripto, Decembris die* 17. *ad eamque finitimos conuocant Episcopos, Constantiensem, Basiliensem, Sedunensem, Lausannensem, & vt ipsi veniant, suosque secum adducant Theologos, monent: Alioqui mulctam denunciant earum possessionum, quas in suis finibus haberent. Deinde suæ ditionis homines Ecclesiasticos conscribunt, & vt in actione tota, Veteris ac Noui Testamenti Scriptura sola pondus & authoritatem habeat, edicunt, & omnibus vndecunque venturis eò fide publicâ cauent: hanc quoque legem statuunt, vt modestè, sine conuicijs & iniuriis omnia fiant, & liberè suam quique sententiam dicant, & ita pronuncient: vt à scribis excipi possint cuiusque dicta, quicquid ibi decretum fuerit, ratum atque firmum esse per suam ditionem omnem iubent. Et, vt quibus de rebus agendum esset, constaret, eoque venirent omnes paratiores, themata promulgant, numero decem, quæ ipsorum Ecclesiæ Ministri, Franciscus Colbius, & Bertholdus Hallerus profitebantur, & sacris literis confirmare se velle dicebant. Ea verò sunt eiusmodi.*

Themata Bernensis Disputationis.

1\. Vetam Ecclesiam, cuius vnicum sit caput Christus, ex Dei Verbo nasci, in eoque

1528. eoque permanere, neque vocem alterius audire.

Hanc ipsam Ecclesiam non condere vllas leges extra Verbum Dei, traditionibus igitur hominum, quæ titulum habeant Ecclesiæ, sic demum obligari nos atque teneri, si cum Verbo Dei consentiant.

3. Solum Christum pro totius mundi peccatis fecisse satis: ergo, si quis aliam salutis viam aut expiandi peccata rationem esse dicat, hunc abnegare Christum.

4. Corpus & sanguinem Christi reuera & corporaliter sumi, testimonio Scripturæ probari non posse.

5. Missæ ritum, vbi Christus Patri cœlesti pro viuis atque mortuis repræsentatur atque offertur, aduersari Scripturæ, & contumeliam facere sacrificio, quod Christus pro nobis impendit.

6. Solum Christum, vt Intercessorem & humani generis Aduocatum ad Patrem, inuocandum esse.

7. Quòd sit vllus ab hac vita locus, quo purgentur animæ, in sacris Literis non reperiri: Precationes igitur & ceremonias illas omnes & exequias anniuersarias, quæ mortuis impenduntur, & cereos atque lampades & id genus alia, nihil omnino conferre.

8. Statuam aut imaginem vllam proponi cultus causâ, repugnare sacris Literis: Proinde si quidem eo animo sint in Templis erectæ, tollendas esse.

9. Matrimonium non esse vetitum vlli hominum ordini, sed fornicationis vitandæ causâ, mandari cuilibet atque permitti sacris Literis.

10. Cùm scortator omnis verè sit & testimonio Scripturæ separatus ab Ecclesiæ communione, Sacerdotum ordini minimè omnium conuenire cœlibatum impurum atque turpem.

Heluetij à Disputatione Bernensi dehortantur. *Quum his de rebus Bernates ad omnes Helnettos literas dedissent, hortati, vt & suos ipsi mitterent, & aliis, qui per ipsorum fines iter essent facturi, publicè cauerent, Lucernates, Vronij, Suicij, Vnteruualdij, Tugiani, Glariani, Friburgenses, Soloturnij, prolixo scripto grauissimisque verbis hortantur, vt ab instituto desistant, commonefaciunt eos initi fœderis atque pacti, repetunt quoque Disputationem Badensem, cuius ipsi fuerint in primis & authores et laudatores: neque licere vlli populo dicunt aut prouinciæ, formam religionis atque doctrinæ mutare, sed hoc ad totius orbis pertinere Concilium: orant, ne tantum in se facinus recipiant, nec à paucis aliquot externis, in errorem abduci sese patiantur, sed in ea religione permaneant, quam ipsi, quam ipsorum parentes atque Maiores obseruârint, in qua tantam nominis gloriam adepti sint, in qua suas fines ad eum modum amplificârint, in quo taties fuerint victores: Æquum esse, vt hoc ab ipsis impetrent, sin minùs, tum illud quod de tuto itinere petant, non se posse polliceri: sed vbi de personis cognouerint, iudicium atque delectum esse facturos: illis quidem, qui nuper ad actionem Badensem, interpositâ fide vocati, non venerint, & partim diffidentiâ, partim contemptu quodam emanserint, nolle se cauere deinceps: Adhoc, neque se quenquam eò mittere, neque suis, vt eò proficiscantur, velle concedere.*

Bernenses in suo proposito pergunt. *Nihil his omnibus commoti Bernates pergunt, & ad diem præscriptum, qui septimus erat Ianuarij dies, actionem inchoant. Episcoporum, quos antè diximus, nemo venit, Basilienses autem, Schaphusiani, Tigurini, Abbocellenses, Sangallij, Mulhusani & Rhæti quoque finitimi suos mittebant: item Argentinenses, Vlmenses, Augustani, Lindouij, Constantienses, Isnenses.*

Ab iis, quos dixi, Berna Ciuitatis doctoribus, factum fuit initium actionis: eorum Themata, & præsertim, quòd nullo sacræ Scripturæ testimonio euinci & demonstrari possit, Christi corpus & sanguinem substantialiter & corporaliter in pane & vino Eucharistiæ percipi defendebat Zuinglius, Oecolampadius, Bucerus, Capito, Blaurerus & alij complures contra Pontificios & Lutherum: Oppugnabat autem inter alios, primi nominis Conradus Trigerus Augustinianus: qui tandem cùm aliunde, quàm è sacris Bibliis adiumenta sibi quæreret, neque Præfecti seu Præsides Disputationis permitterent, eò quòd lege vetitum erat, loco decessit. Vocatus est etiam Andreas Althamerus, qui scripserat conciliationem locorum Scripturæ in speciem pugnantium, & inter alia, loca quæ cum corporali Christi præsentia in Cœna Domini pugnant, conatus erat conciliare: adhac quaedam de Sacramento in lucem emiserat. Disputandi libero ei facta est copia, & volens passus est se à Pontificia parte deligi, vt Oratoris munere in suggestu fungeretur, carnalemque Christi in Cœna præsentiam defenderet. Conradus Somius, Ecclesiastes Vlmensis publicè Zuinglij sententiam probabat, dicens, se idem Vlmæ docuisse, & Eccium Bernam vocâsse, cui respondere paratus sit ex sacris Literis. In reditu, Tiguri loco Zuinglij, in magna populi frequentia maximi Templi, concionem habuit. Zuinglius habito sermone publico Bernæ, suæ fidei de Cœna Dominica, omnibus rationem reddidit, qui postea euulgatus est.

Disputationis Bernensis exitus. *Exitus Disputationis fuit ad 26. Ianuarij diem, & ea, quæ diximus, Themata, communi pluri-*

plurimorum assensu fuerunt approbata: & deinde etiam Bernæ à Magistratu sancita, Missa, Aris atque Statuis ubique sublatis. Acta hujus Disputationis publicè extant.

De quarta autem Thesi Disputationis Bernensis Bucerus in sua Retractatione, præmissa enarrationibus suis in Evangelium Ioannis anno 1536. *editis pag.* 566. *ita scribit*: De quarto axiomate, quod est, sumi, & manducari corpus & sanguinem Domini in pane, & vino realiter, & corporaliter, probari per Scripturam non potest; non convenit in disputatione cum iis, qui illud impugnabant, etsi illi Christum nobiscum verè prædicarent, Hoc autem omnino inde factum est, quod illud (edi in pane corpus Domini realiter, & corporaliter) non eodem modo intelleximus: id quod tum quidem non animadvertimus, postea autem indubitatè cognovimus. Illis si quidem, qui axioma oppugnabant, ea locutio perinde accipiebatur, atque ipsum verum Domini corpus verè, & reipsa in Euchàristia percipi cum pane, qui corpore sumitur, & editur, sacramentalem modò unionem inter panem, & corpus Domini statuere voluerunt, ut non sint in Sacra Domini mensa inania rerum Symbola, panis & vinum, sed simul res ipsæ, corpus & sanguis Domini, id est, Dominus ipse. Nobis autem intelligebatur, edere corpus Domini realiter & corporaliter, pro eo, quod est, manducationem oris in ipsum pertingere corpus Domini, quod circumscriptum, & inclusum sit in pane physica ratione. Id quia nulla Scriptura affirmatur aut evincitur; Videbatur autem istis verbis, edi corpus Domini in pane realiter, & corporaliter statui, & propositum axioma illud est, & defensum: Nihil enim ampliùs reiicere voluimus, quàm corpus Domini non misceri cum pane, aut includi in pane physicè, & localiter. Inde à nostris ea potissimùm loca adducta fuêre, quæ sunt de veritate humanæ naturæ in Christo, & ascensione in cœlos. Nam agnoscimus nos, agnovit id planè Occolampadius, & Zuinglius non repugnavit hisce verbis Domini: Accipite, hoc est corpus meum &c. Et verbis Apostoli, panis quem frangimus, nunquid est communicatio corporis Domini? &c. Omninò veram veri corporis, & sanguinis Domini præsentiam & exhibitionem evinci. Quare quæcunque in Actis hujus disputationis edita sunt, de hoc loco, ea, oro te, pie lector, sic accipias, ut scias à nobis non omnem Domini in Sacra Cœna cum Symbolis pane & vino præsentiam, sed circumscriptivam modò, & quæ naturali unione corpus Domini pani misceat, negari; quam, scilicet ab iis, qui tum adversabantur nostro axiomati, statui persuadebamur. *Id sic habere, ipsa Acta testantur.*

1528.

Bernêses à mutatione religionis fæderi Gallico & mercenariæ militiæ renunciant.

Mutatâ autem Religione, Galliæ Regi fœdus etiam renunciârunt Bernates, & mercenariam militiam prohibuerunt, eâ contenti pecuniâ, sicut etiam confœderati eorum Tigurini, quam pacis colendæ causa, singulis Pagis in Helvetiis Rex dependit annuam.

Constantienses Canonici urbem relinquunt ob scortationem prohibitam. Ambrosius Blaurerus.

Constantienses *jam antè quædam mutaverant, & quum scortationem, adulterium, & suspecta vel parùm honesta contubernia Lege vetuissent, irati ab eis discesserant, hi qui dicuntur Canonici. Docebat ibi* Ambrosius Blaurerus, *nobili familiâ natus, qui Monasticæ professionis antè fuerat Alperspaci. Cùm autem ingenio valeret, lectis Zuinglii libris, alium animum induit, & post multam simultatem relicto sodalitio revertit ad parentes atque propinquos. Collegium autem illud est in finibus agri* Wirtenbergici, *quem quidem Principatum Ferdinandus Austriacus tum possidebat. Abbas igitur per ejus regionis præfectum interpellat Senatum Constantiensem, ut illum ad ordinem suum redire cogant. Blaurerus autem edito scripto rem omnem actam commemorat, & conditiones proponit, quibus redire vellet, sed hæ tales erant, ut eas repudiante Abbate, Constantiæ deinceps ille permaneret: Fuit hoc anno* 1523. *Post Disputationem verò Bernensem, Imagines & Aræ cum Ceremoniis atque Missa Constantiæ fuerunt abolitæ.*

Silesiorũ Confessio.

Mense Augusto, Silesiorum Confessio de sacramento Eucharistiæ edita est, in qua ostendunt corporalem Christi in Cœna præsentiam, pugnare cum Scriptura & Veteris & Novi Testamenti: cum natura ac proprietate fidei ac Verbi Dei: cum regno ac sacerdotio Christi, gloria Dei, institutione Cœnæ, & ritu Apostolicæ Ecclesiæ. In verbis Cœnæ Dominicæ, HOC EST CORPUS MEUM, *Pronomen* HOC, *pro demonstratione spirituali accipiunt, per quam mentes fidelium ab externo ad verum cælestemque cibum, nempe Christum, qui in cœlis est, perducantur. Hanc confessionem Zuinglius ab Ecclesiæ Argentoratensis Ministris ad se missam, Tiguri typis excudi curavit, quo ab omnibus legi posset & judicari qualisnam esset.*

1528.

De

LVTHERI CONFESSIONE
Maiore, ac Falsis, Erroneis, Contradictoriis & Absurdis quæ in ea continentur.

CVm itaque multi ex eruditis & doctis, Zuinglium, Oecolampadium admirari, eorumque doctrinam probare & sequi inciperent, Lutherus id indignissimè ferens, suam Confessionem Magnam *de Cœna Domini in lucem edidit. In cuius prima parte Zuinglium, in secunda Oecolampadium exagitat, & reprehendit hoc potissimùm nomine, quòd nihil hactenus ad sua argumenta responderint: deinde explicat loca Scripturæ, quæ illi pro se, & sua doctrinæ defensione citârunt. In tertia parte fidei suæ confessionem edit, quam pro certa suæ mentis sententia, tam in vita quàm post mortem haberi jubet.*

Quatuor fundamēta Lutheri doctrinæ de Cœna in hoc libro. Tom. 3. Ihen. fol. 457. Fundamentū 1.

Quò faciliùs autem Lutherus suam de corporali & reali præsentia corporis Christi in Cœna, contra adversarios obtinere & defendere posset, sententiam, Quatuor in primis fundamentis in hoc libro seu Confessione instituit.

PRIMVM, est, *inquit,* Articulus iste fidei, quòd Iesus Christus sit essentialis, naturalis, verus & perfectus Deus & homo, in unitate personæ indivisus. *Hinc sic vult argumentari:*

Christus est verus, naturalis & perfectus Deus & homo, in inseparabili personæ unitate. Ergo
Corpus Christi realiter, & corporali præsentiâ est in pane Cœnæ Dominicæ.

Rationem huius Consequentiæ hanc reddit Lutherus: Cùm propter indivisam illam utriusque naturæ in Christo hypostaticam unionem, nullibi sit, vel esse possit Divinitas, ubi etiam non simul realiter adsit, sive coëxistat assumpta Humanitas: Ideo hinc necessariò sequi, quòd etiam corpus Christi realiter, & corporali præsentiâ unà cum Divinitate sit in pane. Alioquin si ullus locus dari & ostendi posset, ubi esset Divinitas Christi, & non simul etiam coëxistens adesset Humanitas, iam dissoluta foret personæ veritas. Non enim potes, *inquit Lutherus,* Divinitatem ab Humanitate secludere, eamque in aliquem locum seponere, ubi non simul etiam adsit Humanitas. Nam per hoc esses personam distracturus, & Humanitatem instar tunicæ cujusdam facturus, quam Deitas induere & exuere posset.

Respondetur primùm, *verum esse, dividi Christum, & duas personas fieri, nisi homo sit ubicunque est Deus, nam in Christo idem est Homo & Deus propter personæ identitatem. Deinde, si de naturis, Divinitate & Humanitate, in abstracto loquimur, similiter verum est, Si Humanitas non est ubicunque est Divinitas, personaliter nimirum, vel personali subsistentiâ, hoc est, si non est una ubique duarum naturarum persona, aut si non ubique duæ hæ naturæ unitæ sunt, duas personas fieri necesse est: Non autem, si Humanitas non est, ubicunque est Divinitas, scilicet essentialiter. Nam ubicunque est unum ex unitis, ibi etiam alterum ei unitum sit necesse est: sed non ubi est unum, ibi etiam alterum simpliciter & essentialiter sit necesse est. Nam quæ unitæ sunt personaliter, ea non necesse est essentialiter esse æqualia: vel, quæ simul sunt personaliter, ea non necesse est simul esse essentialiter. Itaque ubicunque est Divinitas, ibi unitam habet Humanitatem, quamvis essentialiter uno in loco existentem. Quomodo in morte Christi etsi separata fuit à corpore anima, ita ut anima non esset ubi corpus erat, tamen unio personalis mansit. Quare si de Vbiquitate personali loquitur Lutherus, est fallacia secundùm non causam. Nam unio diversarum naturarum sicut non efficit, ut una natura sit altera: ita non efficit, ut qualis est una natura, talis etiam sit altera, aut ut loci ratione ibi sit una natura, ubi est altera. Imò Vnionis ratio postulat, ut salua sint & distinctè maneant naturæ & proprietates essentiales; aliàs non unio, sed mixtio & confusio foret. Si autem de personali Vbiquitate loquitur Lutherus, si rectè intelligatur, concedi potest.*

Atqui in hac Confessione sic explicat suam sententiam Lutherus, ut dicat, Se personaliter intelligere, non essentialiter. Resp. Primùm, Si personaliter intelligit, ita ut humana natura dicatur ubique præsens, quatenus in persona Filii Dei subsistit, & suum esse personale habet, salvis suis proprietatibus naturalibus: Sententia hac concedi potest. Nam huc redit sensus, si dextrè exponatur: Humana natura in se finita manens, & quoad locum, alicubi tantùm existens, est personaliter ubique; id est, humana natura subsistit in persona ubique præsente, nec unquam aut usquam ab eâ separari potest: Vel, sicut duæ naturæ unitæ sunt

ſunt perſonaliter, ita, ut ubi una eſt, ibi & altera eſt perſonaliter, ſeu ratione perſonalis ſubſiſtentiæ; vel, humana natura eſt ubique, quia eſt una perſona cum Deitate omnia implente. Deinde, etſi phraſis hæc ſic exponi poſſit, tamen eſt impropria. Nam perſonale & perſonaliter de perſona propriè dicitur, aut de duabus naturis ſimul unitis, non de altera natura tantùm. Sic Chriſtus eſt perſona: ſic duarum naturarum eſt unio perſonalis: vel, quod idem eſt, duæ naturæ ſunt unitæ perſonaliter: non autem de una tantùm natura dicitur perſonale, quia natura non eſt perſona, nec unionem perſonalem per ſe ſola conſtituit. Itaque de humana natura propriè dici non poteſt, quòd ſit ubique perſonaliter; quia natura humana non eſt perſona, ſed unita perſonæ. Vt enim non rectè poteſt dici, humana natura eſt æterna, infinita, incorporea perſonaliter, quòd cū perſona æterna, infinita & incorporea unita eſt: ita etiam non poteſt dici omni-præſens, quia cum perſona omni-præſente unita eſt. Aut ſi rectè dicetur, humanam naturam perſonaliter eſſe ubique, etiam rectè dici poterit, perſonaliter eſſe æternam, infinitam, incorpoream.

Scilicet his aſſentiri, aut ſacramētarius eſſe oportuit Helvetius

Deinde ſic argumentatur Lutherus.

Verbum caro factum eſt.
Verbum eſt ubiq́.
Ergo caro Verbi eſt ubiq́.

In hoc autem argumento ſunt quatuor termini, Verbum carnem factum eſſe, ubiq́ eſſe, & caro Verbi. Nam aliud eſt carnem fieri: aliud, Caro Verbi: quemadmodum aliud eſt perſona, quæ eſt homo: & Humanitas, quâ eſt homo. Sic autem concludere debuit Lutherus: Verbum, quod caro factum eſt, ubique eſt: Hoc non negamus.

Adfert deinde Lutherus etiam aliud eiuſdem monetæ argumentum, quod tale eſt.

Cùm Chriſtus homo ſit ſupernaturaliter una cum Deo perſona: Et extra hunc hominem nullus ſit Deus:

Sequitur, quòd ſupernaturaliter eſſe poſſit, ubicunq; eſt Deus, ac per hoc omnia intus & extra ſunt Chriſti, etiam ſecundùm humanitatem, non quidem priore incomprehenſibili, ſed divino & ſupernaturali modo.

Fundamentum. 2.

SECVNDVM *fundamentum Lutheri eſt,* quòd Dextera Dei ſit ubique. *Ejus rationem hac forma ex Luthero contra Heidelbergenſes recenſet Schmidlinus.*

Dextera Dei eſt ubiq́.
At Chriſtus ſecundùm humanitatem ſedet ad Dexteram Dei.
Ergo ſecundùm modum ſeſſionis ad Dexteram omnipræſens eſt humanitate ſuâ: & per conſequens eſt etiam in pane Euchariſtiæ.

1528.

Negatur conſequentia, quia ſunt quatuor termini, Dextera Dei; ubique eſſe, humana natura, & ſedere ad dexteram Dei: *Nullaque eſt Minoris ad Maiorem connexio. In Minore enim nulla eſt vera ſubſumtio in medio concludendi, ſed duo diverſi à majore propoſitione termini ponuntur: quia aliud eſt*, eſſe dexteram Dei, *& aliud*, Sedere ad dexteram Dei. *Sic autem ſubſumendū erat:* Humana natura eſt dextera Dei: *quod falſum eſt. Et, ſi huic Syllogiſmo in hac quatuor terminorum inordinatâ confuſione locus eſſe debeat, quiduis hoc modo de humana Chriſti natura concludi poſſet: nimirum, quòd corpus Chriſti, ſeu humana ejus natura ſit increata, incorporea, æterna & creatrix univerſorum: Nam hæc omnia dexteræ Dei competunt. Sedet autem humana natura ad dexteram Dei. Ergo eſt increata, &c.*

Quod ſi Lutheri argumentum ſic formetur:

Quidquid ſedet ad dexteram Dei eſt ubique: quia Dextera Dei ubiq́ eſt.
Sed humana natura, vel Chriſtum ſecundùm humanam naturam tantùm, ſedet ad dexteram Dei.
Ergo humana natura, vel Chriſtus ſecundùm humanam naturam eſt ubiq́.

Tunc vitium eſt in materia. Confunditur enim proprietas cum officio perſonæ: Nam Vbiquitas eſt proprietas Deitatis: Seſſio ad dexteram eſt nomen officii, quod perſonæ ſecundùm utramq́ naturam competit.

Denique hoc Lutheri fundamentum frivolum eſt, & alienum prorſus ad præſentis cauſæ probationem. Nam ſi à perſonali unione & communicatione Idiomatum pendet Vbiquitas corporis Chriſti, vel ſi humana Chriſti natura ubique eſt propter perſonalem unionem: Non igitur propter Seſſionem eius ad dexteram Dei, quæ longè pòſt ſecuta eſt: Hoc eſt, Si unio perſonalis eſt cauſa Vbiquitatis, Seſſio ad dexteram cauſa eſſe non poteſt: proindeque fruſtra adhibetur. Aut ſi Seſſio ad dexteram cauſa eſt Vbiquitatis, unio perſonalis, quæ longè præceſſit, cauſa eſſe, dicique non poteſt. Vnde nec Scholaſtici, ad quos tamen ſubinde provocat Lutherus, ullam Vbique præſentiam humanitatis vel corporis Chriſti, à Dextera Dei Vbiquitate intellexerunt, ſed eam ſimpliciter & conſtanter reiecerunt.

Fundamentum. 3.

TERTIVM *Lutheri fundamentum eſt,* Quòd Verbum Dei verum ſit, non mendacium. *In hoc fundamento ad veritatem verbo-*

1528. *rum Cœna Dominica*, Hoc est corpus meum, *provocat Lutherus. Priusquam autem de veritate verborũ Christi quæratur, ante omnia de proprio & genuino sensu ipsorum constare oportet. Verbum enim Dei si aliter intelligatur, quàm ipse voluit, Verbum Dei esse desinit. Vnde Hieronymus etiam in epistolam ad Galatas:* Non putemus, *inquit*, in verbis & Scripturis esse Evangelium, sed in sensu, non in superficie, sed in medulla, non in sermonum foliis, sed in radice rationis.

Sic autem ex verbis Christi argumentatur Lutherus tum in hac Confessione, tum alibi sæpe.

Christus dixit: Hoc est corpus meum:

Ergo corpus Christi realiter & corporaliter præsens adest, & ore corporaliter manducatur in pane Cœnæ.

Negatur consequentia; intelligunt enim omnes non omni prorsus sensu destituti, neque verbis, neque sensu easdem seu æquipollentes locutiones esse, sed prorsus diversissimas; Hoc, id *est, panis, quem fregi & dedi vobis, est corpus meum, quod pro vobis traditur. Et, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, quod invisibiliter in, vel cum, vel sub pane est. Nisi igitur ostendatur, & verbis, & sensu verborum Christi hanc consequentiam contineri, nulla est ad veritatem verborum Cœnæ Domini à Luthero facta provocatio.*

Hanc autem consequentiam non solùm verba Cœnæ Dominicæ ex se non gignunt, sed nec contextus eorum, & ordo eam admittit. Hoc enim ut series actionis Cœnæ ostendit, accipere & manducare jussit Christus, quod ipse in manus accepit, benedixit, fregit, & dedit, panem videlicet. Quemadmodum igitur is non accepit in manus corpus suum, nec benedixit, nec fregit, nec dedit, quasi jam sub pane realiter contentum, sic quoque non jussit hoc sub pane accipere & oraliter manducare. Et quamvis hunc panem sic in manus acceptum, benedictum, fractum, & discipulis, ut eum manducarent, datum, corpus suum, quod in mortem pro eis traderetur, esse dixit, tamen ex eo non sequitur, hoc corpus realiter, & invisibiliter in pane adesse & contineri, atque sic unà cum pane oraliter manducari.

Deinde, quæ Marcus de Calice scribit, superiori consequentiæ Lutheri planè adversantur. Sic enim ait: Et accepto calice, cùm gratias egisset, dedit illis, & biberunt ex eo Omnes, & dixit: Hoc est sanguis meus Novi Testamenti, qui pro multis effunditur. Amen dico vobis, non bibam posthac de fructu vitis. *Cùm itaque ex hoc ordine actionis Dominicæ Cœnæ, sicut eam describit Marcus, constet, quod iam priùs è calice biberunt Apostoli,* id quod mox in sequentibus verbis fructum *vitis vocat Christus; antequam diceret:* Hoc est sanguis meus Novi Testamenti: *unde Cyprianus & Chrysostomus colligunt, vinum fuisse, quod biberunt Apostoli, & sanguinem esse Christus dixit: hinc manifestissimum fit, hunc verborum Christi sensum, quo sanguis iam realiter sub vino extitisse & corporaliter unà cum vino ab Apostolis bibitum esse fingitur, planè esse commentitium, nec cum ordine Institutionis & actionis Dominicæ Cœnæ consistere posse.*

Sunt verò & alia plurima, & quidem omnium gravissima causæ & rationes, cur ista Lutheri consequentia, pro sensu verborum Christi, non concedatur: quas videre licet in Orthodoxo Consensu fol. 162. cum seq. Vbi è contra nulla vel Scripturæ authoritas, vel urgens ratio afferri potest, cur ideo, quod fractus à Christo panis, quem discipulis manducandum dedit, corpus ipsius in mortem traditum esse dicitur, necessariò sequatur, hæc ita intelligi oportere; Corpus Christi invisibili existentia realiter & corporaliter est & continetur in pane.

Fundamentum hoc tertiũ duo priora evertit.

Est autem & hoc loco notandum, quòd tertium hoc fundamentum Lutheri, si in eo corporalis in pane præsentiæ causa constitui debeat; priora illa duo fundamenta, ut quæ in immensum cum hoc Tertio contrarietatem incurrant, penitus destruant & evertant. Nam si vera & propria corporalis præsentiæ causa est, juxta τὸ ῥητὸν *instituta corporis Christi in pane Dominicæ Cœnæ manducatio, ante verba & actionem Cœnæ, ut absens à pane sit corpus Christi, concedi necesse est. Alioquin si jam ante corporaliter præsens sit, non in Christi verbis,* Hoc est corpus meum, *sed in alia causa fundamentum istius præsentiæ ponendum erit. Non enim habet rationem veræ causa, quâ cessante, idem tamen effectus sequi potest. At ab Vnione personali, & Vbiquitate Dexteræ Dei infertur universalis Vbique præsentia in omnibus locis & creaturis, & corpus Christi ante omnem Dominicæ Cœnæ actionem, statuitur præsens, tam in pane, quàm etiam in communicantium ore. Aut igitur, si ab unione personali & Dextera Dei Vbiquitate pendet, & causam habet corporalis illa in pane præsentia, frustra ad eam efficiendam pro fundamento allegantur verba Cœnæ, nec quicquam attinet, de ipsorum proprietate disputationem instituere: Aut si ideo tantùm veritate & efficaciâ suâ causa corpus realiter*

liter est in pane, quia Christus dixit, Hoc est corpus meum; *falsa est illa ab unione personali, & Dextera Dei Vbiquitate facta consequentia.*

QUARTUM *fundamentum suæ doctrinæ de reali præsentia corporis Christi in Cœna, Lutherus in hoc libro scribit esse*, Quòd Deus plures modos sciát & habeat alicubi essendi, & non tantùm localem illum, de quo Suermeri nugentur, quemque Philosophi localem appellent. *Hoc verò quo judicio & sensu scribatur à Luthero, nemo facilè assequi poterit. Deum enim alicubi esse, & localem essendi modum habere, nemo unquam rectè dixit. Rectiùs Augustinus de Trinitate*: Deus, *inquit*, non est alicubi, quia quod alicubi est, loco continetur: quod autem Deus loco continetur corpus est. *Quòd autem Deus plures essendi modos habeat, non facilè ex Scriptura probari poterit: Cùm nò plures, quàm unus, isq; simplicissimus essendi modus, unica illi & simplicissima Dei essentiæ conveniat.*

Fundamentum 4.

Superioribus mox addit Lutherus: Scholastici enim Sophistæ, *ait*, rectè de his rebus loeuti sunt: qui triplicem modum in aliquo loco essendi esse dieunt, Localem, vel Circumscriptivum, Definitivum, & Repletivum.

Post hac Lutherus singulos istos tres modos explicat, & secundùm Definitivum modum corpus Christi in pane Eucharistiæ esse dicit. Quemadmodum enim, *inquit*, consignatus sepulchri Lapis, & elansa ianua immutata manserunt, & tamen simul corpus Christi ibi fuit, ubi lapis & lignum fuerunt. Ita quoque in sacramento corpus & sanguis Christi sunt, ubi panis & vinum sunt, quæ immutata manent.

Iuxta Definitivũ essendi modum Lutherꝰ corpus Christi in pane esse.

Non multò pòst ad primum fundamentum revertitur Lutherus: Et quoniam ex nostræ fidei articulo Christus Deus & Homo est, & duæ naturæ una sunt persona, quæ distrahi nullà ratione potest, hinc colligit, quòd Christus secundùm corporalem & comprehensibilem modum se possit ostendere ubicunque velit; & quòd etiam ultra istum modum possit quoque uti alio incomprehensibili modo. *Vnde tandem infert*, quòd ex ista unitate personæ Dei & Hominis, humanitas Christi supernaturaliter fit & esse possit, ubicunque est Deus, *hoc est*, ubique in omnibus creaturis, & extra omnes creaturas, ut Deus: omnia plena esse Christi, etiam secundùm humanitatem: corpus Christi ubique esse: Esse ubicunque est Deus, esse Deum, *Cujus hanc affert rationem*; Non enim potes, *ait*, Divinitatem ab Humanitate secludere, eamque in aliquem locum seponere, ubi non simul etiam adsit humanitas. Nam per hoc esses personam distracturus, &c.

Pergit deinde Lutherus, & omnes tres istos modos essendi alicubi, quos tamen Scholastici tribus diversissimis rebus accõmodant, uni corpori Christi simul & semel attribuit. Verba eius hæc sunt: Itaque sic unum idemque Christi corpus tres modos alicubi essendi habet: *Primò*, modum istum corporalem & comprehensibilem, sicut hic in terra conversatus est, cùm locum occuparet, secundùm magnitudinem suam: Hoc modo adhuc potest, quando vult, uti, quemadmodum post resurrectionem fecit, & in extremo judicio denuò facturus est, ut 1. ad Thessal. 6. dicitur: Quam apparitionem suis temporibus ostensurus est: & Coloss. 3. Cùm Christus nostra vita se manifestabit. Secundùm istum modum non est in Deo, nec apud Patrem; neque etiam in cœlo, ut insanus Suermerorum spiritus somniat: Quoniam Deus non est corporalis locus, sive spacium. Et huc pertinent isti loci, quos fanaticus ille spiritus adducit. Quomodo mundum Christus relinquat, & eat ad Patrem.

Lutherus tres essendi modos uni corpori Christi tribuit contra Scholasticos.

Secundò, habet incomprehensibilem & spiritualem modum, quo locum non occupat, sed per omnes creaturas penetrat, quocunque volet, sicut meus visus (ut hoc crassum simile adducam) per aërem, lucem, aut aquam penetrat, & locum non occupat: aut quemadmodum sonus per aërem, aquam, vel parietem pervadit, nec etiam loci aliquod occupat spacium. *Item*, Sicut lumen & calor per aërem, aquam, vitrum, crystallum, & similia penetrat, nec locum aliquem occupat; & eiusmodi alia multa. Hoc modo usus fuit, cùm per clausas ianuas ingrederetur. *Item*, In pane & vino Eucharistiæ, &, sicut creditur, quòd ex Virgine Maria sit natus.

Tertiò, habet divinum, & cœlestem modum, quo una cum Deo persona est; secundùm quem certè omnes creaturas ipsi multò magis perspicuas & præsentes esse oportet, quàm secundùm alterum modum: Quoniam si juxta istum modum esse potest in creaturis, & apud creaturas, ut ipsum tamen non sentiant, mensurent, neque comprehendant: Quantò magis secundùm hunc sublimem, & tertium modum, mirabiliter in omnibus creaturis erit ut ipsum non mensurent, neque comprehendant, sed quòd ipse potiùs eas præsentes habeat, mensuret & comprehendat? Nam hoc esse, seu hunc essendi modum corporis

1528. Christi, quo una cum Deo persona est, omnino tam longè atque procul extra omnes creaturas ponere oportet, quàm ipse Deus extra eas est: Et rursus tam altè & propè in omnes creaturas ponere, quàm Deus iu ipsis est. Est enim indivisa persona cum Deo, & ubi Deus est, ibi ipsum quoque esse oportet, aut nostra fides falsa est. Quis autem dicere aut cogitare poterit, Quomodo hæc fiant? Hoc scimus, quòd ita fit, nempe, quòd sic in Deo, extra omnes creaturas, una cum Deo persona sit. Quomodo autem hoc fiat, nescimus. Est enim super naturam & omnem humanæ rationis captum, etiam Angelorum in cœlo, soli verò Deo notum & cognitum. Proinde quia nobis ignotum & tamen verum est, non debemus verba ipsius priùs negare, quàm certò probare possimus, quòd Christi corpus nullo modo esse possit, ubicunque Deus est, & quòd iste modus essendi falsus sit, id quod Suermeri isti probare debent, sed hoc facere non poterunt. An autem Deus adhuc alios modos habeat & sciat, quomodo corpus Christi alicubi sit, non volo per hoc negare, sed tantùm indicare, quàm crassi nostri, bardi & stupidi Suermeri sint, quòd Christi corpori tantùm primum & comprehensibilem modum attribuunt, quamvis & ne hunc quidem probare possint, quod nostro intellectui repugnet. Neque enim ullà ratione negare velim, quòd potentia Dei tantum possit, quòd unum corpus simul & semel in pluribus locis esse queat, etiam corporaliter & comprehensibili modo. Quis enim probabit, hoc Deum non posse? Quis potentiæ ipsius finem vidit? Suermeri quidem ita cogitant, Deus hoc non poterit. At quis ipsorum cogitationibus credet? & quomodo certas facient istas suas cogitationes?

Iudicium de tribus essendi modis uni corpori Christi à Luthero attributis.

Lutherus Scholasticos de tribus essendi modis non sequitur.

Est autem hæc tota huius quarti fundamenti explicatio apud Lutherum plena malè & inconsideratè dictis. Fatetur Lutherus, Sophistias, & Scholasticos, quorum authoritate nititur, de his tribus essendi modis, rectè sensisse & docuisse. Ita sanè: at Lutherus Scholasticorum hac in re sententiam non rectè accommodat & sequitur, sed proprii sui capitis, in contentione natam, totique Christianitati ante ipsum ignotissimam sententiam recenset. Scholastici enim, cùm de tribus istis essendi modis disputant, talem cuique rei modum assignant, qualem essentialis ipsius natura requirit, quæ non pro ratione unius & alterius modi se variat, ut aliter secundùm hunc, & aliter secundùm alium modum se habeat, quemadmodum hoc non rectè præsupponit Lutherus: sed quilibet modus à cuiusque rei naturà & essentiâ existit. Ideoque triplicem illum modum essendi non uni rei attribuunt. Et Circumscriptivum dixerunt, quo corpora sunt in loco. Definitivum, quo spiritus incorporei & finiti sunt in loco, ut Angeli & animæ. Etsi enim non circumscribuntur loci superficie, ut corpora, tamen quia finiti sunt, certis spatiis, finibus & terminis concluduntur & quasi definiuntur. Modum Repletivum dixerunt, quo solus Deus est in loco omnia complens, nusquam contentus, nusquam inclusus aut exclusus, cùm sit infinitus. Lutherus autem hos tres modos uni corpori Christi affingit; in quo errat & à Scholasticorum doctrina recedit. Nam quod Circumscriptum modum attinet, rectè eum corpori Christi tribuit: sed primùm in eo peccat, quòd hunc modum humili duntaxat, non glorioso corpori Christi attribuit. Nam secundùm modum istum, *inquit Lutherus*, comprehensibilem hic in terra versatus est, cùm locum occuparet secundùm magnitudinem suam. Hoc modo adhuc potest, quando vult, uti, sicut post resurrectionem fecit, & in extremo judicio facturus est. Secundùm istum modum non est in Deo, nec apud Patrem, nec in cœlo: quoniam Deus non est spatium & locus. *Hæc Lutherus. Scholastici autem etiam corporibus gloriosis, & in cœlo existentibus, hunc modum attribuunt: Deinde, sicut quantitas, & figura, & dimensio, ita & spatium, quo quantitas illa finitur, & circumscriptio, auferri à corpore glorioso non potest. Secundò errat, quòd corpus Christi secundùm illum modum circumscriptivum in Deo esse negat. Nam si secundùm modum istum corpus Christi non est in Deo, sequitur, Christum, quatenus in utero matris & in his terris circumscriptus & visibilis fuit, separatum fuisse à Deo, & in propria persona substitisse, sicut Nestorius voluit: atque adeò hominem tantùm, non Deum, crucifixum esse, & opus redemptionis peregisse. Deinde, si secundùm modum istum corpus Christi non est in Deo, quomodo hic homo dici potest visibilis & palpabilis; aut quomodo passus esse dici potest? Denique errat Lutherus, & seipsum implicat, quòd testimonia Christi de discessu suo ex hoc mundo, de hoc primo modo intelligi vult.* Nam huc pertinent, *inquit Lutherus*, illi loci, quomodo Christus muudum relinquat & eat ad Patrem. *Si verò secundùm hunc modum Christus ex hoc mundo ad Patrem abiit: cur ergo apud Patrem, & in cœlo secundùm hunc modum Christum esse Lutherus antea negavit? Aut si mundum relinquere & abire ad Patrem, idem esse vult, quod comprehensibilem corporis modum & circumscriptivum rursus deponere, sicut aliqui interpretantur, quo Scripturæ testimonio probare poterunt? Nam ire ad Patrem, non est inuisibilem corpore fieri, sed proficisci in eum locum, in quo Patris gloria*

Hæc tam absurda ipsius ut etiam Kemnitius in istis à Luthero dissentiat in li. de Duabus naturis, &c. fol. 478.

ria & maiestas manifestè refulget, & Filio communis esse declaratur.

De modo Definitivo duo probare Lutherus conatur. Primum, quòd corpus Christi habeat proprietates spirituales, & quòd jam sit invisibile & impalpabile. Deinde quòd sit, aut esse possit in pluribus locis. Primum probat eo quòd dicit, Christum clausum sepulchrum penetrâsse, *Hoc autem non dicit Scriptura: Imò cum Scriptura pugnat, quæ Matth. 28. dicit,* Terræmotum factum esse, & lapidem ab Angelo amotum. *Deinde veritatem resurrectionis Christi hoc valde obscurat. Secundò dicit,* Christum per clausas ianuas ad discipulos ingressum esse. *Sed ne hoc quidem in Scriptura traditur. Ita enim scribunt Evangelistæ:* Cùm clausæ essent ianuæ, eum ingressum esse: *Ideoque tempus quo ingressus est, nempe, cùm ostium clausum esset, nec quisquam aperuisset, non modus ingrediendi indicatur. Adhæc cum Scriptura pugnat hæc opinio de penetratione corporis per clausas januas, Christus enim ingreditur, ut probet discipulis, se verè resurrexisse, & verum corpus habere etiam post resurrectionem: ideoque jubet palpare & videre, eoque docet hæc esse propria corporis, ut palpari & videri queat, quibus sublatis ejus veritas tollatur. Tertiò dicit,* Christum per clausum uterum virginis in lucem prodiisse: *ideoque modum Definitivum illi convenire.* Nam hoc modo, *inquit Lutherus,* usus esse putatur, cùm è virgine natus est.

Alterum, quòd corpus Christi sit, & esse possit simul & eodem tempore in pluribus locis, hoc probat argumento Lutherus, quòd corpus Christi cum aliis corporibus sæpe fuerit simul in uno & eodem loco. *Hoc verò nusquam Scriptura tradit. Nam quod hic de penetratione dimensionum affert, modò iam est refutatum. Vt autem maximè detur penetratio dimensionum, tamen ex eo non sequitur Omnipræsentia corporis. Nam illa penetratio dimensionum competit etiam spiritibus creatis & finitis: Spiritus enim per corpus solidum sine cessiona corporis penetrare possunt, non tamen in diversis locis simul & eodem tempore existunt. Vnde definitivè esse dicuntur, ubicunque sunt, quia ipsorum substantia uno tempore tantùm in uno definito seu terminato spatio, & non simul etiam extra illud in cœlo sunt. Denique si in multis locis existit corpus Christi non est in illis definitivè. Vt enim circumscriptivus, sic etiam Definitivus modus Contradictoriè Omnipræsentiæ repugnat.*

Deinde idem probare vult Lutherus similitudinibus. Per hunc modum, *inquit,* corpus Christi non occupat spatium, sed per omnes creaturas, quò vult, penetrat: sicut lux & sonus per aërem & aquam, absque ulla loci seu spatii occupatione penetrant. *Sed primò hæc similitudo est dissimillima. Nam conferuntur inter se quæ sunt diversorum generum. Nam corpus Christi est substantia corporea: lux autem & sonus qualitates sunt. Deinde non una eademq́; numero lux, non unus idemq́; numero sonus, in multis simul locis est eodem tempore. Nam accidentia & qualitates per se non subsistunt, nec per se numerantur: sed juxta numerum subjectorum distinguuntur: ac numero distinctæ qualitates sunt, quæ sunt in distinctis substantiis. Eædem quidem sunt specie, sed non individuo, seu numero, seu subiecto: quæ verò subjectis differunt, realiter differunt. Sic etiam ad argumentum de voce responderi potest: Vna eademque vox in multis simul locis est: non verò inde, juxta Lutherum, sequitur, ergo corpus Christi in multis simul locis præsens esse potest. Nam specie, non numero, eadem vox est: Tot enim sunt numero voces, quot sunt auditores: licèt ejusdem speciei sint.*

1528.

De tertio & Repletivo essendi modo ita loquitur Lutherus, ut primò quidem dicat, hunc soli Deo competere: Postea verò sui oblitus, istum, quem divinum & cœlestem modum vocat, tribuit corpori Christi, quatenus per hoc una cum Deo persona est. Sed si hoc ita est, an non secundùm duos priores modos corpus Christi ab hac unitate personæ cum Deo exclusum est? Aut si secundùm istos essendi modos non minùs etiam una cum Deo persona est Christi corpus, quorsum hoc ludibriosum de isto tertio essendi modo commentum? sine quo etiam in localis & glorificati corporis natura consistere cum Deo personæ unitas potest. Secundum itaque hunc tertium & planè fictitium modum inexplicabili, ne dicam absurdissimâ, opinionis sententiâ dicit Lutherus; Corpus & humanitatem Christi esse intra & extra omnes creaturas, sicut ipse Deus. Cùm enim una & indivisa persona sit Christus, ubicunque est secundùm Divinitatem, ibi etiam simul est secundùm humanitatem, aut fides nostra falsa est: *Et contra sentientes* bardos, & stupidos & execrandos Suermeros appellat.

Aut corpus & humanitas Christi est ubique: Aut fides Christianorum falsa est juxta Lutherum.

Atque hæc quidem hactenus de tribus essendi modis, juxta quos, cùm Lutherus in hac sua Confessione magna, corpus Christi aliter atq́; aliter alicubi esse dicat, hoc ipso corpus Christi, & verum, naturale & organicum corpus, & simul spiritum, & incorpoream naturam, denique etiam Deum esse, imprudentissimâ absurditate docetur. Quoniam enim omne, quod individuo unum est, semel tantùm, & uno modo hoc est, quod esse dicitur, impossibile est uni corpori Christi tres simul diversos inter se essendi modos tribuere. Omnes igitur, nullo pravo præjudicio fascinatos, fateri oportet, hæc Lutheri ex mero studio contendendi, & affectatâ ignoratione, quæ

1528. *vera ſit humanitatis Chriſti cum Verbo perſonalis vnionis ratio profecta eſſe. Nunc pergemus ad reliqua Confeßionis huius errata, & abſurda, ac manifeſtè falſa.*

Error ſecundus Lutheri in confeßione. M. Tom 3. Ihen. fol. 439.

Dicit igitur Lutherus, Oecolampadium & Zuinglium in expoſitione verborum Chriſti, Hoc eſt corpus meum, diſſentire: *quòd hic*, Eſt, *pro* Significat, *Ille*, Corpus, *pro* Figura corporis *interpretetur: Cùm tamen alibi fateatur, vtramque expoſitionem vnum eundemque ſenſum habere, & ſaltem in verbis differre.*

3. Tom 3. Ihen. fol. 440.

Scribit in hoc libro, ſicut etiam in alio, Quòd verba Chriſti adhuc firma ſtent: ſe ſimpliciter inhærere verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum, &c. & genuinum ac ſimplicem eorum ſenſum retinere: *& tamen ſimul ea ſic interpretatur*, In hoc pane realiter adeſt, & corporali præſentiâ exiſtit, ſeu continetur, Corpus meum: *vt eorum ſenſus ſit, In pane, cum pane, ſub pane vel iuxta panem eſſe corpus Chriſti. Atque hoc modo verba Cœnæ, extra omnem tropum, iuxta τὸ ῥητὸν intelligenda, quibus ſe Chriſtus corporali præſentiâ ad panem alligârit; & quòd corporaliter in pane adeſſe velit, edixerit, ita vt in eo etiam, inueniri & comprehendi velit. Hoc autem verba non ſonant, neque eſt propria hæc ſignificatio eorum. Nihilominus ibidem ſcribere audet*, Textum Cœnæ nos volumus vnicum, ſimplicem, certum & indubitatum retinere in ſingulis verbis, ſyllabis & literis. Hoc cùm non faciant illi (*Zuinglius & Oecolampadius*) liberè pronuntio, eos Diabolum doctorem habere. *Contrà verò, ante motum cum Carolſtadio certamen, ipſe docuit, hæc verba* eſſe verba promiſſionis & fidei, quibus externa Sacramenti ſigna ſint annexa. *Item*: In ſacramento Euchariſtiæ nihil ampliùs inueniri, quàm promiſſionem & fidem. *Vide cap. 7. de Abroganda Miſſa priuata, & alibi.*

4.

Item: verba, Hoc eſt corpus meum; loqui de corpore, quod eſt in pane: *& perinde habendum, ac ſi dixiſſet Chriſtus*, Vbi eſt panis Ibi eſt corpus meum.

5. Tom. 3. Ihen. fol. 440. 441.

Lutheri ſenſum, verborum, Chriſti, dicit, reijcere quidem Zuinglium & Oecolampadium, eumque improbare: Interim ipſos non afferre alium: Quòd manifeſtiſſimè falſum eſt. Verba eius hæc ſunt: Quòd ſi verus aliquis ſpiritus ipſis ineſſet, iam non modò falſum & erroneum ſenſum è medio tolleret, ſed & alium ſibi conſtantem verumque loco illius ſubſtitueret & confirmaret.

6. Tom. 3. Ihen fol. 430.

Regulam etiam quam noſtris ſubinde præſcripſit Lutherus, verbum Subſtantiuum EST, *ſubſtantiuè debere intelligi, in hoc libro repudiat. Et cùm Chriſtus ſubſtantialiter loquitur,* Non ERO in mundo, ME non ſemper habebitis, RELINQVAM mundum, *Ille interpretatur*, Non ero viſibiliter & localiter vobiſcum, Non habebitis me ſemper mortaliter, vel humano & mundano more præſentem. *Atque ita à ſubſtantia tranſilit ad accidens. Eſt igitur hic manifeſtus Lutheri Paralogiſmus*, Pauperes ſemper vobiſcum habebitis, me verò non ſemper habebitis. Pauperes mortales ſunt & mundani. Ergo Chriſtum mortali & mundano more non habebimus. *Neque firmiùs concludit, quàm illud puerile ſophiſma: Quidquid emiſti comediſti. Carnes crudas emiſti. Ergo carnes crudas comediſti. Chriſtus enim ſimpliciter dixit,* Me nõ ſemper habebitis: *& huius ſimilitudinis de Pauperibus nullam facit mentionem. Sermo etiam hic, cùm propter Pauperes murmurarent diſcipuli, non de accidente vel qualitate obortus erat (qualiter nimirum in hoc mundo eſſent Pauperes) ſed ſimplici & abſoluto ſenſu de Pauperibus illud pronuntiatur, quòd nimirum eſſent futuri, non qualiter eſſent futuri in mundo. Simili quoque modo Chriſtus de ſubſtantia ſua eſſentia diſputat.*

7. Tom. 3. Ihen fol. 435. & ſeq.

Allœoſin *Zuinglij calumniatur, reprehendit, exagitat, execratur & damnat. Per Allœoſin autem nihil aliud intellexit Zuinglius, ipſo quoque Luthero teſte, hoc ipſo loco, quàm Idiomatum communicationem, quâ, quod vnius naturæ eſt, alteri tribuitur: & per quam talis vtriuſque naturæ proprietatum in perſonæ vnitate communio eſt, ſicut ipſæ naturæ in perſonali ſubſiſtentia communicant. Sic ab iſto vnionis ſecundùm ſubſiſtentiam modo rectè dicitur, Homo Chriſtus eſt vbique: quia perſona Verbi, quæ propter aſſumtam humanitatem homo eſt, vbique eſt, non quidem humanitatis, ſed diuinæ naturæ, cuius hoc proprium eſt, reſpectu. Tribuitur enim Homini, quod eſt Verbi, quia non alius à Deo Verbo, ſed idem cum Verbo hoc eſt, in Verbi perſona, humanitatem habendo, Homo Chriſtus eſt. Omnes igitur vtriuſque naturæ proprietates, ideo de perſona dicuntur, quia ſicut in vnitate hypoſtaſis vtramque naturam habet, gerit & ſuſtentat perſona Chriſti, ita quoque vtriuſque naturæ proprietates & actiones eadem ſubſiſtentiæ modo in ſe recipit.*

Hanc Idiomatum Communicationem non ſolùm Patres primæ & mediæ ætatis, & cum eis ipſi quoque Scholaſtici conſtanter docuerunt & retinuerunt: ſed ipſe quoque Lutherus ante certaminis feruorem, & poſtea quoque. Sic enim in libello de poſtremis verbis Dauidis: Sicut, *inquit*, ambæ naturæ in vnica perſona coniunguntur, ſic coniunguntur etiam nomina naturarum in vna illa perſona, quod Latini

Com-

Communicationem Idiomatum vel proprietatum appellant. Exempli gratia: Homo Christus dicitur natus ex virgine & crucifixus à Iudæis: Hoc etiam Filio Dei tribui debet, & dici: Deus est natus ex Maria & crucifixus à Iudæis: Deus enim & Homo vna sunt persona, &c. *Item:* Eo ipso momento, quo Diuinitas & humanitas Christi in vnitatem personæ coniungi cœperunt, Homo Filius Mariæ, est & dicitur omnipotens & æternus Deus; per Communicationem Idiomatum, quatenus vna cum Deo Persona, & verus Deus est. *Similia multa reperiuntur apud Lutherum, Concione in Dominicam diem Natali Christi proximam: In Postilla priore, & alibi, vt supra etiam videre licet, vbi de Lutheri orthodoxa doctrina de persona Christi egimus. Hac verò omnia nunc, contendendi & vincendi studio in hac sua Confessione execratur, & damnat. Sic enim scribit:* Quandoquidem Christus Iesus in vna & eadem persona verus Deus & homo est, nusquam in Scripturis altera in hoc natura pro altera sumi solet. Hoc etenim Zuinglius Allœosin vocat, si quid de diuina Christi natura dicitur, quod humanæ duntaxat competit, vel contrà. Vt Lucæ vltimo cap. Nónne oportebat Christum pati, &c. Hoc enim loco miris præstigijs vtens, Christum pro humana duntaxat natura poni demonstrare conatur. Caue tibi, Caue tibi ab hac Allœosi, nam Diaboli larua est. *Rursus:* Nunquam illud tibi credendum vel recipiendum erit, quòd in huiusmodi pronunciatis Tropus iste Allœosis subesse possit, vel quòd alterutra naturarum in Christo vnquam pro altera sumatur. *Item:* Si locum habet Allœosis, vt à Zuinglio docetur, Christum duas personas esse oportebit, vnam diuinam, alteram humanam, quandoquidem loca de Passione Christi, de sola humanitate intelligit. *Idem autem fecit ipse quoque Lutherus; Nam in sua Postilla inquit:* Illud firmâ & constanti fide credendum est, Christum verum Deum esse, & verum hominem. Et interdum quidem tam Scriptura, quàm ipse Christus, tanquam purus homo loquitur, interdum verò, tanquam purus Deus. Huius generis est, cùm apud Ioan. cap. 8. inquit: Priusquam Abraham esset, ego sum. Hoc enim de Diuinitate dictum est. At cùm Ioanni & Iacobo dicit: Sedete ad dexteram meam & ad sinistram meam, non est meum dare: de pura & sola humanitate loquitur. *Deinde tam abest, vt Lutherus calumniatur, quòd hac Allœosi, seu idiomatum communicatione, Christus per diuersas hypostases scindatur; vt eam Veteres contra Nestorium maximè posuerint.*

1528.

Adhæc sic scribit Lutherus: Malus & excellentius est, quòd humanitas in Deo, imò cum Deo vna persona est, quàm quòd in cœlis illa quoque existit. Nónne Deus cœlo sublimior & præstantior est? Atqui Christi humanitas ab vtero matris statim excellentior simul & altior in Deo & coram Deo fuit, quàm vllus Angelorum. Haud dubiè ergo in cœlis quoque excellentior & altiùs sublimata fuit, quàm vllus Angelorum vnquam fuerit. Quod enim in Deo & coram Deo est, illud in cœlis quoque est, quemadmodum Angeli quoque in cœlis esse solent, etiamsi in terris simul sint. *His verbis Lutherus voluit colligere: Vna cum Deo personæ esse maius & excellentius est, quàm in cœlo esse. Atqui humanitas Christi vna cum Filio Dei persona erat. Ergo in cœlis quoque simul erat. Argumentum est à substantia ad accidens. Item, versatur alterum argumentum eius in hoc, quòd omne illud, quod in Deo & coram Deo est, in cœlis etiam esse probet, vt hinc Vbiquitatem carnis Christi euincat.*

Tom. 3. Ihen. fol. 461. 8.

Dicit, Si credam quòd sola humana natura pro me passa sit, Christus vilis nec magni pretij Saluator est, imò ipse quoque alio Saluatore opus habet. *Paulò antè verò disertis verbis testatus est*, etiamsi Diuinitas non patiatur quicquam, humanam tamen in Christo naturam pati.

9. Tom. 3. Ihen. fol. 455.

Zuinglio tribuit, sed falsò, quòd dexteram Dei includat certo loco.

10.

In refutatione huius argumenti Zuinglij, Christus dicit, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: quòd si verò Christi corpus essentialiter & corporaliter in Cœna esse dicimus, iuxta priora verba, Hoc est corpus meum: secundùm posteriora, Quod pro vobis traditur; æquè clara & perspicua, intelligi oportet, Christi corpus eo modo comedendum esse, quo pro nobis traditum est & in cruce pependit: Visibili autem & passibili modo pro nobis traditum, passibiliter quoque & visibiliter erit manducandum: *In huius, inquam argumenti refutatione, hac friuolâ elusione non valere dicit huius Zuinglianæ Dialecticæ consequentiam. Esse enim perinde, ac si quis ita colligat:* corpus Christi aliqualiter, h. e. secundùm eas, quibus in mortem traditum est, proprietates non est in pane Eucharistiæ: Ergo prorsus non est ibi. Sicut, *inquit,* non valet hæc illatio: Rex non sedet ad mensam coronatus. Ergo, Rex simpliciter non sedet ad mensam. *Item:* Scultetus non est in balneo, rubris suis caligis indutus: Ergo, omnino non

11. Tom. 3. Ihen. fol. 450.

1528. non est in balneo. *Hæc verò, si vera dicenda sunt, satis inconcinnè & inconsideratè Lutherus. Quasi verò in hac sacrificij, quod in Dominica Cœna fit, instituta memoria, ita se proprietates corporis Christi, quatenus in mortem traditum est, haberent, ad ipsam veritatem corporis, pro ratione spiritualis cibi & potus, sicut se habet corona ad præsentiam Regis in mensa, & rubra caliga ad Sculteti in balneo præsentiam. Nimis profectò crassæ & irreligiosæ sunt istæ cogitationes, ad ineffabilis mysterij explicationem. Quòd si à veritate corporis Christi modum præsentiæ, quatenus in mortem traditum est, separaueris, eique inuisibilem & impalpabilem realiter sub pane existendi modum affinxeris, eritne hæc caro pro mundi vita data? aut qualis in hoc existentiæ modo, incarnationis & reparatæ salutis, per traditionem in mortem, repræsentatio esse poterit? Hesychius ait:* Nisi Christus fuisset crucifixus, non potuissemus corpus eius manducare: sed nunc manducamus ipsius corpus, quando passionis eius memoriam facimus.

Lib. 1. in Leu.

12\. *Negat etiam actiones Christi diuidendas & separandas esse.* Si enim *inquit*, actiones diuidantur & segregentur à se inuicem, personam quoque scindi & diuidi omnino necessarium est; Cùm nimirùm omnes actiones simul & passiones non naturis, sed personis tribui soleant. Persona enim est, quæ omnia tam agit quàm patitur: & HOC quidem iuxta HANC NATVRAM, aliud verò iuxta ALIAM NATVRAM, quemadmodum hæc eruditos quosuis latere nequaquam possunt. *Nullus autem Theologorum orthodoxorum in ea sententia vnquam fuit, vt actionum diuisionem vel differentiam ipsam naturam quoque diuidere diceret. Imò hæc eorum semper certa & constans fuit sententia, quòd non operationes modò, verùm etiam ipsæ naturæ personam scindere vel diuidere non possint. Alioquin homo quoque vnus & idem duas personas constitueret: altera enim personarum corpus, altera verò ipsa esset anima; Et in Christo tres personas inuenire liceret; vnam quidem Filium Dei, secundam verò animam ipsius quæ creata est, tertiam quoque ipsum corpus. Perinde autem Lutherus hic loqui consueuit, ac si nunquam intellexerit, quænam inter singulare, suppositum, indiuiduum & personam sit differentia. Cùm verò in Postilla sua dicat:* Christi humanitas, quemadmodum alius quoque homo sanctus & naturalis, non omni & quouis tempore quæuis etiam cogitatione assequi, vel eloqui, vel etiam velle, vel intelligere & animaduertere potuit, *&c. manifestè sibi contrarius est, hæc enim de Diuinitate rectè dici non possunt. Imò in his ipsis verbis, quæ modò ex Confessione recensuimus, apertissimè sibi contradicit. Circa principium dicit,* illum personam scindere & diuidere, qui actiones distinguat vel separet: *Circa finem verò,* actiones ipsas disertè segregat ac inter illas distinguit: Nam personam omnia tam pati quàm agere dicit, sed hoc quidem iuxta suam, illud verò iuxta alteram quoque naturam. *Et hoc rectè quidem: Etsi enim vna est Christi persona, ac proinde Christus est vnum agens: tamen cùm ex duabus naturis perfectis & distinctis constet, necesse est esse duo etiam actionum Christi principia, siue duas, licèt non separatas, tamen distinctas duarum distinctarum naturarum ἐνεργείας, ad vnum quoddam ἀποτέλεσμα contendentes.*

13\. *Præterea in hac Confessione,* per prædicationem identicam, panem esse realiter & propriè loquendo corpus Christi, *probare contendit: Hoc est, duas disparatas illas substantias & inter se diuersissimas, sic verbis Cœnæ in vnam substantiam seu massam redigi docet Lutherus, vt vna dicatur esse altera, sicut si quis lignum dicat esse lapidem. Et hoc confirmat inter alia exemplo duarum naturarum, in vnitate personæ Christi, in qua (vt ipse loquitur) vna natura de altera dicatur. At hæc multò rectiùs Scholastici, qui nec ipsas de se naturas in Christo, nec vtramq; naturam, abstracto vocabulo, dici posse de Christo, fatentur: Aliàs concedi oportere, Christum esse in duo. Deinde cùm satis intelligant, disparatas species & substantias de se prædicari verè & propriè nulla ratione posse, nisi propter identitatem hypostasis & subsistentiæ, quod de pane & corpore Christi blasphemum esse statuunt: ideo constanter etiam negant, manente substantiâ panis verè & propriè, per realem corporis Christi præsentiam dici posse,* Hoc est corpus meum: *sed tunc potiùs dicendum,* Hic est corpus meum. *Sic enim scribit Thomas 3. part. summæ, q. 75. art. 2. Est itaque etiam apud ipsos Pontificios, ad quos tamen in hac Confessione prouocare non veretur Lutherus, vera & constanter defensa propositio hæc;* Panis nec est, nec esse potest, simpliciter & propriè loquendo, ipsum corpus Christi. Ista enim propositio, *ait Scotus, Ioan Maioris & Basselis lib. 4. dist. 11. & 12. de possibili* est falsa, cuius de inesse est impossibilis. *Et hanc afferunt rationem;* Sicut impossibilis contradictio est, aliquid, seu idem, esse diuersum & aliud à seipso, ita quoque non minùs impossibile esse, panem propriè & realiter esse ipsum corpus Christi. *Quin & Scholastici hoc ampliùs concedunt,* maiorem in illa superiore propositione inesse proprij sermonis repugnantiam, quàm in illa, Homo est asinus, *nempe,* quia corpus Christi, in vnitate

Tom. 3. Ien. fol. 485. & seq.

tate personæ Verbi, quâ subsistit, & panis vitæ de cœlo est, non magis propriè & realiter de pane Eucharistiæ dici & prædicari possit, quàm Creator de creatura, *Est autem hæc impossibilis, quæ vtrique Propositioni inest, contradictio, quòd panis non verè panis, nec corpus esset corpus, sicut nec homo verè homo, nec asinus esset asinus.*

Duplex igitur Lutheri lapsus est, quo ista sententiæ ipsius confirmatio nititur: Primò, *quòd dicit, in vnitate personæ Christi vnam naturam prædicari de altera. Nam etsi Deus de homine verè & rectè dicatur, & è contra, tamen Deus & Homo non naturæ, sed personæ concreta vocabula sunt, quorum propter hypostasis & subsistentiæ identitatem, mutua de se prædicatio est.* Secundò, *quòd, dum corpus Christi substantialiter cum pane vniri & coniungi docet, aut per hoc vnitatem hypostasis ponit, aut si duas diuersas ponit hypostases, falsò tunc existimet, sic corpus de pane realiter & propriè prædicari posse, sicut in vnitate hypostasis Deus dicitur Homo.*

Tom. 3. Ien. fol. 486.

Cuperem verò audire, quomodo rectè à Luthero dictum explicari possit, quòd in hac Confeßione contra suos Suermeros ostensurus, non esse contra probatam Dialecticam, disparatas res seu species, corpus videlicet Christi & panem, de se mutuò propriè & absque vllius figuræ tropo, prædicari; pro argumento probationis adfert exemplum de hac loquutione, Iste homo est Filius Dei: In ista enim, *ait*, non est necesse, vt humanitas euanescat, aut esse desinat: sicut Pontificij somniant de substantia panis: vel, vt subiectum istius loquutionis de Deo, & non de homine intelligatur: Manet enim humanitas Christi: & tamen Homo & Deus longè maiori diuersitate inter se distant, magisque repugnantia sunt, quàm panis & corpus Christi, Ignis & lignum, Bos & asinus. *Quid obsecro in explicandà & Ecclesijs obtrudenda hac Lutheri sententia verè & constanter responderi poterit? An vnquam pro vero Lutherus defendere potuisset, in hac loquutione*, Iste Homo est Filius Dei, *per subiectum, Iste Homo, non ipsummet Filium Dei, sed assumptæ humanitatis naturam intelligi, sicut hoc ista inconsideratè dicta Lutheri manifestè innuere videntur? An ignorauit aliud esse in Christo hypostasim & personam, quæ est & dicitur Homo, & aliud naturam, quâ est homo? An in superiore ista loquutione, per Subiectum, Homo, non illud, quo Christus homo, sed quod in Christo homo est, hoc est, hypostasis & persona intelligitur? Hæc autem est ipse Filius Dei, assumptam & subsistentem in se habens humanitatem, quâ homo est. Cùm itaque hinc intelligatur, propter eiusdem hypostasis in subiecto & prædicato identitatem, Hominem Christum esse Filium Dei, prædicatione verè identicâ, quâ videlicet idem de se ipso, hoc est, Filius Dei de sua hypostasi, ab altera & assumpta natura appellata, propriè & essentialiter prædicatur, nullo modo, tanquam orthodoxè dictum, admitti, multoque minùs defendi potest, quòd Lutherus, contentionis feruore seductus, scribit, inter Hominem & Deum longè maiorem, in ratione subiecti & prædicati, diuersitatem & repugnantiam esse, quàm inter panem & corpus Christi, & inter Bouem & Asinum. Hoc enim, vt omnes docti testantur, sicut in pane & corpore Christi, in Boue & Asino, velut rerum inter se disparatarum, & repugnantium, & quarum in subiecto & prædicato mutua contradictio est, ita quoque in Homine & Deo, suam cuiusque indicat, necessarioque præsupponit hypostasin & subsistentiam, quod nemo, nisi Nestorianus aliquis, ausus est affirmare & docere.*

Tom. 3. Ien. fol. 485. b.

In hac etiam Confeßione, Lutherus Transubstantiationis figmentum in medio relinquit. Scribit enim, Se hactenus docuisse & adhuc docere, parùm referre, nec magni momenti quæstionem esse, siue quis panem in Eucharistia manere, siue non manere, & transubstantiari credat. *Quid obsecro de Euangelij Doctore absurdius dici potuisset?*

15. Tom. 3. Ien. fol. 487.

Insuper Lutherus in hac ipsa Confeßione serióne, an verò inuidiosè suos pro more exagitaret, tantoque magis abs se abalienaret aduersarios, iudicium penès Lectorem esto, non solùm Nicolaum Papam, propter damnatum Berengarium, quasi re præclarè per hoc christianißimeque gestâ, reliquis Pontificibus omnibus longè præponit: sed & Glossatorem, suosque aduersarios, quos ea propter honorificè scilicet Suermeros *appellat, acerrimè reprehendit, sic inquiens*: Errant igitur Suermeri æquè ac Glossa in iure Canonico, cùm Nicolaum Papam reprehendunt, propterea quòd cocgerit Berengarium ad Confessionem illam, quâ dicit, se premere & atterere dentibus verum Christi corpus, atque vtinam omnes Papæ tam Christianè egissent, ac iste Papa cum Berengario in sua illa Confessione egit. *Est enim omnino hæc Confeßionis huius sententia, vt qui panem istum manducat, mordet & atterit, illud manducare, mordere & dentibus atterere rectè & verè dicatur, quod est ipsum reale & verum Christi corpus. Nam quod pani hac parte accidit, hoc sic rectè tribui posse ait corpori Christi propter sacramentalem vnionem, quam talem esse vult, in qua duæ diuersæ substantiæ, panis & corpus Christi, in vnam nouam eandemque simul coniungantur & redigantur essentiam. Idque vt explicet, & in omni genere sermonis vsitatum esse ostendat Lutherus, adfert exempla loquutionis*

Præfatione ad Syngrãma Sueuicum reijcit hanc Berengarij palinodiam, hic verò eam probat & laudat Lutherus.

1528. *tionis de ſacco & pecunia,ac ſi quis diceret:* Hoc ſunt centum floreni. *Item, de vaſe ſeu canthare & vino, ac ſi quis diceret:* Hoc eſt vinum Rhenenſe: *Item de vitro & aqua, ac ſi quis diceret:* Hoc eſt aqua. *Item, de ferro & igne, ac ſi quis diceret:* Hoc eſt ferrum, hoc eſt ignis: In his omnibus locutionibus, quoniam ſaccus & pecunia, cantharus & vinum: Vitrum & aqua: Ferrum & ignis, quodammodo vna ſunt maſſa, ideo Pronomen, HOC, ſimul ad vtrumque referri: Eodem modo & in verbis Chriſti, Hoc eſt corpus meum, Pronomen HOC, non ſimpliciter de pane, ſed de pane carneo oportere intelligi, *&c. Hacque eſt verborum Lutheri ſententia, in quam Berengarij ſuorumque aduerſariorum odio, & Nicolai Papæ defendendi intempeſtiuè affectato ſtudio prolapſus, nouâ prorſus, & Berengarij aduerſarijs ignotiſſimâ opinione infauſtum alioquin iam ſatis certamen in hac Confeſſione, aliiſque polemicis ſuis & infeſtis ſcriptis infeliciter auxit.*

Panis carneus & ſanguineum vinum Lutheri: Fleiſch brot vnd blůt wein

At verò ſi eadem libertate, quâ hac Lutherus contra Gloſſatorem & Scholaſticos, ſuoſque quos vocat, Suermeros, diſputare ſe dicit, aduersùs etiam ipſum, quomodo ſint vera, ipſique, de qua agitur, rei conſentanea, expendere licet, omnium hîc rectè ſentire cupientium fidem & conſcientiam obteſtamur, an iſta Lutheri non ſint valde ab ipſo quaſtionis, de veri corporis in Sacramento fractione & attritione, ſcopo aliena & remota? Ab exotico enim illo exempla, quibus vtitur, quod attinet, nulla prorſus eorum cum myſticis verbis Chriſti ſimilitudo, & ſermonis conuenientia eſt. Non enim ſicut in myſticis Cœnæ verbis, per Pronomen, Hoc, *panis à Chriſto fractus, demonſtratur, & eſſe dicitur corpus Chriſti in mortem traditum, ſic in profanis iſtis loquutionum exemplis,* Saccus eſt pecunia, Cantharus eſt vinum: *&* vitrum eſt aqua: *Vnde etiam conſequenter, nec eodem modo, quo, dicente Luthero, quod pani, dum frangitur & atteritur, fit & accidit, propter vnionem rectè tribuitur corpori Chriſti: Ita quoque, quod Sacco, quod Canthara, quod vitro fit, ſimiliter tribui poteſt pecunia, vino & aquæ. Quin potiùs longè diſſimilis in hiſce exemplis loquendi & intelligendi ratio eſt. Alioquin ſicut pecunia, vinum & aqua, propriè, quamuis per Synecdochen, cum ſacco, canthara & vitro, quibus continentur, per Pronomen* Hoc, *demonſtrantur, & quod pecunia, dum contrectatur, & vino dum commendatur, & bibitur, & aqua, dum tepeſcit & effunditur, accidit, verè & reipſa, non autem propter Synecdochicam cum ſuo continente comprehenſionem, competit & tribuitur. Sic etiam ex iſta ineptiſſima locutionum ſimilitudine & collatione, corpus Chriſti propriè & reuera frangi, & dentibus atteri fatendum eſſe.*

Deinde quia Lutherus non ipſam corporis Chriſti ſubſtantiam, ſed panem tantùm frangi, & dentibus atteri, hoc autem ob ſacramentalem illam vnionem corpori Chriſti attribui ſentit, ſicut hoc Gloſſator & Scholaſtici de ſpeciebus panis intelligunt, non video quàm multùm ab iis diſſentiat, quos tam vehementer taxat & reprehendit. Vtrique enim corpus Chriſti, in rei veritate nec frangi, nec atteri, quod tamen diſertè & expreſſe Berengariana Confeſſio dicit, ſentiunt. Iſto autem intelligendi modo ſecundùm Patres, corpus Chriſti non modò frangi, & dentibus atteri, ſed & videri, tangi, in ventrem & viſcera traijci, itemque corpora noſtra eo conſtare, nutriri, & augeri, ſacramentali loquutione dici poteſt: quia videlicet hæc in pane fiunt, & pani competunt, quatenus ſacramentaliter eſt & dicitur corpus Chriſti.

Quàm magnum verò opera pretium, in defendenda hoc modo Nicolai Papæ Berengario praſcripta & extorta Confeſſione, fecerit Lutherus, vel inde æſtimari ab ijs, quibus veritas magis quàm perſonæ reſpectus aut dignitas curæ eſt, non difficulter poteſt, quòd iſta ſuperior Lutheri explicatio, quam Berengarianæ confeſſioni, contra expreſſa ipſius verba, authoriſque mentem affingere conatus fuit, à Guitmundo velut multò nequior & deterior hæreſis, quàm Berengarij, proque impia corporis Chriſti impanatione ſit exploſa & anathematizata. Quæ, cùm ita de Lutheri ſententia iudicent iſti, quorum ille tam ſtrenuum ſe facit defenſorem, nihilo certè felicius hæc temerè affectata defenſio, quàm Nicolao Papæ, & Romano Concilio, Berengario propoſita confeſſio ceſſit. Si quis tamen hac parte Lutherum, ad vexandos præcipuè adverſarios, ingenio ſuo indulſiſſe, conijcere volet, non admodum fortaſſis aberrabit. Nam idem ſe longè aliter ex Sueuorum Syngrammate ſentire, Præfatione ſuâ diſertè profitetur. Sic enim iſti ſcribunt, quæ Lutherus approbans, ſua facit. Non, *inquiunt*, ita edimus corpus Chriſti, vt hoc frangamus & atteramus, ſicut eſt in Palinodia Berengarij, ſed panem ipſum, quà panis eſt, tractamus, frangimus, edimus, & dentibus atterimus: Corpus autem accipimus, quà verbum hoc accipimus, Hoc eſt corpus meum: vt pulcherrimè quidam dixit: Quod edimus intrat ventrem, quod credimus, intrat mentem.

Eſt etiam de hoc monendus Lector, hanc de corporis Chriſti in Sacramento fractione & attritione irreligioſam valdè quaſtionem, tam ab ipſis Scholaſticis, Berengariana iſtius palinodia occaſione, quàm etiam à Luthero, pro eo

contra

contra Glossatorem & Scholasticos euenda, frustra omnino & sine causa motam fuisse. Nam quod Christus accepit, fregit & dedit, dicens: Accipite, edite, Hoc est corpus meum; *sicut non aliud, quàm panem acceptum, ita & fractum, atque etiam externo manducationis Cœnæ ritu datum esse, ex hac indiuisa sermonis continentia, eo, quo prima Cœna à Christo instituta & peracta fuit, ordine, intelligi debet & oportet. Et sic Paulus*, Panis est communio corporis Christi, *& de eo, quod acceptum & fractum dedit Christus, inquit:* Quotiescunque manducaueritis hunc panem, mortem Domini annunciate, donec veniat. *Istud autem, quod verba Christi sic refert:* Hoc est corpus meum, quod pro vobis frangitur, *non ad ipsam sacramentalis panis, sed ipsiusmet veri corporis Christi, quod de fracto sacramentali seu Eucharistiæ pane prædicatur, fractionem, Metaphorico sensu, propter grauissimos & absurdissimos cruciatus, quibus distortum & laceratum in mortem traditum fuit, intelligendum est. Huiusmodi fractionis in ipso Christi corpore sacrum symbolum & mysterium est illa sacramentalis panis inscitissimo errore ad Christi corpus accommodata fractio. Cùm itaque non alius verborum Christi sensus, neque alia etiam virtus aut promissio eorum possit esse nunc, quàm fuerit in prima Cœna institutione: atque tunc panem acceptum, fractum, & ad manducandum datum fuisse constet, antequam de eo Christus, in quem finem & vsum ab eo daretur, diceret: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Certè manifesta & pudenda verborum Christi deprauatione nituntur, qui propterea, quòd hodie ex consueto sacræ Synaxis more, verba institutionis, non in ipsa simul communionis actione, sicut in prima Cœna, sed antequam ea, de quibus suo ordine loquuntur, fiant, recitantur, cùm ad exemplum imitationis Christi panis frangitur, & ad manducandum porrigitur, ipsum per hoc Christi corpus frangi, & dentibus atteri, omnium vanissimè & insanissimè comminiscuntur.*

16. *Adhac, cùm Lutherus post susceptum cum Carolostadio certamen, Pauli loco 1. Cor. 10.* Vnus panis, vnum corpus multi sumus, quotquot de vno pane participamus: *se grauior ab Oecolampadio premi & vrgeri sentiret, Pauli verba eorumque genuinum sensum in hac sua Confessione periculosè mutauit & inuertit. Nam cùm se Oecolampadio respondere non posse intelligeret, potiùs quàm à contentione discederet, sic argumentum ex isto loco Pauli adductum, inuertere & contorquere conatus est, parte 2. huius Confessionis magnæ.* Verba, *inquit*, Pauli, Vnus panis est, de vno illo inter omnes distributo Eucharistiæ pane loquuntur: Et verba, Vnum corpus multi sumus, quotquot de eodem pane participamus: non de vno fidelium Christi corpore, sed simpliciter de vno quodam corpore, hoc est, eorum, qui de vno isto pane participant, cœtu & multitudine cuiusdam vniuersitate accipienda sunt. *Atque ex his, Oecolampadio & Zuinglio dogma ipsorum, in non rectè intelligendis hisce Pauli verbis obijciens, sic tandem inuersa argumenti ratione infert Lutherus:* Quoniam igitur, *inquit*, ista Pauli verba non de mystico fidelium vno, sed de illo externè inter omnes distributo Eucharistiæ pane, & de communi quodam piorum & impiorum cœtu, qui externâ & corporali sumtione de vno isto pane participant, loquuntur, consequitur, & fateri necesse est, quòd panis, qui frangitur, à Paulo etiam corporalis & externa corporis Christi communicatio & distributio, quam cœtus iste, velut vnum corpus, participat, esse dicatur, & non spiritualis sanctorum cum Christo communio & societas. *Quæ cùm sic infert Lutherus, non solùm in Oecolampadio & Zuinglio orthodoxum totius Ecclesiæ consensum, sed & semetipsum imprudenter reprehendit atque condemnat. Nam in Postilla magna Serm. de participatione Sacramenti, de Sacramento & Fraternitatibus hæc Pauli verba, non de reali & externa sub pane corporis Christi distributione, vt in feruore certaminis fecit, sed de spirituali fructu, ipsaque sacramenti efficacia in recto vsu, seu de interna & spirituali illa re, quæ per sacramentum significatur, interpretatus est: quam dicit esse talem κοινωνίαν & communionem cum Christo, quâ fideles ei ita vniuntur & incorporantur, vt passionis & vitæ, omniumque beneficiorum ipsius communionem habeant, ipsique inter se spiritualis & mystici corporis societate inuicem, vt membra, syncera dilectionis vinculo, mutuisque officijs sunt coniuncti. Hos enim duos Sacramenti esse fructus, in quibus spiritualis manducatio consistit, quos Paulus his verbis explicare voluerit, cùm ait:* Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? *Item:* Vnus panis, vnum corpus multi sumus: Omnes enim de vno pane participamus. Hæc, *inquit*, spiritualis & interna sacramenti significatio est. Atque sic sacramentum in pane & vino accipere, nihil aliud est, quàm certum signum accipere huius communionis & incorporationis cum Christo, & omnibus eius sanctis & fidelibus. Quemadmodum si ciui alicui daretur signum, chirographum vel symbolum aliquod, quo certus & persuasus esse deberet, se in ciuem receptum, vt membrum ciuitatis omniumque eorum, quæ in iure ipsius sunt consors atque particeps sit, de quo Paulus ad 1. Cor. 10. loquitur: Omnes vnus panis, & vnum corpus sumus, 1528.

1528. qui de uno pane participamus. Hęc spiritualis communio, in sacramento Cœnæ, velut in facto aliquo & certo signo nobis promittitur, donatur & addicitur. Expedit enim & necesse est, quòd hæc communio cum Christo, omnibusque sanctis, in ipsomet Christo, arcanè, invisibiliter & spiritualiter fiat, & quòd tantùm corporale, visibile, & externum ipsius signum nobis exhibeatur. *Rursus:* Quòd Christus & Ecclesia una sunt caro, est vera illa communio, atque istius sacramenti significatio. *Hac fusiùs explicans Lutherus in Sermon. de Excommunicatione:* Sicut in sacramento duo sunt, *inquit*, signum videlicet, & hoc quod significatur: Ita quoque duplex est communio: quarum prior interna, spiritualis & invisibilis est, quæ fit & recipitur in corde, quando quis rectâ fide, dilectione & spe incorporatur in communionem Christi & sanctorum, qualis significatur & exhibetur in sacramento, estque ipsa sacramenti virtus & operatio. Hanc autem communionem necesse est tantùm ab ipso Deo per Spiritum sanctum in corda fidelium distribui, in rectâ fide sacramenti. Altera & posterior communio est externa, corporalis & visibilis, quę fit ipsâ participatione sacramenti, eaque est signum prioris illius internæ & spiritualis communicationis. *Verba etiam hac Pauli in prima Novi Testamenti editione aliter transtulit, quàm nunc intelligat. Atq; hac sic olim multò aliter & rectiùs, quàm postea in certamine interpretatus est Lutherus.*

Hac autem, qua hactenus ex Confessione majore Lutheri adduximus, & alia similia multa, illa ipsa sunt, qua pro Verbo Dei, & solido vera de Eucharistia doctrina fundamento, sub nomine & authoritate Ordinum Augustana Confessionis, canonizavit postea CONCORDIA *Bergensis.*

Zuinglius ad Lutheri magnam Confessionem respons.

Sed ipsemet Zuinglius ad hanc Lutheri Confessionem maiorem prolixè & solidè respondit, & hanc suam Responsionem Ioanni Electori Saxonia & Philippo Landgravio Hassia dedicavit. Sic autem in hac dedicatione inter alia scribit: Confessio Martini Lutheri, quâ modestiâ, quâ æquitate, quo denique veritatis patrocinio, quo etiam spiritu, quamque Christianè conscripta sit, Dei simul & omnium fidelium judicio discutiendum permittimus. Atqui citra Dei providentiam & ordinationem liber hic in publicum nequaquam exivit. Haud dubiè ergo boni quiddam per hunc efficere vult Dominus. Vnde non parùm consolationis, fortitudinis & fiduciæ nobis propter hunc librum accessit, cùm videlicet non ex verbis modò, quæ non alia arma, quibus se defendat, quàm convitia, probra, & immites increpationes continent, verùm etiam ex ipsis sententiis, & violenta Scripturarum tractatione, ipsum non aliquo fundamento verè solido inniti, videre liceat. Tot enim sententias absurdas & imbecilles in medium adducit, quibus hoc illud ædificium suum superstruit, ut si hæ veræ essent & infallibiles, omnis Dei cognitio obscurior redderetur, omnis Scripturarum authoritas in dubium vocaretur, quin ipse quoque universam suam doctrinam expugnaret simul & prosterneret. *Item:* Liber Lutheri dissipato cuidam exercitui quàm simillimus est, in quo hi quidem huc illuc, alii verò aliò contendentes variis clamoribus tumultuantur, & immanes minas magno ore evomunt. Divinâ equidem gratiâ favente cernetis Principes luce clariùs, Lutherum hoc suo libro non pristinam modò doctrinam suam, quam antè tradidit, oppugnare & refellere, verùm etiam quòd in hoc ipso sibi ubique contrarius est. Quapropter aliter de eo iudicare non possum, quàm quòd idem illi contingat, quod ei qui vel pecuniam vel aliud quiddam amissum noctu nullo accenso lumine quæritat. Vt enim is hinc inde temerè manus mittit ac palpat, si quid fortè invenire possit: Sic Lutherus quoq; hinc inde actus temerè quiduis arripit, si fortè aliquid sese offerat, quod ipsum iuvet: & mox sui quodammodo oblitus, vel quod modò negavit, affirmat, vel quod modò ab ipso affirmatum vel cõcessum est: denuò pernegat. Præterea non pristinam modò doctrinam suam suspectam facit: sed etiam Pontificiis commodissimam occasionem præbet, quâ ipsam summis convitiis impetere & damnare possint: cùm nimirum in præsenti hoc argumẽto vel controversia, in qua necessario de utraque in Christo natura, divina nimirum & humana, aliquid ipsi dicendum est, ad eos duntaxat libros, quos intra quatuor aut quinque ab hinc annos conscripsit, Lectorem relegat. Quis enim his vel lectis vel auditis nõ dicturus est: Quòd si alios annos quinque expectaverimus, haud dubiè his elapsis illos quoque libros, quos intra annos hosce quinque elapsos conscripsit, in dubium vocabit? Atqui hoc illud est, quod plùs nobis dolet, quàm omnis illa maledicẽtia, quâ dirissima quæq; in uos eiaculatus est. *Rursus:* Ea nobis obtrudit Lutherus, quæ à nobis nunquam tradita sunt: & quæ docuimus semper, nos nunquam docuisse clamat. *Iterum:* Lutherus in hoc totus est, ut prohibeat, ne doctrina nostra usquam legatur, quin potiùs priusquã cognosci possit, damnetur undiq;.

Ordo Responsionis Zuinglii ad Lutheri Confessionem majorem.

De ordine autem & dispositione hujus libri sui sic ibidem scribit: Quandoquidem Lutherus magna cum ἀταξίᾳ & inordinata congerie omnia sua confudit & permiscuit, simulque ea etiam, quæ nos in prioribus scriptis

scriptis nostris legitimo ordine digesta concinnavimus, juxta sui ingenii sensum scidit & secuit, sic tamen ut nusquam non erroris aliquid aspferserit: Primò omnium ad librum ipsius, summâ, quâ fieri potest, brevitate respondebimus. Deinde, si quid in confutatione errorum suorum minùs explicatum est, illud ipsum in secunda parte dilucidè magis exponemus simul & confirmabimus. Postremò, quicquid ab illo in hac suæ fidei Confessione perperam effusum & traditum est, evidentissimè demonstrare volo. Hæc autem omnia non aliunde quàm ex Dei Verbo desumentur.

Oecolampad. etiã respondet ad Lutheri Confess. maiorem.

Opposuit etiam huic Lutheri Confessioni Responsionem *gravem Oecolampadius, à Luthero provocatus. In cujus statim principio, quò faciliùs causa universa intelligi ac percipi possit,* Illud disertis verbis palàm confiteor, *inquit*, & non inuitus agnosco, quòd hæc Christi verba, quæ apud Evangelistas extant, HOC EST CORPVS MEVM, eo sensu interpretatus sim, ut Christum illud significare voluisse intelligam: Hoc est signum vel significatio corporis mei: cum nimirum sensum secutus, quo vulgò ferè dici consuevit: Panis sacramentum est, vel sacrum signum corporis Christi. Quo sermonis genere (cujus unus & idem omnino sensus fuit) hactenus nemo mortalium offensus est. Hoc enim vero Christi corpori nihil detractum est, quò minùs verum corpus esse credatur: illud verò eidem illi additum est, quod per panem repræsentatum vel significatum sit. Atqui hac ratione panis signum est, verum autem corpus Christi res signata: & quemadmodum panis revera panis simul & signum est, sic etiam verum illud Christi corpus revera corpus verum simul & res signata est.

Oecolãp. in sua Responsione tria tractat.

Hac autem sententia cùm Luthero absurda & aliena visa esset, ideoque eam reprehenderet, exagitaret & damnaret, quasi privatæ rationis libidinem secutus Oecolampadius illud doceret, quod non magis cum veritate rei convenire posset, quàm si Christum Belial esse dixisset: Simul etiam sensum hunc nec debere, nec posse recipi clamitaret: Tropum enim planè perversum & in omnibus linguis prorsus inusitatum esse: Oecolampadius hoc libello huic occurrere volens, tria potissimùm in eo tractat. Primò, *Tropum hunc usitatum esse ostendit.* Secundò, *quòd idem ille in Christi verbis,* HOC EST CORPVS MEVM, *necessariò adhiberi & usurpari debeat, docet.* Tertiò, *& postremo loco, quasdam Lutheri obiectiones, quibus in verborum istorum tractatione utitur, solidè refutat.*

Horum duorum exemplum hoc ipso anno secutus Bucerus, eandem Lutheri Confessionem & ipse refutavit, scripto atque edito contra eam Dialogo *eleganti & festivo: in quo duas personas, Sebaldum & Arbogastum, inter se colloquentes introducit. Inter alia autem multa hoc Luthero obiicit, nec injuriâ in eo exagitat,* quòd, cùm Tropum in verbis Cœnæ admittere nollet, ipsemet tamen Synecdochen in illis constitueret. *Atque hi quidem postremi fuerunt libri, qui à Zuinglio, Oecolampadio & Bucero nominatim contra Lutherum scripti sunt.*

1528.

Bucerus Dialogo respondet ad Lutheri Confessionem.

Oecolampad. scribit de Lutheri Confessi ad Melanchthonem Lib. Epist. fol. 3.

Priùs autem quàm Lutheri Confessionem editis scriptis refutarent, sic ad Melanchthonem scripsit Oecolampadius: Furibundi habemur, ac novo verbo Suermeri. Sed vide tu ex paucis illis, quæ sublicimus, & siquidem tanta libertas istic est, ostende illis Primatibus, num motæ à pietate, quæ in Christum, mentis indicia sint. Gloriabimur autem in Domino, ut eximiè quibusdam stulti, nihilominus tamen & gloriabimur, & verè in Christo: Christum Filium Dei & Mariæ passum, & à mortuis rediuiuum, idque nobis in nouitatem vitæ credimus & confitemur: opponentes nos omnibus, quæ illi eminenti cognitioni, etiamsi quibusdam verbum crucis sit, præiudicant. Ab hac petra certi sumus, quòd nullus nos turbo deturbaturus sit. Non habent, quare nos Sacramentorũ hostes vocent, vel Sacramentarios. Elementorum usum quatenus à Christo commendata sunt, non reiicimus. Absit autem ut ab illis sic pendeamus, ne ultra promoveamus, mentalibus oculis beneficia, ac promissionum alimenta non contuentes, & à visibilibus ad invisibilia non pergentes, ob quod sic nos quidam insectantur, si rem spectarent, viderent nos à portentosissimis quibusdã dogmatis abhorrere: Dum alius verbum vel panem substantiat in Deum: alius Christi corpus ubique esse fecit, & ita spirituale, ut ultra pro fratre eum non habere potuerimus: alius manifestam idololatriam docet. In hoc peccâsse traducimur, quòd panem figuram corporis Christi diximus: quod nihil aliud erat, quàm Sacramentum corporis Christi. Et sic quidem Ecclesiastici locuti fuerunt, quòd nos Suermeri Soxonibus sumus, licet τῆς πίστεως ἀναλογία nobis suffragetur, Hæbraismus actio, circumstantia, & nihil non: Vt ausi fuerimus dicere, Hoc est corpus meum, sacramentum vel figura corporis mei. Atqui non disputabo nunc, sed admonebo te, ut videas quidnam monstrorum parturiat, imò quid stabilire cupiat mundus. Legi quædam in Confess. Luthiri, quæ à mea sententia non abludunt: cætera δὶς διὰ πασῶν. Nihil autem optatius foret, quàm simul purè sentire, & uno ore Christum

ſtum prædicare. Siccine noſtris convitiis paſcemos perpetuò ſanctasEcclesias Chriſti? *&c.Zuinglius hoc quoq́ anno in lucẽ emiſit Caſparis Suenkfeldii libellũ,cujus titulus erat:* Inſtitutio, quòd opinio de corporali præſentia Chriſti in pane &c. contraria ſit ſacræ ſcripturæ,fidei,regno Chriſti, honori, & gloriæ divinæ,veræ Chriſti Cœnæ, & illius veræ uſurpationi. *Edidit autẽ libellum hunc Zuinglius, quòd iſ adverſaretur Luthero in doctrina de Sacramento, quodq́ adversùs idololatriam impanationis cum ſua ſententia cõvenıret: Quãquam Suenkfeldius in hoc libello inprimus declarare voluit ſuam ſententiam de Virtute,potẽtia, & gloria carnis Chriſti glorificati, à qua Zuinglius,&Oecolampadius alieni fuerunt.Qua de re poſtea etiam acriter collocuti ſunt, Argentinæ Anno 29. cùm Zuinglius, & Oecolampadius ad Marpurgenſe colloquium proficiſcerentur.*

Brentius ſcribit ſuã Exegeſin in Ioan.

Edidit etiam hoc anno Ioannes Brentius EXEGESIN *ſuam in Evangelium Ioannis: in cujus ſexti capitis expoſitione fusè de Cœna Domini ſcribit:& quidem contra Zuinglium & Oecolampadium ea ſcribere videri voluit: Inde quaedam propterea transſcribere & huc referre libet, non quòd Brentium ab initio Zuinglianam fuiſſe probare velim, ſed ut vel inde omnes intelligant, non fuiſſe à principio corporalem hanc carnis Chriſti in pane præſentiam & manducationem, controverſiæ hujus* POTISSIMUM *apud omnes ſtatam, multoque minùs portentoſam Vbiquitatem tunc illi cognitam fuiſſe. Sic igitur ſcribit inter alia:* Iam ſunt & alii, qui hoc dicto: Caro non prodeſt quicquam, audent è Sacramento Cœnæ Dominicæ carnem & ſanguinem Chriſti tollere, dicentes, Ideo in ſacramento panis non eſſe corpus Chriſti, quia caro comeſa nihil prodeſt. Atqui hoc quidem verum eſt, carnem Chriſti comeſam, quomodo Capernaïtæ intellexerunt, dentibus laceratam, nihil prodeſſe. Prodeſt autem plurimùm, myſterio fidei, dentibus cordis accepta. Nondum tamen conſentaneum eſt, hac de cauſa fidei noſtræ corpus & ſanguinem Chriſti in ſacramento Cœnæ non diſtribui. Ridetur à pueris elementariis, qui ſic argutatur: Chriſtus impiè à Phariſæis tractatus, impietati ipſorum plurimùm obfuit: non eſt igitur in Chriſtum credendum. Quis talem argutatorem ferret? Quantò magis exſibilandus eſt, qui contendit, propterea corpus Chriſti in ſacramento Cœnæ non offerri, nec diſtribui fidei noſtræ, quòd caro nihil proſit dentibus dilacerata, quemadmodum Capernaïtæ intelligebant? *Item:* Quemadmodum per verbum Evangelii credentibus offeruntur & communicantur dona Dei: ita etiam per ſacramenta verbo affixa. Sunt enim ſacramenta hanc ob cauſam verbo adiecta, ut ſint media inſtrumenta, unà cum verbo, quibus credenti dona Dei communicarentur. *Rurſus,* Proinde ſicut in verbo nobis donatur, & fidei noſtræ offertur regeneratio: ita & in Baptiſmo, qui eſt verbi appendix. Vides itaque Baptiſmum non eſſe nudum & vacuum ſignum, ſed tale, quo veritas regenerationis credentibus datur. Proinde Paulus optimo jure ad Titum ſcribens, Baptiſmum vocat Lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus S. ut non ſit ſolùm ſignum veritatis, rei ſignatæ expers, ſed tale, quod præſenter poſſideat rem ſignatam, & quo veritas rei credenti communicatur, non quia aqua ſit, ſed quia verbi regenerantis aqua. Per Baptiſmum igitur donum regenerationis diſtribuitur, homo fide accipit, proinde ſi per infidelitatem donum Dei ſacramento oblatum reſpueris, non incommodabis veritati ſacramenti, ſed tuæ ipſius ſaluti. Explicatâ nunc Baptiſmi ratione, ad Cœnam Dominicam transgrediamur (ſiquidem ab exemplo & ratione Baptiſmi etiam manifeſtum ſit ſacramentum Cœnæ.) Principio autem non importunum reor Lectorem admonere, ut probè conſideret, quæ ſit ſumma noſtræ controverſiæ de ſacramento Cœnæ quæſtio. Non quærimus, an panis ſubſtantia mutetur in corporis Chriſti ſubſtantiam? de his nugis diſputant vani Papiſtæ: nec quærimus, an in pane ita carnaliter corpus Chriſti ſubſiſtat? quemadmodum ratio humana nugaci imaginatione in pane corpuſculum quoddam imaginari ſolet: ſed hoc quærimus, an pane & vino Cœnæ Dominicæ diſtribuantur & donentur fidei noſtræ corpus & ſanguis Chriſti? Hoc ſi comprobatum fuerit, manifeſtum deinde erit, quare panis dicatur verè eſſe corpus Chriſti, non duntaxat ſignificare. Primùm igitur neminem opinor tam deploratæ fidei eſſe, qui eat inficias, corpus & ſanguinem Chriſti eſſe dona noſtra: quòd ſi corpus & ſanguis Chriſti noſtra dona ſunt: Ergo etiam pro ratione donorum diſtribuuntur fidei noſtræ. At dona Dei dantur nobis credentibus, per verbum, & verbi ſacramenta. Proinde ut corpus Chriſti nobis communicatur per verbum, ita etiam communicatur nobis pane Cœnæ per verbum. Nam hæc vera ſacramentorum ratio eſt, quòd non ſint nuda, vana & vacua ſigna, ſed quòd veritas ſignata per ipſa diſtribuatur. Eſt enim homo duplex, internus & externus, ſpiritualis & carnalis. Itaque in ſa-

Margin notes: Non caro, ſed corporalis in pane præſentia & eſus tollitur. Hęc nihil ad ſtatũ quæſtionis, de corporali manducatione. Hęc Brentius ſine adverſario. — Sicut in Baptiſmo regeneratio, ita in Cœna ſe habet cõmunicatio Chriſti. — Nota ſtatum controverſiæ de Cœna. — Corporalis in pane propinquitas, imaginatio carnis. Hoc Sacramentarij non negant.

cramento offertur per verbum interno & ſpirituali homini, ſuum donum, hoc eſt ſpirituale: externo autem ſuum, hoc eſt, externum. Iam ſpiritualis non exaturatur ſignis, ſed rebus, non impletur umbris, ſed veritate. Proinde in ſacramento exhibetur non ſolùm externo homini externum ſignum, ſed etiam interno homini res & veritas ipſa: pulchrâ ſcilicet diſpenſatione, ut externus homo habeat externa cognata, & ſpiritualis interna ſibi convenientia. In ſacramento enim non quæritur cibus duntaxat corporalis, ſed etiam ſpiritualis. At caro & ſanguis Chriſti ſunt verè cibus & potus ſpiritualis: ac ideo ſicut per verbum, ita per ſacramentum fidei noſtræ offeruntur corpus & ſanguis, ut habeat externus homo ſua externa, panem & vinum: Internus verò ſua interna & ſpiritualia, corpus & ſanguinem in myſterio donata: Nam ut Baptiſmus duo habet, Aquam & verbum, corpus in Baptiſmo aquam ſenſibiliter accipit, quâ lavatur, Fides, Verbum, quâ lavatur internus homo: Ita & Cœna Dominica duo habet, panem & vinum, & verbum. Corporis os accipit panem, & vinum ſenſu: præter enim panem & vinum aliud non ſentit. Os fidei accipit ſuo etiam ſenſu corpus & ſanguinem: Ita ut corpus habeat in ſacramento corporalia ſigna, & fides dona ſpiritualia, hoc eſt, rem ipſam & veritatem. Ne itaque fidei, propter quam Dominus ſacramenta dedit, voto non ſatis fiat, omnino neceſſarium eſt, ut per ſacramenta non ſolùm vacua ſigna dentur, ſed etiam rerum veritas, quâ ſola fides contenta ſit. *Et pòſt*: Porrò cùm ſatis manifeſtum ſit, quòd corpus & ſanguis fidei noſtræ diſtribuantur, per panem & vinum Cœnæ, videamus nunc, qua ratione panis dicatur eſſe corpus, & vinum ſanguis, non duntaxat ſignificare & adumbrare. Nam panem non ideo eſſe corpus, quòd mutetur in corpus, ut ſomniant Papiſtæ, aut quòd in pane imaginatione carnali ſubſiſtat corpuſculum quoddam, ut ratio humana admiratur, ſuprà dictum eſt. Reſtat igitur, ut IDEO DICATVR CORPVS CHRISTI ESSE, QVIA PER PANEM FIDEI NOSTRÆ DISTRIBVITVR CORPVS. *Et pòſt*: Non itaque erit unquam admittendus in hac locutione ullus Tropus, per quem auferatur à pane corpus, & à vino ſanguis, ne ſpiritualis homo in Cœna Dominica ſuis ſperatis bonis defraudetur. Proinde ut non erres, exige hanc totam locutionem: Hoc eſt corpus meum: non ad rationis argumenta, non ad illos Tropos, qui tibi auferent à Cœna corpus & ſanguinem Chriſti, ſed ad illos, qui tibi

Externo homini ſignum, interno res ſignata exhibetur.

Ergo impij deſtituti fide non edũt corpus.

Reiicitur Tranſubſtantiatio & conſubſtantiatio

dona Chriſti præſentia relinquunt; ne cogaris à Cœna Domini magis eſuriens in fide tua diſcedere, quàm acceſſeris. Nam ea Cœna potiſſimùm à Chriſto inſtituta eſt, ut ibi fidei negotium agatur, non ventris. Vide autem qui conveniret, ſi fidei ſuum cibum auferres, qui eſt corpus & ſanguis; & interim nihil niſi ventris panem gulæ corporali relinqueres? *Et pòſt*: Quemadmodum Miniſtri Eccleſiæ per verbum Chriſti diſpenſant auditoribus remiſſionem peccatorum, & per verbum credentibus peccata remittunt: Ita per verbum Chriſti diſpenſant in Cœna convivis ſpiritualibus, ſpirituales cibos, qui ſunt corpus & ſanguis Chriſti. *Et infra c.13. Ioh.* Chriſtus in ſua Cœna diſtribuit pane & vino corpus & ſanguinem ſuum, ut fide accipientes tanta dona, habeamus remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Nam venerat Chriſtus in mundum, ut Teſtamento nobis legaret remiſſionem peccatorum & vitam æternam. Iam cùm ſanguis effuſus ſit ad expianda peccata: ut corpus traditum pro mũdi vita, proinde ſummâ animi benevolentiâ, ut peccatorum expiationem & vitam æternam: ita & corpus ac ſanguinem ſuum nobis Teſtamento reliquit, ut in fide manducantes juſtificemur & ſaluemur. *Rurſus cap.6.* Diſtributio donorum, quæ ſunt corpus & ſanguis Chriſti, fit per ſacramenta verbo affixa, & per fidem dona oblata verè recipiuntur: infidelitate verò reſpuuntur, aut in judicium ſumuntur: Neque enim corpus eſt in pane, aut ſanguis in vino, ut ibi carnaliter ſubſiſtat, ſed ut fidei noſtræ ſerviat, & ipſi diſpenſetur. Nec eſt, quòd novum Chriſti adventum in pane imagineris, aut exiſtimes, per hæc verba, Hoc eſt corpus meum: Corpus in panem coniurari. Novus corporis adventus non eſt, nec nova conjuratio, ſed potius revelatio ejus doni, quòd nobis Chriſtus Dominus ex mera miſericordia communicavit. Cæterum ſi infidelis de illo pane edat, & de poculo bibat, reus erit corporis & ſanguinis Domini, & iudicium ſibi edit & bibit, non diiudicans corpus Domini. *Et infra cap.20. in Ioh.* Diſtribuitur in Cœna corpus Chriſti, non carnali charitati, huic enim corpus ex oculis ſubductum eſt, ſed fidei, nec diſtribuitur, ut ibi carnalia, pro carnali deſiderio, ſed ut ſpiritualia, pro ſpirituali cupiditate quæras. Cùm enim corpus & ſanguis diſtribuuntur, eo ipſo diſpenſantur, externo miniſterio, iuſtitia, vita, ſalus, remiſſio peccatorum, atque adeò omnia bona per Chriſti mortem & ſanguinis eius effuſionem parta. *Item*: Panis Cœnæ dicitur eſſe corpus Chriſti, non commutatione panis in corpus, aut imaginatione carnali corpuſculi

1528.

Qualis tropus non admittendus.

Notâ corpus Chriſti nõ diſtribui, ut propter realem in pane exiſtentiam.

1528. pusculi cujusdam sub pane latentis, sed distributione & præsenti exhibitione. Corpus enim Christi pane Cœnæ, per verbum fidei nostræ donatur & distribuitur. Qui autem in Cœna ex EST SIGNIFICAT, aut ex corpore figuram corporis faciunt, præsentem corporis Christi distributionem à Cœna auferunt. Errant igitur vehementer, & in Christi liberalitatem peccant, nisi fortè relinquant in Cœna præsentem corporis distributionem, ut hoc loco coguntur velint nolint præsentem Spiritus S. donationem relinquere. Tunc enim utcunque posset ejusmodi expositio tolerari, nam verum admodum est, corpus per panem significari, at non verum est ita significari, ut corpus præsenter fidei nostræ non distribuatur.

Vide Orthodoxã confessio. fol. 169. *Hæc olim sic Brentius contra profanatores sacramentorum, qui tales si habuit, quales ipse sibi fingit, & non potiùs parùm dextrè & candidè suos intellexit adversarios, rectè & graviter scripsit: Oecolampadium enim ullum verbis Christi affinxisse Tropum, quo vera corporis & sanguinis Christi communicatio, ab instituto & legitimo Cœnæ usu, quæ fide fit, excluderetur, nemo bonâ fide unquam audebit affirmare. Ita enim in Antisyngrammate scribit:* Si corpus Christi & sanguinem dicitis donari pane & vino, sicut Rex literis suis Regnum dat & includit, quo filium donat, placetque vobis manere intra hæc septa, iterum res est plana, & nullâ opus contentione, solisque verbis diffidemus. Qui enim credit, verum habet corpus & verum sanguinem, nam & membrum Christi est incorporatum illi existens, os ex ossibus ejus. *Item:* Christus, Christus est, & corpus, corpus, verùm postulat ratio sermonis, ut in eo lateat Tropus. Nam licèt corpus naturalem significationem retineat, non tamen de disparato subiecto (videlicet de pane) substantialiter dici potest. Vnde dicimus: Petra erat Christus, hoc est, figura Christi, & panis est corpus, id est, figura corporis, & manet nihilominus Christus, Christus, & corpus, corpus: nec propterea negamus corpus Christi esse verum corpus, licèt non dicamus esse in materia panis substantialiter. *Item:* Non est corporalis manducatio, quæ igitur corporalis præsentia, quæ non est nisi propter corporalem manducationem? Etenim, ut absque ambiguitate loquar: si talem facitis præsentiam, qualem suâ certitudine præsentem omnium bonorum sibi pollicetur, habet & gustat fidelis mens, nobis qui credimus, præsentissima sunt corpus & sanguis, cordibus inquam nostris. *Item:* Si corpus Christi in pane esse vultis, ut domus vel potestas ipsius in traditione clavis, quid tantùm verbis contenditur? *Item:* Si corpus accipitis in pane, quà verbum habet, non est hæc illa substantialis prædicatio: quid enim hoc aliud est dicere, quàm in fide manducare corpus, qui unicus manducationis modus est? Cùm dicitis, panem intrare in ventrem, corpus, quod creditur, intrare in animum & mentem: nónne nobiscum sentitis? Atqui hoc non urget, ut in pane sit corpus, quando verè per fidem carnem & sanguinem Christi habemus, citra illam carnalem præsentiam. *Item:* Non hoc modo panis accipit verbum, ut fit vel esse incipiat substantialiter corpus Domini. *Item:* Quòd si quis dicat, edendum in Cœna ipsum corpus, necesse est, ut Tropicam loquutionem collocet in verbo, Comedite: & propterea, quia non est alia, quàm spiritualis ejus manducatio, non decebat definire, Panem esse substantiale corpus. *Item:* Qui fide manducant, iis non tantùm indicatur res signo, sed per fidem obuenit, & obuenit quidem ipsum corpus, non ut in pane præsens sit, sed ut nostrum fit. *Item:* Respondeo non me dixisse, inutilem esse Cœnæ usum, cuius commoda suprà monstravi, sed de carnali præsentia in ea Cœna locutus sum, juxta verbum Domini, Caro nihil prodest quicquam. *Item:* Dicis nos negare Verbum Dei, cuius tuæ sententiæ tota hæc causa est, quia non exponimus vobiscum: Hoc est corpus meum, id est, panis substantialiter est corpus Christi reale.

Oecolampadii sententia

Contrà vulgarẽ calumniam.

Panis ventri, corpus animæ datur.

Ad Theobaldum Billicanũ

Ad Bilibaldum Birckhemerum.

Status controversiæ.

Hæc si quis syncerè, eo, quo scripta sunt, disputationis fine, citra præjudicium intelligat, aut nihil omnino, aut parùm admodum reipsâ Oecolampadium à Brentio dissentire, & nimis apertam calumniam esse deprehendet, lusisse Oecolampadium in vocabulo Corporis, *eoq́; per Tropum à Cœna Domini sublato, inanem figuram substituisse. Non enim in ipsis Cœnæ rebus, seu partibus, hoc est, pane & vino, corpore & sanguine Christi, sed in prædicandi modo Tropum inesse, quo panem figuram veri corporis dici, nec tamen propterea ipsum Christi corpus à Cœna excludi, atque sic ore fidei non accipi, sensit & docuit Oecolampadius.*

Oecolampadius non pro corpore Christi inanem figuram substituit

De

DE
ORIGINE VBIQVITATIS,
seu omnipræsentiæ corporis Christi.

Transsubstantiationis fundamenta.

TRansubstantiationem suam, & causam, modumque eius Pontificij præcipuè ex sola virtute verborum Institutionis deduxerunt, si ab eo, qui Sacerdos consecratus est, ad elementa pronuntientur. Hoc verò nihil aliud est, nec aliter nominari aut haberi potest, quàm magica incantatio. Alterum Transubstantiationis fundamentum est, quòd & particulam ENIM, inter quinque verba magica assumit, quæ & non est in verbo scripto Latini sacrificij, & alienâ linguâ, Latinâ aut Græcâ, vel etiam vernaculâ quacunque ea perperam sacrificus recitat: cùm si in verbis & sono harum est ea transmutandi elementa virtus, non possit ea esse efficacia in alia vlla lingua quàm Syriaca, quâ sola Christus vsus est, vt vernacula sua, & verba eius conficiunt, non sacerdos. Tertium fundamentum corporalis præsentiæ est Pontificiis, quòd affingunt Christo corpus duplex: vnum visibile, quod in cœlum intulit, & ad dexteram Dei collocauit, indeque ad iudicium die nouissima reuersurum est; & alterum inuisibile, quod reliquerit in terris, in pane Sacramenti, quem in corpus iussit abire suum ne ante tempus in terras eum detrahi necesse sit, aut sessio huius ad dexteram Dei in cœlo ei turbetur: & sic saluo vtroque symboli Christiani capite, salua tamen maneat & constet Transubstantiatio. Quod tamen dogma de bicorpore Christo, vnde & à quo in Ecclesiam inuectum sit, aut quando, non reperio. His tribus tanquam columnis, hactenus vltra quingentos annos, iam inde à Berengarij temporibus vsque & vlterius, nititur, insistit & fundatur corporalis corporis Christi in sacra Cœna præsentia, ex falsa interpretatione τοῦ ῥητοῦ, & Transubstantiatione per virtutem magicam verborum, & duplicitate corporis Christi.

Gerson ob infirmitatem fundamentorum Transsubstantiationis à personali vnione ducto argumento corpus Christi in omnibus locis esse

Gerson igitur, qui Academiæ Parisiensis Cancellarius fuit, cùm ante annos ducentos, circa Concilij Constantiensis tempora, intelligeret, quàm futilia hæc essent fulcra & argumenta, & quæ neque ex humana, neque ex diuinæ sapientiæ principijs deduci possent, quamque nihil valerent ad dogma per se absurdum, idololatricum, blasphemum & abominabile probandum, primus pharmacum aliud & nouum contulit, si non σοφὸν, aut σοφώτερον, quod speciosius tamen esset, ad vulgus saltem, quàm cætera, quæ haberent dogmatistæ illi, vniuersa. Hoc scilicet, vt doceret ipse, Christum, quatenus creatura est, & corpus finitum, non posse vno & eodem tempore, in pluribus & diuersis locis esse: à diuina tamen natura, in vnam personam cum ipso vnitam, humanam naturam hanc prærogatiuam accipere, & hanc ei communicari, vt in Cœna saltem sua (& in hac quidem tantùm & sola, in nulla re, generéue vllo, aut tempore alio) simul esset in pluribus, omnibus nimirum Cœnæ suæ locis. Atque ita timidè & verecundè hoc asseruit, ne vel infinitas vel omnipotentia humanæ naturæ tribueretur eiusmodi, quæ humanam naturam prorsus euerteret, & ex homine Deum faceret, & falsum Christum introduceret, atque ita tamen τὸ ἄτρεπτον καὶ ἀσύγχυτον in naturis conseruaretur, secundùm Conciliorum canones. Sic igitur Gerson ex vnione personali realem Idiomatum communicationem introduxit; quod ante ipsum à mille quadringentis annis nemo in Ecclesia Christi docuit; neque de reali communicatione tali quisquam vnquam. Sed in tali hoc pontificio dogmate propriè non est πανταχουσία, seu vbiquitas; sed vt ita dicam, πολλαχουσία πολλαπλασιαστική, vel, vt aliqui appellant, πολυτοπία potiùs, id est, multiplex quædam, & in omnibus Cœnæ per mundum locis, præsentia: esset tamen eis in omnibus locis, si in omnibus locis, in omni lapide, & grano synapis, Cœna haberi posset: sed quia non potest in omnibus peragi, ideo non est eis in omnibus. Sit tamen & appelletur hæc discriminis causa, Pontificia Vbiquitas, quæ propriè non est Vbiquitas, sed in multis locis, & non omnibus, neque vbique Præsentia: neque actu saltem, seu ἐνεργείᾳ δυνάμει tamen, vel πῶς etiam: non ἁπλῶς, neque absoluta Vbiquitas.

1528. docuit vbi Cœna celebratur. Gerson timidè Vbiquitatem corporis Christi docuit.

Nota Gerson ex vnione personali realem idiomatum communicationem introduxit primus; Vbiquitas Pontificia corporis Christi qualis.

Gerson quis & qualis.

Fuit Gerson vir aliàs bonus & doctus, & in cæteris multis nequaquam cum superstitiosis & falsis doctoribus seculi sui faciens, quos etiam hanc ob causam ita à se abalienauit, vt Lutetiâ ei cedere necesse haberet, & concessisse inde Lugdunum dicitur, penè exulans.

Iac. Faber Stapulensis vbiquitatem corporis Christi etiam extra cœnam docuit.

Post Concilium autem Constantiense, annis circiter 150. Iacobus Faber Stapulensis Gallicæ gentis floruit (patria enim fuit eius Stapula, ad Veromanduorum fines) qui Gersontei huius, vt videtur, dogmatis occasione excitatus, quam Gerson ex vnione personali realem idiomatum communicationem in omnibus Cœnæ locis sibi finxit, eam pari ratione, & eâdem operâ, in omnia mundi loca introduci posse indicauit, & potentiam in actum eduxit; quodque in locis Cœnarum omnibus esse posset, etiam in toto mundo, & vbique corpus eius esse posse statuit ex iisdem fundamentis: & quia vbique esset corpus Christi, ideo & in Cœna sua hoc esse, ad quam se peculiariter verbi sui instituto alligârit. Sic enim super Ioan. c. 14. scribit: Vbicunque sanè Christus est, incarnatus est.

1528. Et magna eſt fides, cognoſcere Chriſtum corporaliter eſſe, vbi ſacramentaliter eſt: Sed maior eſt, cognoſcere eum abſolutè eſſe vbique corporaliter. Nam hoc eſt ſine modo cognoſcere, illud cum modo. Fides autem quæ eſt abſque modo, maior eſt, quàm quæ modum habet. *In 1.Corin.*12. Vos eſtis membra Chriſti ex parte, id eſt, pars membrorum Chriſti, non autem omnia membra Chriſti. Non enim Corinthij fideles erant totum corpus Chriſti: imò neque Europa, neque Aſia, neque Africa capax eſt plenitudinis Chriſti, corporis inquam Chriſti, cui corpora noſtra Spiritvali modo vniuntur, & vt ſic dicam, incorporantur, QVOD cœlum implet & terram: eſt enim vbicunque verbum eſt. Nam verbum caro factum eſt. Quare verbum nuſquam eſt ſine carne, neque caro illa ſine verbo. Videte ne corporalis imaginatio vos ludat, loca multiplicans, ſpacia diſtendens. Neque hîc locorum multiplicatio, neque ſpaciorum diſtenſio intelligitur, ſed plenitudo ſine loco, ſupra locum omnem, extra & intra locum omnem, ſine ſpacio, ſupra & infra omne ſpacium. Et corpus Chriſti ſuper ſpirituali illo modo, qui ſine modo eſt, nulli comparabile, nulli proportionabile, ſed corporali modo, quo in terra viſus eſt, & comparabile & proportionabile eſt. Hoc ex aſſumpta infirmitate, & modum, & comparationem & proportionem admittens: Illud autem ex aſſumente natura, modum, comparationem omnemque proportionem diffugiens. Id ratio imaginatione iuſta non attingit, neque rationaliter in ſeipſa manens: verùm abſurda vtrinque loquitur atque effingit. Sed extra ſe euadens ſupernaturaliter ſuperiore mente infuſa virtute, VBI neque loca, neque ſpacia, neque numerus, neque multitudo, neque tempus cogitantur, verè ſentit & loquitur. *Hactenus Stapulenſis. Hæc Fabri Stapulenſis vera eſt Vbiquitas: neque Gerſonica* πολλαχυσία, πολυτοπία, *ſed* πανταχυσία *eſt, quam Vbiquitatem ſeu Omnipræſentiam vocant. Hanc anno Chriſti* 1524. *Pariſijs in Sorbona primus introduxit & docuit Stapulenſis: & accuſante quodam Natali Beda (qui & contra Eraſmum ſcripſit) poſtero anno Domini* 1525. *à Sorbona, propter hoc dogma Vbiquitatis, & realis Idiomatum communicationis, è Gallia relegatus, exulaſſe aliquantiſper dicitur apud Margaretam Nauarræ Reginam.*

Lutherus quoque ad probandam corporis Christi in Cœna præsentiam, à verbis Institutionis depulsus, Vbiquitatem arripuit.

Hos ſequutus eſt Lutherus, qui ab initio prædicati Euangelij, corporalem Chriſti corporis in pane Cœnæ præſentiam, verbis Inſtitutionis, Hoc eſt corpus meum, *aſſeri & obtineri poſſe putauit, ideoque ijs ſolùm contra Zuinglium & Oecolampadium pugnauit, ſed ita, vt in ijs vllum eſſe Tropum pernegaret. Cùm autem ex hoc propugnaculo depulſus eſſet ab aduerſarijs, eo, quòd illi obijceretur, nullam eſſe alicuius dicti interpretationem admittendam, quæ cum confeſſis articulis fidei pugnaret: realem autem præſentiam corporis Chriſti, quæ ex illa ipſius expoſitione neceſſariò conſequeretur, tum veritati carnis Chriſti circumſcriptæ, tum eiuſdem in cælos aſcenſioni, & eiuſdem ex cœlis aduentui, ex diametro repugnare; tunc pro eo quod cedere veritati oportuit, & de ſacramentali ſignorum & rei ſignificatæ coniunctione aliter, quàm de reali eorundem perceptione ſtatuere, contentionis ſtudio, & peccatis noſtris ſic merentibus, vt faciliùs refutare poſſet aduerſariorum argumenta de veritate corporis Chriſti, de aſcenſione in cœlum & reditu ad iudicium, ac tueri corporis Chriſti in Cœna corporalem præſentiam & oralem manducationem: damnatum & relegatum è Gallia Vbiquitatis & realis communicationis Idiomatum dogma Stapulenſe in Eccleſias Saxonicas reduxit:* Ita vt in Sole etiam, & in pane tabernæ piſtoriæ, corpus Chriſti eſſe doceret, non minùs quàm in pane Cœnæ, niſi quòd ibi non vellet apprehendi aut coli, quo ſe non alligaſſet peculiariter verbo ſuo: imò quòd eſſet in fune, ſeu laqueo, quo Iudas ſe ſuſpendetit: *ſicut hoc videre licet in Sermone eius anno* 26. *Witebergæ habito & edito contra ſpiritus virtiginoſos ſeu fanaticos.* Secundò, *Vbiquitatem corporis Chriſti contra aduerſarios ſuos aſſeruit in libro*, Quòd hæc verba Chriſti, Hoc eſt corpus meum, adhuc firma ſtent, *anno* 27. *euulgato, in quo apertè ſcribit*, Corpus Chriſti per clauſas ianuas immotas ac inuiolatas, & per clauſum monumentum penetraſſe facta diſparitione. *Item*: Etiam ante Aſcenſionem in cœlum corpus Chriſti ſimul in cœlo & terra, imò vbique locorum fuiſſe. *Rurſus*, Chriſtum deſcendiſſe è cœlo, & in cœlum aſcendiſſe, non ſecundùm Deitatem, ſed ſecundùm humanitatem *Item*: Chriſtum vbiq; præſentem eſſe eſſentialiter per dexterá Dei, quę vbiq; eſt.

Cùm autem Zuinglius in libro, quem vocat, Orthodoxam & Chriſtianam Reſponſionem *ad Ioannem Principem Saxoniæ, anno* 27. *edito, reſpondens Luthero, negaret corpus Chriſti vbique locorum eſſe: & ſimul oſtenderet, in Scriptura de Chriſto Communicationem Idiomatum obſeruandam eſſe, quam ipſe* Ἀλλοίωσιν *vocat, & ſic definit, vt dicat, eſſe permutationem quandam, & mutuum de vtraque natura, quæ in vna aliqua perſona continetur, ad alteram tranſitum, quo videlicet fieri conſueuit; vt vna quidem nominetur,* inte-

interim verò intelligatur altera: vel vt toto illo, quod vtrique simul competit, posito, altera duntaxat pars significetur: vel, qua altera natura nominata, altera subintelligitur: vel, quâ fit, vt, quod alterius natura proprium est, alteri quoque, ceu mutuò commodetur: Quo modo & antea quoque in libro suo ad Lutherum, quem vocat Amicam Exegesin, *h.e.* Expositionem negotij Eucharistiæ, *definierat, anno quoque 27. in lucem emissam: Tum Lutherus in altero libro, quem* Confessionem magnam *vocat, anno D. 28. Zuinglio respondens, primùm confirmare conatus est suam sententiam, & latius explicuit atque auxit, tum de penetratione corporis Christi per dimensiones, tum etiam de Vbiquitate. Scribit enim,* Quod corpus Christi visibile sit, accidens mutabile esse: Christi corpus per clausum monumentum & per ianuas clausas & immotas atque inuiolatas penetrasse, & ibi sine loco seu illocale fuisse: omnia plena esse Christi; etiam secundùm humanitatem: corpus Christi vbique esse: humanitatem Christi extra omnes creaturas esse in Deo, esse vbicunque est Deus, esse Deum. *Dicit etiam:* Quoniam Christus est Deus & homo, & quoniam humanitas est vna persona cum Deo: nusquam est Christus vbi non sit homo. *Item:* Sine separatione personæ fieri non potest, vt Deus hic sit absque humanitate, & illic cum humanitate. *Item:* Si Deus est & homo vna persona, oportet Christum ibi esse hominem, ubi est Deus. *Item:* Humanitas etsi creatura est, tamen quia sic vnita est Deo, vt cum Deitate sit vna persona, oportet eam esse supra & extra omnes creaturas. *Item:* Oportet eam esse vbi est Deus. *Item:* Humanam naturam esse Deum non essentialiter sed personaliter, & sic esse in omnibus locis vt Deus. *Item:* Cùm de dextera Dei diceremus, quòd oporteat Christi corpus esse vbi est Deus: non ideo oportebat Christi corpus extendi, & tam latè patere vt cœlum & terram. *Item:* Si Christus est vna persona in Deitate & Humanitate: Oportet Humanitatem simul esse in cœlo & in terra, quia in Deo esse, & cum Deo vnam personam esse, plus est, quàm in cœlo & terra esse, &c. *Et sic passim in vtroque libro, ad suam Vbiquitatem defendendam, Abstractum pro Concreto vsurpat, & Humanam naturam seu corpus, pro Homine seu Filio hominis ponit, tantùm vt præsentiam corporis Christi realem in pane Cœnæ obtinere posset.*

Modus præsentiæ corporis Christi in Cœna non est per Vbiquitatem.

PRIMO *autem, modus præsentiæ corporis Christi in Cœna non est per Vbiquitatem, & realem Idiomatum communicationem. Cùm enim Christus sacram Cœnam institueret, & in ea discipulis suis corporis & sanguinis sui* κοινωνίαν *exhiberet; tunc reipsa secundùm corpus localiter erat circumscriptum, infirmum, passioni obnoxium & mortale. Sequitur ergo, corporis Christi Maiestuosam Vbiquitatem non requiri ad veram eius in Cœna præsentiam &* κοινωνίαν *cum fidelibus; cùm sine hac & in prima Cœna verè fuerit hæc discipulis exhibita, & nunc quoque credentibus vere ac salutariter exhibeatur.*

1528.

2. Secundò, *qui dicunt, Christi corpus esse in Cœna per modum Vbiquitatis, manifestè implicant contradictionem. Verum enim corpus Christi suis dimensionibus circumscriptum est & organicum, ex natura & definitione sua; iuxta Dei immutabiliter veracis ordinationem. Vbiquitas verò omnem corpoream dimensionem tollit, & ne tantillum quidem relinquit, quod ad naturam & definitionem humani corporis necessariò pertinet, cuius respectu, Christi corpus ab alio corpore non humano, atque à spiritu etiam & quidem infinitè differre intelligatur. Definitum autem rei alicui tribuere, eidemque simul adimere definitionem, est de vna eademque re, vnum idemque simul affirmare & negare.*

3. Tertiò, *hi verè corrumpunt & profanant sacramentum Cœnæ, & veri corporis* κοινωνίαν *ex ea tollunt, qui articulum fidei de naturali veritate humana in Christo natura conuellunt vel labefactant. Qui verò Vbiquisticam corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiam docent, varijs modis conuellunt, & ex ipsis fundamentis reipsa, licet verbis negent, destruunt articulum fidei de naturali illa veritate humanæ naturæ in Christo. Qui ergo hoc faciunt, veri Sacramentarij & profanatores Cœnæ nominandi sunt.*

4. Quartò, *Si credendum est, Christum secundùm humanam naturam in sacramento esse, quia secundùm eandem vbique sit; nihil plus sacro pani & vino Cœnæ tribuitur, quàm hordeo, auenæ, fœno & alijs vilissimis rebus: Hinc etiam sequitur, si verba illa,* Hoc est corpus meum, *idem declarent, atque* Corpus meum est in, *sub vel cum pane, idque verum sit per modum Vbiquitatis: licere etiam de rebus quibusuis dicere,* Hoc est corpus meum. *Sin verò propter sacramentalem vnionem, quam ipse quoque Lutherus sic nominat, ista locutio vera est, non in rebus omnibus, sed in hoc demum pane & vino, ad quid nobis opus est ista Omnipræsentiâ, cùm sine hac sacramentalis præsentia fundamentum solidè consistat?*

Vbiquitatis dogmate renouantur hæreses.

SECVNDO, *hoc Vbiquitatis dogmate ex inferis reuocantur, & apertè ac multipliciter stabiliuntur sceleratissimæ hæreses, contra salutis*

1528. *lutis ac fidei nostræ fundamentum excitata, nempe Marcianus, Seueri, Photini, Samosateni, Arij, Eunomij, Sabellij, Eutychis, Monothelitarum, Schuenckfeldij & Antitrinitariorum recentium.*

Marcionis doctrina & Manichæi de corpore Christi.

Docuerunt Marcionitæ & Manichæi, *Christum non fuisse vero ac naturali corpore humano præditum, sed speciem tantùm corporis ostentâsse, vt visus solummodo fuerit carnem & ossa habere, cùm in veritate non habuerit. Talem Christum fingit etiam Vbiquitas: Quod enim vbique est, illocale, & propterea incorporeum est.*

Seueri doctrina de Christi corporis proprietatibus.

Seuerus *hæreticus cum suis discipulis, humanæ naturæ substantiam in Christo non quidem negabant, naturales verò proprietates eius absorptas fuisse contendebant: vt corpus quidem per vnionis gratiam euaserit tanquam incorporeum; sine quantitate, lineamentis, specificis proprietatibus & qualitatibus naturalibus, omnique physico veri corporis modo, nisi in quantum extraordinariâ aliquâ dispositione, externam talem figuram, sine rei veritate gesserit. Hæreticam hanc opinionem renouat & confirmat Vbiquitatis figmentum.*

Sabellij & Patripassianorum doctrina.

Sabelliani & Patrispassiani *docuerunt, vnionem consistere in Communicatione proprietatum essentialium Diuinitatis, in quibus solis illa facta sit. Qua ratione non poterit Filius solus magis intelligi & dici incarnatus esse & passus, quàm Pater & Spiritus sanctus: nam vt essentia, sic etiam omnes proprietates essentiales Patri, Filio, & Spiritui sancto, æquè & identicè conueniunt. Hoc autem Sabellianum delirium Vbiquitatis commentum docet.*

Eutychetis doctrina de corpore Christi.

Eutyches *duplicem constituebat confusionem: Ipsius videlicet naturarum substantiæ & proprietatum ipsis naturis inhærentium, vt qui λόγον seu Verbum faceret passibile à conceptione. Corpus vero à resurrectione incircumscriptum, & planè deificatum imaginaretur. Fuit autem hæc Lutheri sententia, cùm primùm Vbiquista factus esset, passionem reuera in ipsam quoque Diuinitatem Christi penetrâsse, vt in vtraque natura verè illam sustinuerit: Christi verò humanitatem, Sessione ad Dei dexteram prorsus incircumscriptam, & reliquis Diuinitatis proprietatibus ornatam fuisse. Vnde ipsarum quoque naturarum confusio, id est, essentialis deificatio humanitatis necessariò sequitur, cùm proprietates in Deo sint ipsissima & simplicissima Deitatis essentia, proindeque ab hac minimè separabiles. Ideoque his realiter communicatis, ipsam queque essentiam æquè communicari necesse sit.*

Monothelitarum doctrina.

Eutychen sequuti sunt Monothelitæ, *qui, sublato Idiomatum discrimine, vnicam tantùm in Christo actionem stabiliebant: quamuis duas distinctas substantias seu naturas Diuinitatis & humanitatis apertè non negarent. Idem quoque sensit & docuit Lutherus in cœnum Vbiquitatis prolapsus, vt supra in erroribus Confessionis eius magnæ indicatum est. Idem quoque faciunt hodie Vbiquistæ: Qui ratione personalis vnionis, vnicam τῦ λόγυ, & hominis assumpti, hoc est, humanæ naturæ, vt ipsi intelligunt, actionem esse sentiunt, humanitate Diuinitati secundum proprietates exæquatâ. Neque tamen propterea, vt ipsi etiam Monothelitæ, ipsas naturarum substantias confundere videri volunt. Eo autem nomine Monothelitæ iustè damnati fuerunt: nam quorum operatio indifferenter vna est, ijs etiam speciei vnitatem seruare oportet.*

Schuenckfeldij de Christi corpore doctrina.

Schuenckfeldius, *qui Eutychianam hæresin patrum nostrorum memoria renouauit, & ipse fatetur quoque etiam in gloria manere humanitatis substantiam in Christo, sed ita Deificatam esse, vt eiusdem sit cum Diuinitate virtutis, potestatis, maiestatis, vt Christus etiam secundùm hanc Deus sit. Perpetuò confundit nomina concreti & abstracti, vt idem ei sit, Homo Christus, & Humanitas Christi. Christum verò secundùm vtramque naturam passum esse contendit, & nisi ipsi etiam Diuinitati passio tribuatur, passionem Christi non esse sufficiens λύτρον pro genere humano, deinde hoc ipso personæ vnitatem solui sentit. Carnis seu corporis Christi Vbiquitatem disertè asserit, locale esse negans. Iactitat, se pro gloria & maiestate hominis Christi pugnare, cuius hostes esse dicit, quicunque non subscribant ipsius paradoxis. Hæc verò omnia ad eundem prorsus modum sentit, docet & defendit Lutherus in libro,* Quòd verba Christi, Hoc est corpus meum, adhuc firma stent, *anno 27. & in* Confessione maiore, *anno 28. quod hodie quoque omnes Vbiquistæ faciunt: Sic vt ouum ouo non tam sit simile, quàm Schuenckfeldij & Vbiquistarum doctrina: vtque nulla prorsus appareat in reipsa, atque etiam in phrasibus diuersitas, & omnino idem sit vtrobique fundamentum.*

Vbiquitas pugnat cum doctrina orthodoxa veteris Ecclesiæ.

Tertio, *dogma Vbiquitatis, quo Christi corpus salua substantia sua veritate fingitur vbique totum cum Diuinitate substantialiter præsens esse, exutum omnibus verè corporis humani proprietatibus, apertissimè pugnat cum perpetuo & vniuersali consensu, fide & confessione totius veteris Ecclesiæ orthodoxæ, & sanguine quoque suo eam obsignantis. Veteres enim disertè ad veritatem corporis à λόγῳ assumpti & glorificati necessariò pertinere docent has proprietates: Esse visibile, palpabile, locale, seu certo loco circumscriptum, vt alibi simul non sit. Neque tantùm affirmant etiam in ipsa gloria omnes illas proprietates humanæ naturæ*

Vide Ambros. Wolfium.

reuera

1528.

de Fundamentis Lutheri doctrina fol. 51. & Thalmannis de persona Christi fol. 25.

ueneri inesse: sed etiam simpliciter citra omnem exceptionem negant, veram carnis naturam esse aut manere, si proprietatibus istis careat. Ignatius ad Smirnen. Eustachius Episcapus Antioch. apud Theodor. Dial. 2. Tertullianus de carne Christi, & contra Praxeam: Nazian. epistola 1. ad Cledon. contra Apollinorem: Cyril. in declarat. Anathematismi 3. August. ad Dardanum, & tract. 30. in Ioh. & lib. de essentia Diuinitatis: Vigil. lib. 4. Fulgent. lib. 2. ad Trasim. & de Incarnat. & gratia c. 11.

Apud omnes similiter orthodoxos Patres hoc Catholicum ἀξίωμα fuit: Nullam prorsus rem creotam siue corpoream, siue incarpoream, out spiritualem, esse aut esse posse, totam & integrom substontialiter præsentem in pluribus simul locis, quàm in vno, sed solam Dei essentiom, & præter hanc omnina nihil. Athan. lib. Quæst. q. 26. Aug. de Ciuit. Dei lib. 22. de Fide ad Petrum cap. 3. contra epistolam Manichæi, & ad Dardanum. Ambrosius lib. de Spiritu sancto.

Vide Thalmannum ibid. folio 30. b.

Purioris Antiquitatis Patribus astipulantur etiam Scholastici: Thomas enim Aquinas eorum antesignanus in lib. 1. Sentent. dist. 37. q. 3. art. 2. & ibidem Bonauenturo, sic scribunt: Corpus Christi, neque in quantum corpus, neque in quantum Diuinitati vnitum est, hoc habet, vt sit in pluribus locis: sed habet hoc ratione Transsubstantiationis, in quantum plures & diuersi panes, qui in ipsum transsubstantiantur, in diuersis sunt locis.

Vbiquitas corporis Christi repugnat articulis Fidei.

QVARTO, *Repugnat hic error articulis Symboli, de Christi concepiione, notiuitate, passione, morte, descensu ad inferos, resurrectione à martuis, ascensione ad cælos, & descensu ad iudicium. Nam articulus de Conceptione, docet, in solius Mariæ vtero corpus Christi fuisse. At si vbique fuit statim ob incarnatione, vt volunt Vbiquistæ, fuit in vteris omnium fæminorum, imà etiam omnium virorum. Articulus de Natiuitote docet, Christi carpus post nanum mensem, ex vtero prodijsse, & sic verè esse notum. Secundùm Vbiquistas autem, ante nonum mensem, imò prima die Canceptianis fuit extra vterum, & post nonum mensem adhuc erat in vtero, nec inde vnquam exijt. Nec valet responsia, quam adferunt, cùm dicunt, Christum verè esse natum, quia cùm fuisset in vtero locoliter spatio nouem mensium, & non alibi, postea esse cæpit localiter extra vterum, & non in vtero. Nam quod verè est vbique, siue localiter, siue olio modo sit, non potest verè & praprie moueri de loco ad locum, sed solùm potest Metaphoricè moueri, id est, apparere vbi non apparebat, licèt ibi esset. Quemadmodum Deus qui vbique verè est, tametsi non localiter moueri potest, sed salùm apparere, & ostendere se, vbi anteo non videbatur esse, quamuis ibi esset. Eodem igitur modo, si corpus Christi ab ipso Conceptione vbique fuit, licèt non localiter fuerit vbique tamen nunquam verè moueri potuit de loco ad locum, & proinde Natiuitas ex vtero, non verus ex vtero egressus, nec vero Natiuitas; sed tantùm apparens, & Metaphorico fuit. Pari ratione destruuntur cæteri articuli. Qui enim semper vbique fuit, non verè potuit in passione transire de loco ad locum: nec potuit in morte separari anima à corpore, ita vt corpus sine anima in sepulchro iaceret, & anima in paradiso esset: nec potuit verè onima in resurrectione ad corpus redire: nec denique corpus eius verè potuit in cælum ascendere, nec poterit verè in nouissimo die de cælo descendere: Sed hæc omnia Metàphoricè exponi debent, sicut cùm de Deo legimus eiusmodi mutationes.*

Vbiquitas corporis Christi refragatur verbo.

QVINTO, *Vbiquitatis commentum refragatur Verbo Dei, quod docet, Aduentum Christi ad iudicium fore cum summa glorio, maiestate & potentia, Matth. 25. & 26. cap. Si Christus igitur cum summa glorio venturus, sedens super thronum maiestatis suæ, nihilominus simul corpore localiter circumscriptus & visibilis erit: sequitur, esse in glorio, sedere per thronum gloriæ Dei, & ad dexteram potentiæ Dei, non tollere corporis localitatem, nec omnipræsentiam eius declarare. Item, loco circumscribi, non esse ignominiæ vel œconomicæ infirmitatis, sed corpori etiam glorificato competere.*

2. Christus post resurrectionem ex visibili & palpabili, ac proinde finita & circumscripta sua naturo, verum illud suum carpus esse colligit, non spiritum.

3. Christus Iohon. 6. carnalem Capernaitorum sensum de corporali carnis suæ esu, grauissimè taxans, opponit suæ in cælum oscensionis veritatem. Hinc apertissimè consequitur, Christum suo in cælum ascensu, sic corpore suo ex hoc inferiore mundo discessisse, vt iuxta eiusdem corporis sui naturam substantialiter in his terris præsens ampliùs non sit. Nam ipsam naturæ absentiam realem, imoginationi de carnali esu Dominus opponit.

4. Absurdè Iohan. 16. institutæ esset à Christo inter præsentiam spiritus & absentiam carnis suæ ἀντίθεσις: Si præsentia spiritus non successisset in locum absentiæ carnis, sed præsentia quædam corporis inuisibilis in locum visibilis præsentiæ successisset.

5. Eadem loco Christus tantùm spirituali præsentiâ, se in cælos sublatum, fidelibus suis in hoc mundo affuturum promittit: Ergo non adest corporaliter. Quòd si præsentia corporalis summa nostra consolatio esset, vt Vbiquistæ docent, eius inprimis Dominus mentionem fecisset, quo

effica-

1528. *efficaciore solatio discipulorum mœrorem sedâsset. Deinde agit ibi Dominus ex professo de modo præsentiæ: ideoque eum sufficienter definitum ab eo fuisse certißimum est. Quomodo igitur id quod præcipuum fuisset prætermitteret? Denique discipuli omnino sentiebant & credebant Christum realiter & substantialiter secundùm carnem à se separatum iri. Consolationis igitur maioris & doctrinæ etiam ratio requirebat expressam & accuratam mentionem inuisibilis præsentiæ corporalis, si modò aliqua fingenda esset, vt de Christi præsentia & absentia rectè sentire discerent, & vera etiam sese consolatione sustentarent.*

6. Actor. 1. Angeli reprehendunt Apostolos corporalis præsentiæ Christi desiderio in cælum intuentes, eosque ob hæc voto ita reuocant, vt disertè fateantur, ipsum hinc sublatum, & cælo receptum esse, ac simul absentia dolorem mitigent: imò prorsus tollant aduentus ad iudicium commemoratione, quam consolationis vice proponunt. Nullam verò vel tenuißimam inuisibilis præsentiæ corporalis mentionem faciunt.

7. Scriptura paßim affirmat, Christum ratione humanitatis, alicubi non fuisse. Ioh.6. Cùm vidisset turba, quòd Iesus non esset ibi. *Ioh.11.* Lazarus mortuus est, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi. *Matth. vltimo,* Non est Hic, surrexit.

SEXTO, *Pugnat Vbiquitatis portentum non tantùm cum Doctrina & sententia Orthodoxorum, sed ipsius quoque Lutheri de Cœna. Nam.*

Primò, *Exhibetur in Cœna Corpus Christi non gloriosum, infinitum, & invisibile: sed crucifixum, &, ut verba sonant, pro nobis in cruce traditum: Id verò fuit, ut adhuc est, naturale, & visibile corpus. Hoc etiam fatetur Lutherus contra cælestes Prophetas, & alibi; nimirum corpus Christi esse in Cœna sicut in cruce fuerit.*

Secundò, *Quæstio est in cœna, de præsentia veri Corporis Christi, unde etiam Patres verbis institutionis Cœnæ Dominicæ probârunt contra Marcionitas, Christum verum, & naturale corpus habere. De hoc verò corpore Sacra Scriptura docet, quòd carnem, & ossa habeat, non autem, quòd sit Spiritus, vel inuisibilis, & supernaturalis substantia, quale corpus Vbiquitistæ in Cœna fingunt esse & reuera corpus non est. Etsi hæc illorum sententia vera esset: Patres ex verbis institutionis veram humanam naturam Christi probare non potuissent.*

Tertiò, *Si corpus Christi ubique esset, in Cœna non magis adesset, quàm in communi pane, pomis, piris, & aliis creaturis; adeoque Cœna Dominica nihil aliud, quàm externum spectaculum esset. Nulla enim in ea fieret dispensatio & exhibitio corporis Christi, siquidem iuxta Vbiquitistas, propter verba Cœnæ nullum corpus in panem venit, sed iam antea secundùm suam maiestatem, in pane, ut etiam in omnibus aliis creaturis est. Quomodo enim corpus Christi in Cœna peculiariter dispensatur, & exhibetur, si iam antea in pane Cœnæ, & in omnibus aliis creaturis est, & si verba Institutionis ad hanc præsentiam nihil faciunt, sicut Vbiquitistæ docent, sed ratione dexteræ Dei, & propter Deitatis proprietates, ipsi communicatas omnia replet & omnibus creaturis præsens est? Ideoque docent etiam, impios, & incredulos verum corpus Christi percipere quoque, quod non facerent utique, si sentirent, Christum propter promißionem suam præsentem esse; ea enim non ad impios, qui membra Diaboli sunt, sed ad vera membra Christi, fideles nempe, qui promißiones eius vera fide recipiunt, pertinet.*

Quartò, *Quum Lutherus docuerit, corpus Christi realiter percipi, os autem hominis non infinitum, ac propterea infiniti corporis quod ubique est, capax non sit, falsa & erronea erit doctrina eius: de orali manducatione corporis Christi, si corpus hoc infinitum, incomprehensibile, & ubique est.*

Quintò, *Lutherani semper docuerunt, thesaurum, & nucleum Cœnæ Dominicæ corpus Christi esse. Hoc autem falsum est, si etiam in omnibus arboribus, & creaturis est, & ab Impiis, atque Epicuræis comeditur, alioquin ipsi etiam thesauri huius participes fierent.*

Lutherus Vbiquitatem reijcit.

Hæc omnia, & similia multa, cùm Lutherus animo suo volueret, & intelligeret non solùm absurditatem, sed etiam falsitatem dogmatis de commentitio Vbiquitate, & reali Idiomatum in Christo communicatione, postquam illud duobus his annis defendisset, eoque contra aduersarios suos pertinacißimè pugnâsset, id, elapso hoc tempore, expressè reiecit, & eo, in negotio Cœnæ non utendum esse palàm confessus est, præsertim cùm Schuenckfeldius per Vbiquitatem corporis Christi, præsentiam corporis eius in Cœna in phantasma Marcioniticum transformaret. Sic enim Tomo 8. Ihenensi Operum suorum fol. 375. Hic, *ait,* incidit quæstio, Quomodo Christus esse possit in Sacramento corporaliter, cùm tamen vnum corpus non possit esse simul & semel in pluribus locis? Ad hoc ego respondeo: Christus dixit, quòd ibi adesse velit: ideo verè est in Sacramento, & quidem corporaliter, & ideo veraciter est ibi, neque debet alia causa istius corporalis præsentiæ quæri quàm hæc tantùm. Verba enim ista sic sonant, idcirco necesse est ista fieri vt sonant.

sonant. Quod autem ad ipsum corpus attinet, potest Christus, quando vult, vbique & in omnibus locis esse, ac ideo alia est ratio ipsius quàm nostri corporis. *Et paulò pòst:* De Vbiquitate, vel in omnibus locis præsentia nun debet disputari. Longè enim alia res est in hac causa. Nam & Scholastici nihil de Vbiquirate loquuntur, sed retinent simplicem intellectum de corporali præsentia corporis Christi. *In his verbis, asserit quidem Lutherus, corporis Christi Vbiquitatem vbicunque vult Christus, sed (vt Papistæ quoque docent) quæ ab ipsius absoluta voluntate ac potentia pendeat, nullâ personalis vnionis mentione factâ. Vult præsentiam corporis in pane ab vnis Institutionis Cœnæ verbis pendere. Non vult prorsus, vt quæstio de Vbiquitate in hac controuersia audiatur.*

Pappus quidem & Hunius hæc verba non esse Lutheri contendunt, sed aliunde irrepsisse in Tomos operum eius. Perinde hic faciunt, vt Sanderus iconolatra: Is enim, cùm Epiphanij epistolæ appendicem ad Ioannem Hierosolymitanum, contra Imagines in Templis, aliter refellere non posset, scripsit, Epiphanij non esse, sed à quodam icunomacho confictam & assutam. *Pulchrum me hercle, quum aliquid ex graui authore obijcitur, quod soluere nequeas, respondere, locum à quodam esse deprauatum, vel confictum & assutum. Deceptus est autem Hunius, sicut etiam Pappus, & Daniel Hofmannus Lucæ Hosiandri imposturâ, quem primum typis evulgare non puduit, iam citato verba non Lutheri, sed Philippi esse, qui ea in librum quendam D. Georgij Maioris anno 1560. propria manu scripserit, & in Tomos Operum Lutheri per imprudentiam pro Lutheri verbis posito fuisse. Cùm autem forma huius rei in Aulam vsque Electoris Saxoniæ Augusti pervenisset quoque, scripsit Elector in septimana Paschali anno 74. ad D. Georgium Maiorem, ut librum hunc, in quo hæc verba Philippi scripta essent, Dresdam ad Aulam Electoralem mitteret; vel si liber iste in aliorum manus pervenisset, ille saltem de hac tota re Electorem bona fide certiorem redderet. Rescripsit igitur Electori D. Maior, & sanctè testatus est, se neque hunc librum, neque manum Philippi, quâ hæc scripserit, vnquam vidisse, vt refert D. Pezelius in Apologia ad Danielis Hofmanni Responsionem de signis sacramentariorum &c. pag. 238. Est autem hæc istorum tam manifesta & friuola elusio, vt ipsosmet Compilatores Historiæ Augustanæ* [Folio 103] *Confessionis, eius pudeat. Scribunt enim* Lutherum, his dictis & sententijs, bonorum virorum libellos memoriæ ergò passim exornâsse. *Rursus:* Ex his Lutheri verbis quemlibet pium videre, nos in hac vita nec debere nec posse in longas disputationum ambages descendere, cùm duarum in Christo naturarum vnio hypostatica, & totius diuinitatis plenitudinis in assumpta carne inhabitatio, magnum, diuinum, supernaturale, nobisque imperscrutabile, & incomprehensibile mysterium sit, cuius perfectam cognitionem in alteram illam futuram vitam differre debeamus: &c. [1529.]

Constat igitur ex his paucis, & quæ mox anno 30. dicturi sumus, Lutherum post Marpurgense Colloquium, & Confessionem suam maiorem, de Vbiquitate corporis Christi dogmá prorsus abiecisse. Aut si maximè concedatur, Lutherum vsque ad vitæ suæ finem Vbiquitatem probâsse, vt volunt Vbiquistæ, duo tamen inde sequuntur, à quibus eius discipuli inprimis eum vindicare debebant. Primum *est, ipsum prodigiosum dogma, & in tota Ecclesia inauditum errorem probâsse, confirmâsse, & docuisse, in eoque mortuum esse. Deinde, quum negari non possit, Lutherum multis in locis de persona Christi contra Vbiquitatem, orthodoxè scripsisse & docuisse, sequitur* secundò, *si ad vitæ finem Vbiquitatem simul probauit, ipsum in hoc articulo non esse audiendum. Nam testis in foro, sibijpsi non consentiens, non auditur, nec testimonium eius recipitur.*

[*Vocabulum Vbiquitatis non à Sacramentariis confictum.*] *Quod autem ad* VBIQVITATIS *ipsum vocabulum attinet, moderni Vbiquistæ, pro erroris sui fuco & excusatione obtendunt, se illud, vt portentosum, abominari, nec vllam extensiuam corporis Vbiquitatem, seu diffusionem cum Diuinitate docere. Vocabulum autem hoc non à Sacramentarijs inuidiosè confictum est, vt falsò queruntur nonnulli, sed ab ipsomet Luthero, Philippo, ac postea à Kemnitio, Selneccero, alijsque, atque ab ipsis quoque Scholasticis & Pontificiis semper vsurpatum, eoque sensu acceptum fuit, quo hodierni Dogmatistæ corpus & humanitatem Christi vbique esse docent. Aiunt, se Omnipræsentiam, non Vbiquitatem docere. Quid autem aliud Omnipræsentia, quàm Vbiquitas? æquè vtrumque barbarum est vocabulum, & eodem pertinet.*

ANNVS DOMINI M.D. XXIX.

[*Argentinenses Ecclesias suas à Pontificiis erroribus reformant.*] Q*Vemadmodum à Disputatione Bernensi celeberrima, Religio fuerit mutata multis in locis, dictum est supra. Proinde, vt Sleidanus refert lib. 6. Histor. cùm antea sæpe, tum hoc etiam occasione Argentinensis Ecclesiæ Ministri, inter alios Pontificiæ doctrinæ errores,* Missam quoque docebant esse cumprimis impiam, & ad summam Nominis diuini contumeliam pertinere: quapropter & abrogandam, & rectum vsum Cœnæ Dominicæ restituendum esse: nisi Scripturæ

1529. ſacræ teſtimoniis hæc demonſtrent, nullam pœnam recuſant. *Cùm autem Pontificii contrà docerent, exorſit contentio, quam Senatus, factâ collatione ſententiarum, & aliquâ Diſputatione finiri volebat: & quum hoc impetrari non poſſet, edicit Pontificiis, quoniam alteros improbent, oc impie docere dicont, neque tomen cauſa cognitionem admittont, ne poſthac docendi munus uſurpent. Epiſcopus outem crebris intereo literis ac internunciis monet & orat Senatum, ut in Majorum religione perſiſtant, neque doctoribus fidem habeant, & quanti ſit res periculi, demonſtrat. Senatus invicem orot, quod etiam annis oliquot antè fecerat, det operam, ut qua pertinent ad verum Dei cultum inſtituantur, catera verò tollantur & ontiquentur: Hoc enim ipſius proprium eſſe munus. Ille verò, tometſi conventum atque diem aliquando condixerat ejus rei causâ, nihil tomen praſtitit, & literis tantùm ab inſtituto deterrebat, & precibus nonnunquom intermiſcebat comminationes. Cumque jam propè deſperaret, Senatum Imperii, qui tum Spira erat, orot, ut ſuam autoritatem interponant. Hi, miſsâ legatione ſub finem Decembris admodum ſplendidâ, petunt, ne Miſſam abrogent: Nam neque Caſaris, nec Ordinum eſſe, veterem & à Majoribus acceptam religionem immutare, niſi vel per generale, vel totius nationis Concilium: quòd ſi nimis hoc eſſe longinquum videatur, differant ſaltem uſque ad Imperis Conventum, iam brevi futurum, otque ibi ſuo poſtulata proponãt: non ſe dubitare, quin ſint laturi reſponſum: legibus enim cautum eſſe, ne privato Magiſtratui liceat reſcindere, qua communi totius orbis conſenſu decreta ſunt: Æquum igitur eſſe, ut hoc ab ipſis impetretur: quòd ſi verò pergant, fore, quio vis in eo ſit, ut & Caſar, ſummus Magiſtrotus, & ipſius per Imperium Legatus Rex Ferdinandus, graviter hoc & permoleſtè ferant: ſe quoque pro ſuo munere atque fide teneri, quicquid eſt eius rei, ſcribere Caſori, oc ſimul adhibere, qua oportet, remedio: Quod quidem iniuſti odmodum faciant. Itaque rogare, ut diligenter hac ſecum expendant, & rectè monentibus auſcultent: hoc & Caſari fore longè gratiſſimum, & od ipſorum quoque laudem atq; ſalutem pertinere. Senatus, ubi ſui inſtituti rationem explicâſſet, Legatos commodè abs ſe mittit. Fuerot ibi paulò antè Hildeſſemus Epiſcopus, & nomine Caſaris idem poſtulaverat, hortatus, ut morem gererent, praſertim, cùm Caſar etiom de nationis Germania Concilio cogitet: Nam alioqui fore, ut conſilium ſibi Caſar ac reliqui Ordines capiant. Adhac, Epiſcopus Argentinenſis aliquot Senatores Vrbis, viros nobiles, privatim interpellat, ſuos beneficiarios, & miſsis literis ad ſingulos, quandoquidem fide ſint ipſi & iureiurando devincti, graviter monet, ut abrogationem Miſſa totis viribus impediant, neque comprobent. Senatus interim, cùm iam ſupra biennium eo res ageretur, & Eccleſia Miniſtri quotidianis concionibus vehementer inſtarent, cives etiam ſupplicarent, convocotis omnibus ex more, qui rebus arduis adhiberi ſolent, numero trecenti, rem omnem ordine commemorant, & in utramque partem multis in medium adductis, quòd ſi Miſſam aboleant, quid à Caſare ſit periculi, ſi non faciant, quantopere Deus offendatur, explicant, & cogitandi ſpatium ipſis largiuntur, & ut tributim collecti deliberent, petunt, quò deinde, cùm rurſus conveniant, de communi voluntate atque conſilio ſtatuatur. Cùm ergo veniſſet dies, Egenolphus Redererus, qui Regi Hiſpaniarum Philippo militaverat, cùm Carolus Caſar in Imperio expectobatur, & in magna ſpe atque expectatione, non abſque minis gravibus Pontificii eſſent, interrogatus ſententiam, primus cenſuit Miſſam Pontificiam abrogandam eſſe: atque hac ſententia in Senatu ſuperior extitit. Decretum itaque fit, Februarii die 20. Anni 29. ſuſpendi Miſſam oportere ac intermitti, donec adverſarii demonſtrent, eſſe cultum Deo gratum. Hoc decretum & in Vrbe ac foris, quàm latè patet ipſorum iuriſdictio, Senatus valere iubet atque ſervari, & per literas deinde certiorem facit Epiſcopum: qui non abſque gemitu, maximoque dolore ſe illud accepiſſe, & cogi patienter ferre, & quod ſui ſit in eo muneris, facturum ſe reſcribit.*

Epiſcopus Argentinen. & Camera Imperii Spira à Reformatione Argentinenſis dehortantur.

Senatus Argentinenſis re bene deliberatâ in inſtituto pergit.

Annis nunc aliquot Baſilea quoque magnum erat religionis causâ diſsidium, & Senatus quidem decrevit tandem, ut eadem eſſet per totam urbem doctrina, atque de Miſsis, qua locis adhuc aliquot ſupererant, certo die, palàm habitâ diſputatione, per ſuffragia decerneretur, quid in eo fieri oporteret: Pontificii autem nihilo ſecius urgebant ſuum inſtitutum, & aliquanto etiam acerbius pro concione notabant adverſorios. Et quoniam hoc illis erat impunè, plerique ſic accipiebant, quaſi primores illud non improbarent. Itaque delecti ſunt è civibus, qui Senatui denuò ſupplicarent, & pacti memoriam renovarent: Hi poſt multam actionem petebant, ut ii Senatores, quorum hortatu Pontificii ſic docerent, quoniam eo res non ſolùm ad decreti facti contemptum, ſed ad turbam atque ſeditionẽ etiam pertineret, loco ſubmoverentur. Cùm id Senatus omnino recuſaret, cives huius anni Menſis Februarii die 8. in ado Franciſcanorum conveniunt; & re deliberatâ, rurſus idem à Senatu, ſed non tam demiſsè, quàm antea, petunt: ſimul publica civitatis loca ſibi capiunt & occupant, ſine ormis tamen. Sub eius diei veſperum, Senatus placere ſibi reſpondet, ut ii, quos loco removeri poſtulent, deinceps

Baſilea tam in urbe quàm in agro Miſſa & imagines abolentur.

cùm

1529.

cùm de religione deliberabitur, non adsint, in cæteris verò locum & ordinem suum retineant. Eo dato responso, cùm appareret paucos aliquot usurpare sibi summam rei, magis offensi fuerunt animi civium: Quamobrem palam testificantur, velle sibi capere consilium deinceps, non quidem religionis, verùm sui juris vindicandi causâ. Mox armati turres atque portas occupant, & idonea loca præsidiis firmant, & excubias agunt. Postridie Senatus deliberandi spacium petit, & ad eos, qui nuper fuerant intercessores, causam reiicit. Cives illud non recusant, sed ut rei sint interea privati, suoq; sumptu prosequantur, volunt: ipsi verò, qui Reipublicæ causam & posteritatis agant, sumptu publico. Senatus hæc & alia quadam leviora illis largitur: quò sic offensionem mitigaret. Tandem decretum à Senatu factum est, ut tam in urbe, quàm foris per ipsorum fines aboleatur Missa cum idolis omnibus: quod & continenter factum est.

Comitia Imperii Spiræ.

Celebrata quoq; sunt hoc anno Comitia Principum ac Ordinum Imperii Spiræ mense Martio & Aprili, quæ ad initium Februarii Cæsar indixerat. Principes ac ordines, referente Sleidano, admodum frequentes aderant. Elector Saxoniæ Philippum Melanchthonem secum adduxerat. Principio de Religione agi cœptum est, & post multam actionem Decretum factum est, ut infrà indicabimus. Pontificii autem, instigante & urgente Iohāne Fabro Viennensi Episcopo, eò spectabant unicè, ut Saxonem aliosque Principes à Civitatibus dirimerent, ne qua esset inter ipsos Consiliorum, auxiliorumque communicatio, neque voluntatum Consensio: & quoniam de Cœna Domini non eadem erat omnium Civitatum, quæ Principum sententia, sperabant illi, se posse, quod cupiebant, perficere sed tamen id frustra fuit ut postea indicabitur.

Pontificii Principes à Civitatibus divellere conantur.

Ferdinandus etiam Rex & collega, Civitatum aliquot Legatos, Apr. die 5. separatim evocant: & quòd præter Cæsaris edictum multa mutâssent, graviter incusant, ac demum hortantur, ut reliquorum Ordinum sententiæ suam voluntatem atque studium accommodent, ne per ipsorum secessionem Comitia dissolvantur. Illi, mutationem factam, non ad Cæsaris injuriam ullam pertinere, seque inprimis esse cupidos concordiæ, & omnia velle Cæsaris causâ, neque legitimi Concilii se recusare iudicium demonstrant. Misit etiam Spiram ad Comitia Argentina civitas suum legatum, Danielem Miegium qui cum reliquis ibi consiliariis negocia publica de more tractaret: repudiatus verò à consessu fuit, propter abrogatam nuper Missam, & non expectatum hujus Conventus exitum. Eo cognito, reliquæ Civitates, quoniam ad ipsas etiam exemplum pertineret, intercedunt, & Imperii morem servari petunt, etsi enim fortè quid illi fecerint ab Ecclesiæ Ceremoniis alienum atque ritu, non idcirco tamen in suo jure interpellandos esse, donec legitimo Concilio sit dirempta controversia: præsertim, cùm adhuc nihil ejusmodi sit tentatum, neque religionis causâ cuiquam de suo jure quicquam sit in publicis conventibus derogatum. Posthæc Iacobus Sturmius, nomine Civitatis in eo Conventu Legatus, quòd si præter Imperii morem atque legem, ad hunc modum loco removeantur, non esse, quòd ulla sumptuum ab ipsis expectetur deinceps communicatio, dicebat. Sed his omnibus nihil fuit profectum, & intercessoribus Ferdinandus ipse respondens, quamlibet aliam Civitatem, quæ modò Cæsaris edicta servet, in ejus locum summitti iubebat.

Argentinenses à Comitiis Spiren. ob reformationem exclusi.

Post multam de religione disceptationem superioris Comitii Spirensis actio, paucis repetitur. In eo nimirum fuisse decretum, ut quantum ad Cæsaris edictum Wormatiense pertinet, ita sese gerant omnes, quò sui facti rationem & Deo possint & Cæsari quoque reddere: sed multos eo prorsus abuti, & omnis ferè generis horrenda novaque dogmata, sub hoc veluti prætextu nunc & defendi & excusari. Novum igitur fit decretum in hanc sententiam: Qui Cæsaris edictum illud adhuc servârunt, deinceps quoque servent, ad Concilium usque de quo Cæsar jam propè certam spem faciat, & populum etiam huc astringant: qui verò doctrinæ genus mutârunt, neque discedere jam ab eo possunt absque seditionis metu, ut hi sibi temperent in posterum, nec aliquid præterea innovet ad usque Concilii tempus. Deinde, ne doctrina eorum, qui de Cœna D. secus quam Ecclesia docent, recipiatur, neve abrogetur Missa: nec iis in locis, ubi novum est doctrinæ genus, impedimentum fiat, quò minùs ad Missam, qui volent, accedant: Anabaptistis etiam, qui suum dogma pertinaciter defendunt, capitis pœna constituitur, & Ecclesiæ Ministris injungitur, ut juxta probatam ab Ecclesia interpretationem doceant, &c. Qui secus fecerint, proscriptorum numero iubentur esse.

Decretum Spirense.

Huic decreto sese opponunt Elector Saxoniæ, Georgius Brandeburgicus, Ernestus & Franciscus Luneburgici, Landgravius Hassiæ, Anhaldinus, & Apr. die 19. palam cur non assentiantur, de scripto recitant. Et quod Missam ac Cœnam Dominicam attinet, ad hunc modum protestātur. Quod ad Missam, inquiūt, attinet, notum esse, quemadmodū suæ ditionis Ecclesię Ministri, Pontificiam Missam invictis & firmis Scripturę testimoniis expugnaverint, in ejusque locum instituerint Cœnā Domini, iuxta præscriptum atq; mandatum Christi, juxtaq; morem ab Apostolis observatum: quare nec istam quoq; decreti particulā admittere se, neq; suis, ut adsint Missæ jam abrogatæ, posse cōcedere: Nā ut maximè syncerus atq;

Principes & Civitates Evangelicæ protestantur se nolle approbare decretum Spirense.

1529. rectus esset usus Missæ Pontificiæ, tamen, si duas ipsi Missas inter se contrarias in suis Templis admittant, quàm id sit futurum mali exempli, & quantæ sint ex eo simultates orituræ, neminem esse qui non videat. Quòd autem præscribant, quid suis ipsi populis mandare, & quas in suis ditionibus ferre debeant leges, valde se mirari, præsertim, cùm ipsi minimè sint passuri, si quis hoc invicem apud eos tentaret. Quid de corporis atque sanguinis Christi præsentia, suis in Ecclesiis doceatur, omnibus constare, neque longiori opus esse explicatione: Sed tamen, quod antea sæpe dixerint nunc etiam sibi videri, nondum esse videlicet in illos, qui secus doceant, ejusmodi faciundum decretum, eò quòd Cæsaris diploma nullam ejus rei mentionem faciat: deinde quòd ejus doctrinæ defensores neque vocati sint nec auditi: quàm autem non sit decorum nec æquum, in rebus tam arduis aliquid ullo tempore statui, non auditis iis, quorum interest, etiam atque etiam esse considerandum, &c. *Et mox*: Quæ, quum ita sint, non se assentiri huic ipsorum decreto, suique facti rationem esse reddituros & palàm omnibus, & ipsi quoque Cæsari? &c. *Huic Principum protestationi, communicato consilio, primi nominis Civitates aliquot sese conjungunt, Argentina, Noriberga, Vlma, Constantia, Rutelinga, Winssemium, Memminga, Lindavia, Campodunum, Hailbrunum, Isna, Wisseburgum, Norlinga, Sangallum. Et hæc quidem est origo nominis Protestantium, quod non solùm in Germania, sed apud exteras quoque gentes pervulgatum est ac celebre.*

Principes nostris consensi(?) qui in proscriptione eorum qui à se in doctrina de Cœna dissentiunt

Origo Protestantium.

Nota. *In hac Protestatione illud diligenter notandum, licèt in his Comitiis Pontificii hoc potissimùm agerent, ut Zuingliani nominatim damnarentur, non potuisse tamen hoc tunc quidem, sicut postea etiam semper, efficere: quòd plerique illustrissimi Principes, cum saniore Theologorum parte, ab hujusmodi illegitima & iniqua damnatione abhorrerent, & hanc judicii præcipitationem detestarentur: Adhæc, quòd viderent, neque æquum, neque tutum esse, ut, ob unicum doctrinæ articulum, Ecclesiarum Germanicarum distractione Papistis jucundum spectaculum præberetur, & iisdem simul animus atque vires eadem operâ adderentur. Hac prudentiâ & animi moderatione, si Theologi sequentibus etiam annis usi fuissent, minùs contentionum atque turbarum hodie haberemus. Sed crevit cum temporis progressu contendendi libido, eoque tandem deventum est, ut Theologi quidam, non solùm Principes hortati sint, proscribant Zuinglianos sed etiam armis persequantur, ut suis locis indicabitur.*

De summa ista injustitia & iniquitate Pontificiorum, quâ innocentes & non auditos in his Comitiis condemnare & proscribere conati sunt, graviter conqueritur Oecolampadius in epistola ad Melanchthonem, durantibus adhuc Comitiis, scripta. Equidem, *inquit*, non mediocre cœlestis Patris benevolentiæ indicium censeo, quòd & tu in hoc præclaro Principum Germaniæ conventu, amicis & piis suggerere valeas, ea quæ pacis sunt & quæ in gloriam Christi. Proscribi curat Faber nescio quos Sacramentarios. Scilicet illi fidei synceritas cordi est? & hoc pacto Concordiæ consulet, si crassiùs & loqui & sentire περὶ τῶν μυστηρίων, quàm par est, inculcâvit? Interim crepat multas sycophantias: quasi nobis sit figura ac phantasma, non veritas Christus: quasi imbecillis non omnipotens Christus: quasi unicum angulum occupans, & non ubique sit & portet omnia verbo virtutis suæ. Bellè scilicet, si distinctiùs de naturis unius personæ loquimur, idcirco alteram negare videamur. Et si divinitatem negemus passam in sua natura, ideo cogamur negare etiam Christum Deum passum: & si non asseramus corpoream Christi dimensionem & quantitatem non esse ubique locorum, ideo inficiemur Christum, qui humana semel assumpsit, nunquam dereliquit, non esse ubique locorum, non esse inter duos aut tres in suo nomine congregatos, non esse in fidelium cordibus. Tales audio esse isthic nostræ fidei interpretes ac calumniatores. At te oro per Christum, ut maledicorum hominum effrenem licentiam, quatenus licet apud pios remoteris, indicando, non eò pertingere nostros sermones; imò addere hoc tutò poteris, neutiquam nos boni consulere, si quis dicat, veluti Iudam & pecus nos communem panem, vel solum sacramentum edere. χάριν γὰρ τὴν ἀόρατον μετὰ τῶν συμβόλων ὁρατῶν διδομένην, ἣ λαμβάνομεν, ὥσπερ πάντες οἱ πιστοὶ γεγυμνασμένα αἰσθητήρια ἔχοντες.

Querela Oecolampadii de injustitia Pontificiorum in Spiren. Comitiis. Libro epistolarum 3. fol. 112.

Ad has Oecolampadii literas Philippus tum Spiræ responsum conscripsit, in quo hæc verba habentur: Non modò cogitavi ipse, quid in Cœnæ negotio in utramque partem dici possit, sed inquisivi etiam Veterum de ea re sententias. Ego enim nolim alicuius novi dogmatis in Ecclesia, vel author vel defensor existere. Cùm omnia, quæ in utraque parte firmissima videntur expendi, non tamen eo in tuam sententiam. Nullam enim firmam rationem invenio, quæ conscientiæ discedenti à proprietate verborum satisfaciat. *Et paulò post*: SI gratiam aucupater

Responsio Philippi ad quæstionem hanc Oecolampadii.

parer, non ignoro, quàm multos, magnos & eruditos viros habeat vestra factio: horum amicitiam non contemnerem. itaque si mihi vestra sententia de Cœna Domini placeret, simpliciter profiterer. Vos absentis Christi corpus, tanquam in tragœdia repræsentari contenditis: Ego de Christo video extare promissiones: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi, & similes, ubi nihil est opus divellere ab humanitate Divinitatem. Proinde sentio hoc sacramentum veræ præsentiæ testimonium esse. Quod cùm ita sit, sentio in illa Cœna præsentis corporis *κοινωνίαν* esse. Cùm proprietas verborum cum nullo articulo fidei pugnet, nulla satis magna causa est cur eam deseramus. Et hæc sententia de præsentia corporis, convenit cum aliis Scripturis, quæ de vera præsentia Christi apud nos loquuntur. Nam illa est indigna Christianis opinio, quòd Christus ita quandam cœli partem occupârit, ut in ea tanquam inclusus carceri sedeat. Tu colligis absurda multa, quæ sequantur hanc sententiam. Colligis etiam quasdam Veterum sententias, quæ pro te videntur facere. Sed absurda minùs offendent eum, qui meminerit de rebus cœlestibus ex Verbo Dei, non ex Geometria faciendum esse judicium: quique tentatus didicerit nullam esse rationem, quæ conscientiam satis docere possit, cùm à Verbo Dei discesserit. In iis locis qui citantur ex Veteribus, agnosco esse quandam dissimilitudinem: sed tamen ex his, si quis prudenter eliget gravissimorum authorum dicta, invenier pleraque, quæ ostendunt hanc, quam nos sequimur, veteris Ecclesiæ, quatenus nobis nota est, communem fuisse sententiam; tametsi tu quidem, homo disertus, quosdam locos nimis callidè interpretaris, & ad tuam causam detorques. Veteres cùm de Resurrectione disputant, allegant Cœnam, nec ineptè, meo quidem judicio: significavit enim Christus Apostolis se resurrecturum esse, quia sui corporis *κοινωνίαν* instituit. Necesse enim erat, ut viveret corpus, quod nobis impartiendum erat. Quòd si Veteres sensissent absens corpus repræsentari, quomodo inde probarent resurrectionem? quia etiamsi non resurrexisset Christus, tamen absens corpus & consumptum repræsentari potuit, sicut in fabulis Hector repræsentatur. Sed non institui nunc disputationem: tantùm hæc scripsi, ut meam erga te benevolentiam perpetuam cognosceres: neque tamen volui, quid sentiam dissimulare. Teque rogo, ut consideres, quantam rem, quamque periculosam susceperis. Verum illud est, nimiùm altercando amitti veritatem: atque hæc multò magis periclitatur in his tam violentis concertationibus. Quare satius esset, hac de re aliquot bonos viros in colloquium unà venire. Video quæ semina harum disputationum sparsa sint in veterum libris. Video causam vestram præsidiis ingeniorum niti, & vos habere studia theatri, non tantùm manifesta, sed occulta etiam; quę hand scio, an efficaciùs vobis suffragentur, quàm manifesta. Satis mihi nota est tua modestia: quare non arbitrabar opus esse, te admonerem, ut cogitares homines ingeniosos & prudentes interdum labi posse: & in negotiis spiritualibus inprimis periculosa est ingenii fiducia. *Hac epistola Philippi mox Latino & vernaculo sermone in lucem emissa est.*

Sic quidem Philippus non modo in hac epistola, sed etiam in aliis ante & post Confessionem Augustanam de sententia Oecolampadii, Buceri & Helvetiorum in controversia Cœna, non tantùm duriter pronunciavit, sed etiam argumentis plurimis & aculeatis eorum doctrinam oppugnavit, tanquam novam, & rationis tantùm judicio nitentem; in qua ingruentibus tentationibus acquiescere conscientia tutò non possit. Hortatus est etiam alios, ut privatim & publicè Zuinglianos, quos sic vocant, arguerent. Quanquam verò ab initio Philippus acriter eos insectatus sit, quos sibi adversarios habere videbatur, quòd eorum sententiam nondum perspectam omnino haberet, & hunc errorem defendere eos existimaret; quod nihil differret Cœna sacra à communi & prophana, & quòd nuda tantùm signa exhiberentur in usu Cœnæ, &c. Tandem tamen, ex assidua meditatione fundamentorum controversiæ hujus, & ex lectione diligentiori testimoniorum syncera Antiquitatis, eruditior factus, lucem veritatis paulatim propiùs aspicere cœpit, nec solùm de iis meliùs sensit & scripsit, sed etiam prorsus reconciliatus est iis. Id autem ut Lector benevolus intelligat, his, qua in hac epistola duriùs contra eos scripsit explicationes posteriores hoc loco opponam, ut ex hac collatione appareat, judicia Philippi posteriora veritati magis, quàm priores, congruentes fuisse: itaq; de causa mutatæ prioris sententiæ certiùs atque evidentiùs ex ipsius verbis judicium fieri possit.

Iudiciũ de hac Philippi epistola.

Scripsit quidem Philippus ad Oecolampadium: Nolim alicuius novi dogmatis in Ecclesia vel author vel defensor existere. *Item:* Non tutum est à communi sententia veteris Ecclesię discedere. *Sed his verbis opponendum est, quod postea, meliora edoctus Philippus ad Brentium scripsit:* Non dubito, ait, quin libenter totum dogma essent abiectu-ri ad-

Respõdet ad ea quę contra orthodoxã sententiã de Cœna in præcedenti epistola scripsit Philippus.

1529.

ri adversarii, si existimarent esse recens. Scis enim multos inter ipsos viros optimos esse. *Hortatur etiam Brentium*, ut cogitet diligenter, an contra adversarios sententiam antiquæ Ecclesiæ nostri defendant. *Sæpissime etiam ad alios suos amicos scripsit*, disputationem de tali præsentia corporali, quæ sit substantialis alligatio corporis sive ad panem, sive ad speciem panis, novam esse, & ex Papatu haustam, & fontem esse ἀρτολατρείας, longèque aliam Antiquitatis fuisse sententiam.

Secundò inquit Philippus, Nullam rationem firmam invenio, quæ conscientiæ discedenti à proprietate verborum satisfaciat. *Huic opponantur sermones ejus quotidiani, in quibus postea crebrò solebat dicere*; Se in hac controversia Spiritui sancto monstranti viam veritatis adversari, & agnitæ veritati contradicere non voluisse nec debuisse. *Sæpissime etiam affirmavit*, Se in nullo articulo in controversiis omnibus plùs curæ, operæ & studii posuisse, quàm in hoc, nec de ullo quid verè senserit Antiquitas sincerior, certiùs pervestigâsse, nec fundamenta ullius certiora & validiora iecisse, quæ certò sciat nullas contrarias rationes, quacunque specie vestiantur, nullam, quantumvis lubricam sophisticam labefactura, aut eversura esse. *Item*: Intererat & meâ, & Ecclesiæ plurimùm, ut certi aliquid de veritate huius controversiæ mecum constituerem, quòd adversantes mihi habebam domesticos collegas: cum Pontificiis autem de eodem, tanquam de capite totius causæ, certamina mihi acerrima, & summa, parata esse sciebam. Itaque talibus fundamentis conscientiam atque animum meum munire me oportebat.

At nulla satis causa est, *inquit Philippus*, cur proprietatem verborum deseramus. *Resp. Philippus in principali propositione Cœnæ declaranda, etiam in posterioribus suis scriptis proprietatem verborum Cœnæ retinuit, sed ita, ut in forma seu modo prædicationis, non regularem & propriam, sed sacramentalem prædicationem agnasceret, quam ad Corinthios Metonymiam vocat in propositione de calice: Eamq́; confert cum hac propositione; Fasces sunt Imperium Romanum, id est, non nudè neque simpliciter tantùm significant iurisdictionem Imper. Romani, sed certò testantur, transferri simul Imperium ad eum, cui legitimè fasces sunt traditi. In epistola ad Brentium sine mentiane certa figura in genere scribit Philippus*; Video multa veterum scriptorum testimonia esse, quæ absque ulla ambiguitate verborum explicant mysterium Cœnæ Dominicæ de typo, & tropicè seu figuratè. Contrariæ sententiæ aut recentioris sunt ætatis, aut spuriæ, aut incerti parentis. *Quin & Brentius ipse in Exegesi sua*, Omnino, *inquit*, Tropo opus est, cùm panem reipsa non mutari videamus: modò talis Tropus constituatur, qui corpus & sanguinem Domini nobis è Cœna non auferat.

Pergit Philippus ad Oecolampadium, & scribit: Vos absentis Christi corpus tanquam in Tragœdia repræsentari contenditis. Se verò, *inquit*, hoc sentire, quod senserint scriptores veteres, videlicet corpus & sanguinem Domini verè adesse in Cœna Dominica. Hanc veteris Ecclesiæ sententiam, *ait*, ego sequor, quæ affirmat adesse corpus Christi in Cœna, ac judico hanc habere Scripturæ testimonium. Non enim invenio firmam rationem, cur nomine corporis in verbis Cœnæ oporteat tantùm absentis corporis signum intelligi. *Resp. Diversa hæc sunt: Credere veram præsentiam, & communionem corporis & sanguinis Christi in Cœna: Et credere præsentiam corporis talem, quæ sit substantialis corporis coëxistentia ad locum panis, aut delitescentia sub pane vel specie panis. Priorem sententiam Buceri & sociorum ejus esse, Philippus non modò paulò ante Concordiam* Witebergensem *testatus est, ut apparet ex literis ejus ad Vrbanum Regium & Islebium: sed etiam post Concordiam, in hac ipsa sententia semper acquievit ipse, ut videre licet ex locis ejus communibus postremò editis, & ex Epistola ad Vitum Theodorum anno 38. Ex aliis etiam scriptis Philippi intelligitur, quòd veram præsentiam Christi in Cœna discreverit ab imaginaria illa delitescentia corporis substantialis & organici, sub pane vel specie panis, quam defendi in serio certamine nan posse tandem animadvertere cœpit.*

Tu colligis, *inquit Philippus*, absurda multa, quæ sequantur hanc sententiam (*nempe, de præsentia corporis Christi in Cœna, quam negari tum Philippus à suis adversariis, Oecolampadio & aliis, putabat*) sed absurda minùs offendent eum, qui meminerit de rebus cœlestibus ex Verbo Dei, non ex Geometria faciendum esse judicium, quiq; tētatus didicerit, nullam esse rationem, quæ conscientiam satis docere possit, cùm à Verbo Dei discesserit. *Resp. Philippus ipse animadvertit postea, absurda illa non tantum in rationem: quæ philosophica absurditas nominari solet, sed ipsos articulos fidei impingere, adeoque Verbo Dei adversari: Nec propterea in medium afferri, ut vera & vivifica præsentia & salutaris communio corporis Christi ex Cœna tollatur, sed tantùm, ut imaginatio illa rationis humana de delitescentia & occultatione, seu coëxistentia, aut conjunctione substantiali corporis*

ris Christi & panis refutetur, & eximatur ex hominum animis. Itaque rectè postea ad Vitum Theodorum scripsit: Error fœcundus est, vt dicitur. Multas quæstiones parit coniunctio physica, An separatim, an sint inclusæ partes, quando adsint? An extra vsum? Horum nihil legitur apud Veteres: Nec ego inucham has disputationes in Ecclesiam.

Oecolampadius ipse ad epistolam Philippi respondet.

Huic Philippi epistolæ postea quoque Oecolampadius per Apologeticam epistolam copiosè respondit: ex qua præcipua huc adscribere operæ pretium erit, quum Philippi scriptum à Compilatoribus historiæ August. Confessionis, & alijs magnâ iactantiâ ostentetur, Oecolampadij autem responsio callidè supprimatur. Sic igitur scribit: Videris hactenus humanum quiddam passus: vel certè, nisi me omnia fallant, nostram de Eucharistia sententiam nondum habuisse perspectam. Non enim abhorrere à nobis oportebat, quasi nouum aliquod dogma adferamus: neque enim vel Christi verbum à nobis negligitur, vel Patrum obseruabiles termini suo mouentur loco, quandoquidem à nobis accuratiùs quàm vulgò putant, sunt lecti. Indubitatum etiam habe, nos nequaquam nostri ingenij viribus fisos: id quod primùm à religiosa Parrum, quantum ad hanc rem pertinet, obseruantia cognosces. Nam vbi ambiguum, & obscurum, ac concisum quiddam alicubi scribunt, operæ pretium duximus, eorum quæ scribunt certam mentem ex apertissimis ipsorummet declarationibus cognoscere. Ecce passim obuium est, quòd sacramentum corporis Christi ψιλῶς & sine addiramento corpus & sanguinem Christi appellitant. Quoniam autem contentio orta est, quid de eo sacramento sentiendum, nónne prudenter eò recurrimus, vbi dilucidiùs & copiosiùs de hoc tractant? quod & fecimus non sine iudicio ac delectu, obuia quæque deuorantes. Est inter alios appiausibilis fidei, & dilucidæ enarrationis scriptor, Aug. Hippon. quem super hac causa vt audiremus, dignum iudicauimus. Persuasum enim est, si ille clarè nobiscum faciat, neutiquà à nobis dissensuros, quotquot illum antecesserunt orthodoxos Doctores, quibuscunque tandem verbis sententiam suam explicent. Quomodo enim ille diuersum ab Ambrosio, à quo initiatus est, doceret? Quomodo Cypr. Tertullianique patriæ suæ clariss. scriptorum, fidem ignorâsset? Quomodo Romanorum, Græcorum & Ægyptiorum confessioni, quas aliàs citare non dedignatur, contradiceret? Ille igitur aurem vellicauit, & ab errore reuocauit, cùm diligentiùs ex-

Augustinus docuit Oecolampadium veritatem de causa Eucharistica.

pendeter, quid in 3. de Trinit. quid in lib. 16. de doctrina Christi, quid in Epist. ad Bonifacium, Euodium, & Dardanum, quid aduersus Faustum & Adimantum rescripserit. In quibus libris omnia palàm & dilucidè narrat: In eandem locutionum classem conijcit, Hoc est corpus meum, Anima est sanguis, Petra erat Christus. Consuetudinem sui seculi fuisse testatur, sacramenta rerum signatarum vocabulis appellari solita. Probè monet, ne signa pro rebus accipiamus. Ostendit verba & sacramenta eiusdem efficaciæ, atque id genus multa. Vnde non parùm miror, quo pacto hoc verbum tibi exciderit, quod ad meam causam Doctores torqueam, qui me sibi tam potenter vendicant. Verùm quoniam disputationem deuitamus vterque coniectate inde potes, quòd nostrum in tractandis Ecclesiasticis Doctoribus studium sit. Itaque pluribus nunc molestus esse nolim. Vnum quod à te commemoratur præterire silentio non licet: Veteres ais, cùm de resurrectione disputarent, Cœnam allegâsse: nec ineptè. Significauit enim Christus se resurrecturum esse, quia corporis sui *κοινωνίαν* instituit. Necesse enim erat, vt viueret corpus, quod nobis impartiendum erat. Quòd si Veteres sensissent, absens corpus repræsentari, quomodo inde probarent resurrectionem? Hæc tua argumentatio. Non ignoro, mi Philippe, cùm Tertullianum, cùm Irenæum sic ratiocinari solitos: nec mirot. Sunt enim hæc sacramenta, vt Nicenus Canon habet, τῆς ἡμετέρας ἀναστάσεως σύμβολα, Nónne & Paulus à Baptismo colligit nos complantatos in similitudinem mortis Christi, vt resurrectionis quoque consortes reddamur? Verùm ad declarationem exemplo magis familiari vtamur. Nónne & sponsa ostenso arrabone coniugem sibi obtigisse probat? nec secus hîc agitur. Etenim cùm panis, qui nobis corpus Christi repræsentat, naturam habeat alendi corpus, vtique & cœlestis panis si per fidem manducetur in se habet, vt viuificet ac pascat in vitam æternam, sicut apud Ioannem restatur ipse de se: Panis autem quem ego dabo, caro mea est, quam ego dabo pro mundi vita. Iam corpus Christi quod manducatur fide & pro nobis fractum, & in cruce mortuum, minimè nos pasceret, nisi diuinum esset, & resurrexisset, nobisque resurrectionis causa fuisset. Quid igitur mirum, si à tanti sacramenti symbolo nostra resurrectio colligatur? Origenes, vt est allegoriarum diues, etiam abundè probat: sed hæc non sufficiant, maximè quia Dominus inquit: Hæc est enim

Cur Veteres Cœnam allegârint, cùm de resurrectione disputant.

1529. voluntas Patris qui me misit,vt omne quod dedit mihi non perdam ex eo, sed resuscitem in nouissimo die. Tu verò resurrectionem colligis, quia corporis sui in Cœna κοινωνίαν instituit? Age verò mi Philippe, & hanc Paulinam consideremus clausulam. Spectas enim arbitror ad hoc quòd ait: Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Christi est? Et quid oro, hisce verbis voluit? nunquid volebat carnaliter carnem Christi à nobis edi communiter, vt consortium resurrectionis adsequamur?Eadem nimirum ratione crassiùs & de Baptismo ratiocinari liceret. Sed quod huc attinet, oempe piè & sine mendacio panem frangit, nisi qui credit etiam pro se Christi corpus fractum, & se cum cætera multitudine participem tantæ dignitatis babere. Quibus Cbristus Spiritum suum non denegauit, & quorum in se carnem gestauit, vt sit suà, eamque pro illis Patri in cruce obtulit: ij vtique magnam cum Christo societatem habent,etiamsi carnalem illam manducationem ignorent. Illi sunt certè membra corporis eius, de carne eius, & de ossibus eius. Illi sunt pueri, qui communicârunt carni & sanguioi eius, Hæc est vera nostra communio, quam necessariò sequitur resurrectio. Nam cùm caro nostra sit eiusdem naturæ cum carne Christi, & inhabitet io nobis idem Spiritus, qui corpus Christi è mortuis excitauit: vtique idem & nostra corpora excitabit, quomodo & alio in loco Paulus ratiocinatur. Si mortui non resurgent, nec Christus resurrexit. Vbi autem hæc recipiuntur, & ex confesso sunt, quid facilius & euidentius, quàm ex symbolis tanta nobis mysteria annunciantibus probare resurrectionem? præsertim si in verba promissionis Christi signis adhibita respicias: & videas ea non tam signis quàm nobis miram dignitatem exhibere. Porrò quòd nondum tibi satis inootuerit oostra sententia, quomodo adesse Christi corpus afferamus, hinc liquet, quòd subdis hæc verba: Etiamsi non resurrexisset Christus: tamen abseos corpus & coosumptum repræsentari potuit, sicut io fabulis Hector repræseotatur: Non assentimur Philippe: non enim verè panis nobis corpus Cbristi figurabit, si oonpascamur. Non pascemur autem, si vel destituti Spiritu Christi, vel si corpus Christi mortuum mansisset, & corruptiooem esset expertum. Quæ enim nobis inde spes resurrectionis?Proinde oullo modo verè corpus per panem significari poterat, nisi diuinum esset quod resurgere potuerit, & nobis quoque resurgendi causa esset. Atqui corporalis Christi præsentia, tam non attinet ad nostram resurrectionem roborandam, quàm noo opus erat Centurioni ad curandum puerum suum. Idcirco mi Philippe, si quid voles de hac re differere, vide & ipse quàm periculosam prouinciam accedas. Mihi certissimum est, veteres Orthodoxos pro oobis stare, quamuis ab hominibus non pendeamus, tametsi prophetantibus illis non minùs quàm viuentibus,aures libenter arrigamus. Omnibus tamen modis sanctius est nobis Verbum Dei: de quo deinceps, quantâ eius religione teneamur. Videmur tibi à proprietate verborum discedere, & conscientijs malè consulere: sed immeritò malè audimus. Noo eoim qui genuinam verborum mentem seruamus, proprietatem relinquimus, sed multò magis astruimus. Nónne fideliter agimus, si intellectum oostrum in obsequium Christi abducimus? Laudabis scio. Iam quod est Verbum fidei? Nóane fateri Christum verum hominem esse Dominum, & resurrexisse à mortuis? Igitur adulterinum est, quicquid huic confessioni derogat. Ponere autem corpus Christi ἀσχηματιστον, καὶ ἀπερίγραπτον, καὶ ἄζωτον, καὶ πολύζωον, quid aliud est, quàm imaginarium & noo verum asserere Christum? Et si talem in pane innenimus,quomodo analogiæ fidei consentaneum erit, carnem Christi sub pane præsentem carnaliter manducari? Consectaneum ergo, oihil proprietati verborum decedere, si Tropus admittatur, ne quippiam statuatur humanitati Christi aduersum, id quod dogma vestrum minatur. Tropus sanè custoditus, proprietatem verbi, quoď Cbristus voluit, explicat: oeglectus autem, longè aliud quàm loqui oportebat,edocet, faciet que ut cum articulis fidei strenuè pugnetur, nullæque Scripturæ, Imò ne iota vnum astipulemur: sed simul contradicat,quicquid Christum piè nobis prædicat. Hic tu refugies, & iodignam Christiano opioionem dices, Christum aliquam cœli partem occupâsse, tanquam in carcere sedentem. Bene dicis: Nemo eoim Christianus sic loquitur. Cœli quippe locum Christi corpori tribuentes, oon carcerem, sed ipso dignissimum habitaculum damus: & nihilominus aliquem locum cœli occupar, qualiscunque tandem ille sit, propter veri corporis modum, vt Augustinus ait. Sed & Lucas Act. 1. c. & Paulus ad Thessaloniceoses & Pbilippenses cooiuncunt Christum alicubi localiter, vt sic dicam, contioeri, idque in cœlis. Et præscribit boc fidei regula: à qua quicquid dissidet, iure nobis abominatio est & anathema. Depetiret alioqui tota nostræ resurre-

Oecol. padius à proprietate verborum non discessit.

Christum non includit certo cœli loco Oecolampadius cum suis.

surrectionis ascensionisque spes, si veritatem humanæ carnis sic prodamus. Videris igitur quibus nitare, & quos sequaris. Nos enim non rationis fiduciâ, neque Geometriæ certitudo, sed fidei (quæ veritatem corporis Christi asserit) religio, ne secus sentiamus, obstringit. Fides non patitur formâ, specie, dimensionibus, quantitate, partium situ, & similibus, verum & nostro consubstantiale corpus omnino exui: siue de his Geometriæ doceant, siue non doceant. Christus qui discipulis manus & digitos ostendit, hanc suspicionem euellit. Proinde mi Philippe, ad Scripturas ipse non accedo, nisi fide primùm armatus: nihil superstruo, nisi hoc fundamentum præiecerim, nullam vocem accipio, quæ lesum neget vel Dei vel hominis filium,& se in obsequio Christi mancipium. Attendo non solùm quid sonent verba, sed quid pastor ille optimus suis ouibus dicat, atque id genuinam verborum proprietatem & simplicitatem iudico. Quod tibi quoque necesse est vt probetur. Nam alioqui non video, quid errorum Scripturis non confirmetur, quomodo hæretici vnquam confutentur, quid sani proferri queat, quandónam conscientias consolaturi sumus? Hoc sanè est τὸ ἐπιτιμητικὸν, quod in sanctissima oblatione adijciendum. Hæc erit in symbolis Theologia synceriot, non si panem fecerimus substantiæ corpus Christi, vel sub pane corpus dicamus, vel corpus etiam ab impijs manducari dicamus: sed si ex sensibilibus insensibilia & inuisibilia cognoscamus,& externis relictis ad spiritualia proficiamus. Verum Deum & hominem Christum fatemur: sed corpori illius alium locum assignamus, cui vos innumera loca, quod veritati corporum non congruit. Aut si corpus hic localiter contineri inficias itis, quid volunt contentiones vestræ, quibus absurda refellitis, & multa loca vni corpori vindicatis, tot mitanda confirmatis, adorationem requiritis, mireque vt nodum illum soluatis torquemini? Vnde autem habes quod dicis, contendere nos corpus Christi tanquam in Tragœdia repræsentari? Causam certè nostram multò aliter proponimus. Iudæ & infidelibus hoc eueniat, qui veritatem non amant. Nobis autem & fidelibus, per Spiritum Christi hæredibus ampliora & promissa sunt & exhibentur. Multùm sanè inter sacramentorum veritatem, & scenicam vanitatem interest. Videmus in theatris histriones, puellis arrabones coniugij tradere, & coniugij iura non constare. Videmus in nuptiis sponsum, sponsam annulo subarrare, & nemo separat quos Deus coniunxit. Ridebimus-ne sponsam, & eam theatricæ saltatriculæ comparabimus? dicentes, annulum habes, signum coniugij habes, sponsum non habes: nisi in annulo corporaliter sponsum haberi dicas. Quas tu haberes gratias ei, qui te solâ aquâ tinctum,& ab inuisibili gratia alienum diceret? licèt aquam non asseveres esse Spiritum sanctum, vel gratiam eius, & negares eam, vtpote ratione non præditam, gratiæ Spiritus capacem? Possisne maiori contumeliâ notari? Sic & nobiscum, vbi sacramentorum honos illæsus manet, ibi fictitiæ repræsentationes non sunt: vbi in veritatis & synceritatis azymo aguntur omnia, ibi non sola figura quæritur, sed sanctissimi fœderis, & indubitatè exhibẽdorum promissorum contestatio fit, habet fides suam possessionem, habet hypostasin, habet gustum per Spiritum. Neque enim humiliter ad panem vel vinum respicitur, sed exaltantur interim animi per fidem. Multùm abest à scenica vanitate, qui Christum vbique agnoscit ob immensam eius maiestatem, qui illum in corde,vt in templo experitur propitium, qui & in cœlis gloriosâ carne regnantem, magnâ societatis eius olim potiendæ fiduciâ, celebrat, eaque carne vegetatur ac pascitur. Quomodo talis maximè in Cœna ἄχαρις reputabitur? Etiam nos non reijcimus promissionem, Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi: fatemur non deesse Christum, duobus in suo nomine congregatis: Gaudemus enim esse inhabitatorem cordium tantâ fœlicitate, vt & conscientiæ quietæ, viuaces ac beatæ sint, & vltra nec esuriant, nec sitiant. Quid igitur periculi denuntiatur? quæ conscientiarum terriculamenta supersunt, vbi nullus accusator auditur, nulla condemnatio timetur, omnia aduersa manca sunt, omnis tentatio cedit? Quis mortuus Hector tantum valet in Tragœdia? Augustiora igitur & diuiniora sunt nostra. Demum in hoc potissimùm hæres: quum Christus vnus sit Deus & homo, & humanitatem à Diuinitate auellere neutiquam liceat, conuincl,vt etiam in Cœna corpus Christi sit præsens. Hic mi Philippe, plùs periculi. Circumspectè enim de naturis in Christo loquendum, ne pro vna persona, vnam naturam statuamus, & dum humanitati plùs quàm par est tribuimus, Diuinitatem ac humanitatem fœdemus, facientes ex Diuinitate naturam, quæ incrementum recipiat, & humano corpori veram corporis substantiam adimamus, si ἀχηματίστον. Aliter de Verbi, aliter de corporis natura loqui conuenit.

Corpus Christi ab Oecolampadio & suis non tãquam in Tragœdia repræsentatur.

1529.

Verbum

1529. Verbum proprio loco non tenetur, & supra omnem locum est. Si ita de corpore loquatis, corpus nequaquam erit. Inhabitat Verbum suum templum, & totum inhabitat: sed ideo non est angustius, & nihilominus etiam totum est in cœlo. Prodigiosè in hunc modum de corpore loqueremur. Quum Lazarus moreretur, non erat illi corpus vel humanitas Christi præsens, & nihilominus non erat separata à Diuinitate, quæ vbique præsens: de qua re Fulgentius ad Trasimun. lib. 2. copiosiùs: & Augustinus ad Dardanum, multisq; alijs in locis. Sunt autem & alia, quæ me mouent certissimis plerophorijs, ita vt (quantum ad hanc rem) coram Deo, extra periculum me esse confidam, vtcunque mundus abhorreat. Proinde tu, vt in alijs prudenter agis, in hanc arenam non nisi optimè instructus progredere. Periculosiorem enim tu mea oppugnando, quàm ego defendendo prouinciam subiturus es. Consultiùs item & mihi videretur, si breui aliquot viri super hac re in colloquium veniant, id quod optas, & ego in votis semper habui. Sed orandus Deus, vt citra contendendi libidinem & fastum congrediantur, ne indigni diuinâ veritate, maiori dissidio laborare incipiant. Infeliciter certè libellis digladiatum est, qui vel innocentissimi à maledicis pessimè excepti sunt. Quòd si maior expectanda calamitas, & mutuis sic concidemus vulneribus, nihil inde futurum video, quàm vt exarmatos fidei hostes, in nostrum excidium iuuemus. Sed vt concludam, non est quòd tantopere nostra displiceant: nulla est καινοτομία, nulla vel Scripturæ sacræ, vel fide dignorum Patrum deprauatio: nihil iacturæ facimus, Christum non diuellimus. Carne eius spiritualiter pascimur, & μυστικῶς manducamus: tantùm elemento non plùs tribuimus, quàm par est. *Hactenus Oecolampadius.*

Hanc epistolam Oecolampadius Philippo obtulit Marpurgi, cum protestatione, malluisse se priuatim quàm publicè agere, vt paci concordiæque maior locus esset: sibique videri, vtilius fuisse, eius quoque epistolam, non ita statim euulgatam, in hominum manus peruenisse. Philippus ei liberum relinquebat, ederet eam vel non ederet: Eandemque cantilenam canebat, hoc addens: Licèt pro vobis stare Augustinus videatur, tamen se fretos Verbo Domini, & aliorum Doctorum, à sua sententia non cessuros. *Tandem cùm Philippus Patrum sententias de Cœna Domini euulgaret, vt infra audiemus, Oecolampadius quoque hanc suam epistolam edidit: In qua certè non resignat amicitiam cum Philippo, & mirum quòd ille tunc frater esse dedignatus est. In causa non vult videri sui ingenij viribus fidere, vel verbum Christi negligere, vel Patres contemnere. Augustinum per omnia suum facit. Docet, quo pacto Veteres è Cœna resurrectionem probent. Deinde ostendit, quid sit à proprietate verborum discedere: & quomodo Christi corpus in cælo, quomodo etiam in terra repræsentetur: addens, quantum inter Sacramentorum veritatem, ac scenicam vanitatem distet, & quòm non diuellat humanitatem à Diuinitate.*

Protestantes de fœdere ineundo cogitant, sed cum ijs tantùm, qui eandem secum profitentur doctrinam.

Interea cùm non obscuris indicijs colligi posset, quid Pontificij molirentur contra Protestantes seu Euangelicos, Illustrißimi Principes, Saxoniæ Elector & Hassiæ Landgrauius, de fœdere ineundo consilium capiebant. Facta quidem fuerat eius primùm mentio in superiori conuentu Spiræ. Legatis enim Argentinensium, Norobergensium & Augustanorum, sententiam suam aperuerant, quam suis renuntiarent: Postea res ad deliberandum non semel fuit proposita, & aliæ quoque vrbes sollicitatæ sunt. Postquam verò in vltimis Comitijs Spirensibus decretum illud, de quo paulò antè, factum erat, cæptum est de ineundo fœdere cogitare vehementiùs. Mox igitur Noriberga formula quadam fœderis concepta est: & post amplius tractata.

Conuentus Suabachi, eiusque decretum.

Mense Octobri Suabachi Principum ac Ciuitatum Legatis Saxonis & Georgij Brandeburgensis nomine hoc propositum fuit: Quoniam hoc fœdus ad defendendum veram doctrinam sanciatur, omnes eandem profiteri inprimis oportere. *Itaque proposita fuerunt capita doctrinæ, de quibus vna & mente & voce consentirent. Argentinenses autem & Vlmenses Legati dicebant, in superiori Conuentu Rotacensi eius rei nullam factam mentionem; sed tantùm deliberatum esse, de defensione contra vim hostilem, si qua fortè fiat: ideo se nihil in mandatis habere.*

Conuentus Schmalcaldiæ.

Cumque mense Nouembri Principes & Vrbium Legati rursus conuenissent Schmalcaldiæ, rogantur Argentinenses & Vlmenses, quid de capitibus doctrinæ superiore Conuentu propositis sentirent: Illi respondent vt nuper, ab initio eius rei nullam factam esse mentionem: sed hoc tantùm in deliberationem venisse, quomodo se munirent contra aduersarios. Inter illa verò capita doctrinæ, quædam posse disputari. Quòd si docti de ijs non idem sentiant, timendum esse ne Ecclesiæ scindantur, id quod Pontificijs gratißimum futurum sit. Suum itaque consilium esse, vt de hoc tantùm agatur, quomodo auxilia sint communicanda, si doctrinæ causâ periculum alicui creetur. Saxoniæ Princeps, Luneburgenses fratres, & Brandeburgensis, per Norimbergenses sollicitabant eos,

vt

vt hæc capita approbarent. Landgrauius verò omni studio eas conciliare conabatur: quod cùm frustra tentaret, reliquarum etiam Ciuitatum Legati vocati sunt: & si quidem eorum doctrinam per omnia approbent, dicebatur fœdus cum ijs iniri posse. Illi nihil se eius rei in mandatis habere respondent, & primam actionem vrgent. Tandem ita solutus fuit Conuentus, vt qui capita illa doctrinæ approbare velint, Noribergam veniant ad sextum Ianuarij diem anni sequentis, vt quid deinceps facto opus sit deliberent.

Erasmus Friburgum concedit.

Cùm Cæsar ex Hispaniis in Italiam venisset, Erasmus Roterodamus mense Aprili, Basileâ relictâ, Friburgum Brisgoiæ, oppidum Ferdinandi Regis, commigrauit; ne videretur illa probare, quæ tum temporis Basileæ in religionis mutatione gerebantur, & quòd in Germania, propter Cæsaris aduentum, atque etiam in Heluetia omnia ad bellum ciuile spectare videbat.

Erasmus libellum edit contra Euangelicos.

Nouembri mense libellum edit, qui titulo quidem inscriptus est contra quosdam, qui se falsò iactant Euangelicos: reuera autem totum ordinem perstringit: Nam inter alia multa, nullum se nouisse dicit ex iis, qui non seipso factus esse videatur deterior.

Argentinenses respondent Erasmi libello.

Huic deinde scripto Erasmi responderunt Argentinenses Theologi, quoniam de ipsis potissimùm, Tigurinis & Basiliensibus ille tractauerat, in primis autem de Bucero. Inter alia suam quoque in hoc scripta de Cœna Domini sententiam, Zuinglij per omnia consentientem, Argentinenses profitentur.

Erasmus Argentinensibus respondet.

Quibus Erasmus postea alio libello respondit, cuius titulus est: Responsio ad epistolam apologeticam incerto authore proditam, nisi quòd titulus, fortasse fictus, habebat, per Ministros Verbi Ecclesiæ Argentoratensis.

Libellus 300. aut circiter argumentorum de Cœna editur.

Mense Septembri libellus quoque editus est, circiter 300. argumenta complectens, quibus ostenditur, corpus Christi non in creatura panis, sed per verbum Dei in Cœna & cordibus fidelium existere. Occasio huius scripti, in Præfatione ab authore hæc indicatur: Quosdam non ita pridem breui summa complexos esse omnia, quæ Lutherus superioribus annis de Sacramento scriptis libris ediderit, non sine multis & atrocibus conuitijs. Titulum esse, De vero & genuino sensu verborum Cœnæ, Hoc est corpus meum: Se igitur Zuinglij quoque argumenta absque maledictis collegisse, vt intelligatur, doctrinam eius, non tantùm paucis his verbis, de quibus fit controuersia, quæque Lutherus subinde obijciat, adeoque principium petat, sed pluribus alijs argumentis firmissimis niti, & Lutheranis opponi posse.

1529.

De COLLOQVIO MARPVRGENSI eiusque Actis.

Marpurgense colloquium qua occasione institutum.

Conuentus Marpurgensis ab Illustrissimo Principe Philippo Hassiæ Landgrauio hac occasione conuocatus fuit. Cùm infelix illud Certamen inter Lutherum, & Zuinglium itemque Oecolampadium, multis scriptionum velitationibus in annum ferè quartum magno conatu agitatum esset: & alij Lutherum, alij Heluetios sequerentur, eorumque doctrinam amplecterentur: erant multi, qui medium tenerent inter vtrosque, & Concordiæ studerent, tum propter Dei gloriam & Ecclesiarum coniunctionem contra communes hostes Pontificias, tum propter Germaniæ tranquillitatem, quæ studio partium in factiones distrahebatur perniciosissimas, ex quibus certa ruina patefacta & restituta tantis cum periculis & certaminibus, veritati Euangelicæ imminebat: præsertim cùm ad Heluetios Ecclesiæ superioris Germaniæ pleræque inclinarent: Saxonicæ verò, & quæ sunt circa Hirciniam, Luthero adhærerent. Harum ergo, qui sanare cupiebant Ecclesiæ vulnera, & Germaniæ pacem tranquillitatemque retinere, caput & princeps erat Philippus Hassorum Landgrauius. Hic vt loco & situ, sic etiam veræ doctrinæ propagandæ studio ingenti, medius inter vtrosque vehementer in hoc incumbebat, vt congregaret ad placidam sententiarum collationem vtriusque partis Doctores.

Philippus Landgrauius Hassiæ concordiam quærit.

Impellebatur etiam ad hoc consilium Concordiæ quærendæ, & pacificationis tentandæ, recenti Comitiorum Spirensium decreto, quod, vt suprà indicauimus, factum erat instinctu & suasu Ioannis Fabri: authoritate verò Ferdinandi Hungariæ & Bohemiæ Regis, obeuntis tunc in Germania vices absentis Cæsaris Caroli quinti Fratris. Nam in eo decreto astutè hoc sancitum erat, vt Sacramentarij, sicut nominabantur, proscriberentur, neque doctrina eorum, qui de Cœna Domini docerent secus, quàm Ecclesia (quâ Romanam seu Pontificiam intelligebant) reciperetur, neque Missa aboleretur. Huic decreto, etsi Elector Saxoniæ Ioannes, Philippus Landgrauius & alij Principes Protestantes, acriter restiterunt, quòd intelligerent quæri distractionem, accommodatam futuram ad vtramque partem seorsim opprimendam: & ostenderent nec inter suos esse qui aliter docerent: nec qui secus docerent vocatos & auditos esse: tamen non potuerunt obtinere, vt Decretum abrogaretur. Landgrauius ergo, quòd maturo

1529. *turo & sapienti consilio prospiceret, quorsum certamen illud inter reformatarum Ecclesiarum Doctores, si inualuisset, euasurum, & quas opportunitates præbiturum esset hostibus ad opprimendas rectè sentientes Ecclesias, quæ tenera & nullâ adhuc certâ & consentiente formâ doctrinæ inter sa consociata erant: valde dabat operam, vt conuocatâ Synodo, Concordiam inter dissidentes efficeret, cùm in alijs doctrinæ capitibus, tum in hoc etiam de Cœnâ. Ac spes erat, conciliatis inter se cæteris articulis, de quibus Lutherus suspectos habebat Heluetios, futurum vt controuersia de Cœna quoque componeretur.*

Landgrauius Lutherum & Zuinglium ad Colloquium euocat.

Optimus igitur Princeps, re communicatâ cum alijs Principibus ad Lutherum Witebergam, & Zuinglium Tigurum scribit, & varijs grauibusque rationibus adductis, ad amicum & placidam Colloquium de Sacramento Cœna Dominicæ, eos inuitat & sollicitat; Conuentumque, siquidem id ita eis placuerit, ad 3. Calend. Octob. qui dies S. Michaeli iam olim sacer fuit, Marpurgi indicit.

Philippi iudicium de hoc Colloquio.

His literis acceptis, & de voluntate Landgrauij certiores facti, Philippus Melanchthon scripto declarauit, An consultum sit, vt Lutherus cum Zuinglio & Oecolampadio de Cœna Domini conferat: Et quod ad se attineat *scribit*, non subterfugere cum Oecolampadio & sectatoribus illius Colloquium instituere, vnde illud etiam Landgrauio non denegârit, optare verò vt haberi commodè queat: Causam enim hanc non exigui esse momenti: siquidem dogma ipsorum plausibile sit, & multos eruditionis laude per totam Germaniam celebres sectatores habeat, propter causas sibi non incognitas: Vnum verò ipsis deesse, quòd adhuc ignorent, quàm difficile sit coram Deo sine illius Verbo stare: Cum Zuinglio nullo fructu agi posse, vnde etiam non de ipso, sed de Oecolampadio accersendo admonitum esse Principem: aut si maximè accersatur ipse etiam, nullam tamen spem esse, quòd compariturus sit: Vt vt etiam reliqui in gratiam Zuinglij hanc fabulam saltantes, plenissimè instituti fuerint, Concordiam tamen cum ipsis inire recusaturos: Quòd si conueniendum omnino sit, plerosque etiam ex Pontificijs viros doctos & moderatos, qui vtriusque partis rationes audiant, adesse oportere: aliàs varios orituros sermones, Lutheranos & Zuinglianos conspirationum faciendarum gratiâ, conuenire: præterea Zuinglianos, nullis adhibitis arbitris, maiorem fortè gloriandi occasionem habituros esse: Eam ob causam dixisse se Landgrauio, opus esse, vt si conueniendum sit, plerique ex Pontificiis, neutri parti addictos, adhibeantur: pletosque nouisse se, quos permoueri posse sperârit, vt ab errore suo desistant, Hedionem scilicet & Ambrosium Blaurerum. Reliqui verò si fortè deteriores fiant, plus turbarum metuendum esse. Non etiam esse consultum, vt Landgrauius multùm commercij cum Zuinglianis habeat, siquidem metuat, ne magis quàm expediat, ipsorum consuetudine delectetur: Eam enim esse huius controuersiæ rationem, vt homines acumine aliquo præditi, in quorum albo etiam Landgrauius sit, eâ inprimis tenentur: Nam rationem facilè ijs accedere, quæ comprehendere possit, præsertim si viri docti Scripturæ testimonijs rei colorem addentes, suffragentur: Sicuti multos eruditione præstantes hoc tempore Zuinglio adstipulari videamus, &c.

Philippus maluisset Colloquium non institui.

Hoc iudicium misit Philippus Ioanni Friderico Saxoniæ Duci, Electoris filio, cum huiusmodi literis: Illustriss. Princeps, &c. nouit Celsit. vestra, Landgrauium cupere vt D. Martinus cum Oecolampadio & alijs de Sacramento conferat. Nos verò non decet in eiusmodi arduis negotiis citra Clementissimi nostri Principis consilium & consensum quicquam agere. Si itaque vestræ Celsit. consultum videatur eiusmodi collationem institui, nos quidem nihil patiemur in nobis desiderari. Necesse enim est aliquando negotium illud tractari. Meum ineptum Iudicium, huic epistolæ adiunctum, Vinariam ad vestram Celsit. misi, quo ostendi quibus de causis Colloquium inter D. Martinum, Oecolampadium, & alios hoc tempore non sit instituendum. Cum ipso etiam D. Martino hac de re contuli, qui itidem metuit, minùs fore fructuosum, si multùm & variè inter se colloquantur: adhæc nullam emendationis spem de præcipuis Aduersariorum posse concipi. Scio autem quantopere Landgrauius hac causâ afficiatur, & metuo Celsit. ipsius (si Lutherum denuò declinate Colloquium audiat) fauore non exiguo Zuinglium prosecuturam esse, cuius quidem mei metus causas non leues habeo. Quapropter humiliter oro, vt C.V. in medium consulere dignetur, quidnam in hoc negotio fieri conueniat? Meum consilium est, vt inclytus Elector, hoc prætextu, quasi petitum ita ab illius Celsit. fit, à me negotium illud amoliatur, vt respondere Landgrauio possim, me hoc tempore dimissionem ab Illustrissimo Electore impetrare non

Philippi litera de hoc Colloquio ad Ioan. Fridericum Saxonem.

Nota.

non potuisse, &c. Datum Witebergæ feria 6. post Exaudi, Anno 1529.

Lutheri judicium de Colloquio instituendo.

De eadem quoque negotio Lutherum ad Philippum Hassiæ Landgravium literas scripsit, quæ extant Tom Ienen. 4. fol. 466. & sic habent: Illustrissime Princeps, &c. C.V. literas & postulata clementissima, ut Marpurgum ad Colloquium cum Oecolampadio & ipsius sociis, de controversia Cœnæ Domini habendum, veniam, si fortè pacem ac concordiam Deus hac ratione largiri vellet, reverenter accepi. Etsi autem exiguam spem pacis futuræ foveo: tamen Celsit. vestræ diligentia & sollicitudo in hac causa summopere laudanda est. Ego etiam meo loco perditam hanc, & forte etiam nobis periculosam operam Celsit. vestræ studiosè præstabo, ac quò Celsit. vestra volet & petet, me, non gravatè conferam. Deo enim iuvante, nolim adversæ parti hanc laudem verè concedere, quòd pacis & concordiæ studiosiores, quàm ego, essent.

Meas verò cogitationes de hoc negotio C.V. statim disertè & expresè exponere volo: ac oro, ut Celsit. vestra clementer cogitet & exploret, An adversa pars etiam de sua sententia aliquantùm cedere parata sit, ne mali hujus exitus deterior fiat, & planè contrarium illius eveniat, quod Celsit. vestra tanto studio & zelo jam consectatur? Quid enim juvaret convenire & colloqui, si utraque pars hoc proposito venit, quod omnino nihil cedere velit.

Mihi hoc agere Adversarii videntur, ut postea gloriari contra nos possint, per se non stetisse, quò minùs concordia fieret, cùm tantum Principem ad hanc causam tractandam permoverint: Ita sub Celsit. vestræ nomine nos traducere & accusare, tanquam hostes pacis & veritatis, se verò eximiè ornare cupiunt. Novi has Diaboli technas, atque utinam non sim hic Propheta. Si enim non simulatè & insidiosè, sed seriò pacem quærerent, nihil hac magnificâ & ostentatione comparatâ ratione, per magnos & potentes Principes hanc rem agendi, indigerent. Nos enim, Dei beneficio, non adeò feri & inhumani sumus, quin suis literis modestiam & studium pacis suum, de quo gloriantur, iamdudum nobis significare potuerint. Ego verò hoc bene scio, me illis prorsus non cessurum esse, nec possum cedere, cùm in conscientia mea certus sim eos errare, & insuper ipsos de sua sententia incertos esse. Omnia enim illorum fundamenta in hac causa satis cognovi, ac ipsi vicissim mea fundamenta viderunt.

Nota.

Quare reverenter Celsit. vestram oro, ut C.V. propter Deum diligenter consideret, 1529. magis-ne profutura hæc actio vel obfutura sit? Certum enim est, si nihil cedent, nos frustrà conventuros, & re infectâ discessuros, & C. V. oleum & operam perituram esse. Nec illi gloriationes suas hactenus illis usitaras, intermittere poterunt, & nos immeritò accusabunt; ut de novo ipsis cogamur respondere. Ita deteriora omnia fient, quàm nunc sunt, Hoc vult & quærit Satan.

Quòd autem C.V. sollicita est, ut ex hac dissensione tandem bellum & sanguinis effusio sequatur: tamen, quicquid horum sequetur, quod Deus avertat, scit C.V. nos innocentes esse, Deus enim innocentiam nostram in lucem proferet. Si Spiritus ille factiosus bellum incendit, naturæ suæ instinctum sequitur. Sic ut in Francisco Siccingense, Carolostadio, Muncero antea declaravit. Quo tempore nos tamen Dei beneficio immunes à sanguine, Adversarii autem nostri rei & nocentes manserunt.

Hæc scripsi, ut C.V. mea parata & gratificandi cupida officia (tametsi cum exigua spe alicuius profectus conjuncta) declararem. Nam Cel. V. omnia subiecti animi studia & officia me debere profiteor. Christus Dominus conterat Satanam sub omnium nostrûm pedibus. Amen, Amen. Datæ Witembergæ 23. Iulii, Anno 1529.

Amplissimus quoque Senatus Tigurinus diu multumque deliberavit, consultum & tutumne sit Zuinglium Marpurgum ad hoc Colloquium mittere: Obstabat longinquitas itineris, & pericula non levia ac pauca: quibus in eo obiiceretur.

Landgravius petit à Senatu Tigurino, ut in hac causa sibi morem gerant. Landgravii litera ad Zuinglium.

Landgravius igitur hac de re ad Senatum Tigurinum scribit, & rogat, ut sibi marem gerat, in hac præsertim causa, quæ ad communem utilitatem, & pacem tranquillitatemque reformatarum Ecclesiarum faciat. Monet etiam atque hortatur Zuinglium, ut ad Colloquium veniat, propter graves causas, quæ tutò literis committi nequeant: præsertim autem propter scandalum, quod in multorum animis exariturum esset, si amicam Collationem detrectaret. Verba eius hæc sunt: Wir begeren nachmals an euch mit genaden gantz gutlich / ihr wollet euch nichts müglichs verhindern lassen / und keins wegs aussen bleiben / umb viler ursachen / die sich über feldt nicht schreiben lassen / und sonderlich umdeß willen / daß das groß Ergernus / so / wie ihr selbst wolbedencken könnet / vermuhtlich auß euwerem außbleiben entstehen möcht / verhüt werde / &c. *Datum Milsingæ Sabbato post Assumptionem Mariæ, Anno* 1529.

1529.

Iacobi Sturmii litera nomine Landgravii ad Zuinglium scripta.

In hanc sententiam etiam D. Iacobus Sturmius Senator Argentinensis clarissimus ad Zuinglium scripsit, 4. Aug. mensis. Verba ejus hæc sunt: Auff heut sind mir wider Schrifften vom Landgraffen zukommen: und dieweil ich auß dem verstehe / daß der fürst euwer gegenwertigkeit zum höchsten begirig / und ich gentzlich bey mir acht / ihr werdet / ob schon mitbey dem gegentheil / doch zum wenigsten beyden fürsten viel nutz und guts schaffen mögen: Zu dem vielerley reden und nachgedenckens / so durch euwer außbleiben erwachsen möcht / fürkommen. So wer derhalben mein einfeltig gutbeduncken / auch freuntliche bitt / ihr wollet euch die ferre und gefährligkeit deß wegs nit erschrecken oder verhinderen lassen / ꝛc. *His literis inclusa scheda fuit ab eodem D. Sturmio Latinè his verbis scripta:* Capitoni, Bucero & mihi omnino consultum videtur, omnibus modis tentetur, quo tibi per tuos liceat huic Colloquio adesse, ac Principem, in quo non parva restituendæ aliquando libertatis Christianæ spes sita est, coràm alloqui. Scripsi autem ea de causa Germanicè, quò, si tibi è re visum fuerit, posses has meas literas his, qui apud vos præsunt, legendas ostendere, si fortassè & hoc negotium nonnihil promovere posset.

Lutheri calumnia.

Hæc aliquantò pluribus inserere volui, ut inde calumnia Lutheri deprehendatur, qui ad Landgravium scribere non est veritus, Zuinglium cum suis, Principem Landgravium ad hanc causam tractandam permovisse. *Item scribit:* Si non simulatè & insidiosè, sed seriò pacem quærerent, nihil hac magnificâ & ad ostentationem comparatâ ratione, per magnos & potentes Principes hanc rem agendi, indigerent.

Theologi utriusque partis Marpurgum ad Colloquium proficiscuntur.

Etsi verò utriusque partis Theologi, propter dictas causas, ab hoc Colloquio alieniores essent, tandem tamen res eò devenit, ut successum habuerit. Zuinglius igitur & Oecolampadius ex Helvetia Argentoratum descenderunt, ubi & Zuinglius in maxima civium frequentia concionatus est. Inde cum Bucero & Hedione profecti primi ad indictum diem Marpurgum venerunt: Deinde Lutherus, Melanchthon & Iustus Ionas è Saxonia: Postea Andreas Osiander Nerobergâ: Brentius Halâ Suevorum: & Stephanus Agricola, Augustâ Vindelicorum accesserunt, & singuli humanissimè ab Illustrissimo Principe Landgravio excepti fuerunt.

Initium Colloquii privatum.

Priusquam verò publicum Colloquium haberetur, Principis jussu Lutherus & Oecolampadius, item Philippus & Zuinglius soli prid. Calend. Octob. colloquuti sunt.

In quibus Philippus & Zuinglius consenserint.

In hac amica & placida Philippi & Zuinglij collatione, hæc utriusque consensu consignata fuerunt.

PHILIPPVS concedit verba nihil aliud posse, quàm Significare.

De Verbo

PHILIPPVS & ZVINGLIVS consentiunt, Spiritum sanctum operari in nobis justificationem, mediante verbo. Verbum autem nō intelligitur materialiter, sed verbum prædicatum & intellectum: hoc est, mens & medulla verbi. Vel aliter: Verbum capitur pro ipsa sententia & mente Dei: Quæ mens est & voluntas Dei, amicta tamen humanis verbis: quam sententiam divinæ voluntatis tunc capit humanum pectus, quum trahitur à Patre, &c.

De peccato Originali.

Peccatum Originale morbum esse credimus, quem omnes, qui ex Adamo generantur, contrahunt: Quo morbo fit, ut nos ipsos ante omnia complectamur, non Deum. Vbi non est lex, ibi non est prævaricatio: In parvulis non est lex, sed pœna legis, quæ tale malum, sive peccatum est, ut damnet. Sed simul hic Christianorum parvulos beneficio Christi saluos esse, non minùs quàm Hebræorum agnoscimus, virtute promissionis, Recumbent cum Deo, Abraham, Isaac & Iacob.

De Cœna.

De spirituali manducatione non dissentimus: nempe, quòd manducare sit credere.

In quibus dissenserint Philippus & Zuinglius.

Etiamsi diceret Augustinus, Corpus Christi in uno loco esse oportere, tamen non concederet Philippus.

Idem dicit, Iudæos intellexisse, quòd deberent eum devorare & dentibus dilaniare. Christus quoque, cùm intelligeret, quòd de isto murmurarent, per ISTVD intelligit, quòd Christus intelligeret errorem illorum, quo carnalem dilaniationem capiebant.

Caro non prodest quicquam, dilaniata corporaliter, sicut Iudæi intelligebant. *Cæterum contendit*, Caro non prodest quicquam, generalem esse sententiam, de carnali intellectu & judicio, *&c.*

Adjecit his Philippus: Non ingerebat se ori discipulorum circumscriptivè, sicut Iudæi dilaniationem intelligebant, & dabat interim corpus ad manducandum abscondito modo.

ZVINGLIVS *negat* istum modum absconditum probari posse ex Scripturis.

PHILIPPVS *his verbis probat*, HOC est corpus meum.

ZVINGLIVS, Nos dicimus, esse Petitionem Principii.

PHILIPPVS, Quia non debemus discedere sine evidenti testimonio Scripturæ à pro-

proprietate verborum. *Ac prorsus non concedit*, Christi corpus in vno loco esse oportere, ita vt non etiam simul alibi esse possit. *Et probat per hoc*, Hoc est corpus meum: Ascendit, vt impleret omnia. *Ac licèt probaret Zuinglij sententiam de Eucharistia, tamen ait se esse negaturum, quod affirmant*, oportere corpus Christi in vno loco esse*:* Quia nullo modo potest ratio intelligere, siue statuere, quomodo corpus Christi sit in vno loco.

Hic rationis iudicium admittunt, in sententibus non.

ZVINGLIVS *respondet*, Corpus Christi non posse esse in multis locis, non absolutè aliquid potentiæ diuinæ detrahendo, sed quia ex Scriptura non constat, id vnquam in pluribus locis fuisse. Paulum dixisse, Ascendisse eum, vt adimpleret omnia, videlicet quæ de eo constituta erant. *Deinde*, scriptum esse, Quòd per omnia fratribus simillimus sit, *nempe*, præter peccatum, quod ad humanam naturam pertinet. Hæc autem nostra natura finita est: Christi humanitas nostræ similis est: Ergo finita est, *&c.*

Alia, quæ vtrinque iactari incipiebant, interrupta sunt, quòd Principis Mensa iam esset adornata.

Pleræque sententiæ, *ait Philippus*, quæ ex Augustino citantur, plùs videntur patrocinari Zuinglio: sed alij ferè omnes ex Veteribus manifestè suffragantur sententiæ Lutheri.

APRANDIO.

ZVINGLIVS *dixit*, Cùm Christus dixerit, se ex mundo abiturum: Expedire nobis vt abeat: Nos eum non semper habituros: Relicturum se esse mundum: Non hîc aut istic quærendum se esse: Se non ampliùs fore in mundo, &c. Hinc rectè colligimus, impossibile esse regulariter, vt sit in mundo corporaliter. Nequit enim mentiri, &c.

Cùm autem de Articulo Cœnæ Dominicæ in priuata colloquutione conuenire non possent, placuit Illustrissimo Landgrauio, vt in suæ Celsitudinis, aliquot Consiliariorum, Theologorum Marpurgensis Academiæ, & nonnullorum aliorum clarorum virorum præsentia, de eo colloquerentur: Quod Calend. Octob. & duobus proximè sequentibus diebus factum est.

Colloquium publicum inter Lutherum & Oecolampadium.

Adscribam autem bonâ fide Summam Colloquij hujus publici, vt est à Rodolpho Collino *Scholæ Tigurinæ Professore, eruditione & integritate claro viro, qui & ipse cum Zuinglio Marpurgum profectus, Colloquio huic interfuit, eodem & loco & tempore in memoriæ subsidium breuiter excepta & consignata: ex qua tamen beneuolus Lector totum negotium cognoscere, & de scriptis Lutheri ac Philippi, quæ post Colloquium hinc inde sparserunt, facilè indicare poterit. Ea autem de verbo ad verbum sic habet.*

Vnde sint hæc Acta huius Colloquij.

1529.

Lutherus priusquam inchoaret Colloquium, in mensa sua scripserat, disputaturus contra Zuinglium & Oecolampadium: Hoc est corpus meum: *vt ne ob his verbis se abduci pateretur. Tum longâ oratione præfatur, & protestatur*, quòd ab aduersæ partis hominibus dissentiat, idque perpetuò facturus sit, cùm Christus apertissimè dixerit: Accipite, edite, Hoc est corpus meum. Hic dicit ostendendum esse, quòd corpus non sit corpus. *Aduersariorum sententiam adduxit. Quæstiones nullas in tam apertis verbis admittit. Rationem omnem & communem sensum excludit. Argumenta carnis, item argumenta Mathematica reijcit:* Deum, *inquiens*, esse supra Mathematicam, & verba Dei cum stupore esse adoranda & facienda: Deus autem præcipit, Accipite, edite, Hoc est corpus meum.

Idem respondens Pontifici.

Oecolampadius ad argumenta Lutheri respondet, & caput sextum Ioannis tractandum censet, vt inde reliqui loci explicentur. Ad hoc; Hoc est corpus meum, *adducit.* Ego sum vitis vera. *Diuinæ possibilitati non contradicit. A carnali manducatione deducit ad spiritualem: suam sententiam dicit non vanam nec indiuinam esse, constare enim ex fide & Scriptura:*

Lutherus Metaphoras agnoscit. Hoc est corpus meum, sumitur demonstratiuè: Nam generalis vox patitur Metaphoram. *Quærit*, quomodo spiritualis manducatio secludat corporalem. *Patres esse ab altera parte fatetur, si admittatur interpretatio.*

Oecolampadius, Ego sum vitis vera etiam demonstratiuum est: *Res potest esse: Quomodo sit.*

Lutherus non negat figuras, sed vult, vt probet, hîc esse ex Petitione principij. Cùm Christus dixerit, Hoc est, necessitas requiritur.

Oecolampadius legit caput sextum Ioannis, & postea probat, Christum ibi tractare de spirituali manducatione, & abducere à corporali, non igitur esse corporalem manducationem.

Lutherus repetit recitata ex cap. 6. Ioh. & dicit, Sententia tua est, per spiritualem manducationem abduci à corporali. Iudæi putârunt, eum comedendum esse sicut panis & caro editur ex patina, vnd wie ein schweyne braten.

Oecolampadius respondit, hunc intellectum esse humilem*: vbi vtrinque longa concertatio & contentio fuit.*

Oecolampadius, Christum in pane credere,

1529. opinio eſt non fides. Periculoſum eſt nimiùm elementis attribuere.

Lutherus, Ein ſtroh halm aufhaben/ ex iuſſu Domini, ſpiritualc eſt. *Exemplum*, von einem Roßeyſen/ *longè explicat*. Non oportet attendere quid dicatur, ſed quis. Quum Deus loquitur quid, auſcultent homunciones: quum præcipit quid, pareat mundus, & omnes exoſculemur verbum, nihil ultra curioſi.

Poſt hanc contentionem Oecolampadius inquit, Cùm ſpiritualem eſum habeamus, quid ergo opus eſt corporali?

Lutherus, Non curo quid opus ſit, ſed cùm ſcriptum eſt, Accipite, &c. faciendum omnino eſt & credendum: Man muß es thun/ *ſæpe inculcabat*. Si juberet, *inquit*, fimum comedere, facerem, ſatis ſciens, hoc eſſe mihi ſalutiferum.

Oecolampadius locum tractat ex cap.6. Ioan. Caro non prodeſt quicquam. Si caro comeſa non prodeſt, ſed ſpiritus, ergo ſpectandum nobis, quid proſit, & voluntas Dei contemplanda, &c. *Vterque tandem proteſtatus eſt, ſe in ſua perſeveraturum ſententia, quando neuter alteri ſatisfeciſſet.*

Zuinglius infit, & Lutherum præjudicii accuſat, quòd proteſtetur, ſe à ſua nolle decedere ſententia. Ita Heluidius in dictione, FRATER, argumentari potuiſſet, cùm clariſſimè ſcriptum ſit, Fratres ejus, &c. Collatio Scripturæ neceſſaria. Itaque etſi non habeamus, Hoc eſt figura corporis, habemus tamen, quod abducit à corporali manducatione: ergo in Cœna corpus ſuum non dedit corporaliter.

Concordes fuerunt in hoc, quod principale eſt, nempe in ſpirituali manducatione.

Inde tractat cap.6. Ioan. præſertim hoc, Spiritus vivificat, caro non prodeſt quicquam. Humanitatem, quæ paſſa ſit, excipit: illa enim ſalutaris. Ex conſequentia verborum validiſſimè probat, quòd caro comeſa non proſit quicquam. In verbis, Diſcerpere, Dilaniare, calumniam Lutheri accuſat, cùm idem ſit verbum ἐσθίειν, edere, comedere, manducare. Quum aſcendero, in cœlum, tunc videbitis me non manducari corporaliter, weſentlich/leyblich/ &c. Spiritus & Caro opponuntur. Contentionem de humili intellectu refricat, dicitque, quædam probè, quædam pueriliter dicta eſſe, *nempe*, Si Deus juberet fimum comedere, &c. Nam quæ Deus iubet, ad bonum & ſalutem iubet: Deus iumen dat, & non tenebras offundit: Ergo non dicit, Hoc eſt corpus meum eſſentialiter, realiter, carnaliter, cùm Scriptura repugnet. Oracula dæmonum obſcura, non Chriſti. Anima manducat ſpiritum, ergo non carnem.

Lutherus, contra Heluidium, Frater pro patrueli, ex Scriptura probatur: Sed hîc, Hoc eſt corpus tropus non poteſt probari. Holtzapfel/ ſi Deus mihi proponeret, ego ſpiritualiter manducaré. Nam ubicunq; eſt Verbum Dei, ibi ſpiritualis eſt manducatio: Ergo cùm corporalem manducationem adiecit, dicendo, Hoc eſt corpus meum, credendum erit. Comedimus fide hoc corpus, quod pro nobis traditur. Os accipit corpus Chriſti; Anima credit verbis, quia edit corpus.

Zuinglius: Ex Scriptura probatur ſignatum pro ſigno; Ex Ezechiele; Phaſe, Ergo cùm in dubiis Scripturæ locis collatio requiratur, credendum locis ſimilibus, *Accuſat Rhetoricam, & ficta argumenta, cùm dicat*, Si iuberet Deus iſta vel iſta: nam ſcimus Deum iſta vel talia non jubere. Verbum, *inquit*, æquivocatur à vobis. Verba tantùm ſignificant nobis voluntatem Dei. Deus nobis non proponit incomprehenſibilia. Quòd Chriſtus verus Deus & homo, non eſt incognitum fideli. Exemplum Mariæ, quæ interrogat, Quomodo poteſt iſtud fieri? & certior reddita, tum demum credit. Sed hîc in cap.6. diſcipuli dubitârunt de carnali manducatione, quare ipſe ſpiritualem docet. *Ad illa*, Verbum Dei eſt manducatio, non nego, ſed Verbum creditum.

Lutherus: Ex Ezechiele & Phaſe, allegoriæ ſunt: Deut eſen: ſignificatio nulla eſt. De verbo, non dicimus, noſtris verbis prolatis adduci corpus, ſed de Inſtitutione Chriſti dicimus, Verba non noſtra, ſed Domini ſunt. Facite, &c. Per hoc verbum facit, ut manus ſacerdotis ſit manus Chriſti. Os non eſt meum, lingua non eſt mea, ſed Chriſti: Ich ſey ein bub oder ſchalck. Ita de Baptiſmo: *Simile*, Princeps fundit fugatque hoſtem, ibi ſingulæ manus, Principis dicuntur manus. Si dixeris monti, &c. fiet. Non diſputo, an EST, ſit, Significet, ſed contentus ſum, quòd Chriſtus dicit, Hoc eſt corpus meum. Da kan der Teufel nicht für. Id volo, Verba non cedere in meam poteſtatem, ſed poteſtatem & juſſionem Domini. Anima etiam corpus manducat: corporaliter etiam corpus in verbo. Si interrogo, excido à fide: Ich werd zum narren darob. Cur non Tropum etiam facitis, Aſcendit in cœlum, &c? Quare puris verbis credite, & date gloriam Deo.

Fecerunt hoc poſtea Vbiquiſtæ, Brentius, &c.

Zuinglius: Nos itidem rogamus, ut detis gloriam Deo, & relinquatis Petitionem Principii. Vbi probatur veſtrum thema,

Ego

Ego hunc locum non relinquam inexcusſum,& leviter ita tractatum: Ihr werdet mir andere singen.

Lutherus: Invidiosè loqueris.

Zuinglius interrogat, an credat, quòd Ioan. 6. cap. Christus voluerit mederi ignorantibus?

Lutherus: Ihr wolltet es überbölden. Durus est hic ſermo, &c. Iudæi loquuntur de impoſſibili & abſurdo. Sed miſſa hæc faciamus, quæ ad rem non faciunt.

Zuinglius: Nein/Nein: hic locus (*puta Iohan. 6. cap.*) bricht euch den hals ab.

Luther: Rhümbt euch nicht zu sehr / ihr seit in Hessen/unnd nicht in der Schweitz/ Die häls brechen nicht also: *& alia ob hoc dictum calumniatus est, & quiritabatur plurimùm. Et tamen ſimili phraſi uſus eſt Lutherus in libro contra Cæleſtes Prophetas, inquiens:* Laß uns dem schalck an die Gorgel/ *Carolſtadium innuens. Tom. Ienenſi 3. fol. 84.*

Zuinglius excuſabat, id dictum eſſe ex idiotiſmo noſtro. Eſſe ita diverſas loquendi formulas, &c. Princeps nutu & verbis excuſationem accipiebat.

POST-PRANDIUM. *Zuinglius Poſtillas Lutheri citavit, in quibus ſcripſerit*, quòd Christus de ſe dixerit, Caro non prodeſt quicquam. *Item verba Melanchthonis adduxit in hunc ipſum locum.* Quòd corpus corporaliter manducetur, ſermonem eſſe non fundatum. Quando Veteres dixerunt, Corpus Christi cibat animam, hoc de reſurrectione intelligo.

Lutherus: Non curo quid nos ſcripſerimus: ſed probate, Hoc eſt corpus, quòd non ſit corpus. Corpus cibat hominis corpus æternaliter. Os cùm accipit corpus, immortalitatem quando acquirit. Nam Verbum ex juſſu Dei virtutem induit. Deus dicit, Accipite, facite, Ibi fit: Dicta & facta ſunt. Differt noſtrum dicere, & iuſſio Dei. Si S. Petrus præſtò eſſet, neſciremus quid crederet. Deus ergo non in ſanctitate noſtra, ſed verbo ſuo fundat ſanctum. Peſſimus ſacerdos facit ſanctum.

Zuinglius: Abſurdum quòd impii rem faciant ſacram.

Lutherus: minimè abſurdum: nam baptiſat malus. In Verbo Dei miniſtrant impii. Nam in Cathedra Moſis ſedent,&c. Auguſtinus contra Donatiſtas ait, quòd non tantùm probis, & piis committi debeat miniſterium: quia factum noſtrum ſitum eſt in Verbo Dei.

Zuinglius, aliud eſt quando Phariſæi docent,& quando fit quod Chriſtus loquitur. Miniſterium prædicandi maius eſt miniſterio baptizandi. Verùm ad prædicandi miniſterium pertinent iſta verba, Hoc eſt corpus meum.

1529.

Oecolampadius caput 6. Ioan. reſumit: adducit etiam locum de Nicodemo, & explicat.

Lutherus, fides ſpectat hoc præſens corpus, & id quod in cœlo eſt.

Oecolampadius: Inculcat Lutherus ſemper idem, quaſi nos panem habeamus ſine Verbo Dei. Eccleſia in hoc fundata eſt. Tu es Filius Dei: non in hoc, Hoc eſt corpus meum.

Lutherus: Non temerè hìc adhæreo; mihi ſatis eſt hoc, Hoc eſt corpus meum. Ego fateor corpus eſſe in cœlo, fateor etiam eſſe in Sacramento: Non curo quòd ſit contra naturam, modò non contra fidem.

Oecolampadius: Per omnia nobis ſimilis factus eſt. Vt conſimilis Patri in Divinitate, ita nobis in humanitate.

Lutherus: Donec veniat,&c. Vos diſtinguitis humanitatem & divinitatem, ego non curo. Pauperes ſemper habebitis, me non, &c. Optimum argumentum quod hodie adduxiſtis. Subſtantialiter ut natus eſt è virgine, ita eſt in ſacramento: Hic requiritur analogia fidei, ex definitione fidei *ad Heb. 11. cap.*

Nota.

Oecolampadius: Chriſtum non agnoſcimus ſecundùm carnem.

Philippus: id eſt, ſecundùm noſtram carnem.

Oecolampadius: Vos Tropum nobis adimitis, & tamen Synecdochen facitis, contra intellectum Catholicorum.

Lutherus: Hoc Deo committimus. Synecdoche eſt, ut gladius cum vagina, ein kanttel mit dem bier/ Also ist ein [illegible] red/ Hoc eſt corpus meum: Nam corpus eſt in pane, ſicut gladius in vagina. Hanc figuram textus requirit, ſed Metaphora rem omnino tollit, ut cùm dicatur, Corpus, id eſt, figura corporis. *Exemplum*, Supra quem videris columbam, in qua erat Spiritus ſanctus.

Oecolampadius hoc exemplum retractavit; & ad ſuam ſententiam optimè deduxit.

Zuinglius, Rom. 8. Deus miſit Filium ſuum conformatum carni peccato obnoxiæ,&c. *Ad Philip.* Exinanivit ſemetipſum σχήματι. *Hebr. 2.* Aſſimilatus fratribus. Ergo finitam habet humanitatem. Si corpus ſurſum, ergo in uno loco. *Auguſtinus, Fulgentius & alii adducuntur. Concluſio:* Corpus Chriſti in uno loco, Ergo non poteſt eſſe in multis locis.

Lutherus pro σχήματι in repetendo dixit ἕξεις.

1529. Per omnia ſimilis ; Ergo habuit uxorem, und ſchwarß duglein. Quòd ſit in loco , jam antea dixi vobis , atque adeò edico quòd nolo Mathematicam : id ſæpe repeto. Vt in Cœna ſit, & ut in loco ne curemus.

Zuinglius Paulum adducit ad Philip. 2. Ος ἐν μορφῇ Θεοῦ ὑπάρχων. *Item*, μορφὴν δούλου λαβών.

Lutherus, Latinè vel Germanicè legas, non Græcè.

Zuinglius Latinè ſe excuſat, nempe quòd 12. annis uſus ſit Græco Codice. Tunc pergens, dixit, Ergo Chriſtus eſt finitus ut nos finiti ſumus.

Lutherus : Concedo. Simile de nuce & cortice : Ita de corpore Chriſti. Deus poteſt facere quòd non ſit in loco , & quòd in loco. *Hîc multa erat controverſia de loco.*

NB. *Et cùm Lutherus conceſſiſſet, finitũ eſſe corpus Chriſti, & Zuinglius inferre vellet*, Ergo locale. Si locale & in cœlis, ergo non in pane: *Ibi Lutherus nolebat audire de loco, vel localitate: dicebat*, Jch wil es nicht gehebt/haben ich wil ſie nicht.

Zuinglius, Müß man dann grad alles was ihr wöllend ?

Cœna inſtabat & diremit certamen.

DOMINICA DIE. *Zuinglius*, Corpus Chriſti finitum, ergo in loco.

Lutherus, non eſt in loco, quando in ſacramento: poteſt eſſe in loco & non in loco. Deus poteſt corpus meum ponere ut non ſit in loco. Nam & Sophiſtæ dicunt , Vnum corpus poſſe eſſe in diverſis locis, quod non improbo. *Exemplum* , Mundus eſt corpus, non tamen in loco.

Zuinglius , arguis à poſſe ad ineſſe. Proba quòd corpus Chriſti poſſit eſſe ſimul in diverſis locis.

Lutherus, Hoc eſt corpus meum.

Zuinglius ex Fulgentio legit, quod Chriſtus ſit in uno loco. Luthero obiicit , quòd ſcripſerit, Es iſt alles vol leyb Chriſti. *Et*, Si Divinitas non eſt paſſa in Chriſto , non meus eſſet Chriſtus.

Lutherus: Fulgentius non de Cœna loquitur, ſed contra Manichæos. Fulgentium adducit de Cœna Domini , ubi Oblationis mentio ſit.

Zuinglius : offertur, *id eſt*, memoria celebratur oblationis.

Ibi Lutherus ſacrificium vocauit in dubium ne cederet de ſententia : quod cùm Zuinglius ei obiecisſet, dictum reuocauit.

Lutherus, rurſum corpus Chriſti in multis locis eſſe probat, per, Hoc eſt corpus meum.

Zuinglius eum cepit.

Lutherus reuocauit dictum, Gott geber ſey *in loco* oder nicht / Deo committam : hoc mihi ſatis eſt, Hoc eſt corpus meum.

Zuinglius, ſubinde petitis principium : ſic contentioſus poſſet dicere , Iohannem Mariæ fuiſſe filium : nam Chriſtus dixit: Ecce filius tuus ; ſemper inculcando , Chriſtus dixit , Ecce filius tuus , ecce filius tuus.

Lutherus , non petimus principium: nam articulus fidei non probatur per articulum.

Zuinglius , Scripturæ conferendæ , & per ſe excutiendæ : Dicite an corpus ſit in loco ?

Brentius, eſt ſine loco.

Zuinglius, Auguſtinus dicit , in uno loco eſſe oportet.

Lutherus , Auguſtinus non de Cœna loquitur.

Lutherus tandem concedit , quòd non ſit in ſacramento tanquam in loco.

Oecolampadius hinc colligit , Ergo non eſt hîc corporaliter , leyblich / mit warhafftem leyb.

A PRANDIO. *Oecolampadius repetiit* , quòd conceſſiſſent, corpus Chriſti non eſſe in ſacramento ut in loco: *& quærit ſine contentione*, quomodo ergo ibi ſit corpus ? *Auguſtinus & Fulgentius legitur.*

Lutherus , Vos Auguſtinum & Fulgentium habetis , ſed reliqui Patrés à nobis ſtant.

Oecolampadius petit , ut ſuæ partis Patres proferant: ſed recuſant.

Lutherus admittit ſacramentum ſacræ rei ſignum eſſe : concedit ſancta ſymbola eſſe , & ſic ut ampliùs aliquid ſignificent, & intellectui repræſentent aliud. *De ſignis naturalibus & ſi[illegible] à Deo inſtitutis conſentiunt.*

Lutherus inter alia Auguſtinum reiecit, quòd juvenis ſcripſiſſet, & quòd obſcurus & antiquus ſcriptor: *& concludit.*

Oecolampadius dicit , ſe citare Patres hanc ob cauſam , ne nova & inaudita ipſorum videretur ſententia : *tandem etiam concludit. Itidem Zuinglius fecit. Bucerus proteſtatur & Zuinglius. De hoc poſtremo congreſſu Oecolampadius in ſuo Dialogo fol. 157. b. ſic ſcribit*: In Colloquio Haſſiaco, inceſſebar tanquam argutulus à Luthero , quum quædam de veritate humanæ carnis in medium afferrem. Vrbanitatis igitur illius memor , ſequenti die rogabam , An prorſus non liceat nobis, de modo agere , quo ſit in pane corpus : afferebamque Auguſtini dictum, admonentis ne de hoc dicto , Hoc eſt corpus meum, pueriliter ſentiamus, & proinde

opus

opus nobis discere, ne toti pueri simus. Rogabam igitur, an ipse modum indicare, vel ex me audire velit? Et cùm ipse nihil afferret, ego dicebam, tutò me posse hunc modum asserere, quem omnes veteres Doctores habent, quos Ecclesia non respuit, dicentes, mensam illam mysticam & in sacramento corpus sumi. Quæ expositio planè meæ sententiæ quadrat. Nam ex Doctoribus, præsertim Augustino, etiam ostensum, vt illi sacramentorum rationem ponant. Ipsi verò Augustinum mihi relinquebant.

Sequentia *à Zuinglio sic manu propria ex hoc Colloquio cum Luthero sunt consignata.*

Luther: Mündtlich wirt der leyb geessen: Die Seel isset den leyb nicht. Antwort: So ist er ein leybliche speyß/ vnd nicht ein speyß der Seel. Hie ward Luther getrengt/ daß er bald also redet:

Luther: Ich habe gesagt vnd sag es noch/ Der leyb wird leyblich in vnseren leyb geessen: vnd wil mir dennoch vorbehalten haben/ ob ihn die Seel auch esse. Antwort: Das wirdt alles ohne Schrifft geredet: vnd halt/ daß der leyb Christi ein speyß deß leybs sey. Zu dem/ habend ihr/ Herr Doctor/ vor abgeschlagen/ daß die Seel den leyb nit esse/ ietz wöllet irs vorbehalten.

Luther: Das ist captiosum. Antwort: Nein/ sonder ir redet ding die wider einander sind: Müß man dennoch die warheit anzeigen.

Luther: Ich laß nach/ daß der leyb Christi endsam seye/ so fer/ Endsam/ pro finito, genommen wirt. Antwort: So er endsam ist/ so ist er nit allenthalben: vnd habet aber ir vormals gelehrt/ der leyb Christi sey allent halben/ geleych wie die Gottheit. (Das ward im zum dritten mal für gehalten.) Auch wurde die Gottheit in Christo argwönig gemacht/ als ob die gelitten/ welches doch kein Pater nie gelehrt. Das warff er im auch zum dritten mal für. Aber Luther verantwortet es nicht anders/ dann/ Man wöll in begreyffen.

Luther: Die Schullehrer haben auch gelehrt/ das ein leyb/ der endsam sey/ zů einem mal an viel orten sein möge. Also můß Luther sich widerumb ad cepas & ollas Ægyptiacas kehren/ so er den leyb Christi an viel orten eines mals mit den Sophisten haben wil.

Luther: Christi leyb ist in dem Nachtmal/ aber nit als an einem ort. Antwort/ So Christi leyb endsam erkennet wirt von euch H. Doctor/ vnd alles das endsam ist/ das ist an einem ort/ vnd Christi leyb ist nit da als an eim ort/ so ist er nicht da.

Luther: Es ist mir nicht zůwider/ das man es nemme das zeichen deß leybs Christi.

1529.

Luther: Wenn die wort über das Brot gesprochen werden/ so ist der leyb da/ wie böß der sey der sie spricht/ etc. Antwort: Dann richtet ir das Bapsttumm auf. Dann als wenig der Prediger/ so er prediget/ die gläubig macht/ die ihn hören/ also wenig machet der/ so die wort über das Brot spricht.

Tertiâ die Articuli conscribuntur, in quibus ab vtraque parte consensum est, & in quibus non: vt orbi Christiano notum fieret, eos in omnibus fidei capitibus consentire, vnicò excepto, de Modo præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Cœna. Illi autem articuli cùm Zuinglio & Oecolampadio prælegerentur, quædam verba duntaxat mutari petierunt, propter contentiosos quosdam, qui verba potiùs quàm sensum vrgent.

Articuli verò, de quibus vtrinque consentiunt, hi sunt.

Articuli de quibus vtrinque consensum est.

1. Vnus Deus in tribus personis.

Primùm, Quòd vtrinque vnanimiter credimus & sentimus, vnicum esse verum naturalem Deum, conditorem omnium creaturarum, vnum in essentia ac natura, trinum in personis, videlicet, Patrem, Filium, & Spiritum sanctum, prorsus sicut in Concilio Niceno decretum est, & in Symbolo Niceno passim in tota Ecclesia Christiana canitur & legitur.

2. Deus filius homo factus.

Secundò. Credimus non Patrem, nec Spiritum sanctum, sed Filium Dei Patris, verum Deum, hominem factum esse, per operationem Spiritus sancti, sine virili semine, natum ex pura virgine Maria, secundùm carnem, perfectum corpore & animâ, similem alijs hominibus, sine omni peccato.

3. Christus Dei & Mariæ Filius mortuus est & ad dexteram omnipotentiæ Dei sedet, &c.

Tertiò. Quòd hic Dei & Mariæ Filius indiuisa persona Iesus Christus pro nobis crucifixus, mortuus, & sepultus sit, resurrexerit à mortuis, ascenderit in cœlum, sedeat ad dexteram Dei, Dominus omnium creaturarum, venturus ad iudicandum viuos & mortuos.

4. Peccatum originis omnes homines condemnat.

Quartò. Credimus peccatum originis ab Adamo in nos carnali generatione propagatum, tale peccatum esse, quòd omnes homines condemnet, & nisi Christus nobis opem suâ morte & vitâ tulisset, æternâ morte nobis in eo moriendum fuisset, neque vnquam in regnum Dei, & beatitudinem æternam peruenire potuissemus.

5. Redemptio per solum Christum facta est.

Quintò. Credimus nos à peccato originis & omnibus alijs peccatis & ab æterna morte redimi & liberari, cùm in Filium Dei Iesum Christum pro nobis mortuum esse credimus, nec sine hac fide per vllum opus vel ordinem, &c. ab vllis peccatis liberari posse.

1529.

6. *Fides Dei donum.*

Sextò. Quòd hæc fides sit donum Dei, quod nullis præcedentibus operibus aut meritis impetremus, nec proprijs viribus consequi nunc possimus: Sed Spiritus sanctus, vbi vult, dat & efficit fidem in nostris cordibus, cùm Euangelium, seu verbum Christi audimus.

7. *Iustitia fidei coram Deo*

Septimà. Quòd hæc fides sit nostra iustitia coram Deo, propter quam nos Deus iustos, probos, & sanctos reputet, sine vllis operibus & meritis, & per hanc fidem nos à peccato, morte, Inferno liberet, in gratiam recipiat, & saluet propter Filium suum, in quem credimus, & hac fide omnium beneficiorum, iustitiæ, & vitæ Christi participes reddamur. Quare totus Monachatus & vota, cùm prodesse ad salutem existimantur, damnata sunt.

8. *Externum verbi ministerium.*

Octauò. Quòd Spiritus sanctus, de via ordinaria loquendo, nemini hanc fidem & donum suum largiatur, nisi præcedente concione, seu verbo vocali, seu Euangelio Christi, sed per & cum verbo vocali operatur & efficit fidem, vbi & in quibus ipsi visum est. *Rom.* 10.

9. *Baptismus lauacrum regenerationis & opus Dei.*

Nonò. Quòd Baptismus sit Sacramentum ad hanc fidem (efficiendam & obsignandam) à Deo institutum. Et quia mandatum Dei: Ite, baptizate: & promissio Dei, Qui crediderit, Baptismo Includitur: non nudum signum aut nota & tessera professionis Christianæ, sed signum & opus Dei est, in quo fides nostra requiritur, per quam regeneramur.

10. *Bona opera fructus fidei.*

Decimò. Quòd hæc fides per efficaciam Spiritus sancti, postquam per eam iustificati, & sanctificati sumus, bona opera per nos operetur: videlicet dilectionem proximi, inuocationem Dei, & patientiam in cruce.

11. *Confessio & absolutio*

Vndecimò. Quòd confessio seu petitio consilij (& absolutionis) apud Pastorem vel proximum suum, etsi non coacta, sed libera esse debeat: tamen valdè vtilis (& expetenda) sit mœstis & afflictis, vel in peccata aut errorem lapsis conscientijs, præcipuè propter absolutionem seu consolationem Euangelij, quæ vera absolutio est.

12. *Ordo Magistratus à Deo.*

* *Duodecimò.* Quòd Magistratus, leges ciuiles, iudicia, & ordinationes politicæ, vbicunque sunt, bonus & legitimus ordo sint, non prohibitus, sicut aliqui Papistæ & Anabaptistæ sentiunt & docent: Sed quòd Christianus, qui ad Magistratum vocatur vel nascitur, bene per fidem Christi saluari possit: sicut ordo coniugalis, patris & matris, Domini & matrisfamiliâs, &c.

13. *Traditiones humanæ liberæ & indifferentes sunt, nisi cum Dei verbo pugnant.*

Decimò tertiò. Traditiones, quæ sic nominantur, seu ordinationes Ecclesiasticæ ab hominibus factæ, si non pugnent contra manifestum Dei verbum, liberè seruari vel omitti possunt; prout homines sunt, cum quibus versamur, ita, vt scandala non necessaria vitemus & paci seruiamus. Et quòd prohibitio coniugij sacerdotum sit doctrina Dæmoniorum.

14. *Vtraque species in Sacramento corporis & sanguinis Christi. Hoc calidè vniformus compilatores.*

Decimà quartò. Pædobaptismum necessarium esse, veluti quo infantes in gratiam Dei & gremium Ecclesiæ recipiantur.

Decimò quintò. Credimus & sentimus omnes de Cœna Domini nostri Iesu Christi, quòd vtraque* specie, iuxta institutionem vtendum sit: Quòd Missa non sit opus, quo alter alteri, defuncto aut viuenti, gratiam impetret: Quòd Sacramentum altaris sit Sacramentum veri corporis & sanguinis Iesu Christi, & spirituaiis istius veri corporis & sanguinis sumptio præcipuè vnicuique Christiano maximè necessaria. Similiter de vsu Sacramenti consentimus, quòd, sicut verbum, ita & Sacramentum à Deo traditum & ordinatum sit, vt infirmas conscientias ad fidem & dilectionem excitet per Spiritum sanctum. Etsi autem, an verum corpus & sanguis Christi corporaliter in pane & vino Cœnæ Domini præsens sit, hoc tempore non concordauimus, tamen vna pars alteri Christianam dilectionem, quantum cuiusque conscientia feret, declarabit, & vtraque pars Deum omnipotentem diligenter orabit, vt nos Spiritu suo in vera sententia confirmet, Amen.

Subscripserunt.	*Martinus Lutherus.* *Iastus Ionas.* *Philippus Melanchthon.* *Andreas Osiander.* *Ioannes Brentius.* *Ioannes Oecalampadius.* *Huldrychus Zuinglius.* *Martinus Bacerus.* *Casparus Hedio.*	3. *Octob.* an. 1529

Ex his articulis inter alia manifestum est, articulos de Incarnatione & Persona Christi, & quomodo Deus in indiuisa persona vnitate sit passus, item de Ascensione in cœlum, & sessione ad dexteram, in hoc Conuentu inter Lutherum & aduersarios suos, conciliatas fuisse, & totam illam contrauersiam compositam. Quorsum igitur attinebat à Patribus Bergensibus, ex mero maledicendi studio, virulentam illam Lutheri contra Alloeosin Zuinglij disputationem, in qua constat Lutherum Zuinglij sententiam aut non intellexisse, aut intelligere non voluisse, contra

contra sancita Concordiæ & Transactionis fidem, ad inuidiam insontibus creandam, denuò in suo Concordiæ libro refricari & inculcari? Equidem non alio consilio & fine à Schmidlino hoc factum fuisse certum est, quàm vt inde errorem suum stabiliret, quo contra Bezam docet, Christum non tantùm secundùm carnem, & vt hominem passum fuisse, sed etiam passionem ipsius quodammodo redundâsse in ipsam Diuinitatem. *Quam blasphemiam Cyrillus refutat in epistola ad Nestorium.*

Fol. 112. & 116.

Deinde ex Decimo quinto articulo constat, vtrinque placuisse, Sacramentum Cœnæ Dominicæ veri corporis & sanguinis Christi sacramentum esse posse, etsi non concedatur, sed in Controuersia maneat, an corpus Christi corporaliter sit in pane. Item, quòd verum corpus Christi, absque hac corporali præsentia, verè & spiritualiter manducari possit. Ideoque solam illam de corporali præsentia quæstionem tanti esse non debere, vt propterea Christiana dilectio tollatur.

Verus status controuersiæ inter Lutherum, Zuinglium, & Oecolampadium.

Tertiò, ex his articulis apertissimè constat, quinam verus controuersiæ inter partes hoc tempore status fuerit, & quam ob causam Lutherus hucusque in suis polemicis libris cum aduersariis suis tanto impetu & feruore dimicâsse visus sit: nempe, vt obtinere posset, corpus Christi corporaliter in pane esse. *Hæc etiam causa fuit vnica, propter quam in hoc Colloquio Marpurgensi Controuersia componi & concordia integra inter Partes iniri non potuit. Hanc enim Lutheri sententiam de locali inclusione corporis in pane aduersarij eius, Zuinglius & Oecolampadius, intellexerunt, cùm ipsi sacramentalem vnionem rerum cum signis docerent. Negauit quidem Lutherus in hoc Colloquio, & aliàs sæpe, se hoc docere, & sibi iniuriam hîc fieri protestatus est: Fuit autem visa Zuinglio & Oecolampadio hæc eius protestatio contraria facto. Qui enim corporalem præsentiam docet, quâ corpus Christi non extra panem, seu locum panis, sed in pane tantùm contineri, in eoque existere docetur, is localitatem corporis in pane docet. Facere autem hoc Lutherum aduersarij eius sibi omnino persuaserunt.*

Bonauentura lib. 4. & Gabriel Biel. Lutherus visus est aduersariis localem inclusionem corporis Christi in pane docere.

Nam primò, Papistæ fatentur & dicunt, corpus Christi, quamuis non sit commensuratiuè in loco, esse tamen & contineri in loco per modum hostiæ, quæ est in loco, atque sic per accidens esse in loco, & ad motum hostiæ moueri de loco in locum. Hoc autem quid aliud est, quàm localis inclusio, id est, comprehensio corporis Christi in pane, & in loco panis? Scribit autem Lutherus sæpe in suis libris, præsertim in Confessione parua, Sic Papistæ docent & nos cum ipsis simul: Dicit etiam, in Papatu eandem doctrinam traditam esse, quam & ipse adhuc retineat: Probat quoque palinodiam Berengarij, quâ dicitur, Christi corpus manibus sacerdotum in Cœna tractari, frangi & dentibus atteri.

1529.

Secundò, *localem inclusionem corporis Christi in pane apertissimè in suis scriptis docere visus est Lutherus. Nam in libro de Captiuitate Babylonica & alibi sic scribit:* Cur non posset Christus corpus suum intra panis substantiam continere, sicut in Accidentibus? Ecce ignis & ferrum duæ sunt substantiæ, & sic miscentur in ferro ignito, vt quælibet pars sit ferrum & ignis: Cur non magis corpus Christi gloriosum sic in omni parte substantiæ panis esse posset?

In libro contra Cœlestes Prophetas; Cum Christo, *inquit*, simpliciter de pane dici debet, Hoc est corpus meum: perinde enim est, ac si dicatur, Hîc est panis & corpus, vna res, sicut ignis & ferrum. *Si hæc vera sunt, oportet vt antè panis & corpus in vnam substantiam permixta sint, sicut ignis & ferrum, quàm corpus Christi appelletur. Item:* Nos honoramus, & adoramus corpus Christi in pane. *Hæc est prorsus idololatrica inclusio localis: videlicet, panem & corpus Christi in pane, vnam rem, imò Christum ipsum facere. Rursus:* Si Paulus non sensisset, quòd Christi corpus in pane esset, fractionem, id est, distributionem non corpori Christi attribuisset. Quandoquidem enim in fractione, panis & corpus franguntur, fatendum omnino est, corpus Christi esse in pane. *Hic vult Lutherus, corpus Christi ideo in Cœna frangi, vel distribui, quòd in pane sit. Sic contra Carolstadium contendit*, sacerdotem hanc potestatem à Christo accepisse, vt corpus & sanguinem in sacramento præsenter sistant, ac verè exhibeant: *Quod nihil aliud, quàm Papistica incantatio est.*

In libro, Quòd verba Christi, Hoc est corpus meum; adhuc firma stent, *scribit:* Has phrases æquipollentes esse; Christi corpus est in pane: *Et*, Hic panis est corpus Christi: *Vel*, Corpus Christi est, vbi panis est: alioquin nudus adesset panis. *Et in toto illo libro hoc vnum euincere & obtinere conatur, quòd Christi corpus* Hîc, *id est, localiter in pane & sacramento sit. In his autem phrasibus subiectum & prædicatum permutantur, nec verbum,* Est, *suam genuinam & propriam significationem retinet. Rursus ibidem ex hoc Augustini dicto,* Sacramentum est visibile signum inuisibilis gratiæ, *probare conatur*, Corpus Christi inuisibiliter hîc esse, sub visibili signo: & sic panem & vinum visibile signum esse & speciem inuisibilis corporis

1529. poris & sanguinis præsentis. *Cùm contrà Augustinus doceat, sacramentum signum esse visibilis corporis & comprehensibilis sicut in cruce pependit. Distinguit etiam idem Pater visibilem speciem sacramenti ab inuisibili gratia, his verbis:* Externa species sacramenti per ministrum exhibetur, Christus autem ipse est, qui inuisibilem gratiam dat. Etsi enim visibilia sacramenta communia omnibus sint, inuisibilis tamen gratia non omnibus communis est. *Apertissimè igitur à Luthero hic Augustini locus in alienum sensum contorquetur.*

Contra Oecolampadium sic scribit: Nisi corpus Christi in pane est, Verbum Dei falsum esse oportet, licèt indicari non possit, ad quid prosit. Serpentis enim quæstio est, Cur Christus corpus suum in panem inclusit? ad quid prodest? cur opus est? Et nullus Christianus cupere debet scire, ad quid prosit, quòd Christi corpus in pane est, & quomodo corpus eius comedatur. Hoc enim diabolici Suermeri scire cupiunt. Cùm autem Christus dicit, Accipite, Hoc est corpus meum: necesse est, vt corpus in pane sit, alioquin Christus mendax esset.

Contra eundem contendit, Panem esse figuram corporis Christi, Geometricè tamen: *hoc est*, speciem & figuram panis, eiusdemque latitudinem, longitudinem, densitatem & colorem, non ampliùs esse speciem & figuram panis, sed corporis Christi longitudinem, latitudinem, densitatem & colorem, virtute verborum, Hoc est corpus meum. *Ex quibus nihil aliud colligi potest, quàm quòd corpus Christi, In, vel sub figura, densitate, longitudine, latitudine & colore panis conclusum, comprehensum & occultatum lateat. Quod nihil aliud est, quàm localis inclusio.*

In sermone contra Spiritus fanaticos scribit, Nos relictis Suermeris, verbis Christi simpliciter insistamus, nempe, quòd in pane corpus Christi, & in vino veraciter sanguis eius sit. *In eodem Sermone aduersarijs suis persuadere vult,* Papistas verum Christi corpus in suis Processionibus circumgestare. *Cùm verò hic Pontificiorum error locali inclusioni fundetur, constat inde, Lutherum quoque eodem errore fasciuatum fuisse. Item:* De hoc Sacramento credimus, quòd in pane & vino corpus & sanguis Christi reuera adsint. *Rursus:* Corpore & sanguine è pane & vino sublatis, præter nudum panem, qualem pistor habet, nihil remanet. *Item:* Siue Christus in panem aut calicem, aut in quamcunque aliam rem irrepat, perinde mihi est. *Iterum:* Reuera in omnibus creaturis est, sic vt cum in lapide, igne, aqua, quin etiam in laqueo inuenire possem, sicut etiam reuera ibi est. *Item:* In Sacramento alio modo adest, vbi corpus & sanguinem suum pani & vino alligat, vt etiam corporaliter ibi sumi possit. Cœlum & terra saccus eius sunt: quemadmodum frumentum saccum implet, sic ille implet omnia. *Rursus:* Sæpe anxiè cogitaui, quomodo hic in tam paruo crustulo panis verum & substantiale corpus Christi adsit integrum & indiuisum in vnaquaque particula. *Iterum:* Totus Christus corpore & sanguine in cordibus fidelium est, sicut in pane & vino, iuxta mandatum Christi. *Denique:* Verba Christi, Accipite & edite, Hoc est corpus meum: hoc vulgari sensu accipienda esse, ac si quis hospiti vel conuiuæ suo diceret, Accipe, manduca, Hoc est panis albus. *Vel aliter*, Ac si quis Cantharum cum vino, & saccum cum pecunia ostendens, diceret, Hoc est vinum Rhenense, Hoc est pecunia. *Vinum autem in cantharo, & pecunia in sacco localiter continentur: Ergo iuxta Lutherum etiam corpus & sanguis in pane & vino.*

Eodem modo etiam scribit in Confessione magna: Figura, *inquit*, Synecdoche *(iuxta quam verba Christi, Hoc est corpus meum, intelligi vult Lutherus)* est admodum frequens non solùm in Scripturis, sed in omnibus linguis: vt, cùm peram alicui trado, dico, Hoc sunt centum floreni: Ibi Pronomen demonstratiuum, Hoc, peram denotat. Sed quia pera & floreni aliquo modo vna substantia sunt, tanquam coniunctum quid, simul etiam denotat florenos. Eodem modo Dolium apprehendens, dico, Hoc est Rhenanum, Hoc est Italicum, Hoc est rubrum vinum: Item vitrum conrectans dico, Hæc est aqua, Hæc est ceruisia. In omnibus his locutionibus, vocula, Hoc, ipsum vas demonstrat, & simul etiam liquorem intus contentum.

In eadem confessione dicit: Cùm Christi Corpus in mensa cum discipulis sederet, & tamen simul quoque in pane esse posset, ideo potest etiam hodie in cœlo, & simul etiam in pane esse. *Item:* Sicut Christi corpus, cùm per clausas ianuas ad discipulos veniret, in eo simul loco erat, vbi lapis & lignum erat: Ita simul etiam est in sacramento, vbi panis & vinum sunt. *Rursus:* Cur non possem dicere, Ecce, hic est Christi corpus & sanguis? *Iterum:* Christi corpus inuisibiliter in pane absconditum est, sicut se à Iudæis abscondit. *Et:* Cur non posset Deus corpus Christi verè in pane sistere? *Item:* Corpus Christi glorificatum,

tum, est res longè subtilior quàm sit sonus humanæ vocis: ideoque multò facilius ipsi est inuadere & penetrare in panem, quàm humana facies in speculum, aut sonus humanæ vocis ad multorum aures peruenire potest. *Rursus*: Ego firmiter credo, corpus & sanguinem Christi verè in pane & vino comedi & bibi, siue hoc alij credant, siue non.

In Colloquio Marpurgensi, vt supra indicatum est, Lutherus contra Zuinglium dixit: Synecdoche est, vt gladius cum vagina, ein kantel mit dem Bier also istauch ein eingefaßte red / Hoc est corpus meum: Nam corpus est in pane, sicut gladius in vagina, &c. *Concessit in eodem Colloquio Lutherus*, corpus Christi esse finitum: *Si finitum est, ergo locale: Quòd si igitur corpus Christi in pane est, ergo localiter ibi inclusum est. Dixit in eodem Colloquio*, Corpus Christi substantialiter in sacramento esse, vt ex virgine natus sit.

Nota.

Denique, si tunc, cùm à Zuinglio & nostris secundùm articulos fidei corpus Christi tantummodo in cœlo, & non alibi esse dicitur, à Luthero & Vbiquistis propterea calumniosâ illatione affirmatur cœlo quasi inclusum esse; quomodo effugient, quin multò magis concedere & fateri cogantur, corporalem illam, & quidem inuisibilis corporis in pane præsentiam, quæ non est extra panem, nec semper in pane, nisi in ipso manducationis usu (quemadmodum hoc in Torgensibus articulis contra Vbiquistas docetur) nihil aliud esse quàm localem inclusionem, seu comprehensionem corporis Christi in pane & loco panis? Quod enim respectu alicuius loci (vt panis Eucharistia) non est extra illum locum, istud necessariò in illo loco contineri & includi oportet, aut res non verbis, nec verba rebus suâ verâ & genuinâ significatione consentient & respondebunt.

Artic. 4.

Ex his omnibus, & præsertim Lutheri scriptis de abscondito & latente corpore Christi in pane, apertissimè constat, quis status controuersiæ hoc tempore inter Lutherum & Zuinglium fuerit de verbis Cœnæ Dominicæ, & quam ob causam de eo Marpurgi inter partes conueniri non potuerit; nempe, quòd Lutherus aduersariis suis visus est probare, & persuadere velle, verba Christi, de inuisibili & in pane abscondito corpore intelligenda, & talem præsentiam veritati, & naturalibus proprietatibus corporis Christi non contrariam esse. Et contra, Quòd veram præsentiam & manducationem corporis Christi in Cœna, Zuinglius & Oecolampadius cum suis visi sint Luthero negare, & docere, Sacramenta tesseras tantùm, & propterea nuda seu inania signa esse.

In Marpurgensi Colloquio cur inter partes conueniri non potuerit.

1529.

Porrò Landgrauius, alijque magni ac docti viri, quantum authoritate & consilio anniti atque efficere poterant, nihil prætermittebant, quò dum per omnia in negotio Cœnæ connenire non possent, tamen alij alios fratrum loco haberent. Hanc conditionem Zuinglius cùm suis Luthero vltrò obtulit, sed impetrare ab eo non potuit. Tametsi verò Lutherus Zuinglium & reliquos pro fratribus nondum quidem habendos censeret: placuit tamen omnibus, vt vtraque pars se alteri amicam præberet, pacem coleret, & ad cauenda Ecclesiæ scandala ab acerbo rixatorum librorum stylo sibi temperaret. Tandem cùm dexteras sibi mutuò dedissent, conuentus solutus fuit.

Ex Marpurgensi Colloquio vt discessum sit.

Durasset Colloquium hoc diutiùs, & vt quidam putârunt, non sine spe alicuius vberioris Concordiæ, nisi Sudor Anglicus *subitò Marpurgum inuasisset: & terrore omnium animos perculisset. Hoc morbo correpti homines, intra vigesimam quartam horam aut exhalabant animam, aut, si virus exudasset, valetudinem paulatim recuperabant, & prius quàm de remedio constaret, multa perierunt millia. Malum hoc, inde ab Oceano, per omnem propè Germaniam peruasit, breuissimo temporis spatio, & incredibili celeritate, velut incendium aliquod, longè lateque depascebat omnia. Vocârunt autem horrendum hunc morbum Anglicum sudorem, quòd is sub Henrico 7. Angliæ Rege, anno Domini 1486. Angliam primò inuasit.*

Marpurgense Colloquium cur diutius non durârit. Sudor Anglicus.

Refert Ioan. Sturmius in Antipappo 4. fol. 197. Bucerum anno 37. in cœna quadam Argentina, in qua etiam Capito & Hedio affuerint, cùm facta mentio fuisset huius Colloquij Marpurgensis, dixisse, longè aliam Marpurgensem fuisse illam congressionem, atque Witebergensis fuisset, anni 36. & Philippum Landgrauium duo laudâsse in Zuinglio & suis comitibus. Vnum, quòd Marpurgum venissent, commeatu, tutela causâ non postulato: cùm Lutherus & Saxonici vltra Crucibergum oppidum non progredi vellent, antequam à Principe Landgrauio diploma mitteretur. Deinde, quòd cùm Lutherus non pateretur sese vllis argumentis abduci, à præscriptis in mensa verbis: HOC EST CORPVS MEVM, *& aliquando illuderet etiam verba Zuinglij, & cum Zuinglius dixisset, suo argumento, Lutheri argumentum iugulatum esse, irriserit verbum illud, tanquam castrense & cruentum: tamen id paterentur, qui cum Zuinglio erant, humaniter: & fatebatur Bucerus, in eo Colloquio Lutherum fuisse duriorem: fortassis propter*

Bucerus de Colloquio Marpurgensi.

sussi-

1529. *suspiciones & offensiones, quas utrinque scripti libri excitârant.*

Francisci Lamberti Confessio. *Adhuc Ministri Ecclesiæ Argentoratensis, confessionem Francisci Lamberti, quam ipse author eis iam moriturus commendârat, publicari curauerunt. Hic Lambertus cùm anno 1522. deserto Monasterio Auinione in Gallia, Tigurum venisset, veste Franciscana nondum deposita, cum Zuinglio priuatim de primarijs doctrinæ capitibus contulit, & publicè de intercessione diuorum disputauit, atque veritati cum gratiarum actione cessit. Postea ad Lutherum profectus est Witebergam, ac tandem in Schola Marpurgensi à Principe recens constituta, Theologiam docuit. Cumque Colloquium Marpurgi haberetur, vt de se testatur, firmiter statuit veritatem inquirendo, nihil attendere, quis aut hoc aut illud diceret. (Fuerat enim hactenus paulò addictior Luthero in causa Cœnæ) sed quid diceretur. Accessitque ad eam rem perscrutandam, erga vtramque partem aquè affectus, constanter decernens, in eam se descensurum sententiam, quam Dei Verbo magis congruere certò visurus esset: & tandem veritate Verbi Dei victus, sententiam suam de Cœna Domini mutauit: atque postea amico cuidam scripsit, quibus rationibus permotus, sententiam suam mutârit. Inter alia habet, illud quod perpetuò à Lutheranis obijcitur*, Hoc est corpus meum, esse petitionem principij. *Id enim quod in controuersia positum est, pro argumento sumi.*

Lambertus vbi veram sententiam de Cœna didicerit.

Falsi rumores de Marpurgensi Colloquio. *Post hoc etiam Colloquium, non pauci, nec vulgaris in Saxonia authoritatis viri, per Germaniam & alias nationes, multas epistolas spargebant, quibus affirmabant, Zuinglium cum suis, omnia illa, quæ antè docuerant, recantâsse, excepta doctrina de Eucharistia, quam ipsi quoque reuocare parati fuerint, nisi vulgi sui metus eos prohibuisset: Orâsse igitur eos, ne ad huius quoque palinodiam vrgerentur, nisi vellent eos sua plebi occidendos obijcere. Harum epistolarum duas Melanchthonis, & vnam Lutheri huic narrationi inserere lubet, & ijs deinde Oecolampadij, Buceri ac Tigurinorum Responsiones subijcere, vt istorum hominum inde vanitatem & calumnias Lector deprehendere possit.*

Alij quoque multi viri eruditi, post hoc Colloquium paulatim in Zuinglij sententiam descendebant.

Sic igitur Philippus de hoc Colloquio Electori Saxoniæ scripsit.

Philippi litera ad Electorem Sax. de Marpurg. Colloquij actis. *Primò.* Illustrissimus Hassiæ Landgrauius mandauit, vt D. Martinus cum Oecolampadio solo, & Philippus etiam cum Zuinglio solo colloqueretur. Hic propositum ipsis fuit: Nos præter Articulum de Cœna, multos alios in ipsorum doctrina improbare, de quibus etiam conferri oporteat. Verbi gratiâ, Quòd Zuinglius scripsit: Nullum esse peccatum originis, sed externas tantùm malas actiones & facta, peccata esse, & ita sentit originalem immundiciem & concupiscentiam. Item, quòd naturâ Deum non timemus, nec ipsi fidimus, peccati rationem non habere. Id quod magno indicio est, Zuinglium de vera Christianorum sanctitate non multùm scire, cùm Pelagianos, Papistas, & Philosophos secutus, externas tantùm actiones pro peccatis habeat.

Secundò. In articulo de Ministerio Ecclesiastico siue verbo, & vsu Sacramentorum, grauiter hallucinantur. Docent enim Spiritum sanctum non per Verbum & Sacramenta, sed sine Verbo & Sacramentis donari. Idem etiam docebat Muncerus, & eâ ratione priuatis speculationibus sese dabat. Id quod sequi necesse est, si quis Spiritum sanctum sine verbo acquiri posse existimet.

Tertiò. Rumor increbuit de Argentinensibus, quòd de Trinitate non rectè sentiant, qua de re etiam sententiam ipsorum scire desiderabamus. Accepimus enim plerosque ipsorum non aliter, quàm Iudæos, de Diuinitate loqui, quasi Christus non sit naturâ Deus.

Quartò. Incommodè etiam loquuntur & scribunt, de hominis Iustificatione coram Deo, & doctrinam de fide non satis inculcant, sed ita de Iustificatione loquuntur, quasi opera quæ fidem sequuntur, sint Iustitia hominis. Malè etiam hanc quæstionem explicant: quomodo fides concipiatur?

De his Articulis tunc temporis, quantum fieri in illa festinatione potuit, à nobis instituti sunt, & quò plura de ijs audierunt, eò magis institutio nostra ipsis placuit. In omnibus etiam illis capitibus cesserunt, quanquam antea aliter de iis publicè scripsissent.

Si insimulationes scriptæ falsæ sunt apparebit.

Altero die in publico colloquio, cui ipse etiam Landgrauius intererat, Lutherus initio dixit: Opus esse, vt de capitibus iam commemoratis colloquio institueretur, sed tamen solum Sacramenti negotium pertractatum fuit: In quo Zuinglius & Oecolampadius his tribus tantùm argumentis nitebantur.

1. Ioh. 6. Christus docet spiritualem corporis sui manducationem: Ideo in Sacramento spiritualis tantùm manducatio intelligenda est.

2. Corpus

2. Corpus non posse pluribus in locis esse: Cùm igitur Christus verum corpus habeat, & in cœlis sit, non posse ipsum simul in Sacramento esse. Multas quoque incommodas locutiones effuderunt: Deum adeò incomprehensibilia nobis non proponere. Item, externam manducationem & res externas nihil prodesse, & pleraque alia his similia.

3. Oecolampadius multa vulgata Augustini dicta ex libro recitabat, quòd Sacramenta sint signa aliquid significantia, sicuti serpens in deserto, &c. aliquid significavit.

Hæc ipsorum fuerunt fundamenta, quibus recitatis, Oecolampadius aliquoties dixit. Existimârim sanè sufficere, si tantùm spirituali manducationi insisteremus.

Hæc ipsorum argumenta, D. Martinus refutavit, bidui spatium isti labori impendens.

Ad 1. Iohan. 6. responsum est, caput illud institutioni Sacramenti minimè repugnare. Etiamsi enim Christus ibi tantùm agat de spirituali manducatione sui corporis, nempe de fide, tamen hîc etiam corporalis illius manducatio instituta est, quæ spirituali manducationi nihil derogat, nec eam impedit: quin docemus etiam hanc spiritualem manducationem in Cœna esse debere. Ita juxta verba illa, Hoc est corpus meum, externa manducatio instituta est, licèt ea Iohan. 6. instituta non sit.

Adversarii multùm præsidii ponebant in hoc dicto, Caro non prodest quicquam, quasi in Sacramento nulla sit utilitas carnis Christi. Ad id responsum est: Dictum illud de carne CHRISTI minimè intelligendum esse (suprà enim Christus dicit, Carnem suam esse vivificam) quin potiùs accipiendum illud esse, de carnalibus nostris operibus atque cogitationibus. Etsi maximè de CHRISTI etiam carne dictum hoc accipiamus, nihil tamen aliud evinci ex eo posse, quàm CHRISTI carnem absque fide manducatam nihil prodesse. Omnino enim fatendum est, Christi carnem non esse inutilem præsertim credentibus.

Ad alterum responsum est, Rationem non debere Dei virtutem & arcana iudicare, An corpus aliquod in multis possit esse locis nec-ne: Huic verò Argumento admodum firmiter insistunt, & multa dicta rem nihil facientia allegant: Quòd Christus verum corpus habeat: Quòd idem nobis similis sit: Corpus in loco esse oportere, &c. Ad illa omnia responsum & sæpius repetitum est: Rationem nostram de his iudicare non debere. Facilè enim Deus corpus aliquod sine loco sustentare potest, sicuti totus mundus extra sese nullum habet locum.

1529.

Adversarii multùm contendebant, magnum esse miraculum: Quomodo igitur eiusmodi miraculum per malos Sacerdotes fieri possit?

Responsum est: In Ministerio Ecclesiastico nullo modo Ministri dignitatem, sed Dei mandatum spectandum esse. Nullus enim Angelorum aut Sanctorum utiliter concionari aut sacramenta administrare posset, nisi Dei extaret mandatum, quemadmodum Paulus de seipso inquit: Quis ad hæc idoneus? Fuit autem hîc olim error sive hæresis Donatistarum, in qua hoc tempore hærent Anabaptistæ: Nemini videlicet, nisi sanctus & innocens sit, Sacramenta administrare licere. Hac datâ solutione illud caput urgere desierunt.

Ad tertium: Quòd Augustinus sæpe inquit, Sacramenta esse signa aliquid significantia, responsum est: Verum esse, quòd omnia Sacramenta pro missionem illis operibus annexam significent: Verbi gratiâ, Cœna Dominica significat, Christi morte pro nostris peccatis satisfactum, & remissionem peccatorum nobis promissam esse, & tamen non sequitur, Christi corpus ibi non adesse.

Hæc summa fuit totius disputationis. Quia verò Osiander & Brentius non fuerunt auditi, nos scriptum quoddam ad Landgravium concepimus, in quo multas sententias veterum Patrum (quorum autoritatem adversarii subindè jactant) hoc fine collegimus, ut Landgravius perspicua & clara dicta Patrum in promptu haberet, quibus ostensum esset, Veteres etiam nostræ sententiæ fuisse.

Sub finem negotii Zuinglius & Oecolampadius magnopere petiverunt, ut pro fratribus ipsos haberemus: Sed in hanc ipsorum petitionem consentire nullo modo voluimus, & duriùs etiam hoc nomine ipsos allocuti sumus: Mirum nobis videri, quâ conscientiâ pro fratribus habere nos possint, quos errare in doctrina statuant: Quomodo enim ferre possint, ut in suis cœtibus simul cum ipsorum dogmate, nostra etiam sententia doceatur & credatur, id quod permittendum omnino sit, nisi nos mutuò excommunicemus.

Ne autem Actio prorsus infructuosa esset, certos quosdam articulos de aliis

1529. quibusdam rebus conscripsimus, ut ulteriores errores, quantum fieri posset, præcideremus. Deprehendimus enim de illis articulis, quorum superius est facta mentio, incommodas loquendi phrases invectas fuisse. Atque ita nostram sententiam in omnibus approbârunt, excepto hoc uno de præsentia corporis Christi in Cœna Dominica. Existimamus etiam ipsos controversiam hanc, nisi eóusque progressi essent, non facilè excitaturos fuisse: speramusque eos, si commodis rationibus cum ipsis agatur, arena sua cessuros esse. Præterea etiam sese minimè difficiles aut morosos erga nos exhibuerunt: Sed deprehendimus ipsos in doctrina D. Martini non satis institutos fuisse, quanquam verba imitati conentur. *Hactenus Philippus.*

Et illi vicissim ipsorum.

In eandem sententiam scripsit etiam Melanchthon epistolam ad Henricum Saxoniæ Ducem, quæ extat in Operibus Lutheri Tomo 4. Ihenen. folio 467. & sic habet: Illustrissimus Princeps Landgravius Hassiæ, hos, quorum adscripta sunt nomina, vocavit, ut Marpurgæ ad diem Michaelis anni 1529. comparerent, & de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri JESU CHRISTI unà colloquerentur.

Philippus ad Saxoniæ Ducem Henricū de Colloquio Marpurgensi.

Venerunt igitur Marpurgam primi Oecolampadius, Zuinglius, Bucerus, & Hedio. Deinde D. Martinus Lutherus, Iustus Ionas, Philippus Melanchthon: Postremò Andreas Osiander Norinbergâ, Iohannes Brentius ex Salinis, & Stephanus Agricola Augustâ.

Postquam D. Martinus Lutherus venit, Landgravius seriò mandavit, ut D. Martinus Lutherus cum Oeculampadio solo, & Zuinglius cum Philippo etiam solo colloqueretur.

Iuxta hoc mandatum hi unà contulerunt: ac D. Lutherus Oecolampadio Articulos multos proposuit, de quibus partim non rectè sensisset ac scripsisset, partim occasionem rumoribus præbuisset, ut plures inde & majores errores secututos esse metuatur.

De talibus articulis Philippus cum Zuinglio etiam egit, hisce videlicet: Zuinglium non rectè scripsisse de morbo Originis, quòd non sit peccatum, & quòd Baptismus ad id non prosit, ut peccatum originis infantibus remittatur.

Item, de Cœna Domini, quòd corpus & sanguis Christi non verè sint in Sacramento.

Item, de usu Verbi & Sacramentorum, non docere eos, quòd Verbum & Sacramenta instituta sint, ut per ea Spiritus sanctus nobis detur. Quâ opinione receptâ Ministerium Verbi & Sacramentorum in Ecclesia facilè extingui posset. Fertur item quosdam illorum non rectè sentire de Divinitate Christi.

Ad hæc Zuinglius respondit: Primùm de Divinitate Christi se semper sensisse, & adhuc sentire, Christum verum Deum & hominem esse: & alioquin de toto articulo Trinitatis se sentire, sicut Synodus Nicena docuerit. Nec ad se pertinere, si qui in superiori Germania incommodè locuti sint. Indicabat etiam Hetzerum Anabaptistam, qui Constantiæ supplicio affectus est contra Divinitatem Christi librum scripsisse, quem ipse (Zuinglius) oppresserit, ne in lucem prodiret.

De cæteris Articulis, videlicet de peccato originis. Item, quòd Spiritus Sanctus non detur per Verbum & Sacramenta, multùm disputatum est, sicut res magni momenti sunt: in quibus Zuinglius libenter à suis scriptis discessit.

Deinde conferebatur de articulo Sacramenti Cœnæ Domini, de quo Zuinglii & Oecolampadii argumenta in publica collocutione audita sunt. Cùm enim de hoc Articulo privatim non convenisset: Voluit Illustrissimus Princeps Hassiæ, ut in suæ Celsitudinis & aliquot Consiliariorum præsentia de eo ageretur.

Inchoato igitur publico Colloquio, indicabat Lutherus: Necessitatem flagitare, ut de tota summa Christianæ doctrinæ cum illis ageretur. Nam in Zuinglii scriptis multos errores inveniri: Præterea parùm eos de Iustificatione docuisse, ut appareat propriam Evangelii doctrinam parùm ipsis notam esse.

Deinde protestabatur Lutherus, se scire, quòd de sacramento rectè scripserit, ac velle se in eo quod scripsisset, permanere. Quòd si Oecolampadius & Zuinglius aliquid contra veritatem se proponere posse existimarent, id se audire velle & refutare.

Ad ea respondit Zuinglius: Conventum hunc non ideo institutum esse, ut de cæteris Articulis conferretur, sed tantùm de sacramento: de quo si conveniret, velle se etiam de aliis causis colloqui. Ita Articulus de Sacramento solus propositus est, ac tria præcipuè argumenta tractata sunt.

Primum, Ioh. 6. Christum dixisse, Caro non prodest quicquam. Ideo non existimandum esse, in sacramento carnem Christi præsentem esse, quia carnalis manducatio nihil prosit.

Hoc

1529.

Hoc argumentum Lutherus etiam refutavit, quòd verba, caro non prodest quicquam, non de Christi carne intelligenda sint, quia priùs dixit: Carnem suam vivificare, sed de carne sine Spiritu. Ideo addere Christum, Spiritus est qui vivificat, ut ostendat nostram carnem nihil prodesse, non intelligere ea quæ sunt Spiritus Dei: Alloqui horrendum auditu fore, Christi carnem nihil prodesse. Deinde etiamsi concederetur, Christum de sua carne dixisse, Caro non prodest quicquam, tamen Zuinglium non posse confirmationem suæ opinionis de Sacramento inde extorquere. Non enim asserunt hæc verba, Christi corpus non esse in Sacramento. Sed etiamsi concedatur, ea de Christi carne accipi debere, tamen intelligi posse: Christi carnem non prodesse iis qui non credunt: Sicut Augustinus etiam hec verba interpretatur. Nam Christi sententia est, carnem sine Spiritu nihil prodesse, ideo addit, Spiritus est qui vivificat.

Alterum argumentum philosophicum, ex ratione ductum erat: Vnum corpus non posse simul in diversis locis esse, sed corpus Christi esse in cœlo, &c. De hoc argumento longa rixa fuit. Lutherus aiebat, rationem humanam non debere nec posse omnipotentiam Dei judicare. Zuinglius dicebat, Deum non proponere nobis talia credenda, quæ prorsus comprehendi non possunt. Tales ineptæ voces ei excidebant, cùm tamen doctrina Christiana multos incomprehensibiliores & sublimiores Articulos habeat, videlicet, quòd Deus homo factus sit, quòd hæc persona, Christus, qui verus Deus est, mortuus sit.

Dicebat etiam Zuinglius, quomodo res tantæ per malos sacerdotes confici possent, ut CHRISTI corpus eò perveniret? Ad id Lutherus clarè respondit, Non ex Sacerdotis merito, sed Christi ordinatione illud fieri: Quia Christus mandaverit, ideo fieri. Ita etiam de efficacia verbi & Sacramenti esse sentiendum. Et Donatistarum errorem esse, quòd Sacramenta non sint efficacia, quæ à malis Sacerdotibus administrentur. Ad ea nihil tum Zuinglius replicavit.

Tertium urgebat argumentum Oecolampadius: Sacramenta sunt signa, ideo intelligendum est, ea aliquid significare. Ideo hic etiam sentiendum est, corpus Christi tantummodo significari; non præsens adesse. Ad hoc argumentum respondebatur: Verè dici Sacramenta esse signa. Sed nos eis non alias significationes præter eas quas Christus ipse tradidit, affingere, nec aliter ea interpretari debemus. Item, Quòd Sacramenta sunt signa, id præcipuè ita intelligendum est, quòd annexas promissiones significent, ut: Circumcisio præcipuè Verbum significat à Deo ritui annexum, quòd Deus propitius esse velit. Ac si quis aliam significationem quærere vellet, videlicet, Quòd Circumcisio mortificationem carnis denotet, inutilis hæc significatio futura est, si altera principalis significatio promissionis negligatur. Ideo non temerè significationes fingendæ sunt, sed videndum quomodo Verbum Dei seipsum interpretetur.

Postremò, multa dicta Patrum lecta sunt, per quæ Zuinglius & Oecolampadius se victoriam in sua causa obtenturos esse sperabant. Erant autem generalia dicta, quorum pleraque nihil de Sacramento loquebantur, ut: Corpus necessariò in loco esse, & spatium certum occupare. Item, Quòd Christus verum corpus habeat. Adversùs ista Illustrissimo Principi Hassiæ multò illustriora dicta ex Patribus exhibita sunt, quæ docent, Verum corpus & sanguinem Christi in Cœna Domini adesse.

Hæc summa est Colloquii brevissimè comprehensa. Lutherus in sua sententia perstitit: Verum corpus & sanguinem Christi in Cœna adesse. Adversa autem pars à sua opinione discedere noluit.

Petebant autem, ut Lutherus eos pro Fratribus acciperet. Postulato D. Martinus nullo modo consentire voluit. Graviter etiam eos allocutus est, dicens: Vehementer se mirari, quomodo ipsum Fratris loco habere possint, si modò doctrinam suam veram esse seriò sentiant? Sed hoc indicio esse, quòd non existiment etiam ipsi, multùm in hac causa situm esse.

Sed tamen ut majora dissidia & turbæ averterentur, visum est, Articulos aliquot consignandos esse, qui typis editi sunt. In articulis illis Zuinglius & Oecolampadius libenter in cæteris omnibus Lutheri sententiam secuti sunt. De Sacramento tantùm sequi noluerunt. Nimis enim longè progressi sunt in hac causa, ut difficulter gradum revocare possint. Spes tamen est, eos etiam in hac parte cessuros esse, si potestas aliqua vias idoneas suscipiat, quod Deus gratiâ suâ fortunare dignetur.

Non Lutheri sententiam secuti sunt, sed in sua perseverârunt.

Lutherus quoque ad Iacobum Præpositum Bremensem de hoc ipso Colloquio ad hunc modum scripsit: Quòd Sacramentarii iactant, me esse Marpurgi victum, faciunt more suo:

Lutheri litera de Actis Colloquii Marpurgensis.

1529. Sunt enin non solùm mendaces, sed ipsum mendacium, fucus & simulatio, quod testatur Carolostadius & Cinglius ipsis factis & verbis suis. Vides autem hos Marpurgi revocâsse in articulis positis, ea quæ de Baptismo, Sacramentorum usu, similirer externo verbo, & alia quæ hactenus editis libris pestilenter docuerunt. Nos nihil revocamus.

At cùm victi essent etiam in Cœna Dominica, noluerunt revocare hunc articulum, etiamsi viderent se non subsistere. Metuebant enim plebem suam, ad quam non licuisset reverti, si revocâssent. Et qui non vincerentur? Cùm Cinglii unicum & totum argumentum fuerit, Corpus non posse esse sine loco & dimensione, cui ego ex Philosophia opposui, ipsum cœlum esse naturaliter sine loco, tam magnum corpus: nec dissoluere potuerunt.

Oecolampadii verò unicum fuit argumentum: Patres appellant signum, Ergo non est corpus ibi. Multis verò verbis promiserunt, se velle nobiscum eatenus dicere, Christi corpus veraciter esse in Cœna præsens (at spiritualiter) tantùm ut Fratres appellare dignaremur, & simulare ita concordiam. Hoc quod Cinglius palàm lachrymans coram Landgravio & omnibus rogabat, dicens in hæc verba: (Es sind keine Leuth auff arden / mit denen ich lieber wolt einig sein / dann mit den Wittenbergern: Nulli in terris sunt homines, cum quibus malim consentire, quàm cum Witembergensibus.) Summo studio & contentione egerunt, ut viderentur nobiscum concordes, Ita ut hanc vocem nunquam ex me possent ferre: Vos habetis alium spiritum quàm nos. Ardebant toti, quoties hæc audiebant. Tandem id concessimus, ut articulo ultimo ponitur, ut Fratres quidem non essent, sed tamen charitate (quæ etiam hosti debetur) nostrâ non spoliarentur. Ita indignissimè affecti sunt, quòd Fratris nomen obtinere non potuerunt, sed pro hæreticis discedere, tamen sic ut pacem interim haberemus mutuis scriptis, si fortè Deus illis aperuerit cor. Hæc securè narrabis. Sic ego sum Christi prædicator, imò si Christus est veritas, hæc etiam vera scribo, ut habeas quod mendacibus, si nolint quiescere, opponas. Incredibili enim humanitate & humilitate sese gesserunt erga nos. Sed, ut nunc apparet, omnia fictè, ut nos traherent in simulatam concordiam, & participes ac patronos facerent sui erroris. O astutum Satanam, sed sapientiorem Christum, qui servavit nos. Ego iam desij mirari, si impudenter mentiantur, Video eos aliud non posse, atque glorior isto casu, videns eos, regnante Satana, jam non insidiis, sed palàm sese mendaciis prodere.

Iudicium de hac Lutheri epistola.

In hac epistola gloriatur Lutherus de sua victoria Marpurgensi, quam tamen neque hic, neq; in suis polemicis, licèt omnia expertus, declaravit. Et licèt sibi gloriosum putet nihil revocâsse, tamen meliùs fecisset, si aliqua revocâsset. Nam argumentum Zuinglii de vero corpore, certè instantia Lutheri de suprema sphæra cælesti non labefactat. Etsi enim cælum non sit locatum, ut alia corpora, quæ ambit: tamen locale & suis terminis comprehensum, neq; simul in pluribus locis est, aut esse potest, sive totius, sive partium ratione. Idem de Christi & Sanctorum corporibus sentire docet nos Scriptura, in illo supra & extra hunc mundum aspectabilem, cælesti domicilia degentibus. Oecolampadii etiam adhuc invictum stat. Patres appellârunt signum. Ergo ex verbis Christi non sequitur, ibi esse corpus. Dua tamen hic observanda. Primum, quòd non tantùm Patres, sed etiam Christus appellat signum, cùm jubet panem hunc ad sui memoriam edi. Item, cùm nominat hunc ritum novum fœdus, perinde ut Circumcisionem olim nominaverat antiquum fœdus. Item, cùm non corpus in pane, sed ipsum panem corpus suum esse dicit. Item Paulus, cùm panem fractum dicit esse corpus fractum pro nobis. Alterum, quòd non concluditur hoc argumento, Corpus Christi non esse ibi: Sed panem dici corpus, quia signum seu sacramentum corporis est, ideo non posse ex his verbis elici illam causam hujus appellationis, quòd corpus in pane sit: ac proinde si corporalis præsentia in pane esset credenda, eam ex hoc dicto Christi de pane nequaquam probari posse: quia Scriptura & Patres etiam causam docent, propter quam panis dicatur esse corpus, videlicet significationem, non autem existentiam corporis in pane. Denique dignam Christiano Theologo rem fecisset, si Helvetias, de modo tantùm præsentia corporis Christi in Cœna à se dissentientes, pro Fratribus agnovisset, & pacem concordiamque coluisset.

Exprobrat Zuinglio & Oecolampadio, quòd petiverunt se haberi inter fratres, & ostenderunt vehementissimum desiderium concordiæ. An verò hoc est hæreticum? an schismaticum? an Christiana mente indignum? Lutherus eis Fratrum nomen negavit: nomen hæreticorum impegit: modestiæ illorum insultat, quasi propter hanc essent victi: An hoc ipsi est honorificum? An Christiano Theologo & quidem Luthero dignum? Ardebant, inquit, toti, quoties audiebant sibi dici à Luthero, quòd haberent alium spiritum, quàm Lutherus. *Num verò ardebant absque causa? Num hæc digna vox Lutheri?*

Luthero? Si enim Lutheri spiritus erat Christi Spiritus, illi verò habuissent alium, quem nisi Antichristi & Satanæ spiritum habere potuissent? An non & Christus respondebat ad hanc veritatis blasphemiam, Ego dæmonium non habeo? *Insultat Lutherus ipsorum dolori, quòd non potuerint impetrare nomen Fratrum, sed coacti fuerint discedere pro hæreticis. At à quo judice condemnati hæreseos? Ab adversario suo Luthero. Quibus rationibus hæreseos convicti? Conviciis & iniustis contumeliis, sophismatibus & calumniis coöperti, Summam ipsorum humilitatem & humanitatem cùm diffiteri non posset, calumniatur, fuisse fictam.*

Oecolāpadius de Actis Marpurgensis Colloquij ad Hallerū Bernensem.

His igitur & similibus multis è Luthero, Philippo, Papistis: Anabaptistis & aliis de hoc Colloquio sparsis, altera pars è vestigio necessariò respondit. Oecolampadius igitur ad Berchtoldum Hallerum, Bernensium Pastorem hoc de re sic scripsit: Comperta nobis est, frater, seculi nostri ingratitudo & malignitas: Nihil illi satisfacit, tam fastidiosi fastuosique palati est, ne dicam delicati: nihil relinquit inarrosum, etiamsi optimè fidelissimeque gestum. Offendimus passim carpentes omnia, quasi ipsi non nisi optima quæque sectentur. Ea propter nihil inexpectatum nuncias, narrans quòd cùm Papistæ, tum Catabaptistæ, ex Colloquio nostro Marpurgensi offendantur, imò glorientur nos victos. Miramur potiùs, quòd non magis ineptiunt, & malignitatem suam produnt. Gratulari oportebat, & nihil non facere, si qua solida inter Ecclesiæ Doctores concordia renasceretur. Iam sunt qui dolent, ubi aliqua pacis indicia spectant. Multùm clamârunt antea, tantis nos odiis dissidere, tamque impotentes affectuum nostrorum, ut nihil hostilius censeri queat. Nunc verò ubi pacificè convenitur, datisque dextris discceditur, etiamsi non toto negotio perfecto, alia habent quæ calumnientur. Verùm morem geram tibi, urgenti, ut quibusdam illorum sycophantiis respondeam: quo habeas, quibus illorum obturentur ora, qui in articulis nostris vellicandis tam acuti sunt. Ecce descendimus vocati ab optimo, vereque Christiano Principe, non ob aliam quàm Eucharistiæ causam ventilandam. Erant enim qui putabant, in solis verbis esse dissidium: sententiam verò non admodum diversam & inconciliabilem. Atqui, ut perventum ad Colloquium, cùm privatum, tum coram Principe, Lutherus ad alia quæ concorditer confitemur, sese convertit. Mendax enim rumor, ne suspicioni imputem, traduxerat nos, quasi de Christo, deque Triade sanctissima, item de fide ac Ministerio Verbi, parùm piè sentientes: & quales hinc inde in conventiculis suis Catabaptistæ χωροδμῶσι, comminiscuntur, imò reducunt errores. Responsum est illis, nos nec eam ob rem comparere: deque his, quæ rogabamur, ita piè sentire, ne sit quod in nobis justò desiderent. Qui enim Christum unum, verum & Deum, & hominem fatemur, & fide in illum nos salvos fore speramus, ab hisce blasphemiis satis alieni sumus. Quamvis autem de his, non valde pluribus coram Principe actum: attamen quoniam in re Eucharistiæ, nondum etiam post triduanum Colloquium conveniebamus, visum est plerisque, vel hoc orbi judicandum, in cæteris causis fidei; ut Articuli sonant, nullum inter nos esse dissidium. Et nihil quidem vi disputationis obtentum est: sed ut Articuli Zuinglio & mihi prælecti, quædam verba, duntaxat mutare petiimus: propter contentiosos quosdam, qui verba magis, quàm verborum sensa urgent. Nihil igitur victoriarum utrinque, ubi nihil prælii vel digladiatiunculæ: quicquid clancularii obtrectatores illi effutiant. Videamus autem, quænam sint illa, quæ istis tam vehementer displicent.

Principio obiiciunt, quòd nostram sententiam Conciliorum authoritate approbemus: qui hactenus, nihil præter Scripturam admittere soliti simus. Sed dicant isti: ubi unquam Concilia rejecimus, Verbi divini authoritate suffulta. Quin & alibi sæpe, propter eos, qui multùm illis tribuunt, usi sumus illorum dictis. Sunt enim illa prima quatuor Oecumenica Concilia, quantum ad fidei dogmata attinet, verè sacrosancta, & in Verbo Dei fundata, à nulloque fideli unquam rejecta. Execramur enim & nos Paulum Samosatenum, Arrium, Eunomium, Sabellium, Nestorium, Eutychen, & Dioscurum: contra quos illa congregata sunt. Placet Confessio fidei Patrum, sed quædam pro honestate morum statuerunt: illa eatenus recipimus, quatenus charitati libertatique Christianæ non præiudicant. Et etiam apud Papisticissimos, Canones illi vigorem suum amiserunt. Nos si charitatis regulam non prævaricamur, Conciliorum robur non enervamus. Et sic piè sentientes, quare contradiceremus? Cur illi non potiùs lenitatem commendant?

Deinde obiiciunt illi, quòd verbo externo Spiritum ac fidem alligemus ordinatè loquendo: quasi Spiritus libertas, ut dum spirat ubi vult, deordinatio sit. Hæc

1529. qui improperant, non intelliguot, quid dicamus, ordinatum. Scis enim duplicem esse potentiam Dei, vnam absolutam, alteram ordinatam, vt vocant. Cùm igitur dicimus, Spiritum fidei per verbum oobis communicari, de solito ordine Dei loquimur: nolentes ioterim angusto limite diuinam potentiam concludi. Hunc autem esse ordinem & morem Dei, docet Paulus dicens: Quomodo credent ei, de quo non audierunt? Quare ergo illi inferunt, quasi ex libertate deordinationem faciamus, seruat eoim & sic suam libertatem Spiritus sanctus, vt solis electis se communicet. Quod si minùs admisissemus, nònne ministerium verbi, vt Catabaptistæ quidam, abstulissemus? Interim non derogamus potentiæ diuinæ absolutæ, quòd etiam ante auditum verbum externum, hominem instruere possit. Proinde non dicimus, gratiam Spiritus sancti esse alligatam, vt illi calumniantur: sed fatemur Dominum per Spiritum sanctum cooperari prædicantibus, vt Marcus habet.

3. Quod tertiò apponitur, videtur non sine ratione fieri: & nos quoque non facilè assensissemus, nisi ex aliis conclusionibus synceritas colliquesceret. Noo inuenis in verbis nostris: quòd dicamus cum his verbis, Qui crediderit & baptizatus fuerit, institutum esse Baptismum, pridem enim illum Christus sanctificârat, à Ioanne tinctus: & Apostoli baptizârant. Iam quòd dicimus opus esse Dei, ideo fit: quia oon ab homine institutus est, etiamsi externus sit, & ab homine præstetur, sicut & Euangelium, quod docemus, non est humaoum verbum, sed verbum Dei, siquidem ad imperantem Deum respicias, quemadmodum si præco inbeat, quod Rex præcepit: non præconis, sed regium verbum & opus est.

4. Item, quòd vellicatur, quia diximus, Baptismum non esse solam tesseram & nudum signum, quo Ecclesiæ accensemur: sed etiam fidem exposcimus: cur hoc negare mus? Est enim symbolum Christianorum. Et qui sunt Christiani, oisi qui in Christum credunt? Exposcitur autem fides vel iam præsens, vel quæ expectatur secutura: nihilominus est signum fidei. Ecce mi frater, si & Eucharistiam dixero tesseram fidei in Christum crucifixum, nunquid aberrabo? minimè. Nam alioqui mortem Domini non anounciarem. Nunquid igitur quorundam hypocrisis, Domini benedictionem euacuabit, vt ipsum sacramentum non sit tale tantumque sacramentum? Non est igitur, quòd vel Papistæ vel Catabaptistæ vincant, si pueris nondum adultis signum fidei detur. Atque adeò ipse non negârim, aquam Baptismi esse aquam regenerantem: fit enim puer Ecclesiæ, qui dudum ab Ecclesia non agnoscebatur.

5. Offendit etiam ioquietos illos homines, quòd liberas Traditiones relinquimus, si cum verbo Dei non pugneot. Et nec illius articuli pœnitere potest. Verbum enim Dei, ac charitatem complectitur: quas si Ceremoniæ ooo læduot, quare minùs tolerabiles sunt? alioqui nulla vnquam nobis pax constabit. Similiter pacificus homo, qui rationem sacramentorum nouit, facilè percipit, quomodo ad gratiam Dei per Baptismum recipiatur puer. Quos enim illa docent? oum Deum? num pueros? Nec illum, nec hos: sed alios præsentes, qui hoc symbolo admoneotur, puerum ad gratiam Dei pertinete. Noo autem elemento aquæ, sed sanguini Christi, per Spiritum, in fide dignitatem abluendi tribuimus. Neque ergo superstitionem dixerim mulierum, si infirmos pueros tingi festinent: nisi etiam calculum & iudicium Ecclesiæ pro oihilo habere nolim.

6. Demum hoc verè conteotiosè obseruatum est, quòd admittimus appellari Eucharistiam, sacramentum altaris, quasi approbemus aras Papisticas vel Lutheranas, in quibus sacrificetur. Arqui oos pacis gratiâ, nec sacrificij vocabulum abhorremus, si non subesset dolus. Quid mali igitur, si mensam Dominicam, altare vocemus? Appellamus igitur à liuidis istis, ad candidos Lectores & Christianè cordatos: qualis tu. Habes igitur breuibus opioor, quod petebas. Mihi non est animus omoium nugis posthac respondere. Tecum tamen, pro nostra familiaritate, hæc & alia libenter confero. Reliqua oostri & vestri Legati. Basileæ 16. die Ianuarij, Anno 1530.

Martinus Bucerus etiam, vt calumniis aduersariorum, & vanis de hoc Colloquio sparsis rumoribus, remedium adhiberet, Commentariis suis in Euangelia, qua recognouerat, Præfationem, de seruanda Ecclesiæ vnitate, præfixit, ad Academiam Marpurgensem, cuius Theologi Colloquio huic interfuerunt, eoque maiorem fidem merentur. Quia verò in ea discutit articulos Marpurgensis Conuentus, & fusè lateque ostendit, quid, quomodo, quibusque de causis Luthero concessum sit, opera pretium me facturum arbitror, si, quæ ad rem pertinent, adscribam.

Bucerus ad vanos rumores de Marpurgensi Colloquio respondet.

Tumultuatum iam est, *inquit*, toto quadriennio, circa summæ charitatis symbolum Eucharistiam, nec hodie plena pax à

pleriſque

plerisque impetrari potest. At interim vtrinque prædicatur fide in Christum possideri vitam æternam, dilectione totam impleri legem. Verba quoque de quibus tam dira sæuaque est digladiatio, vtrique fatentur vera, & neutri simpliciter accipienda. Nam nemo omnium adhuc ausus dicere fuit, panem esse, idipsum quod Christi corpus. Thomas Aquinas ideo Pronomen demonstratiuum HOC, ad contentum sub speciebus retulit. Ex nostris (nostros enim habemus, qui eundem nobiscum Christum prædicant, quales quales ipsi nos habeant) dixerunt, alij sub pane Christi corpus contineri: alij per, HOC, demonstrari non panem, sed ipsum corpus Domini, quod pro nobis passum est: alij idem, sed simul inclusâ similitudine panis, vt demonstratio fit ad intellectum, non sensum, Verus enim panis, verus est cibus, Christi corpus, sed ad vitam æternam. Hi omnes Tropum inesse his verbis agnoscunt, hi Synecdochen, alij Metonymiam. Adhæc pariter cuncti fatentur, præcipuam esse, & solam per se salutiferam, manducationem Spiritus, quæ fit per fidem. Vnum hoc controuertitur, an simul re ipsâ & corporaliter Christus suum corpus manducari voluerit, siue sub panis speciebus, siue sub ipso pane. Nam neutri inficias eunt, hanc Christi manducationem per se adeò saluti non esse, vt etiam perniciem adferat, si desit illa spiritualis. Quàm digna verò causa tanti tamque perniciosi schismatis? Nos itaque etsi non dubitemus, non solùm citra omnem Scripturam hanc corporalem manducationem asseri, sed etiam hinc sequi, Christum Seruatorem non esse verum pro nobis hominem factum, indeque euanescere, quo maximè spes nobis nititur resurrectionis, rationem Noui Testamenti tolli, gloriam Christi iam ad dexteram Patris regnantis imminui, quæ denique de sui manducatione Ioan. 6. cap. disseruit euerti, dum tamen perpendimus plerosque dogmatis huius sectatores, à Christo in omnibus pendere, dilectionis officiis sedulò incumbere, imò hoc quo ipsi hæc verba sensu accipiunt, à Christo dicta nihil addubitare, agnoscimus nostrum esse, non quid per se ex hoc dogmate, sed quid in illorum sequatur conscientia, spectare, vtque obtinere apud ipsos ex tam certis indicijs, maximè verò omnium, ex syncera illa dilectione, studioque seruandæ vnitatis Ecclesiæ, Spiritum Christi cernimus, ita eos esse Christi dubitare nequimus. Hæc sanè causa fuit, quòd cùm Marpurgi essemus, Luthero & suis societatem in Christo obtulerimus, atque aperiis nos Scripturis probaturos receperimus, atque ex ipsorum officio esse, nos vicissim fratrum apud se loco dignari. Nunc scribunt quidam patùm Christiani iuris consulti, nos illos orâsse, vt fratres nos agnoscerent, quod strenuè nobis negatum sit. Idque scribunt de illis honoris causâ. Nos autem nihil puderet, etiam quemlibet, in quo Christi aliquid appareat, precari vt fratris locum apud se concederet, si ad hoc id precari satis esset. Affirmabant illi, sibi per conscientiam haudquaquam licere nos in fratres recipere, quapropter ineptum fuisset, eos orare, quo admisso, contra conscientiam suam fecissent. Non igitur, vt in numerum fratrum nos ascriberent, sed vt audirent ex Scripturis probantes, nos illis adscribendos esse, precati sumus. Et indubiè si Dominus eis daret, affectus qui modò turbant, paulisper semouere, vtique visuri essent, nihil prorsus sibi causæ adeò abijciendi nos relinqui: Christum etenim simul confitemur nostrum Seruatorem, ex dilectione quantum licet viuere studemus, nihil est ex omni Christi doctrina quod non certissimâ fide amplectamur: ipsa quoque verba Cœnę singula quâ religiosissimè recipimus, verùm cùm ea non habeant, in pane manducari Christi corpus corporaliter, idque tot alijs apertissimis Scripturæ locis, vt nobis quidem datum est illos intelligere, manifestò repugnet, hanc vnam corporalem Christi manducationem, quæ per se saluti esse ne ab ipsis quidem affirmatur, negamus, huc, solâ Christi religione, quantum ipsi quidem nobis coram Deo conscij sumus, acti. Hac denique causâ tam noluimus hactenus ab illis secedere, vt nihil omnium, quæ vel vllo pacto retinendæ fraternitati crediderimus inseruitura, solâ exceptâ veritatis hac in re quam tacere religio erat, confessione, & ea per quàm modesta, prætermiserimus. Id testabitur posteritas, & videbit verum vniuersus orbis, cùm Christus ad iudicium redierit. Quis iam igitur non videat præposteram esse, quæ vel prætexitur vel verè incessit religio, ne nos quicunque demum illi sint, sunt enim, gratia Domino, haud quaquam multi, fraternitatis iure secum permittant? Nam aut nullos hi dissentientes in rebus sacris fratres agnoscent, quod si volent, nemo alteri vel inter ipsos frater erit, aut si aliquos in fratrum numerum admittunt, & nos admittere oportebat.

Et paulò pòst: Hæc viri doctissimi iuxta & pientissimi tam verbosè, quanquam ut ha- bent

Status controversia inter Lutheranum & Zuinglium. — *De dilectione fraterna Nua.* — *Marpurgensium in iactã concordiam studium.* — 1529.

1529. bent res seculi huius, plùs nimiò exulcerati, iustum volumen requirant, ad vos hoc libentiùs differui, quòd cùm istic in conuentu illo, quem verè Illustrissimus & Pientissimus Princeps Hessorum, seculi huius clarissimum & cum primis salutare lumen, causâ sarciendæ Ecclesiarum concordiæ instituerat, essem, non sine ingenti gaudio didicerim, vos supra quàm dici queat, ob illud non tam atrox, quàm damnosum Præconum Euangelij Christi dissidium, quo eousque in Christi gregem Satan grassatus fuerat, vtinam vel nunc illi pax nostra CHRISTVS finem imponat, discrutiatos animis fuisse, eoque nihil prius horum inter se concordia semper optâsse, longè quoque ab eorum sententia abfuisse, qui Christianam protinus societatem renunciandam putant, si non statim omnibus ipsorum dogmatis subscribatur. Agnouistis enim id quod res est, si non in multis alij aliis dissentiendi à se facultatem faciant, saluâ tamen semper hac doctrinæ sacræ summâ, vt sola in Christum fide, iustitia & salus petatur, solaque in proximos dilectione, sed ea viua, Deus demereatur, nullam vnquam Ecclesiarum pacem constaturam, imò vt sæpenumero hac nobis carnis cœcitate pressis, euenire necesse est, vt tot sint sententiæ, quot capita, ita totidem quoq; non Ecclesias, sed Ecclesię vastatores αὐτόνόμους, futuros. Quapropter plerique vestrûm vnà cum sanctissimo Principe, nihil ad summam diligentiam reliquum faciebatis, quo dum de carnali Christi manducatione, conueniri non posset, alij alios tamen fratrum loco haberent. Quod quidem charissimi Symmystæ & fratres nostri Zuinglius & Oecolampadius, Hedio, ac alij haudquaquam pauci, non solùm non grauatim à se impetrari passi sunt, sed eam etiam alijs conditionem vltrò non obtulerunt, tam non diffisi propterea doctrinam suam ex Spiritu Dei esse, quàm hoc ipso animo, hac facilitate, Christi se Spiritu doceri & formari certò planeque declarârunt. Quo autem agantur spiritu, qui hunc candorem, hanc facilitatem, nunc per epistolas, quas vndique spargunt, argumentum interpretantur, ne dicam calumniantur, animi sibi de veritate parùm conscij, ipsi viderint. Neque enim certum veritatis documentum est, tradere mox Satanæ, quicunque tuæ sententiæ contradixerint, cùm hoc nemo vnquam æquè strenuè fecerit atque Mahometani, & Pontifices aliquot Romani, hisque obnoxij Episcopi, atque Academiæ, & ante hos vt D. Chrysostomus in laudibus Babylæ meminit, cultores idolorum, nulli verò minùs, atque Christus, Apostoli & Patres, omnium testimonio laudatiores. Neque enim ad perdendum sed seruandum intentus est Christi Spiritus, in quocunque fuerit.

Hac eadem causâ, nec vllâ aliâ, in alios Articulos à nobis consensum est, licèt si prioribus nobis formare illos datum fuisset, verbis forsan paulò explicatiùs fidem nostram testantibus, vsi fuissemus. Sed conuenerat de illorum sensu in Colloquio priuato, nec hodie in his aliter Lutherum & suos sentire atque nos arbitror. Equidem Lutheri & suorum scripta haud indiligens legi, adhæc cum ipso & alijs ab ipso stantibus multa contuli, sed nunquam deprehendere potui eos, non æquè ac nos, quamlibet personarum Trinitas affirmetur, vnum tamen substantiâ & naturâ Deum credere atque confiteri, sicut nos æquè ac ipsi, vt Patrem, ita & Filium, secundùm quidem diuinam naturam, & Spiritum sanctum, verum, cumque Patre eundem Deum agnoscimus. Id quod vtrique in primo articulo confessi sumus voces illæ, naturalis & naturaliter, nos quidem nihil offendunt, cùm nihil impium per eas significare istos sciamus. Quid enim teneret soliciros curiositas vocularum, vbi de re nulla meritò est controuersia.

In consensum in articulos Marpurgenses. *Articulus 1.*

Sic quamlibet idem Christus verus esse Deus, & item verus homo vtrisque creditur, nec vnquam à Diuinitate hominem ab eo quod à Verbo assumptus est seiunctum, aut seiungi posse nos vel somniauimus, ita illi apertè satis multis in libris, Diuinitatem inter humanitatem nobiscum abundè satis discreuerunt. Lutherus in Postilla, quod opus ipsi quoque præ alijs satisfacit, in eam lectionem ex Epistola ad Heb. quæ ad supremam Missam, vt loquuntur, Natalis Christi recitari solita est, præclarè vt multa, hac de re disseruit, disertisque verbis testatus est, Scripturam interdum de Christo, & ipsum de se loqui, vt vero homine, interdum vt vero Deo, cùm vtriusque aliquot exempla adduxit, & huius posterioris, quod humanitas ferre sibi ipsi in cruce opem nequiuit, ac alia quædam subiecit in hæc verba: Humanitas Christi omnino sicut alius sanctus, verè & naturâ homo, non cogitauit omni tempore, nec dixit, nec voluit, nec animaduertit omnia, vti quidam ex eo volunt hominem omnipotentem facere, imprudenter permiscentes duas naturas & opera earum. Quemadmodum enim non vidit, nec audiuit, nec sensit semper omnia, ita nec corde omnia quovis tempore intuitus est, sed sicut eum duxit Deus, eique res obtulit.

Articulus 2.

obtulit. Plenus quidem fuit gratiâ & sapientiâ, inde quæcunque ei occurrissent, potuit iudicare, & alijs tradere, propterea quòd in eo personaliter præsens Diuinitas esset, quæ sola omnia videt & nouit. Et in summa, quicquid de Christi humiliatione & exaltatione dictum est, debet homini tribui, nam diuina natura nequit vel humiliari vel exaltari. Hæc Lutherus ad verbum, quibus si quid vnquam pugnans ab vllo nostrûm, quibus cum illo de Eucharistia dissensio est, cogitatum sit, nedum verbis vel literis adsertum, non habeam propitium Christum.

Articulus 4. Iam de peccato originali, quis vnquam negauit, id esse naturæ morbum, labemque à primis parentibus contractam non admissum aliquod, qualia sunt, quæ Latinè peccata vocamus? Ita verò nec Zuinglius, nec quisquam nostrûm vel per somnium vnquam cogitauit, nedum scripsit, non esse eiusmodi hanc labem, vt nisi ea per Christi sanguinem purgetur, salutem possit consequi nemo. Qui enim saluus sit, quem tenet morbus exitialis? Qui ad solidam perueniat iustitiam, cuius omnes cogitationes & affectus ad malum tantùm inclinant? Hoc ita sentire nos & docere hac de re, abundè testantur pridem editæ nostræ & nominatim Zuinglij lucubrationes. Quid igitur fuisset, quò minùs & quartum articulum pariter recepissemus.

Articulus 5. 6. & 7. Ad hunc modum per omnia conuenit & in his, quæ quinto, sexto & septimo articulis in commune confessi sumus, nisi quòd nos ex Paulo cùm hæc tractantur, propter eos qui omni pietate vacui, nec vllo eius studio accensi, ex Christi tamen iustitia se saluos fore putant, solemus adijcere rationem, quâ peccatis liberamur, & Christi iustitia donamur, hoc est, vti donatus electis filiorum Spiritus, sicut facit eos Christo sese addicere, & per hunc Deum Patrem inuocare, ita prauas quoque in eis cupiditates continuò reprimat, & ad Christi imaginem quotidie reformet, quorum tum à peccatis redemptio perfecta futura est, cùm ipsi omni expurgato peccato imaginem illius plenè expresserint. Salus siquidem nostra & felicitas nihil aliud est, quàm solida iustitia. Sed & hæc verbo articulus septimus indicauit, cùm confitetur, Deum ex vltronea sua in nos propter Christum beneuolentia, nos à peccatis & gehenna liberare, & receptos in gratiam saluos reddere, quod quid aliud est, quàm efficere iustos. Tantùm tacitum est, quâ id ratione, quâ viâ præstet.

1529. Articulus 8. Quæ verò habet articulus octauus magis controuersa creduntur propter quædam Lutheri scripta, sed apologetica, in quibus puto suam ipsum haud vbique vehementiam probare, dum enim timet forsan, à quo tamen absumus longissimè, nos externum verbum cum sacramentorum vsu, vel le sublatum, aut non suo haberi loco, videtur hæc propè suprà quàm par est, præsertim si verba eius ad viuum exigantur, extollere. Ea præsertim, quibus scriptum reliquit, sic diuinitus comparatum, vt nemini interna hæc, Spiritum sanctum & fidem, citra externa ista, verbum & sacramenta, quæ etiam oporteat illis internis præmitti, contingere queant. At si excutiantur, quæ extra contentionem scripsit, satis apparet illum nequaquam nostro ministerio, opus Dei alligare, & nunquam negâsse, sicut Diuo Iohanni Baptistæ contigit, Spiritu Dei repleri statim ab vtero, antequam vel verbum Dei audisset, vel Sacramenta percepisset, ita Deum & aliis electis suis Spiritum suum adspirare, cùm id ipsi visum fuerit, si etiam nulli alij homines, per quos docerentur aut sacramentis initiarentur, extarent. Neque diffiterut terram cordis spiritu fauoris diuini bonam, cœlestique sementi idoneam esse oportere, antequam cum spe fructus in eam semen verbi Dei spargatur, eò quòd animalis homo, quæ Spiritus Dei sunt, tam nequeat percipere, vt etiam stultitiam ea reputet. Ita vicissim nos eum salutis humanæ hostem & operis Dei euersorem pronunciamus, qui ministerium verbi externi, & sacramenta velit sublata, aut ea suo loco & numero dedignari. Simul autem, ne iis quæ fiunt humanitus, id tribuatur quod solius Dei est, cum D. Paulo diligenter semper inter incrementum, quod Deus dat, & nostram plantationem rigationemque discernere docemus, nunquam non confitentes, quòd & articulus hic expressit, hunc ordinem diuinitus & institutum & vulgò obseruari, vt fides, quæ est certa de verbis Dei facta diuinitus persuasio, ex auditu verbi Dei veniat. Quid enim credat, cui nihil dictum? Sit igitur sacrosanctum verbi externi ministerium, at sic vt incrementum, hoc est, interna illa doctrina, quâ quod auditum est foris, intus animo sic verum esse ostendatur, vt ei fidem habere, nihil iam dubitet, Deo feratur acceptum. Libenter igitur illa recipimus Spiritum sanctum cum externo verbo, & per illud operari & efficere fidem, vbi & in quibus ipsi visum fuerit. Cùm enim dicitur, Spiritum operari fidem, fertur incrementum acceptum Deo, cumque

1529. que additur per exrèrnum verbum, vel cum eo, commendatur ministerium, quod adhiberi quàm religiosissimè Deus voluit, sic certè Paulus ausus fuit scribere se verbo Corinthios regenuisse, cùm tamen ad eosdem ingenuè fateatur, plantantem & rigantem nihil esse. Dum namque de suo ministerio per se loquitur, rectè nihil efficere fatetur, dum autem considerat ad quid esset Deus illo vsus, id in gloriam eius, iure quoque prædicat. Cùm autem possit Deus, & citra omuem nostram operam, suos docere omnia, adiectum est initio Articuli, Ordenlich zureden/ hoc est, si loquamur iuxta vulgatum ordinem, quem Deus instituit. Adhæc præmissum est articulo sexto, nullis præcedentibus operibus aut meritis nos posse fidem nobis comparare, aut ex propriis viribus efficere, His satis confessum est, quicquid nostrum opus sit, eo haudquaquam posse cuiquam fidem obtineri, non erat igitur periculum, ne quis id nos sensisse ex octauo putaret, eur igitur in eum non vtrique consensissemus.

Articulus 9. Hinc præterea factum est, vt & nouo subscribere nihil grauati simus, nam his præmissis, nullus metus erat, vt quisquam illud, Baptismum esse Sacramentum quod ad fidem diuinitus institutum sit, eò raperet, quasi per externam lotionem, fidem adferri agnouerimus, contra expressum verbum Petri, & omnem præterea fidei analogiam. Ad fidem tamen Baptismus pertinet, sicut à Paulo, & Circumcisio signaculum fidei dicta est. In adultis enim, fidei professio est, nam eos nisi antè credant, nemo baptizat, in infantibus verò ad fidem initiatio est, quantum quidem huius nos præstare dederit Deus, fidem enim ipse vt confitetur articulus sextus, efficit, vbi & quando sibi visum fuerit. Quàm multi enim baptizantur hodie, qui fidem nunquam recipiunt? Sic & quod sequitur, Baptisma non esse nudum signum & tesseram internoscendi Christianos, sed symbolum atque opus Dei, in quo fides nostra requiratur, per quam ad vitam regeneramur, iis quæ ex D. Petro & omni Scriptura Christum nostrum Seruatorem prædicante docuimus, haudquaquam pugnat. Baptismum tale siquidem Christianismi symbolum semper agnouimus, quo non solùm nos mutuò agnosceremus, quo tantùm videat alius alium esse tinctum, sed quo simul ad moriendum nobis, viuendumque Christo moneamur. Est siquidem in gregem Christi vt initiatio quædam, ita & vitæ Christo dignæ professio. Quæ vita cùm in infantibus quoque, iis quos ab vtero matris cum Paulo Pater segregat, dono Christi sæpiuscule incipiat, & illis Baptismum damus. Hoc verò semper negauimus, & negauit ante nos Lutherus quoque in Assertionibus Articulorum, quos illi Leo damnauerat, item in Captiuitate Babylonica, id quod nos gerimus aut dicimus, gratiam Dei & salutem cuiquam conferre. Tum liquet, non semper baptizantibus nobis, cooperari suo Spiritu Christum, sicut nec cooperatus est in Simone Mago, Iuda & aliis innumeris. Fidem autem requiri, sed quæ suo se tempore proferat, cur non fateremur, cùm quicunque baptizantur, in hoc baptizantur, vt Christum tandem induant, quod haudquaquam absque fide fieri potest? Sed quid opus verbis, eò quòd in hoc ipso articulo subiectum est, quæ regenerat ad vitam, satis vtrique expressimus, fidei atque adeò fidei largitori Christo, non aquæ, omnem regenerationem ferri acceptam.

Articulus 11. Ita cùm in vndecimo ipsum Euangelium, veram esse absolutionem vtrique confessi sumus, quid adeò nos Absolutionis, vel etiam Confessionis vocabulum offendisset? Neque enim nos vnquam inficias iuimus salutare esse, consilium ab idoneis & verè mentis Christi consultis fratribus petere, dum quis aliqua in re hæret, vel est animo adflictiore, aut denique sua ipsa peccata non satis agnoscit. Tam abest, vt talis à nobis confessio rideretur, quod quidam nimis inhumaniter de nobis in hunc articulum annotauit.

Sed nec in reliquis articulis est, si quis candidè illos interpretetur, quòd à subscribendo debuisset deterrere. Quàm multi enim sumus in eo, quod ad 13. attinet, ne quis suâ abutatur libertate, sed fieri potiùs omnia omnibus quisque studeat? Adhæc, vt leges, quæ verbo Dei non pugnant, necesse est cum eo conuenire, ita iam non humanas illas, sed diuinas esse, à quocunque demum latæ sint, vbique inculcamus, Ex dilectione enim proximi eiusmodi dimanant, de quo plura admodum in 15. cap. Matth. disserui.

Articulus 14. Non plùs scrupi & in 14. esse agnoscitur, si eum prioribus conferatur. Infantes enim, cùm in Christi Ecclesiam, quantum id nostrum esse potest, Baptismo recipimus, in qua fidem edocti vitam Deo dignam viuant, vtique in gratiam Dei illos recipimus, sed vt dictum, quantum hoc nostræ opis ipse esse voluerit, qui solus Spiritum regenerantem donat, id quod in præcedentibus satis expressum est.

Zuinglius & Oecolamp. Marpurgi non suam doctrinam reuocârunt.

Ad hunc itaque modum cùm conuenisse nobis in hisce articulis omnibus coram Deo nihil addubitaremus, putauimus candoris Christiani esse, etiamsi maluissemus quædam aliis, & luculentioribus verbis exposita, illis subscribere, ne videremur nodum in scirpo quærere, & motari verba, cùm de re conueniret. Iam non per Germaniam solùm circumferuntur ac volitant non paucorum epistolæ, quibus affirmatur, nos omnium eorum quæ antè docueramus, palinodiam cecinisse, solo articulo excepto de Eucharistia, quem & ipsum recantare parati fuerimus, nisi nos vulgi nostri metus deterruisset, orassesque Lutherum cum suis, ne nos ad huius quoque palinodiam vrgerent, nisi vellent nos plebibus nostris occidendos obijcere. Scripsit quidam in singulos articulos notas, quæ quiduis quàm Christianum pectus resipiunt: In primo articulo scribit, nos retractâsse quæ impiè de sacra Triade docueramus, cuius doctrinæ nullum vnquam à nobis auditum verbum est, nedum lectum. In tertio horrendum vapulat recantata Alloeosis Zuinglij. In quarto abnegatus sceleratissimus error de peccato originali. In octauo & nono damnata iam nobis pestilens doctrina de externo verbo & Sacramentis, vbi & ad Commentarios meos in Matth. remittit. In tredecimo discessum est à sententia, quâ docuimus, templis aras & statuas eiiciendas, cùm tamen nihil ferendum in eo articulo confessi simus, nisi quod aperto Dei Verbo non repugnet. Nobis autem quantacunque sit parta per Christum libertas, cum Verbo Dei pugnat, fieri aut permitti in Ecclesiâ, quicquid pietatem non ædificat, sed potiùs remoratur. Huiusmodi autem esse signa, statuas & aras ibi duntaxat collocatas vbi adorantur, vel etiam ad monendum beneficiorum Dei habentur; libello recens in vernacula lingua edito, & mox in Latinam quoque verso, abundè comprobauimus. Simul autem non esse cuiusuis hæc submouere affirmauimus. Publica siquidem offendicula, publicâ potestate tollenda sunt, ita vt hic nuper, & antehac in multis aliis Ecclesiis, Dominus signa omnia adorari solita, cum aris, summæ idololatriæ officinis submoueri dedit. Ligna & lapides nec nos offendunt, offendit autem meritò contumelia Dei, his illi non minùs apud nos quàm Ethnicos irrogata. In aliis alia concessisse nos, contra ea quæ antè asseruimus criminatur, sed in his quos memoraui, magis sæuit. Alij contenti sunt sparsisse, nos in quatuor duntaxat, tertio, quarto, octauo, & nono sententiam mutasse, & vel ad hoc, Conuentum illum nostrum profuisse, vt deprehensâ in his nostrâ ignorantiâ & errore, facilè iam videatur neque in dogmate de Eucharistia fidem nobis habendam. Quid autem, viri humanissimi, sunt calumniæ, si hæ non sunt? Equidem mihi persuadeo, hos Luthero rem dignè perpendenti, sicut & cordatis bonisque aliis, perparum hisce suis mendaciis gratificari. Ipsi scitis de omnibus aliis articulis, præter vltimum, ne verbum quidem coram Illustrissimo Principe, & reliquo insigni illo auditorio, cui inter cæteros religione, nobilitate & prudentiâ præcellentissimos viros, aderat verè generosus Comes Wilhelmus à Furstenberg, præstantissimus vestræ aulæ senatus, Legati quoque Illustrissimi Principis Saxonum Electoris, tum & præstabilium Vrbium, nostræ, Tigurinæ & Basiliensis, tum ex vobis aliquot eruditionis iudicijque exactissimi, præter alios quoque pietate & doctrinâ suspiciendos Ecclesiastas, quos vel Illustrissimus Princeps vocauerat, vel vltrò desiderio pacis Ecclesiarum aduenerant, communicatum esse, nisi quæ ego finito Colloquio, exponens quid hic docemus, de illis proposui. Quæ ab iis, quæ in nostris Ecclesiis docemus, quæque in lucubrationibus nostris orbi pridem iudicanda obtulimus, ne verbulo quidem variant. Ea Lutherus etsi iudicare nollet, neque etiam testimonium suum de eis dare, cùm obnixè utrumque eum orâssem, proptereà quòd circa Eucharistiam non conuenerat, ipseque inde colligeret nos diuersis spiritibus agi, eo tamen quòd dicebat, alia haberi in nostris scriptis, satis significauit, non habere cur illa damnaret, quanquàm & in eo falsum ad ipsum detulerint, qui ei persuaserant, alia nos hisce de rebus scripsisse, atque tum verbis ipsi exposueram, cuius, nulli magis quàm vos ipsi præstantissimi viri, qui Colloquio illi interfuistis, testes idonei esse possunt. Audistis siquidem quæ dixerim, iam ea ad verbum hîc repetita legetis, tum extant nostræ in Euangelia Enarrationes, cùm priùs editæ, tum quas nunc recognitas hac potissimâ causâ vobis nuncupare volui, facilè itaque videbitis, eadem me & cùm priùs, tum modò scripsisse, & cùm illic essemus ore esse professum.

1529.

De victoria in Colloquio Marpurgensi reportata.

Sunt prætereà partim qui illi Conuentui interfuerunt, partim qui minùs, à quibus mirifica quædam, quam Lutherus de nobis retulerit, victoria ebuccinatur. Nos iure vicem Ecclesiarum dolemus, in quibus huiuscemodi puerilibus affectibus obnoxij, Euangelij Patronos agunt. Primum pientissimus

1529. simus Princeps nominatim, ad amicum Colloquium, non Disputationem nos conuocauit. Quid isti igitur de victoria iactant, vbi nullum est initum certamen? Deinde vt maximè certatum esset, non esset tamen certantium, sed agonothetis potiùs de victoria pronunciare. Postremò cùm initio Colloquij coram Illustrissimo Principe, atque memorato auditorio Lutherus ipse fassus sit, se satis scire, quicquid vtraque pars pro se haberet, pridem protulisse, quam igitur novam hic potuisset sibi victoriam parare? Vincat Christus, non nos, cuius si sensum esse, quem illi verbis istis: Hoc est corpus meum, tribuunt, agnoscere potuissemus, Scripturis id docti, quàm libenter manus vltrò dedissemus. In istiusmodi namque certaminibus vinci Christiano multò quàm vincere optabilius est: proficit enim in Christi sui cognitione, qui vincitur, ea vita æterna est. Verba hæc quidem: Hoc est corpus meum, & cætera, semper testati sumus, nobis sacrosancta esse: cùm id autem, quod illi volunt, esse in pane Christi corpus corporaliter, non exprimant, neque id euincant Scripturæ aliæ, sed Christi præsentiam & manducationem, quæ Spiritu fit per fidem sic commendent, vt nihil nos quidem videamus, quod præterea mens Christo dedita requirere possit, aut debeat, nullam potuimus aliam Christi vel præsentiam vel manducationem recipere. Illis secus visum est, ideo hac de re non conuenit, quòd vtrique ingenuè in articulo vltimo testati sumus, ne gry quidem de victoria adiecto. Interea autem quidam tam constanter sparserunt, nos nihil pro nobis habuisse aliud, quàm non possumus hoc credere, & tam magnificè Lutherum cum suis, victores ex hoc certamine discessisse, vt præter multas in plerisque Ecclesijs graues turbas, alicubi etiam effectum sit, vt iussi sint exulare, desertis, quas summa fide Christum docuerunt, Ecclesijs, Christi præcones permulti, & ij vitâ ac doctrinâ longè probatissimi. Hæc debemus istis nugiendulis. Sed viuit Christus, cuius regnum istis artibus haudquaquam in arctum contrahitur, sed feliciter potiùs propagatur, id quod hodie, ipsi sit gloria, perspicuè videre est. Mirum verò si non isti à Luthero ipso, vt quibusque cordatis & Deum timentibus, malam gratiam his suis mendacijs ineant. Hæc prælubens præterijssem, ne quid vulneris refricarem, sed cùm mendacia, quæ memoraui, multis adeò & tam multorum epistolis, inter quos sunt quoque quibus non est authoritas vulgaris, de nobis sparsa, minimè paucos grauissimè offenderint; ipsa Christi gloria, & infirmorum fratrum salus cogit, vt malo huic isthuc qualecunque remedium adhiberem. Cæterum tam abest, vt quenquam his irritatum velim, vt nihil prius cupiam, quàm vel adhuc impetrare ab eis (quocunque id mali rapiant) quos Christi esse credimus, vt sicut tum in amicorum nos non fratrum numerum receperunt, sic enim scribunt, etiam fratres agnoscere dignentur, sicut nos ipsos, quamlibet nos abijciant, & à nobis, quod alioqui hæreticorum est, discedant, habemus, & vel inuitos habituri sumus, dum Christi nomini studere viderimus. Dabit indubiè tandem Christus omnibus qui eius sunt, vt nos quoque ipsius esse agnoscant, cùm nimirum id perficietur, quod hinc migraturus Patrem orabat, ne nempe vt ita vnum inter nos essemus, sicut vnum sunt ipse & Pater. Id vt acceleret sedulò orabimus, cuius non obscurum specimen hæc ipsa Epistola esse potest, ne qua à nobis huic optatæ vnitati remora injiciatur. Superest iam vt vos æqui ista faciatis, quod plurimum oro. Nam ita mihi faueat Pater cœlestis, in hoc vnum omnia scripsi, vt quæ facta iam cum multis est, Christi societatem fortiùs adstringerem, & cum quibus restitui ea nondum potuit, ad horum animos viam illi munirem. Visi mihi estis, cùm illic essemus pedibus & manibus in hanc, quam tractaui de Christianorum communione tuenda & colenda, sententiam ire, tum nulli veriùs testificari de nobis possunt, quanto cum studio eandem persuadere quibuslibet simus annisi: adhæc cùm quæ in illo Colloquio dicta gestaque sint præ alijs cognita habeatis, non parum ponderis ijs, quæ hic de articulis tum confectis memoraui, adijciet, me vobis, quæ de illis hic scripsi, approbâsse, omniumque vos testes laudâsse. Quod fecisse me, vt certus sum, quâ estis apud Christi studiosos vniuersos gratiâ & autoritate, & in gloriam Seruatoris & complurium frattum confirmationem cessurum, ita nihil addubito, quâ estis humanitate, comitate, & prolatandi regni Dei, gloriæque eius promouendæ ardore, nec ineptum nec ingratum habebitis.

Responsio Tigurina Ecclesiæ Ministrorum ad Lutheri calumnias de Marpurgensi Colloquio Heluetios non elaborasse vt Marpurg. Colloquium institueretur.

Denique Ecclesiæ Tigurinæ Ministri in Responsione sua ad paruam Lutheri Confessionem, anno 44. edita, supra dictas calumnias, Lutheri inprimis, fictosque rumores de hoc Marpurgensi Colloquio, grauiter diluerunt & refutârunt. Primò, *inquiunt*, Lutherus nostros viam & modum quæsiuisse dicit, quo pacto causam suam prauam sarcire, & cum Lutheranis conuenire possent, & hinc Mar-

pur-

purgense illud Colloquium institutum fuisse. Quæ verba Lutheri hunc sensum præ se ferre videntur, quasi nostri, ut Colloquium illud institueretur, elaborârint, quo videlicet doctrinam suam, quam antehac suis tradiderant, commodè deferere, cum Luthero convenire, & illius sententiæ ac doctrinæ adhærere possent. Quòd si hoc vult dicere Lutherus, certè seipsum mendacii arguit, dum videlicet disputationem vel Colloquium in hoc articulo de Sacramento nihil effecisse, & Concordiam minùs promovisse, in hoc ipso libello simul fatetur. Cùm enim Colloquium institutum & transactum sit, nihil hic remoræ oboriri potuisset, siquidem causæ suæ labascenti iam (ut Lutherus dicit) consulere & centones, quòd ajunt, farcire voluissent. Atque in hac ipsa causa nihil, vel ipso Luthero teste, vel actum vel concessum est. Colloquii ergo huius prætextu nostri nec aliquod causæ suæ periclitanti subsidium quærere, nec quicquam farcire instituerunt.

Præterea Colloquium hoc nostri nunquam expetiuerunt, nec aliquo modo, ut illud institueretur elaborârunt: sed Illustrissimus Princeps Philippus Hassorum Landgravius, verè piâ & Christianâ mente primus literis aliquot ad nostros transmissis huius occasionem quæsivit & obtulit, petens nimirum ut amicum & ab omni disputandi contentione alienum Colloquium cum Luthero & suis hominibus inire dignarentur, si fortè clemens & misericors Deus gratiam suam conferre dignatus efficiat, ut utriusque partis sectatores circa hunc quoque Sacramenti articulum in sacrosanctæ Scripturæ fundamento & doctrina convenirent, quo tandem ab infirmioribus offendicula tolli, Christiana charitas plantari & concordia circa orthodoxam doctrinam institui augerique possent. Et hæc quidem literis Spirâ missis & feriâ 5. post Dominicam Iubilate, anno Christi 29. scriptis Illustrissimus Princeps monuit. Hæ & plures aliæ ad Colloquii huius institutum & negotium pertinentes, integræ adhuc & illæsæ apud nos hactenus reservatæ, etiam nunc sedulò servantur, quas, si quidem necessitas omnino postularet, palàm proferre possemus. Nostri ergo per Colloquium hoc causæ suæ (de cujus certitudine & fide nunquam dubitârnut) nullâ futelâ consulere, sed veram concordiam, Dei cultum & Ecclesiæ incolumitatem promovere studuerunt. Et hunc instituti sui scopum finémque Illustrissimus quoque & verè Christianus Princeps unicè spectavit. Vnde Lutherus etiam pravam hanc de nostris suspicionē commodiùs & majore cum gloria celare potuisset, quàm quòd tam vanè & incautè de hisce rebus differit.

1529.

Secundo loco, nostros in hoc Colloquio Marpurgensi causam & sententiam suam aliqua ex parte correxisse scribit, & ab errore suo pristino defcivisse, ut confiterentur scilicet, non nudum panem modò & vinum in Cœna esse, sed corpus quoque & sanguinem Domini, spiritualiter tamen; non corporaliter, &c. Atqui luce clarius constat, & quotquot Zuinglii ac Oecolampadii libros ante Marpurgense illud Colloquium editos legerunt, non ignorant, eos non Marpurgi demum sic sentire & docere cœpisse, sed semper & iam olim ab initio ad hunc modum docuisse. Quòd si verò aliqui hîc dubitare adhuc solent, secundam Oecolampadii ad Lutherum Responsionem legant, in cujus decimo octavo capite evidentissimè demonstratur, ipsos nunquam docuisse, quòd nudus duntaxat in Cœna panis sit. Zuinglius etiam in prima sua Responsione ad Lutherum sic scribit: Gravem injuriam summa mixtam violentiâ nobis infers, dum nos ex sacramento non aliud quàm nudum panem ac vinum fingere dicis. Si enim de sola substantia vel materia loqui voles, an scilicet panis sit quod hic editur, vel Christi corpus, tu tibiipsi respondeas iubeo. Tu enim panem non Christi corpus esse tot in locis, inprimis ad Regem Angliæ, docuisti, ut ea recensere opus non sit. Interim verò in pane hoc Christi corpus manducari asseris. Tu ergo panem nudum ac vinum solum hîc esse pronuntiavisti, non nos. Si enim usum respicias, non latere potest te, non in Cœna, hoc non ut vulgari pane uti, nec talem etiam iudicare, sed tesseram mysticam & concordiæ symbolum esse profitemur. Sin verò ipsam rei materiam aut substantiam consideraveris, tu hanc non aliud quàm panem esse docuisti. Quòd verò addis, in pane hoc Christi corpus manducari, ex tuo capite, non ex Deo protulisti. Ipse enim inquit, Hoc est corpus meum: Non autem, In hoc pane est corpus meum. Cur ergo nobis impingis, quod abs te commissum esse non ignoras? Vel, cur nobis vitio vertis, ac fraudi esse vis, quod idem tuipse docere non dubitas? In Bernensi etiam disputatione, cui Zuinglius & Oecolampadius interfuerunt, inter alia in hunc modum pronuntiârunt: Nos Christi corpus in Cœna edi, & sanguinem ejus bibi, nequaquam negamus, illud verò

Nostri in Marpurg. Colloquio à doctrina sua non defecerunt.

1529. verò spiritualiter per fidem fit, &c. Extant verba hæc in disputationis huius Actis excusa, fol. 120.

Ejusdem generis est, quòd Lutherus non minùs vanè, nec sine insigni quadam arrogantia inquit: Nos ne in uno quidem articulo in illorum partes concessimus: sed ipsi in omnibus articulis in nostram sententiam concedebant, &c. Nam quotquot ab Oecolampadio & Zuinglio ante colloquium hoc libri scripti sunt, etiam hoc loco evincere possunt, ipsos per omnia priusquam eam doctrinam suis tradidisse, quæ articulis Marpurgensis Colloquii & Concordiæ continentur. Possemus hic multa ex istis testimonia producere, sicubi necesse fuerit. Adhæc titulus quoque articulorum, qui finito illo Colloquio in lucem editi sunt, nihil huius rei pollicetur, quasi nostri aliqua in re in Lutheri partes concesserint, & ad illius defecerint sententiam, sed is ita se habet: In hac Christianæ doctrinæ summa vel compendio utrosque sibi invicem convenire ac consentire deprehensum est. Item, In hisce infrà positis articulis Marpurgi convenerunt 3. Octob. quorum nomina subscripta extant. Sed & Oecolampadius quoque huc quædam maximè pertinentia in sua ad Bercbtholdum Hallerum epistola scripsit. Quapropter Lutherus hac quoque in re vanam suam arrogantemque jactantiam prodidit potiùs, quàm quòd aliquid vel utile, vel se dignum effecerit.

Tertiò, Lutherus scripsit in hunc modum: Quidam illorum hac ratione sese excusari posse putabant, quòd nos & Pontificiorum asseclas hujusmodi sententiam tenere & sequi credidissent, quasi Christi corpus localiter in pane, perinde ut in saccostramen, concluderetur. Sed ô vanam mancam & caluam excusationem. Nam neque nos neque Pontificios unquam sic docuisse probè noverant, &c. Atqui hoc loco nostrorum integritatem & innocentiam, utpote quibus violenta omnino (siquidem Lutherus illorum sententiam verè percipit) infertur injuria, paucis quidem, sed verè asserere necesse est. Semper enim simpliciter, verè, integrè & fideliter nostri egerunt omnia, ab omni fraude doloque alienissimi. De Zuinglio quidem hic multis agere opus non est. Huius enim ad Lutheri Confessionem responsio ipsum calvâ hac excusatione nequaquam usum esse, abundè satis testari potest. Iohannes Oecolampadius verò in responsione ad Lutheri Confessionem sic scribit: Non equidem ignoramus, quid in Scholis sit traditum, corpus Christi nimirum in Sacramento nequaquam localiter contineri. Cæterùm idem hoc quoque longè lateque patebit, & pius quiddam secum afferet. Si enim Christus habet corpus verum, ubicunque illud corporaliter instar corporis fuerit, ibi locum quoque suum habeat necesse est. Et cùm locus aliquis unicus, non plures, sed unus duntaxat locus sit, corpus quoque non nisi uno in loco esse poterit: siquidem corpus illud verum esse fateri velimus. Quòd si autem hoc modo in cœlis est, in terris certè esse non potest. Lutherus ergo hîc quoque sibi similis esse, ut antehac, deprehensus est, quòd ea nimirum subinde nostris impingere conatur, quæ nullo veritatis testimonio evinci & probari possunt.

Præterea illud quoque Lutherus ait, Zuinglium prolixam & absurdam de locali inclusione disputationem secum habuisse, quâ Christi corpus pane nequaquam contineri posse demonstrare voluerit. Ad hæc verò nos ad hunc modum respondemus. Lutherus in Marpurgensi Colloquio huiusmodi propositionem admiserat, Corpus Christi in Cœna est, sed non ut in loco. Huic verò Zuinglius sic respondit: Cùm Christi corpus finitum esse agnoscas & fatearis Luthere, & omne quod finitum est, in loco sit: & Christi corpus non ut in loco præsens est, certè omnino nón præsens est, &c. Et hîc quidem omnium, qui verâ ratione & fide prædiri sunt, judicio permittimus, quàm bona fide, & quònam veritatis studio Lutherus hanc de Marpurgensi Colloquio mentionem contra nostros introduxerit.

Zuinglii disputatio Marpurgi de Luthero de locali inclusione corporis Christi in pane.

ANNUS DOMINI M. D. XXX.

De Augustanæ Confessionis Historia, ejusque tertio, & decimo articulo, de Persona Christi, & Cœna Domini.

CUm Carolus Cæsar, oppresso ad Ticinum Gallo, & biennio post Pontifice Roma capto, & tandem Gallico exercitu ad Neapolim lue extincto, iam quoque totius Italiæ, armis domita, victor exstitisset: totus in eam cogitationem & curam incubuit, ut compositis religionis dissidiis, communi Ecclesiæ & Orbis Christiani tranquillitati & saluti consuleret. Itaque colloqui cum Pontifice Bononiæ, cùm de cæteris rebus ad Italiæ pacem pertinentibus, tum verò de controversiarum religionis legitima cognitione &

Carolus Imperator deliberat cum Pontifice Romano de dissidiis in religione componendis.

& Concilio congregando decrevit. Ut autem ad tanta rei tractationem instructior veniret, deliberationes de controversiis Ecclesiæ sibi scribi iussit: Earum summa à Philippo Melanchthone his verbis alicubi recitantur: Responderunt quidam, prorsus nullam mutationem doctrinæ aut rituum faciendam, vel permittendam esse, nec ullum Concilium convocandum, sed tantùm armis compescendos esse omnes & Doctores & Principes, qui labefactare præsentem tranquillitatem auderent, quia plùs mali sit in exemplo admissa mutatione, quàm in morbo, cujus emendatio instituatur. Semel enim tentatâ mutatione curiosâ, ingenia ad majores mutationes invitari. Alii mitiores, responderunt, Ecclesiam hæc horrida & Laconica consilia non decere. Primùm, quia alius finis sit Laconicæ gubernationis, alius Ecclesiæ: In Laconica tantùm quæri pacis conservationem, in Ecclesia gloriam Dei anteferendam esse. Cùm autem manifestum sit multas falsas opiniones, errore, superstitione, avaritiâ, in Ecclesiam invectas esse, necessariam esse emendationem propter gloriam Dei: Deinde ne quidem fore pacem, quia semper futuri sint, qui aliqua reprehendent: idque tumultuosiùs facturos esse multos, quia sine publica authoritate, & sine consensu gubernatorum id agerent: esse & manifesta libidinum scelera in Cœlibatu, quæ tolli Deus præcepe-rit, quantum fieri à gubernatoribus possit. Postremò Ecclesiam non debere tyrannicam esse, sed propter probabiles causas lenire injusta onera.

Responsum quorundam de compositione controversiarum religionis.

Lecto utroque consilio, Imperator & naturâ mitis, & alienus à tyrannide, nec prophanus, se diu cogitatâ & disputatâ cum sapientissimis viris, tandem prætulit sententiam iustiorem & mitiorem, & adfirmavit se in ea permansurum esse.

Cæsar mitiora consilia sequi vollet per Pontificem à proposito avocatur.

Cùm igitur anno 1529. die 5. Novembr. Bononiam Carolus Imp. ad Pontificem Clementem 7. venisset, Mercurinus Cancellarius longâ & gravissimâ Oratione hanc Cæsaris voluntatem exposuit. Pervicit verò tandem Pontifex, ut Carolus promitteret, se primùm amicis & pacificis rationibus Lutheranos ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ reducturum, aut si pertinaciter recusarent, armis oppressurum esse.

Quo constituto, Cæsar die 21. Ianuar. dimissis in Germaniam literis, Comitia Ordinum Imperii Augustæ Vindelicorum die octavo Aprilis inchoanda, clementissimis verbis indicit, ac de dissensionibus in causa Religionis nominatim scribit, se dissidentium partium opiniones & sententias benignè audire, cognoscere & expendere, ac in eo elaborare velle, ut præteritis offensionibus, & erratis Christo condonatis, & illis, quæ utrinque in Scripturis secus tractata aut intellecta essent, sepositis & correctis, controversia illa ad unam simplicem veritatem & Christianam concordiam componantur & reducantur, &c. Simul etiam hortatur Principes Protestantes, ut Confessionem fidei suæ Germanicè & Latinè scriptam ad Comitia adferrent, ex qua de doctrina ipsorum cognosci posset.

Cæsar Comitia Augustæ indicit, & consilia religionis exponat.

1530.

Protestantes iubentur Confessionem scribere.

Cùm hæc, & simul etiam fama de pace & fœdere inter Carolum & Pontificem Clementem Barcinone anni præteriti die 29. Iunii facto: cujus unum caput erat: Cæsar & Ferdinandus, ut hæretici in viam reducantur, operam danto: & Pontifex sacra remedia adhibeto: Quòd si pertinaces perstiterint, Cæsar & Ferdinandus eos armis coganto: & Pontifex, ut cæteri Christiani Principes ipsos pro viribus iuvent, operam dato, &c. ad Protestantes Principes perlata fuissent: etiam Bononiensis congressus decreta inter Cæsarem & Pontificem, de Evangelicis ferro ad obedientiam Papæ cogendis, cum lenissimis verbis, quibus in Comitiorum indictione Cæsar usus fuerat, prorsus pugnantia accederent: & triumphi Principum & Sacrificulorum vera doctrina hostium, qui adventu Cæsaris potentissimi & ubique victoris, Lutheranos omnes planè obtritum &. deletum iri iactitabant, ubique personarent, maxima & difficiles deliberationes Protestantes Principes distinebant.

Protestantes in magnam conicuntur metum.

Deliberationes igitur de Confessione vel summa Doctrinæ in ditionibus Electoris Saxoniæ sonantis, brevi scripto complectenda, quod Imp. Carolo, qui partium dissidentium opiniones & sententias se auditurum esse significaverat, in Comitiis exhiberi posset: & de iis quæ concedi Adversariis publicæ pacis causâ deberent, institutæ sunt. In hoc opere non solum Philippus solicitè laboravit; sed Lutherus etiam Articulos 17. conscripsit, quibus Christianæ fidei & doctrinæ publicè in Ecclesiis populo proponendæ, & ad veram pietatem necessaria, summam complexus est. Iusserunt & cæteri Principes ac Civitates Protestantes, singuli suos Theologos summam Doctrinæ in Ecclesiis suarum regionum sonantis, scripto comprehendere: Quæ omnia perlegere Augustæ Philippus & materias eligere, & electas explicare ac censere coactus est: ut ex iis summa doctrinæ Protestantium Carolo Cæsari exhiberi posset.

Deliberationes de conscribenda Confessione à Protestantibus instituuntur.

De hac Confessionis Augustanæ prima scriptione, & ex tanta varietate ac dissimilitudine eorum, quæ hinc inde Theologi Saxonici collegerant & conscripserant ex Principum iussu in præsenti causa, utilium electione, sic scribit Philippus in Præfatione Tomi 1. Operum suorum:

De prima Augustanæ Confessionis scriptione à Philippo facta.

1530. Non, *inquit*, diſſimulari poteſt, motis rebus magnam varietatem opinionum exortam eſſe. Et concedit ἀναρχία licentiam malis ingeniis fingendi monſtroſa dogmata. Tali tempore, quàm difficilis res ſit, & eligere utilia, & ea propriè & perſpicuè explicare norunt prudentes. *Et paulò antè :* Erat, qui, ut minùs hòrridè videremur dicere hominem fide juſtificari ſcribebat, idem à Platone & Catooe dictum eſſe, citans notos verſiculos : *Si Deus eſt animus nobis ut carmina dicunt, Hic tibi præcipuè ſit purâ mente colendus* : Et Platonis illud in Epinomide : δεῖ τιμᾶν θεὸν οὐ χήμασι πειχάζοντας, ἀλλὰ ἀληθείᾳ τιμῶντας ἀρετήν. Nec deerant applauſores, qui non intelligebant diſcrimina doctrinarum, Legis, Philoſophiæ & Evangelii, quod cùm inquit; homines eſſe juſtos fide, ait eos fiduciâ miſericordiæ propter Filium promiſſæ, Deo placere : non illud agit, homines interioribus virtutibus Legi ſatisfacere, &c. *Item* : Cumque ſciam, quanta ſit hujus rei difficultas, ſemper optavi, ut pii atque docti viri convenirent, & rebus placidè deliberatis, de univerſa doctrina eaſdem ſententias, & loquendi formas poſteritati traderent, & quantum fieri poſſet, ſemina diſſidiorum extirparent. Hanc rem curæ eſſe piis Principibus oportuit.

Confeſſio Auguſtana à Philippo ſcripta approbatur à Luthero.

Eam deinde Ioannes Elector Saxoniæ Luthero Coburgum revidendam & expendendam miſit, ut ex literis ejus intelligitur Auguſtæ datis die Mercurii poſt Iubilate 11. *Maij. Ad quas reſpondit Lutherus*, ſe perlegiſſe formam Confeſſionis à Philippo conſcriptam, eamque ſibi eximiè placere, nec quicquam in ea corrigere aut mutare poſſe. Neque etiam *inquit* : aliquid à me emendari conveniret. Ego enim tanta moderatione & lenitate ſtili uti non poſſem.

Auguſtana Confeſſio ſubinde explicatior fit à Philippo.

Etſi autem à Luthero approbata fuit : tamen quotidie in ea Philippus quædam mutavit, & circumſpectiùs ac exquiſitiùs ſingula explicare & polire conatus eſt, ſicut ipſe aliquot diebus pòſt, Luthero exemplum remittens, die 22. *Maij inter alia ſic ſcribit :* In Confeſſione quotidie multa mutamus. Locum de Votis, quia erat exilior juſto, exemi, ſuppoſitâ aliâ diſputatione eadem de re, paulò uberiore. Nunc de poteſtate Clavium etiam diſputo. Vellem percurriſſes articulos fidei, in quibus ſi nihil putaveris eſſe vitii, reliqua utcunque tractabimus. SVBINDE enim mutandi ſunt, ATQVE ad occaſiones accommodandi. NB.

De ſolicitudine Philippi in conſcribenda Confeſſione.

De hoc ingenti ſtudio, curâ & ſolicitudine Philippi in contexenda & ſcribenda Auguſta Confeſſione Principum : Ioachimus Camerarius etiam in vita Philippi ſic ſcribit : Iuſſi ſunt omnes ſcriptis ſententiam ſuam demonſtrare. Tum informata quædam ſumma fuit doctrinæ univerſæ quam profitebantur & ſequebantur Eccleſiæ Saxonicæ & cum his concordantes. De qua poſt diligentiſſimam conſiderationem compoſitum eſt ſcriptum comprehendens capitibus aliquot expoſitam & explicatam doctrinam illam univerſam, operâ ſtudioque & curâ atque immenſo labore Philippi Melanchthonis. Quo ſcripto contentionibus diſputationum agitatæ quæſtiones variæ, cùm ordine diſpoſitæ, tum aſſertione ſimplice & apertâ illuſtratæ definitæque ſunt. Vt ab hoc tempore certa & explicata ratio doctrinæ cœleſtis veritatis uno ſcripto expoſita cœperit extare. *Et paulò pòſt* : Propoſitæ autem fuerant complures deſcriptiones, quædam etiam admodum verboſæ. Nam qui in cauſa hac conjungebantur, ii juſſerant ſuos quique Theologos aliquid conſcribere, quæ legenda cognoſcendaque erant Philippo. Qui non ille quidem de eorum, quæ aſſerebantur, veritate ambigebat, neque incerta multoque minùs falſa defendi putabat : Sed quanquam & ſacrarum literarum autoritate & conſenſu religioſæ pietatis ab initio ea niti ſciret, ne agendo tamen optima cauſa in tanta rerum perturbatione & hominum tam inſolentia quàm ferocia atque etiam arrogantiâ, læderetur, neu quâ in parte negligentiâ aut confidentiâ peccaretur, ſolicitè & anxiè metuebat. Cumque onus totum ipſi impoſitum eſſet & ab eo ſuſtineretur, curâ laudatiſſimâ afficiebatur, ne quid committeretur, quo & ſua ad Deum cõſcientia vulnerari, & bona ad homines violari exiſtimatio, & Reip. pernicies incitari videretur. Ipſe ego inter tales cogitationes non modò ſuſpirantem, ſed profundentem lacrymas conſpexi, & pietatis atque prudentiæ cùm juſtiſſimas querelas, tum graviſſimos ſapientiſſimosque ſermones illius audiui. Hæc quibuſdam ſecurioribus diſplicebant, & Martino Luthero indicata inflatiùs quandam epiſtolam expreſſerunt, quâ increpari timiditatem Philippi, ut jactitabant, ille non dubitaret. Eamque ad invidiam ipſius circumtulerunt, cùm magis laudationem illa quàm vituperationem Philippi contineat.

Landgravii mora ſuſpecta aliquib.

Interea expectabatur indies Philippus Haſſiæ Landgravius, ut Elector Saxoniæ & conjuncti Principes cum eo de communibus rebus ante adventum Cæſaris deliberare poſſent. Quia autem poſt Marpurgenſe Colloquium æquior noſtris factus fuerat, nec doctrinam Zuinglii ho-

ſtiliter

stiliter improbaret, Melanchthon & alii quidam Theologi qui tum Augustæ erant, valde metuebant, ne inde disiunctio aliqua animorum & consiliorum inter Principes Protestantes oriretur. Qua de re Melanchthon ad Lutherum 5. Maij inter alia sic scribit: Hessi Cancellarius Ficulnus ille heri venit, & affirmavit suum Principem in itinere esse. Venit unà Schnepfius, vir optimus, tuique amantissimus: qui nobis aliquam spem ostendit Principem suum posse in officio contineri: quanquam non dissimulet magnum esse periculum. Narrat quantam dimicationem sustineat cum illo περὶ δείπνου κυριακοῦ. Ait eum urgeri mirificè assiduis Heluetiorum literis, & N. Sturni singulis penè mensibus ad eum recurrere, ut τῷ ἀσινδύνῳ stimulos addat. Hæc me valde excruciant. Fortasse prodest te ad ipsum, aut certè ad nostrum Principem juniorem, literas mittere, ad confirmandum animum τοῦ Μακέδονος in sacra doctrina. Videtur sæpe levibus momentis impelli. *Et post illud tempus 22. Maij idem ad eundem in hunc modum scribit:* Nunc Landgravius agit, ut Confessioni nostrorum subscribat, ac videtur posse retrahi ad nostros: sed opus est tuis literis. Oro igitur te quàm maximè, ut ad ipsum scribas, & horteris ipsum: ne oneret suam conscientiam alicuius impii dogmatis defensione, &c.

Lutherus hortatur Landgravium ne Zuinglii doctrinæ adhæreat.

His literis Philippi incitatus Lutherus scribit ad Landgravium epistolam acrem quidem & vehementem contra Zuinglium eiusque doctrinam de Sacramento, & ei ne adhæreat, monet: quæ extat Tomo Ihenen. 5. Operum eius folio 22.

Iudicium de hac Lutheri epistola.

In ea tamen nihil est, quod vel nostrorum sententiam infirmet, vel Landgravium aut alios, sine προσωποληψίᾳ iudicantes, in Lutheri sententiam pertrahere debuerit. Eâ enim repetuntur, ad quæ à nostris sæpe & solidè responsum est. Textum Scripturæ iactat. *Sed ubi Scriptura dicit, Corpus Christi existere in pane? Panem dicit Christus esse corpus suum; id quod multis in locis acerrimè etiam Lutherus ipse contendit, & rectè: Sed non obtinet inde suam sententiam.* Totum Ecclesiæ consensum obtendit *sine colore. Papistica Ecclesia ita sensit contra piam vetustatem. At plurimi pij à Papa in hoc, sicut etiam in aliis doctrinæ capitibus, dissenserunt sub ipso quoque Papatu, ut Bohemi, & alii alibi, quemadmodum scripta eorum & Confessiones testantur: quæ extant. Æquè falsum est alterum antitheseos membrum, & verissimè in Lutherum ac Vbiquistas retorqueri potest,* videlicet nostram doctrinam non esse satis in Verbo Dei fundatam. *Nihil enim Zuinglius, & qui eius doctrinam sequuntur, profitentur, quod non etiam Lutherus cum suis docuerit, scilicet panem esse corpus Christi sacramentaliter, cùm sit ejusdem corporis συμβόλων: Christum suo corpore vero & naturali in cœlum ascendisse, ibiq; nunc esse, & illinc rediturum visibiliter, localiter, & circumscriptivè: nos autem in terra existentes vero ejus corpori in cœlo existenti & manenti per ipsius Spiritum uniri & incorporari, sicut membra capiti, ut ipse in nobis & nos in ipso semper maneamus: atque huius vera & substantialis communionis, non tantùm spiritus, sed per spiritum etiam carnis & sanguinis Christi, Sacramentum, sigillum & pignus certum, ratum, efficax esse fidelibus ritum Cœnæ Domini. Quid in his non fundatum in Verbo Dei? Quid quod in dubium vocare Lutherus cùm suis audeat? Lutherus autem & Vbiquistæ his non contenti, addunt, & à nobis credi & approbari postulant alia:* non ipsum *videlicet* panem, sed in pane invisibiliter, illocaliter, incircumscriptivè suâ substantiâ simul præsens esse verum Christi corpus, semper in cœlo circumscriptum manens, & ore corporeo cum pane à fidelibus & infidelibus sumi, eodemque modo verum Christi sanguinem è poculo bibi: Et corpus hoc modo corporaliter & oraliter sumptum in fidelibus vitam, in infidelibus mortem æternam operari: Et corpus Christi verum & unicum alii ubique, alii tantùm in cœlo & in pane corporaliter præsens esse dicunt, *& similia multa quæ de reali communione Idiomatum & cum his cohærentia docent. Vbi hæc in Verbo Dei fundata sunt? Nam certè in verbis Christi,* Hoc est corpus meum, *illorum nihil traditur: aliis autem Scripturæ testimoniis plurimis & articulis fidei manifestè adversantur. Non igitur nostri Lutherum, sed ipse nostros à certis, in Verbo Dei traditis, & ab utraque parte Confessione suâ approbatis, ad incerta, cum Verbo non congruentia, partim à Papa, partim ab ipso recens excogitata avocare & traducere voluit, iisque assentiri nondum probatis, recusantes, sunt illi & suis* Suermeri, Fanatici, Vertiginosi spiritus, Sacramentarii, Hæretici, Ariani, Mahometani, Blasphemi, Catharmata & alastores.

Scribit in eadem epistola Lutherus, se facilè crediturum fuisse Sacramentarios, si malum fuisset adhuc bene positum & lateret, ipsos in movendo eo timidiores & circumspectiores in posterum futuros: ich gleube sicher / *inquit Lutherus*, were das Bier wider im fasse / sie liessens ietzt wol anstehen: Aber weil sie ins Nein kommen sind / wollen und können sie nicht zu ruck. *Hoc non de nostris, sed de Luthero & suis rectissimè dicitur. Magno enim credo redemisset,*

1530. *à se nullam vnquam Vbiquitatis, aliorumque monstrosorum dogmatum defensionem susceptam fuisse: præsertim cùm & Vbiquitatem, & alia quadam postea abiecerit. Nostros neque sua doctrina est quod pudeat, neque errorem suum, si quem eis demonstrare possent, fateri ac deponere eos non puderet. Vbiquistas autem & Lutheranos dogmatum suorum, quando propriè & nudè, sine verborum fucis efferuntur, pudet, & tamen qui hac approbare nolunt, eos nec ferre, nec refutare possunt. Nam quòd hac argumenta*: Panis est signum; ergo non propriè dicitur res signata: *Item*: Corpus Christi non est in loco; ergo non existit in pane, *Lutherus vocat* putida, inepta, infirma, *id more facit Oratorio. Fuit enim hoc ei dicere facilius, quàm refutare illa. Potuissent vel ista sufficere ad causam tuendam, etiamsi quadam alia, vt solet in principiis contentionum fieri, rebus nondum explicatis, minùs firma, aut minùs ad rem pertinentia, fuissent admixta disputationibus.*

Ad errores *quod attinet, quorum in hac epistola meminit Lutherus*, de Baptismo, peccato originali, Sacramentorum vsu & Verbo Dei externo, *illi melius à Zuinglio sunt refutati, & à nostris adhuc refutantur, quàm à Luthero & Vbiquistis. Et in multis potiùs λογομαχίας fuisse, quàm veras dissensiones nostrorum à Luthero, certum est, sicut euentus docuit Marpurgi, & vtriusque partis scripta testantur. Ad inuidiam igitur augendam hac extra causam quasita sunt.*

Illud verò, quòd Carolstadio hospitium præbuerint Heluetij, ægriùs quàm alia fert, *& in eo fortè aliquid humanitus passus esse Lutherus videtur.*

Auocat hic Lutherus Landgrauium ad alia grauiora negotia. *Quasi verò res sit leuis, diuina veritatis inquisitio & cautio ab idolis, aut aliquod possit esse negotium ad gloriam Dei, ad officium & salutem Magistratuum & subditorum magis pertinens.*

Negat *in hac epistola Lutherus* se meminisse, quibus Scripturæ testimonijs sua nostri probârint. *Ea scilicet, qua libenter volumus, non solùm libenter credimus, verùm etiam libenter meminimus. Id hic quoque Luthero accidisse videtur. Si quid incommodiùs dictum, vel non satis explicatum, aut appositè probatum in principio fuit, hoc meminit & exaggerat, Sed qua rectè & solidè dicta fuerunt, causam ipsius euertentia, eorum non meminit. Ideo bene factum, quòd scripta adhuc extent, ad posteritatis memoriam.*

Exprobrat *ibidem* Zuinglio & Oecolampadio paucitatem argumentorum. *At pluribus non erat opus, cùm pauca hac Lutherus nondum soluisset. Fatetur*, eos professos esse, Corpus Christi veraciter esse præsens in Cœna, at Spiritualiter tantùm. *Ergo corruunt & pudefiunt omnes calumnia, quibus nostri accusantur, tanquam negantes veram præsentiam corporis Christi in Cœna. Nam & spirtualis præsentia vera præsentia est, & præsentia atque communio vera corporis in Cœna, nequaquam requirit præsentiam corporalem in pane.*

Quod in fine epistola addit: Se credere, Christum per ipsum etiam, vt organum suum aliquid effecisse: *id profectò & nos credimus & prædicamus. Sed inde non sequitur, per alios Christum prorsus nihil egisse, aut ipsum solum sic omnia vidisse, vt in purgando superstitionis Pontificia stabulo, nihil fimi aliis exportandum & euerrendum reliquerit, neque vlla in parte offenderit: quod ipsum tamen etiam, infelici illi inter ipsum & Carolstadium exorta contentioni potiùs, quàm iudicij in ipso defectui imputandum videtur.*

Decima quinta die Iunij, qua Festum corporis Christi, vt vocant, proximè antecessit, Carolus Imper. vrbem Augustam ingressus est, omnibus Principibus, qui honoris causâ obuiam processerant, & in his Electore Saxonia Iohanne ensem nudum praferente, eum Comitantibus, ac ad summum templum, indeque rursus in hospitium deducentibus. Quò cùm serò admodum venisset, Imperator, dimissis cateris Electoribus & Principibus, mox à Iohanne Electore Saxonia, Georgio Marchione Brandeburgensi, Philippo Landgrauio & cateris Principibus Euangelicis petit, vt Conciones suorum Ministrorum Augusta deinceps intermitti curent, & postridie Processioni in festo Corporis Christi, Maiorum more, intersint. Principes inter se collocuti per Georgium Marchionem Brandenburgensem, causas, cur assentiri bonâ conscientiâ huic Imperatoris postulatis, nequeant, breuiter exponunt. Cùm autem Imperator, bis reiecta Principum excusatione, idem flagitare non desisteret, & Ferdinandus ipse Cæsaream M. à suis postulatis nec posse nec velle discedere, addidisset: Georgius Marchio, *pio zelo exardescens, inter catera etiam* malle se flexis ibi coram Cæsarea M. genibus spiculatori ceruicem feriendam statim præbere, quàm Deum & Euangelium Ipsius abnegare dixit. *Quâ voce auditâ Imperator placidissimè respondit.* Non de ceruice cuiusquam ferienda agi iam, &c. *Principes igitur sumpto deliberandi spatio, postridiè sententiam suam se declaraturos esse ostendunt. Altera itaque die* 16. *Iunij manè, Iohannes Fridericus, Dux Saxonia, loco Patris, & cateri Principes coniuncti, ad Cæsarem redeunt, & causas exponunt, cur Processionem illam,* velut

Cæsar Augustã ingreditur.

Cæsar petit, vt protestantes conciones Augusta intermittant, & processioni in corpore Christi festo intersint.

Protestantes recusant postulata Cæsaris.

1530.

velut cultum diuinum, præsentiâ suâ approbare & stabilire non possint: Quòd contra mandatum & institutionem Christi Sacramentum diuidatur, & ad vsum longè diuersissimum ab institutione transferatur. Oportere autem se Deo magis quàm hominibus, in his conscientiæ negotiis obedire. Nec se præiudicare velle suo exemplo, aut facto aliquo damnare doctrinam de his abusibus, in suis Ecclesiis sonantem, quam iuxta C. M. literas Indictionis, in hoc Conuentu proposituri, & ex Verbo Dei confirmaturi essent. Prolixè etiam causas commemorant, cur Conciones suorum Theologorum abrogare ante causæ cognitionem nequeant. Cùm autem Imperator nihil de proposito mutaret: Principes verò subiectissimè orare non desinerent, ne eiusmodi postulatis, quibus saluâ conscientiâ assentiri non possent, grauarentur; tandem Imperator mandat, vt causas recusationis suæ, scripto explicatas, quàm primùm sibi exhiberent: Quod etiam factum est alterâ die, quæ fuit 17. Iunij.

Initium Comitiorum Augustanorum.

Iunij die 20. factum est initium Comitiorum: Et Cæsar Missam auditurus de more, Saxonem adesse iubet, ac sibi proferre gladium, nam id Saxonicæ domus officium est in eiusmodi pompis. Ille, re deliberatâ cum Theologis, qui dicebant, licere ei adesse, quòd ad suum officium euocatus esset, non ad Missam, velut cultum diuinum accessit, Georgio Brandeburgensi comitatus: reliquorum nemo venit. Finito sacro, Imperator cum Electoribus & Principibus, ac cæteris Imperij Ordinibus in Curiam ascendit, & Propositionem Deliberationum, in Senatu Imperij tractandarum, ex scripto recitari iubet, in quo duo præcipuè capita Ordinum Consultationi subiicit: Prius de Bello Turcico; alterum de Religione, eiusque dissidio componendo.

Protestantes Confessionem suam Cæsari exhibent. Cæsar confessionem Principum non vult publicè legi.

Paulò pòst in eodem Conuentu; consurgens Elector Saxoniæ & coniuncti Principes, se iuxta Cæsareo M. mandatum, Confessionem Fidei suæ, Latinè & Germanicè scriptam complexos esse exponunt: quam publicè in Consessu Imperij prælegere & Cæs. Mti. exhibere cupiant. Cæsar sibi tradi scriptum, atque deponi iubet. Illi contrà, cùm non dubitent, multa de ipsorum doctrina, secus ac res habeat, ad Imp. ac Principes delata esse, cumque in ea causa, ipsorum non modò existimatio & fortunæ omnes, verùm etiam animæ salus vertatur, se publicè audiri subiectissimè petunt. Cæsar se postridie eos domi suæ auditurum esse pollicetur, sed Confessionem scriptam sibi statim exhiberi flagitat: Illi denuò, quàm possunt vehementissimè instant, vrgent & obsecrant, neque putâsse dicunt, hoc sibi denegatum iri, quum alios multò se humiliores, in rebus etiam leuioribus audiat. Cùm autem Cæsar de proposito nihil mutaret, petunt, vt scriptum sibi relinquat, donec recitatum sit, & in publico omnium Ordinum Imperij consessu Confessionem suam audiri subiectissimè petunt. Tandem Cæsar, vt scriptum, donec recitatum fuerit, retineant, assentitur: verùm non in publica audientia; sed in Cæs. M. S. Palatio postridiè illud recitari iubet.

Confessio Augustana in Palatio Cæsaris publicè legitur.

Eo permisso, veniunt sequenti die post meridiem Protestantes Principes, & Confessionem Fidei ac doctrinæ Christianæ, quæ in ipsorum ditionibus & vrbibus populo proponi soleret, in Palatio Cæsaris, assidentibus Carolo, Ferdinando, & omnibus Electoribus ac Principibus, læto & alacri animo ac vultu publicè prælegi ac recitari per Electoris Saxoniæ Cancellarium iusserunt: Qui clarè, distinctè, tardè, & voce adeò grandi & sonora eam pronuntiauit, vt non tantùm in amplissimo illa aula, verùm etiam in area inferiore & vicinis locis exaudiri potuerit. Postea Latinè & Germanicè scriptam Cæsari tradunt, & si quid in ea desideretur, explicationem deferunt, & si fortè iam definiri causa non possit, non se recusare toties & promissum & decretum Concilium, demonstrant.

Nomina Principum qui Confessionem Aug. Cæsari exhibuerunt.

Exhibuerunt autem Cæsari hanc Confessionem, Ioannes Dux Saxoniæ & Elector, cum filio Ioanne Friderico: Georgius Marchio Brandenburgensis: Ernestus & Franciscus fratres, Duces Brunsuicenses & Luneburgenses: Philippus Landgrauius Hassiæ: Wolfgangus Princeps Anhaltinus: Legati quoque Ciuitatum Noribergæ & Reutlingæ.

Articulus 3. Augustanæ Confess. de persona Christi.

Huius Confessionis Protestantium articulus tertius de Persona Christi, de quo hodie inter Vbiquistas Lutheranos, & Caluinistas magna est controuersia, sic habet: Ecclesiæ magno consensu apud nos docent, quòd Verbum, hoc est, Filius Dei, assumserit humanam naturam in vtero beatæ Mariæ Virginis, vt sint duæ naturæ, diuina & humana, in vnitate personæ inseparabiliter coniunctæ, vnus Christus, verè Deus & Homo, natus ex Maria virgine, verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus, vt reconciliaret nobis Patrem, & hostia esset non tantùm pro culpa originis, sed etiam pro omnibus actualibus hominum peccatis. Idem descendit ad Inferos, & verè resurrexit tertia die: deinde ascendit ad Cœlos, vt sedeat ad dexteram Patris, & perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu sancto, qui regat, consoletur & viuificet eos, ac defendat aduersùs Diabolum & vim peccati. Idem Christus palàm est rediturus, vt indicet

1530. viuos & mortuos, iuxta Symbolum Apostolorum.

Neque in hoc 3. articulo, neque in alio August. Confessionis Vbiquitas docetur.

In his verbis tertij huius Articuli Vbiquitatis sua prod giosum dogma, & Omnipræsentiam corporis Christi tradi & doceri omnibus modis Vbiquistæ hodie contendunt. Nostri contrà negant, non solùm in his verbis, sed etiam in tota Confessione Augustana, vel vnum quidem apicem proferri posse, qui Vbiquitatem corporis Christi doceat aut confirmet: & probant his ipsis verbis articuli huius, hanc Vbiquitatem solidissimè confutari, & suam, hac est, orthodoxam sententiam de Persona Christi, apertissimè confirmari.

Examen huius tertij articuli.

Dicitur enim, *vt in Neustadiana Admonitione indicatur*, Deus Verbum, assumsisse naturam humanam in vtero virginis. *Verbum itaque vbique existens vnitum est humanitati non existenti vbique sed tantùm in vtero materno: Et vbicunque fuit Verbum, vnitum fuit humanitati, etiam non vbique existenti. Vnio ergo personalis non requirit Vbiquitatem carnis.*

Dicuntur duæ naturæ esse vnus Christus: *Ergo proprietates essentiales naturarum realiter distincta manent, alioqui non essent natura dua; sed vel vna, vel dua substantia, aut substantia partes, qua sint eiusdem natura.*

Dicuntur hæ duæ naturæ in vnitate personæ inseparabiliter coniunctæ: *Ergo vnitas persona constituitur in naturarum inseparabili coniunctione, ad constituendam vnius persona Christi substantiam: non autem in reali & mutua communicatione Idiomatum.*

Dicitur vnus Christus verè Deus & verè homo: *Ergo manet vnitas persona, etiamsi Deitati non sint realiter communicata proprietates humana: Sic enim Christus non esset verè Deus: nec humanitati sint realiter communicata proprietates diuina: sic enim non esset verè homo.*

Dicitur verè homo natus ex Maria virgine: *Si verè natus est, ergo natura ipsius humana ante natiuitatem non fuit extra, & post natiuitatem non mansit intra vterum, hoc est non fuit incircumscripta & vbique.*

Dicitur verè passus, crucifixus, mortuus & sepultus; *non igitur tantùm fuit in vno loca patiens, in cruce pendens, mortuus & sepultus, in aliis autem omnibus, non patiens, non crucifixus, non mortuus, non sepultus, sed æquali cum Deitate sua gloriâ, secundùm naturam humanam fruens, nec passus, crucifixus, mortuus & sepultus est vbique, nisi etiam crucem, & sepulchrum, & crucifigentes, & sepelientes eum, dicat quis vbique in cælo & in terra fuisse, aut vno loco in cruce & sepulchro, in alijs autem omnibus locis sine cruce & sepulchro, crucifixum & sepultum fuisse: Non item fuit anima ipsius in corpore mortuo, nisi quis dicat, sine vera & locali separatione anima & corporis eum fuisse mortuum: quod an sit verè mori, illi viderint, qui animam & corpus Christi à Deitate separari dicunt, nisi sint vbique, secundùm modum Dextera Dei, hoc est, secundùm modum Deitatis. Et quanquam sic Verbum est factum verus homo, vt semper manserit verus Deus; tamen dicitur Deus natus ex virgine, passus, crucifixus, mortuus & sepultus, quorum nihil in Deitatem cadere potest.*

Dicitur ideo passus & mortuus pro nobis Deus, vt morte sua nobis reconciliaret Deum, & esset hostia pro omnibus hominum peccatis: *Ergo, vt sufficiens esset victima pro peccatis, oportuit pro nobis talem hominem pati secundùm humanitatem suam, qui simul esset Deus, non patiens & moriens, sed omnipotentiâ suâ sustentans & resuscitans naturam suam humanam.*

Dicitur idem Christus Deus & homo verè resurrexisse à mortuis, ascendisse in cœlum, & inde rediturus ad iudicandum: *Erga humanitas ipsius ante resurrectionem non fuit extra, & post eam non mansit intra sepulchrum, nec visibiliter nec inuisibiliter: & postquam visibiliter in Cælum sublata est, non mansit inuisibiliter in terra, vel in omnibus locis esse cœpit: Sic enim non verè ascendisset: Nec humanitas nunc est in terra, antequam redeat, sicut neque manebit in cælo, postquam de cælo descenderit: Sic enim non verè, sed apparenter duntaxat ascendisset, & rursus descenderet.*

Si verè ascendit, vt habet Confessio, ergo ascendit saluâ veritate humana natura, ita vt in se manserit palpabilis & visibilis circumscriptus. Nam ascensione in cælas non tollitur veritas humana natura, nec abolentur proprietates essentiales; nempe circumscriptio, visibilitas, ita vt corpus in se circumscriptum, & finitum, & visibile esse desinat: sed perficitur & cælesti gloriâ ornatur. Si verè ascendit, ergo etiam localiter, videlicet locum mutans, & è loco inferiori in superiarem transiens, cælis his inferioribus & aspectabilibus transitum prabentibus. Nam cælum & terra locis differunt, summo & imo: qua autem loco differunt, ab eorum altero ad alterum transitus localis est. Non itaque euanuit Christus aut disparuit, vt spectrum; nec ex visibili & circumscripto inuisibilis & incircumscriptus in se factus, nobiscum inuisibiliter mansit: sed ipsam corporis sui substantiam è terra, vbi priùs erat, in cælum, vbi priùs non fuerat, abduxit. Si verè ascendit, visibiliter ascendit, videlicet aspicientibus & intuentibus discipulis tanquam testibus, & oculis

eum

cum quousque poterant, prosequentibus: sicut rursus videbitur in reditu ad iudicium, non quia tunc ex inuisibili corpore facturus sit visibile; sed quia reuera de loco superiori, in quo iam existens, videri à nobis non potest, descendet in hunc inferiorem, in quo conspici poterit. Itaque non disparuit Christus in ascensione, vt inde inuisibilis factus sit; sed quia longiùs discessit, quàm discipuli visu sequi poterant, videri ab ipsis desiit, qui per se visibilis erat.

Dicitur in Confessione, non inde à puncto conceptionis, sed DEINDE, hoc est, postquam mortuus & resuscitatus esset, in cœlum ascendisse, vt sederet ad dexteram Patris: *Ergo secundùm naturam humanam non habuit humilitatis tempore occultam gloriam illam carnis suæ, quam in exaltatione sua accepit manifestam.*

Dicitur ibidem ascendisse in cœlum, vt sederet ad dexteram Patris. *Si ergo ad sessionem à dextris Patris, requirebatur ascensio in Cœlum, vtique non prius secundùm naturam humanam, secundùm quam solam ascendit, cùm Deitas neque ascendat neque descendat, sedebat ad dexteram Patris, hoc est, fruebatur cœlesti & diuinâ gloriâ, quàm in cœlum ascendisset: Et iam sic sedet ad dexteram Patris, vt tamen natura humana non vbique sed in cœlo versetur: Et si ascendit in hunc finem, vt sederet ad dexteram Patris, non ergo est idem in cœlum ascendere, quod nobis erit cum ipso commune, & sedere ad dexteram Patris, quod solius Christi est proprium.*

Sic in hac Confessione describitur sessio Christi hominis ad dexteram Patris, quòd perpetuò regnet & dominetur omnibus creaturis, sanctificet credentes in ipsum, misso in corda eorum Spiritu S. qui regat, consoletur, & viuificet eos, ac defendat aduersùs Diabolum, & vim peccati: *In hac descriptione sessionis ad dexteram, nullo sit mentio Vbiquitatis, aut omnipotentia corporis, siue natura humana Christi, neque vllius rei, ad quam corporis Vbiquitas requiratur.*

Dicitur homo Christus Spiritu sancto misso in corda credentium, eos sanctificare & viuificare: *Ergo non per corporis substantiam intra ipsorum corpore existentem; sed per eundem Spiritum in ipsis habitat, eos sibi vnit, vt ex ipsa tanquam membra ex capite, eandem sanctitatem, vitam & gloriam hauriant, quæ est in capite.*

Dicitur hic Homo Christus, palàm rediturus ad iudicandum viuos & mortuos: *veniet autem & videbitur omnium oculis, sedens à dextris virtutis Dei. Ergo humana Christi natura, etiam à dextris Dei sedens, est visibilis & circumscripta: quod enim inuisibile & incircumscriptum est, id videri oculis corporis non potest.*

1530.

Lutherus approbator Augustanæ Confessionis Vbiquitatem abiicit ante scriptam Confessionem.

Secundò, *Lutherus approbator, & si Vbiquistis credere libet, author Confessionis Augustanæ, etsi vincendi studio duobus proximis annis, 27. & 28. Vbiquitate & omnipræsentiâ corporis Christi contra aduersarios suas pugnauit, max tamen eam abiecit, & disertis verbis testatus est, non aliam causam corporalis præsentiæ corporis Christi in Cœna esse, quàm verba Christi:* De Vbiquitate in hac causa non esse disputandum*: longè enim aliam rem esse. Vide suprà, vbi de Origine Vbiquitatis egimus. Deinde in Colloquio Marpurgensi, inter alios articulos, etiam de Persona Christi & duabus naturis, ita declarârunt sententias suas Lutherus & Zuinglius, vt facilè controuersia omnis componeretur. In Schmalcaldicis articulis etiam sic scripsit:* Hi articuli de Trinitate personarum, & de Incarnatione Christi, passione, morte, sepultura, descensione ad Inferos, ascensu in cœlos, sessione ad dexteram Patris, & reditu ad Iudicium, in nulla controuersia positi sunt, quia ab vtraque parte eos confitemur. *His verbis doctrinam Pontificiorum de Trinitate & Persona Christi probans Lutherus, Vbiquitatem corporis Christi improbat, quod ea à Pontificiis nec recepta est, necdum recipitur, sed hæc de re veteris Ecclesiæ doctrina etiam inter medias tenebras conseruatur adhuc hodie. Nam quod de Fabro Stapulensi obijcitur, qui Parisiis Vbiquitatem docuit, friuolum est: quia ex particulari non sequitur vniuersale, deinde à Sorbona ob hanc ipsam doctrinam damnatus fuit Stapulensis & in exilium pulsus, vt suprà est expositum, tam abest vt approbârit eam Sorbona. Porrò in Concordia Witebergensis tractatione, de Persona Christi nihil actum, aut in formulam Concordiæ insertum est, quòd adhuc Marpurgensis illa compositio staret, & secundùm tertium articulum Augustanæ Confessionis doceretur vtrinque. Sententiam etiam suam apertissimè & orthodoxè declarauit & explicauit Lutherus post Marpurgense Colloquium in multis priuatis libris: videlicet in Tractatu de Nouissimis verbis Dauidis, paulò ante obitum eius edito: in libro de Conciliis: In Exegesi in 14. cap. Iohannis: in Danielis cap. 7. in Isaia cap. 53. vt est videre suprà, vbi prolixè Lutheri orthodoxam sententiam de Persona Christi exposuimus. Qui plura testimonia Lutheri hac de re habere cupit, legat Christophori Gronmundi libellum Neostadij anno 81. editum, de Lutheri doctrina ac sententia, de Persona Christi, Ascensione eiusdem, & Sessione ad dexteram Dei. Denique in Comitiis etiam Imperialibus, viuente adhuc Luthero, semper reformatarum Ecclesiarum* Theologi

1530.

Theologi protestati sunt, in articulo de Trinitate & Persona Christi, inter partes, hoc est, Pontificios & Euangelicos, probe conuenire. Sic etiam Georgius Cassander Pontificius, in Consultatione de articulis religionis controuersis; De tertio, *inquit,* articulo, inter partes, de quarum conciliatione agitur, probè conuenit, *Et mox addit;* Sententiam illam, quæ est de Vbiquitate corporis Christi, hactenus in Ecclesia inauditam fuisse.

Ex quibus omnibus manifestissimè & irrefragabiliter colligi potest, post annum 28. & Marpurgense Colloquium, Vbiquitatis dogma portentosum penitus Lutherum abiecisse, ac proinde in Augustanam Confessionem per ipsum non introductum fuisse.

Lutherus non ad vitæ finem perseuerauit in doctrina Vbiquitatis.

Frustra igitur tragicè exclamant nonnulli: Lutherum semper, & vsque ad vitæ finem Vbiquitatem corporis Christi probâsse & docuisse publicè ac priuatim. Nam primò, quòd in libro de Concilijs, Zuinglium Nestorianismi accusat Lutherus, in ea ad primum certamen anni 27. & 28. respicit, in quo Zuinglij sententiam & Allæosin non rectè intellexit. Deinde, *quòd in Epistola quadam ad amicum anno 34. edita, Confessionem suam maiorem renouatam, repetitam & confirmatam vult Lutherus: respectu principalis negotij, hoc est, controuersiæ Sacramentariæ fit, & ne Sacramentarius fieri velle videretur, sicut ibidem expressè loquitur: non autem respectu Vbiquitatis corporis Christi, quam in illa Confessione ex abundanti proposuerat saltem; vt aduersarijs suis ostenderet, aliquem modum esse, quo simul corpus Christi in cœlo & in pane Cœnæ Dominicæ esset, & in hac ipsa Confessione modum definitiuum aliquoties accommodat, & corpus Christi definitiuè, non secundùm Vbiquitatem, in Cœna esse tradit.* Tertiò, *quòd in Minore & postremo sua Confessione anno 44. edito, polemica scripta sua contra fanaticos Lutherus allegat, ita vt illam disputationem in Maiore Confessione contra Heluetios, simpliciter probare videatur, iterum respondetur vt paulò antè responsum est. Neque enim ad disputationem de Vbiquitate corporis Christi ex abundanti propositam, sed ad controuersiam Sacramentariam, seu ad principale negotium respicit.*

Philippus scriptor Augustanæ Confessionis Vbiquitatem nunquam docuit.

Philippus, Augustanæ Confessionis vt scriptor, sic etiam verus author, atque etiam approbator, Vbiquitatem nunquam docuit, probauit aut defendit, sed potiùs semper damnauit. Cùm enim Hardenbergius, Bremensis Ecclesiæ Pastor, Timanni & Collegarum suorum sententiam improbaret, qui carnem Christi vbique esse docebant, & ob hanc causam Bremâ eijceretur, conquestus est grauiter de istorum Theologorum audacia, quorum machinationibus hoc fiebat. Sic enim ad Hardenbergium scripsit: Disputant Nestorianos esse, qui non fateantur τὸ σῶμα πανταχοῦ εἶναι. Hoc ne Papistæ quidem vnquam dixerunt, &c.

Opposuit se quoque Iohanni Brentio, in decrepita senectute Vbiquitatem clam inter amicos spargenti; & palam professus est, ipsum hoc nouo dogmate, Euangelicæ veritati, & toti puriori Antiquitati contrariè destruere fundamentum salutis humanæ vnicum, doctrinam *nimirum* de vnione hypostatica duarum naturarum in Christo, & totam alteram partem Symboli Apostolici, de veritate humanæ naturæ & officio Mediatoris. *In libello etiam Inquisitioni Bauaricæ opposito, aperte dicit,* Communicationem Idiomatum physicam, naturarum esse confusionem.

Brentio Vbiquitas incognita fuit cùm scriberetur Augustana Confessio.

Brentio quoque ipsi Vbiquitatis doctrina ab initio incognita fuit, quem tamen Philippum in conscribenda Augustana Confessione iuuisse volunt. Si enim Syngramma ciuitatum Sueuicarum, cuius ipse scriptor fuit: Si etiam Exegesin eius in Iohannem, in memoriam reuocemus; Si tempus consideremus, quo illud Syngramma conscriptum & Exegesis edita in lucem fuit, & quo anno Confessio Augustana data Cæsari: Intelligemus Brentium, quo tempore Syngramma prodijt, & simul ferè Exegesis, Vbiquistam non fuisse. Vbi enim in Syngrammate & Exegesi Vbiquitas, & illa crassa manducatio, de qua hodie est controuersia? Tandem paulò ante mortem Philippi, cœpit non solùm amico aduersari Philippo, sed etiam à sua ipsius doctrina deficere, vt nouam introduceret, vel potiùs vt consopitam per Marpurgense Colloquium, & initam Witebergensem Concordiam reuocaret hæresin, posteaquàm sensit verbis sese Cœnæ Dominicæ non posse consistere.

Augustana Confessio non probat oralem manducationem corporis Christi.

Ex his rursus luce meridianâ clarius est, non debere, nec posse Augustanam Confessionem ad corpus Christi inuisibile & vbiquitarium, sine manifesta impudentia detorqueri: neque eorum doctrinam, quæ Vbiquitatem damnat, sed potiùs quæ eam confirmat, defendit & propugnat, cum hac Confessione pugnare. Sæpe autem Vbiquistæ confessi sunt, & vehementer asseuerârunt in suis libris, non posse absque Vbiquitate, *quam ipsi propterea excogitârunt,* consistere dogma, de orali manducatione corporis Christi: & qui Vbiquitatem non confiteatur; eum intus & in fundamento cum Zuinglianis facere, quicquid de Christi præsentia corporali prædicet: *vt est videre in Schmidlini scripto contra Iesuitas Ingolstadienses, & in Concione Lucæ Hosiandri anno 77. habita & edita. In Augustana autem Confessione non docetur Vbiquitas. Ex ipsorum igitur iudicio & testimonio pro Vbiquistis & orali manducatione corporis Christi*

non

non facit Augustana Confeßio, donec ipsi Vbiquitatem corporis Christi in ea fictam aut pictam commonstrent.

Deci- mus articulus August. Confes- sionis Pontifi- ciis non incom- modat. Decimus articu- lus Con- fessionis August. cur mol- lissimè scriptus fuerit.

Ad decimum autem articulum Confeßionis huius de Cœna Domini quod attinet, is ita conscriptus est, vt neque Pontificijs, neque Zuinglianis incommodet atq; aduersetur. Cùm enim conscriberetur hæc Confeßio, venerat Cæsar ex Hispaniis in Germaniam, diu multumque & legationibus & literis Pontificiorum, & concionibus Hispanicis; partim etiam sermonum suorum Aulicorum aduersus Euangelicos exacerbatus. Neque etiam dubium est, quin eo ipso itinere ex Hispaniis excitatus Cæsar fuerit, Pontificis, Cardinalium, Episcoporum, Principum Italicorum salutationibus, gratulationibus, Legatis, scriptis, vt in huiusmodi Cæsarum, Regum ac Principum profectionibus agi & fieri consueuit. Constabat etiam inter omnes tum, priuatim Cæsarem maximopere commotum fuisse hospitio Witemberga *Christierni Danorum Regis, atque Reginæ sororis suæ, qui Lutherum concionantem diu audiuerant: Et Vngariæ Regina Maria vidua, quæ Lutheri scriptis delectabatur, hanc animi commotionem augebat. Non ignorârunt etiam Principes Protestantes, quanta essent Imperatoris vires, vt qui non tantùm multorum Regnorum Dominus erat, sed etiam super annuas facultates, & solennes extraordinarios fructus à Rege Galliæ Francisco acceperat vigesies quater centena millia coronatorum, vt liberum illum dimitteret ex Hispaniis datis filiis suis obsidibus. Nota quoque erant acta, pacta & transacta inter illos duos potentißimos Monarchas. Notum erat & fœdus Barcinone inter Cæsarem & Pontificem initum, cuius caput erat, vt armis ad obedientiam Romanæ Ecclesiæ Protestantes cogerentur, & quantum auxilij militum & stipendiorum ab Italicis & Germanicis Principibus expectâris Cæsar: Aut si maximè ignorabant ista, neque satis cognita habebant, suspicio tamen & periculum augebat timorem. Dixisse denique Cæsarem, Protestantes atque ipsius Confeßionis authores, exploratum habebant;* Aliorum omnium quæ à Lutheranis taxentur in Papatu reprehensionem se facilè ferre posse: Missam verò, Missam esse cor suum: hanc se non permissurum sibi eripi.

In hoc maximo metu præsentium periculorum, quæ creabant profitentibus Euangelium, apud Imperatorem & alios Principes, aduersarij Papistæ, atrocibus calumniis, cruentis consiliis & incitationibus, scripta fuit Augustana Confeßio, mollißimè & languidiùs; quàm oportet, studio se accommodandi opinionibus & loquutionibus Papisticis, vt Philippus apertißimè testatur in Epistola ad Lutherum, & Lutherus ipse professus est, se tantâ moderatione & lenitate vti non potuisse. Legatur etiam Apologiæ Augustanæ Præfatio, in qua author disertè profitetur, se quantum omnino potuerit, retinere studuisse formam vsitatæ (*Papistica*) doctrinæ, vt faciliùs coire concordia posset, etsi rectè potuisset longiùs abducere huius ætatis homines ab aduersariorum opinionibus.

Cùm igitur studium fuerit Confeßionis authoribus, omnia Papatus vlcera & Idolomaniam in iis articulis, de quibus tum scribendum putârunt, quàm parcißimè & leuißimè attingere; factum est, vt de multis articulis, qui erant odiosi, nulla prorsus fieret mentio, & illa tantùm reprehenderentur, quæ neque Imperator acriter tuebatur, & quorum cordatiores etiam inter aduersarios pudebat, ob manifestam absurditatem, ne vel offenderetur, vel magis irritaretur Cæsar.

Decimus articu- lus Au[illegible] gustanæ confessio- nis pa- pistico sensu conscri- ptus & exhibi- tus fuit. Examen huius de- cimi ar- ticuli.

Hinc decimus articulus de Cœna in prima editione Germanica Witembergensi *sic habet:* De Cœna Domini sic docetur, quòd verum corpus & sanguis Christi, verè sub specie panis & vini, adsit in Cœna Domini, & in ea distribuantur & sumantur: quare & contraria doctrina reijcitur. *Hæc verba sonant, non substantiam, sed duntaxat speciem panis & vini adesse, & operire corpus Christi, latens sub vtraque specie per Concomitantiam carnis & sanguinis. Propterea sunt etiam hæc verba decimi huius articuli à Papistis acceptata, tanquam cum sua opinione congruentia, vt testatur Confutatio à Pontificiis opposita Confeßioni. Neque tum contradixerunt authores Confeßionis, siue ex metu, siue ex hæsitatione. Vnde etiam Lindanus, quem & cæteri Iesuitæ sequuntur, obijcit Confeßionis Augustanæ Ecclesijs, cùm alibi paßim, tum imprimis in Diatribe sua Analytica, quam sic nominauit, & in Apologetico:* Eandem initio sententiam, atque adeò verba etiam eadem Confessionis Augustanæ fuisse cum Papistarum sententia ac verbis, de mutatione panis mystici in corpus Domini. *At probationis locò allegat exemplaria Augustanæ Confeßionis, Germanicè primùm edita, & Apologiam, vbi specierum pânis & vini, sub quibus adsit verum corpus & sanguis Christi, mentio fiat, & asseratur mutatio panis in corpus Christi. Vrget etiam verba Apologiæ, quibus dicitur,* Decimum articulum approbatum esse à Pontificiis, nec improbari à Cæsarea Maiestate. *Fatetur etiam Heßhusius in libro de Cœna fol.* 196. Verba decimi articuli, ex malè intellectis Patrum sententiis, adeoque etiam ex impio Canone Missæ, de substantiali mutatione panis in corpus Christi, iuxta approbatum à Pontificiis sensum explicata

esse

1530. esse in priore Apologia, *& propterea dicit*, se errorem istum Apologiæ repudiare & damnare.

In articulo etiam de Missa sic habet Confessio: Falsò accusantur Ecclesiæ nostræ, quòd Missam aboleant. Retinetur enim Missa apud nos, & summâ reuerentiâ celebratur. Seruantur & vsitatæ ceremoniæ ferè omnes, præterquàm quòd Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ, quæ additæ sunt ad docendum populum. *Et in fine huius articuli*: Postquam igitur Missa apud nos habet exemplum Ecclesiæ, ex Scriptura & Patribus, confidimus improbari eam non posse, maximè cùm publicæ ceremoniæ, magna ex parte similes vsitatis seruentur: tantùm numerus Missarum est dissimilis, quem propter maximos & manifestos abusus certè moderari prodesset.

Neque valet Glossa, quâ Vbiquistæ moderni se elabi hîc posse sperant: nempe, Missæ nomen in hoc articulo Confessionis, pro Cœna Domini accipi. *Nam de Cœna Domini decimus articulus est positus: de Missa hic seorsim agitur. Deinde discrimen inter Pontificiam & Lutheranam Missam tantùm in Numero disertis verbis ponitur. Non est autem Missa Cœna Domini: sed quantum cœlum ab inferno, tantum Cœna Domini distat à Missa Papistica. Aut si maximè ex illorum sententia nomen Missæ pro Cœna Domini hic vsurpatur, id tamen factum absque dubio non fuisset ab authoribus Confessionis, nisi illo tempore & loco, famam abolitionis Missæ plerique eorum reformidâssent apud Cæsarem.*

Hanc ob causam non omnes etiam inter Principes, qui nomen Augustanæ Confessioni dederant, in concepta decimi articuli verba consenserunt, in quo asseritur substantialis præsentia & distributio veri corporis & sanguinis Christi sub speciebus panis & vini, & contraria sententia improbatur. Nam Philippus Landgrauius, Hessorum Princeps, sicut literæ ipsius testantur, huic articulo tempestiuè, etiam in ipsis Comitiis Augustanis, contradixit, vt David Chytræus in sua historia Augustanæ Confessionis apertissimis verbis testatur.

Augustana Confessio non in commodis Caluinistis.

Quemadmodum autem Confessio Augustana sic ab initio conscripta fuit, vt in multis articulis, ac etiam decimo, de quo agitur, Pontificij eam in suas partes trahere potuerint: Sic etiam in eodem Zuinglianorum sententiæ non aduersatur. Etsi enim in Confessione ista, sicut etiam in Apologia, non quidem expressè & disertè Zuinglij de Cœna Domini sententia probatur, & contraria reijcitur, (hac enim non erat illius temporis,) in ea tamen nihil continetur, quod eius doctrinam euertat, sed potius ea asseruntur fundamenta, quibus hæc euidenter stabilitur: modò non deprauentur verba, interpretationibus Sophisticis, quod videmus accidere etiam rectissimè dictis, atque adeò ipsi quoque Verbo Dei.

De prima Confessione Augustana anno 30 Cæsari exhibita & Germanice Witembergæ edita.

Obijciunt primam Confessionem Germanicam anno 30. Witembergæ editam, & primùm Carolo Imp. Augustæ ablatam, in cuius decimo articulo dicitur, verum corpus & sanguinem Christi, verè sub speciebus panis & vini, in Cœna esse præsentia, & in ea distribui ac sumi. *Respon. Hæc Confessio prima Germanica insciis Principibus & authoribus eius edita est: vnde etiam ipsi hanc formam verborum in sua prima editione, anno 31. facta, sustulerunt & correxerunt, cum graui querela, quæ de verbo ad verbum sic habet*: Hæc Confessio ignorantibus Principibus, qui eam Cæsari exhibuerunt, ab auaro aliquo Typographo, ante semestre publicata est: Et ita excusa est, vt multis in locis appareat de industria deprauatam esse. Cùm autem Principes, nec si velint, queant eam nunc è manibus hominum extorquere, & tamen periculum sit, ne mendæ illæ primæ editionis, pariant nouas calumnias, necesse fuit recognitam & emendatam denuò edere, quia non solùm ad existimationem Principum, sed etiam ad Religionem pertinet, præstare, ne ipsorum titulis spargantur in vulgus huius generis mendosa scripta. Quare nunc emittimus probè & diligenter descriptam Confessionem ex exemplari bonæ fidei. *Quibus verbis Principes huic primæ editioni Germanicæ omnem authoritatem abrogârunt. Quid, quòd Bergenses Patres, qui hanc primam editionem subinde vrgent, in suo libro Concordiæ Transsubstantiationem condemnant? Ergo illi ipsi eandem quoque condemnant: in qua Transsubstantiatio non obscurè asseritur.*

Licet igitur omnibus hæc verba Germanici exemplaris reijcere, non reiectâ Confessionis verâ sententia: nisi dicant, Principes, eorumque Theologos tum, quando hæc verba in editione Latina mutarunt, Confessionem suam simul abiecisse.

Sed etiam his ipsis verbis Confessionis, si non secundùm absurdas contentiosorum hominum glossas, sed secundùm sequentes ipsius Confessionis interpretationes accipiantur, non tollitur Ecclesiarum, Zuinglij doctrinam sequentium, cum Augustana Confessione consensus, vt in Neostadiana Admonitione fol. 167. eruditè indicatur.

Articulus decimus in recognita Principum Confessione.

Articulus autem decimus primæ huius editionis Germanicæ, in Principum recognita & emendata Confessione, quæ prima omnium anno 31. statim postquam exhibita fuit, à Theo-

logis

logis ipsis, & à Luthero, de voluntate Principum Wittemberga est edita & publicata, & qua pro prima & vera instissimè habenda est, sic habet: De Cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint: & cum pane & vino distribuantur vescentibus in Cœna Domini: Et improbant secus docentes. *Hac verba, licèt brevia, ambigua propter generalitatem, & obscura, nihil continent, quod nostra sententia adversetur. Non enim negârunt unquam nostri, Corpus Christi verè adesse in sua Cœna. Sic enim Zuinglius in Expositione Fidei ad Regem Gallia:* Christum *inquit*, credimus verè esse in Cœna: imò non credimus esse Domini Cœnam, nisi Christus adsit. Sed hinc non sequitur, Christum, vel corpus Christi esse in pane, aut in loco, quo est panis. Neque non adest verè, quod adest secundùm promissiones divinas, nobis operatione Spiritus sancti communicatum & unitum. *Distribuitur etiam vescentibus, dum sua unicuique panis particula data, singulis totus & idem Christus communicatur.*

Secus docentes improbant: *Sed & hoc nostri non minùs faciunt quàm illi. Improbant enim Suenkfeldii & Anabaptistarum doctrinam, nuda, vacua & inania tantùm signa statuentes. Nec minus improbant Vbiquistarum glossas & interpretationes verborum hujus articuli, quòd nimirum, Verè adesse Christum in sua Cœna, idem sit, quod corporaliter adesse In vel Sub pane, vel in loco panis. Item, Distribui vescentibus in Cœna Domini, idem esse, quod corpus Christi in singulorum vescentium, fidelium & infidelium ora vel corpora, unà cum pane tradi & accipi. Vbi enim quicquam illorum in Confessione legitur? Dicent fortasse, Aliter fuisse scriptum in Archetypo. Mendacij igitur arguunt Lutherum, Theologos, & cum his Principes, qui in Præfatione ad suam editionem testantur, se publicari Confessionem ex bonæ fidei exemplari. Aut si aliter scriptum fuit, illud tamen obtinetur, Principes & Theologos in prima statim authentica editione verborum suorum ambiguitatem & improprietatem advertisse & correxisse, eoque ipso priora aboleuisse: præsertim cùm simul apertè testentur, se unà cum Principibus cupivisse prius exemplar, si potuissent, rursus ex manibus hominum extorquere. Neque hæc correctio seu emendatio soli Philippo adscribenda est, quasi is privato consilio & arbitrio eam susceperit & instituerit, ac fraude impudenti obtruserit Ecclesiæ, sicut hodie calumniantur: Sed etiam Principibus & Luthero ipsi, quorum voluntate, consensu & jussu ea facta est, ut ex Præfationis verbis intelligitur, quæ paulò antè recensuimus.*

Prima correctio August. Confessionis non soli Philippo tribuenda.

Adhæc, omnia alia loca Confessionis, in quibus de Sacramentis agitur, nostrorum sententiam de Cœna confirmant, & Lutheranorum, seu Vbiquistarum interpretationem manifestè excludunt. Nam articulus 13. sic habet: De usu Sacramentorum docent, Sacramenta instituta esse, non modò ut sint notæ professionis in homines, sed multò magis, ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, proposita ad excitandam & confirmandam fidem, in his qui utuntur eis. Itaque utendum est sacramentis ita, ut accedat fides quæ credat promissionibus, quæ per Sacramenta exhibentur & ostenduntur. Hac fide accipimus promissam gratiam, quam Sacramenta significant, & Spiritum sanctum.

1530. Præter 10. articulum etiā alia loca Augustanæ Confessionis Caluinistarum sententiā confirmant, & Vbiquistarum doctrinā reiiciunt.

Hic primùm *Sacramenta dicuntur esse Si*gna *&* testimonia voluntatis Dei erga nos, promissiones divinas exhibentia & ostendentia, ac promissam gratiam significantia. *Manducatio autem carnis Christi corporalis, nihil minùs est quàm signum aliquid ostendens & significans, cùm sit invisibilis, ac res fide percipienda, & proinde quiddam aliud significare & ostendere, aut fidei infirmæ confirmare non potest, sed visibilis sumptio panis & vini, omnium consensu signum est invisibilis manducationis Christi. Atque hoc signum, sicut omnia Sacramenta cætera, non exhibet, ostendit aut significat rem aliquam promissam, quæ tantùm quibusdam Christianis, aut tantùm in usu Cœnæ Domini, aut etiam infidelibus contingat: sed promissam gratiam, quæ non aliam nisi spiritualem Christi communionem complectitur, quæ omnibus & solis fidelibus, non nisi per veram fidem, etiam ante & post usum Cœnæ mysticæ contingit. His itaque verbis confirmatur, h[...] panis & vini sumptionem, signum esse, non corporalis alicujus, sed spiritualis communicationis Christi.*

Sacramenta sunt signa gratiæ.

Secundò, *hæc ipsa signa significantia gratiam, dicuntur* excitare & confirmare fidem quâ accipimus promissam gratiam & Spiritum sanctum. *Non igitur corporalis manducatio carnis Christi, sed ritus seu sumptio visibilis panis & vini, excitat & confirmat fidem: Fidem verò non eam, quâ credatur caro & sanguis Christi in pane & vino latere, sed quâ accipimus promissam gratiam & Spiritum sanctum, hoc est, quâ spiritualiter manducamus Christum.*

Sacramēta eam fidē quā verbum fidē requirunt.

Tertiò, *diligenter observandum est, quod & hic docetur, & sæpe in Apologia repetitur,* hunc esse legitimum Sacramentorum usum, si non ritus tantùm externus servetur, sed accedat & confirmetur signorum usu ea fides, quâ non corporalem Christi in pane præsentiam credimus, sed promissam gratiam &

Sacramentorū legitimus usus.

1530. tiam & Spiritum sanctum accipimus. *Siquidem enim hic tantùm est legitimus usus, & extra usum legitimum nulla res aut actio est Sacramentum: necessariò sequitur, eos qui hoc fide Christum cum omnibus suis beneficiis accipiente carent, neque Cœnam Dominicam revera edere; neque Christum manducare, utcunque ceremoniam cum fidelibus eandem servent.*

Sacramenta admonent nos verorum in Evangelio promissorum.

Quartò, *hæc signa* exhibent, ostendunt & significant promissam gratiam, quæ accipitur fide, *Hæc verò non corporalem, sed spiritualem tantùm Christi communicationem complectitur. Panis igitur & vini sumptio, non corporalem sed spiritualem Christi communionem exhibet, ostendit & significat, eandem videlicet, quam & promissio gratia. Idque ut significantiùs exprimatur & confirmetur, additum est in Germanicis exemplaribus,* Paulum Roman. 4. Circumcisionis exemplo cæterorum Sacramentorum usum nos docere. *Is autem docet, non aliquid invisibile, sed Circumcisionem visibilem, fuisse signum & sigillum, non alicujus corporalis, sed interna & spiritualis Circumcisionis, hoc est, justitiæ fidei.*

In capite de abusu Missæ sic dicitur: Sed Christus jubet facere in sui memoriam: quare Cœna instituta est, ut fides in iis, qui utuntur Sacramento, recordetur, quæ beneficia accipiat per Christum; & erigat & consoletur pavidam conscientiam. Nam id est meminisse Christi, beneficia meminisse, ac sentire, quòd verè exhibeantur nobis.

Hic etiam duo tantùm ponuntur: Id, quod faciendum est in Christi memoriam; quod est sumptio seu usurpatio Sacramenti, ut Paulus inquit: Quoties de pane hoc ederitis, mortem Domini annunciabitis: *Et id, cujus debet fieri memoria, videlicet, omnia Christi beneficia. Signum ergo visibile, datum nobis à Deo per manus Ministrorum admonet fidem de rebus à Deo promissis, & fides admonita, accipit ea, de quibus admonetur à Deo per signa, & sentit ea sibi verè exhiberi.*

Idem repetitum est, cùm in multis aliis locis, tum in capite de Pœnitentia; ubi Sacramenta, inter quæ nominatim & exempli loco fit mentio Cœnæ Domini, signa esse dicuntur Novi Testamenti, *hoc est, signa remissionis peccatorum, per quæ, sicut per auditum Evangelii, concipitur, alitur & confirmatur fides. Neque igitur quod confirmat fidem, neq; quod fidei nostræ confirmatur, est corporalis esus carnis Christi: quia is neq; signum est, neq; in promissione Novi Testamenti continetur, quæ tam in Cœna, quàm extra eam est una & eadem. Et fidem eandem per Cœnam Domini, & per omnia Sacramenta, & per auditum Evangelii concipi & confirmari hic docetur. Non igitur magis in Cœna Domini, quàm in Baptismo & auditu Verbi, manducatio corporis Christi credenda est.*

Profitentes Confessionem Augustanam Verbo Dei subscribunt.

Denique non solùm Augustanæ Confessionis autores, sed etiam quotquot unquam ejus fuerunt Socii, Confessionem hanc Verbo Dei subjiciunt, & fatentur, nec esse, nec se admittere aliam sententiam suæ Confessionis, quàm quæ in Scriptura sacra, in symbolis & scriptoribus veteris purioris Ecclesiæ continetur. *Cum his verò suprà ostendimus, nos in doctrina de persona Christi & Cœna Domini per omnia consentire. Hoc igitur nisi prius refutent, id quod hactenus facere non potuerunt, nunquam excludent nos ab Augustana Confessionis doctrina, nisi Confessionem Augustanam à Scriptura & veteri Ecclesia excludant & segregent.*

Augustanam Confessionem Calvinistæ in sensu non recipiunt.

Non reiiciunt igitur nostri Confessionem Augustanam, ejusq; decimum articulum de Cœna Domini, in sano, vero, recto, pio & Catholico sensu, quem Patres & omnes Sancti, in Ecclesia Christi semper amplexi sunt: Nempe, quòd in Cœna Domini unà cum pane & vino, hoc est, dum sacramentum corporis & sanguinis Domini percipitur, verè etiam exhibeantur ipsum corpus & sanguis Domini fide percipienda. Dum enim Ministri sacramentum corporis & sanguinis Christi distribuunt, Christus ipse sese impartit spiritualiter fruendum, ut pii communionem cum ipso habeant, & in ipso vivant.

In Augustana Confessione Calvinistæ quid reiiciunt.

Improbant autem in hac Confessione primò, *Sensum illum, in quo ab initio in Augustanis Comitiis, & aliquandiu post, à Pontificiis intellecta & approbata est. quod ad decimum articulum attinet: quasi Transsubstantiationem probaret, & sub speciebus panis & vini reale ac substantiale corpus & sanguinem Domini distribui, doceret.*

1.

2.

Secundò, *reijciunt etiam nostri illum sensum, quo Lutherus decimum articulum intellexit. Non enim sequitur, Lutherus & multi alij hunc articulum sic intellexerunt: Ergo sic intelligi debet. Sicut non sequitur, vel Ubiquistis testibus, Ecclesiæ superioris Germaniæ, & Philippus paulò post meliùs edoctus, intellexerūt, & nostri intelligunt eam aliter. Ergo aliter intelligenda est. Sed hujus demum argumenti veritas & consequentia firma est; Sic postulant eam Scriptura intelligi, & vetus Ecclesia, cujus testimoniis suā sententiam explicat & astringit Confessio, & cum qua consentire eam inter nos utrinq; in confesso est: Et sic postulant eam intelligi verba & partes ipsius Confessionis & Apologiæ inter se collatæ. Sic deniq; subsecutæ interpretationes, emendationes, repetitiones, declarationes ab iis, qui primùm obtulerūt Cōfessionē, & ab iis, qui postea ad eā accesserūt, approbatæ, & ob ipso Scriptore Augusṭ. Cōfessionis, & quē authenticū eius esse*

inter-

interpretem ipsi Lutherani fatentur, inde ab anno prima editionis, usque ad ejus vitæ finem constanter tradita, solidisque rationibus munita. Ergo sic intelligenda est, nec à quoquam, quicunque is sit, alius ei sensus affingendus est, nisi à Scriptura, à veteris Ecclesiæ Symbolis & doctrina, à Philippo, & à seipsa Confessionem avellere velimus. Multa hic sunt coniuncta, quæ singula satis habent roboris ad dissipandos omnes Sophistarum fumos.

Augustana Confessio non est norma veræ doctrinæ

Tertiò, hoc nomine hodie à nostris Augustana Confessio reiicitur, quod libri Concordiæ fabricatores, Eam faciunt normam omnis veræ doctrinæ, à qua quicunque ulla in parte discedant, à veritate & Verbo Dei aberrent, & tanquam alieni à vera Dei Ecclesia justissimè condemnentur, vitentur, & veluti lupi à Christi ovilibus arceantur. Inde colligunt, nostros, quia Confessioni Augustanæ non assentiantur, crimen hæreseos effugere non posse. Respondeo, Antecedens falsum esse. Nam hic honor solis libris Canonicis, Veteris & Novi Testamenti, hoc est, scriptis Prophetarum & Apostolorum tribui debet, quod longâ probatione non eget. Reliqua scripta Ecclesiastica, inter quæ etiā Confessiones numerari debent, neque sunt αὐτόπιστα, ut sacra Scriptura, neque immota & universalis norma fidei & veritatis, ut illa: sed sunt norma duntaxat Confessionis, ex quibus agnosci potest, quid congruat cum sententia illius Ecclesiæ, à qua Confessio est edita: non autem sunt norma, secundùm quam iudicari aut pronuntiari oporteat, quid credendum & concedendum, quid repudiandum & damnandum, quid verum aut falsum, orthodoxum aut hæreticum sit. Non enim semper necesse est verum esse, quod cum alicuius Confessione congruit; neque semper falsum, quod ab ea discrepat. Quemadmodum igitur postulari non debet, ut omnes Ecclesiæ unius Ecclesiæ particularis formulæ subscribant: sic etiam nullam Ecclesiam, aut privatum aliquem hominem obligant illæ formulæ, ut eas approbet, seque intra eas contineat, nisi cum ista conditione, quatenus cum Verbo Dei congruant. Et propterea non tantùm aliarum Ecclesiarum, sed illarum quoque à quibus sunt editæ, & in iis docentium ac discentium censuræ ac iudicio subiectæ sunt, ac si quid vitii in eis deprehendatur, corrigendum, audiendumque: ut sapienter monet Augustinus de Baptismo contra Donat. lib. 2. cap. 3. Ut igitur in huiusmodi Scriptis vel recipiendis, vel reiiciendis: nimia libertas, sic etiam nimia servitus & tyrannis summopere cavenda est. Ex quibus manifestum est, Augustanam Confessionem pro tali norma recipi non posse, eique hanc authoritatem tribui non debere, ut aliqui erroris, nedum hæreseos condemnari possint, etiamsi dissentirent alicubi ab ea, dummodo suum cum Scriptura consensum demonstrare queant.

1530.

Deinde in ipsa etiam Augustana Confessione peculiares rationes videre licet, ob quas pro tali regula recipi nequit, sicut eam Bergenses Patres cunctis Ecclesiis obtrudere conantur, nempe, ut omnes, qui non sine exceptione in eam iurare velint, habeantur pro hæreticis, & ab Ecclesia Catholica, fraternitate Christiana, ac societate pacis politica, alieni. Primò enim, scripta est hæc Confessio non ita annis multis post reformationem, quando adhuc faces Papatus in multorum animis hærebant, ideoque non omnia tunc quidem rectissimè perspici & explicari poterant. Imprudentissimè autem & iniquissimè ab iis agitur, qui non permittunt Ecclesiæ, & piis in ea doctoribus, ut progressu temporis proficiant in veritatis cognitione & explicatione: usu rerum, & ipsis certaminibus admoniti, quædam plenius, purius, dexterius tradant & declarent. Secundò, scripta est Augustana Confessio paucorum Theologorum consilio: imò cùm inter hos ipsos pauci essent ad Confessionem scribendam idonei, labor scriptionis & defensionis uni Melanchthoni incubuit. Tertiò, scripta est in summa festinatione & temporis angustia: Augustæ, in diversoria, in Comitiis, urgente Imperatoris postulatione, & calumniis improbissimis Pontificiorum, quibus erat opponenda. Agnovit hoc ipse Philippus etiam; ideoque sic scribit in Præfatione, tomo 1. suorum Operum inter alia: Utinam verò multò antè inter seniores re graviter deliberatâ, fuisset ad hanc Epitasin præparata Confessio. Magni etiam periculi fuit res, eligere materias, & electas explicare. Quartò, scripta & exhibita est Confessio hæc, ut suprà pluribus à nobis indicatum est in maximo metu præsentium periculorum: ideoque omnia sic in ea erant scribenda & explicanda, ne offenderetur Cæsar & Protestantes Principes in summum vitæ periculum adducerentur. In tali rerum periculoso statu, ut quimus, quando nt volumus, non possumus, agimus plerumque. Unde Philippus in Præfatione Apologiæ: Scripsi, inquit, quàm moderatissimè potui: Eiusdemque anxia tum fuit solicitudo in deliberatione Principum & Theologorum, An plures articuli offerendi essent: Statueruntque propter hanc causam non esse exhibendos, quia essent odiosi, & toti religionis negotio possent impedimentum obiicere: Inter quos tamē sunt aliqui, de quibus necessaria est Ecclesiæ declaratio. Quintò, illi ipsi, qui Augustanam Confessionem scripserunt, exhibuerunt, approbârunt & ediderunt, aliqua progressu temporis subinde in ea correxerunt, addiderunt & declarârunt: cuius rei testis est exemplarium editorum

1530. *diversitas. Imò totam eam retexuerunt & repetiverunt meliori & pleniori formâ, ut testatur Saxonicæ Confessionis Præfatio: Et hoc ipso satis declarârunt, ne sibi quidem satisfacere illam primam formulam sic tumultuariè & festinanter collectam.* Sextò, *sunt quædam in Confessione probata, quæ in ejusdem Apologia improbata leguntur. Deinde sunt multa in Confessione & Apologia, quæ ne ipsi quidem acerrimi eius propugnatores probant aut recipiunt. In primâ editione Germanica decimus articulus de* Cœnâ *sic fuit scriptus, ut Transsubstantiationem stabilire & approbare videretur Pontificiis, sicut testatur* Confutatio *eorum. Atqui damnata posteà fuit Transsubstantiatio à Lutheranis Theologis: In articulo de Missa, dicitur* retineri in Ecclesiis reformatis Missa, & summa cum reverentia celebrari: servari etiam ferè omnes in ea usitatas ceremonias. *Lutherani autem non sic ampliùs de se loqui vellent. De potestate Ecclesiastica dicitur*, Non reprehendi donationes Principum, dominationem, & privilegia concessa Episcopis, & politiam eorum Canonicam. *De libero arbitrio asserit* Confes*sio*, voluntatem humanam habere libertatem ad civilem justitiam exequendam. *Hæc verò sententia ad Pelagianismum accedet, si ad vivum ejus verba resecare quis velit. Quomodo enim nudus homo civilem justitiam, id est, externa opera secundæ tabulæ sine Dei gratia (si non adiuvante & innovante, saltem reliquias rationis adversùs effrenes affectus conservante, & affectuum illorum ἀταξίας coercente) præstare & exequi poterit? Adhac nisi locus, quem ex lib. 3. Hypognost. (qui liber à doctis minimè Augustini esse censetur) citat* Confessio, *dextrè & aliis Augustini locis (qualis est ille præcipuè, qui habetur libro de Gratia adversùs Valentinum cap. 20.) intelligatur, non carebit prorsus suspicione erroris. Extant enim innumera alia in Augustini veris libris testimonia, quæ illi sententiæ manifestè repugnant. Quin & Lutherus ipse multò solidiùs de libero arbitrio sensit, & docuit, atque scripsit, quàm ille Confessionis articulus. In Apologia autem multa reperiuntur, quæ Episcopis abrogant jus gladii politici, & exemptionem à iudiciis Magistratuum ciuilium, & cum Canonica Episcoporum & ministrorum à Papa & eius Episcopis, ordinatione & potestate, non conveniunt: neque etiam vel ipsi authores Confessionis ista probârunt, neque hactenus ipsorum discipuli. In articulo 21. dicitur*, Ex dictis intelligi posse, nihil huic Confessioni inesse quod discrepet à Scripturis, vel ab Ecclesia catholica, uel ab Ecclesia Romana. *Hodie verò Lutherani hoc nulli concederent, se nihil docere, quod discrepet à Romana Ecclesia, nisi qui odio nostri ad Papistas potiùs ex professo accedere, quàm veritati cedere malunt: In Apologia, titulo de numero & usu sacramentorum, dicitur* Absolutio esse verè Sacramentum pœnitentiæ, & ritus habens mandatum Dei & promissionem gratiæ. *In Lutheri autem Catechismo, & Confessione Saxonica duo tantùm sacramenta traduntur. Titulo de vocabulis Missæ dicitur*, Orationem pro mortuis non prohibemus. *Nunc verò prohibent non solùm eam, sed etiam damnant.*

Ex his igitur omnibus patet, non posse pro tali perfecta forma & absoluta regula seu norma recipi à nostris Confessionem Augustanam, iuxtà quam omnes doctrinæ sint examinandæ, & dissentientes ab ea in aliquibus pro hæreticis habenda.

De Augustana Confessione deliberationes variæ in Senatu principū.

Cæsar cùm ab Electore Saxoniæ Confessionem accepisset, deque ea in Senatu Principum deliberationes institutæ essent, triplices sententiæ fuerunt: Prima *atrocissima, ut edictum* Wormatiense *adversùs Lutherum & omnes ipsi adhærentes ratum esset, & non obedientes armis cogerentur.* Secũda *lenior, ut exhibita Confessio viris bonis & doctis, ac neutri parti addictis, judicanda traderetur, postea Cæsar pronunciaret.* Tertia, *ut refutatio Confessionis, Cæsarea M. authoritate comprobatâ, Electori Saxoniæ & conjunctis Principibus recitetur. Deinde totâ causa Cæsaris judicio permittatur, qui omnia in integrum restitui mandet, donec controversiæ in Concilio legitimè dijudicatæ fuerint.*

Augustana Confessio confutari iubetur.

In hanc sententiam cùm plerique ordines inclinarent, Confutatio *exhibita Confessionis commendatur Theologis Pontificiis: inter quos* Ioannes Faber, Ioannes Eccius, Conradus Wimpina, Conradus Collinus, Ioannes Cochlæus, Medardus Franciscanus & Augustinus Marius *præcipui fuerunt.*

Horum scriptum & Confutationem oppositam ubi Principes recitari audissent, nimis acrem nonnulli eam judicabant, & deligendos putabant, qui partis utriusque scripta revoluerent atque lenirent. Sed vicit eorum sententia, qui sic reddendam esse Cæsari, & rem omnem ei committendam dicerent.

Augustanæ Confessionis confutatio probatur à Cæsare.

Re deliberatâ cum Legato Pontificio, Cæsar comprobat responsum ad scriptum Saxonicum, nisi quòd etiam ipse id à convitiis repurgandum esse censeret, & Principibus Pontificiis id Cæs. Augusti communicat. Tertiâ pòst die convocat omnes Principes ac Ordines, & per Fridericum Palatinum proponit, diu multumque se deliberâsse de doctrina Confessionis Saxonicæ, mandâsse quoque viris aliquot honestis & eruditis ex multis nationibus, ut iudicium facerent, quid piè sit in ea, quid alienè dictum ab Ecclesiæ consensu: Fecisse hoc illos, & sententiam suam alio scripto explicâsse & demonstrâsse, quòd & ipse probet.

Deinde

Confutationis Saxonicæ confessionis ordo.

Deinde recitata fuit, demptis convitiis, Confessionis confutatio, à Theologis Pontificiis conscripta, cuius hic erat ordo. Scriptum vel Confessionem Saxonicam in duas partes diviserunt: Prior habet 21. doctrinæ capita: ex iis alia receperant. alia rejecerant: quædam partim fuerunt admissa, partim repudiata, multis Patrum & Conciliorum addactis testimoniis. In absolutè & simpliciter receptis ac approbatis inter alia etiam fuit articulus 3. de Persona Christi. Sic enim de eo scribunt: In tertio articulo nihil est quod offendat, cùm tota Confessio cum Symbolo Apostolorum, & cum recta fidei regula conveniat, Filium Dei scilicet esse incarnatum, humanam naturam assumpsisse in unitatem personæ, natum ex Maria virgine, verè passum, crucifixum, mortuum, descendisse ad inferos, resurrexisse tertio die, & ascendisse ad cœlos, sedereque ad dexteram Patris, *&c. Quòd si Vbiquitatem corporis Christi vel oluisset tertius articulus Augustanæ Confessionis, non potuisset illo tempore afferri plausibilior causa Pontificiis, præsertim Eccio, Fabro & Cochlæo, juratis Evangelii hostibus, ad socios Augustanæ Confessionis opprimendos & pudefaciendos coram toto mundo, quàm si istius monstrosi & inauditi dogmatis ulla prabita fuisset eu suspicio. Neque magis hunc articulum probâssent tunc Pontificij quàm hodie Vbiquitatem probant Iesuitæ, quam scriptis publicis acerrimè oppugnant & insectantur.*

August. Confessionis decimus articulus ut fuerit à Pontificiis intellectus.

Quæ conditionaliter receperunt, seu cum modo, fuerunt de ceremoniis: Item, verum corpus atque sanguinem Christi esse in sacramento, sic, ut sub qualibet specie sit Christus, & vinum atque panis omnino mutentur. Sic enim habent verba ipsorum. Decimus articulus in verbis nihil offendit, quando fatentur in Eucharistia; post consecrationem legitimè factam, corpus & sanguinem Christi substantialiter & verè adesse: si modò credant, sub qualibet specie integrum Christum adesse, ut non minùs sit sanguis Christi sub specie panis per Concomitantiam, quàm est sub specie vini, & è diverso. Alloqui in Eucharistia corpus Christi esset mortuum & exangue, contra Paulum Rom. 6. *Item:* Adiicitur unum tanquam ad huius Confessionis articulum valde necessarium, vt credant Ecclesiæ potiùs, quàm nonnullis aliis malè docentibus, omnipotenti Verbo Dei in consecratione Eucharistiæ substantiam panis in corpus Christi mutari: Ita enim in Concilio generali definitum est, C. Firmiter. de Sancta Trinit. & fide Catholica.

Improbant secus docentes.

Laudantur itaque qui Capernaitas, veritatem corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi in Eucharistia negantes, damnant. Ex quibus verbis intelligimus, Pontificios decimum articulum Confessionis Augustanæ de Transsubstantiatione intellexisse, & sic, ut sub qualibet specie totum Christum esse intelligant Protestantes: Improbationem etiam secus docentium, referant ad negantes Transsubstantiationem tantùm.

1530.

Adhæc, illud de Confessione sic admittebant Papistæ in sua Confutatione, si populus astringeretur, ut quotannis ad Pascha cōfiteantur, & delicta omnia diligenter enumerent, & Cœnam Domini percipiant, & septem sacramenta Ecclesiæ esse credant. Cavebant etiam, ne quis erudiendo populo præficiatur, nisi de voluntate Episcoporum: Adhæc, ut leges omnes & Ecclesiæ præcepta diligenter serventur, & quibus in locis abrogata sint, restituantur.

In Augustana Confessione quæ à Pontificiis omnino rejecta.

In rejectis hæc erant: Opera bona nihil mereri: Iustificationem tribui soli fidei, non etiam operibus: Ecclesiam esse congregationem piorum: non posse satisfieri pro peccatis: divos non intercedere pro nobis.

Confutationis pars altera.

Altera pars Confutationis quinque complectitur præcipuè. Communio Cœnæ Domini, sub utraque specie, quod ajunt: reiicitur: Et petebat Cæsar, ut in eo totius Orbis Christiani consensum atque morem sequantur. De Coniugio Sacerdotum mirari se dicebat hoc ab ipsis peti, cùm inde ab Apostolorum ætate non fuerit in usu, prorsus igitur concedi non posse. Missa recipitur ipsorum, modò cum ritu Ecclesiæ Romanæ conveniat: si verò mutata sit, reiicitur; ac simul affirmatur, Missam esse sacrificium pro vivis atque mortuis, neque debere Missam privatam abrogari: Danielem multò antè prænuntiâsse, fore, cùm Antichristus venerit, ut sacrificium aboleatur: Hoc quidem nondum accidisse; verumtamen iis in locis, ubi Missa jacet, altaria destruuntur, exuruntur statuæ; quibus in Templis nihil cantatur, nihil legitur, nulla lucent ampliùs luminaria, ibi nimirum illud jam repræsentari Prophetæ vaticinium: itaque cavendum esse diligenter omnibus, ne causam præbeant adventus Antichristi: Vota monastica niti tam Novi quàm Veteris Testamenti authoritate: plectendos igitur, qui suæ professionis obliti deseruerunt ordinem. Episcopos habere potestatem, non docendi tantùm, sed & administrandi Rempub. nec in suo jure impediendos esse, quod liberalitate Majorum sint consecuti. Non abstinere à carnibus, tempore prohibito; non ieiunare per Quadragesimæ tempus, non confiteri peccata, proterviam esse, non libertatem Christianam. His ita recitatis, fatentur esse nonnulla, quæ emendationem requirant: Vt autem hæc etiam sanentur, & Ecclesiæ status corrigatur, omnem suam operam Cæsar pollicetur.

1530.

Responsũ Protestãtium ad Confutationem Pontificiam Augustanæ Confessionis.

Ad ea Saxoniæ Elector, & suo & sociorum nomine, quoniam professi sint initio, si quidem de religionis agatur conciliatione, se facturos esse, quicquid omnino salvâ conscientiâ possint. Deinde, si quis ipsorum error doctrinæ, testimonio Scripturæ commonstretur, non repugnaturos: ad hæc, si desideretur explicatio copiosior, daturos: Et quia ejus doctrinæ, quam obtulerint, quædam capita sint admissa, quædam repudiata, opus esse, ut ampliùs sua confirment: itaque orare, ut Confutationis exemplum sibi detur. Biduo pòst, Cæsar, cùm diu deliberâsset, ait, daturum se quidem, verùm ea lege, ne quid eius evulgent aut typis procudant: Nolle etiam ampliorem ullam admittere disceptationem, & petere, ut ad suas partes aggregentur. Illi autem hac lege non se posse accipere demonstrant.

Delecti utrinque qui concordiæ rationes inirent. Protestãtiũ Theologi quæ concessẽrint Pontificiis de Cœna, Missa & utraque specie.

Post multam actionem, Idibus Augusti delecti fuerunt utrinque septeni, qui Concordiæ rationes inirent. Ex Pontificiis erant Episcopus Augustanus, Henricus Brunsuicensis, Iurisconsulti duo, Coloniensis & Badensis; Theologi tres, Wimpinus, Eccius & Cochlæus. Ex Protestantibus erant, Georgius Brandeburgicus, Ioannes Fridericus Saxo, Iurisconsulti duo; Theologi tres, Philippus, Brentius, Schnepfius. In hac actione de tertio articulo nulla fuit controversia: neque etiam de decimo, qui est de Cœna Domini: Talem enim præsentiam corporis & sanguinis Christi concesserunt Protestantes, qualem Pontificii approbabant, & adhuc hodie probant. De una, vel utraque specie, sic se declarârunt Protestantium Theologi, ut dicerent, se non damnare eos, qui olim unam tantùm speciem sumpserunt, aut hodie sumunt, neque etiam credere, unam tantùm speciem sumentes iniquè agere: nolle tamen ut hoc suis auditoribus prædicetur. *Concesserunt etiam,* integrum Christum sub una specie adesse, & tantum accipi sub una specie, quantum sub utraque. *Similiter concessum tunc fuit,* Sacramento corporis Christi venerationem præstandam esse, qua olim veneratum fuerit. *De Missa rursus testati sunt Protestantium Theologi, apud hos, qui electi erant, ad media Concordiæ quærenda,* quòd Missam summâ reverentiâ celebrent, & servent in ea substantialia, quæ ad consecrationem pertinent: quòd servent etiam usitatas ceremonias reliquas & vestitum consuetum: Saltem fieri apud suos Missas communes: Privatas Missas se ob hanc solùm causam improbare, quòd hac opinione celebrentur, quòd applicatæ pro aliis mereantur gratiam ex opere operato. *De Transsubstantiatione nulla inter partes jam quoque fuit contentio, quòd Pontificii crederent, eam à Protestantium Theologis non improbari, ut testatur ipsorum Chytræus in sua historia de Confessione Augustana.*

Hæc quinque capita in hoc congressu Protestantium Theologi concesserunt Pontificiis, metu, ignoratione tum adhuc totius quæstionis, potentiâ Cæsaris, conspiratione adversariorum, scriptis Lutheri de Transsubstantiatione & Vbiquitate dubiis, & in utramq; partẽ deflexis. Temporis causâ concesserunt & pro tempore, dum meliora invenirent & discerent. Vt autem invenerunt & didicerunt, ac se totum Pontificatum istis articulis reddidisse Romanæ Ecclesiæ animadverterunt, idcirco Confessionem etiam postea latiùs explanârunt, emendârunt & correxerunt, quòd quæ concesserant falsa, periculosa, insidiosa & infesta esse intelligerent.

Apologia Confutationis Augustanæ confessionis delineatur.

Ne tamen silentio præteriretur Augustanæ Confessionis Pontificia Confutatio, Apologiæ ejus delineationem inchoavit Philippus, statim ut in Senatu Cæsaris & Principum omnium recitata fuit, quantum quidem inter legendum memoriâ complecti potuit, nam exemplar eius Principibus datum non fuit: & id scriptum nunc tandem, post multas occupationes à Philippo perfectum fuit. Id verò cùm Principes Protestantes Cæsari exhibere in manus vellent, accipere noluit. Sequenti anno hanc delineationem Philippus accuratiùs & diligentiùs elaboratam in lucem edidit, sub titulo Apologiæ Augustanæ Confessionis, de qua plura suo loco.

De CONFESSIONE QVATVOR Civitatum Imperialium Augustæ Cæsari exhibita.

Confessio quatuor Civitatum & à quibus scripta.

SVpra indicavimus, quòd Elector Saxoniæ, cum sociis Principibus, cæteriq; omnes qui diversum à Romana Ecclesia sentirent, Cæsaris literis iussi sint, Confessiones fidei suæ scriptas ad Comitia adferre, ex quibus de doctrina ipsorum cognosci posset. Vt verò ad mandatum hoc Cæsaris, Protestantium Principum Confessio, quam Augustanam vocant, conscripta fuit: sic illud ipsum Argentinensis Civitatis Proceres quoque impulit, ut idem facerent; quòd naturalem unionem corporis cum pane, ejusdemque localem inclusionem in pane Cœnæ Dominicæ, quam Lutherum docere credebant, ipsi minimè probarent.

Mandârunt igitur Capitoni & Bucero, ut, re cum omnibus Pastoribus deliberatâ, Confessionem fidei & doctrinæ suæ Ecclesiæ conscriberent. Diligenter itaque Confessio hæc à Bucero ex perpetua Argentinensis urbis doctrina Concionum, Catechismorum, Scholarum, Commẽtariorum

rum & variorum monumentorum confecta & comprehensa scripta est. Deinde, vt Ioannes Sturmius in Antipappi quarti parte prima scribit, in Conuentu Ecclesiastico recitata: vnanimis sententijs comprobata; in Senatu lecta, lata deinde ad omnes tribus, & ab his collaudata est. Quòd si ad tribus lata est, certè ad Senatum rursus relata est: atque ita authore Senatu confirmata est, vt vsque ad Sturmij obitum abrogata nondum fuerit. Nam quod Senatu rogante, tribulibus approbantibus, semel ratum decretum est, in re præsertim graui & singulari, id absque consensu tribulium Præfectorum, nunquam in Argentinensium Repub. aut irritum aut oppressum fuit. Nihil etiam nouum, quod cum periculo magno coniunctum est, absque tribunitia authoritate, in publicum editur: cuiusmodi hæc tum erat Confessio. Anno 35. renouata, commendata & mandata fuit, vt quotannis recitetur tribulibus ciuibus. Hoc edictum (verba recitabo Ioannis Sturmij ex Epistola eius de Confessione Augustana Argentinensi ad Bernhardum Botzemium D.) vsque ad annum 18. atque etiam hoc ipso anno inde ab illo trigesimo quinto anno semper recitatum fuit in duabus tribubus Friburgensi & Fabrorum. De aliis tribubus non dico: nescio an in omnibus: De his duabus dico, quarum debet esse maxima authoritas in hac causa. In tribu enim Fabrorum Præfectus erat Nicolaus Kniebsius diligentissimus obseruator & defensor antiquorum morum & institutorum in Argentinensi ciuitate: qui maximè scire potuit, quæ esset sententia, & qui sensus essent, & animi sapientium virorum de hac Confessione. Hæc inquam primùm à Nicolao Kniebsio, deinde ab illius filio in hodiernum vsque diem quotannis recitata fuit. Alterius verò tribus, quæ est Friburgensium, hoc est, liberorum ciuium, Dominus & præfectus fuit Beatus Dunzenhemius: Is hanc consuetudinem recitandi huius edicti recepit. Hic successorem habuit Friderieum Gotteshemium: hic istud edictum quotannis vsque ad hunc extremum annum valetudini suæ aduersum, recitari iussit.

Fol. 11. & sequent. Confessio 4. Ciuitatum à S. P. Q. Argentinensi comprobata.

Fol. 12.

Præter hoc Senatusconsultum etiam à Magistratu Argentinensi acceperunt Theologi & professores Examen municipale, factum ex sententia Argentinensis Confessionis, anno 39. publicatum, & tentatum & mandatum in omnibus Collegijs omnium Canonicorum. Bucerus hanc Confessionem defendit contra inimicos cùm aliàs sæpe, tum anno 46. contra Iustum Velsium. Idem in Testamento suo, cui Marbachius subscripsit, huius Confessionis meminit: In hac se diem suum obiturum restatus est: contra hanc se nunquam docuisse, ab hac nunquam se discessisse gloriatur. Hoc ipsum in Testamento suo Cantabrigia in Anglia confirmando renouauit.

Bucerus in Confessione 4. Ciuitatum vsque ad finem vitæ perseuerauit.

1550.

Hæc paulo fusiùs ex Sturmio adscripsi, quòd Ioannes Pappus scribere ausus fuit contra Sturmium, Confessionem hanc à Senatu Argentinensi relictam aut desertam esse. Item, Bucerum huius Confessionis errores agnouisse. Quòd item Confessionem hanc in Senatu Argentinensi anno Domini 81. ausus fuit insimulare hæreseos, eamque Zuinglianam esse dicere: & vetari ne diuulgaretur, sed custodiri voluit. Qui tamen propria conscientia testimonio conuictus, non ita diu antea domesticis suis hospitibus dixerat, huius Confessionis de Cœna Domini sententia Zuingliana si sit, se etiam Zuinglianum esse. Et biennio antè in causa Marbachij & Huberti, ipse cum Marbachio & aliis, hanc vrbis Argentinensis Confessionem ab omni hæresis crimine liberauit. Qui etiam alicubi conquestus est, Sturmium Ecclesiæ Argentinensis Confessionem infectari. Item, falsò se & reliquos eius vrbis Concionatores accusari: se namq; eandem adhuc colere doctrinam, quam à Maioribus suis acceperint. Sic etiam Marbachius, quam Zuinglianam inde à sua in Zanchium actione appellauit Confessionem, anno 81. orthodoxam esse contra Tossanum scripsit.

Sturm. Antipap. 4. f. 58. & 66.

Huius autem Confessionis Articulus 2. §. 2. de persona Christi sic habet: Seruatorem quoque nostrum Iesum Christum, eundem verum Deum, etiam verum hominem factum, naturis quidem impermixtis, in ita in eàdem persona vnitis, vt in omnia secula nunquam rursus soluantur. Nec in ijs quicquam variarunt, quæ Ecclesia ex sacrosanctis Euangeliis docta, credit de Seruatore nostro Iesu Christo, ex Spiritu sancto concepto: dein ex Diua virgine Maria nato, demumque postquam euangelizandi munere defunctus erat, in cruce mortuo, ac sepulto: quiq; ad inferna descendit, & à mortuis tertio die in vitam immortalem reuocatus est: quumque hanc destinatis ad hoc testibus, vatiis argumentis comprobâsset, in cœlos ad dexteram Patris est euectus: vnde eum expectamus Iudicem viuorum & mortuorum. Interim agnoscimus eum nihilominus Ecclesiæ suæ, vsque ad consummationem seculi præsentem: hanc instaurare, sanctificare, & tanquam vnicè dilectam sponsam, omnigenis virtutum decoris exornare: In his quoniam nihil à Patribus, nihil à communi Christianorum consensu variamus, satis fore credimus, hunc in modum nos fidem nostram esse testatos.

Confessionis 4. Ciuitatum articulus de persona Christi.

Nondum ergo in Argentinensium vrbe hoc

Ex persona

1530. In Argentinensi Ecclesia hæc tempore non donsuetra dita qua hodie.

tempore hæc portenta tradita fuerant; Christus non die quadragesimâ demum à resurrectione in cœlum ascendit, & ad dexteram Patris consedit: sed id longè ante istam ascensionem factum est: idque duobus modis. Primùm in conceptione, & cùm in vtero materno humana natura diuinæ vnita est. Secundò, cùm formam serui deposuit, in cruce efflatâ animâ & emisso spiritu. Tertia verò & visibilis ascensio tantùm dispensatio fuit. *Item*: In cœlo, in quod humana Christi natura suscepta est, non tantùm Deus & Sancti, sed etiam omnes Diaboli & damnati homines continentur. Infernus & omnes Cacodæmones sunt in cœlo. Christus in assumpta humanitate non solùm in pane & vino est: sed etiam in inferno & in omnibus cantharis ceruisiariis, &c. *Qualia postea Argentinæ docuit & tradidit Marbachius in libro de Cœna Domini Argent. excuso fol.* 150. 151. 152. *Et in Concionibus tribus de Ascensione habitis Argent. anno* 65. *Item contra Tossanum fol.* 104. 261. 262. Superiora illa dogmata, *inquit*, Sturmius, & illa monstra sententiarum, neque legendo vidi, neque audiendo cognoui, neque recordando memini vnquam audita fuisse in Argentinensi Schola ante istos nouos Theologos.

Confessionis 4. Ciuitatum articulus 18. de Cœna.

Eiusdem Confessionis caput 18. *de Cœna Domini, ex collatione Latini & Germanici exemplaris, sic habet*: De hoc venerando corporis & sanguinis Christi sacramento, omnia quæ de illo Euangelistæ, Paulus, & sancti Patres scripta reliquerunt, nostri fide optimâ docent, commendant, inculcant. Indeque singulari studio hanc Christi in suos bonitatem semper prædicant, quâ is non minùs hodie, quàm in nouissima illa Cœna, omnibus qui inter illius discipulos ex animo nomen dederunt, quum hanc Cœnam, vt ipse instituit, repetunt, verum suum corpus, verumque suum sanguinem, verè edendum & bibendum, in cibum potumque animarum, quò illæ in æternam vitam alantur, dare per sacramenta dignatur: vt iam ipse in illis, & illi in ipso viuant, & permaneant: in die nouissimo, in nouam, & immortalem vitam, per ipsum resuscitandi, iuxta illa suæ æternæ veritatis verba: *Accipite & manducate, hoc est corpus meum, &c. Bibite ex eo omnes, hic calix est sanguis meus, &c.* Præcipuâ verò diligentiâ populi animos, nostri Ecclesiastæ ab omni, tum contentione, tum superuacanea, & curiosa disquisitione, ad illud reuocant, quod solum prodest, solumque à Christo Seruatore nostro spectatum est: nempe, vt ipso pasti, in ipso, & per ipsum viuamus: vitam Deo placitam, sanctam, & ideo perennem quoque & beatam: simusque inter nos omnes vnus panis, vnum corpus, qui de vno pane in sacra Cœna participamus. Quo sanè factum est, vt diuina sacramenta (sacrosanctæ Christi Cœna) quàm religiosissimè reuerentiaque singulari apud nos, & administrentur, & sumantur. Ex his quæ verè ad hunc modum se habent, agnoscit. S.T.M. clementissime Cæsar, quàm falsò ab aduersariis nostris iactetur, nostros verba Christi immutare, & humanis glossis concerpere: nec nisi merum panem, merumque vinum, in nostris Cœnis administrari, ipsamque adeò Domini Cœnam apud nos contemptam esse, atque reiectam. Nam summo nostri studio semper docent, & hortantur, vt simplici quisque fide, hæc Domini verba, reiectis vniuersis hominum commentis falsisque glossis, amplectatur, eorumque sententiæ, omni submotâ vacillatione, animum addicat: ipsa denique sacramenta, in viuificam animarum suarum alimoniam, & gratam tanti beneficij commemorationem, identidem, quantâ possit religione, sumat: id quod multò quoque iam, & sæpiùs & religiosiùs apud nos, quàm antea, fieri solet. Simul autem obtulerunt se nostri Ecclesiastæ hactenus semper, & hodie se offerunt ad reddendam omni cum modestia, & veritate, rationem fidei, & doctrinæ suæ, de omnibus quæ tam circa hoc sacramentum, quàm alia credunt, ac docent. Idque non solùm S.T.M. sed cuiuis etiam poscenti.

Confessionis 4. Ciuitatum 19. articulus de Missa.

Caput autem 19. *de Missa ex eadem Collatione sic habet*: Porrò cùm hunc in modum Christus suam Cœnam quæ postea Missa vocari cœpit, instituerit: nempe, vt in ea fideles corpore & sanguine eius in vitam æternam pasti, mortem eius, quâ redempti sunt deprædicent: ipsi hoc pacto gratias agentes, & hanc salutem aliis quoque commendantes, non potuerunt nostri Ecclesiastæ non damnare, quòd hæc passim negliguntur: & contrà qui Missas celebrant, præsumunt Christum Patri offerre pro viuis, & defunctis, Missamque tale opus faciunt, quo solo ferè fauor Dei, & salus comparetur, quicquid vel credant homines, vel viuant. Vnde & pudenda illa, ac bis, terque impia sacri huius nundinatio irrepsit, factumque est, vt nihil sit hodie Missâ quæstuosius. Priuatas itaque Missas reiecerunt, propterea quòd Dominus in commune, discipulis hoc sacramentum commendanit. Vnde & Paulus Corinthios iubet se inuicem ad S. Cœnam expectare, negatque eos agitare Cœnam Dominicam: quum pro-

propriam vnusquisque Cœnam inter edendum occupat. Porrò quòd illi se Christum offerre vice hostiæ iactant, hinc nostri damnârunt, quòd Epistola ad Hebræos apertè testatur, Sicut homines semel moriuntur, ita Christum semel oblatum esse, vt multorum peccata tolleret, tamque non posse iterum offerri, quàm non mori ampliùs. Eoque vna pro peccatis victima perfecta, perpetuò sedere eum ad dexteram Dei, id quod superest expectantem, donec inimici eius, ceu scabellum, subijciantur pedibus eius. Vnicâ enim oblatione, perfectos effecit in perpetuum eos, qui sanctificantur. Id verò quod bonum opus fecerunt, quo à Deo quiduis impetretur, cum eopugnare nostri docuerunt, quòd Scriptura vbique prædicat, nos Spiritu Christi, & per fidem iustificari, fauoremque Dei percipere, de quo Scripturarum testimonia alibi adducta sunt. Sic quòd mors Domini in Missa populo non commendatur, declarârunt esse aduersum ei, quod hæc Christus Sacramenta sumere iussit, in sui commemorationem, & Paulus, vt annuncietur mors Christi donec veniat. Quòd verò iam à multis, sine omni pietatis studio, tantùm alendi corporis causâ, vulgò Missæ celebrantur, id demonstrârunt nostri, tam esse execrabile Deo, vt si Missa per se pietati nihil aduersaretur, meritò tamen, & iussu Dei tollenda esset. Id quod vel ex solo Isaia liquet: Spiritus enim, & veritas est Deus noster, eoque non nisi in spiritu, ac veritate coli sustinet. Quàm autem molesta sit Domino, inuecta circa hæc Sacramenta, tam importuna cauponatio, & hinc monuerunt conijciendum esse, quòd Christus tam sæuè, & planè præter morem suum, externâ sibi vindicatione sumptâ templo eiecit vendentes, & ementes: quum ij tantùm ad promouenda sacrificia, quæ ex lege videbant negociari. Tot itaque modis, quum ritus Missæ, vulgò celebrari soliti, Scripturæ Dei aduersentur, sicut & modis omnibus diuersus est ab eo, quem sancti Patres obseruârunt, damnatus est apud nos è suggestu admodum grauiter: sicque Verbo Dei detestabilis factus, vt eum multi vltrò reliquerint. Alibi quoque Magistratus autoritate, abrogatus est. Id quod nobis nullâ aliâ causâ, permisimus, quàm quòd in omni Scriptura, Spiritus Dei nihil sic detestetur, & tam seriò tolli præcipiat, atque commentitium falsumque sui cultum: Iam nemo qui religione aliquo modo tenetur, ignorat, quàm sit timenti Deum ineuitabilis indicta necessitas, quum persuasus est Deum quippiam exigere. Etenim vt laturi multi essent à nobis, circa Missæ ritum tam sacrosanctum, aliquid nouari, facilè quis præuidebat: nec erant, qui non maluissent, hic non solùm T.S.M. sed ne quemuis imi subsellij Principem offendere. Verùm quum simul non dubitarent, vulgato illo Missæ ritu, tantopere irritari Deum, eiusque gloriam, prô qua etiam vita ponenda est, obscurari: non potuerunt illum non submouere, ne & ipsi se imminutæ gloriæ Dei se obligarent, conniuendo. Vtique si amandus, & colendus est Deus supra omnes, nihil minùs ferendum piis, quàm quod ille abominatur. Hanc verò vnam causam extorsisse nobis, vt circa hæc immutare quædam auderemus, testem citamus eum, quem nullum secretum latet.

Simul ac facta fuit hæc Confessio, cuius iam articulos de Persona Christi & Cœna Dominica recensuimus, comprobata illa est, etiam, eique subscriptum à tribus Imperij Ciuitatibus, Constantiâ, Memingâ & Lindaulo.

De Confutatione Confessionis quatuor Ciuitatum.

Interea verò dum Augustana Confessio à Protestantibus exhibita Cæsari, à Pontificiis Theologis confutatur, Argentinenses cum tribus his Ciuitatibus sociis, hanc doctrinæ suæ Confessionem scriptam & ipsi tradunt Cæsari. Sub exitum Comitiorum Cæsar domum suam euocat Argentinenses atque socios, & in Ordinum consessu recitari iubet ipsorum quoque doctrinæ Confutationem, scriptum valdè prolixum & acerbum, ea parte potissimùm, vbi de Cœna Domini tractatur. Eius iam quoque erant artifices Iohannes Faber & Eccius. Nam quod inuidiosum esset argumentum, criminationis nullum genus intermiserant, vt Cæsarem atque Principes accenderent. Exitus hic erat, quandoquidem in religione diuersam à reliquis omnibus opinionem profiteantur, & grauissimum illum errorem de Sacramento Eucharistiæ probent, statuas etiam è Templis eiecerint, & Missam abrogârint, & Collegia, Cæsarum atque Regum liberalitate olim constructa subuerterint, & varias quoque sectas foueant, inque vulgus per Germaniam disseminent, editis libellis, qui passim circumferantur: idcirco ab ipsis denuò se postulare, vt ad sanitatem redeant, & priscam religionem recipiant: alioqui non se prætermissurum esse; quod sui muneris ratio postulet.

Responsum ad postulata Cæsaris quatuor Ciuitatum.

Illi paulò post respondent, in hac Confutatione multa recitari secus quàm ipsorum habeat scriptum: atrocibus etiam verbis quædam exagitari, quæ sanè non reprehensionem modò sed & animaduersionem mereantur: verùm ea non rectè sibi tribui: suis enim in Ciuitatibus nihil eiusmodi fieri, neque fore cuiquam impunè, siquidem eò licentiæ quis progrederetur: Cùm ergo bene sibi conscij sint, & verò causa sit

1530. *g r auis, & scriptum bene longum, neque respondere passiat, nisi primùm ad suos referant, idcirco petere, primùm, vt exemplum sibi communicetur, deinde ne fides habeotur huic criminotioni, priùs, quàm ipsorum audito sit atque cognita purgatio: cæteris in rebus omnibus nihil non se facturos ipsius cousa.*

Responsio Cæsaris.

Cæsar consideraturum se dicit, & quinto demum pòst die per Brondeburgicum respandet, exemplar ipsis dari nan posse: nom & Saxoniæ Principi granibus de causis hoc denegatum, & omnem de fide disputationem esse prohibitam. Si verà conciliationi studeant, & cum Ecclesia redire velint in gratiam, nan recusare, quò minùs repetotur semel atque iterum Confutationis recitotio: mandare outem, vt idem doctrinæ genus, quod reliqui omnes Principes ac Ordines profiteantur, & aduersùs Turcam auxilio conferant: Nisi enim à suo proteruia desistant, acturum se de consilio Pontificis & alsarum Regum, vt se deceat.

Respondent quatuor Ciuitates Cæsari.

Impetrato deliberandi spatio, quum odessent omnes Ordines, habere se dicunt in mandatis, vt quod ad suam fortè Confessionem objiciatur, eius exemplum petant, domumque mittont: hoc autem fieri suâ quidem opiniane, nan amplioris causâ disputationis, verùm, si fortè diuersæ partis viri docti, suum scriptum, secus quàm oporteret, interpretentur: aut si quod ipsis crimen afferatur, vt sit in promptu quòd responderi possit & excusari. Cùm outem ex recitatione Confutationis intelligont, quontum quidem eius retineri potuit audiendo, suom Confessionem alìò trahi, præter suam suique Magistrotus mentem atque sententiam: secus etiam exponi, quàm ipsa verba loquuntur. Deinde, quaniam horrenda quadam enumerentur, quæ minimè omuium sibi passint ascribi, quod antè quoque dixerint, idcirca rursus petere & obsecrare, vt Confutationis exemplum sibi detur, quò dilui passint obiecta. Cùm etiam ad suæ Confessionis exitum orârint Cæsarem, vt dissidium hoc religionis legitimo Germaniæ Cancilio disceptori velit, & cùm hac ratio sola semper visa sit omnibus longè commadissima, cumque sui nullum errarem, scientes quidem, approbare velint, nec aliquid proteruè facere cogitent, iterum atque iterum orare, vt per Concilium pium atque liberum causa definiatur: Quad in eo decretum fuerit, & Scriptura socra testimonio comprobatum, non se recusaturos. Intereo, quantum & viribus & focultatibus possint, omnia Cæsaris causa facturos esse. De subsidio in bellum Turcicum & ope conferenda, proximis aliquat diebus, ad Ciuitatum Legatos, quid suæ sit voluntatis explicâsse: nimirum, si pax communis per Imperium fiat, & securitas præstetur ad usque Concilium, libenter collaturos, quantum ex æquo debeant: Nam & anno superiori, liberaliter & ferè plùs quàm tenerentur contulisse. Quod cùm ito sit, & quio responsum adhuc nullum acceperint, orare iterum, & vehementer quidem, vt religioni pax detur: nom alioquin, etiamsi maximè velint, non se posse quicquam contribuere.

Brandeburgicus dicit, se renunciaturum Cæsari. *Post meridiem delecti quidam recitant ipsis formulam pacis, in quo salùm erant camprehensi, qui Decretum reciperent. Hi respandent, neque decreti sibi traditum esse exemplum, neque se comprehendi etiom, itaque non esse quòd suorum nomine promittant: & cùm in dubio res adhuc sit, expectore se, quæ Cæsaris sit voluntas, quemadmodum Electori quoque Brondeburgico demonstrârint.*

Quatuor Ciuitates suam confessionem à suspicione praue liberant apud Protestantium principes Argentinensium Theologi hodie aliter docent.

Cùm autem quatuor harum Ciuitotum *Confessio aliquibus, etiam ex Principibus Protestontium hoc nomine suspecta esset, quòd nudo, seu vacua & inania signa in* Cœna *Dominico doceret, ideo Legoti* Ciuitatum *eam exhibuerunt Principibus Protestantibus, aliisque legotis cognoscendam & examinandam, priusquam* Cæsari *traderent, atque etiam pòst: hac addita Protestatione à Iocabo Sturmio & Matthæa Pfarrera Argentinensium Legatis:* Nostri Concionatores semper docuerunt, quòd Dominus discipulis suis verum suum corpus & verum suum sanguinem edendum & bibendum dederit: & calumnia est, si de iis dicitur, quòd nil nisi nudum panem & vinum in Cœna quærant. Hoc quidem confessi sunt, sed non ex seipsis, verùm cum Patribus primitiuæ Ecclesiæ, hæc verba Domini, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, non esse simpliciter & iuxta literam intelligenda: Hoc modo enim sensus esset, quòd panis sit corpus Christi, & vinum sanguis eius substantialis. Nullus autem vnquam fuit tam inter Patres, quàm Scholasticos, qui non agnouerit, hoc non posse esse. Docuerunt itaque, Pronomen, HOC, non oculis solùm demonstrare panem & vinum, sed animæ & cordi etiam corpus Domini: ideoque panem & vinum signa esse corporis & sanguinis Christi. Propterea Augustinus etiam contra Adimantum scripsit: Dominus non dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum corporis daret. Neque ideo Patres senserunt, inane signum esse panem, sed quòd simul etiam cum eo daretur verum corpus Christi. Nonnulli autem tam crassè de cœlesti hoc cibo loquuntur, vt dicant, non tantùm corpus & sanguinem sacramentaliter ore percipi & dentibus atteri, sed ipsum verum, reale ac substantiale corpus & sanguinem Domini, quod tamen ipse Thomas alijque Scholastici impossibile esse dixerunt.

runt. Sunt etiam aliqui, qui impios, non minùs quàm pios & fideles cœlestem hunc cibum percipere doceant. Nostri autem Concionatores ab his dissentiunt hanc ob causam: Christus dicit Ioan. 6. cap. Ego sum panis viuificus qui è cœlo descendi: si quis ederit ex hoc pane, viuet in æternum: & panis quem ego dabo caro mea est, quam pro mundi vita dabo. Hęc verba illud ipsum sonant, quod verba Cœnæ, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, &c. sicut hoc Chrysostomus, Augustinus & alij fatentur. Verba apud Ioannem clara sunt, & loquuntur de esu & potu corporis & sanguinis Christi: Omnes etiam Patres vnanimiter fatentur, in suis Commentarijs super cap. 6. Ioan. Dominum de nullo alio esu corporis sui in Cœna loqui, quàm etiam in hoc ipso capite.

Confessio quatuor Ciuitatum approbatur à Protestantibus.

Principes qui Augustæ aderant, & Legati eorum qui non aderant, lecta quatuor Ciuitatum Confessione, & audita declaratione ista Legatorum Argentinensium, Confessionem ipsorum approbârunt. Atque hac Actio viam aperuit sequenti societati & fœderi, vt mox indicabitur.

De

CONFESSIONE ZVINGLII Imperatori Carolo Augustæ Comitia celebranti, missa.

Zuinglius fidei suæ Confessionem Cæsari Augustam mittit.

Zuinglij doctrina de persona Christi.

DVrantibus Comitiis, Zuinglius etiam, ne in periculum suspecti silentij, aut arrogantis negligentiæ incideret, Fidei & doctrinæ suæ Confessionem Cæsari misit. In hoc scripto de Persona Christi & in ea duarum naturarum vnione sic scribit: Filium carnem assumpsisse credo & intelligo, quòd humanam naturam, imò totum hominem, qui ex anima & corpore constat, verè ex immaculata perpetuaque virgine Maria assumpserit. Id autem hoc modo, vt totus ille homo in vnitatem hypostaseos siue personæ Filij Dei, sic sit assumptus, vt peculiarem personam homo non constituerit, sed assumptus sit ad Filij Dei personam inseparabilem, indiuisibilem & indissociabilem. Quamuis autem vtraque natura, diuina videlicet & humana, ingenium ac proprietatem suam sic seruauerit, vt vtraque in illo verè & naturaliter esse deprehendatur, adhuc tamen naturarum distinctæ proprietates & opera, personæ vnitatem non dissociant. Non magis quàm in homine animus & caro duas personas constituunt: vt enim ista naturâ diuersissima sunt, ita diuersis quoque proprietatibus & operationibus pollent. Attamen homo, qui ex his consistit, non duæ personæ, sed vna est. Ita Deus & homo, vnus est Christus: Dei ab æterno, & hominis à temporis dispensatione in æternum Filius. Vna persona, vnus Christus: perfectus Deus, perfectus homo, non quòd vna natura altera fiat, aut inter se confundantur, sed quòd vtraque propria maneat, & vnitas tamen Personæ istâ proprietate non disiungantur. Hinc vnus & idem Christus pro humanæ naturæ ingenio vagit, incrementum capit, proficit sapientiâ, esurit, sitit, edit, bibit, æstuat, alget, vulneratur, vapulat, sudat, trucidatur, timet, tristatur, & cætera quæ ad mulctam & pœnam peccati attinent fert, nam ab ipso peccato alienissimus est. Pro diuinæ autem naturæ proprietate, cum Patre summa & ima temperat, omnia permeat, sustinet ac fouet, cœcos illustrat, claudos restituit, mortuos euocat, hostes verbulo sternit, mortuus ipse vitam resumit, cœlos petit, Spiritum sanctum de suo mittit. Et hæc omnia vnus idemque Christus, quantumuis naturâ ingenioque diuersa facit, vna Dei Filij Persona manens, ita vt etiam quæ diuinæ sunt naturæ, propter Personæ vnitatem ac perfectionem nonnunquam humanæ tribuantur, & quæ humanæ sunt, interdum de diuina dicantur. Filium hominis sese dicebat esse in cœlo, cùm corpus cœlos nondum conscendisset: Pro nobis perhibet Christum passum esse Petrus, cùm sola humanitas pati possit. Sed propter personæ vnitatem verè dicitur, Et Filius Dei passus est, Et Filius hominis dimittit peccata: nam & is qui Filius Dei & hominis vna persona est, pro humanæ naturæ proprietate passus est: & is qui Filius Dei & hominis vna persona est, pro diuinæ naturæ proprietate peccata dimittit, &c. *Erubescant ergo Papistæ, Lutherani & Vbiquistæ, cùm intelligant quàm immeritò inuidiæ fascino decepti Zuinglium Nestorianæ hæresis insimulent, vt qui duas Personas propter naturarum discrimen statuat, cùm ijsdem ferè verbis & rationibus, quibus Veteres contra hæreticos vsi sunt, Personæ vnitatem in diuersarum proprietatum differentia fateatur.*

Zuinglij doctrina de Sacramentis in genere

De Sacramentis in genere sic scribit in hac Confessione: Credo omnia Sacramenta, tam abesse vt gratiam conferant, vt ne adferant quidem aut dispensent. Nam gratia vt à Spiritu diuino fit & datur, ita donum istud ad solum Spiritum peruenit. Dux autem vel vehiculum Spiritui non est necessarium, ipse enim est virtus aut latio quâ cuncta feruntur, non qui ferri opus habeat: Neque id vnquam legimus in Scripturis sacris, quòd

1530. quòd sensibilia, qualia sacramenta sunt, certò secum ferrent Spiritum, sed si sensibilia vnquam lata sunt cum Spiritu, Spiritus fuit qui tulit, non sensibilia. Sic cùm ventus vehemens ferretur, simul adferebantur linguæ venti virtute, non ferebatur ventus virtute linguarum, &c. *Item:* Si sacramentis alligata est gratiæ præsentia & efficacia, iam quò adferuntur operantur: quò non adhibentur, flaccescunt omnia. Nec est vt materiam siue subiectum causentur Theologi, quòd huius dispositio antè requiratur, hoc est, quòd Baptismi aut Eucharistiæ gratia ei conferatur qui ad hoc priùs sit adornatus. Nam is qui istam per Sacramenta gratiam recipit secundùm ipsos, aut ipsus seipsum ad hoc præparat, aut à Spiritu præparatur. Si seipsum præparat, ergo & ex nobis aliquid possumus, & gratia præueniens nihil est. Si à Spiritu præparatur ad gratiæ acceptionem, quæro an hoc etiam fiat sacramento duce, an extra sacramentum? Si sacramento mediante, ergo sacramento paratur homo ad sacramentum, & sic vsque ad infinitum processus erit: nam semper ad sacramenti præparationem requiretur sacramentum. Si verò citra sacramentum præparamur ad sacramentalis gratiæ acceptionem, ergo Spiritus suâ benignitate adest ante sacramentum, & perinde gratia & facta & præsens est antequam adferatur sacramentum. Ex quibus hoc colligitur, sacramenta dari in testimonium publicum eius gratiæ, quæ cuique priuato priùs adest. *Rursus:* Baptismo Ecclesia publicè recipit eum, qui priùs receptus est per gratiam. Non ergo adfert gratiam Baptismus, sed gratiam factam esse ei cui datur, Ecclesiæ testatur. Credo igitur sacramentum esse sacræ rei, hoc est, factæ gratiæ, signum. Credo esse inuisibilis gratiæ, quæ scilicet Dei munere facta & data est, visibilem figuram siue formam, hoc est, visibile exemplum, quod tamen analogiam quandam rei per Spiritum gestæ præ se fert. Credo testimonium publicum esse: Vt cùm baptizamur, abluitur corpus mundissimo elemento: sed hoc significatur, gratiâ diuinæ bonitatis in Ecclesiæ & populi Dei cœtum allectos esse, in quo candidè sit & purè viuendum, &c.

Zuinglij doctrina de Cœna Domini.

De sacra Domini Cœna sic scribit in hac Confessione: Credo quòd in sacra Eucharistiæ, hoc est, gratiarum actionis Cœna, verum Christi corpus adsit, fidei contemplatione; hoc est, quòd ij qui gratias agunt Domino pro beneficio nobis in Filio suo collato, agnoscunt illum veram carnem adsumpsisse, verè in illa passum esse, verè nostra peccata sanguine suo abluisse, & sic omnem rem per Christum gestam illis fidei contemplatione velut præsentem fieri. Sed quòd Christi corpus per essentiam & realiter, hoc est corpus ipsum naturale in Cœna aut adsit aut ore dentibusque nostris mandetur, quemadmodum Papistæ, & quidam qui ad ollas Ægyptiacas respectant, perhibent, id verò non tantùm negamus, sed errorem esse, qui Verbo Dei aduersatur, constanter adseueramus. Quod tuæ Maiestati, opitulante Deo, Cæsar, paucis tam perspicuum faciam quàm Sol est. Primò, diuina oracula adserendo: secundò, argumentis ex his desumptis velut arietibus in aduersarios vadendo: postremò, veteres Theologos in hac nostra sententia fuisse ostendendo. Tu interim Creator Spiritus adsis.

Os & Sapientia Numinis, sic inquit: Pauperes semper habebitis vobiscum, me autem non semper habebitis. Hic negatur sola corporis præsentia, nam secundùm Diuinitatem semper adest, quia semper vbique est, iuxta aliud eius verbum, Ego ero vobiscum vsque ad consummationem sæculi, videlicet secundùm Diuinitatem, virtutem & bonitatem. Nobiscum sentit Augustinus. Nec est cur causentur aduersarij, Humanitatem Christi esse vbicunque est Diuinitas, aliàs diuidi personam: nam id tolleret veram humanitatem Christi. Vbique enim esse nihil quàm Numen potest. Et humanitatem in vno loco esse, Diuinitatem autem vbique ita non diuidit personam, sicut humanitatem adsumsisse Filium non diuidit essentiæ vnitatem. Imò potentius esset ad separandum vnitatem essentiæ, dum vna persona creaturam sibi adsumit quam aliæ omnino non adsumunt, quàm sit ad separandum personam, humanitatem esse in vno loco, Diuinitatem verò vbique. Cùm & in creaturis videamus corpora esse ad vnum locum alligata, potentiam verò & virtutem latissimè vagari. Exemplum est Sol, cuius corpus in vno loco est, virtus autem porrò omnia peruadit. Humanus animus astra etiam superat, & inferos penetrat, attamen corpus in vno loco est.

Iterum dicit: Iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Hic habetur verbum relinquendi, sicut priùs habendi, quò minùs possint aduersarij dicere, Non habemus eum visibiliter. Cùm enim de visibili corporis sui subtractione loquitur, sic inquit: Modicum & non videbitis me, &c. Nec nisi præstigium aleretur, si corpus eius naturale adesse contenderemus, sed inuisibile. Cur enim visum fugeret qui tamen hic esset,

esset, qui se toties post resurrectionem discipulis ostendit? sed expedit vobis, ait, ut ego vadam. At si hic esset, non expediret ut eum non videremus. Ipse enim quoties discipuli ad eius intuitum hallucinarentur sese apertè exhibuit, ne vel sensus, vel cogitatus quicquam pateretur. Palpate, *inquit*, me: &c. Nolite timere, Ego sum: &, Maria noli me tangere, &c.

Cùm iam abiens discipulos commendaret Patri, dicebat: Ego posthac non ero in mundo, καὶ οὐκ εἰμὶ ἐν τῷ κόσμῳ Hîc habetur verbum substantivum, posthac non sum in mundo, non minùs quàm in his verbis, Hoc est corpus meum, ut neque hîc possint adversarii dicere tropum esse, cùm negent substantiva tropum recipere: Sed res his opus non habet. Sequitur enim: Hi autem sunt in mundo. Quæ antithesis manifestè docet, illum non esse pro humana natura in mundo, tum cùm discipuli essent.

Et ut sciamus quando abierit, non, ut illi fingunt, potiùs quàm exponunt, quando sese invisibilem fecerit, sic inquit Lucas: Et factum est cùm illis valediceret, recessit ab eis, & sublatus est in cœlum. Non dicit, Evanuit &c. aut invisibilem se reddidit.

De qua re Marcus sic: Dominus postquam locutus est eis, adsumptus est in cœlum, & sedet à dextris Dei. Non dicit: Mansit hic, sed invisibile reddidit corpus suum. Rursus Lucas in Actis: Cùm hæc dixisset, illis inspicientibus sublatus est ac elevatus, nubes autem suscepit illum ab oculis eorum. Nubes texit eum, quâ nihil fuisset opus, si solummodo aspectum sustulisset & aliàs adfuisset. Nec opus fuisset sublatione aut elevatione. *Ibidem*: Hic Iesus, qui adsumptus est à vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum ire in cœlum. Quid hoc est clarius? A vobis, *inquit*, adsumptus est: Ergo non erat apud illos, neque visibiliter, neque invisibiliter secundùm humanam naturam. Cùm ergo videbimus eum redire quemadmodum abiit, tunc sciemus adesse. Alioqui sedet secúdùm humanam naturam ad dexteram Patris, donec redeat ad iudicandum vivos & mortuos.

Cùm autem sint qui corpori Christi locum abrogent, & dicant, non esse in loco, uideant quàm apertè contra veritatem clausis tamen oculis eant. In præsepi fuit, in cruce, Hierosolymis cùm parentes essent in itinere, in sepulchro, extra sepulchrum, ait enim Angelus: Surrexit, non est hic, En vobis LOCUM ubi posuerant illum. Et ne possint dicere, corpus ejus esse ubique, audiant: Venit Iesus ianuis clausis, & stetit in medium ipsorum. Quid venire fuisset opus, si corpus ejus est ubique, sed invisibiliter? satis futurum erat, non venire, sed qui præsens erat sese solùm ostendisse. Sed valeant tam calumniosæ nugæ, quæ nobis veritatem tum humanitatis Christi, tum sacratum Literarum tollunt.

1530.

Hæc testimonia tollunt corporis Christi præsentiam tam ubique, quàm in cœlo, canonicè loquendo, hoc est, quantum nobis Scriptura constat de ingenio & proprietate corporis adsumpti. Quantumque antinomiæ cogunt, quæ, quicquid nobis de potentia Dei proponamus, nunquam tamen huc nobis torquenda est, ut facere Deum contra Verbum suum credamus. Hoc enim impotentiæ esset, non potentiæ, &c.

Quòd autem ore nostro naturale Christi corpus non edatur, ipse ostendit, cùm diceret conflictantibus de corporali esu carnis suæ Iudæis, Caro non prodest quicquam, ad edendum scilicet naturaliter: sed ad edendum spiritualiter, plurimùm, vitam enim dat.

Quod natum est ex carne, caro est: & quod natum est ex spiritu, spiritus est. Si ergo naturale corpus Christi ore nostro editur quid aliud ex carne, naturaliter mansâ: quàm caro fiet? Et ne leve videatur alicui argumentum, audiat alteram partem, Quod natum est ex spiritu, spiritus est. Ergo quod spiritus est, ex spiritu natum est. Si ergo caro Christi salutaris est animæ, spiritualiter manducatam oportuit, non carnaliter. Hoc etiam pertinet ad Sacramentorum materiam, quòd spiritu spiritus generatur, non re corporea, ut antè attigimus. Paulus monet, quòd si Christum aliquando secundùm carnem noverit, at iam non agnoscat secundùm carnem.

His locis cogimur fateri, verba ista: Hoc est corpus meum, non naturaliter, sed significativè perinde accipi oportere atque ista, Hoc est Pæsa. Agnus enim qui quotannis edebatur, eum ipsa feriarum celebritate, non erat transitus, sed prætcritionem ac saltum olim factum significabat. Huc accedit successio, quòd agno successit Cœna, quæ res monet similibus usum esse verbis Christum, servat enim Mimesim successio. Accedit eadem verborum compositio. Accedit tempus, cùm in eadem Cœna vetus Pæsa ponitur, & nova gratiarum actio instituitur. Accedit omnium μνημοσύνων proprietas, quæ nomen eius sibi vendicant, cuius mentionem ac commemorationem faciunt. Sic σεισάχθειαν vocabant

1530. Athenienses, non quasi quotannis æs alienum leuaretur, sed quòd Solon olim fecerat, isti perpetuò celebrant, & hanc suam celebrationem rei ipsius nomine honestant. Sic vocatur corpus Christi & sanguis, quæ veri corporis symbola sunt. Sequuntur nunc argumenta.

Vt corpus re spirituali pasci nequit, sic neque anima re corporali. Quòd si corpus Christi naturale editur, quæro an corpus an animum pascat? non corpus, ergo animam: si animam, ergo anima vescitur carnibus, & non esset verum, quòd spiritus ex spiritu tantùm nascatur.

Secundùm hoc quæro, Quid corpus Christi naturaliter perfectum efficiat? Si remissionem peccatorum, ut una pars perhibet, ergo discipuli adepti sunt remissionem peccatorum in Cœna: frustra igitur Christus est mortuus. Si comesum dispensat virtutem passionis Christi, ut eadem pars perhibet, ergo dispensata fuit virtus passionis & redemptionis antequam nata esset. Si pascit corpus ad resurrectionem, ut alius quidam satis indoctè asserit, ergo multò magis sanat nostrum corpus, & ab ægritudine levat. Sed aliter amat Irenæus intelligi, cùm corpus nostrum ali ad resurrectionem Christi corpore tradit. Vult enim ostendere, quòd spes nostræ resurrectionis firmatur Christi resurrectione. En lepidum tropum.

Tertiò, si corpus Christi naturale est in Cœna præbitum discipulis, iam necessariò sequitur, ut istud ederint quale tum erat, Sed tum erat passibile, ederunt ergo vulnerabile corpus, nondum enim erat clarificatum. Cùm enim dicunt, Ederunt idem corpus, sed non quemadmodum erat passibile, verùm idem, quale post resurrectionem fuit, obiicimus: Ergo aut duo corpora habuit, unum quod nondum esset clarificatum, & alterum quod esset: aut unum idemque corpus eodem tempore fuit passibile & impassibile. Et sic, cùm tanropere aversaretur mortem, nimirum voluit non pati, sed corporis ista dote vti, quâ indolens erat. Non igitur verè passus est, sed per hypocrisim, quâ nobis viâ Marcion pulchrè reducitur ab Andabatis istis. Sexcenta possent, ô Cæsar, argumenta adduci, sed his nunc contenti erimus.

Quòd autem Veteres, quæ postrema huius articuli pars erit, nobiscum sentiant, duobus testibus firmabo, iisque primis *Ambrosio*: qui sic in epistolam priorem ad Corinthios, super his verbis, Mortem Domini annunciate, &c. dicit, Quia enim morte Domini liberati sumus, huius rei memores in edendo & potando, carnem & sanguinem, quæ pro nobis oblata sunt, significamus, &c. Loquitur autem Ambrosius de cibo & potu Cœnæ. Et perhibet nos vera ista, quæ pro nobis oblata sunt, significare. *Augustino* quoque qui in Ioan. Tract. 30. Corpus Christi quod à mortuis resurrexit, affirmat in vno loco esse oportere. Vbi impressa exemplaria Posse habent pro Oportere: sed malè, nam & in sententiarum Magistro, inque Decretis Canonicis, in quæ sententia ista Augustini translata est, legitur Oportet. Quo palàm videmus, Veteres omnino non intellexisse de naturali esu corporis Christi, sed de spirituali, quicquid tandem de Cœna magnificè loquuti sunt. Cùm enim sciuerunt, corpus Christi in vno loco esse oportere, & eum ad dexteram Dei esse, non detraxerunt illud, vt dentibus hominum fœtidis subderent commolendum. Idem Augustinus aduersùs Adimantum cap. 12. tria ista, Sanguis est anima, Hoc est corpus meum, & petra erat Christus, συμβολικῶς, hoc est, vt ipse loquitur, in signo & significatiue dicta esse docet. Et inter alia multa huc tandem verborum venit: Possum etiam interpretari illud præceptum in signo esse positum. Non enim Dominus dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cùm signum daret corporis sui. Sic Augustinus. En nobis clauem, quâ vniuersos Veterum sermones de Eucharistia reserare possumus. Id quod tantummodò signum corporis est, dicis corpus esse appellatum. Eant nunc & nos hæreseos damnent, qui volent, modò sciant sese eadem operâ Theologorum columen damnare, contra Pontificum decreta. Ex his enim fit manifestissimum, quòd Veteres semper symbolicè locuti sint cùm corporis Christi in Cœna esui tantùm tribuerunt, puta, non quòd sacramentalis manducatio mundare animum posset, sed fides in Deum per Iesum Christum, quæ spiritualis est manducatio, cuius externa ista symbolum est & adumbratio. Et quemadmodum panis corpus sustinet, vinum vegetat, & exhilarat, sic animum firmat & certum facit de misericordia Dei, quòd Filium suum nobis dedit: sic reficit mentem, sanguine illius, peccata, quibus ipsa vrebatur, esse restincta.

Atque hæc inter alia sunt illa, de quibus ad Lutherum Philippus ex Comitiis Augustanis scripsit; Zuinglius misit huc Confessionem impressam typis: Diceres simpliciter mente captum esse. *Nec ita multò post quoque ad Buceru de eadem re in hanc sententiam scripsit:* Zuinglius huc misit ξενολόγιον, in qua certè non

1530.

non vult videri verbis discrepare à nostra sententia. Et præter rem tumultuatur in aliis quibusdam articulis. Videtur in homine magis Helueticus quidam, quàm Christianus esse Spiritus, qui impulerit eum ad tam ferociter scriptam epistolam. *Hæc sunt etiam illa, quæ Compilatores historiæ Augustanæ Confessionis*, blasphemas & abominandas phrases ac sententias *vocant*, ad quas piæ mentes non immeritò cohorrescere deberent: quæ etiam aliis ex Papistis & Lutheranis eas tumultuandi causas præbuerint, quibus mori non calamo, non linguæ, non manibus, non armis denique parcendum esse putàrunt, ut tam fœda, impia, blasphema & hæretica opinio eliminetur: *Cùm tamen benevolus Lector, & nullo pravo præjudicio fascinatus facilè intelligat: hæc Zuinglij omnia cum Verbo Dei & Orthodoxorum Patrum doctrina consentire.*

Quasi verò Helvetii soli Christiano spiritu careant.

Cùm autem Eccius in hac Zuinglii Confessione duo illa præcipuè reprehenderet Augustæ, Quòd Sacramenta per se non gratiam conferant nec dispensent: Quodque in sacra Cœna naturale corpus Christi, ore non edatur, *epistolam submisit Zuinglius 27. Augusti, in qua suam sententiam pleniùs explicat, seque contra Eccii calumnias defendit. De priore post multa sic dicit*: Cùm igitur omnis ista præsentia, nihil sit sine fidei contemplatione, jam fidei est, ista esse aut fieri præsentia, non Sacramentorum. Quantumvis enim sensum adducant aliquo modo, ad reverentiam rerum quæ geruntur, adhuc tamen nihil possunt ancillæ istæ, ni hera Fides priùs in pectoris solio imperet ac regnet. Quibus constat, Sacramenta non iustificare, aut gratiam facere posse: nescimus enim aliam iustificationem quàm fidei. Sequitur etiam, quòd gratia non est Sacramentis alligata. Nam si esset hoc, jam quocunque admoverentur, prodessent & repararent. Cùm autem id sit à vero alienum, sunt enim qui ptopter perfidiam iudicium sibi mandocant & bibunt, jam constat sacramentis non esse gratiam alligatam, & secundùm hoc nec iustificare, nec justificationem dispensare, sed fidem aut promissionem quæ priùs adest, suis quasi fomentis incitare, atque testari reliquis de Ecclesia membris. *Hanc suam deinde sententiam confirmat duobus illustribus Augustini testimoniis: quorum alterum extat de Trinit. lib. 15. cap. 26. alterum verò, libro Quæst. 3. quæstione 84.*

Zuinglius epistolà ad Cæsarem & Principes protestantes secontra Eccii calumnias defendit.

Ad posterius autem, quod Eccius in Zuinglii Confessione reprehendit, sic respondit inter alia: Cum multis mortalium nobis est dissidium de verbis Cœnæ, quasi velimus illa immutata esse, ut quidam, aut prorsus sublata, ut alii calumniantur. Cùm enim sic sonant, Hoc est corpus meum, iam ipsum sacramentum augustius est quàm si diceremus, Hoc significat corpus meum, ut omnino nihil velimus mutatum esse. Sublata verò è medio, quomodo cupiemus, quæ ne mutata quidem volumus? Habent ergo adversarii nostri verba ista: habemus & nos. Verba ista inconcussa illis maneant, nam & nobis immota manebunt, Hoc est corpus meum, quod pro vobis datur: Et, Hic est sanguis meus, &c. Dicunt adversarii. Hic præberi corpus Christi: Idem & nos dicimus. Vbi ergo dissidium est? Hic est: Dicunt adversarii corpus Christi naturale & substantiale præberi: nos sacramentale. Hic pugnæ: Respondeant igitur, an velint verba ista, Hoc est corpus meum, naturaliter intelligere, aut spiritualiter? Hoc est, an corpus suum præbuerit naturaliter edendum, an spiritualiter? nam inter naturale seu corporale, & spirituale, non est medium, etiamsi universa, Creatorem & creaturas in unum cogas, aut spiritus erunt, aut corpus. Quæro igitur, an naturaliter ac corporaliter, an spiritualiter præbuerit corpus suum ad edendum? Si dicant spiritualiter, jam ceciderunt sententiâ, & ad nos transierunt. Si dicant corporaliter, jam negabunt sua placita. Dicunt enim corpus edi, sed non corporaliter: quæ quidem declinatio verborum est, non rei. Nam si Christi corpus corporaliter & naturaliter est corpus, & isti naturale corpus edunt, edunt etiam corporaliter nam aliter edere quàm est, frivolum est dicere. Nihil enim moror ea, quæ me ignorare asseverat Eccius, corpus verum ac reale, at non corporaliter, definitivè, circumscriptivè esse in loco, & id genus nugas verba quærentium. Nos enim ad veritatis fontes recurrimus, & dicimus: Si corpus Christi finitum est, si verò clarificatum est corpus, quomodo & nostra erunt, jam corporaliter est, & verè est, eo modo quo clarificata corpora sunt. Quomodo igitur est, eo modo editur, si naturaliter editur. Nam, quomodo, à naturali corpore separari nequit. Si verò quomodo, ab eo separes, jam non est naturale corpus, sed spirituale, & iterum vicimus. Nã quomodo sit res, intellectu potest separari à re, at reipsa separari nequit: quicquid enim est, suæ speciei proprium & inseparabile habet quomodo sit, sine quo nunquam est, nec esse potest, quandiu ea species manet, quicquid tandem intellectus nostri separent, addant, colligant, disjiciant. Quod fortasse Eccius Sophisticà seductus non

Nota.

intelligit. Nos autem intelligimus & ſcimus nos vera & firma dicere, cùm teſtimoniis divinæ Scripturæ, tum D. Auguſtini ſententiâ fulti: qui Chriſti corpus in aliquo cœli loco ponit, propter veri corporis modum. Si verum Chriſti corpus modum corporis ſic habet, ut in aliquo cœli loco ſit poſitum, proprium ergo & inſeparabilem modum tribuit illi Auguſtinus. Cogemus igitur, qui naturale, ſubſtantiale, aut reale Chriſti corpus naturaliter, ſubſtantialiter aut realiter edere volent, etiam corporaliter edere, ſecundùm omnia quæ inſeparabiliter adſunt corpori, nam præter iſtos modos verum corpus non eſſet. Quod perpetuò clamamus, ſed etiam perpetuò fruſtra. Tenet odij, ignorantiæ & vanæ gloriæ affectus humanos oculos, ut non videant quod verum eſt aut infallibile, *&c. Et paulò poſt*: Satis vobis notum eſt, quàm frivolas gloſſas, quas verborum verſuras excogitent, qui ne victi videantur, nunc à divinis Literis ad Patres provocant, mox à Patribus ad nuda verba. Interrogate fidem veſtram, atque adeò mentem & cor veſtrum, & illa dicent, omnino ſpirituale eſſe quod hic ſaturat. Quod ſi confiteamini, cur diſſentimus? cùm nos idem & ſentiamus & confiteamur, &c.

Proteſtãtes Principes Zuinglio æquiores facti. Scriptũ editur, ut Zuingliani in fœdus à Proteſtantibus recipiantur. Landgravii ſtudiũ ad verã iucundã concordiã inter Lutheranos & Zuinglianos commendatur.

Proteſtantes Principes cùm hanc Zuinglii Confeſſionem, ejus denique ſcriptum contra Eccium ad ſe miſſum diligenter legiſſent atque perpendiſſent, non ita vehementer, ut antea, causâ nondum cognitâ, à Zuinglii doctrina abhorrebant.

Scriptum etiam quoddam jam antea editum fuit, quo magnopere ſuadebatur atque urgebatur, ut Proteſtantium Theologi Zuinglianos in fraternitatem reciperent, & Principes eos in ſuam ſocietatem admitterent. Hoc ſcriptum Principibus Proteſtantibus adeò non diſplicuit, ut à Landgravio, Philippo & Brentio id exhibitum, eorumq; iudicium de eo poſtulatum fuerit. Ingens hoc ſtudium Landgravii, & propenſam animi voluntatem ad veram & Chriſtianam inter Lutheranos & Zuinglianos ineundam Concordiam, David Chytræus quoque in ſua Hiſtoria Auguſtanæ Confeſſionis his verbis commendat: Poſtquam, *inquit*, in Colloquio Marpurgenſi D. Lutherus, Zuinglium, Oecolampadium, Bucerum, & eorum ſocios, proptereà, quòd in articulo de vera & eſſentiali præſentia corporis & ſanguinis Chriſti in Cœna Domini, diverſum à ſententia ſua docerent, pro fratribus agnoſcere & recipere noluit: Landgravius tamen, & alii boni & pacis ac concordiæ cupidi, non deſtiterunt in eo elaborare, ut diſſenſio illa de Cœna Domini piè componi & leniri, & Chriſtiana pax & fraternitas inter utramque partem conſtitui poſſet.

Quales autem duo illi Theologi Philippus & Brentius, lecto hoc ſcripto, ſum ſeſe præſtiterint, utque Principes ad Chriſtianam concordiam propenſiores fuerint, quàm Theologi, ex literis tunc temporis de hoc ſcripto, totoque negotio illo commutatis, manifeſtiſſimum eſt.

Philippi & Brentii literæ ad Landgravium de fraterniate cũ Zuinglianis.

Sic enim Philippus & Brentius Landgravio reſponderunt: Illuſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime, Scriptum de ineunda cum Zuinglianis fraternitate, nobis redditum, ſtudioſè diligenterque legimus: & C. V. humillimè oramus, ut noſtrum reſponſum clementer accipiat.

Poſſumus enim Deum vocare teſtem, nos nullius hominis amore aut odio in hoc negotio duci. Nam diſſenſionem hanc incidiſſe ex animo dolemus: nec quicquam nobis in hac vita ad acerbiſſimi doloris ſenſum gravius poteſt accidere, quàm quòd in hac cauſa videmus multos incertis & falſis opinionibus applaudere, ex quibus majores Eccleſiarum diſtractiones, & conſcientiarum perturbationes ſequuntur: per quas etiam: ſubinde ad alios errores, majori cum periculo conjunctos homines delabuntur. Cujus rei jam multa exempla extant.

Quidam enim, qui initiò duntaxat de Cœna allegorias in medium attulerant, iam eaſdem, in aliis articulis quærunt, nempe Campanus, Martinus Cellarius, Caroloſtadius, Felinus. Prætereà quieſcere non poſſunt, ſed aſſiduis practicis in eo laborant, ut per factiones & vim, ſi aliter non poſſint, errores ſuos tueantur & propagent: Vnde non ſolùm cruenta & horribilia bella, verùm etiam maiores diſtractiones in Eccleſia, & diſſipationes Imperiorum, aliquot ſeculis, imò ad finem uſque mundi vix reſarciendæ, conſequi poſſent. Deum immortalem, quàm triſte ſpectaculum eſt, horrenda iſta, vel tacitis duntaxat cogitationibus perſequi.

Perſuadeat ergo C. V. ſibi de nobis, nos ita non his rebus delectari, ut ſeriò etiam perturbemur, nec (de quo fortaſsè ſuſpecti quibuſdam eſſe poſſumus) captandæ laudis gloriæque causâ lites contentioneſque movere. Atque ideo etiam humiliter C. V. oramus, ut reſponſum noſtrum clementer audiat. Brevitati enim ſtuduimus, ne C. V. detineremus longiùs: Deinde, quòd non iudicaremus neceſſarium ad ſingula capita ſcripti nobis propoſiti reſpondere.

Initiò autem, quod ad Fraternitatem attinet,

tinet, fortassis Christiani, qui aliquo errore implicati sunt, nec tamen pertinaciter errorem defendunt, ut Fratres tolerari possunt, ut & ipse Servator Christus discipulos suos tolerabat. At qui doctrinam falsam non modò introducunt in Ecclesiam, sed etiam defendunt, pro fratribus agnoscendi non sunt: nullo enim modo falsæ doctrinæ assentiendum est. Quare quæ in eo scripto, quod nobis redditum est, de tolerandis infirmis prolixè agitantur, de iis demum infirmis intelligenda sunt, qui incerta dogmata sua non defendunt, sicut Paulus Galatas suscepit: & tamen de iis, qui falsam doctrinam defendebant, dixit: Utinam abscindantur, qui vos labefactant. Hæc nostra est hac de re simplex sententia, quam etiam speramus nos Deo approbaturos. Quomodo enim possumus cum adversariis fraternitatem inire, atque ita consentire, ut doctrinam suam velut veram & certam propugnent, cùm tamen conscientia nostra aliter sentiat & statuat, nec per disputationes illorum certa reddi queat?

Bono fortassis animo candidoque, author huius scripti disputationem istam instituit: sed de fide nimis frigidè loquitur, quia non magni referre putat, etiamsi in articulis aliquibus in Scriptura traditis erretur: nec necesse esse, ut certi simus de eo, quod credimus & docemus. At quando conscientiæ inter certum & incertum fluctuant, in judicio Dei severiori illo consistere nequeunt; sicut Paulus dicit: Quicquid non fit ex fide, peccatum esse. Magnâ ergo curâ diligentique rerum sacrarum experientiâ opus est, ut fides in severissimo illo judicio firma immotaque consistere possit.

Cur ergo Lutherus Landgravium à Sacramentaria controversia ad alia graviora negotia avocat?

Nec Articuli de Sacramentis, velut exigui momenti, parvi pendendi sunt. Cùm enim tota Ecclesia quotidie in Sacramentorum administratione occupata sit: magnæ & tristes offensiones & scandala existunt, cùm in illis erratur. Sed facilè conjecturam facere possumus, unde nova hæc Theologia proficiscatur, quæ parùm referre existimat, quicquid tandem in Ecclesia doceatur: ac Deo satisfactum esse judicat, si primùm quidem otio pacique studeamus, deinde vitam virtutibus politicis utcunque exornemus: Sed si ea perfecta & absoluta ad bene beateque vivendum ratio est, multi Philosophi Ethnici in numerum Christianorum erunt referendi. Nec de doctrina ex specie vitæ civilis, sed ex Verbo Dei iudicandum est.

Quantum ad secundam partem attinet, de Concilio urgendo: Si ea ratione Cæsarea Maiestas in hoc conventu procederet, sicut literæ Indictionis præ se ferunt, possetfanè pro Concilio agnosci. At, sive in Concilio, sive extra Concilium simus, officii nostri ratio flagitat, ut fidem nostram ingenuè profiteamur, nec alios impediamus, quò minùs doctrinam falsam prohibeant. Præterea diligenter cavendum est, ne nimiâ subtilitate, quæ tamé nihil habet certi, cursus doctrinæ veræ & certissimæ, impediatur, quod sanè jâ etiam aliqua ex parte fieri experimur. Videmus etiam Zuinglianos, non expectato decreto Concilii, Papistas & Anabaptistas persequi. Cur igitur alii injustè facere judicarentur, qui falsam ipsorum doctrinam, extra Concilium prohibent, præsertim cùm eâ prohibitione, vera & certa doctrina promoveatur, & pax conservetur?

1530.

Postremò C. V. propter Deum obsecramus, ne in hoc magno & arduo negotio de Cœna Dominica patiatur se à verbis Institutionis, ad nescio quas allegorias abduci. Nam in ordinationibus divinis, proprietas verborum retinenda est. Et quidem, si rationes, quibus Zuinglius movetur, conscientiis ita satisfacerent, ut in judicio Dei iis niti possent, facilè nos quoque allegorias ipsius approbaremus: sed scimus non posse conscientias istis argumentis acquiescere. Manifestum autem est, horribiliter eos peccare, qui incertam doctrinam pro certa tueri volunt, eaque ratione tetris distractionibus & bellis causam præbent. Nolumus enim C. V. celare, Zuinglianos qui hîc sunt, magnificè se iactare, quòd pecuniâ & viris instructi sint & quæ peregrinarum gentium auxilia habeant: Item, quâ ratione Episcopatus distribuere, & se in libertatem vindicare velint. Valde autem miramur eos, qui tantopere alioquin de christiana charitate gloriantur, talibus practicis sese dedere, in quibus parùm Christianæ charitatis, obedientiæ & patientiæ animadvertitur: ac etiamsi veram doctrinam tuerentur, talia tamen consilia, de quibus ipsi sese iactitant, nequaquam Christiana sunt, ex quibus horribilis Ecclesiarum & Politiarum confusio secutura esset. Profectò in re tanta, posterorum tamen ratio habenda esset, qui tali seditione excitata, nullam Ecclesiam aut politiam tranquillam habituri sunt. Adhæc omnia, metuimus etiam hoc ipsorum propositum infelicem exitum tandem habiturum esse. Oramus autem C. V. ut simplicem hanc nostram sententiam clementer accipiat. Nam Deus nobis testis est, nos in hac re commodum nostrum nequaquam spectare, sed Deum Opt. Max.

1530. ard ntibus votis orare, vt Cel. V. ab erroribus & omnibus malis custodiat. Videmus Diabolum horribilem Tragœdiam machinari. Quare cauendum nobis est, ne quid temerè agamus. Hæc C. V. breuibus respondere voluimus. Quòd si harum rerum explicationem copiosiorem C.V. à nobis requirit, omni diligentiâ & fide, vt nos debere fatemur, prolixius de re tota sententiam nostram exponemus. Deus Opt. Max. Cel. V. clementer tueatur. Amen. 11. Iunij, anno 1530.

Iudicium de hac Philippi & Brentij epistola.

Hæc Philippi ad Landgrauium epistola nihil ferè habet, quod non ea etiam, quæ ad Oecolampadium scripta, & suprà anno 29. commemorata est, habeat. Huic autem grauiter respondit Oecolampadius. Cumque Philippus postea deprehenderit reipsâ, non aduersarios, sed se in errore versatum fuisse, de ipsius sententia non ex hac epistola, & alijs, quæ veteri opinione & authoritate Lutheri occupato animo, sed quæ rebus meliùs consideratis & intellectis scripsit, iudicandum est. Hæc tota epistola nihil aliud habet, nisi Zuinglianos non esse habendos pro fratribus, & etiam absque legitima Synodo condemnari & excludi posse, quia doctrinam falsam defendant. Hoc autem antecedenti sublato, ruit etiam consequens. Quòd enim Zuinglianos cum Papistis & Anabaptistis confert, eiusdem erroris est. Nondum enim nostri errorìs conuicti erant, aut sunt, sicut Papistæ & Anabaptistæ. Quòd in fine est de seditiosis consiliis, id verè doctrinæ non æquum esset imputari, etiamsi talia à quibusdam eam profitentibus susciperentur. Sed non est pronunciandum de consiliis publicis ex priuatorum, imperitorum, aut maleuolorum sermonibus.

Landgrauij responsio ad Philippi & Brentij literas.

Ad hæc autem Philippi & Brentij literas Landgrauius ipse ad hunc modum respondit. Dilecte Brenti & Philippe, literas vestras legi, & clementer accepi. Quòd autem initio scribitis, Campanum, Martinum Cellarium, & alios, suis opinionibus, perniciosas sectas inuehere, valdè doleo. Credo etiam Zuinglium & Oecolampadium non minùs, quàm vos, dolere. Sed propter illorum opinionem non sunt alij innocentes damnandi: Alioquin dici posset, Lutherum etiam multis malis causam præbuisse, sicut Papistæ palàm dicunt.

Quod verò ad Scriptum, de Fraternitate cum Zuinglianis ineunda (quod non alio quàm bono animo à me vobis missum existimabitis) breuiter respondetis: Non esse pro fratribus agnoscendos, qui falsam doctrinam defendunt, & Pauli dictum allegatis: nescio sanè an ex eo dicto confirmari possit, quod vos inde deducitis. Iudico enim errorem illum de Circumcisione, rem longè diuersam esse à casu præsenti. Iudæi enim sentiebant, Circumcisionem necessariam esse ad salutem. Ideo eos reprehendit Paulus, Inquiens, velim ut abscindantur; Non dicit, vos Diaboli estis, & non ampliùs tolerandi.

Præterea hæc de Sacramento dissensio, illi longè dissimilis est. Siquidem nos unanimiter unum Christum credimus & confitemur, & per hunc solum saluari intendimus. Illi etiam quos errare dicitis, Verbum Dei in omnibus verum esse credunt. Tantùm de intellectu verborum Cœnæ aliud sentiunt.

Itaque mihi videtur, cùm in omnibus aliis articulis vobiscum consentiant & Christum eadem ratione, quâ vos, confiteantur: concedant etiam Christum in Cœna per fidem manducari, quæ manducatio ad salutem necessaria est: nec Omnipotentiæ laudem Deo adimant, sed iuxta analogiam fidei & secundùm Scripturam sic intelligenda esse verba sentiant, ut ipsi intelligunt: Cumque Christus, quia clarificatum corpus habet, quo venter cibari nequit, vix aliter manducari possit, quàm à credentibus & per fidem: hæc, inquam, cùm ita se habeant, mihi videtur sententia & responsio vestra durior, & non necessaria esse. Spero etiam, Deo dante, vos diligentiùs cogitaturos, & rectiorem sententiam sequuturos esse.

Quod etiamsi propter dogmatistas vobis non faciendum esse putaretis: tamen cæterorum etiam rationem habebitis, qui in urbibus illis habitant, ac etiamsi errarent, tamen pro errore illo non pertinaciter propugnant. Multi etiam in illis regionibus & urbibus idem vobiscum sentientes viuunt. Iam si tota aliqua regio, propter hoc dogma condemnari, & bello opprimi deberet: communis calamitas vobiscum consentientes & dissentientes inuolutura & oppressura esset.

Omnino autem spero, vos illius Spiritus filios esse, de quo Christus inquit: Filius hominis non venit, vt perderet, sed, vt saluaret, cùm discipuli ignem de cœlo descendere vellent, sicut fecerat Helias.

Neque opus est eos in hac ipsorum opinione à vobis defendi, sed tantùm tolerari & erudiri, & tempestiuè ac intempestiuè moneri, vt Paulus inquit. Hoc autem officium eis debetur, vt in ea doctrina, quam vos ipsi rectam esse iudicatis, eos tueamini & propugnetis non gladio, quod ad vestras personas attinet; sed verbo, & vocis ac scriptorum testimonijs adstipulantibus.

Scire

Scire etiam velim, an Lutherus Waldenses, qui eiusdem opinionis cum Zuinglianis esse dicuntur, sicut author scripti vobis missi indicat, Fratres nominauerit.

Quòd autem authorem scripti infimulatis, quasi de fidei articulis languidiùs sentiat: existimo fortasse vos ita sentire; quia ipsorum dogma odistis: Ego verò planè statuo, authorem non sentire, incertâ & dubia credenda & docenda esse, aut operibus & disciplinâ externâ in cœlum peruenirì, vt Philosophi censent: sed hanc eius sententiam esse, vbi vera fides sit, ibi bona opera & mores honestos certò sequi. Cùm igitur aliqui veram fidem & opera habentes, quasdam Scripturæ partes non planè eodem modo intelligant: hos tolerandos & non abijciendos esse. Nam qui non contra nos est, pro nobis est, inquit Christus, Luc. 9.

Quod autem ad Concilium attinet, existimo omnibus nobis opus esse, ne inauditi condemnemur. Quòd si hæc Comitia Concilium esse debent, nullum simile vnquam fuisse arbitror. Ac si omnes, qui Christum confitemur, decretum præsentis in hac vrbe conuentus expectare debemus, & tum aliter credere vellemus: ego sanè nihil me vnquam in Scriptura legisse mallem. Ego verò iuuante Deo, id nequaquam faciam. Certò etiam confido; vos bonos & doctos viros, quos iam pro columnis nostris habeo, ad huius decreti normam, consilia & actiones vestras, non accommodaturos esse. Quòd verò fidem vestram confitemini, id nemo vobis vitio vertet, & pia, ingenua & vera confessio omni laude digna est.

Sed vi & armis prohibere doctrinam, quæ nec articulum fidei aliquem abolet, nec seditiosa est, non iudico iustum esse: Et tamen erudiri cupio. Meæ sententiæ rationes tres sunt.

Prima. Quòd Christus inquit, Sinite zizania cum tritico crescere: Et Paulus: Quouis modo, siue per occasionem, siue sincerè, modò Christus prædicetur.

Secunda. Quòd Lutherus, cùm concionari & scribere cœpit, fideliter hortatus est & docuit Magistratum Politicum, non esse officij ipsius prohibere libros, aut conciones impedire: Quia Magistratui corporum solummodo & facultatum, non conscientiæ & animarum gubernatio commendata sit.

Tertia. Quòd Zuingliani, vt nominantur, nondum conuicti sunt, vt errorem suum fateantur, aut quòd talis error sit, qui contrà sublimem Maiestatem Dei pugnet.

Quòd verò Zuingliani Papistas persequi dicuntur: Id nunc primùm audio. Tametsi abusus Pontificios ab eis abrogari, non iniquum est, cùm operibus suis cœlum promereri velint, atque ita Filium Dei blasphement.

Quòd Anabaptistas persequuntur, non iniustè faciunt, cùm doctrinam seditiosam aliqui profiteantur. Intelligo tamen eos, qui non sunt seditiosi, à cæteris discerni & tractari mitiùs.

Postremò, Quòd de factionibus & practicis Zuinglianorum meministis: spero rem non ita se habere. Peto autem, vt indicetis horum rumorum authores, vt veritas patefiat. Non enim existimo Zuinglium & Oecolampadium eo animo esse, quòd Episcopatus diuidere; vel seditiones excitare cupiant. Quòd autem ipsorum Magistratus, multorum amicitiam & coniunctionem, in necessitate ipsis opem ferentium, expetunt, id reprehendi nequit, cùm N. ipse fœdera cum Ciuitatibus fecerit, & quotidie plurium societatem ambiat.

Quare concludens; propter gloriam Dei, & propter Ecclesiam & Rempublicam, vos obtestor, si omnino fieri potest, vt amicam & fraternam pacem, cum ijs, qui Zuingliani vocantur, faciatis. Cogitate, quantâ humanitate & lenitate Apostoli, & multi Patres inter se mutuò & erga alienos vsi sint. Scitis enim neminem cogi ad fidem posse, & corda primùm persuaderi oportere. Nam externa mandata & coactio nihil in hac re prosunt, sed institutione opus est, vt intelligatur cupere vos summâ fide Zuinglianos rectè erudire & non perdere.

Prorsus etiam non spero vos existimare, Zuinglianos vi ad fidem vestram cogendos, & bellum ipsis, doctrinæ, quam profitentur, causâ, inferendum esse. Quod cum omni Scriptura & ipsius Lutheri libris pugnaret, qui multa huius argumenti de Turcis, quorum fides prorsus impia est, scripsit. Sed de vobis talia non spero, etiamsi varia ad me perferantur. Vos vt respondeatis, peto.

Quòd me obsecratis, ne à vero intellectu verborum Sacramenti me abduci patiar: non est quòd dubitetis: Deo enim volente promissionibus diuinis confidam, & Verbo eius credam. Tametsi in hac causa vestram sententiam veram esse, expresso textu, sine glossa, certior reddi non possum. Sed libenter vos omnes & singulos

1530. los andiam, & rationem meam, veræ sententiæ captiuam dueendam VerbnDei præbebo.

Viciſſim autem vos, velut Fratres in Chriſto, monere volo, vt vobis-ipſis diligenter attendatis, & quorum oculi in vos coniecti ſint, conſideretis, & ea, quæ pacis ſunt, conſulatis & agatis, ne occaſionem præbeatis, vt Cæſar & Principes bello Zuinglianos inuadant, atque ira multi innocentes, etiam non adhærentes ipſorum doctrinæ, vnà cum nocentibus interficiantur: cuius Tragœdiæ periculum ad omnes pios in tota Eccleſia pertineret & poſtea in nos redundaret. Euenire etiam poſſet, vt ab vna parte Cæſar & Principes, ab altera Heluerij, Ciuitates & Ruſtici, ita ſeſe mutuò attererent & perderent, vt Magiſtratus etiam, Deo permittente, in periculum venire poſſent, & viduæ ac pupilli vitam & facultates amitterent.

Hæc veſtri monendi causâ ſcribo, & à vobis hac in re, non meam perſonam, ſed Dei glotiam ſpectari volo. Oro etiam, vt longiores meas literas ex animo amico & pacis cupido profectas, ſine tædio accipiatis. Libenter etiam còràm vobiſcum de hac cauſa prolixiùs eolloquar.

Landgrauius à fœdere non excludendos cenſet, qui veram communionem corporis Christi per fidem confitentur.

Hac Illuſtriſſimi Principis Landgrauij conſtans ſententia, de noſtris à fraternitate non excludendis, ſatis aſtendit, eum hos, qui realem, veram & ſubſtantialem communionem corporis Chriſti per fidem & ipſius Spiritum confiterentur, etiamſi corporalem & oralem in pane manducationem non admitterent, pro fratribus & ſocijs Confeßionis agnouiſſe, vtpote qua illos tantùm damnet, qui in Sacramentis vel nuda ſigna, vel res ſignatas cum ſignis ex opere operato accipi volunt.

Philippi & Brentij Reſponſum ad Landgrauij literas de fraternitate ac fœdere ineundo cum Zuinglianis.

His autem Landgrauij literis Philippus & Brentius ſequenti epiſtolâ ſic reſponderunt: Illuſtriſſime Princeps, Domine Clementiſſime, Reverenter C. V. gratias agimus, quòd literas noſtras elementer accepit: Nec dubitamus C. V. fideli animo, in hac cauſa, communem & publicam ſalutem multorum populorum ſpectare. Denuò igitur ſubjectiſſimè oramus vt C. V. eonſideratis cauſis, quas nuper indicauimus, ita ſibi perſuadeat, verè nihil nos petulanter in hac cauſa agere, ſed conſilia & actiones noſtras ita inſtituere, ſicut coram Deo nos rationem de ijs reddituros eſſe confidimus.

Nouit etiam C. V. nos duos, hactenus nec ſcriptis, nec aliâ ratione quidquam inhumanius adversùs Zuinglianos edidiſſe. Multos etiam in eorum numero bonos amicos habemus, ut maiorem nobis dolorem hæc diſtractio, quàm multis aliis, adferat.

Quantum verò ad Fraternitatem attinet, C.V. ſimplicem ſententiam noſtram legit, quòd in eam conſentire non poſſimus, propterea, quòd talis Fraternitas ſine ſcandalo iniri non poſſit. Neceſſariò enim ſequeretur, ut alij ſentirent, nos in eorum doctrinam conſentire, eamque confirmare, & ſtabilire, quam tamen coram Deo defendere & tueri nequimus.

Deinde C.V. facilè cogitare poteſt, multò maiora nobis à Cæſare pericula, quàm Zuinglianis imminere, multis de cauſis, quas recenſere nihil opus eſt. Itaque nihil adhuc conſtituere certi poſſumus, quomodo ſe res daturæ ſint, in petendo Concilio, non quòd fidem noſtram à Concilio primùm diſcere velimus, ſed vt aduerſùs iniuſtas perſecutiones & iniurias aduerſariorum per appellationem ad Concilium nos tueamur.

Si autem Deus gratiam ſuam largiretur, vt doctrina noſtra, quam certam & neceſſariam eſſe ſcimus, à Cæſ. M. deinceps etiam, ſicut hactenus, toleraretur: exiſtimamus id non impedire nos debere defenſione Zuinglianæ doctrinæ, ſi eam tolerare Imperator nollet.

Nos etiam, pro ſimplicitate noſtra, videre non poſſumus, Fraternitatem iſtam publicæ paci profuturam eſſe. Nam ſi C. M. perſequi Zuinglianam doctrinam vellet, nequaquam inſtitutum ſuum propterea mutatura eſſet, quòd nos Fraternitatem cum illis iniiſſemus. Imò maior & horribilior Tragœdia inde exiſteret, quod ſæpe in hac eauſa metuimus.

Præterea ſi noſtri malâ conſcientiâ & ſine fide Zuinglianam doctrinam defenderent, non valde gratum hac re officium Deo præſtituri eſſent.

Quod verò allegatur, populo parcendum eſſe, etiamſi dogmatiſtæ oppugnentur, reſpondemus, neque hic, neque in Concilio, de perſonis agi, ſed tantùm de doctrina, an vera vel falſa ſit. Hic vnuſquiſque ad edendam fidei ſuæ confeſſionem obligatus eſt. Executio autem contra doctrinam damnatam, non eſt in noſtra poteſtate. Et Chriſtianæ pietati conueniret, in executione diſcrimen ſeruari inter dogmatiſtas & populum, ſicut ſemper in Eccleſia ſeruatum eſt. Speramus tamen, ſi Ciuitates, quæ ſub Imperatore ſunt, obedientiam debitam præſtabunt, poſſe hanc cauſam ſine bello componi.

Rectè etiam & piè noſtro iudicio Principes & Ciuitates, Lutherani & Zuingliani face-

facerent, si nos, qui docemus, doctrinam nostram defendere finerent: nec armis nos, præsertim contra M.Cæs. defendere niterentur: sicut Dux Fridericus, laudatissimæ memoriæ, suo periculo Lutherum docere permisit, nec contra Cæs. M. eum tueri voluit. Si eodem modo nunc Principes affecti essent, nos miseri Ministri, leuiores curas sustineremus, & alacriori animo pericula subiremus, & Principes ac cæteri Magistratus magis quieti & tranquilli viuere possent.

Quod C. V. iudicat, auditos esse ex nobis sermones, quòd violentâ persecutione Zuinglianorum delectemur, iniustè sanè hac calumnia oneramur. Cupidissimi enim pacis sumus, sicut constat, nos semper inquietas practicas & rumulrus dissuasisse, & oràsse, vt nos doctrinam nostram ipsi defendere fineremur: sicut, Deo iuuante, in hoc etiam conuentu testabimur. Gloriari autem aliquos de Zuinglianis ad bellum instructis & paratis, verè apud C. V. affirmare possumus, in hac vrbe Augusta, in Rotuuilensis tumultus narratione & aliàs, auditum esse.

Illustriss. C. V. nouit hanc causam Dei, causam esse, in qua Dei auxilium expectandum sit: qui haud dubiè nostri etiam non obliuiscetur, si modò non nimiùm festinabimus illegitimis præsidiis & consiliis nos-ipsos tueri. Expectare nos oportet, quid Deus suo tempore acturus sit, nec præuenire illegitimis practicis, sicut Ezechias & alij expectârunt & auxilium oportunum consequuti sunt. In his periculis nos exercere fidem oportet, alioquin nunquam, quid sit fides, discemus.

Quare oramus C. V. vt patienter Dei auxilium expectet, nec nimium propter quærendis humanis auxiliis, quæ tamen sæpe etiam in bonis causis frustrantur.

Articulos doctrinæ eiusmodi habemus, de quorum veritate per Dei gratiam certi sumus, & quorum causâ pati bonâ conscientiâ possumus. Quæ in omnibus periculis magna consolatio est. Sed de Zuinglianæ doctrinæ, vt nominatur, veritate certi esse non possumus, cùm de ea clarum & expressum Verbum Dei nullum habeamus.

Hæc C. V. respondere breuiter voluimus, & subiectissimè oramus, vt C. V. literas nostras clementer accipiat. Si C. V. ampliorem declarationem requirêt, reuerenter C. V. morem geremus, sicut C. V. nos debere agnoscimus. Deum oramus, vt C. V. incolumem & florentem perpetuò seruet.

1530.

Cùm autem ne nunc quidem Landgrauij intercessione apud Theologos Lutheranos obtineri potuisset, vt Zuingliani in fratrum numerum recepti, ad communem subscriptionem reciperentur, quandoquidem Cæsar vnam tantum omnium Confessionem accipere volebat; tamen post exhibitam quoque Augustanam Confessionem, Bucerus non destitit, ineundæ conciliationis & concordiæ rationes, omni curâ & studio vrgere. Cumque apud Georgium Pontanum, Electoris Saxoniæ Cancellarium, aliquoties dixisset, de re ipsa inter se & Electoris Saxoniæ Theologos consensum esse, tantùm loquendi formas dissimiles hactenus vsurpatas, & secus quàm authorum sententia fuerit, ab altera parte acceptas, occasionem tanto certamini præbuisse, & totam controuersiam placido colloquio dirimi & componi posse: Pontanus scripto Bucerum sententia sua, viuâ voce apud se exposita, summam complecti iubet. Id autem sequenti epistola Bucerus præstitit Augustæ in Comitiis.

Bucerus rationes ineundæ Concordiæ quærit.

EPISTOLA M. BVCERI ad D. Georgium Pontanum Electoris *Saxoniæ Cancellarium.*

QVòd hesterna die M. V. pollicitus sum, me sermones illos, nempe quòd, Deo teste, nos in causa Cœnæ Dominicæ, verbis tantùm à D. Luthero dissentire dixi, breuibus articulis comprehensurum esse, istud nunc animo simplici, candidoque præstiti, ea complexus, quæ & solo conscientia mea & coram Deo vera esse iudico.

In verbis tantùm non re ipsa Heluetios dissentire à Luthero.

Subiectos igitur articulos ad vos mittens, reuerenter oro, vt in eum finem ijs vtamini, in quem à me sunt conscripti, nempe, vt Deo cooperante & faciente, dissensiones tam periculosæ vel penitus tollantur, vel ad minimum leniantur.

Quàm infelici conatu hactenus compositio illa tentata sit, & qui de ea peruulgati fuerint rumusculi, si considerare voluissem, causæ multæ, grauesque satis mihi in mentem venire potuissent, me monentes, vt rem totam intactam relinquerem. Sed cùm aliter iudicare non possim, quàm D. Lutherum, & alios ei coniunctos, qui nos fratrum albo expunxerunt, gloriam Domini nostri Iesu Christi ex animo & summa fide quærere ac promotam velle, facere non possum, quin omnes vias persequar, quæ mihi ad tollendas dissensiones & recupe-

1530. cuperandam concordiam aliquid facere videntur. Crucem hac ratione me non effugiturum, sed illâ me magis oneraturum esse certè scio. Nam Princeps mundi tantò sæuiet atrociùs, quantò nos diligentiores in consequendo regno Christi & componendis dissidijs fuerimus. Deinde hoc quoque verum esse necesse erit, electorum parurum esse numerum. Hi igitur licèt in omnibus vnum idemque sentirent: tamen à reliquis erroribus & næuis, quos Satan nonnunquam adspergit, aliter liberari non possent, quàm per vulnera Christi. Hoc dignitatem vestram nunc liberatam, iam pridem in Christiana sua vita per experientiam didicisse & cognouisse non dubito.

Controuersia inter Lutherum & Zuinglium in tribus consistit punctis. Omnia verò, quæ sum subiecturus, ea me credere & sentire, Deo ac conscientiâ meâ teste, profiteor, per hæc nullius fidei detrahens aut addens quicquam. Sed tamen pro vero affirmare non dubito, controuersiam inter Lutherum & Zuinglium & Oecolampadium, quantum ego intelligo, in tribus consistere punctis.

Quomodo scilicet verba illa: Hoc est corpus meum, sint intelligenda?

Quomodo homines corpus Christi comedant?

Qui illud accipiant?

1 Verba Christi, Hoc est corpus meum, quomodo intelligenda. Verba illa, Hoc est corpus meum, secundùm τὸ ῥητόν, non minùs, quàm Lutherus, vera esse dicimus, licèt aliqui ex nostris ea ita sint interpretati, vt vocabulum EST, pro verbo significat, & corpus, pro figura corporis acceperint, quæ duæ loquendi formulæ, vt Lutherus ipse in sua Confessione fatetur, vnum idemque significant.

Causas verò, ob quas illa verba nostri ita sint interpretati, & ob quas Lutherus interpretationem illam reiecerit, considerans, nullam prorsus dissonantiam reperio. Nostri enim his causis moti hoc fecerunt, quòd multorum hominum ea esset opinio, panem esse corpus Christi, & panem comedentem, Christum comedere, nullâ prorsus habitâ ratione gratiæ diuinæ & fidei. Quam opinionem non tantùm hactenus doctrinâ suâ Lutherus oppugnauit, verùm etiamnum oppugnat.

Alij deinde sunt, qui locutionem hanc, Hoc est corpus meum (de pane scilicet dictam) cum illa conferre voluerint: Hic est Filius meus: Id quod præcipuè scribendi occasionem dedit Oecolampadio, vt in Dialogo suo testatur ipse. Ac deinde factum est, quòd nostri panem corpus Christi substantialiter & corporaliter esse negârunt. Hoc autem & Lutherus in Confessione sua negat, perspicuis verbis, panem & corpus Christi, duas diuersas substantias & naturas esse, & sacramentaliter vniri demonstrans. Quòd verò Lutherus nostrorum interpretationem reiecit, ex eo (quantum ego quidem ex scripto eius iudicare possum) factum est, quòd præsentiam Christi, per eam in Cœna tolli & remoueri, sit arbitratus.

Nostri verò panem eiusmodi signum corporis Christi nequaquam esse dicunt, per quod corpus Christi abesse, vel non sumi denotetur, id quod multis scriptis editis hactenus testatum fecerunt.

Deinde & hoc manifestum est, ex hac locutione, qua Panis figura & signum corporis Christi esse dicitur, nequaquam sequi, quòd corpus Christi propterea non adsit. Aliàs enim de Augustino quoque dici posset quòd nudum panem in Cœnâ esse senserit, cùm tamen contraria sententia in libris ipsius vbique reperiatur. Nam contra Adimantum scribens his verbis vsus est: Christus non dubitauit dicere, Hoc est corpus meum, cùm daret signum corporis sui.

Cùm igitur nostræ partis Doctores per interpretationem suam, Christi præsentiam tollere aut negare nequaquam voluerint, sed in omnibus scriptis & libris suis eam sint testati, nec aliud quippiam, quàm hoc planum facere & obtinere interpretatione suâ studuerint, quòd panis non sit substantialiter corpus Christi: hac ratione vulgum à pane visibili ad Christum inuisibilem adducere volentes: equidem non de re, sed tantùm de verbis contentiones esse reperio.

Cùm igitur à veteribus & neotericis Ecclesiæ Doctoribus, multa sacræ Scripturæ dicta aliter explicentur, nec tamen ob hoc alter alterum condemnet, dum in sententia & sensu verborum error nullus committitur, certè aliter iudicare non possum, quàm & nunc ex Christiano amore idem fieri posse, cùm certè necesse sit, vt aliquando fateamur, hanc locutionem, Hoc est corpus meum, non simplicem, sed tropicam esse. Non enim verba illa explicatione indigere, vllus sapiens negat, nec à Scholasticis & alijs Doctoribus eodem modo declarantur. Adhæc Augustinus quoque & Hieronymus eo sensu, quo nostri, verba illa intellexerunt. Denique nostri causam suam nequaquam interpretationum modis aut formulis fundârunt: sed illud tantùm oppugnârunt, Panem Christi

Christi corpus substantialiter esse, vel corpus Christi corporaliter adesse crasso illo modo & intellectu, quo vulgus illud adesse opinatur. Nam Lutherus opinionem illam ipse reijcit.

2. Quomodo corpus & sanguis Christi adsint in Cœna.

Altera controuersia in hoc versatur, quòd quæritur: Quomodo corpus & sanguis Christi adsint? Nostri ea præsentia esse, & contemplatione fidei percipi, dicunt: id quod à nonnullis non maiorem Emphasin habere dicitur, quàm si quis absentis recordetur amici. Sed nostri præsentiæ illi multò plùs tribuunt, vt quæ per certissimum Dei Verbum, & potentem Spiritus sancti cooperationem consistat.

Quòd verò à verbis illis, substantialiter & corporaliter, abhorrent, tantùm ex eo est, quòd vulgus per illa eiusmodi præsentiam imaginatur & intelligit, quæ per motum fiat & localiter. In quo sensu nec Lutherus ipse hæc verba accipit. Equidem Lutherus fatetur, nostros, Dominum cœlos ascendisse, & mundum dereliquisse docentes, concludere, ipsum propterea in pane esse non posse, ac nostros de eo tantùm præsentiæ modo loqui, qui requiratur.

Si igitur alias loquendi formulas, quibus Lutherus in describenda hac præsentia vtitur, inter se confero, nempe quòd motum & localitatem (vt Scholastici) tollit: Item, quòd de locutione hac, In pane est corpus Christi, nolit contendere, sed quòd corpus Christi adesse, nec nudum panem & vinum exhiberi sciat, contentus esse velit: Item, quòd fatetur, Christum nihilominus per Verbum in Sacramento præsentem esse, licèt in aliquo certo cœli loco sit, vt flammula in certo Crystalli loco est, & tamen in omnibus tanquam præsens apparet: Item, quòd ipse omnesque sectatores ipsius dicunt, præsentiam illam per Verbum fieri: Item, quòd Brentius, os corporis panem, os verò fidei corpus Christi comedere scripsit. Item, quòd Philippus concordiæ causâ, Marpurgi deliberandum proposuit, de verbo ad verbum verumesse nostri sentiunt. Paulus non reformidat has figuras, Christus habitat in nobis. Quare nec nobis, ut credo, reformidandæ essent hæ locutiones, Christum verè adesse cum Sacramento, quandoquidem agat ibi. Nec Christus quidem dubitat dicere, Veniemus, & mansionem apud eos faciemus. Item Augustinus dixit, Filium hominis in vnitate personæ in cœlo fuisse, cùm in terra loqueretur.

Cùm igitur has locutiones penitus introspicio & considero, aliter iudicare non possum, quàm Lutherum ipsum & sectatores eius omnes fateri, neminem alia ratione Christi corpus vel dare, vel comedere posse, quàm in & per Verbum, atque ita contemplatione fidei, quæ deinde Verbum accipit & amplectitur, & per illud corporis & sanguinis Christi fit particeps.

Licèt enim D. Martinus scribat, fatendum esse, corpus Christi ore percipi, dentibus conteri, & alia plura, quibus loquendi formulis etiam Chrysostomus vtitur: tamen & hoc fatetur, corpus Christi per se non manducari, nec dentibus conteri eâ ratione, quâ visibiliter alia caro manducatur & conteritur: sed quæcunque in pane fiunt, ea propter sacramentalem vnionem de corpore Christi quoque dici & intelligi posse.

Adhæc sanctorum Patrum dicta, de Sacramento agentia, diligentiùs considerans; reipsâ experitur, eos nequaquam diffiteri; aut inficias ire; quòd corpus Christi verè sit in Cœna præsens & manducetur, ita vt semper corpus & sanguinem Christi animo & fide præsentia statuant & exhibeant, panem & vinum, corpus & sanguinem Christi nominando. Id quod Chrysostomus admodum perspicuè in libro de Dignitate sacerdotali significat, his verbis: Quando enim vides Dominum immolatum, & Sacerdotem sacrificio adstantem & propitiantem, omnesque illo precioso sanguine rubefieri, nunquid adhuc eum præsentem esse putas, & super terram stare? an non potiùs mox in cœlum transis, & abijciens omnem carnalem animæ cogitationem, nudâ animâ & purâ mente, quæ in cœlis sunt, circumspicis? O miraculum: ô Dei misericordiam, qui cum Patre sursum sedet, horâ illâ omnium tenetur manibus, & dat se volentibus accipere & amplexari.

Ex his omnibus plura testimonia, hæc vocabula, corporaliter, substantialiter, & similes locutiones confirmantia, adducere, & in medium proferre non possum: Quam sententiam & nostri probant, sed non secundùm communem & crassum vulgi intellectum. Atqui Lutherus ipse verbis illis vtitur, vt verum Christi corpus pro nobis crucifixum & passum, verè præsens esse & manducari doceat: Cui opinioni & nostri adstipulantur, vt Oecolampadius in Dialogo suo testatur. Ac certè de Deo locuturi fateamur necesse est, verba illa, Hoc est corpus meum, non plùs significare, quàm quod agitur, & quòd à credentibus contemplatione fidei fit. Id quod cum illo con-

1530. conuenit, quod M. Philippus, concordiæ causâ, tum seriò illic proposuit: Christus habitat in nobis, & mansionem apud eum faciemus.

3. An impij corpus Christi comedant.

Tertiò, de illo etiam controuertitur, an impij corpus Christi percipiant? In quo nostri eò respexerunt, quòd Christus illis: Hoc est corpus meum, dixit, quibus paulò pòst dixit, Quod pro vobis traditur, qui pro vobis & pro multis aliis effunditur, hoc est, ad veros discipulos tunc orationem conuertit. Cùm enim pro multis, & non pro omnibus sanguinem suum effusum iri dixerit, ipsum de ijs tantùm locutum esse constat, qui mortis & passionis eius verè participes facti sunt. Omnes item Patres, quæ S. Iohannes de manducatione, scripta reliquit, ad Cœnam retulerunt (vt & Christus hæc verba tempore Cœnæ protulit) quo certè Patres innuere voluerunt, Christum in Cœna non tantùm Sacramentalem, verùm etiam corporis & sanguinis sui manducationem & vsum ad salutem instituisse. Igitur Augustinus scribit, Discipulos manducâsse. Ac licèt Patres sæpe dicant, Iudam & alios impios corporis Christi fieri participes: tamen eiusmodi Patrum locutiones de Sacramentali vnione dictæ videntur, cùm impij panem & calicem Domini non percipiant. Hæc tamen controuersia facilè componi posset, si, quemadmodum Bernardus, loqueremur, qui triplicem ponit manducationem: primam Sacramentalem, quæ parùm prodest: alteram, quâ Christi corpus sine fructu percipitur: tertiam manducationem dicit esse credentium, qui hanc Cœnam à Christo institutam esse, ipsúmque corpus & sanguinem suum distribuere statuunt.

Quòd verò Doctorem Lutherum & sectatores eius, à nobis, quoad fundamentum, non dissentire dico, eius rei hanc habeo causam, quòd affirmant, corpus & sanguinem Christi, in & per fidem percipi. Nos autem, præter nudum panem & vinum, in Cœna Dominica nihil relinquere Doct. Lutherus scribit, licèt verba Christi non secus ac ipse, sectatoresque eius recenseamus. Verba verò Christi contemnentibus, vt impij faciunt, & quibus omnia, quæ Christi sunt, sordent, quomodo illa manducatio prodesse posset?

Igitur diligenter omnia perpendens (cuius rei Deus mihi testis est) reperire non possum, in quibus reipsâ dissentiamus, modò verbis conuenire possimus. D. Lutherus, ne panis tantùm & vinum in Cœna relinquerentur, eiusmodi locutionibus vsus est, quæ crasso Papistarum errori patrocinari multis visæ sunt: Qui homines à fide, ad externa sacrificulorum opera, & ab honore venerandi Sacramenti, ad impias Missarum pompas deduxerunt. Huic verò errori nostri occurrere volentes eiusmodi verbis vsi sunt, quibus verba Christi reprehendi, ac nihil præter nudum panem & vinum in Cœna relinqui, Doct. Lutherus existimauit, cuius tamen rei nostri nullam fecerunt mentionem.

Insuper ad Christi iudicium prouocans dico, me nihil dissimulare, sed ea dicere, quæ sentio, & quæ ab initio dissidiorum sensi, cuius rei mihi scripta mea testimonium perhibebunt, omnesque illi, cum quibus his de rebus commentatus fui, licèt me melius ea intelligere aut clarioribus verbis explicare posse nequaquam dicam.

Semper etiam ex animo optaui, vt cum M. Philippo & aliis doctis viris, omnibus depositis affectibus, in vera simplicitate (vt in rebus diuinis fieri æquum est) de his rebus conferre possem: sed hactenus id impetrare non potui. Deus, quæ ad nominis sui gloriam profutura esse nouit, faciat. Nobis certè periculosa scandala ex dissidiis illis prouenientia considerantibus; nihil optatius contingere posset, quàm si dissensiones tollerentur. Hoc impetrari posse, si spes esset, nullis molestiis aut laboribus parceremus.

Hæc omnia vt in bonam partem accipiatis, & ad pacem & concordiam iis vramini, rogo, & si fieri potest, efficiatis, vt cum M. Philippo, Domino meo charissimo colloqui possim. Deus, cui me commendo, nobis suâ gratiâ adsit. 22. Iulij.

POST-SCRIPTA.

Excidit, cuius cùm primis meminisse oportebat, nos de Incarnatione Domini, de Vnitate personali duarum naturarum in Christo, de Ascensione Domini, & ad dexteram Patris Sessione, ita credere atq; docere, vt præscripserunt Patres in Synodo Nicena, vt tradiderunt D. Hilarius, Augustinus, & huius ordinis alij, imò vt Doct. Martinus in Postilla sua docuit. Nam fingunt sibi quidam vestrûm, ob quædam aliis, quàm ipsi vti solent verbis, à nostris exposita, nos de hisce mysteriis perperam sentire, hancque præcipuam causam faciunt, cur nos Fratrum albo expunxerint.

Proinde quantum ad hæc attinet, secura sit D. T. nihil in nobis rectæ fidei desiderabitur. Siquidem rectè post Scripturas Orthodoxi illi Patres, ac D. Lutherus ipse

ipsehisce de rebus scripserunt. Horum admonere D.T. volui, ut si quid dominos & amicos nostros, eruditos vestros, de nostra circa hæc sententia causari contingat, ipsi subeat, quod verè respondeat. Quam Dominus incolumem servet, ac fœlicem reddat. In diversorio Legatorum urbis Argentoratensis, 10. Cal. Augusti.

Brentio mādatur ut cum Bucero de Cœna conferat.

His Buceri literis lectis, Iohanni Brentio mandatum est, ut cum illis colloqueretur: nec tamen cæterorum nomine quicquam promitteret, sed audita ad suos fideliter referret. Cùm autem Bucerus & socij, Electoris etiam Saxoniæ Theologos, ac Philippum inprimis, ad Colloquium placidum accedere optarent, ut collatis sententiis concludi & transigi faciliùs posset: Philippus sequenti epistola sententiam suam significavit.

Epistola Philippi ad Bucerum.

Brentius exposuit mihi summam Colloquii vestri. Neque ego recusarem vobiscum coràm colloqui, si nunc per certa negotia liceret. Nam ita velim persuadeatur vobis, me, sicubi dissentio à vestris dogmatibus, sine ulla acerbitate animi, sine odio dissentire. Mihi non videtur utile Reipub. aut tutum meæ conscientiæ, nostros Principes onerare invidia vestri dogmatis, quòd neque mihi, neque aliis persuadere possim contra Ecclesiæ authoritatem. Si tamen mecum per literas colloqui volueritis, promitto me illas ita asservaturum esse, ne quid inde periculi vobis possit oriri. Zuinglius huc misit ἐξομολόγησιν, in qua certè non vult videri verbis discrepare à nostra sententia, Et præter rem tumultuatur in aliis quibusdam articulis. Videtur in homine magis Helueticus quidam, quàm Christianus esse Spiritus, qui impulerit eum ad tam crociter scriptam confessionem. Magnopere velliem posse controversiam περὶ δείπνου κυριακοῦ sedari, de qua si quid ad me scripseritis, libenter respondebo. Valete, 25. Julii.

Bucerus & Capito respondēt Philippi literis de Zuinglio.

Ad has Philippi literas Bucerus & Capito sic inter alia responderunt: Quantum porrò ad Zuinglii Confessionem & Apologiam attinet, quo spiritu & jussu scripserit illam, indicabit spirituum ponderator. Nos nemini, aut certè perpaucis datum arbitramur, dum hac carne gravantur, aliquid ita pro Dei Spiritu gerere, ut ei caro nihil sui adiiciat. Non desunt etiam, optime Philippe, qui putent & Lutherum aliter fuisse admoniturum Ecclesiasticos nuper illo libello, si scribenti caro nihil sui afflasset: ut multa alia taceamus, quæ in eo & aliis suis scriptis in nos, sub nomine fanaticorum & hæreticorum præter verum torquere videtur. Atqui de quibus aliis articulis præter rem Zuinglius hoc suo scripto tumultuetur non videmus. Nam nihil attingit, quod non antea editis libris orbis judicio obtulerit. Et modò, cùm tanto Monarchæ, in præsenti theatro, fidei reddenda ratio fuit, dissimulâsse, quid quæso aliud, quàm malæ ipsum conscientiæ insimulâsset? Nobis profectò videtur, si unquam fortiter & ingenuè veritatem asserimus, hoc in præsentiarum, cùm judicare illam mundus instituit, præcipuè faciendum esse. Ita sanè solebant Martyres prisci.

Vtinam verò, quàm paulò antè cœpimus meditari modestiam, initio & progressu huius negotij præstitissemus, nec adeò tumultuari paradoxis, si non contra, certè præter nostram professionem libuisset.

At verò quod scribis, Zuinglium nolle videri, verbis tantùm dissidere, fatemur, sed cum ijs, qui crassiùs, quàm tu facere nobis videris, Christi corpus, vel pani vniunt, vel in pane collocant. Ipsum autem Seruatorem nostrum testamur, nos inter eius in Cœna præsentiam, quam ille constare scribit contemplatione fidei, & vos realem quidem, sed non localem statuitis, aut nullum, aut certè prætenue, quodque dum quæritur, euanescat, discrimen cernere. Longiùs abesse à nobis de veritate humanitatis in Christo videri possitis, cum proximo illo Brentij Colloquio, tum quibusdam eiusdem & aliorum scriptis: Verùm si quis & hîc remotis affectibus, veróque pacis studio, vtrorúmque sententiam excutiat, dispereamus, si aliam deprehensurus sit controuersiam, quàm quæ conueniri nondum potuit, de verbis, quibus hoc mysterium proponendum sit. Quî namque fieret, vt tantis in rebus non idem sentirent, quos idem docet agitque Spiritus?

De te nullum nobis dubium est, cùm tanti Patrum authoritatem, & quidem meritò, facias, ad horum loquendi formam te, si de isto tibi mysterio differendum sit, propiùs accedere. Nec Lutherus sanè Marpurgi ita inconsideratè, vt quidam, loqui videbatur. Hæc omnia videt tua prudentia, vir doctissime; quàm latè pateant.

Ad hoc abundè expertus es, quàm parùm scriptis hactenus ad restituendam inter nos concordiam profecerimus, cum colloquio illo Marpurgico, quamlibet tumultuario, ac longè, quàm oportebat in tanto negotio, breviori, aliquid tum dissensionis positum sit, & reliquum, ut nostra fert sententia,

1530. positum in dubio fuisset, si licuisset alteros alteris suam sententiam certiùs & dilucidiùs exponere. Perturbatis sic animis, rarò id legitur quod scribitur,& si legi contingat, ferè alio quàm scriptum est, interpretatione incommodâ rapitur. De fide alioqui tua in asservandis literis nihil dubitamus, quanquam eò quoque periculorum nos ipsos pridem ob Christi nomen, ut nos quidem nobis conscii sumus, adduximus, ut haud videamus, quid illis queat adjici.

Ne dubites autem & tu,nos præstituros, ut colloquium non minùs absque fraude tua habeas, quàm queat absque nostra agi literis.Stultorum siquidem hominum rumusculos contemnere docet, cùm effugere non liceat, quacunque demum ratione res instituarur. Vix nuper ad alteram horam cum Brentio de concordia collocuti sumus,& eo statim die,magnus quidam gloriatus est,nos huc venisse, ut recantemus. Christo vivimus,cui nemo verba dabit, tum bonis duntaxat probari cupimus: Jam nos vel nugæ istæ nihil movent, vel si præstringi illis oculos ad tempus contingat,veritas brevi istiusmodi fumos dispellens, rursum ad se revocat. Insolentem esse Christianum oportet, quem ista ab inquirenda pace saluteque frui remorentur.

Proinde te per Christum oramus, nisi omnem de nobis spem desponderis, tuum ad colloquium copiam nobis facere digneris. Veniemus quò & quando tu voles, ac eos præstabimus, de quibus nihil dubitaturus sis, Christi gloriam ex animo quærere, abesseque longè ab omni hac in causa fuco fraudéve.In reliqua vita quamlibet veri esse studeamus, id nobis usu venit, quod hominibus solet, ut etiam nos ipsos sæpe fallamus.

Hac in re autem, & in omni negotio doctrinæ Christianæ sic nos excussimus,ut dejerare liceat, nihil aliud nos, quàm Christi placita,quærere.

Scribis, te sine ulla acerbitate animi dissentire: Crede, hîc nihil tibi cedimus. Addis, te nihil hîc contra nos egisse: Nos & hîc & alibi, vos & vestra etiam defendimus,quæque defendere non licet,vel tacemus, vel lenimus: omnia, quæ in nos dira admodum & dicunt & scribunt, procul verò, zelo tamen Dei, sed intempestivo adscribimus,nec ulli nostram sic causam commendamus, ut non simul commendemus & vestram. Publicam pacem & nos nostro sanguine redimere optamus, sed quæ solida sit,quamque nemo dederit nisi Christus,cui Pater dedit omnem potestatem in cœlo & in terra, quique verò tum candidis & minimorum etiam rationem habentibus delectatur.

Vide verò in quàm longos logos,te sponsio ad unicum epistolium deduxerit. Quid futurum putas,si res tantas,per epistolas tractare velimus? sunt enim & alia, de quibus tibi errare videmur.

Et hodie narravit quidam, dixisse te primario cuidam partis adversæ Theologo, Zuinglium & me Bucerum recantâsse, in quæ Marpurgi consensimus, omnia, id quod absque causa dixisti, si modò dixisti. Nam omnibus illis adhuc adhæreo, & quidem ad sensum Lutheri. Nec discessit ab eis Zuinglius: quod tibi, & omni, qui judicio aliquo proditus fuerit, facilè comprobabo, si ad colloquium nos admittere videbitur.

Oro, paucis arbitris velis esse contentus, quia familiare Colloquium ambimus. Brentium & similes adesse optamus. Nos prærer Sturmium neminem adhibebimus, & si libet, etiam hunc mittemus. Dilectio namque vetat, aliud à vobis, quàm quod candidos decet, expectare: utcunque jactent nonnulli, voces quasdam dici & scribi parùm synceras, quæque non queant, nisi ex sinistro & præpostero nostri judicio nasci.

Bene vale, & quod te dignum hac in re arbitratus fueris, significa. Intervenit negotium nobis, alioqui quarto hinc die ista scripsissemus, ne putes volentes responsum hactenus distulisse. Ex diversorio Legatorum urbis Argentorati, 28. Iulii.

Tui Capito & Bucerus.

Etsi autem tantopere Colloquium amicum Bucerus & socij urgerent, tamen Saxonici, re deliberatâ statuerunt,scriptis potiùs,quàm vivâ voce,agendum esse. Et quia Cancellario Pontano, Brentio & aliis, Bucerus ostenderat,de verbis tantùm inter Lutheranos & Zuinglianos litigari,de reipsa consensum esse: Indicârunt, Bucero statum controversiæ, seu modum causæ, in quibus totum certamen consisteret,brevi scripto notata,mitti oportere:De quibus, si apertè & ingenuè se ille declararet, ulteriùs in tractatione causæ procedi,& syncera ac durabilis Concordia constitui posset.

Saxonici Theologi scripto potius, quàm viva voce cum Bucero colloqui volũt

Sequentes igitur ARTICULI, *statum controversiæ inter Lutherum, ac Bucerum & Zuinglianos cæteros principalem perspicuè indicantes, à Philippo notati, & per Cancellarium Pontanum Bucero missi sunt, adjunctis etiam literis Pontani, quibus de tota causa, suam & Theologorum Saxonicorum*

Articuli, quibus Saxonici Theologi statum controversiæ inter Lutheranos & Zuin-

gilano: judicare voluerũs.

eorum sententiam copiosiùs exposuit. Sunt autem hi.

Zuingliani sentiunt, corpus Domini tantùm in uno loco esse posse. *Item*: Corpus Christi non posse alicubi esse, nisi localiter: Et valde contendunt, quòd repugnet naturæ corporis, simul in diversis locis esse. Et propterea sentiunt, quòd corpus Christi sit in certo loco circumscriptum in cœlo: ita, ut simul nullo modo possit alibi esse, & quòd verè & realiter distet à pane, nec in pane, nec cum pane sit. Ergo non est, quod disputat Bucerus, quòd idem sentiat nobiscum. Nos enim dicimus, quòd corpus Christi simul possit in locis diversis esse, sive id fiat localiter, sive alio arcano modo, quo diversa loca personæ Christi simul, tanquam unum punctum præsentia sunt. Item veram & realem corporis Christi præsentiam cum pane ponimus. Bucerus nunquam audet dicere, si velit sententiam Zuinglii aut Oecolampadii sequi, corpus Christi realiter est cum pane, sine distantia Geometrica. Nos possumus has sententias allegare de præsentia corporis, Ego sum in medio eorum: Quia non alligamus corpus Christi simpliciter, ita ut necesse sit in uno loco tantùm esse circumscriptum. Hæc verba, Contemplatione fidei, nihil significant ipsis, nisi absentis Christi recordationem. Et Bucerus ipse offundit nebulas, cùm dicit, de his verbis, contemplatione fidei: Id à nonnullis non majorem emphasin habere dicitur, quàm si quis absentis recordetur amici. Sed nostri præsentiæ illi multò plùs tribuunt, ut, quæ per certissimum Dei Verbum, & potentem Spiritus sancti cooperationem consistat.

Hi præsentiam tantùm intelligi volunt de efficacia & Spiritu S. Nos autem requirimus non solùm præsentiam potentiæ, sed corporis, Hoc de industria dissimulat Bucerus.

Ipsi simpliciter sic sentiunt, quòd corpus Christi sit in cœlo, & non sit vel cum pane, vel in pane realiter. Et tamen dicunt corpus Christi verè adesse, sed contemplatione fidei, hoc est, imaginatione. Hæc simpliciter est sententia istorum. Fucum faciunt hominibus per hoc, quòd dicunt verè adesse, & tamen postea addunt, contemplatione fidei, id est, imaginatione. Sic iterum negant præsentiam realem.

Fides Brentio & Philippo est imaginatio.

Nos docemus, quòd corpus Christi verè & realiter adsit, cum pane vel in pane.

Videtur autem mihi Bucerus hinc insidias struere.

Primò: Cùm dicit, nos unà convenire, scilicet, quia negamus Transsubstantiationem, sed dicimus manere panem.

1530.

Secundò, Quanquam dicimus, quòd corpus Christi realiter adsit, tamen non dicit Lutherus, adesse localiter, scilicet in aliqua mole, circumscriptivè, sed illo modo, quo Christi persona, seu totus Christus præsens est toti Ecclesiæ suæ & omnibus creaturis.

Tertiò, Hinc argumentatur Bucerus. Si Christi corpus adest illo modo, quo totus Christus præsens est omnibus rebus, sequitur, quòd corpus Christi sit in aliquo uno loco positum localiter: Et quòd aliæ res, quia habent loca dissita, tamen præsentes sint corpori non realiter, sed objectivè. Ita disputat tantùm imaginariam esse præsentiam. Sed Bucerus decipitur hac imaginatione: Quia nunquam concedit realem & veram præsentiam. *Item*: Nobis est dicendum quòd dicamus veram & realem præsentiam esse, & non disputandum, utrum sit localis, vel qualis sit.

Ad hos articulos, & literas adiunctas, Cancellario Pontano Bucerus sequentibus literis respondit. Habeo, *inquit*, gratiam tuæ D. quòd responsionem à M. Philippo mihi impetravit. Verùm si hic vir mea voluisset expendere, haudquaquam adiecisset, me de industria dissimulare, ipsum cum suis requirere præsentiam corporis. Novi hoc pridem, & si non novissem antea, Marpurgi tamen ab ipso in cubiculo D. Lutheri licuisset discere, cùm eadem, quæ hic scripsit, coràm mihi diceret. De eo autem in præsentiarum disputo, quam ipsi corporis præsentiam requirant, nimirum, quæ nihil motus, nihil loci requirat, constareque possit, ut Lutherus in sua confessione colligit, etiamsi Christus unum in cœlo locum occupet, non esse aliam, quàm quæ habetur contemplatione fidei. Verbo enim afferri Christi corpus, & fide percipi asserunt. Ecquis alius præsentiæ modus, quo diversa loca personæ Christi simul, tanquam unum punctum, præsentia sunt? Id quod fatentur in articulis, quos D.T. modò misit. Sed quid opus verbis? M. Philippus fatetur, sic esse corpus Christi cum Sacramento, sicut adest nobis iuxta hæc sua promissa, Mansionem apud eum faciemus; Ero in medio illorum: Ero vobiscum usque ad consummationem seculi. Item iuxta illud Pauli, Christus habitat in vobis. Iam idem & nos agnoscimus, & adducta loca intelligimus ita, ut sancti Patres. Horum itaque autoritatem cùm M. Philippus satis faciat, quid mirum, si videatur mihi se nobis convenire? Iterum namq; dico, nec ob

Bucerus respondet articulis obiectis à Philippo & Brentio.

1530. ob id offundo nebulas, hæc uerba, Contemplarione fidei, nobis plùs, quàm absentis recordationem significare. Id quoque in Dialogo suo Oecolampadius abundè testatus est.

Mirot autem cur offendat, quod scripsi: Die unsern strecken aber söllich gegen wertigkeit gar vil weyter/als die durch das unfehlend wort Gottes/ und gewaltige würckung deß heiligen Geistes beschehet. Cùm ipsi quoq; ita loqui soleant, per verbum Christi corpus afferri, & Pattes passim per virtutem Spiritus S. hic Christum præsentem fieri testentur. Si equidem hic significo præsentiam tantùm intelligi de efficacia, & Spiritu S. Idem & ipsi significant, cùm iisdem verbis urantor. Sed quid? & Oecolampadius satis superque testatus est, ipsum quoque Domini corpus nobis in Cœna præsens exhiberi, verùm ita, ut Chrysostomus, ut Patres reliqui crediderunt, nudæ animæ, & puræ menti, eique in cœlestia sublevatæ.

Cæterùm, credimus Deo possibile omne verbum. Verùm cùm Scripturæ Christi corpus, tam post resurrectionem, quàm ante in uno semper loco, corporis modo, nunquam in pluribus, ostendant, ego non ausim affirmare diversum.

Corpus Christi non esse alicubi, nisi localiter, non est nostra sententia, nisi esse alicubi, modo corporis, vel juxta proprias dimensiones intelligat. Verùm enim & totum Christum fatemur esse, ubicunque Christiani sunt, habitat enim in illis. Corporis naturæ repugnare dicimus, alicubi esse corporis modo, nec tamen localiter, sed non modo quovis.

Repugnare naturæ corporis, simul in diversis locis esse, affirmamus, sed ita ut Augustinus, ut Thomas, ut Bonaventura, ac multi alii, quos nemo unquam non inter Orthodoxos, quantum ad hanc quidem sententiam attinet, habuit. Hæc verba Augustini, Christum esse in aliquo loco cœli, propter veri corporis modum, vera credimus, & eo modo, quo in cœlis agit, simul alibi eum esse, in pane, vel cum pane, secundùm Scripturas, cum omnibus & Patribus & Scholasticis negamus.

Porrò cùm hæc sit D. Augustini sententia, à qua ne pilum latum discedimus, & agnuscat hunc M. Philippus sibi in negorio Eucharistiæ consentientem, propterea quòd passim fateatur, in Cœna Domini corpus verè præsens, qui fit, ut non & nos sibi consentire agnoscant, eadem fatentes?

De proprietate corporis Christi, fateor, nobis non convenit cum quibusdam, qui D. Lutheri sententiam defendunt, sed haud scimus an & M. Philippus cum illis faciat: Sed in præsenti de ea duntaxat controversia disputavi, quæ circa Cœnam est. Hujus verba vera agnoscimos, & tantam Christi præsentiam fatemur, quantam verba exprimunr, & quantam ex eis omnes Patres intellexerunt, nempe veram & realem. Quid ergo est, cur nos abiiciant vestri?

De proprietate autem humanæ naturæ in Christo, & ascensione eius in cœlos, ea credimus, quæ S. Patres, quotquot extant, tradiderunt, & Scholastici secuti sunt. Cum his pugnant quidam vestrum. Dum autem illos Christianorum albo ob id non expungunt, cur non & nos in illo ferunt?

De hoc autem non dubitet D. T. Sententiam hic quorundam partis vestræ, S. Patres nequaquam tulisse. Id testantur illorum Scripta. Nec dubito, si hæc de Eucharistia contentio non intervenisset, & illos nunquam in eam fuisse discessuros. Certè D. Martinus diversa in Postilla docuit, libro suo optimo.

Quod autem D. T. scribit, rem molestam sibi videri, si ob sola verba sit dissensio, pium id animum testatur. Verùm istuc tamen olim usuvenit etiam sanctissimis Viris. Nostros autem hisce de rebus non loqui, ut antea fuit solitum, mirari D. T. non debet, vulgum credidisse pleraque absurda, & pani tribuisse, quæ sunt Christi. Nostri certè initio tantùm contra vulgi errorem scripserunt. Sed quia videbantur Carolostadio accedere, & à D. Luthero deficere, scripta in eos à Luthero, & aliis sunt: Quæ jure debuisse nostros consutare, in eo præsertim sensu, quo vulgus illa accipit, agnoscet olim D. T. cum omnibus Deum timentibus. Posteriora quoque Lutheri & Brentii scripta puriùs de hoc mysterio, quàm priora, loquuntur. Vnde nihil insolens, ex posterioribus plùs concordiæ cognosci. Sed visum Domino est, nos nunc sic conflictari: dies autem declarabit, utri puriùs Christi gloriam asseruerint, & utri Christum rectiùs fuerint imitati.

Huic equidem gratias ago, quòd dedit tentare, quæcunque ullo modo ad concordiam factura speravi. Reliquum item, spero dabit, sive vitâ, sive morte testari, me hic Christi sensum syncериter sequutum esse. Viderint illi, quem spiritum sequantur, dum nec colloquio dignantur, & multa impingunt, quæ nemo vera faciet. Tuam D. Christus, cum Illustriss. Principibus, servet

servet & provehat ad gloriam nominis sui, & donet, id olim in nobis, ac totâ hac causâ agnoscere, quod Christi est: Quod cùm dabit fatebimini, nos nihil perperam hîc credidisse, aut docuisse. Interea velim docti vestri tantum candoris haberent, ut non aliorum dogmatum & consiliorum nos insimularent, quàm scirent sequi. D. T. hæc boni consulat. Novit enim Christus, me illa, nullâ alia causâ, quàm hominis Christi illustrandi scripsisse. In hoc feliciter valeat, & me sibi in Domino habeat commendatum. Augustæ 4. Augusti. *Anno* 1530.

Cur Philippus de vtor fœderis ineundi fraternitate & fœdere ineundo cum Helvetiis.

Quod igitur in primis his deliberationibus Augusta de fraternitate & fœderibus coniungendis cum Theologis Civitatum superioris Germaniæ, & Helvetiorum, durior, Philippi inprimis, & Brentii sententia fuit, id pracipuè ex præjudiciis & suspicionibus de illarum doctrina conceptis, factum est, ut ex præcedentibus liquet. Ac certè mirabitur posteritas, initio illorum certaminum inter partes dissidentes velut Andabatarum mare ita pugnatum aliquandiu fuisse, ut qua Iohannes Brentius in Exegesi sua super Iohannis Evangelium scribere se contra Zuinglianos putavit: ea ipsa Buceri sententiam complectantur, cum quibus & posteriores explicationes Philippi cögruunt.

Nota.

Huic Politica quadam causa accesserunt, Ne Augustana Confessioni addicti Status, maiori invidiâ & odio onerarentur apud Imperatorem, quem constabat infestiorem esse Zuinglianis, quàm Lutheranis: quòd hi nervum Pontificii regni, videlicet Missam, quam etiam Corsuum Imperator nominare consueverat, & qua ad hanc pertinent, in sua Confessione mollissimè attigerant: illi autem eam in sua Confessione apertissimè improbârant & damnârant. Ideoque nec patrocinium causa Sacramentaria suscipere, nec in hac causa dissentientes, eiusdem atque communis Confessionis socias admittere ausi fuerunt.

Præterea in Helveticis & superioris Germania Ecclesiis eiecta erant Imagines, & Statua Sanctorum, & plures mutationes ceremoniarum facta fuerant. Cuius emendationis ratia authoribus illius reddenda potissimùm esse videbatur, in tantis illorum temporum periculis.

Bucerus ad Lutherum Coburgum proficiscitur pacificationis causâ.

Cùm autem ad hunc modum nihil adhuc concludi de Concordia & Fraternitate cum Bucero & sociis ipsius ineunda potuisset, idque Pontificiis valde opportunum esset atque commodum: Bucerus verò constanter in eo perseveraret, suam & Lutheri sententiam in fundamenta ac reipsa convenire, etiamsi in phrasibus ac loquendi formis, dissimilitudo aliqua appareret. Propositiones novem de Cœna Theologis ad diiudicandum proposuit, quarum prima hac est:

Transsubstantiationem negamus.

2. Negamus item corpus Christi localiter esse in pane: ut si quis imaginetur ita contineri in pane corpus, sicut vinum in vase aut flamma in ferro candenti. 1530.

3. Interim autem affirmamus corpus Christi in Cœna verè adesse, & Christum re ipsa præsentem vero suo corpore veróque sanguine, & nos pascere verbis ad hoc suis quæ Ministri recitant, & sacris Symbolis pane & vino utentem.

4. Vt enim Baptismo virtutem regeneratricem; ita Symbolis Eucharistiæ ipsū Christi corpus & sanguinē exhiberi confitemur.

5. Percipi verò hæc dicimus sola, & simplici & inexquisita fide, ut D. Cyrillus inquit. Etsi non abhorreamus etiam ab his D. Chrysostomi verbis: ô ingens miraculum, ô magnam Dei benevolentiam erga nos, is qui sedet supra cum Patre illa hora omnium detinetur manibus: & dat se volentibus circundare, & complecti. Et si quæ apud hunc vel alios similia reperiuntur: Verùm ea, quemadmodum hic idem docet, intelligimus, ut abjecta omni carnali cogitatione, in cœlestibus hęc geri, & nuda anima, puraque mente cerni dicamus.

6. Fatemur quidem cum D. Augustino, Christum esse in loco aliquo cœli, propter veri corporis modum: nihilominus tamen & in Cœna verè, ac teipsa præsentem agnoscimus, non localiter tamen, sed modo huic Sacramento proprio, qui constat per verba: sed credita: & symbola sed fide percepta. Vtrumque enim confitemur sacramenta tantùm esse, cùm in usu sunt.

7. Pactum siquidem, quo credimus, pane & vino proposito, sisti nobis, adesse, & porrigi Christi corpus, & sanguinem, istuc cum his solùm esse initum, pro quibus illa immolata sunt, verba Evangelistarū testatur.

8. Fatemur tamen etiam, eos qui fide præditi sunt, ita se posse circa hæc facta, non ex fide habere, ut nihilominus rei evadant corporis, & sanguinis, non absentium, sed præsentium: id quod usu venit Corinthiis.

9. Omnino enim Christianorum Sacramenta præsentis Christi non absentis signa sunt, & testimonia.

Ipse, durantibus adhuc Comitiis, de cōsilio Electoris Saxonia & Legatarum Argentinensiū (qui considerabant periculi magnitudinem, quod ex eo dissidia oriebatur,) Augustâ Coburgum ad Lutherum profectus est, pacificationis causâ: & responsum dicitur accepisse non incōmodū.

Post Comitia Bucerus scripsit Luthero, eique articulos quosdam sua doctrina & sententia misit, in quibus modum indicat, qua Christus in Cœna verè percipiatur, nempe Fide, *& quòd* pra-

Buceriū Lutherō post Comitia scripsit

1530. doctrinam suam de Cœna declarat. Causa ob quam superioris German. Ecclesiæ Lutheri sententiam de Cœna hucusque non approbârint.

præcipuè opus sit, vt corpus & sanguis Christi in Cœna nobis exhibeatur, licèt ministerio Ecclesiæ ad id vtatur. Causam autem, ob quam superioris Germaniæ Concionatores Lutheri sententiam huc vsque non receperint, hanc esse, quòd ex scriptis eius collegerint, & omnino putârint, ipsum Ministro & externis symbolis nimiùm tribuere, & quidem idipsum quod soli Christo competat: Item, quòd corpus Christi naturaliter cum pane coniungat seu vniat, & localiter pani includat: Cyrillum autem & Chrysostomum hæc dona Intelligibilia *nominare, quòd corde & animâ tantùm percipiantur. Rogat igitur Lutherum, vt hanc declarationem recipiat, quò solida Concordia inter ipsos iniri possit.*

Sed ipsa verba literarum Buceri adscribemus, quæ sic habent: Gratia Domini augeatur tibi, Præceptor obseruande. Semper quidem visum est haud tantum inter nostrorum, & tuam de veritate præsentiæ Christi in Cœna sententiam interesse, quantum vulgò creditur. At nuper lecto Dialogo Oecolampadij, in quo Veterum hac de re sententias excutit, certus mihi factus uideor, prorsus nihil inter vos variare. Nam cùm nolis contendere, Christum in pane esse localiter, & agnoscas, etiamsi Christus in uno cœli loco, corporis modo existat, posse tamen per verba & symbola verè præsens in Cœna exhiberi: planè non video, quid tuæ sententiæ pugnet, quòd nostri vel panem corporis Christi signum, & figuram esse, vel ipsum in aliquo cœli loco agere affirmant. Agnoscunt siquidem panem præsentis Christi signum ac figuram esse, non absentis: & sacris symbolis non tantùm eius recordationem, sed ipsum etiam Christum verè præsentem sisti. De his contuli cum doctissimo viro, Domino Philippo, qui sententiâ meâ in Articulis digessit, quos tibi mittit.

Mitto & ego Articulos, quibus eandem sententiam comprehendi, adiecta tamen ratione, qua Christus in Cœna præsens percipitur, nempe oculis mentis. Item, ipsius Christi præcipuè opus esse, ut nobis suum corpus, & sanguinem in Cœna præsentia exhibeat: licèt ad id utatur nostro ministerio. Scio enim nostros, quibus oportuit hosce Articulos transmittere, nihil aliud à tuo loquendi modo absterruisse, quàm quòd putent eam operi Ministri, & symbolis id tribuere, quod solius Christi est. Tum etiam pani Christi corpus vel naturaliter unire: vel localiter includere; id quod abundè Oecolampadius testatus est in Dialogo suo. Ne autem hæc te adiectio offenderet verbis usus sum Cyrilli & Chrysostomi, qui hæc omnia ὄντως faciunt. Cùm itaq; tu pro vera Christi in Cœna præsentia potissimùm pugnàris, quam fatemur: obsecro te per huius gloriam, quæ infausto hoc nostro dissidio plus nimio obscuratur; patiaris inter nos sanctam concordiam restitui. Nostros dicimus (id quod & res ipsa est) nihil aliud oppugnâsse, quàm dicere: Christi corpus pani vel naturaliter uniri, vel includi localiter. Te verò hoc nunquam affirmâsse, solumq; improbâsse, dicere: nihil nisi panem, & vinum exhiberi in Cœna & negare ipsum Christi corpus & sanguinem, per verba & Sacramenta verè præsentia sisti. Tum, quò maiorem authoritatem habeant verba in quæ conspiremus, profitebimur utrinque nostram de hoc mysterio fidem, & doctrinam, esse ac deinceps fore, quam tradit Canon Concilij Nicæni, & sequuntur omnes Veteres.

Accepimus nuper literas à Fratribus ex Galliis qui scribunt admodum feliciter apud se Evangelium glíscere: sed ita cursui ejus obstare infelix hoc nostrum dissidium, ut nisi componatur, haud sperent unquam futurum, ut Galliæ Evangelium publicitùs audiant. At si contingeret illud sedari, bona ejus spes est, brevi fore, ut Christus publicum apud ipsos obtineat. Nam Rex à veritate alienus non est, & jam recuperatis liberis non adeò à Pontifice, & Cæsare, hac quidem in causa pendebit. Tum nunquam suo officio deest Christianissima illa heroina Regis soror, quin & Procerum magnus numerus veritati jam accessit. In quadam Normandiæ regione adeò multi jam Evangelium profitentur, ut hostes ceperint eam vocare parvam Alemaniam. Interim autem, dum ut fieri solet, nobis dissentientibus, alij nostram, alij vestram de Eucharistia sententiam, quæ tamen reuera eadem est, licèt discrepantibus verbis proponi hactenus consueuerit, sequuntur: multi alioqui sanabiles ab Evangelio abalienantur: & præbetur telum hostibus, quo veritatem nuperam impugnent. Ipsi tamen, inquiunt, inter se non consentiunt, quod ij non solent, quos agit Spiritus Christi.

Hac ergo de causa, Fratres qui illic sunt, & redemptionem Israelis expectant, persanctè nos hortati sunt, idque jussu Reginæ Nauarræ, ut quàm liceat, diligentem operam demus, ut hoc tandem dissidium sopiatur: in quo certè ultrò currentibus calcar addiderunt. Spes quoque est, & te, cùm Articulos quos mitto, legeris, eódem propensurú: præsertim cùm non ignores quantú & nostrates uobis hostes hac de causa insultent, & pusillos fide offendant. Gloriam Christi

Christi & Ecclesiarum ædificationem solam quæro; nouit is, quem nihil latet; hunc precabor, ut eam tibi, & nostris mentem adspiret: ne ob verba, cùm re idem sentiamus, nostra dissensiune Ecclesias diuriùs turbemus. Dominus sit cum spiritu tuo, fortissime, Christianissimi vindex: Vtinam hic esses, & Christi negotium tu administrares contra hostes, quos nulla alia virtute, quàm carnis, & sanguinis instructos experiemur. Vale optimè. *Augustæ ex Comitiis Anno 1530. 25. Augusti.*

Tui studiosissimus

MARTINVS BVCERVS.

Bucerus ad Zuinglium & Oecolampadium proficiscitur, eisque spem concordiæ facit.

Hanc ob causam paulò pòst etiam ad Zuinglium profectus est, vt ei spem sanciendæ Concordia faceret. Zuinglius respondit, se pacificationis iustas & æquas leges non recusare: sibi tamen videri, quòd Lutherus à sententia semel concepta dimoueri non possit. Ideoque Bucero curandum, ne inanem laborem & sumptum ad hanc rem impendat.

Epistola Oecolampadij ad Bucerũ extat libro epistolarum eius & Zuinglij fol. 127. a.

De eadem quoque re cum Oecolampadio per literas egit: qui etiam per epistolam sic ei respondit. Cùm omnibus qui nobiscum confitentur & docent Iesum Christum verum Deum, & verum hominem in vnitate personæ, pacem libenter habemus: & fraternitatem, quantum in nobis erat, nunquam soluissemus, tametsi eosdem per infirmitatem aliquid veritati naturæ non derogans, de proprietate vel diuinæ vel humanæ naturæ illius minùs assecutos tolerare parati simus & eramus, scientes diuinitatis excellentiam, corporisque gloriosi dotes, humanum captum transcendere. Ferebat enim & Christus discipulos crassiores adhuc, & mysteriorum pondus gestare nondum valentes. Cyprianus martyr & ipse aliorum errores portabat, & errans à Catholicis non negligebatur. In Irenæo & Lactantio ac aliis, desiderabant Veteres non parum solidioris doctrinæ, nec tamen illos abijciebant. Etenim didicerant, omnem qui credit Iesum Christum, ex Deo genitum esse, 1.Ioh.5. Et in hac confessione solidatam esse aduersùs omnes insultus Satanæ Ecclesiam. Quare igitur, quem Christo capiti iunctum confidimus, temerè abijceremus? Confidimus autem & nobis, si quid humanum patiamur, eandem beneuolentiam à nullis Christianæ charitatis amatoribus denegandam? Quandoquidem pro nostro captu, non nisi dignissima Christo, & maximè consentanea Scripturis, sentire nos & docere, persuasissimum habemus: Et quoniam congregare, non dispergere, esseque pro Christo, & non contra Christum militare studemus: nobis etiam curæ est, vt Christo capiti, ita & eius membris gloriam illius promouere quærentibus adhærere. Iam si qui sunt, qui vicissim pro fratribus nos habere nolunt, & abijciunt: suâ culpâ vt periclitentur prohibere non possumus, tametsi casum illorum deploremus: Cæterum quod ad Sacramentariam causam attinet, sicut auersamur, tanquam sanctæ Ecclesiæ Christi, hostes, omnes qui contemptim ac prophanè sentiunt ac loquuntur de Sacramentis à Christo institutis: quales sunt, qui vulgarem Cœnam ex diuina faciunt, nihilque proponi præter panem ac vinum fidelibus in Cœna, irridentes autem, aut nudum absque efficacibus promissionibus symbolum ac ludum arbitrantur: Ita etiam non possumus assentiri iis, qui elementis supra id quàm decet, vel fidei analogia permittit, tribuunt. Quoniam enim D. Petrus non est veritus dicere, Et nos seruat Baptismus, non qui maculas carnis deponit, sed conscientiæ bonæ erga Deum responsio, per resurrectionem Iesu Christi: vbi nimirum prouidè de Baptismo & absque contemptu loquitur: & Paulus quoque ab elementis auocans, omnibusque renunciare audens, vt quàm amplissimam cognitionem Christi mereatur, vbique nouam creaturam & gratiam nobis commendat. Pertinet igitur etiam ad nos, Bonum est gratiâ stabiliri cor, non cibis, è quibus nullam vtilitatem consecuti sunt Patres, qui in illis versati sunt. Idcirco regiam viam incedentes, & nec ad dextram, nec ad sinistram declinantes, hinc contemptores ac prophanatores mysteriorum relinquimus: inde superstitiosulos, qui vel Transsubstantiationem somniant, quasi elementum panis vel vini non sit in Cœna, & sola illorum accidentia supersint: vel in pane, tanquam in vasculo vinum, locali (quæ corporibus propria est) continentiâ Christi corpus circumscribatur, vel vt ignis in ferro candente φυσικῶς contineatur. Fatemur autem panem ac vinum in Cœna Dominica principio ob institutionem Christi, & claram exhibitæ sacrosanctæ mortis illius annunciationem adeò sanctificari & consecrari, vt nihil augustius vel diuinius populus ille Dei prior habuerit: reique corporis & sanguinis Domini fiant, quotquot illo pane vescuntur indignè. Deinde ob fidem eorum, qui verbis Domini, promittentis & vitam ac remissionem peccatorum in sui corporis pro nobis traditione, & sui sanguinis effusione, credunt, cum magna animi alacritate ac gratiarum actione asserimus; verè pasci ac reficiani mas vero illo corpore & sanguine, vtpote corporum nostrorum alimoniam afferentibus,

1530.

Oecolampadij & Zuinglij doctrina de Sacramentis & Cœna.

1530. & ad resurrectionem sui diuini Spiritus virtute inseparabili vegerantibus: atque ita semper testati sumus adesse Christum ipsum in Cœna & congregatione fidelium. Et quamuis non dicamus corpus illud panaceum, vel pani vnitum, vel labiis ac dentibus propriè premi: non tamen ipsum à Spiritu diuino ipsius separari propterea vnquam diximus, imò separationem illam realem vti summam pestem execramur. Non enim ideo separatur corpus vel humanitas Christi à Deitate, quia hæc vbique est ac immensa: illa verò circumscripta, & certum locum occupans. Cum pace etiam ac vino symbolicῶs nihilominus & contemplatione fidei, corpus & sanguinem tradi & accipi dicimus. Vnde in tantum non abhorremus à modo loquendi Veterum, vt etiam non sine summa contumelia & dolore audiamus, non accipere nos in Cœna Domini verum corpus, sed vel panem solum, vel symbolum duntaxat corporis: quandoquidem hac iniuriâ nostræ fidei contradicitur. Asserimus item incredulos ac prophanos conspurcatores mysteriorum peccare in Christum ipsum, & reos corporis, ac sanguinis fieri, etiamsi nec corpus nec sanguinem Christi contingant, nisi συμβολικῶς. Non solùm enim spernunt panem ac vinum, vel solum symbolum, sed quod in Ecclesia sanctorum diuinum ac sacrosanctum est, in qua & Christus præsens est suis, vtpote Deus vegetans, pascens, regens, & defendens à peccati, à mortis, & ab inferni tyrannide. In qua confessione haud dubitamus nos, & quotquot sic sentiunt, Christo placere, & illi placentes in conscientia pacem bonam seruare, nihilque quod vel ad fidem, vel ad charitatem pertinet omittere. Eatenus mi Bucere accedere Lutheranis nos posse videor. Intelliges autem & ex Fratrum literis, quantâ & ipsis sinceritatis cura. Obscuritatem Ecclesijs nostris periculosam refugimus. Age mi Frater, vt de te Fratres sibi persuadent. Vale: *Tigri*, 3. *Sept. Anno* 1530.

a. Quidam inter disputandum de præsentia corporis Christi, visi sunt naturas duas in Christo confundere: hu tamen, dum ambas in veritate persona confiterentur, voluit condonare Oecolampadius, quòd de proprietatibus vtriusque natura non loquerentur ad normam prisca Ecclesia, & Patrum orthodoxorum, quorum fuit ipse obseruantissimus.

b. Vides ergo hic Oecolampadium nullam aliam coniunctionem panis & corporis Christi negâsse, quàm naturalem & localem.

c. Istud tradi & accipi συμβολικῶς & contemplatione fidei sic intellexit, quod proprium obiectum traditionis & acceptionis corporalis symbolum sit, fidei autem corpus Christi. Mox enim contumeliam summam, & iniuriam fidei nostra agnoscit, dicere nos in Cœna vel panem solum, vel symbolum duntaxat accipere.

d. Timebant Oecolampadius & Zuinglius, ne solidâ expressione exhibitionis corporis Christi cum pane, ingereretur iterum vulgo localis, & cum pane naturaliter vniti corporis Domini præsentia: indeque renouaretur superstitio falsa fiducia in hanc præsentiam, citra veram in Christum fidem. Hac insynceritas fidei & obscuritas illa est, quam illi timuerunt, quorum etiam causa illa, συμβολικῶς & contemplatione fidei libenter vsurpârunt.

Dum hac in Comitiis inter Protestantium Theologos geruntur, Cæsar Saxonem atque socios ad se vocat, & remotis omnibus aliis, ad hibitoque Ferdinando fratre, Episcopo Constantiensi, Hispalensi, Granuellano & Truchsessio, per Fridericum Palatinum inter alia eis denunciare iubet, Quia & Concilium cogi, & decretum hîc pacificum fieri petant, se, qui pacem inprimis optet, effecturum apud Pontificem, & reliquos Orbis Christiani Principes, vt vbi primùm conuenerit de loco, Concilium denuncietur: Hoc se recipere ipsis atque confirmare: verùm eâ lege tamen, vt interim eandem, quam ipse, quam alij quoque Principes, religionem sequantur, &c. *Illi, cùm deliberassent*, vt abolitos Ecclesiæ Romanæ ritus atque dogmata recipiant, non se posse bona cum conscientia, respondent.

Cæsar promissis Protestantibus concilium.

Vigesimo secundo pôst die Septemb. formula Decreti à delectis Principibus concepta biduo antè, Saxonem & Socios domum suam Cæsar euocat, inque pleno Senatu hoc Principum decretum, quod ad religionem pertinebat, recitari iubet: Saxonem videlicet atque Socios doctrinæ suæ Confessionem exhibuisse, quæ postea sit sacræ Scripturæ testimoniis confutata: multo deinde labore tam suo quàm reliquorum Ordinum eò rem esse deductam, vt illi quædam Ecclesiæ dogmata receperint, quædam repudiârint: Quod cùm ita sit, ideo se, quò demonstret, quàm sit amans pacis, quàm nihil impotenter aut cupidè faciat, singulari quadam benignitate ipsis largiri deliberandi spatium ad 15. vsque diem April. vt interea reputent secum atque statuant, num in ijs dogmatis, quæ reliqua sunt, idem quod Pontifex, quod ipse, quod vniuersus denique orbis Christianus, profiteri velint. Interea autem sese velle, vt pacem per Imperium colant omnes, ne Saxo Socijque noui quid interea de religione suis in ditionibus procudi patiantur; ne quid etiam innouent; ne quem

Decreti formula recitatur Protestantibus.

ad suam religionem pelliciant aut cogant; ne suæ ditionis homines, qui veterem religionem sequuntur, quominus id faciant, vlla ratione impediant; ne monasticis personis, quominus & sacra sua peragant, & delictorum audiant confessionem, & Cœnam Domini suo more administrent, vllum facessant negotium. Vt vnà secum & aliis Ordinibus deliberent, quomodo coercendi sint Anabaptistæ, & ij qui de Cœna Domini secus, quàm Ecclesia, docent, &c.

Ergo credidit Cæsar Protestantes idem de Cœna Domini sentire quod Rom. Ecclesia.

Principes verò, quia videbant, quonam conatus aduersariorum tenderent, hoc decretum recipere noluerunt: & ad illud postremum caput responderunt; Se id genus hominum, qui Sacramentum altaris contemnant, suos intra fines nunquam tolerâsse, verùm contrarias conciones illis opposuisse semper, &c.

Cæsar statuit, ne tolerentur qui de Cœna aliter quàm Rom. Ecclesia sentirent.

Post aliquot dies, Cæsar in omnium Ordinum cœtu, post multam enumerationem totius actionis, statuit, ne tolerentur, qui de Cœna Domini, secus, quàm hucusque seruatum sit, docent: ne quid in Missa vel communi vel priuata mutetur: Imagines atque statuæ minimè amoueantur, & quibus in locis ablatæ sint, ibi restituantur: Ecclesiæ Sacramenta sint eo loco & numero, quo antiquitùs: Ceremoniæ omnes Ecclesiæ seruentur: *& quæ sequuntur alia. Paulò pòst:* Hæc omnia rata sint atque firma: & si quæ sunt oppositæ, vel opponentur etiam exceptiones aut appellationes, locum nullum habeant. Vt verò decretum hoc valeat atque seruetur, quantum quidem ad fidem atque religionem pertinet, quicquid omnino virium atque facultatis concessit Deus, id omne, vita etiam atque sanguis huc impendetur. Si quis autem vim alicui intentet, Camera, simul ac interpellata fuerit, ei, qui vim vel arma parat, denunciet, vt ab incœpto desistat, & legibus agat: Si non obtemperabit, fiscus litem in eum instituat, & proscriptionem vrgeat: eaque promulgata, vicinos Principes atque Ciuitates moneat, vt ei, qui vim metuit, illicò succurrant, &c.

Landgrauij fœdus cum Tigurinis, Basiliensibus & Argentinensibus ob pericula imminentia à Cæsare.

CVM *autem hoc Comitiorum Decreto & Cæsaris Edicto, non solùm Zuinglij & Ciuitatum superioris Germaniæ, sed ipsius etiam Lutheri causa & Confessio Augusta exhibita, omnesque illi adhærentes, damnati essent: & nisi restituerentur in integrum omnia à se in religione mutata, & damnatam doctrinam abijcerent, grauissima dignitatis, vitæ ac fortunarum pericula, sibi velut contumacibus proposita esse viderent: aliqui etiam Principes, à Cæsare constituti esse Edicti executores dicerentur, ideóque singulis momentis Protestantibus apertum bellum à Pontificiis, sub Imperatoris Imperij nomine expectandum esset: Illustrißimus Princeps Philippus Landgrauius Nouembri mense fœdere sex annorum sibi coniungit Tigurinos, Basilienses, & Argentinenses. Argentinensis quoque Respublica iam antea, cum Tigurinis, Bernatibus & Basileensibus, qui & vicini, & religionis eiusdem erant, fœdus fecerunt in hunc modum:* Si vim patiatur, hæ, *quas dixi*, Ciuitates auxilia mittant atque copias, quantas omnino res ipsa flagitabit: sic tamen, vt in mille pedites, aureos bis mille menstruos dent Argentinenses, loco subsidij. Contrà, si vis ipsis inferatur, Argentina nullas quidem copias mittat, sed per belli tempus aureorum millia tria menstrua subministret. *Item*, cuius in Ciuitatis finibus, alterutrius partis hostes deprehendentur, non ferant impunè, sed eo loco sint atque numero, sicut belli ius atque gentium præscribit. Si vis vlla fiat simul omnibus, tum singuli suo sumptu rem gerant, & hostem quàm longissimè depellant. Argentina, pulueris tormentarij libras decies mille, Tigurum, & frumenti modios totidem, Basileam, pacis tempore, cùm erit opportunum, mittant: ex eo tamen nihil sumatur, nisi belli tempore, & vrgente inedia; tunc illud in ciues liceat distribuere, facta æstimatione pretij, quantum ex æquo videbitur: Veruntamen si auxilio proficiscantur Argentinensibus, puluere vtantur, quantum erit opus: in communi autem bello dimidiam pretij partem persoluant. *Decretum fuit hoc fœdus in annos quindecim, Ianuarij die 5. anno 30.*

1530.

Argentinensium fœdus cum Heluetiis.

Constantienses, & oppida Euangelici nominis in Heluetia ante hoc tempus fœdus fecerant, vt se munirent, & vim iniustam, quæ propter Euangelium inferretur, à se suisque depellerent. Fœdus hoc CHRISTIANAM CIVITATEM *appellabant.*

Christiana ciuitas.

Mense Decembri, Protestantium quoque Principes ac Ciuitates in Conuentu Smalcaldiæ, fœderis formulam concipiunt, cui statim quidam subscripserunt. Sed Argentoratum, Vlma, Constantia, Lindauium, Memminga, ad suos se omnia relaturos dicebant, vt intra sextam hebdomadam nunciarent, quid facere constituissent.

Smalcaldici fœderis formula à Protestantibus concipitur.

Quia Philippus consensum veteris Ecclesiæ in doctrina non immeritò plurimi fecit, ideo hoc anno sententias & testimonia collegit veterum aliquot Patrum, & quidem ea duntaxat, quæ pro se putabat facere; nempe; Cyrilli in caput sextum Iohannis, vbi reprehenduntur Iudæi, quòd offensi essent sermone Christi, de manducatione carnis: item in caput 15. vbi tractantur hæc verba, Ego sum vitis vera:

Philippus colligit Patrum testimonia de Cœna.

Chry-

1530. *Chrysostomi in cap.6. Iohannis, Homil. 45. & in cap.26. Matthæi, Homil.83. item de Dignitate Sacerdotum: Wlgarij in Matthaeum & Marcum: Hilarij libro 8. de Trinitate: Cypriani ad Cæcilium & Serm. de Cœna Domini: Irenæi lib.5 contra Valentinum: denique Augustini: Quibus probare voluit, hos Patres idem quod ipse & Lutherus de Cœna Domini sensisse & docuisse.*

Philippi vehemens epistola quam præfixit testimoniis Patrum.

Huic libello præfixit Philippus vehementem epistolam ad Fridericum Myconium, & sic de verbo ad verbum habet: Mitto tibi locos veterum Scriptorum de Cœna Domini: qui testantur illos idem sensisse, quod nos sentimus: videlicet, corpus & sanguinem Domini verè adesse in Cœna Dominica. Quanquam autem non pendeat fides ab humana authoritate, sed à Verbo Dei: tamen cùm Scriptura imbeciles à fortioribus confirmari velit, iuuat habere Ecclesiæ testimonia in omni genere tentationum. Vt enim viuos libenter consulimus, quos iudicamus vsum aliquem habere spiritualium rerum: ita & Veteres, quorum scripta probantur, censeo consulendos esse. Sunt & aliæ causæ, cur Veterum testimonia non contemnam. Existimo enim hoc communiter sensisse Ecclesiam, quòd isti scripserunt. Neque verò tutum est, à communi sententia veteris Ecclesiæ discedere. Quibusdam valde hebetes videmur, quòd in verbis Euangelij, HOC EST CORPVS MEVM, non videamus Metaphoram, nec intelligamus nos ab infinitis quæstionibus vnius beneficio Metaphoræ liberari. Videtur insania esse, sententiam omnium longè absurdissimam mordicus tenere, cùm aliam commodissimam offerat Metaphora. Hi desiderabunt in me iudicium hic etiam, quòd in his testimonijs hyperbolas & allegorias non deprehenderim. Ego verò non ignoro hæc σοφὰ φάρμακα, vt Poëta vocat, quibus medicantur has sententias alij. Verùm quid non poterit eludi hac arte, si licebit allegorias cõminisci nostro arbitrio? Quidam enim callidi homines totam religionis doctrinam hoc modo transformârunt in Philosophiam. Ego has sententias authorum sine glossematis nudas proposui, vt iudicium candido Lectori relinquerem, vtrum de corporali præsentia loquantur, an de sola efficacia. Ego quidem statuo [illegible] asseuerare, quòd corpus Domini verè adsit in Cœna Dominica. Nonnulli sine delectu maximum numerum testimoniorum congesserunt, in quibus pleraque sunt ambigua & obscura. Nos tantùm ea recitauimus, quæ videbantur esse quàm maximè perspicua. Origenes ludit suo more allegorijs, nec quicquam ex eo certi colligi potest. Apud Hieronymum extant loci quidam, qui vt non magnopere muniant nostram sententiam, tamen aduersariis nihil patrocinantur. Apud Nazianzenum nullam satis claram sententiam reperi. Ex Basilio citat Gratianus locum quendam, qui certè non aduersatur nostræ sententiæ. Damascenum non adscripsi, qui nostram sententiam copiosè defendit. Et quanquam non admodum vetus scriptor esse videatur, tamen opinor eum scripsisse hoc, quod diu iam senserat publicè Græca Ecclesia. Bessarion multorum autorum nomina recenset, quem optârim potiùs integras eorum sententias posuisse: præsertim cùm de re tanta iustam disputationem instituisset, & in ijs locis versaretur, vbi locupletissimæ bibliothecæ fuerunt: & ita abundaret otio, vt tam magnum librũ & plenas ἁμάξας λήρων aduersùs Trapezontium scripserit. Quædam ex Augustino Gratianus intempestiuè detorsit ad Cœnam Domini, quæ citantur contra nos, & multos vehementer exercent. Sed illum locum propiùs inspectum, comperiemus nihil ad rem facere. Duos locos ad summum, nec ampliùs proferunt isti, qui à nobis dissentiunt, ex scriptoribus veteribus ad sententiam suam confirmandam. Ego nouum dogma, quod maximam ruinam rerum maximarum secum trahit, sine firmioribus testimoniis non velim profiteri. Graue est enim sustinere conscientiam excitatæ tantæ discordiæ. Carolostadius primus excitauit hunc tumultum, homo ferus, sine ingenio, sine doctrina, sine sensu communi, quem nullum vnquam humanitatis officium aut intelligere aut facere animaduertimus, tantùm abest vt in eo significatio aliqua Spiritus sancti animaduersa sit. Imò extant manifesta signa impietatis. In tota doctrina solebat ἰουδαΐζειν ἢ [illegible]. Damnabat omnes leges ab Ethnicis conditas, contendebat in foro, Ius ex Mose dicendum esse, non intelligens vim & naturam Christianæ libertatis: totam illam fanaticam Anabaptistarum doctrinam statim initio τῶν ἀμφοῖν amplectebatur, cùm cœpisset eam in Germania serere Nicolaus Storck. Et controuersiam de Cœna Domini, tantùm odio Lutheri, non aliquâ pietatis opinione movit. Etenim cùm εἰκονομαχία ipsius à Luthero improbata esset, cœpit iste inflammatus immani cupiditate vindictæ quærere causam vendibilem, quâ Lutheri existimationem prorsus obrueret. Bona pars Germaniæ testari posset, me nihil in hac causa fingere. Quanquam si testibus opus sit, libelli

De Carolostadio mens Philippi.

ipsius

ipsius aduersus authorem dicent certissimum testimonium. In his apparet hominem ne ratione quidem aliquâ in speciem probabili motum esse ad scribendum. Quàm suauiter nugatur de demonstratione vocis τοῦ? Quod affert ad causam tantam Ecclesiæ veteris, aut vlius magni authoris testimonium? Quę vox est in tota disputatione, in qua sit aliqua pietatis significatio? Tantùm vociferatur, vt nunc solent homines βάναυσοι inter pocula, qui nullis fabulis, nisi maximè profanis, delectantur. Adhæc magnam librorum partem consumit in conuitiis, & homo insulsus studet etiam vrbanitatis laudem auferre. Quū tam imparatus ad tantam causam, is ostendit se aliquâ cœcâ cupiditate præcipitem ferri, non moueri ratione aut studio pietatis. Atque hic est huius fabulæ πρωταγωνιστής: nam Poëta alius quispiam est, qui nulli cedit hanc laudem inuenti dogmatis. Verùm hæc de Carolostadio scripsi propter vicinos nostros, vt si quid authoritatis est in nostro testimonio, admoniti caueant ab isto portento. Miras enim artes tenet, & mirè fucata officia, quibus se insinuat in hominum animos, tametsi naturam dissimulare non diu potest. Habet ingenium vehemens & inquietum: quare ambitionem, iracundiam, & inuidiam citò prodit. Inspexi & Wiclephum, qui valde tumultuatur in hac controuersia: sed deprehendi in eo multa alia errata, ex quibus iudicium de spiritu eius fieri potest: prorsus nec intellexit, nec tenuit fidei iustitiam. Ineptè confundit Euangelium & politica, nec videt Euangelium nobis concedere, vt legitimis omnium gentium politijs vtamur. Contendit Presbyteris non licere, vt possideant quicquam proprium. Decimas nullis vult solui nisi docentibus, quasi verò Euangelium vetet vti politicis ordinationibus. De dominio ciuili sophisticè & planè sediriosè rixatur. Ad eundem modum de Cœna Domini sophisticè cauillatur, publicè receptam sententiam. Apparet hanc causam & in veteribus Synodis agitatam esse. Nam in decretis citatur fragmētum symbŏli Ephesini non aspernandum. Vtinam verò isti, qui authoritatem Canonum defendunt, haberent veteres Canones de dogmatibus. Nunc enim ferè nullos habent, nisi nuper natos, de regno, de dignitatibus, & similibus rebus, nihil ad Ecclesiam pertinentibus. Ego veterum Synodorum authoritatem libenter sequor: & quantum existimare possum ex his monumentis, quæ alicubi inhistoriis reperiuntur, video eas prudentissimè & sanctissimè iudicâsse. Nam Synodus præclarè intellexit vim & naturam Christianæ libertatis, quæ contra fanaticos quosdam homines, Pepusianos opinor, & similes Anabaptistis nostri temporis, de vsu Politicarum ordinationum decreta piena pietatis condidit. Sed nihil opus est omnes Synodos recensere. Meo quidem iudicio magna est temeritas, dogmata serere non consultâ Ecclesiâ veteri. Itaque collegi hos locos de Cœna Domini, vt in promptu haberemus testimonia Veterum, in quibus affirmatur verè adesse corpus Christi in Cœna Dominica. Vale.

Philip-pus de Wiclefo.

Ergo Philippus hoc adhuc tempore Romanæ Ecclesiæ doctrinam de Cœna probauit

Sed non corporaliter & localiter

Sic quidem Philippus hoc tempore scripsit de Cœna Dominica contra eos quos aduersarios tunc habere putauit. Quemadmodum autem dies diem docet, sic Philippus etiam sequentibus temporibus longè aliter de hac ipsa causa & sensit & scripsit. Dicit quidem in hac epistola, Patres idem sensisse, quod ipse sentiat, videlicet corpus & sanguinem Domini verè adesse in Cœna Dominica. *Item*: Se has sententias Patrum nudas proposuisse, vt Lectores iudicent, vtrum de corporali præsentia loquantur, an de sola efficacia: *Item*, Se quidem statuere, eas μετρίως assueuerare, quòd corpus Domini verè adsit in Cœna Domini. *Progressu autem temporis cognouit Philippus, non simpliciter de præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna controuerti. Cumque ab ijs, quos aduersarios esse putabat, doceri intelligeret, κοινωνίαν, seu exhibitionem, & perceptionem & communicationem corporis Christi in legitimo vsu Cœnæ, non obiecit eis amplius, quòd omnem præsentiam negarent: aut quòd virtutem & efficaciam tantùm, non autem ipsam substantiam corporis communicari nobis sentirent: Rei enim nullo modo præsentis nulla potest esse communio. Animaduertit etiam sequenti tempore, ambiguam esse phrasin corporalis præsentiæ: neque propterea corporis participationem seu communionem negari, aut veram præsentiam eius ex Cœna tolli; aut Spiritum, virtutem & efficaciam tantùm substitui intellexit: Si in pane aut specie panis, negetur corporaliter præsens esse Christus. Et figmenta Transubstantiationis & Consubstantiationis sponte postea abiecit Philippus, vt quæ neque in Scriptura, neque in Antiquitate puriore testimonium vllum haberent: & præsentiam Christi in Cœna docuit esse non Physicam vel substantialem duarum naturarum panis & corporis coniunctionem, in vno eodemque loco vel subiecto: sed præsentiam in vsu talem, vt datis his rebus pane & vino, detur simul corpus & sanguis Domini, atque ita verè & substantialiter Christus in nobis adsit & sit efficax. Hanc autem præsentiam seu coniunctionem nominauit sacramentalem,*

Philippus sequentibus annis retractauit quæ in priore epistola ad Myconium scripsit.

Præsentia sacramentalis quæ

1530.

1530. *talem, quia positis his rebus in vsu, ponitur etiam præsentia Christi, citra mixtionem aut coniunctionem substantialem eorum, quæ* πρός τι *dicuntur. Hanc ergo veram præsentiam corporis Christi, cùm in omnibus scriptis suis posterioribus defenderit Philippus, facilè intelligitur, eum aduersus hanc ipsam sententiam non satis firmiter atque idoneè aduersariis, aut sibijpsi rectiùs priora illa sua declaranti, obiecisse hæc testimonia Antiquitatis.*

Responsio ad quadam loca epistolæ Philippi ad Myconium.

In eadem epistola scribit Philippus: Quibusdam valde hebetes videmur; quòd in verbis Euangelij, Hoc est corpus meum, non videamus Metaphoram, nec Intelligamus nos ab infinitis quæstionibus vnius Metaphoræ beneficio liberari. Videtur insania esse, sententiam omnium longè absurdissimam mordicus tenere, cùm aliam longè commodissimam afferat Metaphora, *&c. Respon. Quòd aliqui panem Metaphoricè dixerunt corpus Christi dici, vel Metaphoram generaliter de Tropo intellexerunt, vel ad Augustini dictum respexerunt, qui in epistola ad Bonifacium ex similitudine signi & rei signata ait, plerumque Sacramenta ipsarum rerum nomina accipere. Hæc Augustini interpretatio verborum Cœnæ non repudiari in vniuersum potest: modò cum ea coniungatur altera causa magis principalis, propter quam panis dicitur corpus Christi, de qua Theodoretus Dialogo* 1. Non, *inquit*, voluit Dominns Sacramentis vtentes intentos esse in natutam eorum, quæ cernuntur, sed ideo visibilia Symbola, appellatione sul corporis & sanguinis honorauit, vt crederent el, quæ ex gratia facta est, mutationi, quâ non quidem natura mutatur, sed gratia naturæ adjicitur: *id est, quòd iam non ampliùs nuda sunt elementa, sed Sacramenta fiunt accedente Verbo, in quorum vsu, ac perceptione fideli offertur nobis Christus & beneficiorum eius communio promissa in Euangelio: eaque per Spiritus sancti operationem magis magisque nobis applicatur fide.*

Quòd autem in fine epistolæ causæ sacramentariæ inuidiam conciliare studuit Philippus, qui Carolostadium rectè sentientibus obiecit: Respondetur, In omnibus controuersijs, ad causam ipsam, postquam moueri cœpit, potiùs respiciendum esse, quàm ad vitia hominum.

Responsio ad Epilogum libelli Philippi de sententiis Patrum. De alligatione Christi ad certum locum in cælis.

In epilogo autem huius libelli de sententiis Patrum ita scribit Philippus: Neque verò mihi quisquam persuaserit, Augustinum sic alligare corpus Christi ad vnum locum, vt nusquam alibi esse posse confirmet, præsertim cùm Scriptura nusquam affirmet, Christum vno In loco esse, vt alibi esse non possit. Quid enim alind afferri potest præter rationls humanæ iudicium? cur hoc modo includamus Christum in vnum locum? Quòd si satis esse putâssent Veteres, nunquam extitisset vlla controuersia de præsentia corporis Domini in Cœna. Quis enim non vidit absurda quæ inde consequebantur? Sed omnes ita senserunt, iudicium rationis debere Scripturæ cedere. Et idem author Ioannis sexto, de Christo inquit: Filium hominis, tametsi versaretur in terra, tamen in vnitate personæ in cœlo fuisse, *&c. Respon. In his multa sunt, quæ speciem manifestam habent sinistræ interpretationis nostrorum sententia. Nunquam enim docuerunt nostri, quasi in certa parte cæli tanquam inclusus carceri Christus sedeat: aut quòd in cælo sedeat vno affixus loco: Sed docuerunt, liberrimè Christum in cælo versari, & gloriosè regnare exaltatum supra omnes creaturas: neque in vno loco, vel certis tantùm locis & quasi cancellis inclusum esse, sed quolibet momento esse, vbicunque & quomodocunque illi pro sua maiestate collibitum est. Et hoc contenti fuerunt, Christum humanitate suâ post ascensionem visibilem & localem, vsque ad reditum & descensum ad iudicium, visibiliter & localiter, hoc est, secundùm dimensiones corporis retinentis perpetuò proportionem membrorum suorum etiam in gloria, versari in cælo, id est, in domicilio illo beato, Dei & electorum Angelorum & hominum, in quod nos quoque aliquando sursum recipiemur, vt ibi semper cum Christo simus, non quidem alligati ad certum locum, aut inclusi tanquam in carcerem, sed fruentes æternâ beatitudine & gloriâ, neque tamen deposito corpore & huius dimensionibus in spiritualem essentiam mutati: aut simul pluribus in locis aut vbique existentes, quod vnius naturæ infinitæ & immensæ est proprium.*

Philippi hoc tempore sententia de præsentia corporis Christi in Cœna.

Rursus ibidem Philippus sic scribit: Clara & aperta sunt testimonia Hilarij & Cyrilli, quæ affirmant corpus Christi adesse in Cœna. Neque ego vllam satis firmam rationem inuenio, cur ab hac sententia discedamus. Fieri potest vt alia sententia blandiatur otioso animo, quæ est magis consentanea humano iudicio: præsertim sic instructa & ornata argumentis eruditè cogitatis. Sed quid fiet in tentatione, cùm disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi à recepta sententia in Ecclesia? Tunc ista verba, Hoc est corpus meum, fulminabunt. Quid his opponet mens perterrefacta? quibus Scripturis, quâ voce Dei muniet se, ac sibi persuadebit necessariò fuisse hîc interpretandam Metaphoram? Non satis periti videntur horum certaminum isti, qui tam facilè serunt noua dogmata: qui sic delectantur Ingenio, vt magis admirentur vafrè cogitatas rationes, quàm

verba

verba Scripturæ. Ego scio quàm leuiter in tentatione excutiantur nobis è manibus rationes illæ dissentientes à Scriptura, quantumuis antea visæ plausibiles. Et accidit hoc in ista controuersia magis, quàm in aliis, quòd vniversæ Ecclesiæ, ac toti imperio minatur horribilem mutationem. Tanti scandali conscientiam sustinere sine claro & certo Scripturæ testimonio, quis possit? Ego itaque sequor veteris Ecclesiæ sententiam, quæ affirmat, adesse corpus Christi in Cœna: ac Iudico hanc habere Scripturæ testimonium. Non enim inuenio firmam rationem, cur nomine corporis in verbis Cœnæ oporteat tantùm absentis corporis signum intelligi. Quanquam enim sermo in sacris Literis plenus sit figurarum omnis generis, tamen plurimùm inter narrationes rerum gestarum interest, & inter ordinationes diuinas, seu dogmata de natura seu voluntate Dei. In narrationibus exponuntur res inter homines gestæ: vbi series factorum subiecta sensui, cogit nos absurdè dicta figuratè interpretari. Si in præceptis seu dogmatibus, quæ de natura & voluntate Dei loquuntur, idem conemur facere: quid consecuturum sit, facilè possunt homines erudiri existimare. Hic cùm absurditas impingit in alios clariores Scripturæ locos, seu fidei articulos, corrigenda est beneficio figurarum: sed si tantùm in rationem impingat, non in Scripturas, conuenit præferre Verbum Dei iudicio rationis. Necesse est enim certam esse sententiam illorum locorum, vnde dogmata seu articuli sumuntur. Quòd si nobis licet hos quoquo modo interpretari, deprauati poterunt omnia. Fuerunt olim astuti homines, qui hac ratione totam doctrinam Christianam transformauerunt in Philosophiam. Hi iudicabant Christianos, homines illiteratos, quia parùm astutè intelligerent ea quæ figuratè ac rectè dicta essent, multa absurda dogmata sine causa amplexos esse. Possem exempla recitare: sed habenda est ratio infirmi Lectoris. Facilè enim perturbantur imperitorum mentes. An nemo fuit nostris temporibus, qui significauit huiusmodi callidâ interpretatione pleraque dogmata mitigari posse? Abrahæ mandatum est, vt circuncideret præputium. Quis non irrisit inter Ethnicos? Neque tamen licuit illi, cùm instituceretur ritus, aliud suspicari, quàm quod verba sonant. Homo astutus poterat disputare, rem tam ridiculam nullo modo præcipi à Deo: sed significari, libidines esse coercendas ac frænandas. Hoc sum vsus exemplo, cùm alia multa reperiantur magis illustria: sed non velim sciens perturbare imbecilles animos. Nullus autem locus Scripturæ proferri potest, qui testetur Christum non adesse in Cœna, qui cogat interpretari verba Cœnæ allegoricè. Nec vsus Ecclesiæ veteris cogit ea interpretari allegoricè: tantùm repugnat verbis absurditas, quæ impingit in iudicium rationis. Hæc non est satis magna causa, cur a verbis discedamus. Si hoc genere absurditatis patiemur nos abstrahi a Scripturis, nibil habebimus præsidij in vlla tentatione. In afflictionibus iubemur petere, sperare, & expectare auxilium à Deo. An nihil causæ habet hic ratio, cur reclamet? Non cernitur præsentia Dei, si quid promisit boni, videtur alijs promisisse: videtur enim irasci nobis propter peccata. Hic maxima rationi dissensio est, cum promissionibus. Quàm difficulter persuaderi potest rationi, quòd Deo simus curæ, quòd afficiatur nostris malis. Hoc verò multò etiam difficiliùs persuadetur, quòd propter Christum gratis, sine nostris meritis in gratiam recipiamur, exaudiamur, defendamur, & adiuuemur. Itaque si hic vincent absurda, quæ sic rationi videntur, si pluris fient quàm Verbum Dei, nullam consolationem in afflictionibus habebimus. Nec pauciora absurda in tali certamine incurrunt in oculos, quàm in quæstione de Cœna Domini: sed hæc non mouent otiosos animos. Illæ Geometricæ & Physicæ speculationes magnum tumultum excitant in animo vacuo, & qui cõsueuit rationes quærere de doctrina religionis, & id facimus omnes, paulùm modò studiosi. Sed recurrendum est ad Scripturas, vbi cùm non inueniam testimonium, quod corpus Christi neget adesse in Cœna, aut interpretetur verba Cœnæ aliter, quàm sonant verba: non habeo rationem satis firmam nouæ sententiæ docendæ: præsertim quæ tanta scandala excitat, quæ ego scio non posse perfecti, nisi habeamus firma & certa Scripturæ testimonia. Me verò etiam alia multa in Scripturis mouent, de Christo dicta, vt verè eum adesse posse sacramento sentiam. Nec video causam, cur non ibi verè adesse possit, vbi verè aliquid efficit. Constat autem Sacramenta ad hoc instituta esse, vt per ea Deus moueat & exsuscitet mentes ad credendum. Non enim sunt instituta, vt tantùm sint notæ ac signa professionis, quæ discernant nos ab alijs gentibus, vt toga Romanos discernebat à Græcis, aut varietas vestitus discernit Monachos. Neque parùm refert in hac controuersia, verum

1530.

1530. rum vsum sacramentorum tenere: de quo magis prodesset Ecclesias fideliter docere, quàm de Geometricis speculationibus, quæ tantùm reddunt mentes prophanas, non alunt fidem aut timorem Dei.

Respon. sio ad hunc Philippi Epiphonema, Conscientia verbo Dei tranquilla redditur.

Hic scribit Philippus primò: Quid fiet in tentatione, cùm disputabit conscientia, quam habuerit causam dissentiendi à recepta sententia in Ecclesiâ? Tunc illa verba, Hoc est corpus meum, fulminabunt. Quid his opponet mens perterrefacta, *&c. Resp. Conscientia non anteceptis opinionibus, non cantoriâ aut fucatâ Scripturæ interpretatione, non consuetudine recentium temporum, sed Verbo Dei rectè intellecta munitur & tranquilla redditur, sicut etiam vera & perpetuo puriorìs Ecclesiæ consensu. Inuestigari igitur veritas debet in Scriptura, vt sit certa & indubitata πληροφορία, non persuasio aut opinio pertinax. Deinde diligenti obseruatione notanda sunt vera & indubitata puriora Ecclesiæ testimonia; Etsi enim, vt ipse Philippus scribit in epistola ad Myconium*, fides non pendet ab authoritate humana: *tamen cùm Scriptura imbecilles à fortioribus confirmari velit, iuuat habere Ecclesiæ testimonia in omni genere tentationum. Neque etiam à communi sententia veteris Ecclesiæ tutum est discedere. Vnde Philippus, qui hoc tempore sic scripsit, postea, cùm in tractatione de Concordia propiùs aspicere lucem veritatis cœpisset, & veteris Ecclesiæ sententiam in Scriptis Patrum diligentius ponderâsset, præteritis stipulis quæ in animo eius antea hæserant, vnum hoc deinceps præcipuè inculcauit*: Non quid pani, sed quid homini credenti communicetur in vsu Cœnæ.

Qui retineant τὸ ῥητὸν in verbis Cænæ.

Secundò scribit: Non discedendum esse à proprietate verborum, adeoque retinendum esse τὸ ῥητόν. *Resp. Si sensit, verba Christi ita retinenda esse, vt mendatij & falsitatis non sint arguenda; & neque panem neque corpus, si seorsim & in se considerentur, à propria significatione, ad aliam impropriam detorquenda esse, rectè sensit. Et si nostros his verbis perstringere voluit, quasi hoc modo verba Christi mendatij arguant, iniuriam insignem eis fecit. Docuerunt enim nostri semper, panem & vinum naturam suam non amittere, neque corpus aut sanguinem figuratum, aut allegoricum, aut meritum tantùm & efficaciam corporis & sanguinis, multoque minùs spectrum aut phantasma pro vero corpore Christi, quod pro nobis traditum est, substituendum esse. Quòd si verò Philippus τὸ ῥητὸν & proprietatem verborum eiusmodi statuit, in qua ne quidem quærendum sit, cur Christus panem corpus suum, & calicem Nouum Testamentum in sanguine suo nominârit? aut num simpliciter, propriè & naturaliter seu substantialiter panis & vinum pro ipsissima corpore & sanguine Christi habendum sit? nihil nisi Transsubstantiationem statuit. Omitto, quod Philippus ipse, ab initio, nihil minùs fecit, quàm quod τὸ ῥητὸν verborum Christi proprissimè sic dictum retinuerit: dum pro his verbis*, Hoc est corpus meum: *substituit, In, vel Sub hoc pane est corpus meum: neque hoc mysticè, vt Veteres sæpe locuti sunt, sed substantialiter & corporaliter intelligi voluit, quasi Christus dixerit, non panem suum corpus esse: sed sub isto pane, vel in isto esse substantialiter corpus suum. Scholastici autem ipsi, homines acutissimi, confessi sunt, non literam & proprietatem verborum retineri, si pro*, Hoc est corpus meum, *dicas, In vel Sub pane est corpus. Et rectè quidem. Non enim est propria, sed figurata propositio, in qua subiectum & prædicatum sic copulantur, vt prædicatum existat in subiecto, vel in loco, in qua hæret subiectum. Nunquam enim res aliqua propriè prædicari potest de alia re, in qua existit, vel cui est coniuncta, quantumuis arcta sit copulatio. Quare, si panis ideo est corpus Christi, quia in hoc pane est corpus Domini, nunquam probari poteris, hæc verba*, Panis est corpus, *esse prædicationem propriam. Similis ratio erit, si* Hoc, *de pane & de carne inuisibili sub pane interpreteris: & carnem tamen inuisibilem latentem sub pane dicas corpus Christi esse. Quicquid enim in hac contrauersia, de verborum Christi interpretatione in omnes partes disputetur, nunquam tamen euinci poterit: hæc verba*, Hoc est corpus meum, *ad propriam ac regularē prædicationem referenda, si sic exponantur*: Hic est corpus meum: *vel*, caro Christi sub pane existens, aut substantialiter vnita pani, est corpus meum.

Vbi quando dandus sit locus figuris.

Tertiò scribit: In præceptis seu dogmatibus non est locus dandus figuris. Quia necesse est, certam esse sententiam illorum locorum, vnde dogmata seu articuli fidei sumuntur. *Resp. Hoc quidem Philippus in libello isto Sententiarum multis verbis inculcat: postea verò in hac controuersia exercitatior factus, docuit, Certam quidem esse oportere illorum locorum sententiam, vnde dogmata sumenda sunt: neque tamen loca Scripturæ, quæ sunt sedes articulorum fidei & mandatorum Dei, prorsus, sicut verba sonant, semper accipienda esse: Cùm non minùs certitudinis sit in figurata locutione, quæ ad naturam rei, de qua agitur, accommodata est, quàm in regulari & propria locutione. Imò ad docendum aut monendum aliquid sæpe aptior est figuratus serma quàm proprius.*

Allegorica Scriptura.

Quartò scribit: Fuerunt olim astuti homines, qui hac ratione totam doctrinam Chri-

Interpretatio, & figurata locutio non idem sunt.

Christianam transformârunt in Philosophiam. *Item:* Nullus locus Scripturæ proferri potest, qui cogat interpretari verba Cœnæ allegoricè. *Respon. Pro similibus hic sumit Philippus, quæ sunt dissimilia. Non enim idem sunt prorsus, allegorica Scripturæ interpretatio, & figurata locutio. Neque etiam sacramentalis locutio, qualibet, aut nuda tantùm figura est, utrumque ob oculos ponens similitudinem rei signatæ: sed obsignationem seu testificationem certam de exhibitione rei signatæ ac promissæ in Euangelio semper comprehendi simul necesse est.* Hyperbole *est autem cùm ex eo, quòd verba Cœnæ ad sacramentales locutiones exemplo Patrum accommodantur: intempestiuè infertur, quasi licentia concedatur pro arbitrio illa interpretandi: Item, totam religionis doctrinam in Philosophiam transformandi. Non enim, qui panem, Sacramentum corporis esse dicit, & quidem tale, vt non significet tantùm corpus, sed etiam promittat seu exhibeat communionem corporis Christi, & beneficiorum eius, suo arbitrio interpretatur verba Christi: sed interpretatio illa sic est in sacris Literis & Patrum probatorum scriptis fundata, vt ab ea discedere nemini sit liberum. Eius verò licentia transformandi Euangelium in Philosophiam, aut temerè ludendi allegoriis in articulis fidei, exempla multa sunt in eorum scriptis, qui pro* τῷ ῥητῷ *in verbis Christi, tanquam pro aris & focis pugnant: Sic enim articulus de Ascensione ab istis transformatur in allegoriam, cùm cælum tantùm ad gloriam & beatitudinem cælestem detorquent: negantes interim, cælum esse locum aliquem cælestem, contra expressa & clara Christi verba,* Vado vobis parare locum. *Item,* In domo Patris mei mansiones multæ sunt. *Similiter Vbiquistæ dispensatione suâ fictitiâ, totum mysterium incarnationis Christi & nostræ redemptionis in meras allegorias & spectra conuertunt.*

Qui transforment Euangelium in Philosophiam, aut allegoriis ludant.

Quintò, ambiguitas est quòd Philippus initiò nostris obiecit, quòd nomine corporis in verbis Cœnæ intelligant tantùm absentis corporis signum. *Non enim nostri sic senserunt, quasi corpus suiipsius signum sit: sed panem Eucharisticum, exemplo Patrum, nominârunt signum corporis, verùm non simpliciter absentis. Sacramenta enim non sunt eiusmodi signa, quale est signum absentis Regis, imago eius depicta in tabula, sed sunt signa pactionalia, seu exhibitiua illarum rerum, de quibus loquitur promissio Euangelij, addita signis sacramentalibus hominis causâ, cui per fidem nitentem promissione Verbi Dei præsentissima sunt omnia, quæ alioqui vel temporis, vel loci respectu videbantur esse remotissima. Calumnia igitur est, quâ adhuc nostri onerantur de signo prorsus absentis corporis.*

Panis Cœnæ non est simpliciter signum corporis absentis.

Sextò scribit, Illas aduersariorum Geometricas & physicas speculationes magnum tumultum excitare in animo vacuo, & qui rationes quærat de doctrina religionis. *Resp. Non ex ratione, neque ex philosophicis speculationibus natam esse fidem, quæ Christo secundùm corpus, non modò essentiam, sed etiam proprietates essentiales naturæ humanæ ante & post glorificationem tribuit: sed ex ipso Dei Verbo & articulis fidei haustam, in Ecclesia Christi probatam atque receptam semper fuisse. Non enim ratio humana, nec Geometrica & physicæ speculationes, sed Verbum Dei nos docet, Filium Dei carnem factum esse: non Angelos, sed Abrahæ semen assumpsisse: similem esse per omnia fratribus suis, excepto peccato: in vtero Mariæ, non extra vterum conceptum: in præsepi, non extra præsepe positum: in Ægypto, non extra Ægyptum exulâsse: in Nazareth, non Hierosolymis etiam, itemque Romæ & Athenis educatum: non ante profectionem in eo loco fuisse, in quem se postea contulit: absuisse cùm moreretur Lazarus: in cruce, non extra crucem vulneratum: in sepulchro, non extra sepulchrum simul fuisse: post resurrectionem non fuisse ampliùs in sepulchro videntibus discipulis ex loco terræ inferiore sursum euectum, & excelsiorem factum esse, &c. Hæc omnia cùm in Scriptura extent, non licet à tot, tamque perspicuis testimoniis verbi Dei recedere, & contraria fingere, aut quæ contradictionem implicent, comminisci: quod illi faciunt, qui idem corpus Christi circumscriptum & non circumscriptum: palpabile & impalpabile: locale & illocale: visibile & inuisibile: finitum & infinitum, seu omnipræsens, citra omnem Scripturam imaginantur. Accedit huc articulorum fidei catholicæ & orthodoxæ professio. Denique Geometricæ & philosophicæ speculationes, non nostris, sed iis potiùs obiicienda sunt, qui veram Christi præsentiam in Ecclesia & Cœna non agnoscunt, nisi in his terris ad locum panis corporaliter præsens sit corpus Christi in patina. Tales enim reuera, Geometricis & physicis speculationibus de præsentia corporali in symbolis fascinati, nullam aliam admittunt præsentiam Domini, nisi quæ Christum quasi cælo detrahat, & pani includat localiter, vel aliàs in conditionem huius seculi, à cælesti sua gloria detrudat.*

1530.

Fides quæ Christo secundum corpus essentiales proprietates naturæ humanæ tribuit, non ex ratione, neque ex philosophicis speculationibus nata est.

Geometricæ speculationes quibus in Cœnæ negotio obiiciendæ.

Allegat etiam Philippus exemplum Abrahæ, cui, *inquit,* cùm mandatum esset, vt circumcideret præputium, non licuit, quantumuis ridiculum videretur Gentibus aliud suspicari, quàm quod verba sonabant. *Similiter etiam obiicit alterum mandatum Abrahæ datum de occidendo filio, ad defendendam præsentiam corporalem ad locum panis quã contendit contineri in* ῥητῷ *verborũ Cœnæ,*

Dissimilitudo exemplorum à Philippo adductorum & Cœnæ Dominicæ.

1530. *quod simpliciter secundùm literam, & sine aliarum sacramentalium locutionum collatione hoc adhuc tempore intelligi voluit. Respon. Ingens est hîc dissimilitudo. Abraham expressum & omnibus circumstantiis determinatum præceptum habuit de circumcisione, & occisione filij, vt dubitare non posset de voluntate Dei. Nusquam autem vel à Christo, vel ab Apostolis dictum legimus, quòd in pane substantialiter contineatur corpus Christi. Multa etiam in Verbo Dei extant, quæ conuincunt, panem non esse naturaliter aut essentialiter corpus verum Christi.*

Non conueniunt etiam cum hac causa exempla, quæ Philippus, statu controuersiæ nondum penitus cognito hîc etiam allegat de dubitationibus in piorum animis, quoties exercentur tentationibus corporalibus aut spiritualibus. Nam secundùm expressa Dei mandata in sacris Literis semper fide retinenda est promissio gratiæ, etiamsi amittenda sint omnia bona corporalia. Statuendum est igitur nos Deo caræ esse in omnibus periculis, atque adeò etiam in ipsa morte. De coniunctione verò, vel coëxistentia corporis Christi ad locum panis: nulla est promissio, nullum mandatum ad credendum à Deo propositum.

Iudicium de libello Philippi sententiarum ex Patribus. *Et vt summatim respondeam ad libellum illum Philippi sententiarum & testimoniorum ex Patribus, testimonia illa quæ collegit, aut non pertinent propriè ad statum controuersiæ, aut non faciunt contra sententiam aduersariorum: aut peregrinis nonnunquam interpretationibus ad consequentias ineptas accommodantur: aut denique notha sunt & supposititia, vt Philippus ipse fatetur, in Præfatione suorum Operum Basiliensis editionis. Adhæc, cùm Philippus sacramentalem præsentiam corporis Christi, quâ Christus adest, non propter panem, sed propter hominem, quæque vera præsentia est, in omnibus scriptis suis posterioribus defenderit, facilè intelligitur, eum contra hanc ipsam sententiam non satis firmiter atque idoneè aduersariis, aut sibijpsi rectiùs priora illa sua declaranti, obiecisse hac Antiquitatis testimonia.*

Oecolampadij Dialogus oppositus Philippi libello sententiarum. *Opposuit autem Oecolampadius ipse huic Philippi libello sententiarum ex Patribus,* Dialogum: *in cuius initio,* PRIMO, *generaliter respondet ad iam enumeratas obiectiones Philippi ferè omnes. Sic enim inter alia scribit:* Multa sunt in hoc Philippi libello, quæ etiam ipsi fatemur, nec opus est, vt contra nos frustra pugnetur, quasi ea negemus. Quædam etiam contra nos dicta putantur, quæ tamen pro nobis sunt. Itaque sicubi panis ille Dominicus, & Cœna sancta, atque θυσία ac φρικωδεστάτη & corpus Domini dicitur, non contendimus: nam & nos sic appellamus, non solùm quòd à Domino nostro Iesu Christo sanctè initiata & instituta, sed etiam quòd in ea sanctificatoris Spiritus sancti mirificam operationem fidelium pectora experiuntur. *Item,* non dicimus, panem hunc nudum quidem signum in Cœna: sed efficax, operante Spiritu sancto in fidelium cœtu: vt fiat nobilius quoddam & sanctius corpus, nobis Christo capiti in vnum corpus coadunatis. Hoc cùm dicimus, minimè Christum à Cœna abesse asserimus. Adhæc non auferimus è Cœna alimentum vitæ, carnem & sanguinem Christi, & Christum ipsum. Nam nisi animæ nostræ hoc pabulo fuerint pastæ, nequaquam vitam habituræ sunt. Præterea nunquam à nobis negatum est, quin Cœna etiam fidei seruiat, cùm excitandæ, tum augendæ. Vbi enim memoria mortis Christi tantâ pietatis deuotione recolitur, vbi promissiones tantæ recitantur, vtique suscitabula adsunt fidei, tametsi omnia operatio Spiritus sancti efficiat. Quamuis autem adijciamus, Dominum hæc & alibi absque symbolis operari, necessaria tamen sacramenta sunt. Demum licèt naturale corpus Christi in cœlo dicamus, non tamen Diuinitatem, quæ præsens adest, à corpore Christi auellimus. Hæc etiam in responsionibus, quas anno ab hinc quinto dedimus, legere licet: sed semper talia nobis obiecta sunt, quasi nobis sit panis communis, & qualem pistor coquit, vel signum nudum absque promissionibus: vnde & careamus pabulo animarum, sanctimoniâ, Christoque ipso. Quæ omnia vanissimè obiecta esse, scripta nostra testantur. *Rursus:* Dissidium magis est de modo præsentiæ vel absentiæ, quàm de ipsa præsentia vel absentia. Nemo enim tam obtusus est, qui asserat, omnibus modis adesse vel abesse Christi corpus. *Item:* Vrgent aliqui, panem Dominicum esse ipsissimum corpus Christi, ita vt quicunque siue pij, siue impij illo pascantur, non solùm panem & sacramentum, sed etiam corporaliter corpus Christi manducent, ac in os stomachi transmittant. Nos verò contradicimus, & elementum nequaquam in talem honorem euectum asserimus. Vt omnium dignissima creatura, in vnam naturalemque illius substantiam se vniat, vel ita naturaliter in eo contineatur, vt per ipsum, tanquam per medium canalem, transfundatur gratia, quam ipse Spiritus S. fidelibus concedit: & contactu vel gustu eius etiam impij, ipsum verum corpus Christi contingant ac edant, gratiæue par-

Status controuersiæ.

participes fiant. Habes vt scindamur, & quorsum Christi Patrumque dicta, pro suo quique sensu accommodent. *Iterum*: Exorditur Philippus, Veterum testimonia non esse aspernanda, & non tutum esse, à communi sententia veteris Ecclesiæ recedere. Quum autē, *inquit Oecolampadius*, nos hac viâ olim incederemus, pessimè traducebamur, quasi humanis traditionibus addicti, Verbum Dei reliquissemus, quo tamen & ipsi potissimùm nitebamur. Nunc videant quàm prudenter ipsi præ sua sapientia omnes contemnant. Conqueritur etiam, hebetes se habeti, qui beneficio vnius Metaphoræ, quam non vident in verbis, Hoc est corpus meum, à multis quæstionibus liberari possent, maluirque absurdissimam omnium sententiam sequi. Sapientia verò non est, Metaphoram, quam analogia fidei commendat & exigit, negligere, & verè absurda amplecti. Absurdum enim est quicquid fidei contradicit. Alienum autem à fide est, Verbum vniri alteri naturæ, quàm humanæ, substantialiter: aliter nos viuificari, quàm Christi incarnati & passi Spiritu: Corpus Christi dimensionibus exutum esse, & id genus cætera. *Rursus*: Sicut Metaphoram in verbis Christi non agnoscit Philippus, ita non sine aculeo, etiam testimonia Patrum sic simpliciter recipi vult, & allegorias ac hyperbolas σοφὰ φάρμακα appellar: quâ arte callidi homines, totam religionis doctrinam in philosophiam hoc modo transformârunt. Quid autem, *respondet Oecolampadius*, obtendet, si doctores ipsus suarum sententiarum interpretes fecerimus? erunt-ne & tunc astuta remedia? An non vbique gentium innocentissimæ fidei habetur, conferte obscura cum dilucidis, & incognita per meliora declarate? Quid tam facit ad contentiones & hæreses confirmandas, atque troporum omnium contemptus? quid iterum tantum obest erroribus, vt in tempore commonstrare, quid simpliciter, quid obscuriùs dictum? Et illi quidem vbicunque reperiunt scriptum corpus vel sanguinem, suum errorem firmari credunt, cùm doctores ipsi indicârint, quomodo velint verba sua accipi. Fidelis interpres, & à fraudibus, & à tyrannide cauet. Tyrannis est tempestiuos negligere tropos: sophistica autem & impostura, intempestiuos illos adhibere. *Item*: Philippus nudas absque glossematis, authorum sententias propositurum se pollicetur, relicto Lectori iudicio, an de corporali præsentia loquantur, vel sola efficacia. Atqui, *ait Oecolampadius*, magis proderat, Lectorem simplicem genuino istarum sententiarum sensu ex ipsis authoribus posito, non destitui. Et profectò multò satiùs erat, quàm tam acerbas appendices adjicere; & tam luculenti censurâ à libero iudicio iterum reuocare.

1530.

SECVNDO, *longè plura quàm Philippus citat Patrum testimonia Oecolampadius in hoc suo Dialogo; neque solùm ea profert, quæ pro se suaque parte stare videbantur, sed etiam ea, quæ Philippus contra ipsum adduxerat, cum multis aliis ab eo non adductis, sed quæ contra se facere visa fuerunt, explicat, & suam sententiam confirmare demonstrat: vt his simul diluat Philippi obiectionem:* Oecolampadium cum suis ex veteribus Scriproribus ad summum duos locos, nec plures ad confirmandam sententiam suam proferre posse: *vt sic more Rhetorum suum causam magnificam, aduersariorum autem contemptissimum reddat Philippus.*

IN FINE *ostendit, quomodo doctrina Augustini, Fulgentij & aliorum Patrum, de localitate corporis Christi, ad negotium Cœnæ pertineat, & præsentiam corporalem in pane prorsus excludat: & quòd hac sententia naturarum in Christo distructionem non inducat.*

Quòd si qui non alienis, sed suis oculis videre, & rectè de tota Sacramentaria hac controuersia iudicare volunt, ij cum sententijs ex Patribus à Philippo collectis, hunc Oecolampadij Dialogum conferant. Eum certè Bucerus etiam post constitutam cum Luthero concordiam tantopere commendat, vt in epistola ad Herephordensem Episcopum Retractationibus suis præfixa, in hæc verba prorumpat: Vtinam hunc Dialogum, quicunque in hac causa sunt, diligenter excuterent: Viderent hunc virum non nuda in Cœna symbola statuisse, sed præsentiam Domini solidè quoque expressisse. Dominus donet, vt ipsum, non nos vbique respiciamus: & tam simus expetentes veritatis, quàm eius nos titulo strenuè commendamus. *Hunc ergo Dialogum qui legerit, re ipsa comperiet, Oecolampadium à Patribus magis instructum fuisse, & contra Philippi interpretationes quasdam sinistras, contrarias authoritates longè plures attulisse, quibus veram Patrum sententiam defendit. Apparet etiam, Oecolampadium in promptu habuisse Græcos aliquos Scriptores, qui in Philippi manus nondum peruenerant. Nec respondit Philippus vnquam ad hunc Dialogum: & modico interposito internallo mitiùs cœpit in hac controuersia agere: Imò eum in Colloquiis cum amicis affirmauit, permagnam sibi causam attulisse Antiquitatis purioris de hac controuersia sententiam accuratiùs inuestigandi. Et ex eo quidem tempo-*

Bucerii iudicium de Oecolampadij Dialogo.

1530. *re Patres diligentiùs legere cœpit, & rem tatam exactiùs perpendere ac considerare. Sicut ipse hoc ad Vitum Theodorum scripsit anno* 38. Illud scias, *inquit*, amplius decennio nullum diem, nullam noctem abijsse, quin hac de re cogitârim. *Et in Ratisbonensi scripto anno* 41. Non, *inquit*, venimus rudes ad hanc causam, sed peruestigata est nobis tota Antiquitas, & quasi cum Ecclesia ipsa deliberantes, inquisiuimus omnium Veterum sententias, *&c.*

Ab hoc igitur tempore Philippus, post visa testimonia Antiquitatis, quæ ab ipso prolatis Oecolampadius in hoc suo Dialogo opposuit, eùm & ipse pervestigâsset magno studio, & singulari curâ considerâsset, ac pensitâsset prima, ac purioris Ecclesiæ sententiam de Cœna, repudiavit constanter, & oppugnavit commentum magicum Pontificiorum vtrumque, unum de conuersione panis sacri, per consecrationem sacerdotis, à magica nihil differentem, in substantiam corporis Christi, cum tota Scriptura, cum rerum natura, & cum miraculorum, tanquam extraordinariorum Dei operum proprietate penitus pugnante: Alterum de connexu, & copulatione, eadem ratione magica, cum pane inclusi, aut alligati corporis, quod & fundamentum cui innititur, & semet ipsum evertit, interpretatione alienissima; Et studuit repetitam ex Christi, Pauli, & Antiquitatis consentiente inter se doctrina, declarare præsentiam Christi in Ecclesia perpetuam, atque ordinatam Verbo propter hominem.

Epistola Philippi ad Gorolicium.

Ex his etiam indicari potest de Philippi epistola ad Martinum Gorolicium, Brunsuicensis Ecclesiæ Pastorem hoc anno scripta. Quæ de verbo ad verbum sic habet: Quantum attinet ad factionem Zuinglij, iubeo te bono animo esse. Ego agnoui, coram auditis antesignanis illius sectæ (in colloquio Marpurgensi) quàm nullam habeant Christianam doctrinam, tantùm pueriliter philosophantur. Ideo non poterunt durare. Omnis enim plantatio quæ non est ex Deo eradicabitur. Cùm totis sexcentis annis disputauerint, nihil afferunt præter hanc vocem: Caro non prodest quicquam. Hanc nunc torquent ad Christi carnem. Vidisti quid ego collegerim de hac re. Vnde meam sententiam cognoscere potes. Ego mori malim, quàm hoc affirmare, quod illi affirmant: Christi corpus non posse nisi in vno loco esse. Ideo constanter arguas eos publicè & priuatim, cùm erit occasio. Vituperas hoc quoque in eis, quòd de vsu Sacramentorum nihil dicunt, nulla est mentio Fidei iustificantis in omnibus Zuinglianorum libris. Cùm nominant fidem, non intelligunt illam, quæ credit remissionem peccatorum, quæ credit nos recipi in gratiam, exaudiri & defendi à Deo: sed intelligunt historicam, vsum autem & exercitium fidei Christianos nôsse oportet.

Iudicium de hac Philippi epistola. Vide Ioan. Sturmium in Antipap. 4. par. 4. Pap. Elencho a. priore.

Hanc enim epistolam, sicut etiam alias scripsit Philippus, eo tempore, quo ante perspectam & exploratam penitus sententiam aduersariorum non tantùm verbis, sed rebus etiam ipsis à veritate illos procul abesse putabat: & seriò quidem scripsit, nihil dissimulans suarum cogitationum, quas tunc de doctrina illorum animo suo circumferebat, cùm nondum propiùs cum illis collocutus esset, nondum attentè satis (vt ab eo factum est postea) perpendisset, quid verè, quid probabiliter, quid falsò eis obijceretur: & quid ipsi vel spontè concederent, vel negarent, & quatenus negarent: quibus etiam fundamentis de eo, quod hærebat in controuersia, vtrinque pugnaretur, siue fatali illorum temporum infelicitate, siue humana quadam imbecillitate, quæ in certaminibus præsertim & contentionibus animorum, etiam apud sanctos & sapientes quosque sese exerit.

Hac autem sic se habere, res ipsa loquitur. Falsum enim est, quod scribit, aduersarios etiamsi totis sexcentis annis disputauerint, nihil tamen aliud afferre quàm vocem hanc: Caro non prodest quicquam. *Et verba hæc Lutherus olim ante certamen eodem modo, quo nostri, interpretatus est. De corpore Christi dicit,* se mori malle, quàm cum aduersariis affirmare, id non nisi in vno loco esse. *Cùm autem nusquam in tota Scriptura vllus apex sit, qui doceat, corpus Christi, secundùm substantiam suam, simul in creaturis omnibus & extra creaturas omnes, atque ita in omnibus locis, & extra omnia loca simul esse: Christus etiam ipse grauiter asseueret,* Dico vobis veritatem, expedit vobis, vt ego abeam. *Paulus etiam de Domini Cœna disserens,* annunciari *iubeat* mortem Domini, donec veniat: *non contra fidem Christianam est, credere ac fateri, Christi corpus, hoc est, carnem & ossa Christi licèt glorificata, loci respectu in cœlo nunc esse, non etiam in terris simul. Adhæc nostri in hac disputatione idipsum docuerunt, quod Augustinus. Sic enim ad Dardanum scribit:* Sicut potuit rectè dici, Dominus gloriæ crucifixus, quum ad solam carnem illa passio pertineret: ita rectè dici potuit, Hodie mecum eris in Paradiso, cùm iuxta humanam humilitatem per carnem in sepulchro, per animam in inferno illo die futurus esset: iuxta diuinam verò immutabilitatem, nunquam de Paradiso, quia vbique est semper, recessisset. Noli ergo dubitare, ibi nunc esse hominem Christum Iesum, vnde venturus est, memoriterque recole, & fideliter tene Christianam Confessio-

fessionem: Quoniam resurrexit à mortuis, ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quam inde venturus est ad vivos & mortuos judicandos. Et sic venturus est illa Angelica voce testante, quemadmodum visus est ire in cœlum, id est, in eadem carnis forma atque substantia: cui profectò immortalitatem dedit, naturā non abstulit. Secundùm hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum enim, ne ita Divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus. Non est autem consequens, ut quod in Deo est, ita sit ubiq; ut Deus. Nam & de nobis veracissima Scriptura dicit, quòd in illo vivimus, sumus & movemur: nec tamen sicut ille ubique sumus, sed aliter homo ille in Deo, quoniam & aliter & Deus in homine proprio quodam & singulari modo. Una enim persona Deus & homo est, & utrumque est unus Christus Jesus, ubique per id quod Deus est, in cœlo autem per id quod homo. *His verbis palàm Augustinus, corpus Christi nusquam nunc esse vult, quàm in cœla. Et in fine libri ad Dardanum scribit:* Christum Dominum ubique totum præsentem esse, ne dubites tanquam Deum, & in eodem Templo Dei esse tanquam inhabitantem Deum & in loco aliquo cœli, propter veri corporis modum, *&c. Ergo Augustino veri corporis modus est, in aliquo loco esse. Sic etiam Fulgentius lib. 2. ad Thrasimundum.*

Carolostadius eligitur Diaconus Tigurinæ Ecclesiæ.

Hoc quoque anno Caralostadius, qui è Saxonia in Helvetiam venerat, Tigurinæ creatus est Ecclesiæ Diaconus. Eà autem re multi existimabant Lutherum graviter, sed injustè, offensum & exacerbatum fuisse. Post Zuinglii demum obitum, Basileam profectus est, ibique in ministerio Ecclesiastico vitam finivit in vera invocatione Filii Dei. Embda in Frisia anno 1519. *reformata fuit Ecclesia à fermento Papistico ad regulam Verbi Dei, & doctrina vera de Cœna Domini purè tradi cœpit. Anno verò* 1530. *Luneburgici quidam Theologi eò excurrerunt, ut Ecclesiam illam Lutheri doctrinæ subiiciant. Eorum operâ pelluntur inde multi docti & pij viri, ex quorum numero Ioannes à Groninga etiam fuit. Sed Luneburgici illi reformatores tales sese & populo & Magistratui præstiterunt, ut mox dimissi rursus teirum fœtorem ob injustas & tyrannicas actiones suas post se reliquerint. Embdenses igitur alios fidos & orthodoxos Ministros in eorum locum substituunt, & Confessionem hoc titulo edunt, Summa doctrinæ, quam Ministri in Orientali Frisia concorditer profitentur: Simul quoque omnium nomine tradunt declarationis loco Ennoni Comiti Supplicationem, in qua testantur, quòd ipsi contra præsentiam corporalem in vel sub pane, & contra oralem manducationem corporis & sanguinis Christi, spiritualem, hoc est, sacramentalem retineant & ex Verbo Dei defendere velint.*

1530.

ANNUS DOMINI M. D. XXXI.

Philippus scribit Apologiam Augustanæ Confessionis.

Suprà exposuimus, ut Pontificia Confutationi Augustanæ Confessionis, Philippus, Comitiis Augustæ adhuc durantibus, delineationē, seu designationem quandam Apologiæ, inter gravissimas occupationes, curas & negotia festinanter confectam, opposuerit, utque Cæsareæ Majestati oblata quidem, sed non accepta fuerit. Eam, ut ex Comitiis Witebergam rediit, locupletavit, ac diligentiùs accuratiusq; elaboravit: Sic tamen: ut Transsubstantiationem Pontificiam, & Romanæ Ecclesiæ doctrinam de Sacramento Eucharistiæ in ea etiam non obscurè approbet, sive metu sive hæsitatione aliquâ. Quis enim tunc temporis rerum fuerit status, quæ Cæsaris potentia, quanta etiam pericula Protestantibus Principibus impenderint, suprà à nobis indicatum est. Tanta etiam & tam diuturna ac densæ tenebræ sub Papatu fuerant, de Eucharistiæ Sacramento: tantùm adhuc inveterata & antecepta opinio valebat apud plerosque, ut etiam doctissimi quique non ita subitò expedire se inde potuerint.

In Apologia Augusl. Confessionis approbatur Canō Missæ, & dictum Bulgarii.

In hujus enim primæ Apologiæ editione, quam pro vera & indubitata haberi Chytraus in sua historia debere scribit, fol. 33. approbatur Canon Missæ, in quo orat Sacerdos, ut PANE MUTATO *ipsum corpus Christi fiat. Citatur etiam ibidem Bulgarii, nempe Theophylacti dictum, quem Apologia ait,* videri sibi scriptorem non malum, *qui disertè dicat,* Panem non tantùm figuram esse, sed VERE in carnem mutari. *Hæc autem Papistarum quoque est sententia, videlicet quòd post factam consecrationem, panis sit mutatus in corpus Christi, & quòd sub specie, seu forma externa panis verè adsit corpus Christi in manu Sacerdotis. Quid igitur deest illis ad Papismum? Hanc ob causam in sequentibus Apologiæ editionibus exauturatos illos milites, videlicet, Canonem Missæ, & Bulgarium illum expunxerunt omnino: quos etiam Patres Bergenses, licèt de exemplari oblato Cæsari vehementer glorientes, in Concordia sua formula puduit reponere, nimirum quòd Transsubstantiationis maculam Confessioni suæ aspergere ipsimet animadverterent.*

Apologia primæ editionis in posterioribus corrigitur.

His enim verbis articulus decimus in Apologia exemplaribus, quæ hodie extant, omissâ mentione Canonis, & dicti Bulgarii exponitur: Decimus articulus approbatus est. In quo confitemur nos sentire, quòd in Cœna Domini

Articulus decimus Apologiæ in posterioribus editionibus.

mini

1531. mini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi,& verè exhibeantur cum illis rebus, quæ videntur, pane & vino, his qui Sacramentum accipiunt. Hanc sententiam constanter defenderunt nostri concionatores. Et comperimus non tantùm Romanam Ecclesiam affirmare corporalem præsentiam Christi,sed idem & nunc sentire & olim sensisse Græcam Ecclesiam, ut testatur Canon Missæ apud Græcos. Et extant quorundam scriptorum testimonia. Nam Cyrillus in Ioannem cap. 15. inquit, Christum corporaliter nobis exhiberi in Cœna. Sic enim ait: Non tamen negamus rectâ nos fide charitateque syncerâ,Christo spiritualiter conjungi. Sed nullam NOBIS conjunctionis rationem secundùm carnem cum illo esse, id profectò pernegamus. Idque à Scripturis divinis omnino alienum dicimus. Quis enim dubitavit, Christum etiam sic vitem esse, nos verò palmites,qui vitam inde nobis acquirimus? Audi Paulum dicentem, Quia omnes unum corpus sumus in Christo, quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus. Omnes enim uno pane participamus. An fortasse putat ignoram nobis mysticæ benedictionis virtutem esse? quæ cùm in nobis sit, nónne corporaliter quoque communicatione carnis Christi, Christum facit in nobis habitare? *Et paulò pòst:* Vnde considerandum est, non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, Christum in nobis esse, verùm etiam participatione naturali, &c. Hæc recitavimus, non ut hîc disputationem de hac re institueremus. Non enim improbat hunc articulum Cæs. Maiestas, sed vt clariùs etiam perspicerent, quicunque ista legent, nos defendere receptam in tota Ecclesia sententiam, quòd in Cœna Domini verè & substantialiter adsint corpus & sanguis Christi, & verè exhibeantur cum his rebus, quæ videntur, pane & vino. Et loquimur de præsentia vivi Christi. Scimus enim,quòd mors ei ultrà non dominabitur.

Apologia Augustana Confessionis defendit sententiã Ecclesiæ Rom. de præsentia Christi in Cœna.

Sed & hæc verba Apologia testantur, Pontificios simpliciter decimum articulum Augustanæ Confessionis de Transsubstantiatione accepisse. Dicunt enim, Adversarios probâsse decimum articulum: *quod nunquam fecissent, nisi suam in eo sententiam contineri existimâssent; præsertim Carolus Cæsar, qui apertè professus dicitur;* Aliorum, quæ à nostris taxarentur, reprehensionem ferre se utcunque posse,quòd abusus varios incidisse intelligeret: Missam verò esse cor suum: Hanc se non passurum sibi eripi. *Et huic approbationi acquiescit Apologia.*

Mentionem etiam facit Apologia Romana Ecclesia, & dicit, Se defendere receptam in tota Ecclesia sententiam, *&c. Romana autem Ecclesia tunc quidem Transsubstantiationem approbavit, & omnes contrarias doctrinas damnavit: eratq; hoc dogma tum in toto orbe Christiano communiter receptum.*

Adhac Pontificii iam olim, sicut etiamnum hodie Iesuita, Cyrilli locum, quem Apologia pro defensione sua sententia citat, ad confirmandam suam Transsubstantiationem adducerunt.

Praterea cùm scriberetur Apologia, adhuc Witeberga Elevatio Sacramenti recepta & in usu erat.

Item in Apologia hac, eadem de Missa repetuntur, qua de ea in Confessione leguntur: Nempe, Nos non abolemus Missam,sed eam religiosè retinemus ac defendimus. Fiunt enim apud nos Missæ singulis Dominicis & aliis festis, in quibus porrigitur Sacramentum his, qui uti volunt, postquam sunt explorati atque absoluti. Et servantur vsitatæ ceremoniæ publicæ, ordo lectionum, orationum, vestitus, & alia similia. *Item:* Quòd verò tantùm fit apud nos publica Missa, seu communis, in eo nihil fit contra Catholicam Ecclesiam. *Nec quicquam aliud in doctrina Pontificiorum de Missa reprehendit Apologia, quàm quòd celebratur Latinâ tantùm linguâ: quòd docetur, hominibus prodesse opus audiendi lectiones non intellectas, prodesse ceremonias, non quia doceant, vel admoneant, sed ex opere operato, quia sic fiant, quia spectentur: quòd docetur etiam, Missam Sacrificium esse propitiatorium pro vivis ac mortuis.*

Vtque minùs dubitare quis possit, eandem fuisse illius articuli in Confessione & Apologia, cum Pontificiorum doctrina, sententiam, constat ex Actis, quòd in amicabili tractatione inter Pontificios & Protestantes seu Lutheranos, iste articulus semper fuerit habitus & numeratus inter conciliatos: de quo in ipsa tractatione palam testati sunt Pontificii, nullam hic superesse controversiam nisi de communione Laicorum sub utraque specie: *qua quum certis conditionibus ab iis concederetur, ad has responderunt Protestantes,* se credere & confiteri integrum Christum sub unaquaque specie, ac proinde sub sola specie panis realiter adesse, exhiberi & sumi, neque se judicare eos malefacere, qui sub una specie communicent, quibus etiam durabilem sub speciebus præsentiam *sunt confessi. Hac antem quia ad postulationem Pontificiorum, pro testificando cum ijs consensu, si concessa fuerunt, non possunt aliter quàm ex ipsorum de Transubstantia-*

Chytræus in historia Augustanæ Confessionis fol. 238.244 246. 248.249

Hoc etiã fatetur Lutherus Tom. 12.Witeb. fol. 165.

stantiatione sententia intelligi. Eaque proculdubio causa fuit, cur adeò in tota ista actione super hoc articulo se Pontificiis accommodaverint Protestantes, ut etiam datâ ex proposito operâ, nunquam panis & vini, sed tantùm specierum panis & vini facere mentionem voluerint. Verba enim, Under der gestalt deß brots und weyns, *in idiomate Germanico, prorsus sonant in Pōtificiū dogma, de Accidētibus panis & vini.*

Denique ipse Lutherus, in sua Glossa ad Edictum Caroli Imperatoris, magnam sibi suisque gratiam à Pontificiis deberi gloriatur, eò quòd ipsum & suos non pudeat, in articulo Sacramenti commendare & probare, quod in Papatu bonum & rectum fuerit inventum. *Taceo, quòd jactat,* Lutheranos in hoc articulo Sacramenti, esse patronos & defensores Papistarum: *quòd si de manente panis & vini substantia, & non de Transsubstantiatione dictum intelligeretur, verum esse nullâ ratione posset. Hanc enim qui negant, & panis substantiam manere affirmant, hoc ipso simul etiam, ex Pontificiorum sententia & confessione, omnem corporalis præsentia causam & modum tollunt. Proinde nec illud, quod dicitur, hac articuli verba:* Et contraria sententia improbatur: *non respicere Pontificios, sed Zuinglianos eorumque socios, similiter verum esse posset, nisi concessâ Transsubstantiatione. Istâ autem non positâ, idem Pontificii cum Zuinglianis, ut vocant, contra corporalem sub pane præsentiam sentiunt, eamque ut impanationem corporis aversantur. Ac proinde toto cœlo aberrat Selneccerus, qui in Confutationis suæ libro fol. 49. scribit:* Quod attinet ad corporalem præsentiam, & oralem manducationem veri & substantialis corporis Christi in sacra Cœna, nulla nobis controversia est cum Pontificiis.

In historia August. Confessionis fol. 362.

Quòd si hunc intellectum Apologiæ nequaquam esse velint, neque hoc sensu hæc à Philippo sic scripta esse contendant, non tamen inde suam sententiam probare & evincere poterunt; nimirum, in pane esse substantiale corpus Christi, idque verè ore corporis manducari. Nam confirmatur & declaratur in ea, præsentia corporis Christi testimonio Cyrilli: De eadem igitur præsentia & communicatione corporis Christi intelligenda est Apologia, de qua Cyrillus loquitur, si sanè & dextrè, ac in vero, proprio & genuino sensu verba ejus accipiantur. Certissimum autem est hanc nullam aliam quàm spiritualem esse. Nusquam enim dicit Cyrillus, carnem Christi ore corporeo manducari, sed nobis rationem conjunctionis, non tantùm secundùm spiritum, sed etiam secundùm carnem cum illo esse contendit. Quæ autem est ista ratio conjunctionis? Respondet Cyrillus; Christum etiam sic, *id est, secundùm carnem,* vitem esse, nos verò palmites, qui vitam inde nobis acquirimus: Audi Paulum dicentem, Quia omnes unum corpus sumus in Christo, quia etsi multi sumus, unum tamen in eo sumus. Omnes enim uno pane participamus. *Sic Cyrillus declarat, quo sensu dicat Christum in nobis corporaliter habitare, & in nobis esse participatione naturali, nempe; sicut caput in membris, vitis in palmitibus est & habitat, non per existentiam intra membrorum & palmitum substantiam, sed per eorum adhærentiam & vivificationem. Hæc autem ad esum oralem nihil faciunt. Non enim caro ipsius oraliter comedenda est, ut naturæ humanæ Christi conjungamur, ipsius corpori, tanquam capiti & viti, mēbra & palmites inseramur, unum cum ipso & in ipso corpus simus, vitamque ex ipso hauriamus. Alioquin, quid fieret de vita & salute omnium Sanctorum; qui inde ab initio mundi non potuerunt, & non poterunt ad Cœnam Domini venire, ut Christi carnem ore comedant? Non igitur communicatio hæc corporis Christi, quam Cyrillus ex Iohanne & Paulo declarat, in Cœna tantùm fit, sed etiam in Verbo, sacramentis & quandocunque credit homo. Atqui non aliam, sed hanc ipsam corporis Christi communicationem, quæ tantùm per fidem fit, & Spiritum sanctum in nobis habitantem, & nos Christo capiti nostro unientem, & conformantem, ut non tantùm Christus in nobis, sed etiam nos in ipso simus & maneamus, asseverat Cyrillus nobis contingere & confirmari in Cœna, quam allegat, tanquam illius communionis argumentum, dicens:* An fortasse putat, ignotam nobis mysticæ benedictionis virtutem esse, quæ cùm in nobis sit, nónne corporaliter quoque facit, communicatione carnis Christi, Christum in nobis habitare, & non habitudine solùm, quæ per charitatem intelligitur, in nobis esse, sed etiam participatione naturali? *Hic nominat Cyrillus Eucharistiam benedictionem mysticam, per quam nimirum mysticè, id est, significando, Christus nobis benedicit, se & sua beneficia nobis exhibendo: & nos ipsi vicissim benedicimus fide & gratiarum actione. Hujus vim, id est, Spiritus sancti per eam effectum, dicit esse Christi corporalem in nobis habitationem, id est, substantialem etiam corporis Christi communionem, & naturalem participationem, quæ in unione & conformitate membrorum cum capite consistit, non autem est ingressus, aut existentia carnis Christi intra nostra corpora. Ad hæc Cyrillus tantùm loquitur de Christi præsentia in nobis, eamque describit ex 6. & 15. cap. Iohan. & 1. Cor. 10. nihil autem de præsentia corporis in pane. Illam verò spiritualem Christi communionem*

Apologia decisione articuli nō patrocinatur Lutheranis de corporali manducatione.

1531.

1531.

nionem ait in nobis fieri, non per invisibilem & oralem esum corporis Christi, sed per mysticam, hoc est, visibilem & ignota mundo Evangelii beneficia significantem sumptionem panis & vini. Hanc autem esse propriam & genuinam horum Cyrilli verborum sententiam, ex aliis ejus perspicuis testimoniis colligere licet, quæ extant lib. 11. cap. 21. in Iohan. lib. 9. c. 21. & 22. lib. 11. c. 3. & 22. & lib. de Trinit. 6. Ex his omnibus intelligimus, si hac verba Apologia de Transsubstantiatione Papistica accipienda non sint maximè, ea tamen pro orali manducatione corporis Christi nihil prorsus, sed potiùs pro nobis facere. Cyrillus enim eo loco, quem citat Apologia super 15. cap. Iohan. nullam aliam nisi spiritualem carnis & sanguinis Christi communionem docet, ut demonstratum est. Augustana autem Confessio & Apologia nullam aliam corporis Christi communionem agnoscit & profitetur, nisi eam, quam illis Cyrilli verbis explicat. Ergo ex Confessione Augustana & ejus Apologia, nulla alia, nisi qua per Spiritum & fidem fit, corporis & sanguinis Christi, vera & substantialis communio, elici aut extorqueri potest. Et tunc etiam Theophylacti locus, non nisi de sacramentali mutatione panis in corpus Christi intelligi potest. Hoc ipsum etiam probat multis aliis Apologia locis Neustadiana Admonitio à folio 174. usque ad fol. 185.

Vt autem nihil cuiquam dubii relinquatur, corporalem Christi manducationem ex Apologia Augustana defendi non posse, vel unum illud Caput de Sacramenti usu & Sacrificio, certissimo argumento est, ac rem omnem alienis à contentione expedire poterat. Nam ab initio statim ejus testatur Apologia, sibi non esse cum iis controversiam, qui unà cum ipsa legitimum & præcipuum Sacramentorum usum fatentur ac docent, ut sint signa & testimonia voluntatis Dei erga nos, fidem in nobis confirmantia: Sed cum illis, qui tantùm professionis notas ea, & amicitiæ symbola in Christianos esse volunt. *Inde, ut antea sæpe, inculcat rursus,* Sacramentis omnibus communem & receptissimam definitionem, ea non alterius rei quàm gratiæ esse signa: Ac tantùm hæc duo in omni Sacramento, *statuit:* Signum & Verbum, seu promissionem signo additam. *Duo hac, quia tota Sacramentorum natura, vis & doctrina in iis consistit, digna sunt ut diligenter considerentur. Nam si quis manducationem carnis Christi corporalem, Cœna partem velit facere, eam aut Signo aut Verbo complectatur oportebit. Signum esse eam non patitur Apologia, qua signum definit* Ceremoniam, quæ sit quasi pictura verbi seu sigillum, ut Paulus vocat, & species incurrens in oculos, ostendens promissionem. *Ac ne latebra in Signi nomine quærantur, hoc visibili Ceremonia apertè tribuitur. Ne autem corporalis esus carnis Christi, Res verbo promissa utentibus hoc signo, censeri queat, illud obstat, quod Apologia* Verbum seu promissionem signo additam, *affirmat,* esse promissionem gratiæ, Novi Testamenti remissionis peccatorum: *& quod omnem elabendi viam præcludit,* fide accipiendam, *idque non ea fide, qua corpus Christi latere in pane, sed* quæ verè hîc offerri remissionem peccatorum statuat, & contritas mentes erigat. *Promissio autem corporalis manducationis Christi, non esset Novi Testamenti & gratiæ promissio, quæ non ad eos tantùm, qui panem & poculum hoc sumunt, verùm ad omnes electos pertinet, ac non nisi verâ fide accipitur. Non ergo corporalis, sed spiritualis communicationis Christi promissio, secundùm Apologiam ritui Cœnæ Dominicæ annexa est.*

Ex his igitur, quos monstravimus locis, ex Augustana Confessione eiusque Apologia, nullo pravo præjudicio fascinatus Lector intelligit, verissimè à nobis dictum esse, ex Augustana Confessione & Apologia nec corporalem carnis Christi manducationem probari, nec eam quam de Cœna Domini Zuingliani & Calvinistæ profitentur doctrinam oppugnari aut labefactari posse.

Augustanæ Confessionis & Apologiæ authores quare meliùs scripserint, quàm senserint.

Cùm autem sit notum publicè, eos, si non omnes, certè plerosque tum quando Confessio hæc & Apologia edita & exhibita est, corporalem Christi in pane præsentiam & manducationem credidisse & defendisse: causas indicabimus, quibus factum esse videtur, ut Confessionis & Apologiæ authores, contra suam quidem ipsorum, in qua tunc erant, sententiam, sed minimè tamen contra conscientiam suam quidquam in ea scripserint. Earum duas potissimùm in ipsa Confessione & Apologia non obscurè cernimus.

Prima est, quòd generalem de Sacramentis doctrinam, ita ut in sacris Literis & à Scriptoribus antiquis Ecclesiæ tradita est, rectè intellexerunt & confessi sunt, ideòque in iis locis, ubi secundùm illam de Cœna Domini loquuti sunt, ac Theses illius ad hoc Sacramentum, velut ad hypothesin accommodarunt; nihil de eo scripserunt, quod & Sacramentorum in genere, & Eucharistiæ naturæ ac rationi non optimè conveniat, quodque nos etiam non libenter amplectamur. Altera causa est, *quòd eo in loco, ubi suam de corporali præsentia & manducatione Christi, sententiam voluerunt exponere, id non suis, sed D. Cyrilli verbis fecerunt, perinde nimirum illis utentes, ac si de tali Cyrillus manducatione loqueretur, qualem ipsi tunc intelligebant. Cùm verò certissimum sit; ut suprà à nobis*

à nobis ostensum est, non de alia quàm de spirituali manducatione Cyrillum loqui: & ipsi testentur, se non aliter velle, quàm secundum Cyrilli sententiam intelligi: suam quidem de corporali esu opinionem se scribere arbitrati sunt: at revera Cyrilli & aliorum veterum Scriptorum sententiam scripserunt & confessi sunt, cui nos etiam fide & confessione nostrâ, sincerè & constanter subscribimus. Atque ita est factum, ut sine omni fraudis vel occultationis culpa, præter consilium suum, ex verborum Cyrilli sinistro intellectu, aliud ac quidem rectiùs quàm ipsi senserunt, scripserint, ut non raro ad sententiæ alicuius assertionem produci videmus, quæ maximè contra eam faciunt. Quod verò Cyrillum & reliquam Antiquitatem Ecclesiæ puriorem, atque adeò ipsam Scripturam divinam, de hac parte doctrinæ minùs rectè acceperunt, inde factum est, quòd modò ex densissimis Papatus tenebris emersi, quibus doctrina de Cœna Domini, magis quàm ulla religionis pars alia, obscurata & sepulta fuerat, non subitò potuerunt totum illum errorem deponere, qui tam altas in hominum animis radices egit, ut in hac etiam clarissima Evangelii luce, eamque multiplici veritatis explicatione, nondum penitus queat revelli.

Apologia Confessionis quatuor Civitatum, ejusque summa.

Quia etiam Pontificii in Comitiis Augustanis multa calumniosè confutârant, quæ in Confessione quatuor Civitatum non legebantur, & quædam Orthodoxè scripta depravârant; ideo Bucerus quoque iussu Argentoratensium & sociorum per Apologiam Confessionem illam Civitatum defendit, & Eccii aliorumque calumnias confutavit. Primò autem inter cætera de hoc Eucharistiæ negotio, eruditissimè ex Patribus explicato, disertè, multisque pernegat, quòd in Cœna Domini nudum ac simplicem, vel communem tantùm panem, qualem pistor coquit, *agnoscant*, sed firmiter & ex animo credere se ac docere *dicit*, veram ac substantialem exhibitionem & sumptionem veri corporis & sanguinis Christi: Simul tamen confiteri se, ad talem exhibitionem & perceptionem, necessariam non esse corporalem existentiam seu præsentiam in terrenis elementis panis & vini, quòd hoc pugnet cum veritate, & proprietatibus inconsumptis humani corporis Christi: Duo autem esse, iuxta veterum in Ecclesia Patrum sententiam & doctrinam, in Cœna sacra, nempe, terrenum & cœleste, ut Irenæus; sensibile & intelligibile, seu Spirituale, ut Chrysostomus; Sacramentum & rem Sacramenti, ut Augustinus scribit: & inter hæc duo nullam aliam, quàm sacramentalem unionem seu conjunctionem esse, juxta quam cœleste, intelligibile & spirituale, id est, corpus & sanguinem Christi corde ac fide, terrenum autem & sensibile ore corporis percipiamus. Et quoniam hæc sacramentalis unio in Verbo Dei & virtute seu operatione Christi consistat, ideo *Secundò*, se docere *dicit*, quòd virtute seu efficaciâ illorum; omnibus, quibus Christus sacram suam Cœnam instituit, hoc est, fidelibus, vera ac substantialis communicatio corporis & sanguinis Christi in verum cibum, tam certò, quàm ipse panis & vinum, detur & exhibeatur, non ut ore & dentibus, vel visibiliter vel invisibiliter: sed animo & corde fideli percipiatur; ut sint caro de carne, & os de ossibus ejus, indeque veræ immortalitatis participes fieri queant. Propter hanc Sacramentalem unionem, quæ est inter panem & corpus, non raro à Patribus illud, quod revera competit pani, tribui solere corpori Christi, ut quod Chrysostomus ait, corpus Christi videri, tangi, in manus & intra os assumi, eique dentes infigi. Ac licèt cum Augustino confiteantur, panem in se non esse ipsum reale & substantiale corpus Christi, sed sacrum symbolum vel signum ejus, & propter ea corpus Christi significare: non tamen hæc ita accipienda esse, quasi doceant, quòd propterea nudus panis & vinum in Cœna distribuantur: sed quòd etiam corpus Christi sacramentaliter cum pane unitum sit & exhibeatur: Pronomen enim HOC, in verbis Christi, non solùm corporeis oculis panem, sed simul etiam ac quidem præcipuè internis oculis cordis & fidei verum corpus Christi demonstrare. *Et hac quidem vera & orthodoxa de Cœna Domini est sententia, quæ hodie sub Zuinglii & Calvini nomine à Lutheranis & Vbiquistis passim per Germaniam fœdè conspuitur ac damnatur.*

Bucerus scribit Ernesto Brunsuicensi & Luneburgensi Principi.

Eodem tempore Bucerus scripsit etiam ad Ernestum Ducem Brunsuicensem & Luneburgensem: multisque demonstravit, certamen Sacramentarium in verbis tantùm, non in re ipsa consistere, quo fiat, ut altera pars alterius mentem non satis assequatur: & utramque tamen partem à veritate stare, atque pro gloria Dei vero pietatis affectu & cœlo pugnare. Se enim, unà cum Zuinglio & Oecolampadio, sentire, verum corpus & sanguinem Christi in Cœna verè adesse, & unà cum verbis Domini ac Sacramentis exhiberi, quemadmodum id verba Christi, Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, &c. apertè testentur. Sed ministrum nihil præter res externas porrigere, qui ministerium suum in Verbo & signis obeat: Interna verò à Deo offerri vi-

1531.

1531. videlicet Mannam ſpiritualem, internumque fructum ſive incrementum. Nec fieri tranſelementationem panis in corpus Chriſti, ſed panem ſignificare & eſſe figuram vel ſignum & Sacramentum corporis Domini, quod cum pane à Chriſto in cibum animæ, & non ventris offeratur. Et quia nihil ſenſibile à Chriſto nobis datum ſit, ideo omnia in hac ſenſibili actione eſſe animi ac fidei, & per conſequens ſpiritualia &c.

Idem quoque Bucerus ſcripto quodam conciliationis unà miſſo,petivit,ut Principis Erneſti & Landgravij operâ, Luthero exhibitum,in lucem ederetur.

Argent. Senatus ſcribit Brunſuicen. Principi de Cõcordia.

Scripſit etiam ad eundem Principem Senatus Argentinenſis rogans, ut Celſit. ejus de ſilentio apud Lutherum impetrando, conſtituendaque Concordia elaboraret,id quod Buceri libello in lucem edito, effectum dari, omnium rectiſſimè commòdiſſimeque poſſit.

Dux Erneſtus igitur ad hunc modum ſollicitatus, negotium totum ad Lutherum retulit,qui Concordiæ ſe cupidiſſimum eſſe verbis præ ſe ferebat: Simul verò editionem libelli Buceriani, & Concordiam cum eo, aliiſque qui Buceri eſſent partium, omnibus modis diſſuadebat: Sic alterâ manu panem, alterâ lapidem oſtendens. Ita enim ad Ducem Brunſuicenſem Erneſtum ſcripſit.

Lutherus diſſuadet Concordiam.

Illuſtriſſime Princeps, Domine clementiſſime; ad Celſitudinis veſtræ voluntatem M. Bucero iamdudum amantiſſimè reſpondi. Ut verò in ejuſmodi ipſius interpretationem aut ſententiam pedibus eam, id verò etiam, quàm fieri potuit honeſtiſſimè modeſtiſſimeque ipſi denegavi. Fieri enim non poteſt, neque expedit,ut in ejuſmodi ſententiam, qualis ab ipſo propoſita eſt, concordia inter nos ſanciatur & conſtituatur: Siquidem ex tali conciliatione mala longè majora exoritura eſſent, quàm ea ſunt, in quibus nunc hæremus: Id quod Celſit. veſtra pro ſua prudentia, ipſamet facilè videbit. Ubi enim fama hujus conſociationis emanârit, ferendum omnino erit, ut auditores ipſorum à nobis, & contrà, noſtri ab ipſis Sacramentum petant: unde error planè intolerabilis ſecuturus eſt: ut videlicet noſtri nihil niſi merum panem ac vinum accipiant, & tamen corpus & ſanguinem Chriſti à ſe perceptum credant: Ipſorum verò auditores apud nos, corpus & ſanguinem Chriſti ſumant, & tamen nihil ſe præter panem & vinum accepiſſe ſentiant. Hæ inquam & aliæ ſimiles abominationes ex inſtituta concordia naſcentur. Quod autem M.Bucerus inquit, de verbis ſolummodò certamen eſſe,id vel cum capitis & vitæ meæ periculo verum eſſe optârim.Profectò ſi ſic res haberet, controverſia hæc tanto intervallo non durâſſet,imò etiam nullo unquam tempore cœpiſſet. Mihi ſanè concordia non minùs cordi eſt,quàm ipſi,id quod Coburgi copioſiùs ex me intellexit.Ideoque iam ſufficere judico (donec Deus plus largitus fuerit) ſi unicum hoc obtineamus,ut videlicet ab utraque parte, ſatis nimirum mutuò admoniti & intellecti,ſcriptis pro & contrà abſtineamus. Cumque Dominus eam gratiam largitus ſit,ut concedant;Chriſti corpus,animæ,in Sacramento adeſſe: in bonam ſpem erigor, ipſos progreſſu temporis etiam hoc daturos eſſe,quod eodem modo ori,ſeu externè in pane præſens ſit,cùm quidem nihil ego diſcriminis aut impedimenti animadvertam. Summa, orabimus & ſperabimus donec porrò omnia feliciter & ex ſententia cedant:Non augebimus ollam ante lentem, nec priùs ovabimus, quàm ſolida concordia conſtituta fuerit. Hæc ad Celſit. V. literas humiliter reſpondere volui. Calendis Febr. Anno 1531.

Lutherus etiam ea, quæ à Bucero propoſita erant, brevi ſcripto comprehendit, & ad ea in hunc modum reſpondit: Primò: Quòd Bucerus ait, alteram partem idem nobiſcum de Sacramento ſentire, in eo videlicet capite, quòd unà nobiſcum credant verum corpus & verum ſanguinem Domini noſtri Jeſu Chriſti, in Sacramento adeſſe, & unà cum verbis offerri, in cibum animæ, ac fidei confirmationem, id cupidè recipimus, & quidem cum gaudio audimus. *Secundò*: Quia verò Bucerus ſolus hoc fatetur, & ſolus ſuam indicat ſententiam, perinde ac ſi reliqui eodem modo ſentirent, cùm tamen ex libris & actis, quæ palàm ante oculos ſunt,nobis conſtet,Zuinglium & Oecolampadium contrà acriter pugnâſſe, & hanc propoſitionem, tanquam ſcopum ſuum, conſtanter defendiſſe, Quòd Chriſtus tantùm in certo cœli loco, & non in Sacramento præſens eſſe poſſit: Ideo opus eſt, nos priùs certos reddi, num etiam reliqui ita ſentiant: ſicuti Bucerum, ſpe bonâ conſenſionis, ſentire uidemus:Et num etiam populo ſententiam hanc publicè proponant atque inculcent. Aliàs niſi de his certi reddamur, concordiæ fundamentum prorſus arenoſum erit, omniaque peiora fient, ſicuti Bucerus novit, Coburgæ à me diligentiſſimè hoc admonitum eſſe, ut vel ex ſolido veroque fundamento concordia extrueretur, vel omnis de ea ineunda cogitatio intermitteretur. *Tertiò*: Præter & ultra corporalem hanc Chriſti præ-

Lutherus Concordiam non vult admittere, niſi data præſentia corporis Chriſti ad panem.

ſentiam,

ſentiam : ad animæ ſalutem , quam Bucerus hîc confitetur, etiam cum ipſo (Coburgæ) agebam de illa corporali præſentia, quâ utrique , tam infideles quàm fideles, etiam ore verum corpus & verum ſanguinem Chriſti, ſub pane & vino accipiunt: In quo capite ita ſe declarabat , ut ſingulari afficeret gaudio. Etiamſi autem in hoc ſcripto caput illud non attingitur : tamen quia concedunt carnem Chriſti animæ corporaliter offerri ac præſens eſſe : cogitamus non fore difficile creditu , quod eadem etiam ori ſive corpori , aut pani adſit , & ipſi etiam ori offeratur. Si jam Dominus ſuam gratiam largiatur (quod ex animo optamus) ut in hoc etiam capite nobiſcum conveniant, & unum idemque nobiſcum ſentiant ac doceant, tunc plana ac certa eſſet concordia,eaque ſingulari operatione divinâ , imò etiam miraculo quodam perfecta.

Localis ergo inclusio corporis Christi in panem docetur à Luthero.

Ad Argentinenſes etiam Lutherus ſeorſim ſcripſit, & inter cætera inquit : Si Argentinenſes animum obfirmârunt , ut nobiſcum ſentire & credere nolint , corpus & ſanguinem Chriſti etiam externè in pane & vino adeſſe,& à piis pariter ac impiis porrigi, tractari & accipi ; maturè omni conciliationis labore & moleſtiâ ſuperſedere poterant : nam profectò non poſſum ampliùs cedere aut largiri , ſanè multùm mihi feciſſe videor , ſi modò profici aliquid potuiſſet.

Fœdus Schmalcaldicum inter Protestantes initum.

Menſis Martii 29. die , Schmalcaldiæ convenerunt Principes & Vrbes Proteſtantes. In hoc Conventu fœdus Schmalcaldicum, ut poſtea vocatum fuit,non quidem lædendi , ſed defendendi causâ , ſi cui Proteſtantium ob Confeſſionem & fidem vis aliqua hoſtilis inferretur, initum ac ſancitum fuit. Priuſquàm fœdus iniretur , in conſilium adhibiti fuerunt non Iureconſulti modò , ſed Theologi quoque. Lutherus autem ſemper antehac docuerat, Magiſtratui legitimo non eſſe reſiſtendum , & extabat ejus hac de re libellus. Cùm autem in hac deliberatione periti iuris docerent , legibus eſſe permiſſum , reſiſtere nonnunquam , & nunc in eum caſum , de quo leges inter alia mentionem faciant,rem eſſe deductam oſtenderent;Lutherus ingenuè profitetur , ſe neſciviſſe hoc licere : & quia leges Politicas Evangelium non impugnet aut aboleat;deinde quoniam hoc tempore tam dubio tamque formidoloſo multa poſſint accidere,ſic ut non modò jus ipſum,ſed conſcientiæ quoque vis atque neceſſitas arma ipſis porrigat , defenſionis causâ fœdus iniri poſſe dicit , ſive Cæſar ipſe , ſive quis alius fortè bellum eius nomine faciat. Edito quoque ſcripto primùm explicat , quàm fuerint in Auguſtanis

Lutherus in hoc fœdus consensit.

Comitiis obſtinati Pontificii : deinde monet in univerſum omnes , ne Magiſtratus ad ejuſmodi bellum imperanti militiam,obtemperent.Doctrina verò Pontificia complures atque graviſſimos recenſet errores , quos ait ab illis propugnatum iri , qui ſe caſtris illorum adiungant: quâ quidem in re ſummum nefas ineſſe dicit: quanta ſit etiam lux illata mentibus hominum hoc tempore, per Evangelii cognitionem demonſtrat,& à tam impii belli ſocietate temperandum eſſe docet.

Argentinensium &c. doctrina de Cœna approbata à Protestantibus.

Cùm in hoc Conventu Argentinenſes ac Suevicæ Civitates aliquot,doctrinam ſuam de Cœna Domini,in Auguſtanis Comitiis propoſitam, uberiùs explicâſſent,approbata fuit tunc à Saxonicis eorum declaratio,ipſique ſequenti anno in fœdus etiam recepti.

Helvetiorum responsio Protestantibus de fœdere data.

Landgravius quoque cum aliquot Civitatibus, inter quas Argentinenſis præcipua fuit,expoſuerunt, quidnam Helvetica Vrbes Tigurum, Berna,Baſilea & reliquæ , de hac confœderatione reſponderint;quòd *videlicet* Articulum de Sacramento , uti ad ipſos miſſus ſit , improbare nequeant : Quòd ſi indefinitè ſine ullius dogmatis exceptione reciperentur , ipſos non recuſaturos fœdus : idque ut fieret valde petierunt. *Iohannes Fridericus autem Saxoniæ Dux reſpondit , ſe hoc ad parentem Electorem , qui propter adverſam valetudinem Smalcaldiâ aberat , relaturum , & quid tulerit reſponſi prima quaque occaſione ſignificaturum.*

Lutherus fœdus cum Helvetiis faciendum dissuadet.

Cùm verò de hac quæſtione , An fœdus cum Helvetiis faciendum ſit ? Lutheri judicium ab Electore Saxoniæ expeteretur , ſequenti ſcripto & conſilio ſententiam ac mentem ſuam declaravit.

Quia hîc confœderationis titulus ac finis eſſe debet , ut Evangelii doctrina , ejus præſidio conſervetur ac defendatur, ideo iſtos in fœdus recipere , *Primò* , Impoſſibile ac vanum eſt. Ratio , quia neceſſe eſt fundamentum & baſin confœderationis hujus eſſe , conſcientiam & fidem eorum qui conſociari inter ſe debent , ut videlicet unum idemque omnes ſentiant atque credant. Hæc verò fides num in iſtis ſit , incertum & omnino ignotum nobis eſt , imò verò metuendum eſt, ut, qui eam habeant, pauciſſimi ſint. Hoſte igitur aliquo nos invadente , pauciſſimi in fœdere perſeveraturi , reliqui verò omnes defecturi eſſent. Hîc primùm & quidem ſerò , experientia ſtultorum magiſtrâ nos doctura eſſet, eam Vrbium rationem eſſe , ut non ſint ſui juris , atque ita fœdus non ſine ,ſummo noſtro dedecore ac damno diſſolveretur. Hujus rei illuſtre exemplum ſunt Vrbes N. N. quæ initiò Evangelium præ ſummo a-

1531. more & ardore devorarurx videbantur: Jam verò subitò & facillimè ab eo desciverunt. Idem quoque eventurum esse N. N. metuendum est, cùm multi adhuc in ea sint Evangelii hostes, ut unus aut alter, cum silentio iam quidem omnia tolerantes, occasionem nacti, sese proditutі,totamque urbem eversuri sint, quia non est omnium fides, ut Paulus 2. Thess. 3. inquit. *Secundò*, Periculosum est hoc fœdus propter N. N. Cùm enim sit homo intemperantis ingenii, metuendum est, ne denuò aliquid tentans (uti antehac fecit) collegia atque cœnobia vastet: quod ut maximè nobis invitis, & repugnantibus faceret,periculum tamen esset, ut aut in societatem suam nos pertraheret, aut ut totum, quod ipse deliquisset nobis imputaretur. Et etiam periculosum hoc fœdus propter urbes N. N. quæ Collegia, ad Iurisdictionem suam minimè pertinentia, privatâ autoritate occluserunt & occupârunt. Hoc totum in nostra capita redundaturum, aut certè communis istorum criminum defensio cum ipsis suscipienda esset. Cùm igitur N. N. ejusmodi periculo involuere posset, ipsi Deo ac Religioni adversabimur, si ejusmodi periculo nos exponamus, sicuti scriptum extat: Non tentabis Dominum Deum tuum. *Item*: Qui amat periculum, peribit in eo. *Tertiò*: Fœdus hoc plenum est suspicionis & offendiculi: Quis enim de tanto hominum numero credat, quòd hac in re non quærant brachium carnis, hoc est plùs solatii ac præsidii in auxilio humano, quàm in ipso Deo ponant. Pauci certè ea fidei puritate erunt, tamen ulli futuri sunt, qui non eiusmodi fœdus pro idolo habituri sint, quod certè horrendum foret. Et ut maximè duo vel tres innoxii essent, tamen reliquis hoc modo causâ datâ, & idolum ipsis quodammodo propositum esset, ut à Gedeone Iud. 9. Et à Micha Iud. 20. factum legimus. *Quartò*: Impium hoc fœdus est,propter hæresim de Sacramento. Non enim possemus eodem fœdere cum adversariis contineri,nisi simul errorem ipsorum confirmaremus & defenderemus. Si autem defendantur, multò nocentiores, quàm nunc sunt, efficientur. Quandiu enim sese in hoc capite non emendabunt, nulla spes est, ut in reliquis sani & constantes permaneant. Et hic observetur exemplum Iosuæ 7. cap. Vbi propter unum Achanem, totus populus Israëliticus punitur, donec peccatum illud expiatum esset. Si quis verò obiiciat: Vrbes in reliquis capitibus omnibus, unico hoc excepto, convenire, Ideoque unum hoc, reliquorum omnium collatione, non ita magni æstimandum esse. Respondeo: Nimiùm & plùs nimio hoc unicum esse, ut paulò antè de Achano auditum est. Non minùs impius & prophanus est, qui unum fidei Articulum negat, quàm Arrius aut alius quispiam ejusdem farinæ. Ideoque iudicium illud non effugiemus: Faciens & consentiens pari pœnâ plectuntur, Rom. 1. Et quemadmodum Propheta Iosapharo Regi 2. Paral. 19. inquit: Impio præbes auxilium, & iis qui oderunt Dominum amicitiâ jungeris. Adhæc ipsimer causam suam magis gravant, eo, quòd præter omnem necessitatem, omnes ceremonias insolidum à Sacramento removent, & ita sacratissimam hanc actionem prorsus in profanam aliquam comessationem transmutant, quod nos honestè excusare nullo modo possumus. Si verò dicatur: Fœdus hoc non propter doctrinam, sed ad vim iniustam propulsandam iniri, cùm reliqui ad legitimam cognitionem sese offerant. Respondeo: Hanc obiectionem non consistere. Notum enim est, adversarios Pontificios nullam aliam ob causam vim nobis illaturos esse, quàm propter doctrinam Evangelii. Ideo hac objectione nemini fidem faciunt, quasi adversùs vim iniustam hujusmodi fœdus ineamus. Et, quod ad cognitionem illi sese offerunt, nihil nobis patrocinatur. Certi enim sumus, ipsos errare, nec possumus hoc unà cum ipsis in dubio & suspenso relinquere, ideoque saluâ etiam conscientiâ conjungi cum ipsis nequimus. Necesse enim foret, ut ipsorum provocationem ad cognitionem, approbaremus & confirmaremus,quod si fieret, unà cum ipsis à certa nostra cognitione, ad ipsorum dubitationem incertamque fluctuationem prolaberemur.Hoc verò plus esset quàm ex parte,si non ex toto fidem abnegare. Nostrum itaque consilium est; ut articulis de hac conciliationis tractatione conscriptis, immoremur.

Falsum.

Landgravius etiam scriptum quoddam, in quo disputabatur, ut Zuingliani à Protestantium Theologis Lutheranis in consortium fraternitatis reciperentur, ad totam facultatem Theologicam Witebergensis Academiæ misit, si quid fortè eâ ratione ac viâ obtineri posset. Theologi autem isti, communicatis consiliis & sententiis, fraternitatem omnem denegârunt.

Theologi Witebergenses fraternitatem ac fœdus cum Zuinglianis dissuadent. Saxonis sententia Helveticis fœdus.

Mense Iunio Principum ac Civitatum Legati Francofurti convenerunt. In eo Conventu Saxoniæ Elector, his suorum Theologorum ac Lutheri inprimis censuris & judiciis permotus,

de Heluetiis, *Sleidano teste*, *respondit per Legatos*; Quoniam de Cœna Domini diversum sequantur dogma, non sibi licere societatem cum illis ullam coire: Quanti sit ipsorum conjunctio, propter vires atque potentiam, non se quidem latere, sed eò minimè sibi respiciendum esse, ne tristis inde sequatur exitus*, quod iis accidisse Scriptura testetur, qui muniendi sui causa, cujusque modi præsidiis usi fuissent.

Saxo vuls per manere in Augustana Confessione.

Interea Imperator propter Turcarum apparatus bellicos, de componendo religionis dissidio, & Pace cum Protestantibus sancienda cogitabat: quò non solùm pecuniam ad bellum Turcicum contribuerent, sed etiam militem mitterent. Hac de causa 11.*Cal. Septemb. ad Saxonem veniunt Gulielmus Nassovius & Nuenarius, Comites, & permissu Cæsaris de conciliatione cum eo agunt. Cùm autem ex verbis eorum appareret, Cæsari persuasum esse, quasi Zuinglii & Anabaptistarum doctrinam ipse probaret; respondit*, Cujusmodi sit doctrinæ suæ genus, & quid suæ ditionis Ministri doceant, ex Augustana Confessione satis notum esse. Sed & hoc constare, cùm esset in Comitiis Augustæ, nullum sibi fuisse cum illis, qui Zuingliani vulgò putantur, commercium, sed ne postea quidem, donec sententiam illi suam explanâssent: ejusdem se nunc etiam esse propositi, & quam sit Augustæ professus doctrinam, in ea se beneficio Dei, permansurum esse ad extremum usque spiritum.

Saxo quas habuerit pro Zuinglianis.

In hoc responso Elector Argentinenses intelligit: & non obscurè innuit, ubi illi suam sententiam luculenter explanârint, se approbâsse eorum doctrinam, & commercium cum illis habuisse. Argentinensium autem & Heluetiorum Confessio, doctrina & sententia cùm de aliis fidei articulis, tum de Cæna, una eademq́ fuit: Unde etiam Pappus Argentinensium Confessionem in Senatu Argentina palàm Zuinglianum nominavit. Hinc intelligitur, Electorem optimum, ex sinistro intellectu, & pravâ, sed communi tum suspicione ac persuasione, per Zuinglianos eos intellexisse, qui nudum tantùm signum & tesseram societatis ex Cæna facerent, Anabaptistarum more. Si cum his commercium nullum habuit, nec habere voluit, rectè fecit: Nam nec ipsimet Heluetii habuerunt. Intelligitur ergo, si edoctus fuisset piissimus Princeps, se hoc sinistrè de illis suspicari, ipsorumque & Argentinensium Confessionem & doctrinam eandem esse, quòd eos à commercio, societate & fædere nunquam exclusurus fuisset.

Ulma Missam & Imagines abolet.

Ulma, celebris Imperii Civitas, hoc tempore contra Cæsaris edictum, Missam & Imagines è Templis ejecit; accersens Argentinâ Bucerum, Basileâ Oecolampadium & Constantia Blaurerum, qui urbis & ditionis ipsorum Ecclesias constituerunt, & religionis formulam conscripserunt.

1531.

Bellum civile in Heluetia propter religionē.

Mense Octobri hujus anni in Heluetia bellum civile luctuosum & triste exortum est hac occasione. Tigurini & Bernates maximis injuriis à Pontificiis confæderatis religionis causa affecti, locis omnibus occupatis atque claustris viarum, ne quid ad illos deveheretur alimonia, prohibebant. Tum evulgato scripto, quemadmodum maximis illorum & variis injuriis coacti, commeatu ipsos intercluserint, exponunt: Et quoniam pacis rationes ab intercessoribus, videlicet Rege Galliæ, Glaronensibus, Friburgiis, Soloturniis & Appecellensibus, propositas illi repudient, nec obscuram hostilis animi significationem ostendant, & superiorum annorum pacta violent, quando cautum fuit, ne religionis causa cuiquam sit fraudi, licere sibi dicunt annonam illis denegare. Si quis ergo nascatur ex eo motus, hoc illis, qui præter dissidia nihil expetant, tribui debere: Fuit hoc Septembris die nona. Cùm autem Pontificii maxima rerum inopia premerentur, silentio cum 8000. *viris, Octobris mensis die nono opinione citiùs ad Tigurinorum fines perveniunt: quibus in finibus erat jam antè dispositum à Tigurinis præsidium circiter mille militum: Et hi quidem suos monent, crebris in oppidum dimissis nunciis, ut mox cum omnibus suis copiis advolent: sed tanta hostium fuit celeritas, ut vix ægrè subsidio illis veniri posset. Et cùm jam superassent montem, qua faciundum erat iter, laborare suos in proxima valle, & in præsenti periculo versari conspiciunt. Ibi tum ad virtutem sese cohortati, promiscuè decurrunt ex monte, cujus hæc erat natura, ut singularibus eundum esset. Ea res in causa fuit, quum universi non possent in acie consistere, ut multitudine superati, quingentos* 11. *Octobr. ex suis amiserint. Carion historicus, in ciphra fœdè errans; pro* 500. *reposuit* 5000. *In cæsorum numero fuit etiam Zuinglius, qui contra hostem egressus erat urbe cum postremis, non ut Capitaneus, vel immanis & barbari militis instar, sed ut bonus civis & pastor, qui suis, in extremo periculo propter religionem constitutis, deesse noluit, annum ætatis agens* 48. *Per totum ferè mensem Augustum, visus antea fuerat Cometa, hanc mortem sanctissimi viri, & cladem Reipub. Tigurinæ procul dubio portendens.*

Zuinglius in acie pro religione pugnans occumbit.

Cometa.

Hostes in Zuinglii cadaver sæviunt.

Post hanc cladem otium ubi datum hostibus fuit, cadaver Zuinglii quæritur, invenitur, condemnatur, in quatuor partes secatur, in ignem conicitur, & in cinerem resolvitur. Hostibus digressis, post diem tertium accedunt amantes Zuinglii, reliquias eius quærentes, non ut adorarent, sed ut in terra

1531.

de more conderent, & ecce cor (mirabile dictu) se offert è mediis cineribus integrum & illæsum. Stupebant boni viri, miraculum quidem agnoscentes, sed non intelligentes. *Verba sunt Osuvaldi Miconii in Vita Zuinglii, quam optimâ fide descripsit. Idem de Cranmera Cantuariense Archiepiscopo & Angliæ Primate, qui Oxonii religionis causâ etiam combustus est, scribit Iohannes Foxus, nempe, corpore ejus cremato, cor illæsum remansisse.*

Vanitas compilatorum historiæ Augustanæ Confessionis.

Compilatores Confessionis Augustanæ historiæ falsò, præ more suo, referunt, quia homo fuerit carnosus atque obesus, ideo milites portionibus ab ipsius corpore resectis, ocreas illevisse: Fuit enim Zuinglius gracili ac macilento corpore.

Labores & pericula Zuinglii dum viveret.

Non solùm autem multa gravissimaque pericula, dum adhuc viveret, religionis mutatæ causâ, intenderunt ei Pontificii: sed etiam multos labores & molestias in docendo sustinuit, dum vitia, quæ tum publicè grassabantur, oppugnaret, & Christianam vitam in Vrbe & ditione Tigurina institueret Senatus impulsu ejus: Inde enim animi multorum vehementer contra ipsum exacerbati, & invidia, odium ac inimicitiæ plurimùm adversus eum auctæ sunt, insidiaque illi structæ. Venit post medium noctis aliquanda, qui petiit, ut hominem invisat morti proximum. Famulo pro hero respondente, se quicquid sit laboris obiturum (nam illum ob negotia diurna non excitandum) tam abstinatè renuit, ut oriretur de insidiatore suspicio. Famulus igitur abiens, ceu Domino relaturus omnia, ostia occluso, latronem foris manentem delusit. Mane facto, cagnitum est, navigio captum ore mox abturato, clam fuisse deportandum. Non multò pòst etiam equus ad eundem usum paratus expectabat. Deinde viderunt nonnulli insidiatorem Pontificium in urbe sine pallio, gladia cinctum longissimo palàm vagari, sicubi Zuinglium abviam opportunè factum occidere queat. Indicatus iste capitur, sed erupit atque evasit. Cives nan nulli vina madidi, noctu Zuinglii damum lapidibus pulsantes, & specularia perforantes, clamare, maledictis & ictibus tam crudeliter, turpiter & inhumaniter egerant, ut vicinorum nullus hiscere vel per fenestellam auderet. Nan cessarant igitur priùs, quàm lapides, verba & vires deficerent. Hinc, quanda cœnabat foris apud amicos, vel peregrinas, semper redeuntem eum excipiebant cives boni ac, pii, ne quid accideret ei in via mali.

Zuinglius non ut miles, sed ut pastor interfuit prælio.

Quòd autem tanquam scelus & facinus indignum Zuinglio Papistæ, Lutherani & Vbiquistæ obiiciunt, quòd Pastor cum suis ovibus ad pugnam egressus est, ignorant isti, vel invidiæ fascino superati ignorare se simulant, quænam antiquitùs fuerit populi Dei consuetudo: Nempe, quòd Sacerdotes & Levitæ cum populo ad bellum exibant, ut milites ad preces excitarent, docerent, consolarentur & corroborarent, sicut hoc Deus ipse expressè & seriò Deuteron. 20. cap. præcepit. Iuxta hunc morem & institutum excellens Propheta & servus Dei Heliseus fuit in exercitu trium Regum Israëlis, Iudæ & Idumæorum, ac toti exercitui consuluit, magnoque usui fuit, sicuti 4. Reg 3. scribitur. Eodem modo postea Christiani Imperatores Constantinus, Valentinianus, Gratianus, Theodosius, aliique pii Reges, Principes at populi, veram religionem & cultum Dei in castris suis exercuerunt, neque religionis exercitio & Ecclesiæ ministris in bello caruerunt. Christianam hanc veterem atque laudabilem consuetudinem, Heluetii semper retinuerunt, atque adhuc hodie servant & suos Sacerdotes, vel Ecclesiarum Ministros secum ad bellum educunt. Et quidem, Sleidano etiam teste, Tigurinorum ita fert consuetudo etiam, ut cùm in hostem exitur, Ecclesiæ Minister primarius unà prodeat. Zuinglius etiam vir fortis aliòquin & animosus, cùm secum reputaret, quòd si domi resideret, ac prælium fortè fieret adversum, fore, ut magnam ipse sustineret invidiam, quasi concionibus quidem accenderet hominum animos, in ipso autem discrimine remollesceret, voluit omnino communem subire Martem. Quid hîc deliquit obsecro Zuinglius? quid peccavit? quodnam scelus aut facinus indignum commisit? Prælio, aiunt, interfuit. Atqui hoc mandavit Deus in lege sua, neque unquam in popula Dei pro crimine habitum fuit. Deinde, fert & jubet hoc etiam cansuetudo patria. Apud omnes igitur honestos & nullo pravo præiudicio fascinatos homines, laude patiùs quàm reprehensione dignus erit.

In veteri Test. Sacerdotes jussu Dei intererãt bellis. Consuetudo veteris Ecclesiæ & Heluetiorum.

Nota autem quæso hîc Lector, summam istorum hominum iniquitatem, quâ quod in nostris reprehendunt, id in suis laudant. Costerus Iesuita in Apolog. par. 3. c. 9. Ais, *inquit,* Sanderùm nostrum, & cœteros conjuratos in Hibernia contra serenissimam Reginam Angliæ armatos fuisse. *Respondeo, D. Sanderum cum aliis Sacerdotibus exercitui fuisse auxilio in his, quæ conscientiam concernunt. Quid hic mali? Vin' dicam? Nihil præter perfidiam, rebellionem, rapinas, parricidium. Sed ad rem. Zuinglius in bello adversùs Papistas occubuit, & Sanderus cum aliis Sacerdotibus adversùs Orthodoxos trucidatus est. Iam ergo sumus pares, nisi quòd Zuinglius pro patria sua, Sanderus contra patriam suam buccinator extinctus est.*

Quòd Zuinglius in bello occubuit ignominia.

* *Præterea quoque ignominiæ loco Zuinglio obiiciunt, quòd in prælio cum suis occubuit, & hinc non solùm de anima eius salute, sed etiam de tota ejus doctrina æstimare & indicare*

volunt:

volunt: Ipsum enim in peccatis mortuum & proinde gehennæ filium, falsæque doctrinæ auctorem esse, hoc tam crudeli mortis genere Deum toti mundo significare voluisse, dicere non erubescunt. Quasi verò in Dei consilium ipsi admissi sint. Sed oportet, vt huiusmodi plùs quàm indignis mendacijs animum suum prodant, qui non nisi suum honorem, & famæ secularis auram quærere consueuerunt. Occisus est certè in bello Zuinglius, pro Christo, pro vera Religione, proque Patria cum multis alijs pijßimis honestißimisque viris fortißimè pugnans, suosque confirmans. Num autem ideo infelicem, miserum, imò damnatum, pseudoprophetam & falsæ doctrinæ authorem fuisse dicemus? Quin ergo sanctißimos quosque damnamus, quorum maxima pars istiusmodi præmium à malè grato mundo retulit. Nónne Christum mendacij accusabimus, si damnati, miseri, impij & falsi doctores sunt, qui ita pereunt; cùm ille beatos pronunciet, qui persecutionem patiuntur. In mundo, *inquit*, afflictionem habebitis: & veniet tempus, vt quisquis interficiat vos, videatur cultum præstare Deo. Omnes etiam, qui piè in Christo viuere volunt, *teste Apostolo*, persecutionem patientur. *Zuinglius ergo eâ morte obijt, quâ sanctißimi quique sublati sunt, & nos meritò ex obitu illum nec infelicem, nec impium, sed verum Christi cultorem & æternæ beatitudinis hæredem iudicamus. Eos verò quibus suum illud ab euentu desumptum iudicium tantopere placet, & miseros & impios pronunciare non dubitamus. Impios quidem, quòd cùm Christiani dici velint, cruce tamen offendantur, & mundi felicitatem respiciant: miseros autem, quòd nec ea vident, quæ Ethnici multijugâ experientiâ edocti intellexerunt. Discant etiam ex Poëtis, qui Christum doctorem audire nolunt. Sic enim quidam cecinit:*

Careat successibus opto;
Quisquis ab euentu facta notanda putat.

Exempla Papistarum qui misera morte perierunt.

Aut si hoc istorum argumentum sit legitimum, possemus huius generis exemplorum multa millia proferre. Cúmque adeò sint importuni, vt infelicem exitum vnius vel alterius Ministri nostrarum Ecclesiarum nobis perpetuò obijciant: non erit alienum de illorum quoque Episcopis, Presbyteris ac Ministris pauca subiungere. Incipiam autem à Papis Christi vicarijs. Anastasius 2. *anno Christi* 499. *dum ventrem exonerat, vt Volateranus & Platina referunt, intestina & animam in latrinam effundit, misereque perit.* Vigilium *Theodora Augusta Constantinopolim abductum, contumelijsque ac verberibus affectum, fune in collum eius iniecto, per vrbis plateas illum trahi fecit, & tum demum in exilium pelli, Platinâ auctore.* Sabinianus *horrendo quodam noctis visu obstupefactus, anno Domini* 606. *infami morte perijt, Balæus.* Martinus 1. *catenis vinctus & Constantinopolim perductus, in Chersonesum Ponti in exilium deportatur; vbi multis calamitatibus circumuentus, ac rerum omnium inopiâ pressus, miserè obijt: Platina & Balæus.* Agathonem *horrenda pestis sustulit.* Eugenius 2. *à ciuibus Romanis oculis & vitâ priuatus est.* Iohannes 8. *in quadam processione solenni ad Lateranensem Ecclesiam, inter Colosseum & Clementis fanum, puerum ex fornicatione conceptum, in media Roma in ipsa platea, in via publica, coram toto populo peperit, eoque loci ex partu obijt anno Christi* 857. *Stephanus* 6. Formosi *Papæ corpus è tumulo extractum, Pontificali habitu spoliatum, indutumque seculari, sepulturæ laicorum mandauit, abscißis antea duobus dextræ manus digitis, ac in Tyberim proiectis.* Sergius 3. *prædicti Formosi corpus, post octo annos à sepulturâ, denuò ex terra effodit; & sedi Papali impositum: capitali supplicio, ac si viueret, affecit. Tres quoque digitos ex altera mutilatione relictos amputauit; & corpus ipsum cum his omnibus in Tyberim projici iußit, tanquam communi Christianorum sepulturâ indignum.* Iohannem 11. *Guidonis Thusciæ Marchionis iussu, milites nonnulli, comprehensum, ceruicali super os eius iniecto, miserrimè occiderunt.* Iohannes 13. *dum quadam nocte extra Romam, anno* 964. *cum strenui cuiusdam viri vxore se oblectaret, ita est ab eo pugione confossus, vt infra octiduum moreretur.* Iohannes 15. *captus, oculis priuatus, & in Adriani molem coniectus est: Vbi tandiu pædore carceris, inediâ, & animi molestiâ macerabatur, donec vitam turpiter finiret. De* Benedicto 9. *Benno Cardinalis scribit, quòd in sylua à quodam dæmone suffocatus sit.* Lucius 2. *militibus immixtus ad Capitolium, lapidibus & saxis ita est quassatus anno Domini* 1145. *vt breui pòst sit mortuus.* Adrianus 4. *cùm expatiaretur apud Anagniam, musca inuolauit in os eius: cumque Medicorum arte eximi non posset, præclusit illi spiritum, atque ita suffocatus obijt. De* Innocentio 4. *narrat Cestriensis lib.* 7. *quòd in eius curia audita sit hæc vox:* Veni miser in iudicium Dei, *& quòd sequenti die repertus sit in lecto Papa mortuus, liuidaque in eo plaga, tanquam si fuste percussus fuisset.* Iohannes 22. *testudine quadam, quæ subitò corruit, oppressus, miserè interijt.* Conon, Sisinnius 2. Valentinus 1. Leo 6. Stephanus 7. Iohannes 16. Iohannes 19. Clemens 2. Leo 9. Victor 2. Stephanus 9. Nicolaus 2. Victor 3. Gregorius 9. Cœlestinus 4. Benedictus 11. Vrbanus 5. Alexander 5. & 6. Clemens 7. Leo 10. *omnes*

Anastasius Papa. — Vigilius. — 1531. — Sabinianus. — Martinus. — Agatho. — Eugenius. — Iohannes 8. — Formosus. — Sergius 3 — Iohannes 11. & 13. — Iohannes 15. — Benedictus 9. — Lucius 2 — Adrianus 4. — Innocentius 4. — Iohannes 22. — Papæ veneno necati.

1531.

veneno necati sunt. Subitaneâ autem morte perijt Benedictus 1. Nicolaus 3. Paulus 2.

Minerius Gallus.

Minerius *Gallus ex internis viscerum flammis miserè perijt, vt refert Panthaleon in historia Gallica Eum Medici non sanare, imò ne aspicere quidem potuerunt. Tandem horrendas blasphemias in Christum euomens, animam efflauit.* Eccium *morientem Carionis Chronicon testatur, de nulla alia re locutum esse, nisi de nummis: Si tantum nummorum acquiri posset, transactam rem esse. De* Pigghio *aliqui scribunt, fuisse illum in tumultu oppressum in magna hominum frequentia, vnà cum pecunia illa, quam à Papa & Cardinalibus, propter operam suam in causa Pontificia defendenda collocatam, acceperat. De* Latomo *constat, eum desperabundum mortuum esse. E suggesto blasphemauit, & repentè insanus factus est. Quid de Stephano Gardinero dicam? is enim paucis diebus antequam moreretur, tam grauiter olebat, vt non amici modo & domestici, sed nec ipsemet quidem sui fœtorem aliquo pacto ferre posset. Corpus totum instar vtris distentum, oculi distorti & in caput retrusi, gena macie confecta, horrendum spectaculum præbuerunt. Oris graueolentia tanquam Orci quædam sentina fuit. Dolores continui, spasmi & putrefactiones, omnia membra occupârant. Ac inter hos cruciatus, nihil ex impurissimis faucibus, præter sordes & blasphemias, vnquam auditum fuit. Tandem verò horrendis doloribus enecatus, inter diras execrationes, contumeliasque, miserrimè vitam exhalauit, vt Balæus in suis Centurijs ex* Whityngami *præfatione quadam refert.* Crescentius *Cardinalis qui primò Concilio Tridentino præfuit, cùm in cubiculo sederet, & multas literas ad Pontificem & alios scriberet, iam iamq; aduesperasceret, visus est sibi canem videre atrum micantibus oculis. Accersit continuò famulos; quærunt illi, nec inueniunt. Ille deinde ex nescio qua suspicione, repentè extinctus est.* Hesselius *inter Pontificios Theologos celebratus, testantibus Henrico Granio & Ioh. Soteaux epistolâ præfixâ Hesselij breui & Catholicæ Decalogi explicationi, innumeros morbos contraxit; primùm febres acutissimas, dehinc atrocissimã ac penè quotidianã calculi carnificinam, adhæc molestissimam podagram, subinde diuturnam grauissimamq; tussim, mox etiam hæmaptysim, deniq; & apoplexiam, quæ semel iterumq; recurrens, vbi totum iam eum in suam redegit potestatem tãdem post annuam propè luctam miserè oppressit atq; extinxit. Alia multa sunt huiusmodi exempla ministrorum Antichristi, quorum tragicus & infelix exitus fuit. Similia de Lutheranis proferre possemus, si offendere infirmos liberet: Aliqua tamen in historia progressu referemus.*

Eccius. — *Pigghius* — *Latomus* — *Gardinerus.* — *Crescentius Cardinalis.* — *Hesselius*

Zuinglio in ministerio Ecclesiastico successit Bullingerus.

Zuinglio in ministerio Ecclesiastico successit Henricus Bullingerus, *qui priùs Scholæ Capellis sub* Wolfgango *Ionero Monasterij Abbate pijssimo, postea Ecclesiæ Bremogarti, Heluetiorum municipio, magnâ laude præfuerat. In Schola verò Tigurina, lectio Theologica Theodoro Bibliandro, Hebraicæ linguæ peritissimo, demandata fuit. Bullingerus autem longo tempore solus ferè, metu tacentibus alijs; Zuinglij sententiam de Cœna publicis scriptis defendit & propagauit.*

Oecolampadij felix obitus.

Mense Nouembri, Oecolampadius continuis laboribus & curis exhaustus, in lethalem morbum incidit: Anthrace enim super os sacrum correptus fuit. Morbum non parùm auxisse & mortem promouisse creditur, mœror quem accepit ex acerbissimo illo & calamitosissima ciuili bello, ac cæde Zuinglij, cum quo coniunctissimè vixerat. Priusquam verò decumberet, diu ante corporis ægritudinem sensit, nec tamen ideo aut concionari, aut prælegere, aut lucubrari desijt. Vbi autem vi morbi superatus decumbere coactus est, diebus plùs quindecim decubuit. Medici summo studio & curâ, idque à Senatu iussi, illi affuerunt. Interea quantum amicorum in vrbe fuit, ordinum quidem omnium, vt pato de Senatu optimus quisq;, de Doctorum numero & plebe illum inuisere cœperunt, quos omnes humaniter acceptos & piis consolationibus confirmatos à se dimisit. Vbi verò decimus quartus ab eo quo decũbere cœpit tempore dies illuxisset, & natura vires deficerent, vt extremam fati sui horam in propinquo adesse non obscurè sentiret, pastores, doctores & Ministros Ecclesiæ Basiliensis omnes ad se vocauit; quos, cùm adessent, in vera fide confirmauit, charitatis studium commendauit, & vt in Christiana veritate constantes esse pergerent, hortatus est. Ac inter alia multa hæc quoq; dixit: Corruptę veritatis scelus, quod nobis imputatur, nihil moror. Subeo iam bonâ, per gratiam Dei, conscientiâ tribunal Christi, hic liquidum erit, Ecclesiam per nos non esse seductam. Cuius quidem sententiæ contestationisque nostræ vos testes relinquo, & ipse hoc extremo spiritu confirmo. *His dictis, omnes ministros accedere iussit, vt dextris datis Ecclesiæ curam bona fide suscepturos esse pollicerentur. Postridiè, quæ iam quindecima dies fuit, liberos & vxorem in conspectum adduci iussit; quibus cùm valedixisset, vxorem, vt liberorum curam gereret, & in pietatis ac religionis studio educaret, hortatus est. Vbi verò crastina quoque quæ decimum sextum & fatalem diem sanctissimo viro aduehebat, aurora oriri cœpit, celeberrimam illam Dauidis Psalmo* 51. *pro peccatis deprecationem integram à principio ad finem, ductis ab ima pectore piis gemitibus palàm omnibus peregit. Interea adfuerunt decem ex fratribus,*

bus, in genua circa lectulum deuoluti, sublatis omnes in cælum animis & manibus. Postquam Psalmum graui & difficili sermone totum absoluit, & vltima iam vitæ portio superesset, hanc vltimam vocem, Salua me Christe Iesu, *edidit: & paulò pòst spiritum Creatori reddidit, tantâ animi per omnia lenitate, tam certâ ac firmâ in Christum fiduciâ, vt quotquot præsentes erant, singularem inde consolationem perciperent. Et postquam vitâ hac defunctus esset, magno & publico luctu ad sepulturam delatus est, ipsum funus tota ciuitate & omnis ordinis hominibus comitantibus. Hæc reuerà sic gesta esse, Simon Grynæus Basiliensis Academiæ Professor in vita Oecolampadij testatur, qui horum omnium auditor & spectator adfuit, & mortuo oculos clausit pro ea coniunctione qua sibi cum eo semper fuit. Et tamen Lutherum, Cochleum, aliosque de ipso spargere non puduit, eum à Diabolo suffocatum expirauisse; & mane ab vxore exanimem in lecto inuentum fuisse: vel, vt alij referre non erubuerunt, ipsum vel suis ipsius, vel suorum manibus clam peremptum esse: in doctrina quoque de Cœna Domini continuis animi hæsitationibus & fluctuationibus hinc inde iactatum subinde fuisse.*

Mendacia de Oecolampadio post mortem eius sparsa.

Sepultus est in summi Templi circuitu, vbi hoc eius Epitaphium visitur: D. Iohannes Oecolampadius, Professione Theologus, trium linguarum peritissimus, author Euangelicæ doctrinæ in hac vrbe primus, & Templi huius verus Episcopus, vt doctrinâ, sic vitæ sanctimoniâ colendissimus, sub breue saxum hoc reconditus iacet.

Epitaphium Oecolampadij.

Oecolampadio in ministerio Ecclesiastico successit Osuualdus Myconius Lucernas, qui Tiguri Ludimagistrum per aliquot annos egerat: & Zuinglio propter doctrinam & vitæ integritatem perquam familiaris fuerat.

Oecolampadio in ministerio successit Myconius.

Cùm autem res Tigurinorum propter recentem cladem valdè afflicta essent, & duo præclara illa Ecclesiæ lumina, breui temporis interuallo sublata fuissent, subitò multorum animi consternebantur. Pontificij cristas erigebant, & maiores sibi spiritus sumebant, optimosque viros contumeliis lacerabant. Iohannes Faber Episcopus Viennensis, quem Zuinglius anno 1523. Tiguri publicè ad disputationem in Synodo Ministrorum Ecclesiæ prouocârat, librum edebat, quo probare conabatur, Tigurinos propter contemptum Sacramentorum, precum, ieiuniorum, propter sacrilegia, propter nouam & hæreticam doctrinam, tam tristem cladem accepisse. Huic verò libello Bullingerus alium opposuit, quo ostendit, Deum offensum quidem populi peccatis atque sceleribus, hanc cladem eis immisisse, vtque suos probaret, non quòd de religione perperam senserint.

Tigurinorum clade spiritus crescunt hostibus, & multi propter eas à veritate deficiunt.

Lutherani quoque, quotidianis concionibus, epistolis, libris & carminibus victis insultabant, affirmantes, Zuinglium eiusque discipulos, contemptus sacramentorum meritas debitasque pœnas Deo hominibusque persoluisse. Numerum præliorum & cæsorum, etiam admoniti augebant, vt doctrinam Tigurinorum odio & inuidiâ grauarent. Multi qui antè partes Zuinglij acriter defenderant, clade & ærumnis Tigurinorum fracti, paulatim deficiebant. Multi solo metu à libera huius doctrinæ professione prohibebantur. Multorum dogmatum, à quibus Zuinglius alienissimus fuit, quæque strenuè impugnauit, originem ad ipsum quidam referebant. Odiosè in vulgo spargebatur, Zuinglianos Christi præsentiam tollere è Cœna, vacua & inania symbola ponere, omnipotentiam Dei negare, fidem verborum Christi violare. His aliisque multis calumnijs, ac mendaciis vanissimis res eò tandem deducta est in Germania, præsertim autem in Saxonia, vt multi nimis graui præiudicio, Zuinglij & Oecolampadij nomen, tanquam pestilentissimorum hæreticorum, vix audire dignati sint: quæcunque ab eis profecta audiebant, nec visa nec audita, nec lecta condemnârint.

Mox ab hac Tigurinorum clade acceptâ ad Capellas, scripsit Martinus Bucerus Bullingero & Leoni Iudæ, Ecclesiæ Tigurinæ Ministris, Lutheri sententiam de Sacramentis sibi tolerabilem videri, neq; multum à Zuingliana differre, inque verbis potiùs, quàm ipsa re & sensu, dissensionem esse positam.

Bucerus scribit Tigurinis Lutheri sententiam non multum à Zuinglij differre.

Rescribunt illi Bucero, eumque hortantur, ne à manifesta veritate, quam tot concionibus, prælectionibus, publicis disputationibus & scriptis propugnârit, iam demum ad Lutheri dogma, de corporali præsentia Christi in Cœna deflectat. Alios quoque Ecclesiarum Ministros per Sueuiam crebris literis hortabantur, ne ærumnis Helueticarum Ecclesiarum fracti, bonam causam desererent.

Tigurini respondent Bucero.

Hoc anno quoque Gallia, in qua Euangelij quædam semina iam sparsa erant, diuturnam & horribilem persecutionem mouebat: in qua illi præcipuè qui de Sacramento Eucharistiæ Zuinglij partes sequebantur, diris supplicijs affecti sunt.

Persecutio Gallica.

ANNVS DOMINI M.D.XXXII.

Hoc anno mense Aprili, conuenerunt Suinfurti in Franconia Principes, atque Ciuitatum Euangelici nominis Legati, vt de pace adusque generale Concilium seruanda tractarent. Ab Archiepiscopo Moguntino & Friderico Palatino intercessoribus, actionem permittente Cæsare, inter alias conciliandæ pacis rationes, hæc quoque Cæsaris nomine proposita

Conuentus Protestantium Suinfurti.

1532.

fuit: vt qui Confessionem Augustanam & eiusdem Apologiam abtulissent, quine postea doctrinam hanc recepturi essent, nihil praterea ad Concilium vsque innouarent: in qui de Cœna Domini & Baptismo secus docerent, quàm Augustana habeat Confessio, sese, quod doctrinam attinet, minimè coniungerent. Eò autem spectabant, vt Principes à plerisque Ciuitatibus diuellerent, Sleidana teste. Postea in disceptatione addebant, quòd si Zuingliani errorem suum faterentur atque deponerent, comprehendi eos etiam hac in pace: sin minùs, tum deserendos, nec auxilij quicquam eis communicandum, neque fœdus vllum cum eis faciendum esse.

Argentinenses cum sociis Ciuitatibus recipiuntur in fœdus à Protestantibus

Cùm autem anno superiori Smalcaldia conuenisset inter Protestantes, & Argentinenses ac Sueuia Ciuitates aliquot dogma suum de Cœna Domini, copiosiùs tunc explicâssent, vt eorum interpretatio approbata, & ingenuè à Principibus Protestantium confessum fuisset, eam ab Augustana Confessione reipsa non dissentire: ideo nunc quoque in hoc Suinfurtensi Conuentu in consortium Confessionis Augustana & fœderis à Protestantibus recepti sunt; hac tamen cautione ab Argentinensibus additâ, vt sua Ciuitati sua Confessio dami sua & suis Pastoribus & populo salua & integra relinqueretur; id quod à Principibus Protestantibus concessum est eis, hoc insuper promittentibus etiam, ex Augustana Confessione non ius fore contra Argentinenses in Conuentibus Imperij vllis disceptare. Et nisi hac exceptia recepta fuisset, nisi recusassent pati, vt aduersùs se ex Augustana Confessione argumenta sumerentur, in Conuentibus Imperij, vt hinc causa nouarum contentionum sumerentur, nunquam Argentinenses Confessioni illorum subscripsissent. Qua quidem amnia, cùm ex alijs monumentis, tum ex epistola Buceri ad Lycosthenem, & Iohannis Sturmij Antipappi 4. parte prima, verè confirmari possunt. Inde factum est etiam, vt Principes & Ciuitates Suinfurti, prater intercessorum opinionem, vnanimes, idem omnes ad singula pacis capita responderent.

Principum conuentus Noriberga.

Cumque vtrinque ventum esset ad extremum, neque propiùs coniungi possent; intercessores pergendum esse tamen in actione ducebant, & quò celeriùs ad Casarem omnia perferrentur, Noriberga conuentum alterum indicunt ad tertium Iunij diem. Ibi tandem, licèt summa rei conciliari non posset, tamen, quòd irruente in Austriam Turcâ, necesse erat omnes vndecunque vires contrahere, Casar pacem publicam totius Germania sancit; & ne religionis causâ cuiquam vlla molestia creetur, edicit, adusque Concilij tempus.

Landgrauius non vult

In vtroque conuentu Philippus Hassia Landgrauius, causam Zuinglij aduersùs eos strenuè defendit, qui doctrinam ipsius proscriptam volebant.

Zuinglij doctrinam proscribi. Lutherus scribit Marchioni Brand. vt sibi caueat à Zuinglij doctrina

Hoc anno quoque Lutherus ad Illustrissimum Principem Albertum Marchionem Brandeburgensem epistolam scripsit & typis euulgauit, quòd in eius ditione plurimi Zuinglij doctrinam approbârant atque receperant. Initio statim Lutherus causam publicationis indicans, sic inquit: Scriptum hoc publicè euulgare volui, vt hæreticis & fanaticis ostenderem, me ampliùs de hoc negotio cum ipsis agere nolie. *Tandem post multa in Sacramentarios & horrenda conuitia iactata, illud apud Principem precibus & admonitionibus impetrare contendit*, vt Sacramentarios, eorumque doctrinam deuitet, & intra ditionis suæ limites serpere nusquam patiatur: alioquin conscientiam suam immani scelere aggrauaturum esse, sic vt nunquam fortassis illam pacare rursus liceat.

Lutherus Marpurgensis Conuentus pacta primus violat atque rumpit.

Cùm autem hoc à Luthero fieret contra omnium expectationem, imò etiam contra pacta Marpurgensis Conuentus, vt suprà à nobis indicatum, atque ipse quoque Lutherus fassus est postea in Confessiane sua minore, ea canditione solutus est, vt pars vtraque se alteri amicam p[illegible]bere, & ab acerbo illa & acri contentiosorum librorum Styla sibi temperare deberet, &c. Tigurini hoc Lutheri scriptum magno cum dolore legerunt, indignissimeque tulerunt, quòd eô magnum atque immensum ad pugnam & contentiones campum apertum esse facilè animaduerterent.

Tigurini scribunt & Marchioni Brandeburgensi.

Quoniam verò vnicus epistola illius finis & scapus erat, vt Illustrissimus Princeps omnes eos agro & ditiane sua pelleret, qui Lutheri doctrinam minùs probarent, Tigurini quoque illorum arumnas miserati, ad eundem Principem literas dederunt, intercesseruntque pro illis, hoc vnum humiliter precati, ne quid seueriùs in eos statueret. Lutherum autem & eius nomen existimationemque ne vnico quidem verbo arroserunt, nec conuitia conuitiis retulerunt. Sic enim verba epistala illorum inter alia habent: Lutheri famam ac nomen nullo modo hisce nostris vel eleuare vel extenuare cupimus: Ipsum sanè eximium Dei seruum agnoscimus, faremur quoque Deum illius operâ vsum multos & eximios fructus in vniuerso terrarum orbe protulisse. Hoc vnum verò iilum admonemus, vt se hominem esse agnoscat, & quòd non omne illud Dei Spiritus sit, quod ab ipso scribitur, vel dicitur & agitur, quòd denique errare possit, & ne suos in opere Dei conseruos in vniuersum contemnat & rejiciat. Nam & Petrum eriam post acce[illegible]um Dei Spiritum errauisse, & Pauli correptio-

reptionem patienter tulisse constat. Nequaquam enim conuenit, vt carnem pro Spiritu venditemus. Saul à Domino electus erat, & tamen in multis errauisse legitur. Similiter & Dauid, vir iuxta voluntatem Dei celebris, quâ ratione adulterium suum Spiritus fuco velare poterit? En vt Moses quoque, fidus ille in domo Dei seruus, vacillans & impingens errauerit. Lutherum ergo precamur, vt nos fratres suos agnoscat, se à nobis non separet, nos non in vniuersum abjiciat: omnem de nobis charitatis & pacis spem illi pollicemur, ipse solummodo agnitam veritatem nos deserere ne cogat, &c.

Lutherus inhumanior fit. Tigurini mittunt Marchioni Bertrami librum.

Hæ verò amicæ & placidæ ad Principem literæ, apud Lutherum tantum effecerunt, vt indies inhumanior & insolentior factus sit.

Miserant quoque vnà libellum Principi Bertrami, apud Carolum Caluum Imp. in magna quadam existimatione Theologi: vt vel ex illo cognasceret, doctrinam Zuinglij de Cœna Domini, non nouam & falsam, sed consensu antiquissimorum Ecclesiæ scriptorum, & Orthodoxorum Patrum firmatam & veram esse.

ANNVS M.D.XXXIII.

Lutherus ad Francofurtensis scribit contra pacta Marpurgensia.

Similiter etiam hoc anno Lutherus epistolam ad Francafurtensem ad Mœnum Senatum populumque scripsit contra Marpurgensia pacta, in qua præter omnem modum conuitiatur, quòd cognouisset, ipsorum concionatores Zuinglij sententiam & doctrinam de Cœna populo proponere. Ac inter alia non valde Theologica nec pia sic scripsit: Multos reperias, qui ore quidem dicunt, Christi corpus & sanguinem verè in Cœna adesse, sed tantùm spiritualiter, non corporaliter: Accipi etiam solâ mentis fide, & non corporaliter ORE, quòd præter panem & vinum nihil accipiat. *Rursus:* An non est hoc diabolicè ludere in verbis Christi, & pijs mentibus turpiter decepris, Sacramentum eripere? *Item:* Bilinguis ista factio dicit, Christi corpus & sanguinem verè in Sacramento adesse, sed spiritualiter, & non carnaliter. Atque ita in errore suo perseuerant, quòd nihil præter panem & vinum in sacramento adsit, *&c. Quid his vnquam atrocius, & minus rectè Christianeque ab ipso dici potuit, quàm nudum & simplicem panem esse & manere, in quo Christus corporaliter & ore non manducatur? Item: Diabolicâ imposturâ seduci & sacramento defraudari, qui corpus & sanguinem Christi, in pane & vino Dominicæ Cœnæ, spirituali ratione & modo, per fidem, intus & in corde participare se credunt. Habet autem Lutherus huius sui sacramentarij delirij, tam semetipsum alibi rectiùs sentientem, quàm etiam totius Orthodoxæ Vetustatis consensum, contra quem etiam nihil se hac in parte sentire velle, alibi clarè protestatus est, vt suprà indicauimus.*

1533.

Ibidem Lutherus sic parrò scribi: Quæstio est, an homo Christianus, præter nudum panem & vinum, ore, nihil accipiat, & quid ei manibus Ministri porrigatur? Hîc non decet pulmentum in ore voluere & reuoluere, & Mum Mum respondere, vel obscuris inuolucris venditare. Nec etiam decet sub pileo ludere, aut tenebrionem agere. Si quis igitur certò nouit concionatorem suum Zuinglianizare, ipsum deuitet, & per omnem vitam sacramento carere, imò mori insuper & quiduis pati, quàm ab ipso illud sumere malit.

Iterum: Ab officio & suggestu repellendi, & ditione ejiciendi erant isti homines, *Ibidem quoque* Archidiabolos *eos vocat, & tanquam Diabolum ipsum fugere iubet.*

Item: Si concionator tuus tibi suspectus fuerit, ipsum liberè accedas velim, & significanter hoc tibi expedire iube, quid nimirum hoc esse dicat, quod ipse manibus suis tibi porrigit, & tu ore excipis: omissâ interim quæstione hac, quid animus internè vel credat, vel non credat.

Huic verò iniustissimæ criminationi Lutheri, Francofurtensis Ecclesiæ Ministri Dionysius Melander, Petrus Chomburgius, Iohannes Bernhardus, & Mathias Lympergius jussu Magistratus sui, grauissimam opposuerunt responsionem, quam etiam hoc anno in lucem ediderunt. In ea enim criminationes has atrocissimas à se depellunt, & grauiter de Luthero queruntur, quòd eos nullius adhuc erroris conuictas, hominum quarundam vanissimorum mendacibus literis solùm impulsus, tam atrociter, & iniquè adortus sit, & calamum contra eos strinxerit. Rogant, ne inauditi condemnentur: pollicentur etiam se paratas esse rationem de sua doctrina cuique reddere, & meliora ex Verbo Dei docentibus, non sine gratiarum actione, & cedere, & obsequi in Domino: iniuriam quoque sibi fieri palàm scribunt, si vel literis, vel sermonibus de se spargatur, quòd Lutheri doctrinam illudant, & cauillentur, licèt non Lutheri doctrinam; sed Euangelium de crucifixo Christo prædicent.

De Sacramento autem Cœnæ, quæ ipsorum sit sententia, vt omnes intelligant, Se docere confitentur omnia, quæ de illo Euangelistæ Paulus, & S. Patres scripserunt, nempe quòd non minùs hodie, quàm in nouissima Cœna

1533. Cœna illa, omnibus fidelibus, quum hanc Cœnam vt Christus instituit, repetunt, Verum suum corpus, & verum suum sanguinem, verè edendum, & bibendum, in cibum, potumque animarum, quo illæ in vitam æternam alantur, dare dignetur Dominus; vt iam ipse in illis, & illi in ipso viuant: ac permaneant, juxta illa sua æternæ veritatis verba; Accipite, & manducate, Hoc est corpus meum, &c. Bibite ex eo omnes, Hic calix est sanguis meus, &c. præcipuâ verò diligentiâ sese populi animos ab omni, tum contentione, tum supervacaneâ, & curiosâ disquisitione, ad illud reuocare, quod solùm prodest, solùmque à Christo Seruatore spectatum est: nempe, ut ipso pasti in ipso, & per ipsum viuant vitam Deo placitam, & sanctam, sintque inter sese omnes unus panis, unum corpus, qui de uno pane in sacra Cœna participârunt. Ex his igitur, quæ verè sic se habeant, agnoscere posse omnes, & singulos, nullo prauo præjudicio fascinatos, quàm falsò à Luthero, aliisque de ipsis jactetur, quòd verba Christi immutent, & humanis glossis concerpant: nec nisi merum panem, merumque vinum in Cœna sua administrent, ipsamque adeò Domini Cœnam, apud ipsos summè contemptam esse. Nam summo studio, se suosque docere, & hortari populum, ut simplici quisque fide, hæc Domini verba, rejectis vniuersis hominum commentis, falsisque glossis, amplectatur, eorumque sententiæ, omni submotâ vacillatione, animum addicat: ipsa denique Sacramenta, in viuificam animarum suarum alimoniam, & gratam tanti beneficij commemorationem, identidem, quantâ possit religione, sumat.

Similiter se hactenus docuisse, in Cœna Domini, panem & vinum non mutari in sua natura, nec mutationem vllam fieri substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, juxta Papistarum figmentum; Non propterea autem in Cœna nil nisi panem & vinum esse, sed Sacramentalem & Domini panem & calicem, sanctissimum Sacramentum veri corporis, & sanguinis Christi, idque propter vsum & institutionem Christi. Inde verò nequaquam sequi, se in Cœna nihil præter nudum panem, & vinum habere: sed quomodo Christus dixerit, Accipite, edite, Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus, sic docere etiam sese, non dubitandum esse, quin Dominus exhibeat etiam verum, & substantiale corpus, & verum naturalem suum sanguinem in verum cibum animarum nostrarum. Quapropter insignem sibi iniuriam fieri à Luthero in atroci hac accusatione. Nunquam enim sibi in mentem venisse, fidelibus suâ doctrinâ pretiosum hunc thesaurum, nempe veram præsentiam Christi surripere, sed vt thesaurum hunc verè præsentem habeant fideles, in primis eos ad Christum ablegari verâ fide, sine qua neque Verbum, neque Sacramenta prosint, & Ministrorum omnium plantatio, & irrigatio inutilis sit. Et hæc quidem omnia sic se hactenus absque omni Mum Mum, & sine omni dolo, ac fraude docuisse, nec quicquam eorum, quę Dominus eis patefecerit, vnquam dissimulâsse. *Hæc ferè summa est Apologiæ Ministrorum Francofurtensis Ecclesiæ, ad quam Lutherus ne vnico quidem verbo respondit: Qua enim in Waldensibus, seu potiùs Bohemis probauit, ea in Francofurtensis Ecclesiæ Ministris damnauit, & atrocissimè insectatus est.*

Mense Majo, Bucerus Bartholomæo Fontio Veneto comitatus, Tigurum profectus est: & in Ministrorum Ecclesiæ Conuentu, sese à defectionis suspicione purgauit: ostendens, se de Cœna Domini hanc ipsam doctrinam adhuc retinere, quam hactenus professus esset, & in Bernensi disputatione contra aduersarios defendisset: seque in ea Dei beneficio, ad extremum vsque vitæ spiritum constanter permansurum esse. Videri autem sibi, quòd Lutherus verbis potiùs, quàm reipsa à Zuinglij dogmate dissentiat. Se enim certò scire, & comprobare posse, quòd Lutherus non talem Christi in Cœna præsentiam asserat, quæ fidei capitibus aduersetur. Hortabatur etiam Tigurinos, ne propter Lutheri epistolam ad Francofurtenses, acerbius quid contra eum tentarent vel scriberent. Illi acceptâ eius excusatione, simul ex eadem epistola ostendebant, quid sibi de Cœna Dominica prorsus sentire videretur Lutherus, quidque posthac ab ipso expectandum sit. Se verò omnino constituisse, quòd in ea doctrina quam hactenus in Ecclesia & Schola Tigurina tradidissent, Deo duce & authore, tantisper permanere velint, donec ex sacris Literis aliter edoceantur. Interim quæcunque ad pacem faciant, salua veritate diligenter curaturos. Hisque Bucerum amicè & honorificè dimiserunt.

Bucerus concordiæ causa Tigurum proficiscitur.

Ex hoc verò tempore Bucerus Argentinensium & piorum quorundam Principum iussu, adeundo Lutherum & Ecclesias, Symmystas appellando, ad Colloquia inuitando, scriptis vtraque lingua publicis & priuatis sollicitando, omnem lapidem mouit, vt Zinglianos cum Luthero coniungeret, & tristissimum hoc schisma ex Ecclesia tolleret: Nec conatus eius primò fuerunt irriti, vt in progressu historiæ indicabitur.

Buceri studium in conciliando concordia inter Lutherum & Zuinglium.

Quum

Quum autem Acta Suuinfurtensis conuentûs Augusta diuersimadè referrentur, quòd Augustani Legati ei non interfuissent; alijs quidem dicentibus, quatuor Ciuitates cum adjunctis, à priore sua confessiane defecisse & Lutheri dactrinam approbasse, quòd corpus Christi in Cœna corparaliter, & substantialiter edatur ore. Bonifacius Lycastenes cum Callegis, grauissimè M. Bucerum, aliasque Argentinensium Ministros accusarunt, quòd in tam ardua, sed justa, & bana causa tam inconstantes, & leues sese praestiterint, tantumque scandalum, defectione hac à veritate, dederint, de qua aduersarij supra madum triumphent. Conqueruntur etiam, quòd Bucerus eas hortetur, vt similiter & ipsi Augustana Canfessiani ejusque Apologia subscribant. Protestantur autem se de nulla alia communicatione corporis, & sanguinis Christi scire, quàm de ea, quam Christus Ioann. 6. tradat, quaque in Cœna externis, & visibilibus signis, & symbolis confirmetur; seque in hac dactrina perseueraturos, testantur, cum graui accusatione eorum, qui diuersam ab hac introducere conentur.

Ad hanc vehementem expostulationem, & querelam Augustanarum Concionatorum, respandit Bucerus prolixo scripto, & singula capita refutauit. Testatur autem disertè, quòd Imperij Ciuitates, Vlma, Constantia, Eslinga, Memminga, Lindauia, Biberacum, & Isenacum in Suuinfurtensi conuentu, à sua priore confessione, & doctrina, de Cœna Domini, Augustæ exhibitâ, nequaquam defecerint, sed quòd eam disertis verbis exceperint: Neque etiam sese, sua subscriptione Augustanæ Confessionis, vllum corporalem eium corporis Christi approbare: sed pollicitos tantùm esse, se Augustanæ confessioni contraria docere nolle. *Decimum autem articulum canfessionis emendata, & carrecta sic se habere, quòd* corpus, & sanguis Christi verè adsint, & cum pane & vino distribuantur vescentibus in Cœna. Hanc verò suam, & Augustanæ Ecclesiæ Ministrorum doctrinam hucusque etiam fuisse. Quamvis autem in Apologia de corporali communicatione doceatur, id tamen intelligi debere juxta Cyrilli sententiam quæ ibidem citetur, & eo sensu hanc communicationem probari, & recipi posse; quod etiam Oecolampadius fecerit. Nec unquam in mentem sibi venisse, transactione Suuinfurtensi à priore sua doctrina recedere, multò minùs deficere, id quod etiam publicè protestati sint. Quum autem verba Augustanæ Confessionis, quòd visibilibus signis panis, & vini verè corpus Christi verum, ejusque sanguis exhibeatur & præsens sit, & quæ Apologia doceat de corporali præsentia, bonum, rectum, & sanum sensum habere possint, se hæc verba improbare noluisse, ne hac ratione suam doctrinam suspectam facerent. Licèt etiam Lutherus cum suis, verba Confessionis, de orali, & quidem de impiorum quoque esu intelligere queant; id tamen ad se nihil pertinere, non enim sese sensui illorum alligâsse, sed verba probâsse, quæ sanum sensum habere possint, nec suæ doctrinæ contraria sint: Adeoque constituisse sese nihilominus in doctrina, de sola, & vera communicatione Spirituali corporis, & sanguinis Christi constanter perseuerare: cum prolixa protestatione, nequaquam metuendum esse, quòd transactione Suuinfurtensi, vel in unico verbo, à priore sua Cõfessione, & Apologia defecerint, aut imposterum deficere velint.

1535.

Scripsit etiam hoc anna Bucerus ad Michaelem Seruetum Hispanum sic inter alia de sua sententia de Cœna: Ego in omnibus meis scriptis testor, præcipuum in sacra Cœna esse exhibitionem corporis & sanguinis Christi realissimam, quia cœlestem & spiritualem. Nec vnquam aliud oppugnaui, quàm impanationem & carnalem manducationem, Realem & efficacem nunquam negaui. Nihilominus tamen Tropus est in verbis Christi, quia pluùs intelligitur quàm dicitur. Panis ostenditur & præbetur sensibus, & simul fidei exhibetur & traditur corpus Domini: hoc est, Domini communio, vt simus membra eius, de carne & ossibus eius. Absit vt ego à Cœna Christianorum dicam abesse Christum. Ipse sit inter nos, & doceat modestè de omnibus eius mysterijs inquirere, & id inuenire, vt viuamus in ipso, & ipse in nobis.

Bucerus ad Seruetum scribit de Cœna.

Scriptum quoque ediderunt Augustana Ecclesia Cancionatores, in qua astendunt, in quibus articulis cum Luthero in doctrina de Cœna Domini consentiant & dissentiant. Primò inquiunt, fatetur Lutherus in Confessione maiore & alibi, Duas res in Eucharistia dari, naturâ & essentiâ suâ distinctas, nempe panem & corpus Domini, vinum & sanguinem Christi. Idem nos quoque fatemur. *Secundò* fatetur, Has duas res vnam substantiam siue vnionem sortiri, quam sacramentalem vocat. Idque hanc ob causam, quòd corpus & sanguis Domini in sacramento nobis datur, hoc est rebus illis quæ videntur (vt Apologia ipsorum loquitur) nobis exhibentur. Idem etiam nos fatemur. *Tertiò* fatetur, propter hanc sacramentalem vnionem, corpori Dominico, ea quæ propriè loquendo non ipsi, sed

Quatenus Ecclesia Augustana ministri cum Luthero in doctrina de Cœna consenserint.

pani

1553. pani accidunt, tribui posse: verbi gratiâ: videri, palpari, ore manducari, &c. Sicuti Spiritum S. vel Angelum eos vidisse dicimus, qui tantùm columbam aut flammæ speciem, in qua Spiritus S. apparuit, viderunt. Idem quoque nos fatemur. *Quartò* fatetur, Dominum semetipsum præcipuè offerre: Ministrum verò ministerialiter corpus & sanguinem Christi exhibere, in eo quòd verborum ac Sacramenti distributione operam suam ad hanc exhibitionem confert, &c. Idem & nos fatemur. Iudicet iam prudentia vestra, an præter rem affirmemus, nos in fundamento huius negotij cum D. Luthero consentire. Nobis enim anathema erunt, quicunque dicunt in Cœna Domini nudum panem & vinum offerri, neque fatentur, vnicum & verum donum hîc esse, verum corpus & verum sanguinem Domini, imò ipsum Dominum totum atque integrum, verum Deum & verum hominem.

In quibus non consentiant cum Luthero. Interim autem non negauerimus, nos in quibusdam capitibus accessorijs & pbrasibus, fortè discrepare. Et primò, quia Dominus noster Christus Iesus, venerabile hoc Sacramentum, vt & Baptismum, omniaque alia, ipsius redemptionem nobis offerentia, illis suis discipulis instituit, quibus verba hæc dicta sunt: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, Hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum.* Item, Quia illi, qui vnus panis vnumque corpus inter se sunt, & veram corporis ac sanguinis eius communicationem habent, illius etiam sunt membra: colligimus inde, verum corpus & sanguinem Domini neminem accipere, qui non verè in Christum credat, eiusque membrum sit. Si quem enim nos Ministri sciamus, qui in Christum Dominum nostrum non verè credat, neque illius sit membrum, vtique Sacramentum ipsi porrigere non ausimus: idque hanc ob causam, quòd Christus id fieri nolit. Quia igitur Christus Dominus ipsemet hic verus Sacerdos verusque Actor est, vnumquemque omnium optimè agnoscens, nec nostris factis operationem suam alligans: quomodo igitur dicemus, ipsum hoc facere, quod vos facere prohibet? si eos tales esse sciamus, vt qui etiam corpus & sanguinem illius nolint, quales sunt omnes increduli, qui eam etiam ob causam Christum in Baptismo non induunt, vtut maximè ipsos pariter cum bonis baptizemus: nec etiam remissionem peccatorum consequuntur, si maximè ad ipsorum simulatam pœnitentiam eos absoluamus. Nos vtique non sumus ij, qui hîc præcipuè loquuntur & agunt, sed Christus Dominus, qui omnes nouit, & dona sua singulis, prout credunt, distribuit. Deinde etiam omnibus sanctis Orthodoxis Patribus attestantibus sentimus, Dominum in Eucharistia: vt de nullo alio suo corpore & sanguine quàm Iohan. 6. ita etiam de nulla alia corporis & sanguinis sui manducatione ac bibitione locutum esse, nisi quòd hæc in Eucharistia symbolis panis & vini exhibuerit, quæ Ioh. 6. absque signo & exhibitione, de carne sua manducanda, & sanguine suo bibendo elocutus est. Ita Ecclesia Orthodoxa semper sensit, cuius rei testimonia in omnibus quotquot extant Sanctis Patribus, nullis exceptis habentur. Verba etiam Domini vtrobique enunciata hunc sensum suppeditant. Quid enim discriminis inter hæc est: *Panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita.* Et inter illa: *Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur: Bibite, hic est sanguis meus, qui pro vobis effunditur in remissionem peccatorum,* nisi quòd, vti dictum est, in Cœna signa & exhibitio accedunt? Si verò secundùm propria Domini verba, eorumque sensum, quem Orthodoxa Ecclesia, omnium piorum Patrum testimonio, inde ab initio amplexa est, pro vna eademque corporis & sanguinis Christi manducatione per sese habeamus, & eam de qua Dominus Ioh. 6. agit: & eam de qua in Eucharistia loquitur. At verò Ioh. 6 Dominus inquit: *Qui carnem meam manducat, & sanguinem meum bibit, is in me manet, & ego in illo, & habet vitam æternam,* id quod nihil ad incredulos pertinet: in hac certè actione incredulis nihil præter Sacramenta concedere possumus, non verò ipsam Christi Domini manducationem, vt quæ semper vitam æternam conferat. Idem igitur cum Augustino sentimus, qui de Ciuit. Dei, lib. 21. cap. 25. ait: *Non manducare eos corpus Christi, qui non sunt in corpore Christi,* & hoc Dominum ipsum docuisse, quando Ioh. 6. inquit: *Qui manducat carnem meam, & bibit sanguinem meum, hic in me manet, & ego in eo.* Dicitque D. Augustinus: *Dominum his verbis ostendisse, quid sit non Sacramentotenus tantùm, sed reuera corpus Christi manducare & sanguinem eius bibere: hoc enim esse in Christo manere, vt in illo maneat & Christus. Sic enim hoc ipsum dixisse, tanquam diceret: Qui non in me manet, & in quo ego non maneo, non se dicat aut existimet manducare corpus meum, aut bibere sanguinem meum.* Hactenus verba Augustini. Hic verò fieri potest, vt Lutherus cum suis aliter sentiat, & corpus ac sanguinem Domini bonis pariter

riter & malis, fidelibus & infidelibus communem faciat. Dicunt promiſſiones diuinas ſeipſis niti, nec ex hominum fide vel incredulitate pendere: Hoc totum concedimus: Si verò promiſſio aliqua Domini nominatim & expreſsè ad credentes limitata ſit, non poſſumus eam cum incredulis communem facere. Iam verba Cœnę Apoſtolis & diſcipulis dicta ſunt, ad quos etiam hæc verba pertinent: *Hoc eſt corpus meum, quod pro vobis traditur, Hic eſt ſanguis meus, qui pro vobis effunditur in remiſſionem peccatorum*: Hæc vtique ad infideles non pertinent: Sicut & D Lutherus ſcribit: *Fanatici nihil in ſua Cœna habent, præter panem & vinum, quia verba Domini peruertunt.* Iam verò impij Cœnam Domini prorſus nihili faciunt, & hæc atque alia Domini verba peruertunt. Quid igitur ampliùs præter panem & vinum accipient? Alij plerique dicunt: Qui prorſus nihil credunt, eos nihil etiam à Chriſto accipere, perinde vt mus panem Dominicum arrodens: qui verò hiſtoricam fidem habeant, eos corpus Chriſti vnà cum pane manducare, ſed ſibimetipſis ad iudicium. Hac verò ratione negotium hoc ad fidem alligatur: poſſunt etiam illi corporis & ſanguinis Domini rei fieri, qui nihil hîc præter panem & vinum manducant, idque corpus & ſanguinem Domini, & præſtantiſſima hæc æternæ vitæ dona, in Verbo & Sacramentis oblata, rejiciendo ac reſpuendo. Ita etiam verè credentes; & Chriſtum reuera manducantes, nihilominus cœleſtium horum donorum reos ſe facere poſſunt, ſi ea verâ animi deuotione non accipiant: id quod Corinthij fecerunt, quos tamen pro cariſſimis fratribus & Chriſti Domini membris D.Paulus habuit.

Conciliatio prioris capitis.

Circa hoc caput conciliationem in eo ſtatuimus. Sumus vtique Eccleſiæ, hoc eſt, verè credentium Miniſtri: qui foris ſunt, nihil ad nos, & ipſa etiam Sacramenta ad credentes propriè pertinent. Cùm igitur Dominus nobis hoc largitus ſit, vt (quantum ad credentes attinet) in ipſo cauſæ huius fundamento conſentiamus, cur igitur impiorum nomine, quidnam illi accipiant, diſſideremus, præſertim cùm negotium hoc nihil ad ipſos pertineat, & nobis etiam hac in parte nihil cum ipſis commercij eſſe debeat? Marpurgæ ſanè ſi de reliquis conueniri potuiſſet, Lutherus ſe propter hanc de impiorum manducatione controuerſiam, piam conſenſionem, minimè abnuere velle affirmauit.

Alterum, de quo minùs fortè conſentimus, hoc eſt, cùm interrogamur, quomodo Chriſtum Dominum in Euchariſtia accipiamus & præſentem habeamus ac manducemus? Hîc ex 6.ca. Joh.1.Cor. 10. cum omnibus vetuſtis Patribus reſpondemus: Hanc præſentiam & manducationem, licèt inſcrutabilis ſit, eatenus tamen nobis cognitam eſſe, vt doceamus & ſentiamus nos Chriſtum Dominum noſtrum ita accipere, præſentem habere, & manducare, vt in eo proficiamus & creſcamus, vt nos in ipſo ſimus, & ipſe in nobis, vt membra illius, & naturæ eius conſortes, nec non caro de carne illius, & os ex oſſibus eius fiamus Hoc disertè Paulus vult, cùm dicit: *Calix cui benedicimus, nónne eſt communicatio ſanguinis Chriſti? Panis quem frangimus, nónne eſt communicatio corporis Chriſti?* Verba enim illa hac ſimul ratione probat: *Quia vnus panis, vnum corpus multi ſumus. Nam omnes ex eodem pane participamus.* Hic quilibet videt communicationem corporis & ſanguinis Chriſti, quam omnes panem & calicem Domini piè participantes, accipiunt & habent, D Paulo eiuſmodi communicationem eſſe, ex qua & per quam vnus panis & vnum corpus ſumus, id quod nullâ aliâ ratione, quàm in Chriſto communi noſtro capite naturam ac vitam ſuam nobis impertiente, eſſe poſſumus. D.Lutherus in hanc ſententiam ſeſe declarat: *Se interrogatum, Quomodo Dominus in Euchariſtia præſens ſit ac manducetur? hoc modo reſponſurum eſſe: Satis ſibi eſſe ſcire, quòd verum corpus & verus ſanguis Domini in Sacramento præſens ſit & manducetur: Quâ verò ratione & modo illud fiat? hoc ſe Chriſto commendaturum, nec quicquam ſcrutaturum eſſe: Interrogatum autem, Quo fine adſit & manducetur? reſponſurum ſe eſſe: In pignus atq; teſtimonium, quòd ad nos redimendos mortuus ſit, & hoc ſuum corpus atq; ſanguinem Patri pro nobis immolârit, &c.* Communicationem quam cũ Chriſto Domino noſtro habeamus, quâ nos ipſius membra ſumus, & ipſe caput noſtrum, manducatione ſpirituali, hoc eſt, fide in Chriſtum niti. Atq; ita res ipſa docet, Exponi à nobis in quibus conſiſtat, agnoſciq; debeat, vera præſentia & manducatio Chriſti in S.Cœna, videlicet in vera communicatione naturæ Domini noſtri Jeſu Chriſti, naturaliter iam (vt Hilarius ſcribit) & corporaliter (quemadmodum Cyrillus loquitur) in nobis viuentis & inhabitantis. Et quia Lutherus hoc non ſatis explicuit, diſſimilitudo aliqua inter nos & inter ipſum exorta eſt, præſertim verò ex priori iſto, quo Lutherus veram præſentiam & manducationem Chriſti (vt verba quidem eius innuere videntur) illis etiam tribuit, qui ſpiritualem manducationem (quam alias etiam ipſe fate-

1533. fatetur) atque ita veram incorporationem in Christum minimè habent, cùm tamen nullum exter Scripturæ testimonium, quo probari possit, etiam eos Christum in Sacramento verè accipere & manducare, qui verè in ipsum non credunt.

Conciliatio alterius capitis. Jam verò in hoc etiam capite, nostrâ quidem opinione, consensus facilè iniri potest. D. Lutherus nobiscum fatetur, Sacramentalem Christi manducationem esse propter manducationem spiritualem. Et Marpurgæ piam consensionem hoc nomine detrectare noluit. Quod propter causas superiùs adductas, concedere non possemus, Christum Dominum nostrum cibum vitæ æternæ, verè & per sese à quoquam sine fide accipi & manducari. Adhæc(quod supra etiam diximus) cum illis qui spiritualem manducationem non habent, nihil nobis in hoc Sacramento commune est. Quia igitur veram præsentiam & manducationem in credentibus (quibus hoc Sacramentum à Domino institutum est) non minùs plenè & perfectè credimus & confitemur, quàm Lutherus aut alius quispiam, nostraque paulò antè facta declaratio, huic veræ plenissimæque præsentiæ & manducationi nihil quicquam derogat, causam vtique D. Lutherus haberet, hanc declarationem nobis condonandi, prout S. Patribus in vniuersum eâ vtentibus, illam condonat. Si enim declaratio hæc à Patribus facta, veritati præsentiæ & manducationis nihil adimit, vtique à nobis etiam, proposita, eidem nihil adimere poterint. Adhæc Lutherus sæpissimè affirmat, hoc à se agi atque spectari, ne in Eucharistia nudum panem & vinum habeamus, sed vt ibidem etiam verum corpus & verus sanguis Domini adsit & manducetur.

Tertiò, in hoc quoque non conuenimus, quòd Lutherus cum suis, subinde simpliciter & absque declaratione dicit, & ab aliis etiam dici vult: Corpus & sanguinem Domini corporaliter & oraliter in Eucharistia haberi, manducari ac bibi: id quod nos simpliciter absque declaratione dicere non possumus: præsertim cùm nec Scriptura S. nec Orthodoxi etiam Patres ita loquantur. Etsi enim Lutheri mentem atque sententiam in his locutionibus rectam, piam atque sanam agnoscimus, apud idiotas tamen huiusmodi locutiones ambiguitatem & errorem facilè pariturę essent. Nihil ampliùs D. Lutherus hisce vocabulis vult, quàm verum corpus & verum sanguinem Domini, cum pane & vino verè offerri ac sumi, concedens interim, & ipsemet etiam scribens, corporalem hanc, quæ ore fit, manducationem, ad corpus & sanguinem Domini non pertingere: sed pani & vino, propriè loquendo accidere, tribui verò corpori & sanguini Dominico, propter vnionem sacramentalem. Hæc sententia vera est, in qua nos etiam ipsi sumus, eamque ob causam verba illa hoc modo, vti dictum est, accepta, nunquam damnauimus. Vulgus verò hominum, præsertim apud nos, (cùm corpus Christi in S. Cœna corporaliter & ore manducari, vel panem corporaliter Christi corpus esse dicimus) simpliciter hasce locutiones ita accipit, quasi naturalis aliqua copulatio fit inter panem & corpus Christi, quod tamen ipsę etiam Lutherus neutiquam sentit. Nos igitur vocabulis hisce (corporaliter & oraliter) relictis, simpliciter eum Scriptura loquimur, Dominum in Cœna corpus & sanguinem suum nobis manducandum & bibendum dare. *Nota.* Et ne quis fortè suspicetur, nos tantùm imaginariam præsentiam & manducationem Christi in Eucharistia statuere, vocabulum *Verè* apponimus. Contrà etiam, ne quis existimet, corpus & sanguinem Domini in corruptibilem ventris cibum ac potum hic nobis donari, hoc quoque adjicimus: Nos hunc cibum & potum de fidelibus intellectum, accipere: verùm ita, vt tota anima totumque corpus, veram Domini communicationem habeat, & per eam vitam æternam ac resurrectionem participent. Et hæc quidem sententia, quantum nos intelligimus, Luthero non aduersatur. Nam & ipse cum suis inquit: *Nec sensus nec rationem assequi hanc escam posse:* Sicuti antiquitus etiam cantatum fuit: *Præstet fides supplementum sensuum defectui:* Et, *Quod non capis, quod non vides, animosa firmat fides, præter rerum ordinem.* Adhæc Irenæum, Hilarium, & alios in hoc negotio allegant, qui eodem modo loquuntur. Ad hoc igitur caput quod attinet, si tantùm de verbis agatur, & vocabulum (*verè*) omnia ea, quæ hîc credi, agnoscique debent, in sese contineat, ac subministret, & offensionibus insuper omnium minimè sit obnoxium: denuò nullam videmus subesse causam, cur quis in fundamento consensum inter nos esse, diffiteri possit, &c.

Quartum, de quo inter nos dissidemus, & quidem reuera dissidemus, omnium maximum atque grauissimum, hoc est: Quòd Lutherus hunc, quem in ipso negotij fundamento inter nos esse ostendimus consensum, non vult agnoscere, subinde cōstanter hoc negans, quod nos fortiter asseuerare cogimur, nisi aliud fortè quàm eo-

tam

tam ipso Deo agnoscimus, asserere velimus. Hic verò semper conquesti sumus, Lutherum, licèt meritò consentire nobiscum debeat, & in ipso etiam rei fundamento nobiscum consentiat, consensum tamen hunc, vt ad alios etiam profiteretur, sibique satisfactum à nobis esse, aliquibus saltem ostenderet, hucusque adduci non potuisse. Neque verò nouum hoc est, reperiri interdum, qui vt maximè sententijs conueniant, affectibus tamen impediti, sese mutuò non intelligant. Sicuti ferunt in Saxonia duos aliquando manus inter sese conseruisse, quòd alter Luthero, alter verò Martino, palmam eruditionis tribueret, cùm tamen vtrique eandem personam intelligerent. An verò in ipso negorij fundamento consentiamus nec-ne, penès vestram P. & omnes pios iudicium esto.

Conclusio huius Articuli

D. Lutherus Scripturæ verbis insistit. Ita & nos. idem cum Patribus consentit. Similiter & nos. Credit & docet, prout Confessio Saxonica habet. Idem & nos facimus. Sentit nos in S. Cœna, à Domino præcipuè, à concionatore ministerialiter, cum pane & vino, verum corpus & verum sanguinem Domini nostri Iesus Christi accipere & verè manducare. Idem & nos sentimus. Panem & corpus Domini: vinum & sanguinem Christi in sua natura ac propria essentia distincta relinquit, & sacramentalem tantùm inter ea vnionem statuit. Idem & nos facimus. Corpus & sanguinem Christi non facit escam aut potum ventris. Neque nos hoc facimus. In hoc solummodò non conuenimus. *Primò*; Cùm hanc actionem ad infideles minimè pertinentem, solis credentibus relinquimus: Lutherus ita interdum loquitur, vt actionem hanc etiam cum incredulis communem facere velle videatur. Quanquam nisi certamen eò vsque progressum esset, verbis ipsius penitiùs inspectis (quibus inquit: *Neque sensu neque ratione Christum assequi, increduli verò præter sensus & rationem nihil habent*) facilè quoad Sacramentum, vt Augustinus & reliqui Veteres loquuntur, dici posse existimauerimus, tantundem hîc impijs offerri atque pijs, at reuera ipsos à Christo Domino nihil accipere. *Secundò*, cùm ex Scriptura & Patribus præsentiam & manducationem Christi in Cœna hoc modo exponimus, Quòd sit vera communio cum Christo, & eiusmodi tum vitæ tum naturæ Christi communicatio, quâ in ipso viuimus & membra eius efficimur: Lutherus fortè hoc inexplicatum relinquere, nec quidquam ampliùs dicere vult, quàm Christum hic adesse & manducari. *Tertiò*, Quòd verba oraliter & corporaliter vsurpat & vsurpari vult, cùm nos ad præcauendam ambiguitatem, his relictis, vocabulo (*verè*) contenti simus, & cum Brentio (qui inter præcipuos Lutheri ὁμόψηφος est) loquamur: *Os fidei manducat corpus Christi, os corporis manducat panem, &c.* Quia igitur nihil nobis cum ipsis rei est, & promissione Dominicâ fruimur, eamque credimus atque confitemur, declaratio etiam nostra in hoc negotio à nobis facta, veræ præsentiæ & manducationi Christi Domini in S. Cœna nihil quicquam adimit, & vocabulum (*verè*) totum hoc exprimit, quod in hoc negorio confitendum est, nosque insuper Luthero vocabula corporaliter & oraliter, in eo sensu, quem ipsemet ponit, relinquimus: in ipso certè rei fundamento, nullam contrarietatem, præter eam quæ in verbis, & quod omnium grauissimè nobis accidit, in Lutheri animo est, in hoc toto negotio deprehendimus. Ad nos certè quod attinet, ita erga Lutherum affecti sumus, vt veram pacem ac dilectionem summè desideremus: Idque hanc ob causam, quòd & ipse Christum Dominum, & vnicum nostrum Redemptorem doceat, & in hoc etiam articulo de Sacramento, quòd ad ipsam rei summam & scopum, nihil quidquam, nostrâ quidem opinione, afferat, quod non etiam nos reuera vnà cum ipso sentiamus ac doceamus. Ex quibus omnibus, quantum in ipso Dei conspectu intelligimus, statuere aliter non possumus, quàm D. Lutherum & nos, vt in omnibus aliis doctrinæ Christianæ capitibus, ita in Articulo etiam de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, in ipsa rei summa & fundamento conuenire, & non nisi verbis diffidere.

Fratrum Bohemorum Confessionem Lutherus probat. Tom. lat. 6. f. 115.

Fratres etiam Bohemi hoc tempore Luthero Confessionem suam miserunt, cuius hic fuit titulus: Ratio fidei; cultuum ac ceremoniarum Fratrum in Bohemia & Morania, qui plerisque Picardi, plerisque etiam Waldenses appellantur. *Hanc Confessionem illorum Lutherus non solùm Witenbergæ excudi curauit, sed eandem etiam, vt in Tomis eius videre est, Præfatione ornauit & commendauit. Etsi autem in ea confiteantur se credere, verum corpus & sanguinem Christi in Cœna exhiberi & accipi à fidelibus, simul tamen explicant diserté, vt hæc intelligi velint. Dicunt enim*, Duplicem esse modum substantię Christi, alterũ corporalem, alterum spiritualem. *Item:* Corporalem essentiam habere, esse sentimus: In propria persona præsentem aliquid

Fratrũ Bohemorum sententia de Cœna.

1533. efficere. Eiuſmodi corporalem eſſentiam Chriſtus olim in terris babebat, quando in propria perſona concionabatur, miracula edebat, paſſiones ſufferebat, moriebatur, ſepeliebatur, *&c.* Iam verò non habet eiuſmodi eſſentiam in terris: cogit enim nos Scriptura credere, quòd Chriſtus corporali ſuâ perſonâ mundum reliquerit, & cœlos aſcenderit, *&c.* Vnde non eſt rediturus, neque occultè, neque manifeſtè, vſque ad nouiſſimum diem. Spiritualem eſſentiam babere, ſentimus eſſe: ſine perſonali & carnali præſentia aliquid efficere: vt 1. per Spiritum ſanctum. 2. Per publicum miniſterium. 3. Per efficacem ordinationem Sacramentorum, *&c. Rurſus:* Hinc ſequitur Chriſtum cum vniuerſo ſuo merito in Sacramento adeſſe, non autem ita carnaliter, vt Capernaïtæ intelligebant: Sed ſpiritualiter, ſicut hominum ſalus expoſtulat, *&c. Ex quibus manifeſtum eſt, ſententiam ipſorum hanc fuiſſe, Chriſtum non corporali ſiue carnali, aut locali ratione in Cœna ſua adeſſe, nec corporaliter ore, ſed fide ſpiritualiter, & corde percipi ipſius corpus & ſanguinem.*

Lutheri iudicium de Bohemorum Confeſſione.

Adhac Lutherus in Præfatione ſua ſeribit, ſe in doctrina de Cœna Bohemos planè ſuſpectos babuiſſe. Factâ verò ab ipſis declaratione, (*quòd in Sacramento Cœna verum corpus & verus ſanguis Chriſti accipiatur, & quòd Pontificiorum Tranſubſtantiatio, ac opus operatum nihil ſit*) ſe ipſis iam mitiorem redditum eſſe. *Item:* Se quidem ipſorum loquendi formulas non recipere, neque contrà cogere eos velle, vt ſuis loquendi modis vtantur, dummodo de rebus ipſis conſenſus ſit & maneat. *Multò igitur æquiorem & mitiorem Lutherus ſeſe Fratribus Bohemis, quàm Heluetijs exhibuit.*

Lutheri liber de priuata Miſſa editur. Colloquium Lutheri cum Diabolo, à quo inſtituitur de erroribus Miſſæ. Tom. 6. Ien. fol. 81.

In lucem quoque emiſit hoc anno Lutherus librum de Miſſa priuata & Sacerdotum conſeeratione, in quo ſtatim ab initio deſcribit Colloquium à ſe cum Diabolo intẽpeſtâ nocte habitum, in eoque ſe de multis abuſibus Miſſæ, priuata præcipuè, à cacodæmone admonitum fatetur. A meipſo, *inquit,* hîc exordiri & confeſſiunculam aliquam facere inſtitui. Quondam intempeſtâ nocte è ſomno euigilaui, & mox Satan huiuſmodi diſputationem in animo meo (quemadmodum ſcilicet multas noctes mihi ſatis amarulentas & acerbas teddere ille nouit) mecum inſtituit. Audis ne dixit, excellentiſſime Doctor: Num ignoras te quoque per annos quindecim priuatas Miſſas quotidie ferè celebrâſſe? Quid verò, ſi Miſſis huiuſmodi meram idololatriam exercuiſſes, & non Chriſti corpus & ſanguinem, ſed nudum panem & vinum illic & tu adorauiſſes, & alijs quoque exhibuiſſes adorandum? Reſpondebam ſic: Atqui ſacerdos ſum ad iſtud muneris conſecratus, qui & chriſma & conſectationem ab Epiſcopo olim babui: præterea omne hoc ex meorum iuſſu & obedientiæ debito per me factum eſt. Cur ergo non conſectauiſſem, cùm verba ipſa diligenti ſtudio pronunciauerim, & ſummâ quâ potui deuotione in Miſſis celebrandis vſus ſim? Verè equidem hoc dicis (reſpondit Satan,) Sed & Turcæ & Ethnici omnes quæcunque in Templis ſuis agunt, ex iuſſu & ſtudioſa deuotione facere ſolent. Hæc, illo dicente, ſudor obortus eſt, & cor mihi tremere & ſubſultare cœpit. Diabolus ſua argumenta fortiter figere & vrgere nouit. Voce quoque graui & forti vtitur. Nec longis & multis meditationibus diſputationes eiuſmodi trãſiguntur, ſed momento vno & quæſtio & reſponſio abſoluitur. Senſi equidem & probè expertus ſum, quam ob cauſam illud nonnunquam euenire ſoleat, vt ſub auroram quidam mortui in ſtratis ſuis inueniantur. Corpus ille perimere vel iugulare poteſt: Nec id modò, verùm & animam diſputationibus ſuis ita vrgere, & in anguſtum coarctare nouit, vt in momento quoque illi excedendum ſit, quo ſanè me quoque non ſemel tantùm non perpulit. *Et cætera, quæ ibidem de dè hac diſputatione narrat plura; Quorum ſumma eſt, ſe à Diabolo edoctum eſſe, quòd Miſſa, priuata in primis, ſit res mala, & rationibus Diaboli conuictum aboleuiſſe eam. Huius meminiſſe debebant Lutheri diſcipuli, & deſinere Zuinglio* Somnium *ſuum obijcere, in quo de vero ſenſu verborum Cœnæ admonitus fuit, non à Diabolo, vt Lutherus de abuſibus & ſuperſtitionibus Miſſæ, ſed ab alio, vt ipſe ſcribit, Monitore.*

Lutheri calumniæ de Oecolampadio.

Sed & hoc in eodem libro de Miſſa priuata ſtribit Lutherus: Credo equidem, *inquit,* quòd Emſerus & Oecolampadius, alijque horum ſimiles, iſtiuſmodi ignitis Satanæ telis & haſtis confoſſi ſubitaneâ morte perierint. Nemo enim mortalium citra ſingulare Dei auxilium ac robur illas ſuſtinere & perferre poteſt. Iucundum equidem ſeſe diſputando præbet, ſcilicet. Breuibus enim tranſigit omnia, nec diu moras nectit, ſiquidem virum ſolitarium domi ſuæ inuenerit. *Hæc Lutherus. Vbi magna cum iniuria Oecolampadium, fideliſſimum Chriſti ſeruum, Emſero inſigni illi veritatis Euangelicæ perſecutori coniungit. Citra veritatem etiã dicit, Oecolampadium ſubitaneâ morte ſublatũ, & per Satanæ fraudes, tentationes, vires*

&

& ignita tela interemptum esse, vt suprà indicauimus. Magno denique cum offendiculo scribit, de multis verè pijs & fidelibus, qui subitò quidem, sed feliciter & in bona spe expirantes sub auroram in stratis suis mortui reperti sunt, quasi ab ipso Diabolo occisi occubuerint.

Tigurini Apologiam suam ad calumnias Lutheri supprimunt concordiæ causa.

Vbi verò ea, cuius suprà meminimus, ad Francofurtenses epistola evulgata esset, & eidem alter hic de Missa priuata liber successisset, tanta in innocentem Oecolampadium calumnia insignis, diuturnum suum silentium abrumpere constituerunt, Tigurinæ Ecclesiæ Ministri. Communi igitur consilio Pastorum & Professorum ex vrbe, nec non Superintendentum seu Decanorum ex agro, statutum & decretum est, fidei suæ, doctrinæ item & rituum omnium rationem Latinè simul & Germanicè conscribere, suam suorumque innocentiam tueri & asserere, & hanc quoque, vbi maiori Senatui Tigurino proposita fuisset, typis excusam vulgare, & Illustriss. Principibus Landgrauio Hassiæ & Duci Wirtembergensi *offerre. Et iam ad extremam ferè metam hic labor desudârat, cùm ab Argentina adest D.* W*olfgangus Capito, & multis exponit, quantùm offendiculi apud simplices, & impedimenti circa fidē apud infirmos ex istiusmodi contentiosis Euangelij doctrinam annuntiantium scriptis, oboriri soleat: Spem quoque bonam esse pollicetur, Lutherum nihil posthac tam absurdi facturum: alios eius incentores ac stimulatores esse, qui ipso longè in hac causa nocentiores sint, & magis reprehensione digni. Præterea illam quoque spem iam apertam esse dicebat, quòd omnes circa Domini Cœnam exortæ pugnæ & contentiones breui per Christianam ac veritati consonam concordiam essent tollendæ, quòd in ea sarcienda plures & Principes & docti viri iam occuparentur: Et hoc quidem tam salubre opus Tigurinos suo illo Apologetico scripto impedituros querebatur. Multùm ergo obsecrabat: vt ab Apologetici huius editione abstinerent, simul etiam fidem & studia sua tam ipsis quàm Ecclesijs ipsorum pollicebatur. His ergo tandem moti, Capitonis consilium & sententiam admiserunt, sic vt Apologeticus in lucem non ederetur, & Luthero atroces illæ, & ipsis intentatæ calumniæ amicè & humaniter condonarentur, hac nimirum spe animati, quòd plures esse crederent per vniuersam Germaniam homines ab huiusmodi affectuum intemperie liberos, qui ipsorum innocentiæ & Christianæ conuersationis non omnino ignari essent. Hinc simul quoque omnes intelligunt, vtra pars pacis & concordiæ studiosior fuerit, & quàm bona fide Lutherus, ab amarulentis illis scriptis suis, iuxta Marpurgensis Colloquij conuentionem sibi temperârit.*

Lipsica persecutio

Georgius Saxoniæ Princeps & Electoris patruelis, qui Lutherum priuatim, & publicè totam eius doctrinam magno odio prosequebatur, 1533. *cùm è suis multos esse intelligeret, qui Cœnam Domini percipiendam esse dicerent iuxta Christi mandatum, Sacerdotibus iniunxit per suam ditionem, vt ijs, qui tempore Paschali, de more veteri, peccata sua confiterentur, & Cœnam Domini iuxta Pontificum decreta sumerent, symbola quædam ac veluti tesseras darent, quas illi pòst redderent Senatui, quò sciri posset, quinam Pontificium, qui verò Lutheri dogma sequerentur. Lipsiæ itaque, quod est eius regionis primarium oppidum, deprehensi fuerunt ad 70. sine symbolis. Hi Lutherū antea consuluerant, quid facto opus esset: Ille per epistolam respondit, vt qui certò crederent integram sumendam esse Cœnam, nihil agant contra conscientiam, & capitis discrimen potiùs adeant. Sic ergo confirmati, perseuerant, & citati à Principe, cùm eis propè bimestre tempus concederetur ad deliberandum, neque propositum mutarent, tametsi priuatim singuli solicitarentur; eiecti sunt oppido.*

ANNVS DOMINI M.D.XXXIV.

Basiliensis Confessio, eiusque articulus de Cœna Domini.

A*Nno Christi 1534. mense Ianuario, Basiliensis Ecclesiæ Confessio edita est, Ministri enim Argentinensis Ecclesiæ ad eos scripserant, per Germaniam de ipsis spargi, quòd Cœnam sine Christo haberent: Vtile igitur se se iudicare, vt quomodo cùm de alijs doctrinæ capitibus, tum de sacramento Eucharistiæ sentirent ac docerent, toti mundo declararent. Sic autem habent verba Confessionis huius de Cœna Domini:* Confitemur Dominum Jesum sanctam suam Cœnam instituisse, ad memorandam sanctam suam passionem cum gratiarum actione, ad annunciandam mortem suam, atque ad testificandam Christianam charitatem, & vnitatem cum vera fide. Et sicut Baptismo, (in quo nobis ablutio à peccatis, quæ tamen à solo Patre, Filio & Spiritu sancto perficitur, per Ministrum Ecclesiæ offertur) vera aqua manet: ita etiam in Cœna Domini, (in qua nobis cum pane & vino Domini, verum corpus & sanguis Christi, per Ministrum Ecclesiæ præfiguratur & offertur) panis & vinum manet. Credimus autem firmiter, ipsummet Christum cibum esse credentium animarum ad vitam æternam, & nostras animas per veram fidem in crucifixum Christum, carne & sanguine Christi cibari & potari: ita vt nos corporis sui, tanquam vnici nostri capitis membra in eo, & ipse in nobis viuat, quibus in nouissimo die per eum, & in eo in æternum gaudium & beatitudinem resurgemus.

1534.

His in marginali annotatione addiderunt ad verba,

Et nostras animas.

Spiritualis namque cibus est, ideoque fideli animâ percipitur, id est, Animæ, saturæ, fortes, potentes, pacificæ, tranquillæ, hilares, & ad omnia agiles redduntur, sicut à corporali cibo, corpus.

Item ad verba, Capitis membra.

Jta autem homo spirituale membrum, spiritualis corporis Christi, efficitur.

Rursus ad verba, Præsentem esse.

Sacramentaliter nimirum, & per memorationem fidei, quæ hominis mentem ad cœlos attollit, nec Christum secundùm humanitatem, à dextra Dei detrahit.

Item: Non includimus autem naturale, verum & substantiale corpus Christi, ex pura virgine Maria natum, pro nobis passum, & quod in cœlos ascendit, in Domini panem & potum. Itaque nec adoramus Christum in signis panis & vini, quæ communiter Sacramenta corporis & sanguinis Christi vocamus: sed in cœlis ad dexteram Dei Patris, vnde venturus est ad iudicandum viuos & mortuos.

Hæc Basiliensis Confessio diuersa est ab ea, quæ postea in Synodo Basiliensi conscripta fuit.

Est autem hæc Confessio diuersa ab illa, quam, vt postea audiemus, Helueticarum Ecclesiarum ministri in Synodo Basiliensi conscripserunt, vnde etiam Basiliensis appellatur, Et anno 1561. vt rixæ inter ministros Ecclesiæ Basiliensis sopirentur, in eam de nouo consenserunt. Ab Argentinensium quoque Pastoribus communi subscriptione approbata est. Postea etiam à Mylhusiano Magistratu priuata sua nomine Germanicè cum Præfatione, tanquam eius Ecclesiæ propria, edita; tandemque Latinitate donata est, cùm hactenus non nisi Germanicè extaret.

Lutherus vehementi scripto se excusat de sacramentariis erroris erroris, & ita rursus certamen instaurat.

Diximus suprà, articulum decimum Augustanæ Confessionis Carolo quinto Imperatori exhibitæ, sic fuisse scriptum, vt doctrinam Pontificiorum de Cœna Domini manifestè probare videretur, eoque nomine ab Imperatore, eiusque Theologis receptum & approbatum fuisse. Cùm igitur anno præcedente contra Missam priuatam seu angularem libellum edidisset Lutherus, in qua Pontificiorum Missam, priuatam in primis, improbat, imò damnat & execratur, visus est quibusdam semipapistis & Lutheranis à Confessionis Augustanæ articulo 10. & à sua ipsius sententia, quam hactenus docuisset, defecisse, & in Sacramentariorum (quas ita vacant) castra transiisse. Ea de re à quodam magni nominis viro admonitus, rogatusque vt scriptum publicum ederet, in eaque se de suspicione transitus ad Suermeros diligenter purgaret, vehementissimam epistolam edidit, in qua mirabilem confessionem edidit, cum aliis eius scriptis multis in locis pugnantem, & de qua non sine causa dubitari possit, an satis eam intellexerit. Sic enim scribit, Cùm testimonium à me petitum sit, quòd Sacramentariorum, aut vt clariùs dicam, quòd Carolostadij, Zuinglij & aliorum ipsis suffragantium, erroneum dogma non approbem, neque in æternum approbare cogitem: Prouoco ad complures meos libros publicè extantes, præcipuè ad Confessionem meam contra Suermeros: quæ coram Deo & vniuerso mundo testimonium satis firmum mihi præbitura est. Et ne quid vspiam de me in animis bonorum remaneat dubij, hoc ipso tanquam ex abundanti, meam illam Confessionem, vti à me scripta, excusa, atque edita est, de verbo ad verbum renouatam, repetitam, & confirmatam volo. Et sicuti iam in illa Confessione ac fide viuo, ita etiam, Deo me clementer iuuante, in ea moriar, & ex hac misera vita ad Christum Dominum meum migrabo. Interea autem nihil non illius causâ facere ac ferre paratus sum, quod certè multum & magnum est. Imò etiam ipsæ inferorum portæ, Dei omnipotentis gratiâ, nunquam me ab ea auellent. Nec quicquam simulo, sed seriò ago, quod certò scio, & quò diutiùs hanc causam tracto, hoc magis me confirmari sentio. Ipsi etiam Pontificij eam mihi laudem tribuere coguntur, quòd sacramentum corporis & sanguinis Domini, longè meliùs ipsis propugnauerim. Certus etiam sum, ipsos omnes in vnum conflatos, illud tam fortiter ac strenuè propugnare nullo modo posse, &c. Ideoque rogo, vt bonos quosque animo securo esse iubeatis. Nihil enim hic periculi, nisi me fortè Deus peculiariter punire, aut ab ipso Satana obsideri velit. Deo volente, in mea Confessione perseuerabo. Et quanquam homo sum, ac labi possum, vt omnes homines sumus, ac labi possumus, spero tamen, Dominum meum Jesum Christum, qui me sacrosancti sui nominis causâ, multis difficultatibus atque periculis implicitum, nunquam deseruit, etiam porrò affuturum mihi esse, ne zelum illum, quem in hac Sacramenti causa, per illius gratiam habeo, frustra mihi contulisse videatur, &c. Denuò igitur coram Deo & vniuerso mundo confiteor, me non dubitare, sed certò credere (in qua fide etiam, Christi gratia & auxilio, ad extremum vsque diem perseueraturus sum) in celebratione Missæ (siue Sacramenti aut Cœnæ Dominicæ administratione) iuxta Christi ordinationem, vel apud nos Lutheranos, vel in Papatu, aut in Græcia vel India facta (vt maximè etiam Papistico errore

Confessio & doctrina Lutheri de Cœna crassissima.

errore atque abusu: una tantùm specie in Paschatis festo, aut alio communionis tempore offeratur) sub specie panis adesse verum corpus Christi, in cruce pro nobis traditum, & sub specie vini adesse verum illius sanguinem, in remissionem peccatorum nostrorum effusum. Nec esse spirituale aut fictitium corpus & sanguinem, sed verum ac naturale illud corpus, quod de sanctissima verissimaque virginis Mariæ carne, absque virili consuetudine, sola Spiritus sancti virtute conceptum & natum est. Quod corpus & qui sanguis Christi nunc in cœlestibus ad dexteram Majestatis Dei considet, in Divina illa persona quæ vocatur CHRISTUS JESUS verus atque æternus Deus, unà cum Patre, à quo ab æterno genitus est, &c. Et illud quidem corpus, illumque sanguinem Filii Dei Domini nostri Iesu Christi, non solùm sancti & digni, sed peccatores etiam & indigni verè tractant atque accipiunt corporaliter (licèt modo invisibili) manibus, ore, calice, patinà, corporali, & id genus rebus visibilibus, quæ in Missa, cùm Sacramentum datur & sumitur, adhiberi solent. Hæc mea in Sacramenti negotio fides est, de qua certus sum, quam etiam nemo mihi hominum eripiet unquam: Quam non solùm eam ob causam profiteor, quòd in summis calamitatibus maximoque discrimine constitutus, summam consolationem ex ea multoties perceperim (quæ experientia mihi sanè ad confirmationem fidei meæ sufficit) sed ideo etiam, ut constet, me clarissimo certissimoque Evangelii textui, contra omnes veteres ac recentiores errores suffragatum: Diaboli verò malitiæ ac technis refragatum esse: idque pro eo amore, studio, ac benevolentia, quà professionis ratione omnibus carissimis in Christo fratribus ac sororibus, me ad emendationem obstrictum esse agnosco. Perinde ut neque ego neque quisquam alius Christianus negare potest, Nomen Dei, verum ac naturale Dei nomen esse, quum profligatus aliquis nebulo per illud iurat & execratur, nec propter hujusmodi nebulonem, aut Diabolum etiam ipsum, alieni Dei nomen fieri: Contrà etiam si sanctus aliquis, Paulus vel Esaias, Dei nomen usurpet, & per illud juret vel maledicat, scimus, non propterea aliud vel melius Dei nomen fieri. Est enim unum idemque nomen cum eo, quo impius nebulo abusus fuit. Deus & illius nomen & quicquid est, loquitur, atque agit, id totum permanet atque procedit, quicunque etiam istis omnibus abutatur, sive homo, sive Diabolus, dummodo ordo illius observetur, &c. Deus manet Deus etiam in inferno, Christus sanctus & innocens manet, etiam inter crucifigentes. Florenus manet florenus, etiam in manu furis atque prædonis, dummodo bonus, & non adulterinus florenus sit, contra ordinationem Regis cusus, &c.

1534.

Det etiam Dominus omnibus Christianis ejusmodi mentem, ut audito vocabulo Missæ cohorrescant, & non secus: atque contra Satanam ipsum crucis signo se muniant. Contrà ut vocabulo Sacramenti vel Cœnæ Dominicæ audito, præ gaudio exsiliant, imò etiam, prout gaudij spiritualis natura est, dulces emittant lachrymas. Nam certè intimo cordis affectu diligo saluberrimam illam Domini mei Iesu Christi Cœnam, quâ mihi corpus & sanguinem suum etiam corporaliter in os mei corporis edendum ac bibendum porrigit, &c.

Tamen Lutherus ipse paulò ah z. & alibi sæpè canam appellavit Missam.

Quando igitur ego de Sacramento loquor, seriò certè loquor, & intelligo verum & naturale corpus & sanguinem Christi in pane & vino, qualescunque tandem personæ illæ sint, quæ Sacramentum distribuunt atque sumunt: Christus enim Dominus meus, mihi non mentietur. *Hucusque Lutherus.*

Planè mirabilis est hæc, ut dixi, & ejusmodi sententia & Confessio, quam nemo sine multorum & magnorum errorum, quibus implicata est, approbatione secuturus sit. Illud enim, quod institutionem seu ordinationem Christi, in horrenda illo & execrabili profanatione Missæ, atque sacrilega depravatione ordinis divini, à Pontificiis servari dicit, modò populum sub una specie communicent, in quo tamen non rectè fieri, sed abusum versari fatetur, prorsus est ἀσύστατον, & non alio, quàm magica consecrationis fundamento nititur. Quasi videlicet etiam non servatâ institutione Christi, in manifesto ipsius violatione & abusu, nihilominus tamen, contra quod ipse fieri mandavit, & voluit, virtute verborum præsens esse oporteat corpus Christi. Deinde, si sub una specie tantùm est corpus, sub utraque verò simul corpus & sanguis, an in hac ipsa institutionis Christi infractione exanguem propterea fieri oportebit realem illam corporis Christi sub specie panis veritatem? aut satis erit Luthero sub una specie dimidiati sacramenti, nempe corporis Christi, sine sanguine participem fieri? Denique, quòd dulcissimis hisce verbis: Quod pro vobis traditur: Qui pro vobis effunditur: *corpus & sanguinem ipsius corporaliter ore manducandâ & bibendo dari & exhiberi dicit Lutherus; in eo oblitus eorum, quæ in Syngrammate Theologorum Suevia approbavit, atque etiam in parvo suo Catechismo, de illorum verborum sensu, quibus*

Iudicium de hac Confessione Lutheri.

1534. *quibus non faucibus, & ori, sed fidei, quod sonant & continent, offerant, & exhibeant, multà docet aliter, in manifestissimam impingit cantrarietatem.*

Ferdinandus scribit ad Electorem Saxoniæ de Zuinglianis tanquam Anabaptistis.

Astutè hactenus, & atroci cum injuria ac fraudulentia Papistæ & Lutherani, Anabaptistis Zuinglionos annumerârunt, & hac arte effecerunt, ut non tantùm plebs, sed etiam nobiles, Principes, Reges & Imperator ipse omnino crederent, Zuinglianos, Anabaptistarum more, nuda tantùm, vacua & inania signa in Cœna Dominica statuere, Sacramenta floccifacere & horrendum in modum prafanare; esse etiam hominum genus turbulentum, seditiosum ac perniciasum, ideoque in Imperio uan tolerandum, sed profligandum & exterminandum: Ex hac falsissima persuasione, Ferdinandus Rom. Rex mense Augusto ad Electorem Saxoniæ Pragâ scripsit, Se certissimorum hominum relatu aliquoties intellexisse, in multis Imperii locis, hæresim Zuinglianam indies augescere: quo rumore non leviter perturbatus sit, ac metuere sese, nisi maturè huic malo occurratur, tristissimam piarum conscientiarum seductionem, adeóque totius Ecclesiæ perniciem, & damnum prorsus irreparabile,
„ nec non etiam Imperii Ordinum defectionem, diminutionem, & præcipuè erga
„ Magistratus contumaciam, rebellionem ac
„ seditionem inde exorituram esse. Ad ista igitur incommoda avertenda, summè necessarium sese ducere, ut huic incendio tempestivè, antequam latiùs sese diffundat, & dum etiam sine sanguine, & communis patriæ damno ac vastatione coërceri possit, pro virili occurratur. Sibi itaque visum esse, extremam & inevitabilem necessitatem exigere, ut Electorem transactionis illius admoneat, quæ Kadami inter se & ipsum, ac plerosque alios instituta sit: & quidem nominatim in hoc articulo, ubi Religionis sit facta mentio; quo cautum fuerit, ne Sacramentarii in Imperii ditionibus ferantur aut tolerentur: (Sacramentariorum autem vocabulo Zuinglianos intelligi, omnem honorem ac dignitatem venerabili Sacramento detrahentes.) Quòd si igitur Elector in locis suæ potestati subjectis, ubi secta hæc inualuerit, aut inualitura videatur, privata opera amicas tractationes, illius abrogandæ ac depellendæ suscipere possit, nulli labori ea in re parcat: Se similiter nihil intermissurum.

Dux Wirtenbergicus restituitur, & Ecclesias Ducatus sui reformat.

Mense Maja Huldricus Dux Wirtebergen*sis, adiutore Philippo Hassia Landgravio; in Ducatum suum, ex quo ante annos 15. à Suevici fœderis sociis pulsus fuerat, restituitur. Statim itaque abolita Papistica religione, ne Ducatus ille Ministris Verbi Dei destitueretur, Concionatores Zuinglianos & Lutheranos recepit. Erhardo autem Schnepfio, & Ambrasio Blaurera, quem Constantia evacârat, curam Ecclesiarum præcipuè commendabat. Ille Stutgardia concionabatur, & Lutheri partes strenuè defendebat: Hic verà Tubinga, & Zuingli sententiam docebat. Hinc orta contentio est, quam Bucerus summa diligentia & cura pacare studebat. Tandem Schnepfius & Blaurerus*

Consensus Schnepfii & Blaureri de Cœna.

Stutgardia coram Principe *de Cœna Dominica in Colloquium venientes, in hoc caput consenserunt:* Corpus & sanguinem Christi in Cœna uerè, hoc est, substantivè, & essentialiter, non autem quantitativè, aut qualitativè, aut localiter adesse & porrigi, &c. *Multi obscuram hanc esse Confessionem judicabant, qua in Scholis potiùs quàm Ecclesiis intelligeretur: fidei autem negotia perspicuè esse explicanda. Princeps autem voluit, ut simpliciter juxta Confessionem Principum Imperatari Augustæ oblatom omnes docerent,* Corpus & sanguinem Christi, cum pane & vino verè exhiberi in Cœna Domini, id quod omnes facilè possint intelligere. *Princeps hic Zuinglium amavit & in pretio magna habuit: & si opus sit, hujus rei testes praferre possemus ipsius Principis manu scriptas literas nan paucas, quas gratia & favoris plenas Cassellis & Marpurga ad illum dedit. Ac licèt Augustanam Confessionem receperit, ipsumque foverit Brentinm, non tamen ideo sordebant illi Helvetica Ecclesia, nec ipsarum doctrinam aspernando, vel damnabat iniquiùs, vel odiosiùs persequebatur, aut eam à suis oppugnari patiebatur, sed perseveranda in studia sancta & voluntote erga eas benevola, dum viveret nunquam ipsis favere desiit.*

Dux Wirtembergicus Huldricus amavit Zuinglium.

Argentinenses scribunt ad Monasterienses.

Editus quoque est Martio mense hujus anni ab Argentinensis Ecclesia Ministris liber de Padobaptismo, de Ordinatione Ministrorum Verbi, & de Sacramento corporis & sanguinis Christi, ad Vrbem & Ecclesiam Manasteriensem in Westphalia*, ubi à Bernhordo Rochmanno & aliis non obscurè Anabaptistica doctrina semina spargebantur, qua Argentinenses, ne excrescerent, hoc scripto impedire, & simul viam oliquom futura conciliationi in tota Sacramenti negotio sternere conabantur.*

Cœna Domini quomodo celebrata à Monasteriensibus Anabaptistis.

Quoniam autem incidimus in Anabaptistarum Monasteriensium mentionem, ex illarum historia, qua Toma 2. Witenb. *Operum Lutheri extat, quadam ad præsens Sacramenti negatium pertinentia, hac loca assignabimus. Pag. 492. de Bernhardo Rathmanno indicatur, quòd initio sui ministerii Eucharistia Sacramentum ad hunc modum apud Monasterienses administrârit:* Panibus triticeis in magna & capaci patopside intritis, vinum superinfudit, &

verbis

verbis Cœnæ Dominicæ recitatis, attingere & vesci communicantes iussit: id quod etiam fecerunt. *fol.* 412. *refertur, Anabapticam Cœnam hoc modo administratam fuisse ibidem*: Incolæ urbis quadam feriâ tertiâ (Martis diem vocamus) in vestibulô primarii Templi ad Centurias quadraginta duas accubuerunt, ferculis tribus appositis: Carnibus elixis, pernis, & assatis carnibus: Rege cum Regina totoque famulitio ministrante. Peractâ Cœnâ, Rex & Regina acceptas placentas triticeas fregerunt, & discumbentibus his verbis distribuerunt: Accipire, comedite, & mortem Domini annunciate. Similiter etiam vini cantharum iisdem verbis distribuerunt. Totaque multitudo placentas illas ejusmodi verbis inter se diviserunt: Frater & soror, accipe & comede ex eo, sicuti Christus semetipsum pro me tradidit: ita quoque me pro te tradam. Et sicuti grana tritici in unam massam coalescunt, & ex vuis multis liquor unus exprimitur, ita quoque nos unum sumus. *Postea pag.* 414. *hac recitatur historia*: Die Martis post Gereonis, qui est 13. dies Octob. 1534. horâ decimâ matutinâ, media incolarum pars, tam masculorum quàm fœmellarum nubilium in vestibulo Ecclesiæ Cathedralis confluxerunt, ibidémque accubuerunt, appositis denuò carnibus elixis ac tostis cum pernis. Deinde allata fuit placenta ad inchoandam Cœnæ Dominicæ celebrationem. Postea Rex etiam è Templo aduenit, equites triginta unum, & quatuor satellites in comitatu habens, holoserico, aureóque panno vestitus, tunicâ Indutus nigri coloris oblongâ, & ad talos usque dependente, cui chlamys argentea superiniecta erat. Præter coronam auream capiti impositam, & annulos complures, quibus manus ornatæ erant, ornamento quodam ex auro fabrefacto, mundi speciem duobus ensibus transuersim insertis sustentati repræsentante, admodum insigni, magnique pretii nitebat. Hoc omni ornatu & plenis insuper armis equo descendens, unà cũ domesticis suis numero 60. accumbentibus ministravit. Cœnâ peractâ Ipsemet etiam cum suis ministris ac domesticis, & aliis ab excubiis revertentibus, accubuit, Panibus igitur rotundis subiode mensæ impositis, tandem Rex Inquit: Accipite, comedite, & mortem Domini annunciate. Et porrecto vino ait: Accipite, bibite, mortem Domini annunciate. Cumque ad hunc modum edissent ac bibissent, canticum Angelicum, Gloria in excelsis Deo, linguâ Germanicâ decantârunt. *Hæc licèt horrenda & abominanda sint, tamen Authores historiæ Augustana Confessionis scribere non puduit, Sacramentariorum spiritum: ad eundem modum hodierno etiam die in Galliis, Belgio & alibi hoc unum agere, ut publicum otium perturbet, & pias ceremonias atque ordinationes, indomitâ quadam tumultuandi libidine abroget atque convellat. Imò, Sacratissimam Cœnam Dominicam etiamnum iis in locis, ubi nidos fecerit spiritus ille, adeò leviter & irreverenter tractare, ut illius Zuingliana & Calviniana administratio, non solùm ab hac Anabaptistica Monasteriensium Cœna, sed à rusticorum etiam Comessationibus parum discrepet. Sed res ipsa manifesti mendacii & impudentissima Diabolicaque calumnia eos coarguit.*

Mendacia & calumnia Compila-

1534. torum historia August. Confessionis. Pag. 215.

ACTIS CONCORDIÆ, INTER D. M. LVTHERVM, & Superioris Germaniæ, præsertim Helueticas Ecclesias, in negotio Sacramentario initæ.

Cum hucusque in serie historia Sacramentaria, & certamine de Cœna Dominica perventum sit, utile esse judico, si ordine commemorem totius Concordia rationem, praeparatoria, occasiones, initia, incrementa, progressus, denique etiam constitutionem, qua inter Lutherum, Argentinenses, Suevicas & Helueticas Ecclesias anno 1536. inita est in controversia de Cœna Domini: ut intelligatur, quo modo unumquodque caput in hac causa subinde rectius atque solidius declaratum ac pertractatum sit; utque comparatis inter se illis, qua fatali quadam calamitate Ecclesiæ acciderunt in hac causa, doctrina vera fundamenta discernantur à præjudiciis anteceptarum opinionum, & affectibus: néve reprehendatur Philippus, quòd renovato certamine, ad quod aliorum incitationibus Lutherus impulsus fuit, moderationem suam retinere, & tristissima vulnera Ecclesiæ sanare, quàm unguis in ulcere esse maluerit.

Secessio inter Lutherum, Zuinglium & Oecolampadium, primos Evangelica veritatis & doctrina instauratores, facta est, ut plerisque videtur, ex meris suspicionibus. Zuinglius & Oecolampadius suspicabantur, Lutherum Transsubstantiationem confirmare, impanationem tueri, localem inclusionem corporis Christi in pane asserere, ex symbolis, hoc est, ex re terrena, cœlestem facere, panem & vinum ἀποθεοῦν, & Deificare: Et sanè huius suspicionis non leves erant causa. Lutherus contrà arbitrabatur Zuinglium & Oecolampadium, tali tantoque Sacramento atq; mysterio, omnem authoritatem, omnemque vim adimere, Symbola tan-

Secessio inter Lutherum & Zuinglium ex meris suspicionibus facta.

1534.

tùm esse, memoriam nudam constituere: negare in Cœna fideles & sanctos Dei carne & sanguine illius vesci; Christum à Cœna omnino abesse: Ex his suspicionibus, juxta aliquos, omnis nata controversia, & dissidium perniciosum ortum est.

Landgravius & Argentinenses conciliare dissidentes voluerunt.

In hoc dissidio mediam viam Illustrissimus Princeps Philippus Hassiæ Landgravius, & Argentinensium Senatus, cum sua Ecclesia Pastoribus & Theologis, Capitone, Hedione, Bucero & Zellio tenuerunt: Cum Luthero enim senserunt, percipi in Cœna verum corpus & verum sanguinem Domini: sed quia suspicabantur acriùs Lutherum in Zuinglium & Oecolampadium scriptis concitari quàm deceret, & crassiùs sentire de præsentia corporis & sanguinis Christi; pro his magis, quàm pro Luthero contendebant.

Bucerus in se Concordiæ tractationem suscipit.

Duravit hæc contentio ab anno 24. usque ad 34. quibus decem annis flagravit ardentiùs quàm oportebat. At ubi Bucerus intellexisset & ex Confessione secunda Lutheri observâsset, errorem utrique parti obductum esse: depugnari verbis, re idem statui: Concordiam coire posse, si quis interpellaret: si quis intercederet, & conciliaret animos utriusque partis; re communicatâ cum Landgravio Philippo: cum multis prudentioribus ex Senatu Argentinensi: cum amicis & fratribus Tiguri, Bernæ, Basileæ; Concordiæ tractationem in humeros suscepit: nec desiit, donec eò loci rem deduceret, quò perductam esse infrà ostendemus.

Landgravius concordiam urget.

Vrgebat hoc sanctum Opus vehementer Landgravius, quòd intelligeret, dissidium hoc inter Evangelicos longè gratissimum, & spectaculum jucundissimum esse Pontificiis, & subinde ab ipsis frigidam suffundi, ut vires Evangelicorum hac ratione minuerentur, eóque faciliùs utrique opprimi possent.

Cōcordiæ hujus ineundæ rationes & media in libro Argentinensium ad Monasterienses.

Vt autem intelligamus in præsentia, quænam fuerint Concordiæ hujus in dissidio Sacramentario ineundæ rationes, præparatoria, sive media in isto libro Argentinensium ad Monasterienses, cuius paulò antè mentionem fecimus, breviter quædam ad huius totius negotii declarationem facientia, ex 24. 25. 26. & 27. Capitibus, hoc loco allegabimus. Ait autem liber ille: In gravissima de Eucharistia disputatione hactenus aliquot annis, non sine maxima offensione agitata, à multis, non tam de re ipsa, quàm de verbis litigatum esse. *Deinde ad futuram conciliationem hoc quoque liber iste ponit:* Non tantùm panem & vinum, sed etiam corpus & sanguinem Christi in Eucharistia (juxta Christi institutionem in Ecclesia hîc in terris pane & vino celebrata) offerri ac sumi, sive dicatur in, sub, vel cum pane & vino, perinde esse, cùm de vera præsentia Christi in Cœna tantùm agatur. Non autem fieri naturalem unionem carnis Christi & panis (*vel, ut ipsorum explicatio habet*, corpus & sanguinem Domini naturaliter non fieri rem unam) nec corpus localiter in panem includi, aut corruptibilem ventris cibum fieri: Sed fieri & esse Sacramentalem unionem. Et si dicatur, Corpus Christi in Cœna spiritualiter vel fide accipi, non esse hoc otiosum aliquod figmentum, quin potiùs veram ac divinam manducationem. *Similiter etiam cùm dicitur:* Corpus Christi in Cœna Dominica corporaliter ac ore accipi, non tamen propterea corpus Christi ventris escam fieri: Sed quia hoc totum pani, cum corpore Christi Sacramentaliter unito, accidit: Ideo etiam corpori Dominico tribui, propter unionem Sacramentalem. Concedi etiam Synecdochen, *hoc est*, si panem demonstrantes, dicamus: Hoc est corpus meum, tum duas res conjungi, & non solum panem, sed præcipuè corpus Christi demonstrari: Aut voculam (*hoc*) duas res demonstrare: Oculis scilicet panem: Fidei verò corpus Domini. Vt cum Christus Apostolis insufflando Spiritum sanctum donans, diceret: Accipite, Hic est Spiritus sanctus: ubi demonstrativum pronomen (*hic*) non præcipuè halitum sive insufflationem Domini, sed Spiritum sanctum denotavit, licèt externum Christi halitum etiam demonstrârit. *Item*, Dominum naturaliter & corporaliter in nobis habitare ac vivere, quemadmodum Chrysostomus, Cyrillus & Hilarius inquiunt: quod tamen non fiat terreno aut carnali, sed potiùs cœlesti ac spirituali modo, & tamen in Dei veritate ac reipsâ fieri certum est. *Reiicitur etiam in illo libro hæc concionatorum Monasteriensium sententia*, quâ panem & vinum in Cœna Dominica naturale corpus & sanguinem esse Christi negabant: *Item*, naturale corpus & sanguinem Christi non esse, in, cum, vel sub pane & vino Cœnæ, nisi tantùm ratione commemorationis aut significationis, *quâ videlicet panis & vinum nominationem acciperent corporis & sanguinis Christi, cùm tantùm essent symbola memorativa corporis & sanguinis Christi. Dicit etiam liber ille*: Si Monasterienses sentirent, panem non physico modo esse corpus Christi, sicut illud l[illegible]liter in, vel sub pane comprehendatur, aut ei includatur: hanc communem omnium Ecclesiarum semper fuisse fidem: Verùm ita hoc dici, ac si Christo prorsus à Cœna remoto, nihil præter panem & vinum absentis corporis & sanguinis Christi signa commemorativa statuamus, quæ sententia è diametro cum verbis Christi

pugnaret

pugnaret, in quibus rotundè & clarè dicit, Quòd det nobis suum corpus & suum sanguinem, idque cum pane & vino: verùm tamen non naturali modo cum eo unitum, nec etiam localiter in, vel sub eo inclusum, sed Sacramentaliter. Id verò non est significativè tantùm, sed quod in hac actione ex Domini ordinatione, opere, ac dono, per Ministrum, unà cum symbolis panis & vini, Christus ipse per se, verè, essentialiter ac realiter datur, ut nos in ipso, & ipse in nobis, naturaliter, id est, communione suæ naturæ, sit & vivat, Ita tamen, ut non sit corruptibilis cibus ventris, qui naturalibus viribus comprehendatur ac percipiatur: sed potiùs qui in fide agnoscendus & accipiendus sit, sine qua nihil quicquam de hujusmodi rebus sciri queat. Totum quidem hoc est verè & substantialiter, & tamen non carnaliter juxta rationem huius seculi. Nihil quicquam hîc de loco vel intercapedine, neque de ascensu vel descensu cogitandum est, quia negotium est Novi Testamenti & regni Christi. *Dicitque porrò liber:* Majorem partem illorum Theologorum qui, factâ à Papismo secessione, in liberis ac Imperialibus Superiotis Germaniæ, præsertim trans-Rhenanis ac Suevicis urbibus Ecclesiis præsunt, hoc modo credere, sentire & docere. *Præcipuè autem hoc in illo libro diligenter observandum est, quod inquit:* Actionem de conciliatione duobus capitibus impeditam fuisse, quorum causâ agitata concordia ultra biennii spatium dilata fuerit: nec priùs quàm de illis utrinque transactum esset, perfici ac sanciri potuerit. *Capita illa fuerunt hæc. Prius*, Quod liber ille asserit, in hac gravissima de Cœna Dominica disputatione, hucusque cum maximo scandalo agitata, non tam de re ipsa (*ut paulò antè etiam diximus*) quàm de verbis, à multis concertatum esse. Alterum concordiæ retardatæ caput fuit, de manducatione impiorum, quidnam illi in sacra Synaxi accipiant, edant ac bibant? *Idem enim iste liber inquit:* Sunt qui de impijs adhuc disputent, quidnam illi in Cœna Dominica percipiant? Verùm quia hæc actio pro fidelibus, & non pro infidelibus instituta est, supersederi hac disputatione optimè posse iudicamus. Et quidem ad nos quod attinet, cum nemine de illo capite contendemus. *Sed hoc caput de manducatione impiorum postea anno 1536. ipsi formula Concordiæ inseri, & iuxta D. Pauli mentem & verba explicatius & rectius declarari oportuit.*

Hoc eodem etiam anno 1534. Bucerus Apologiam contra Robertum Episcopum Abricensem Gallum publicè edidit. In ea inter alia ostendit, unde dissidium Eucharisticum natum sit, utq; concordia inter Reformatas Ecclesias iniri possit: Sacri, *inquit* Ministerij, in administratione Euangelij & sacramentorum, Oecolampadius & Zuinglius volentes e rasa illi, quam vulgus conceperat de præsentia Domini in Eucharistia opinioni, qua multa sanè nititur superstitio, occurrere, exposuerunt hanc orationem Domini, hoc est corpus meum, per hanc, panis hic est symbolum, vel figura corporis mei. Istuc Lutherus ita accepit, ac si illi nihil quàm panem, & vinum corporis, & sanguinis Domini inania symbola in Cœna agnoscerent. Nam exstiterant alij quidam, qui hac in re symbolorum propè nullum usum fecerant. Cùm autem negaret Lutherus tropum inesse his verbis Domini, hoc est corpus meum, & contenderet, EST, accipiendum substantialiter, Zuinglius & Oecolampadius putàrunt Lutherum statuere inter panem, & corpus Domini aliquam unionem naturalem. Transsubstantiatione enim reiecta, dicebat demonstrativum HOC, panem demonstrare. Ubi verò dicebat in pane est corpus Domini realiter, & corporaliter, videbatur illis statuere præsentiam localem. Quemadmodum ergo Lutherus propter interpretationem, quam adferebant Oecolampadius, & Zuinglius, eos judicabat inania modò symbola in sacra Cœna relinquere, ita censebant hi, Lutherum ex eo, quòd repudiato tropo, affirmaret, panem in sacra Cœna esse substantialiter, & corporaliter, corpus Domini, sentire, panem in sua substantia, & corpore, id ipsum esse, quod Domini corpus, vel corpus Domini localiter in pane includi, aut certè alia quapiam physica ratione cum pane uniri, in qua de Luthero opinione fateor ipse quoque fui. His de causis orta est dira illa inter hos circa hoc sacrum digladiatio, Luthero defendente veram in Cœna Domini præsentiam, & manducationem, quam tamen illi non negabant, videbantur autem negare: & illis oppugnantibus, naturalem modò inter panem, & corpus Domini unionem, & manducationem Christi corporalem, quæ quidem ad ipsum corpus per se pertingat, quam tamen Lutherus nunquam statuit, visus est autem eam statuere. Sed evulgavit paulò pòst Lutherus pleniorem sententiæ suæ confessionem, in qua disertè scripsit, se nullam aliam, quam Sacramentalem inter panem, & Corpus Domini unionem statuere, & non quamlibet hic se

1534. *Epistola Buceri contra Robertum Episcopum Abricensem.*

1534. ſe tropum reiicere, ſed eum modo, qui veritatem præſentiæ Chriſti in Cœna excludit qualem repurat eſſe metaphoram, Synecdochen namque hîc agnoſcit. Hinc patere cœpit, quòd dicit panem eſſe ſubſtantialiter, eſſentialiter & corporaliter corpus Domini, eum non velle panem ſecundùm ſubſtantiam, eſſentiam, & corpus, eſſe idipſum quod eſt Domini corpus, ita ut verba hæc vulgò accipiebantur, ſed ſimul cum pane ipſum verum corpus, in ſua ſubſtantia, & eſſentia exhiberi, non tamen ratione corporali, vel naturali, quam eo excludit, quòd negat adeſſe hîc corpus Domini quantitativè, qualitativè, & localiter.

Ab eo itaque tempore nobis ſemper viſum eſt, in re ipſa nullam ſupereſſe inter hos controverſiam. De verbis quidem, quibus utrinque teſtaremur, corpus & ſanguinem Domini in Cœna exhiberi non potuit convenire inter omnes. Dum enim dicitur: Corpus Domini adeſt, & editur realiter & corporaliter, quæ verba Lutherus probat, Oecolampadius, & Zuinglius putabát, vulgus intelligere corpus Domini uniri cum pane ratione quadam naturali: per corporaliter enim ſignificari quantitativè, qualitativè, & localiter. Ita cùm dicitur: Corpus Domini adeſt contemplatione fidei, quæ verba Zuinglius uſurpabat, vel adeſt, & editur ore fidei: quæ verba poſuit nõ Oecolampadius modò, ſed & Brentius qui habetur Luthero per omnia conſentiens, Lutherus exiſtimavit, veram Domini in Cœna præſentiam, & manducationem non ſatis exprimi: ſenſum enim horum verborum poſſe eſſe, ferri fidem in Chriſtum abſentem.

Nos autem cùm revera præſentem Dominum in Cœna, verumque ejus corpus, & ſanguinem hîc exhiberi nobis certò credamus, & illos ita credidiſſe, & qui eos videntur hodie ſectari etiamnum credere, ipſis ita confitentibus, non dubitemus, id efficere laboramus, & utrinque verba hîc uſurpentur Scripturæ, & ſanctorum Patrum, ut dicamus corpus & ſanguinem Domini verè adeſſe & ſumi: omiſſis iis loquendi modis, tam quibus videri poſſumus ſenſibus aut rationi, perceptibilẽ Dominum facere: quàm quibus abſentis modo contemplationem confiteri, maximè autem viranda, quæ ſophiſtæ hîc verba ingeſſerunt, arcana certè & non huius ſeculi ratio eſt, qua hîc nobis Dominus, & adeſt, & manducatur: tam verè tamen, ac ſolidè utrumque, ut D. Paulus cùm dixiſſet, panem, quem frangimus, calicem circa quem Chriſtum prædicamus, eſſe corporis, & ſanguinis Domini communionem, ſubjecit: Quia unus panis, & unum corpus multi ſumus, utique in Chriſto. Ex quo loco, & iis quæ Dominus Ioh. 6. de manducatione carnis ſuæ diſſeruit, Sancti Patres, Hilarius, Chryſoſtomus, Cyrillus, & cæteri affirmãrunt, Dominum Jeſum in nobis habitare, & vivere non jam per fidem ſolùm, & dilectionem, ceu abſens, ſed etiam carnaliter, naturaliter & corporaliter, quia ſuam naturam, & carnem nobis communicat, ſuaque nos membra eſſe efficit; idque omne nobis in Sacra Euchariſtia exhibet. *Quia igitur ad eam Apologiam ſequenti anno 1535. provocat (ut in qua expoſitum ſit, quomodo in doctrina de Cœna Dominica cum Luthero, à quo hactenus diſſenſerit, conformari conciliarique poſſit) pauca quadam ex ea hoc loco adſcribere libet: Idque eò magis, quòd in ipſa etiam actione Concordiæ anno 1536 Bucerus illius ſui ſcripti mentionem fecerit. Sunt igitur hæc Buceri verba*: Lutherus ex eo, quòd Dominus panem porrigens dixit: (Hoc eſt corpus meum) affirmat, In ſacra Cœna verè dari, adeſſe, & edi Domini corpus: Tranſſubſtantiationem autem non recipit. Abricenſis hoc ita depravat: & quæcunque ex eo conſequi poſſunt, ſi quis dicat: Panem ipſum corpus Chriſti fieri per identitatem, ea omnia ineſſe ſententiæ Lutheri, impiè ſcurratur: Ut Deum in piſtrino piſtum, in clibano coctum, in ore laceratum & tritum, in ventrem delapſum. *Item*, panem eſſe immortalem; omnipotentem, &c. Lutherus autem diſertè & copioſè docuit in hac oratione (Hoc eſt corpus meum) Quia particula (hoc) panem demonſtrat, non eſſe prædicationem identicam, & inter panem & Domini corpus, Sacramentalem modò unionem affirmat. Simile quidem adduxit ferri candentis, ſed in hoc modo, ut oſtenderet, duas res ſic interdum conjungi, ut pro una, quodammodo habeantur, utriuſque appellatione ſervatâ. Nam monſtrato ferro ignito, dici poſſet: Hoc ignis eſt, & hoc ferrum eſt: Sic demonſtrato pane Euchariſtiæ, rectè dici: Hoc eſt panis, & hoc eſt corpus Domini, eò quòd panis & corpus Domini Sacramentaliter conjuncta ſunt. Item, cùm vinum offertur in canthoro, quia duæ res vinum & cantharus aliquo modo unitæ ſunt: demonſtrato canthoro dicitur, Hoc vinum eſt, & fertur demonſtratio ad ſenſum quidem in cantharum, ad intellectum autem ad vinum, & id præcipuè: Hæc vera

vera unio licèt non fit naturalis, non personalis, nec etiam formalis, qualis erat Spiritus sancti & formæ columbinæ, in qua ille apparuit: aliquam tamen conjunctionem idiomatum efficit: Nam quæ pani propriè competunt, ut, tangi, videri, dentibus conteri, ea corpori Domini propter hanc Sacramentalem unionem tribuuntur, & si corpus Domini per se nihil horum pati posset. Sic apparente Spiritu sancto in specie columbæ, licèt sola hæc species oculis propriè caperetur: Dicitur tamen Iohannes vidisse Spiritum sanctum. Ita de Patribus, quibus apparuerunt Angeli memorat Scriptura, quòd viderint Angelos, cùm flammam modò conspexerint, in qua illi se Angelici spiritus humano obtutui ingerebant. Ita cùm Dominus dixit: Hoc est corpus meum: particula (hoc) duo demonstrat: sensibus quidem panem, fidei autem & hoc præcipuè, ipsum Domini corpus, &c. *Postea in eodem scripto Bucerus inquit*: Putabatur multis Lutherus (quia contendebat nullum inesse verbis Cœnæ tropum) sentire, panem in sua substantia idipsum esse quod Domini corpus: vel illud localiter in pane includi, aut certè aliâ quapiam physicâ ratione cum pane uniri: In qua de Luthero opinione, fateor ipse (*inquit Bucerus*) quoque fui. Sed evulgavit postea Lutherus magnam & pleniorem sententiæ suæ confessionem, in qua disertè scripsit, se nullam aliam, quàm Sacramentalem, inter panem & corpus Domini unionem statuere: Et non quemlibet hic se tropum reiicere, sed cum modò, qui veritatem præsentiæ Christi in Cœna excludat, qualem reputat esse Metaphoram. Synecdochen autem esse hic agnoscit, quâ aliud ex alio intelligere oportet: Vt, cùm Spiritus sanctus scribitur cum signo ignis vel columbæ advenisse: Hinc patère cœpit, cum velle simul cum pane ipsum verum corpus Christi in sua substantia & essentia exhiberi, non tamen ratione corporali vel naturali, hoc est, non quantitativè, non qualitativè, non localiter. Arcana certè & non hujus seculi ratio est, quâ in Cœna Dominus nobis & adest & manducatur: Ita Lutherus etiam existimavit, quòd à quibusdam dicebatur, Corpus Domini adesse contemplatione fidei, vel edi ore fidei, non satis exprimi veram Domini in Cœna præsentiam & manducationem. Sensum enim horum verborum posse esse: Fetri fidem seu contemplationem in Christum absentem. Vnde Patres, ut Hilarius, Chrysostomus, Cyrillus, & cæteri affirmârunt: Dominum Jesum in nobis habitare & vivere, non jam per fidem solùm & dilectionem, ceu absentem, sed etiam naturaliter, carnaliter & corporaliter: quia suam naturam & carnem nobis communicat, suaque membra esse efficit: idque omne nobis in Eucharistia exhibet.

1534.

Mense etiam Decembri, Buceri consilio, Constantiæ habita est Synodus, in qua cœptum est agi inter superioris Germaniæ Ecclesiarum doctores de pace & concordia cum Luthero in causa Eucharistia ineunda. Evocati sunt quoque eò à Bucero Ecclesia Tigurina Pastores qui partim adversâ valetudine, partim cœli intemperie detenti, comparere non potuerunt. Scriptum itaque eò miserunt, in quo suam de Cœna Domini doctrinam, eâ formâ & modo, quo in Bernensi disputatione recepta, approbata atque defensa fuit, & qualem adhuc hodie retinent, exposuerunt breviter & perspicuè, & simul ostenderunt, quatenus cum Luthero concordiam inire possint: Nempe, si concedat, carnem Christi, non nisi fide manducari: Christum secundùm humanam naturam in certo loco cœli degere: in Eucharistia autem fide adesse, modo sacramentis proprio, *qui modus res quidem verè præsentes faciat, non tamen carnaliter & sensualiter, sed spiritualiter, ut sola fide percipiantur. Scriptum hoc ministri Ecclesiæ Basiliensis, Scaphusiana & Sangallensis approbârunt. Bernenses veriti, ne Ecclesia Helvetica scinderentur, & Luthero non conjungerentur, quasdam loquendi formulas in eo reprehendebant: Tigurini verò nullum ibi periculum esse ostendentes, Bucero Constantiam transmiserunt, liberumque ei fecerunt, ut vel in publicum emitteret, vel Luthero, Melanchthoni, Brentio, Schnepffio & aliis quibus vellet, ostenderet.*

Constantiensis Synodus propter concordiam instituta. Tigurini ad Constant. Synodum mittunt suam de Cœna Domini sententiam Quatenus Helvetica Ecclesia Cõcordiam cum Luthero inire possint.

Has literas ubi octo Suevicarum Ecclesiarum Ministri primarii, qui Constantia convenerant, legissent, missis Tigurũ literis non solùm approbabant, sed etiam prolixè de suo erga ipsos amore & benevolentia promittebant. Inter alia enim sic scribunt: Et sanè non potuimus non vehementer istam in hac causa vestram Confessionem approbare. Quam utinam Lutherus & Melanchton, perferente eam Bucero nostro ita probent, ut nos illam nullâ bonâ conscientiâ possumus improbare, &c. *Data Constantiæ 21. Decemb. anno 1534. Subscripserunt illis Augustani, Vlmenses, Memmingenses, Constantienses, Campidonenses, Isnenses, Lindavienses, Biberacenses absentes, scripto tamen præsentes. Ex qua subscriptione facilè intelligitur, quænam hoc adhuc tempore in harum urbium Ecclesiis doctrina & Confessio de Cœna Domini fuerit.*

Constantiensis Synodus approbat Helvetiorum sententiam de Cœna.

1534. *Amsdorffius Concordiam impedire conatur.*

Cùm autem hoc modo via aliqua ad Concordiam facta esset, Nicolaus Amsdorffius pacis Ecclesiarum hostis maximus, eam quoque modo impedire conatus est. Evulgatis igitur quibusdam Propositionibus, inter cæteras nominatim Propositione 40. 43. & 46. Argentinenses pro suo more & ingenio acerbè perstrinxit, & quò minùs sanciri aliqua inter dissidentes Concordia posset, voluit probare, Nullam priùs Concordiam cum Argentinensibus & Zuinglianis ineundam esse, quàm in doctrina sua contra Lutherum hucusque Concionibus & scriptis propugnata, sese errâsse Confessi sint: alioqui nisi hoc faciant, hominibus videri posse, quasi ad illorum errorem accederent Lutherani, & non ipsi ad Lutheranorum veritatem. *Hisce Propositionibus conabatur Amsdorffius Lutheri animum, quem sibi sæpe, ac etiam postea nimis obsequentem habuit, à Concordia facienda studio abducere.*

Ambitio Theologica.

ANNUS DOMINI M.D. XXXV.

Bucerus & Augustani Concionatores ad Amsdorffii Propositiones respondent.

B*Ucerus igitur hoc anno mense Aprili, & unà cum eo Concionatores Augustani, ad ea, de quibus jam diximus, Amsdorffij themata seu Propositiones, responderunt* 80. *Propositionibus, & explicatiùs ac copiosiùs sese declarârunt, ut quænam ipsorum de Cœna Dominica doctrina & Confessio esset, Lutherus aliique Augustanæ Confessionis Theologi, rectiùs & meliùs intelligerent. Ex quibus Propositionibus aliquas ad historiæ seriem ac declarationem commodas atque utiles, hoc loco inseremus.* Sentimus, *inquiunt*, & docemus in sacra Cœna verè exhiberi & sumi non solùm panem & vinum, sacra symbola, sed simul etiam, imò præcipuè Domini corpus & sanguinem, cum his rebus quæ videntur, & in sua natura non mutantur, pane & vino. Atqui Lutherus docet, panem & vinum in sua natura non mutari: sentit & docet etiam, corpus & sanguinem Domini verè exhiberi & percipi. Idem ergo, quod ad hanc rem attinet, cum Luthero sentimus ac docemus: & mera Amsdorffii calumnia est, cùm scribere audet, nos hæc argutè confingere. Etenim quicquid Lutherus per essentialiter, realiter, vel etiam corporaliter dicit, hoc totum volumus nos per, VERE, exprimere. Nullam enim ille corporis & sanguinis Domini cum pane commixtionem: nullam etiam corporis & sanguinis Christi in pane & vino localem inclusionem statuit: nec facit ex Christo Domino nostro cibum ventris. Cùmque hîc nobis corpus & sanguis Domini, signis corporalibus, pane scilicet & vino præbeatur, dari illa recipique corporaliter in manus, in os, confiteri nihil gravamur: Modò addere liceat interpretationem Lutheri: istas sensibiles actiones (*in manus & os recipi*) quæ pani & vino propriè tribuuntur, corpori & sanguini, quæ nostris sensibus minimè obnoxia sunt, tribui propter sacramentalem unionem: juxta Synecdochen illam qua Iohannes dicit; se vidisse Spiritum sanctum, cùm tamen columbam solummodò viderit: & qua Moses dicit, se vidisse Dominum facie ad faciem. Et quoniam Christus Dominus se ideo nobis impertit, ut ipse in nobis vivat, & nos eius membra, caro de carne ejus, os de ossibus ejus fiamus, & sic unius naturæ participes reddamur: Ideo placent nobis & illa sanctorum Patrum dicta, Hilarij, Cyrilli & aliorum: Christum in nobis habitare vivereque, naturaliter, corporaliter, carnaliter, hoc est, per suam naturam, corpus, carnem: non tamen hoc fit naturæ ratione, aut quæ sit hujus seculi: sed ratione cœlesti ac divinâ. Scriptura non tantùm nominat spiritum, virtutem, operationem & similia, sed dicit corpus & sanguinem Christi nobis offerri, hæc nos manducare & bibere. Ista autem omnia fiunt ratione cœlesti ac divinâ, quæ non sit huius seculi, utcunque symbolis sensibilibus præstentur.

Et Propositione 39. repetitur Confessio & Apologia, quatuor imperialium Civitatum nomine in Comitiis Augustanis exhibita, cujus sententiam sic postea Propositione 50. & sequentibus explicant. Agnovimus semper & adhuc agnoscimus præcipuum, quod in sacra Cœna Christus nobis donat, esse ipsius corpus: Ita nobis pronomen (Hoc) duo demonstrat, Panem sensibus, corpus Domini intellectui: ita ut loqui omnes solemus, dum quid invisibile per signum visibile exhibemus. Synecdoche est igitur in (Hoc) ut etiam in (Accipite & manducate.) Duo enim simul offeruntur, res terrena & cœlestis, ut scribit Irenæus, sensibilis & intelligibilis, τὸ αἰσθητὸν κ̀ τὸ νοητὸν, ut Chrysostomus, signum & signatum, ut Augustinus, Bernhardus & alii: panis nimirum & corpus Domini, vinum & sanguis Domini. Donum hic est corpus & sanguis Domini. Panis & vinum, ut symbola modò adhibentur, quo fiat scilicet nobis etiamnum in corpore agentibus, exhibitio hæc plenior & ad excitandum fidem nostram efficacior. Qui nihil hîc exhiberi nobis quàm signum & figuram volunt, anathema sunto. Porrò istud ingenuè fatemur, & editis

tis libris fassi sumus, dum plerique negabant ullum in his verbis Domini, HOC EST CORPUS MEUM, inesse tropum, & (Hoc) demonstrare panem, & (est) accipi substantialiter: Et hinc, ut scilicet consequebatur, panem idipsum esse, quod corpus Domini, essentialiter, corporaliter, carnaliter: Vel in pane corpus Domini esse essentialiter, realiter, substantialiter, corporaliter & carnaliter. Nos putabamus eos, qui ista affirmabant, aut corpus Domini cum pane unire naturaliter, aut in pane includere localiter: Istam verò rationem præsentiæ Domini in Cœna solam cum D. Augustino & aliis sanctis Patribus refutamus, tanquam veritati humanæ naturæ in Christo parùm congruentem. Ubi autem cœperunt illi admittere tropum, Synecdochen, (id quod Lutherus fecit & explicuit in majori sua de Cœna Domini confessione) & unionem inter corpus Domini, & panem naturalem negare, Sacramentalem statuere, inclusionemque localem non affirmare: cœpimus nos, ut consensum cum illis profiteri, ita testari, id quod impugnavimus extitisse in verbis potiùs illorum, quàm sententia.

Nihilominus hæc à Bucero primùm peramicè tentata Concordia, diutiùs, propter istius Amsdorffii præcipuè intemperiem suspensa fuit.

Argentinenses & Augustanæ Ecclesiæ Ministri Confessione sua, cum Amsdorffium revocare nollent, in priori doctrinâ.

Non dubium est autem, quin sequenti anno 36. Argentinensis & Augustana Ecclesiæ Ministri, ex hoc ipsorum contra Amsdorffium, ejusque criminationes edita Confessione, Witebergensis Concordiæ formulam, quasi cum hac ipsorum Confessione, ac proinde etiam cum ea, quæ antea in Augustanis Comitiis quatuor Imperialium Civitatum nomine exhibita esset, consentaneam, fuerint amplexi, cùm nihil se in priore sententia sua mutare, nec, ut Amsdorffius proterve voluit, errorem aliquem in doctrina contra Lutherum revocare, sed in ea spe Concordia, quam prædicta sua contra Amsdorffium Confessione animo suo conceperant, acquiescere, & in formulam suam consentire professi fuerint.

De Cassellano Conventu, in quo Philippus Melanchthon audita declaratione Buceri, mutat suam priorem sententiam de Cœna.

Bucerus Constantia & Philippus Wi-

BUcerus etiam durante Conventu Constantiensi, de quo paulò antè dictum est, Illustriss. Principis Landgrovii literis, & simul etiam Melanchthon, in Hassiam Cassellas evocati fuerunt, ut, exploratis hominum voluntatibus, de ineunda cum Luthero Concordia posset tractari meliùs.

1535. teberga à Landgravio Cassellas evocantur.

Bucerus declarat suam sententiam de Cœna coràm Landgravio & Melanchthone.

In hoc Conventu coram Landgravio & Melanchthone sic se declaravit Bucerus de VERA PRÆSENTIA *corporis & sanguinis Christi in Cœna, ut fateretur*, quòd curpus Christi verè & substantialiter à nobis accipiatur, cùm Sacramento utimur. *Item*, quòd panis & vinum sint signa exhibitiva, quibus datis & acceptis simul detur & accipiatur corpus Christi: *Sentire etiam*, panem & corpus uniri, non per substantiarum mixtionem, sed quatenus datur cum Sacramento, id quod sacramento promittitur, hoc est, quia uno posito aliud ponitur. Nam quoniam utrinque in eo consentiatur, quòd panis & vinum non mutentur, ideo sacramentalem ejusmodi conjunctionem sese statuere.

Philipp. pius audita in Conventu Cassellano declaratione Buceri mutat suam sententiam de Cœnâ.

In hoc congressu, & ex facta in eo declaratione à Bucero, cùm doctrinam & voluntates eorum, quos hactenus adversarios se habere putavit Philippus, meliùs ac pleniùs perspexisset, longè aliter de iis & eorum doctrina iudicare cœpit, quàm antea, operam etiam ad diligentiam omnem adhibuit sedulò, quò solida Concordia intretur, quam etiam reliquo vita sua tempore constanter coluit.

Philippi Melanchthonis Epistola ad Camerarium de Cassellano Conventu, & mutatione suæ prioris doctrinæ ac sententiæ de Cœna.

OStendunt hoc satis epistola Philippi, hoc tempore de Cassellano Conventu & facta in eo declaratione, exarata. Sic enim ad Camerarium scripsit: Heri primùm, hoc est, die nono Ianuarii domum reversus sum ex Cattis, quò me & Bucerum vocârat ὁ μακεδὼν Philippus Landgravius, ut ego nostrorum, ille suorum sententias afferret περὶ τῆς ἐξαλλαγῆς in illa pervulgata causa. Meam sententiam noli nunc requirere. Fui enim nuncius alienæ, etsi profectò non dissimulabo quid sentiam, ubi audiero, quid respondeant nostri. Ac de re hac tota, aut coram, aut cùm babebo certiores tabellarios. Ipsius Principis Cattorum summa fuit erga me comitas, familiarissimè mecum de multis gravissimis rebus locutus est. Quo in sermone nihil animadverti, quod indignum esset aut bono viro, aut bono Principe. De Simone Grynæo gaudeo, eum renovare veterem scribendi con-

Lutheri sententiam nô suam, sed alienam vocat Philippus.

1535. consuetudinem. Vides me quoque date operam, ne fiat à nobis allenior, & profectò amo eum, nec video cut complexus olim hominem doctum & bonum deferam. Et publicæ discordiæ causam nullam præbuit ipse. Etsi autem non facio me judicem, tamen nec nostros planè libero culpâ.

Nota.

Ad Iohannem Brentium 22. Ianuarii Anno 35.

Scripsisti mihi aliquoties de Sacramentariis, & concordiam dehortaris, etiamsi inflexerint se ad Lutheri sententiam. Mi Brenti, si qui sunt, qui de Trinitate aut aliis articulis à nobis dissentiunt, cùm iis nullum mihi fœdus erit, & execrandos judico. Speto autem nullos esse inter eos, qui præsunt Ecclesiis, In iis civitatibus, quæ nostris conjunctæ sunt. Tu si quid habes exploratum, significa. De Sebastiano Franco, qui Vlmæ est, audivi gravissimè conquerentem Bucerum, & affirmabat eum displicere bonis viris Vlmæ, maximeque Frechto. Itaque promisit nobis Landgravius, se de eo coërcendo ad Vlmenses scripturum esse. Cæterùm de concordia, nihil adhuc est actum. Tantùm sententias Buceri huc pettuli. Optârim autem me de tota controversia tecum coràm posse loqui. [ι.] Ego me non facio Iudicem, & libenter cedo vobis, qui præestis Ecclesiis: sed verum præsentiam Christi affirmo. Nec velim esse autor aut defensor novi Dogmatis in Ecclesia: ὁρῶ δὲ πολλὰς τῶν παλαιῶν συγγραφέων μαρτυρίας εἶναι, αἳ ἄνευ ἀμφιβολίας ἑρμηνεύουσι τὸ μυστήριον περὶ τύπου, καὶ τροπικῶς. ἐναντίαι δὲ μαρτυρίαι εἰσὶν ἢ νεώτεραι ἢ νόθοι, [θ.] Σκεπτέον δὲ καὶ ὑμῖν, εἰ παλαιᾶς γνώμης ὑπερασπίζετε. σφόδρα δὲ εὔχομαι τὴν εὐσεβῆ ἐκκλησίας ταύτην δίκην δικάσαι ἄνευ σοφιστικῆς, καὶ ἄνευ τυραννίδος. [*Hoc est, Video multa veterum scriptorum testimonia esse, quæ absque ulla ambiguitate verborum explicant mysterium Cœnæ Dominicæ, de typo & locutione tropica (sententiam scilicet, non literam sequentes) Contrariæ sententiæ, aut recentioris sunt ætatis, aut spuriæ seu incerti parentis. Considerandum verò vobis est, an antiquam sententiam (id est, primæ & incorruptæ Ecclesiæ) defendatis. Vehementer autem optopiam Synodum de hac controversia judicium facere sine Sophistica & sine Tyrannide.*] [ι.] Multi in Galliis & alibi interficiuntur propter hanc sententiam: Et multi applaudunt talibus iudicijs sine vera ratione, & furorem Tyrannorum confirmant. [κ.] Ea res, vt verum fatear, non leuiter me cruciat. [λ.] Itaque tantùm hoc te oro, vt de hac re nihil temerè statuas, sed deliberes etiam σὺν τῇ παλαιᾷ ἐκκλησίᾳ, (*cum veteri Ecclesia.*) Maximè velim concordiam fieri sine ulla Sophistica. Sed optârim etiam bonos vitos amanter inter se conferre posse de te tanta. Ita posset coïri concordia sine Sophistica. [ν.] Non enim dubito, quin libenter totum dogma essent abiecturi adversarii, si existimarent esse recens: Scis enim multos inter illos vitos optimos esse. [ξ.] Nunc ipsi se ad Lutherum inflectunt, & quidem moventur nonnullis testimoniis Ecclesiasticorum scriptorum. Hic quid censes faciendum? An vetabis etiam colloqui nos? Equidem optârim nos & de hac te, & de multis aliis sæpè conferre unà posse. Vides in cæteris articulis & ipsos, & nos multa explicare dexteriùs, postquam diligentiùs inter nos agitari cœperunt.

Glossæ Iohannis Sturmii in has Philippi ad Brentium literas, ex Pappo Elenchomeno.

Vter æquior, Brentius qui dehortatur, an Philippus, qui ad Concordiam Inclinat?

Ecce, qui anno trigesimo in Epistola ad Landgravium discrimina errorum non posuit, hic ponit non obscurè: ostendens errorem ab hæresi distinguendum esse. Errorum enim & dogmatum plura sunt genera, ut vetera & nova: Vetera verò, aut Conciliis & Synodis sunt condemnata, aut iniustis Conciliabulis erecta, melioribus autem Conciliis restituta Ecclesiæ vera dogmata, dogmata item de Deo, de Trinitate, de Humanitate Christi apertè fundamento fidei, & Pattum authoritatibus consentientibus repugnantia sunt: quædam item dubia & controversa.

In hac de Euchatistia quæstione, & de Oecolampadianis sive Zuinglianis, sive Calvinianis, vide quid hic scribat Philippus. Illæ enim Ecclesiæ, quæ Saxonicis conjunctæ erant, quatuor Civitates erant, quæ eius Confessionis fuerunt, quæ Cæsari exhibita fuit. Conjunctæ enim erant fœdere Evangelicis Principibus, & unà cum ipsa Confessione in fœdus receptæ. Philippus verò negat has civitates & harum civitatum Ecclesias malè de Trinitate, & de hujusmodi necessariis articulis sentire: aut si secus sentiat Brentius, si quid exploratum habeat, ut significet.

Vnum

δ. Vnum Sebastianum Francum nominat: de quo videtur Brentius scripsisse, & ab hoc Brentium habuisse, quòd criminosè & suspiciosè de civitatibus superioris Germaniæ scriberet. Sed vides & Bucerum de hoc Franco gravissimè conquestum esse: & tum constitutam fuisse cum Bucero Melanchthoni notitiam, & patefactam esse ianuam fraternitatis, quam in Epistola ad Landgravium detestatus erat.

ε. Verecundè de se & reverenter de ministerio Ecclesiæ & minimè damnatoriè; ut Vbiquistæ hodie, de iis qui aliis præsunt Ecclesiis, scribit.

ζ. Ait veterum scriptorum multa esse testimonia, quæ absque ulla ambiguitate verborum mysterium Cœnæ Dominicæ explicent, & quidem de typo & tropicè, hoc est, figuratè, sententiam scilicet non verba sequentes. Quantum mutatus hîc Melanchton ab illo altero, qui erat in Landgraviana epistolâ.

η. Ostendit causam Philippus, cur suam mutârit sententiam. Contrarias ait sententias aut recentioris aut posterioris ætatis esse, aut spurias & incerti parentis. Quia igitur has sententias collegerat Philippus cum contra Oecolampadium scriberet recentiores scilicet; aut posterioris ætatis, & nothas, atque degeneres ad Oecolampadium miserat, & vetustiores non annotârat: & quia sensit se & numero sententiarum, & earum authoritate & veritate ab Oecolampadio superari, cœpit vela contrahere & cogitare de portu suæ conscientiæ tuto inveniendo.

θ. Monet Brentium & suos, ut considerent, an antiquam sententiam, hoc est, primæ & eruditæ & incorruptæ Ecclesiæ defendant: & ita monet, ut sic dimicent, ne à veteris Ecclesiæ sententia in hac Eucharistica contentione discedant: & ut Patrum suscipiant orthodoxam defendendâ doctrinam. Optat etiam, ut pia Synodus de hac controversia judicium faciat sine sophistica & tyrannide.

ι. Observa quid de Martyribus exterarum Ecclesiarum sentiat, quos Papistæ & Vbiquistæ Diaboli Martyres appellant. *Multos*, inquit, *in Galliâ & alibi interfici propter hanc sententiam*. Quam sententiam? de Cœna Domini: de sensu verborum: de sententia Jesu Christi: de Transsubstantiatione: de adoratione: de capside: de ciborio: de gestatione. De suppliciis autem exterarum Ecclesiarum quid statuit? Primùm ipsa improbat supplicia, quod Vbiquistæ minimè faciunt. Deinde dolet, quòd Vbiquistica secta applaudit talibus judiciis, & id sine vera ratione: *Tertiò*, quòd confirmat furorem tyrannorum. Qui sunt isti Tyranni? de Pontificiis, de Episcopis, Cardinalibus, Principibus & Regibus patronis Pontificum sentit. Erat ne hæc sententia Philippi in communi epistola ad Landgravium? Est-ne hæc sententia Philippi theticæ Vbiquitarum sententiæ consentanea? Est-ne similis illi ad Gorlitium consilio? videntur mutârit quinque annis suam sententiam de Martyribus exterarum Ecclesiarum, quos Diaboli Martyres esse nonnulli dicunt, qui suo sanguine testimonium dant Evangelicæ veritatis. Quod testimonium Papistæ & Vbiquistæ de his Martyribus dant? Si Philippum in hac Epistola roges, respondebit: eos applausores esse sine ratione justa furorem tyrannorum confirmantes. Vt autem istud fert bonus Philippus?

1535.

κ. *Hæ res*, Inquit, *ut verum fatear non leviter me cruciat*. Philippi animum vides mitem, misericordem, tristem cum cruciatu: Papistarum & Vbiquistarum animus contrà est immitis, sævus, crudelis, cum tecta & carnificali lætitia. Quid igitur remedij in luctu petit à Brentio?

λ. Non petit, sed orat, ut non solùm sese, verùm etiam veterem Ecclesiam ad consilium suum vocet. Cur orat? ut ne obsir. Cur ad Patrum authoritates ipsum adhortatur? quia sentiebat, neque vulgus Concionatorum, neque Brentium, neque Lutherum magnam operam navâsse Patribus, ut etiam constat ex libris utriusque de hac controversia scriptis. Idcirco orat, ut judicet in Patribus esse, quod lateat multos, quos ipse investiget, quod cogitet adferre ad Synodum, si quod Concilium concedere. Cuiusmodi Vbiquistæ Patrum utuntur authoritatibus? quorum Patrum? quibus sententiis? Senserunt quamprimùm concordia ipsorum prodiit. Sed quorum hominum Philippus expetivit conventum? quos requisivit Subscriptores? quâ ratione?

μ. Ecce qui fraternam necessitudinem ad Landgravium recusâvit, in his literis fraternam cum istis cupit inire concordiam. Qui erant illi? an-non Helvetii? an-non quatuor Civitates? an-non cæteræ similes Ecclesiæ? *Sed sine Sophistica*, inquit. Quæ est, aut quæ erat illa sophistica? quibus illa constabat partibus? quibus nitebatur illa artibus? aut quibus adhuc utitur artibus? non solùm illis Elenchis falsis verborum & rerum, sed etiam invidiâ, odio, irâ, ambitione, avaritiâ, calumniâ, crimino-

1535. sis & insidiosis suffragijs. Non enim rerum solùm & verborum est sophistica, sed etiam animorum posita in animorum vitijs, quæ pariunt δυσκολίας, & δυσκόλους Vbiquistarum & Papistarum farinæ homines, damnatores, duros, inflexibiles, præfractos, & authores omnium dissidiorum.

v. Qui sunt isti aduersarij? de quibus inquit, *Non dubito quin libenter totum dogma abiecturi essent, si existimarent esse recens.* Oecolampadiani & Zuingliani: Quatuor item Ciuitatum Concionatores, & cæteræ Ciuitates quæ ad harum partes accesserant. Quod dogma essent abiecturi? suum de sententia verborum Christi: si hoc suum sentirent esse nouum: & illud de manducatione orali: de manducatione Impiorum: de dicto, siue περὶ τοῦ ῥητοῦ esse vetus: suum inquam abjicerent, ad alterum accederent. Quâ ratione? qua de causa? Si existimarent esse recens. Quid istud est? si demonstraretur esse recens. Quid recens vocat? Nouum, inauditum, nunquam in Ecclesia antea agitatum. Quamobrem isti viri istud committerent? *Scis enim multos inter illos viros optimos esse.* Qui sunt viri isti optimi & quales? an-non illi in quibus maxima dona Spiritus sancti? hi enim optimi, vt ne Brentius objicere posset, non facient, non volent abjicere, & adfert documentum probabile Melanchton.

ξ. *Nunc ipsi*, inquit, *sese ad Lutherum: & quidem mouentur testimonijs Ecclesiasticorum.* Qui erant isti? Certè Bucerus & Capiro, certè ij de quibus hi duo spem faciebant, Blaurerus Constantiæ, Bernæ Concenus, Basileæ Myconius & Grynæus, Vlmæ Frechtus, Lycostenes Augustæ, Tiguri Bullingerus. Sed quâ ratione moti inclinabant in Lutherum? posteaquam ex Melanchtone primùm, deinde ex Luthero ipso intelligere inciperent, Lutherum aliter sentire atque ipsi putabant.

ο. Denique scribit, *Hic quid censes faciendum? An vetabis etiam colloqui nos?* Fratrum nomen recusârant hactenus, vt etiam Marpurgi, & malè & cum iniuria. Durum illud & non Christianum erat, & suasore Brentio istud Melanchton fecerat. Durius certè, colloquium non concedere: est enim hominis nimiùm imperiosi. Itaque illa rei inhumanæ ad durum Theologum interrogatio: VETABIS *etiam colloqui nos*? Quid sibi vult illa particula ETIAM? An-non quia concordiam fieri vetuit?

Philip. post factum annis eruditior fit. *Videmus igitur septem annis eruditiorem factum Philippum: anno enim trigesimo quinto hac Epistola scripta est, quinto anno post factam Augustanam Confessionem, duos annos antea Patres cœperat legere, & authoritates colligere contra inimicos: Trigesimo enim octauo anno scripsit ad amicum, se annos magis decem versatum esse in illo labore. Ergo anno vigesimo septimo extremo cœpit Patres legere & consulere in hac controuersia. Sed ita, vt quæ pro se facerent, scriberet ad Oecolampadium: quæ contra se facerent, seponeret. Institutum illud suum persequens, judicis personam non suscipere, nec vllius noui dogmatis in Ecclesia author esse voluit, vt hæc testatur Epistola: atque hanc ob causam optat sæpe de hac quæstione conferre consilia.*

Ad eundem Brentium, anno eodem 35.

MItto tibi formulam sententiæ Buceri, quam nunc in publicis scriptis non obscurè profitetur. Lutherus etsi non planè damnat, tamen nondum voluit pronunciare. Facit vt tibi quoque visum est expedire, vt tempus in consilium adhibeamus. Iussus sum autem ad te & alios multos scribere, & vestras sententias explorare: An tolerandos esse iudicetis, sic sentientes ac docentes: Qua de re volo vt mihi respondeas, ἐ μὴ ἄγαν φορτικῶς (& non nimis duriter.) Nam ego non pugno cum eis. Existimo autem, vt ad Phœnicem suum inquit Achilles: καλόν τοι σὺν ἐμοὶ, τὸν κήδειν, ὅς κέ με κήδῃ, libet enim tecum iocari. Sed extra iocum: consulamus in commune tranquillitati Ecclesiarum. De multis magnis rebus, tecum aliquando coràm loquar. Nota.

Ad Ioannem Agricolam Islebiensem, eodem anno.

SCis me fuisse in Cattis, quò & Bucerus accersitus attulit sententiam περὶ δείπνου κυριακοῦ, cuius exemplum tibi mitto. Affirmat, ex animo, se & suos Symmistas Argentorati sic sentire, & docere: Et mihi persuadet de seipso. Edidit enim longam disputationem in eam sententiam. Exposuit item, huic sententiæ subscribere Concionatores Vlmæ, Constantiæ, Augustæ, & in vicinis vrbibus. Aditus est, vt mihi videtur, ad concordiam patefactus, quâ quantum opus sit, tu ipse maximè iudicare potes. Nulla enim res æquè deterret homines ab Euangelio, ac nostra discordia: Quæ præterea pariat incommoda, non ignoras. Lutherus satis clementer respondet, sed rejicit rem ad aliorum etiam deliberationem. Itaque iussus sum ab ipso Principe, & nostris Doctoribus, ad te scribere,

bere, & ad alios quosdam. Etsi autem aliquid adhuc in hac sententia fortasse nonnulli desiderare poterunt, tamen cùm spes sit integræ concordiæ, illud tantùm quæritur: An ita tolerandi sint, ne damnentur? Mihi quidem reipsa non videntur discrepare à nostrorum sententia: Et tamen si quæ reliquæ sunt quæstiones, de illis agi poterit, si quando pluribus colloqui licebit. Quæso te vt rescribas. Magna occasio est constituendæ concordiæ, si modò dextrè agatur negotium. Ἀλλὰ ὁ μέλλει τῆς ὅτε τυγχάνειν. Sed hæc breui coràm, Constitui enim tecum de maximis rebus deliberare. Bene vale. Et rescribe. Nolo hanc Epistolam vulgari, ne traducantur amici nostri: Et ante rem perfectam non prodest talia spargi in vulgus.

Ad Vrbanum Regium.

CAssellis cum Bucero collocutus sum de controuersia Cœnæ Domini,& retuli exemplum sententiæ ipsius quod ad te mitto. Affirmat se & suos Symmystas Argentorati ex animo sic sentire & docere: Exposuit & Concionatores Vrbium superiorum, Vlmæ, Augustæ, Constantiæ, & vicinarum subscribere huic sententiæ. Petit igitur vt fiat inter nos concordia, ita, vt si quid fortè adhuc nostri desiderent, tamen interim non damnent eos, sic moderantes suam sententiam, donec aliquando tota res magis etiam in aliquo congressu componatur. Lutherus satis clementer respondit, sed rejicit rem ad cæteros Euangelij doctores. Vult te & plerosque alios etiam audiri, vt communis concordia fiat. Misi igitur tibi exemplum sententiæ. Teque oro vt mihi significes, an hoc modo docentes tolerandi sint, ac non damnandi, cùm quidem integræ concordiæ aliquando spes sit? Ego planè iudico eos non procul abesse à nostrorum sententia, imò reipsa conuenire, nec damno eos, &c.

Lutheri responsio ad declarationem Buceri Cassellis factam.

Lutherus autem acceptâ à Philippo declaratione Buceri, sententiam ac mentem suam ad hunc modum exposuit: De Buceri sententia Cassellis à Philippo allata, sic iudico. Primò, Cùm in ea dicatur, Concionatores iuxta Confessionem & Apologiam docere velle ac debere, non video, quantum quidem ad me attinet, quomodo eiusmodi Concordiam detrectare possim aut debeam. *Secundò,* Cùm disertè fateantur, Christi corpus verè & essentialiter in pane Cœnæ porrigi, accipi, atque comedi, &c. Si ea ipsorum mens est, vt verba sonant, hac vice verba ipsorum redarguere non possum. *Tertiò,* Quia negotium eam ob causam altiores egit radices, quòd nostri difficulter adhuc persuadentur, ipsorum sententiam ita sinceram esse, vt verbis eam profitentur: & vehementer etiam metuendum sit, plerisque ipsorum fidem & confessionem nostram adhuc inuisam esse: vtile & salutare iudico concordiam non esse subitò statuendam, ne fortè illi nimiùm obruantur, & dissidium aliquod inter nostros exoriatur. Nam certè etiam ad ipsos negotium hoc pertinet, nec meum aut alterius alicuius solius est. Si itaque ex jis, quæ toties iam testificati sunt, hoc solummodò sequatur, vt maiori nos beneuolentiâ & humanitate mutuò prosequamur, facilè apparebit, num ipsorum sententia sincera ac sana sit, an verò in recessu adhuc aliquid habeant, quò maior discordia ex hac concordia metuenda videatur.

Philippus re-solutionem Lutheri Bucero significat & spem concordiæ facit.

Hæc quæ de Lutheri censura & resolutione diximus, Philippus statim tertio nonarum Februarij huius eiusdem anni ad Bucerum retulit, & familiarissimis suis literis spem sanciendæ tandem aliquando concordiæ fecit. Exhibui, inquit, nostris formulam Concordiæ scriptam à te, vt meministi. Dedi etiam Luthero tuas literas, & reliqua tua scripta. Primùm autem hoc tibi planè confirmo, Lutherum nunc amanter de te, & tuis colloquijs sentire ac loqui. Deinde formulam illam seu sententiam non damnat ille quidem, sed tamen pacisci nondum vult, sed agendum censet cum Osiandro & Brentio alijsque vt idem illis placeat. Præterea explorandas esse voluntates Concionatorum in vestris vrbibus. Et sic ego quidem exposui nostris ea, quæ mihi de Sueuicis Concionatoribus narrâsti. Est igitur mitior, sed tamen negotium differri vult, quod mihi multis de causis optatissimum est. Nam & vobis maximè vtile est, tempus adhibere in consilium, tum ad deliberandum, tum ad molliendam causam: Et sunt iam futuri conuentus συγγραμματικοὶ, qui præbebunt occasionem hac de re diligentiùs deliberandi. Nunc meum erit scribere ad Lutheri ὁμοψήφους. Nec tibi interim opus est aliquid cùm tuis agere, donec ego de nostrorum sententijs rescripsero. Hæc mora nihil habebit incommodi, vt spero. De meo animo velim tibi persuadeas, te & cæteros bonos viros, Symmistas tuos à me ex animo amari. Quò spectârint mea consilia à principio, facilè animaduerti potest, nempe, vt re deliberatâ communiter, & veritas pateficret, & concordia constitueretur. Nec iudico vtile esse Ecclesiæ, singulos, contempto fratrum iudicio, καινίζειν, &

1535.

adhuc omnibus votis opto, vt tandem aliquando amanter & liberè pij ac docti viri inter se colloqui possint. Non velim sciens offundere caliginem veritati, nec dispersas Ecclesias magis etiam perturbare. Sed si possim conciliare Ecclesias, & conscientijs ambigentibus consulere, maximè optârim. Mea scripta testantur, quàm multa in dogmatibus explicârim, quæ antea à nostris confusè disputabantur. Vtinam & in hoc negotio aliquid opis Ecclesiæ afferre possem. Collegi omnia testimonia, quæ reperire potui, vtriusque partis, vt de ijs colloqui possimus. Mira est dissimilitudo. In Epiphanio nihil reperi, nisi hæc verba de Baptismate & Cœna Domini: καὶ φωτισθῶσιν ἀπὸ τῆς αὐτοῦ φωταγωγίας, πληρουμένης τῆς ἐν τῷ προφήτῃ ῥητοῦ εἰς μεταλλαγὴν δυνάμεως, εἰς παροχὴν σωτηρίας τῆς δυνάμεως τοῦ ἄρτου ἀπὸ τῆς Ἱερουσαλὴμ λαμβανομένης, καὶ τῆς ἰσχύος τοῦ ὕδατος, ἐνταῦθα δὲ ἐν Χριστῷ ἰσχυροποιούμεθα τῆς δυνάμεως τοῦ ἄρτου καὶ τῆς τοῦ ὕδατος ἰσχύος, ἵνα οὐκ ἄρτος ἡμῖν γένηται δύναμις ἀλλὰ δύναμις ἄρτου, καὶ βρῶσις μὲν ὁ ἄρτος, ἡ δὲ δύναμις ἐν αὐτῷ εἰς ζωογόνησιν, καὶ οὐχ ἵνα τὸ ὕδωρ ἡμᾶς καθαρίσῃ μόνον, ἀλλ' ἵνα ἐν τῇ ἰσχύϊ τοῦ ὕδατος διὰ τῆς πίστεως καὶ ἐνεργείας καὶ ἐλπίδος καὶ μυστηρίων τελειώσεως καὶ ὀνομασίας τῆς ἁγιαστείας γένηται ἡμῖν εἰς τελείωσιν σωτηρίας. Bene vale. Tertio die Februarij. *Anno* Domini 1535.

Philippus in Cœnæ negotio δευτέρας φροντίδας adhibuit.

Hæ Philippi epistolæ satis ostendunt, adhibuisse ipsum δευτέρας φροντίδας, hoc est, cogitationes posteriores, quæ sapientiores esse solent, postquam doctrinam & voluntatem Buceri & collegarum eius agnouit. Id verò etiam ex collatione earum Epistolarum & actionum tam publicarum quàm priuatarum euidentiùs apparebit, quæ in sequentibus recitabuntur. Ex quibus omnibus manifestum etiam fiet, Philippum Melanchthonem, à Witebergensis Concordiæ tempore, nihil vnquam contra Caluinistas scripsisse, sed illorum doctrinam de Cœna Domini approbâsse, ac pro viribus apud alios quoque, cùm scriptis, tum viuâ voce, publicè & priuatim, non solùm post, sed etiam ante Lutheri mortem, propagâsse sedulò: quod etiam Hunius liberaliter concedit in Refutatione Tractatus historici Peuceriani, vbi inter alia dicit, Sibi cum nullo esse controuersiam de eo, quòd Philippus desertâ Lutheri opinione in castra Zuinglianorum seu Caluinistarum transierit, hoc enim præter epistolas Philippi ediras, alia quoque plurima documenta probare.

Augustanus Senatus petit à Luthero, vt ministros Augustam mittat.

Senatus Augustanus etiam hoc anno Casparum Huberinum & D. Gereonem ad Lutherū amandauit, vt illius opera Ioannē Forsterum, ad Ecclesiā Augustana ministerium accerserent: Simul etiam Vrbanum Regium, veterem suum Pastorem, id temporis apud Illustrissimum Principem Ernestum Luneburgensem, Superintendentis officio fungentem, reuocarent. Vnde denuò Lutherus aliud nihil colligere potuit, quàm concordiam in doctrina de Cœna Domini ca quæri & agitari.

Lutherus ad Argentinenses Pastores de promouenda concordia amicissimè scribit.

Ad promouendum igitur istud adeò desideratæ Concordiæ negotium, literis suis Bucerum & Argentinensis Ecclesiæ Pastores amicissimè monet & inuitat: cuius etiam se tam cupidum esse profitetur, quàm cupidè sibi Dominum propitium esse velit. Gratiam & pacem in Christo. Magnæ voluptati fuerunt mihi vestræ literæ, optimi viri, fratres, quod mihi facilè persuaserunt, animum vestrum candidè & sincerè ad farciendam istam concordiam nostram esse propensum & paratum. Quare vicissim vobis, oro, persuadearis, tam cupidè me amplecti eam Concordiam quàm cupidè velim mihi Dominum Iesum Christum propitium semper fore. Et non dubitate, quantum in me fuerit, nihil poterit à me exigi aut imperari etiam, quod pro hac causa non sim libenter, & hilariter facturus & passurus. Tantùm pergamus, & quod Deus cœpit, nostris precibus & ardentibus votis exoratus perficiet, vt fit ista Concordia solida (sine vllo scrupulo & offensione) & perpetua, Amen. Reliquum est, optimi Fratres, quoniam res ista ad multos & magnos, tum Principes, tum populos pertinet: vt de conuentu aliquo nostro deliberemus, in quo coràm de hac & alijs causis mutuo colloquio omnia componamus, idque primo quoque tempore. Res scilicet digna est, in quam perdamus, vt ita loquar, tantum sumptus & operæ, vt ipsi facilè perspicitis. Quòd si me intercsse quoque oportet, tum locum vel in Hassia, vel Coburgo nostro statui necesse est. Nam Princeps noster fortè extra ditionem suam me non dimittet. Consulite igitur cum fratribus & parte vestra de tempore & loco, nobisque rescribite: vt Principem nostrum de hac re conueniamus, & alijs quoque fratribus nostris in Saxonia, Pomerania, Prussia, &c. significemus, vt vnum aliquem vel suo nomine mittant, vel alicui ex nobis committant. Nam personarum multitudinem nollem conuenire. Dominus Iesus sit vobiscum, & multiplicet vobis gratiam, & pacem inter nos omnes. Amen. Witembergæ 5. Octob. *Anno* 1535.

Vester in omnibus in Christo,
MARTINVS LVTHERVS

Lutheri amica epistola ad Gerbelium de Concordia.

Blanda autem admodum est significatio beneuolentiæ in Epistola ad Nicolaum Gerbelium Iurisconsultum Argentinensem. Gratias, inquit,

quit, ago, mi Gerbeli, pro tuis & suauissimis & gratissimis literis. Et volo à te credi, quòd magno gaudio me affeceris isto tuo syncerissimo zelo pro cócordia nostra, quá & ego nisi summâ voluptate cuperem, non ita me effudissem. Quid enim mihi, iam omnibus huius vitæ officijs perfuncto, tot laboribus & tentationibus exhausto, ne dicam etiam ætate ipsa iam confecto, lætius possit accidere, quàm sub tempus meæ resolutionis, quam & opto & expecto, videre & relinquere post me Concordiam? Quare nihil opus est, vt tanto ardore roges quin tibi mando, vt vestris isthic de me pollieeate, quicquid tu ipse velles polliceri pro te. Egò fidem tuam & meam (Deo fauente vitam) liberabo supià quàm vestri fortè credunt. De Postilla tu honorificentiùs sentis, quàm ego. Extinctum enim vellem totum eum librum: Et hoc ago, vt & Casparo Crucigero onus imponam totius recudendi in nouam & meliorem formam, quæ toti Ecclesiæ vbique prosit. Est is vir, nisi me fallit amor, talis, qui Elisæum referret, si ego Elias fuerim (liceat ita magnis componere parua) homo pacis amans, & quietus, cui ego post me Ecclesiam commendabo: ita Philippus quoque facit. Hoc dico, ne dubites apud nos esse volentes animos Concordiæ: & quicquid eam impedire visum fuerit, etiam te arbitro & iubente, paratus sum tollere, mutare, facere, pati omnia. Cupio enim & ego inueniri Christi & Ecclesiæ suæ fidelis (si prudens esse non potuerim) minister. Vale in Domino, mi charissime Gerbeli, & age quod potes inter homines. Ora quoque pro Ecclesia & pro me. Christus sit tecum, & cum omnibus. Amen Wittembergæ v. Calend. Decemb. *Anno* 1535.

Lutheri litera ad Augustanum Senatum de concordia.

Sed & ante has à Luthero scriptas epistolas, propensio animi illius ad Concordiam ex literis ad Senatum Augustanum animaduerti potest. Honestissimi, *inquit*, & prudentissimi viri, Domini colendi, accepi literas vestras, & audiui, quæ à vestra prudentia in mandatis habuerunt, vt ad me referrent Doctor Gereon & Caspar Huberus. Ac bono hoc nuncio ex animo exhilaratus fui. Deus Pater omnis consolationis, lætitiæ, concordiæque fit benedictus in secula, & perficiat hoc bonum opus suum, & ad exitum felicem perducat vsque ad diem illum nouissimum, Amen. Certò etiam persuadere sibi de nobis omnibus prudentia vestra debet, nos nihil passuros esse desiderari in nobis, sed omni voluntate & studio operam daturos, vt concordia illa confirmetur & conseruetur, quandoquidem, Deo sit laus, deprehendimus, serio idem agi à vestratibus: nobisque suspiciones & diffidentia, instar lapidis ponderosi, quo antehac premebatur pectus nostrum, magis magisque ademptæ sunt. Quem lapidem, Deo iuuante, non patiemur denuò locum apud nos reperire. Cætera D. Gereon vobis nunciabit, cui totum nos aperuimus: postridie Margaretæ, *Anno* 1535.

1535.

MARTINVS LVTHER D.

Georgius Comes Wirtenbergensis petit à Tigurina Ecclesia ministrum cuius opera Ecclesias sua ditionis in Alsatia reformet

Hoc denique anno Illustrissimus Princeps Georgius, Wirtenbergi & Montisbelgardi Comes Huldrici Ducis frater, quem sui seculi Principum Christianorum coronam & decus iurè dixeris, pro suo erga Tigurinam Ecclesiam singulari amore & fauore, quo eam ad extremum vsque ad vitæ diem prosecutus est, misso Tigurum legato, D. Nicolao Rhegio, cùm Ecclesias Rihenmullanas suæ ditionis in Alsatia reformare, & in pura Euangelij doctrina instituere vellet, Ministrum Verbi Dei petebat, cuius opera & labore hoc perficere posset. Missus igitur fuit ad eum D. Erasmus Fabricius, vir singulari eruditione & pietate praditus, qui annis circiter tribus cum dimidio, illius loci Ecclesijs & clementia eius fideliter seruiuit. Successit ei D. Mathias Erbius, qui ijsdem Ecclesijs summa fide & indefesso studio præfuit. At quandiu pijssimus Princeps vixit, eadem doctrina & ritus Tigurina Ecclesiæ conformes in illis locis remanserunt: Et quo tempore edicto Cæsarea multis in vrbibus Germania quadam religionis immutatio facta fuit, constanter in veteri doctrina & simplicitate rituum perseuerarunt, atque Illustriss. Princeps eo tempore in Heluetia, & quidem Tiguri plerumque commoratus, Bullingerum amanter complexus, eius consilio in grauissimis de religione controuersijs vsus est. Ac anno Domini 49. vehementer de Ioan. Brentio apud Bullingerum & alios Tiguri conquestus est. Et inter alia dixit, Non absque causa metuo, ne in Ducatum Wirtenbergicum confusionem aliquam inuehat, & homines piè affectos à fidei simplicitate abducat. *Et cùm istarum commemoratione (qui eius in pietate & fide Christi zelus erat) grauiter commoueretur, addebat:* Nemo quantumuis doctus aut eruditus, nos ex statione, quam modò tenemus, dimouebit. Speramus item, Deum omnipotentem nos corroboraturum, vt in veritate agnita in finem vsque perseueremus: prohibiturum denique, ne nouis hominum commentis seducamur. *Et hac quidem Bullingerus & alij nonnulli ex ore eius coràm audiuere. Imò tanta fuit huius Principis in fide & religione, quam Heluetica Ecclesia profitentur, constantia,*

Querela Georgii Comitis Wirtenberg de Brentio.

1535.

tia, vt Bucerum, concordia causam, inter Luthernm & Helueticas Ecclesias, sedulò quidem agentem, non autem absque graui multorum suspicione, qui verebantur, ne is nimio pacis & concordia studio abreptus, in Lutheri partes plùs nimiùm inclinaret, & causam in se claram atque perspicuam, nonis dicendi formulis implicaret, siue (vt loquebantur) obscuriorem redderet, adeóque propriam, & priùs abs se traditam doctrinam non pristina synceritate atque constantia prædicaret; grauibusque literis hortaretnr, vt sui memor caueret, ne veritatem pro mundi captu astutiùs hinc inde flectendo, inconstantiæ notam sibijpsi inureret: Hoc enim non posse absque graui præiudicio fieri: ipsum verò hæc agendo plurimùm derogaturum existimationi suę: ex quo non possit non grauis temora Dei Verbo objici cum multorum scandalo, quod tandem multis perditionem pariat: Alioquin ipsum sibijpsi contradicturum. *Exemplum literarum Tiguri adhuc extat, qua data fuerunt Ribenuila 23. Febr. Anno 1545.*

Quod autem de Illustrissimo Principe Georgio diximus; hoc ipsum Augustana, & aliquot celebrium Ciuitatum in Germania Ecclesiæ factitârunt, qua ipsa etiam ex Tigurina Ecclesia Euangelij pracones sibi mitti postulârunt.

ANNVS M.D. XXXVI.

Heluetiorum Comitia Basilea describenda Confessione & Concilio mittenda

HOc anno circa finem Ianuarij, Heluetij, qui Euangelij puram doctrinam amplexi sunt, nempe Tigurini, Bernenses, Basilienses, Schafhnsiani, Santgallenses, Mulhusani & Bielenses, Comitia Basilea indixerunt, ad qua legati senatorij Ordinis, & vnà cnm eis ministri Ecclesiarum profecti sunt. Causa huius conuentus fuit, vt confessio fidei & doctrina, hactenus in Helueticis Ecclesijs tradita conscriberetur, quam postulante necessitate Concilio generali, de quo plurimus sermo erat, offerrent, quamque deinceps tuerentur atque retinerent. Id negotij à reliquis Ministris datum est Bullingero, Myconio, Grynao, quibus postea additi sunt, Leo Iuda & Megander. Ab his cùm scripta esset Confessio, omnium Ecclesiarnm Helueticarum nomine, & per Bucerum & Capitonem ad Witebergensium Theologorum conuentum allata, eique exhibita: Annoque sequenti 37. conuentui Smalcaldico vnà cum ipsius declaratione rursus à Bucero proposita, semper in vtroque conuentu, à Theologis omnibus & Ordinibus Protestantium approbata & confirmata est, sicut ipsius Lutheri litera ad Heluetios testantur, & infra indicabitur.

Heluetiorum Confessio approbatur à Luthero & Conuentu Smalcaldico.

Bucerus & Capito sponte sua ad Comitia Basiliensia veniunt, eorumque postulata.

Interuenerunt his Comitijs Basiliensibus sua sponte, neque alio, sicut ipsi testabantur, quàm Concordia & pacis studio, quam plantare vnicè cupiebant, Bucerus & Capito: ac multis quidem exposuere, nonnullos Principes & Ciuitates, ac has inter Argentina, multum in hoc molestia, laboris, opera & sumptuum insumpsisse, si quo modo inter superioris Germania, Heluetia in primis Ecclesias, & Lutherum concordia & pax constitui, & discordia circa Sacramentum exorta (qua in verbis potiùs quàm ipso sensu existeret) commodè declinari possit. Et hos quidem eòusque rem perduxisse dicebant, vt Lutherus, qui prauis delationibus antè accensus, nimis vehementer hanc causam egerit, de sua asperitate non parùm remiserit. Nam postquam nostrorum sententiam & argumenta diligentiùs inspectans, pleniùs quàm antehac ab alijs cognouerit, nihil ipsum vehementiùs expetere, quàm vt iam senex, Ecclesias earumque doctores, qui sibi in propaganda vera doctrina magno adiumento fuerint, ante obitum suum concordes videre possit. Conferebant etiam cum Helueticis doctoribus, capita de Originali peccato, libero arbitrio, scopo Euangelica doctrina & ministerio Verbi ac vi Sacramentorum: precibus quoque summis contendebant, vt in hac Confessione quadam, prasertim verò de Eucharistia, sic temperari ac moderari dignarentur, vt institnta concordia seruire possent: non equidem quòd veritati quicquam derogatum cupiant, sed vt ea verba potissimùm, qua contentionis materiam prabere possent, omitterentur, & negotium omne citra contentionem pacatè componeretur. Postremò illud quoque enixè petebant, vt si quando Ecclesiarum Synodus indiceretur, Heluetica quoque Ecclesiæ suos Theologos ad eam mittere non detrectarent.

Confessionis Heluetica articulus de vi & efficacia Baptismi & Cœna

Capnt autem Basiliensis huius Confessionis, de vi & efficacia Sacramentorum Baptismi & Eucharistia, ad hunc modum habet: Signa quæ in Ecclesia Christi Sacramenta vocantur duo sunt, Baptismus & Eucharistia. Hæc arcanarum rerum symbola, non nudis signis, sed signis simul & rebus constant. In Baptismo enim, aqua signum est: at res ipsa, regeneratio adoptioque in populum Dei. In Eucharistia panis & vinum signa sunt, res autem, communicatio corporis Christi, parta salus & peccatorum remissio, quæ quidem percipiuntur fide, quemadmodum signa ore corporeo. Et in ipsa re totus sacramentorum fructus est. Vnde asserimus, Sacramenta non solùm tesseras societatis Christianæ, sed & gratiæ diuinæ symbola esse, quibus Ministri Domino ad eum finem, quem ipse promittit, offert & efficit, cooperentur, sic tamen qualiter de Verbi ministetio dictum, vt omnis virtus

tus saluifica Domino transcribatur.

Baptismus. Baptisma quidem ex institutione Domini lauacrum regenerationis, quam Dominus electis suis visibili signo per Ecclesiæ ministerium,exhibeat. Quo quidem sancto lauacro infantes nostros idcirco tingimus, quoniam è nobis, qui populus Dei sumus, genitos ex populi Dei consortio rejicere nefas est, tantum non diuinâ voce huc designatos, præsertim cùm de eorum electione piè est præsumendum.

Cœna Domini. De Cœna verò mystica sic sentimus, quòd in ea Dominus corpus & sanguinem suum, id est, seipsum suis verè ad hoc offerat, vt magis magisque in illis viuat, & illi in ipso. Non quòd pani & vino corpus & sanguis Domini vel naturaliter vniatur, vel sic localiter includantur, vel vllâ huc carnali præsentiâ statuantur: sed quòd panis & vinum ex institutione Domini symbola sint, quibus ab ipso Dominô per Ecclesiæ ministerium vera corporis & sanguinis eius communicatio, non in peritúrum ventris cibum,sed in æternæ vitæ alimoniam exhibeatur. Hoc sacro cibo idcirco sæpe vtimur, quoniam huius monitu, in crucifixi mortem sanguinemque fidei oculis intuentes, ac salutem nostram non sine cœlestis vitæ gustu & vero vitæ æternæ sensu meditantes, hoc spirituali, viuifico, intimoque pabulo ineffabili cum suauitate reficimur, ac inenarrabili verbis lætitiâ propter inuentam vitam exultamus, totique ac viribus omnino omnibus nostris, in gratiarum actionem pro tam mirando Christi erga nos beneficio effundimur. Itaque immerito fit nostro maximo, quòd quidam parùm nos tribuere sacris symbolis putant. Sunt enim hę res sanctæ venerandæque, vtpote à summo Sacerdote Christo institutæ ac susceptæ, suo quo diximus modo, res significatas exhibentes, testimonium rei gestæ præbentes, res tam arduas repræsentantes, & mirabili quadam rerum significatarum analogiâ clarissimam mysterijs istis lucem afferentes. Adhæc auxilium opemque ipsi suppeditant fidei, ac iurisiurandi, denique vice initiatum astringunt. Tam sanctè de sacris symbolis sentimus. At verò viuificantis & sanctificantis vim & virtutem tribuimus ei perpetuò, quia vita est. Cui sit laus in secula seculorum.

Breuis & clara expositio fidei à Zuinglio prædicatæ editur. *Hoc quoque demum anno, mense Februario, in lucem prodijt breuis & clara expositio fidei ab Huldricho Zuinglio prædicatæ, quam paulò ante mortem suam ad Galliæ Regem scripserat, vt confutarentur illi, qui Zuinglio tribuebant, quòd nuda tantùm signa in Sacramentis agnosceret. Huic libello epistolium Bullingerus præmisit, in quo hanc expositionem vocat cygneam vocem. Tractat autem Zuinglius in hoc libello, sacrosancta & catholicæ fidei nostræ articulos, de vnica & indiuidua Diuinitatis essentia; de sacrosancta Trinitate; de Seruatore Iesu Christo, vero Deo & homine in vna & indiuisa persona. Docet etiam omnes homines per peccati morbum corruptos, citra solius Christi intercessionem ad vitam & iustitiam nequaquam peruenire posse. Præterea, quæcunque de Christi conceptione & incarnatione, passione, morte, resurrectione, ascensione, sessione ad dexteram Patris, & omnibus alijs ad huius cognitionem pertinentibus, fides Christiana & catholica credere iubet, ea omnia in libello hoc breuiter quidem, sed orthodoxè & Christianè comprehensa sunt. De Euangelio, item, fide, bonis operibus, fidelium meritis, sancta Ecclesia, Magistratu & alijs huiusmodi articulis ibidem tam piè differit, vt nihil vel Scripturæ authoritati, vel Marpurgensis consensus articulis contradicat.*

1536. *Summa doctrinæ Zuinglij tum de alijs fidei articulis, tum de vi Sacramentorum.*

In primis verò de Sacramentorum virtute, vi & efficacia ad hunc modum scribit.

1\. *Virtus prima.* Res sanctæ & venerandæ sunt, vtpote à summo Sacerdote Christo institutæ & susceptæ. Ipse enim Baptismum non tantùm instituit, sed & ipse quoque recepit. Ipse non tantùm Eucharistiam celebrare iussit, sed primus celebrauit.

2\. *Virtus secunda.* Testimonium rei gestæ præbent. Vniuersæ enim leges, mores ac instituta, authores suos initiaque prædicant. Baptismus ergo cùm Christi mortem ac resurrectionem significando prædicat, eas verè gestas esse oportet.

3\. *Tertia virtus.* Vice rerum sunt quas significant, vnde & nomina earum sortiuntur. Transitus aut præteritio quâ Deus filijs Israel pepercit, ante oculos poni non poterat, sed agnus eius rei symbolum vice illius proponitur. Sic & corpus Christi omniaq; in illo gesta cùm oculis subijci nequeant, panis & vinũ eius loco edéda proponuntur.

4\. *Quarta.* Res arduas significant. Ascendit autem cuiusque signi pretium cum æstimatione rei, cuius est signum. Vt si res sit magna, pretiosa & amplifica, iam signum eius eò maius reputetur. Annulus Reginæ, quo eam desponsit sibi regia maiestas, illi non auri pretio æstimatur, sed pretium omne superat, quantumuis, si substantiam reputes, aurum sit. Quia symbolum est mariti Regis, vnde & omnium annulorum ei Rex etiam est, vt si quando mundum suum nominatim vocet ac censeat, indubiè dicat, Hic est Rex meus. Hoc est, hic est annulus mariti mei Regis, quo me sibi desponsit. Hoc est symbolum indissunctę societatis ac fidei. Sic panis & vinum amicitiæ illius, quo Deus humano generi per Filium suum recon-

1536. conciliatus est, symbola sunt, quæ non æstimamus pro materiæ pretio, sed iuxta significatæ rei magnitudinem, vt iam non sit vulgaris panis, sed sacer: non panis tantùm nomen habeat, sed corporis Christi quoque, imo sit corpus Christi, sed appellatione & significatione, quod recentiores vocant sacramentaliter.

5. *Quinta virtus est.* Analogia symbolorum & rei significatæ. Habet autem Eucharistia duplicem analogiam. Vnam quæ ad Christum pertinet. Vt enim panis humanam vitam sustinet ac fulcit, vt vinum hominem exhilarat, sic destitutam omni spe mentem solus Christus restituit, sustinet & lætificat. Quis enim vltra desperatione contabescat, qui Dei Filium videt suum esse factum? cùm animo illum tenet veluti thesaurum qui eripi non potest, quo verò impetrare omnia apud Patrem potest. Alteram habet analogiam quæ ad nos pertinet. Vt enim panis ex granis multis fit, vinum verò ex multis acinis confluit: sic Ecclesiæ corpus ex infinitis membris in vnum corpus, vnâ in Christum fiduciâ, quæ ex vno Spiritu prouenit, coagmentatur & erigitur, vt fit verum templum & corpus inhabitantis Spiritus sancti.

6. *Sexta.* Auxilium opemque adferunt fidei. Et hoc præ omnibus facit Eucharistia. Scis ô Rex, fidem nostram semper exerceri ac tentari. Cribrat enim cum Apostolis nos Satanas sicut triticum. At quâ nos arte petit? Domesticâ proditione, per corpus enim velut per veterem ac ruinosam muri partem, admotis ad sensus nostros cupiditatum scalis, obruere satagit. Cùm ergo sensus aliò vocantur, quàm vt aurem illi præbeant, iam minùs procedit eius consilium. Nunc autem in Sacramentis non modò negantur sensus Satanæ suadelis, sed etiam fidei mancipantur, vt iam velut ancillæ nihil aliud agant, quàm quòd agit iubetque hera fides, adiuuant ergo fidem. Sed palàm loquar. In Eucharistia quatuor potentissimi, imò vniuersi sensus à carnis cupiditatibus velut vindicantur ac redimuntur, & in obsequium fidei trahuntur. Auditus, cùm iam non symphonias cordarum diuersarumque vocum harmoniam, sed cœlestem vocem audit, Sic Deus dilexit mundum, vt Filium suum vnigenitum pro vita illius dederit: Adsumus ergo fratres, vt pro ea in nos liberalitate gratias agamus. Ipsius enim Filij iussu meritò istud facimus. Qui iamiam moriturus hanc gratiarum actionem instituit, vt perpetuum amoris erga nos sui mnemosynum ac pignus relinqueret. Accepit autem panem, gratias egit, fregit, deditque discipulis, hæc sacra simul effatus de sacratissimo ore verba, Hoc est corpus meum. Æquè & calicem accepit, &c. Cùm ista inquam auditus accipit, an non totus consternatur & admirabundus in hoc vnum quod prædicatur intentus est? Cùm Deum audit, cùm amorem illius, cùm Filium pro nobis neci traditum? At cùm huc intentus est, an non idem facit quod fides? Fides enim est, quæ Deo per Christum nititur. Auditus ergo cùm ad idem spectat, iam fidei ancillatur, iam fidem non molestat suis friuolis istis cogitationibus ac studijs. Visus cùm panem videt ac calicem, quæ vice Christi vel illius bonitatem ingeniumque significent, an-non & ille fidei obsequitur? Christum enim velut ante oculos conspicit, quem mens eius inflammatâ pulchritudine deperit. Tactus panem in manus sumit, qui iam non panis, sed Christus est significatione. Gustus Olfactusque & ipsi huc aduocantur, vt odorent quàm suauis sit Dominus, quamque beatus sit qui in illo fidit. Vt enim illi cibo gaudent & expergefiunt, sic mens hunc cœlestis spei suauem nacta gustum gestit & exultat. Adiuuant ergo fidei contemplationem sacramenta, concordant cum mentis studijs, quod aliàs citra Sacramentorum vsum non tantopere tantoque fit consensu. In Baptismo, visus, auditus, tactusque aduocantur ad fidei opus. Fides enim, siue Ecclesiæ, siue eius qui baptizatur, agnoscit Christum pro Ecclesia sua mortem tulisse, resurrexisse ac triumphâsse: idem auditur in Baptismo, videtur ac tangitur. Sunt ergo Sacramenta velut frena quibus sensus, ad capita sua excursuri, reuocantur ac retrahuntur, vt menti fideique obsecundent.

7. *Septima Sacramentorum vis est.* Quòd vice iurisiurandi sunt. Nam & Sacramentum Latinis pro iureiurando vsurpatur. Qui enim vnis eisdemque Sacramentis vtuntur, vna eademque gens ac sancta quædam coniuratio fiunt, in vnum corpus, inque populum vnum coeunt. Quem qui prodit periurus est. Populus ergo Christi cùm eius corpus sacramentaliter edendo, in vnum corpus coniungitur, iam qui perfidus est, attamen sese huic societati audet insinuare, corpus Christi prodit, tam in capite quàm in membris. Quia non dijudicat, hoc est, non tanti æstimat corpus Domini, cùm quod pro nobis ille tradidit, tum quod illius morte liberatum est. Vnum enim corpus cum ipso sumus.

Verba Cœnæ non propriè intelligenda. Cogimur ergo velimus nolimus agnoscere hæc verba, Hoc est corpus meum, &c. non

non naturaliter ac pro verborum proprio sensu esse intelligenda, sed symbolicè, sacramentaliter, denominatiuè, aut μετωνυμικῶς, hoc modo: Hoc est corpus meum, id est, sacramentum corporis mei, siue,hoc est corpus meum sacramentale siue mysticum, id est, eius quod verè adsumpsi mortique obieci, symbolum, sacramentale & vicarium.

Zuinglij doctrina de Cœna.

De Cœna verò Domini in eodem libello sic orthodoxè scripsit & docuit: Christum credimus verè esse in Cœna, imò non credimus esse Domini Cœnam, nisi Christus adsit. Confirmatur. Vbi duo vel tres fuerint in nomine meo congregati, illic sum in medio illorum: quantò magis adest, vbi tota Ecclesia ei est congregata? Sed quòd corpus eius eâ dimensione edatur, quâ isti dicunt, id verò est à veritate & fidei ingenio alienissimum. A veritate, quia ipse dixit, Ego posthac non ero in mundo, & caro non prodest quicquam, ad edendum scilicet, isto modo quo Iudæi tunc & nunc Papistæ putant edendam esse. A fidei autem ingenio abhorret, quia fides (loquor autem de augusta & vera fide) complectitur in se charitatem & Religionem, siue reuerentiam & verecundiam. Quæ religio abhorret ab ista carnali & crassa manducatione, non minùs quàm quisq; abhorret edere amantissimum filium. Confirmatur. Centurio, cuius fidem Christus supra Israëlitarum fidem prædicat, per fidei verecundiam ad illum dicit, Domine non sum dignus vt venias in ædes meas; Petrus autem, cùm illum in captu piscium à se iubet exire, per timorem, qui eum incesserat, ex eadem verecundia, abhorret ab eius corporali visibilique præsentia. Constat igitur & mentem & fidem, hoc est, veritatem, quæ vnica mentis lux est, & religionem, quâ Deum amplectimur, veneramur, ac deosculamur, abhorrere à tam crassa manducatione, qua Capernaïtæ & Papistæ sese perhibent edere corpus Christi. Nam iuxta Augustini sententiam, Capernaitæ cùm dicerent, Quomodo potest hic nobis carnem dare ad manducandum? & Nónne hic est filius Ioseph? putabant sibi offerri corpus ad edendum quomodo carnes à macello eduntur, quomodo scilicet sensibile ante eos stabat, in sua specie ac proceritate. Papistæ verò quid aliud affirmant, cùm dicunt ea magnitudine quâ in cruce & sepulchro pependit & iacuit manducari? Quia veritas & mens ab huiusmodi manducatione abhorrent, Religio verò & fides sanctiùs observant & amplectuntur Christum, quàm vt hac ratione cupiant mandere.

Adserimus igitur non sic carnaliter & crassè manducari corpus Christi in Cœna, vt isti perhibent, sed verum Christi corpus credimus in Cœna sacramentaliter & spiritualiter edi, à religiosa, fideli & sancta mente, quomodo & D. Chrysostomus sentit. Et hæc est breuis summa nostræ, imò non nostræ, sed ipsius veritatis, sententiæ de hac controuersia.

1536.

Zuinglij & Oecolampadij epistolæ in lucem eduntur.

Circa hoc etiam tempus quatuor libri Epistolarum Oecolampadij & Zuinglij Basileæ in lucem editi sunt. Primus liber diuersa Scripturæ loca, & religionis Christianæ difficiliores quæstiones explicat. Secundus veri & falsi Baptismi epistolas continet, quibus varij Anabaptistarum errores solidissimè confutantur. Tertius, plurima quæ ad Eucharistiæ negotium pertinent, complectitur. Quartus ac vltimus liber parænetici generis epistolas, plurimùm tam ad Ecclesiæ regimen, quàm ciuilem tranquillitatem momenti habentes, continet. His præmissa est purgatio Scriptorum Oecolampadij & Zuinglij, per Theodorum Bibliandrum, sacrarum Literarum in Schola Tigurina Professorem, conscripta.

Conuentus secundus Basileæ habitus.

Mense Martio, secundus Conuentus Basileæ habitus fuit, in quo Senatorij ordinis legati, & Theologi Helueticarum vrbium, qui priori quoque interfuerant, iterum conuenerunt, & Helueticarum Ecclesiarum nomine, in Confessionem illam, de qua antè dictum est, vnanimes consenserunt. Argentinensis & Constantiensis tamen Reip. Legati, qui ad hæc Comitia etiam euocati erant, testati sunt, suos quidem nihil desiderare in Confessione illa: (nam ad eos quoque missa fuerat) sed quia alioqui multæ Confessiones publicè extent, & verba aliquot discrepent à receptis Confessionibus, orare se ne typis excudatur. Placuit itaque omnibus, ne hæc Confessio, citra aliarum Ecclesiarum consensum, hoc tempore in publicum edatur.

Isenacensis Synodus in Thuringia indicta.

Argentinenses circa finem Aprilis, Basiliensibus, illi mox Tigurinis nunciârunt, ad diem 14. Maij Synodum indictam esse Isenaci, in Turingia in Saxoniæ oppido, ad quam Lutherus & alij doctores Ecclesiarum Sueuiæ & Saxaniæ venire statuerint, vt de Concordia in negotia Cœnæ vnà cum Luthero tractent: simulque petebant, vt Heluetica quoque Ecclesia aliquot è suis Theologis, in primis Henricum Bullingerum & Ioachimum Vadianum mittere dignarentur.

Conuentus Heluetiorum Arauiæ.

Heluetij hanc ob causam Conuentum agebant Arauia, ditionis Bernensis oppido, & decernebant, neminem quidem ex Ministris illuc ablegandum: sed tamen per Capitanem & Bucerum, Confessionem fidei suæ, quam Basileæ antè conscripserant, Luthero & alijs doctoribus mittendam esse, vt quid ipsi de Sacramentis & alijs

X fidei

1536.

fidei capitibus sentirent, liquidò inde cognoscerent, sperantes ipsos hac lectâ & fideliter expensâ secum posthac firmam & solidam Concordiam ac pacem inituros esse.

Heluetij scribunt Argentinisibus, cur ad Synodũ Ijenacensem venire non possint.

Scribebant itaque Calendis Maij ad Tredecemuiros Argentinæ, nihil sibi optatius accidere posse, quàm vt solida Concordia inter Euangelicos instituatur. Et quanquam optâssent huic Conuentui interesse, & cum Luthero placidè colloqui, tamen magnas & graues ob causas, id sibi hoc tempore vtile non videri. Primùm, quòd hic Conuentus non authoritate alicuius Principis, sed à priuatis duntaxat hominibus indictus sit. Deinde, quòd Theologos suos, non quisquam alius vocârit, quàm Bucerus. Adhæc, ipsos quoque quantum ex literis intelligant, non mittere legatos, sed liberum facere Bucero & Capitoni, vt si ita velint, ad illum Conuentum proficiscantur. Temporis quoque angustiam, & itineris longitudinem obstare, quò minùs Theologos suos illuc mittere possint. Quia verò Bucerum & Capitonem omnino ituros sperent rogare se, eis mandent, vt Heluetícas sibi commendatas habeant Ecclesias: & contra Confessionem, quam in Conuentu Basiliensi, vnà cum alijs Ministris conscripserint, nihil, vti promiserint, agant, &c.

Heluetij scribunt Bucero & Capitoni.

In eandem fermè sententiam Bucero quoque & Capitoni scripserunt, vt absentiam suam Luthero excusarent, contra calumnias eos assererent, & Confessionem Basiliensem Luthero & alijs offerrent, quos sperarent placatos eis fore si eam diligenter perlegerent.

Bullingerus quoque eadem ferè modo ad eosdem seorsim scripsit, ragans, vt Heluetiorum etiam diligentem rationam haberent.

Witebergensis Synodus.

Cùm autem Ciuitatum Imperij præcipuarum in superiori Germania Theologi, Capito & Bucerus Argentinâ: Martinus Frechtus Vlmâ: Bonifacius Lycosthenes & Wolfgangus Musculus Augustâ: Iacobus Other Esslingâ: Ioannes Zuiccius Constantiâ: Ioannes Bernardi Francofordiâ: Geruasius Scholasticus Memmingæ: Martinus Germanus Furfeldia, Isenacum venissent, neminem ex doctis ibi inuenerunt. Lutherum igitur per literas de suo aduentu certiorem redditum, eò vt venire ad ipsas non grauaretur, rogârunt. Ipse verò, propter aduersam valetudinem, quam præ se ferebat, & temporis angustiam, per literas vocauit eos Grimmam, quæ diei vnius itinere Witenberga distat, & diem 21. Maij Conuentui dixit. Illi autem ad Crucigerum & Philippum, iter Grimmense iam tum ingressos, ablegato tabellario, rogârunt, ne Grimmam concederent, sed domum potiùs reuerterentur, se enim paratos esse Witenbergam vsque proficisci ad Lutherum, ibique cum eo & ipsis colloqui. Eo ipso igitur die, quo Grimmam à Luthero accersiti erant, Witenbergam venerunt, & diuersarium inclyti Electoris mandato ipsis designatum, ingressi, illa ipsa vespera Luthero & reliquis Theologis aduentum suum denunciari curarunt.

Theologi accedunt Lutherum & suum studium ad concordiam incundã ò offerunt.

Vicesima secunda Maij adierunt ac salutarunt Lutherum Theologi suprà nominati. Et sub horam tertiam pomeridianam ad eum reuersi, Bucerus longa & verbosissima oratione exposuit, se suo & aliorum nomine gaudere de instituto hoc Conuentu, quia quartum iam annum in eo laborarit, vt in vnum corpus redirent, & in negotio Eucharistico consentirent.

Lutheri responsio, & iniusta expostulatio cũ Bucero de editione epistolarum Zuinglij & Oecolampadij.

Ad ea respondit Lutherus, se nihil tam cupere, quàm vt vera, solida & firma concordia iniri possit. Mox autem expostulare cœpit cum Bucero, propter editionem Epistolarum Zuinglij & Oecolampadij cum præfatione Buceri, quo fiat, vt non possit veram concordiam sperare. Cùm tamen in dictis epistolis & scriptis Zuinglij & Oecolampadij, multa tantùm historica, multa tantùm ad multorum Christianæ doctrinæ capitum illustrationem pertinentia, multæ etiam calumniarum à Seruis & Ecclesijs Christi depulsiones, & idolomaniæ Missalis, solidæ refutationes contineantur: præcipuè verò illustre testimonium Consensus, qui tunc fuit inter Ecclesias Heluetícas, Rhenanas & Sueuicas, Bucerus etiam in sua illa Præfatione, Zuinglium tantùm eiusque doctrinam de Sacramentis, ab aduersariorum calumniis vindicauit. Hoc si vssit Lutherum, iniusta certè fuit eius expostulatio: ægrè enim ferre non debuit, si aliorum quoque scripta ederentur, & innocentes à calumnijs vindicarentur. Sed eodem modo hodie quoque discipuli eius inuidiæ incendio conflagrant, propter ingenuam veritatis confessionem, falsorum dogmatum & idolorum notationem, & accusationum & condemnationum iniustarum refutationem.

Lutheri iniusta postulatio ad Theologos.

Post hæc Lutherus in eodem Conuentu, pro ea, qua pollere videbat, authoritate, à Bucero, Capitone, earumque socijs, ante omnia prioris sententiæ & erroris palinodiam flagitauit, volens, vt se hactenus non rectè docuisse faterentur: In Cœna nihil, præter solum panem & vinum adesse, eamque tantùm institutam esse, vt sola Domini memoria recolatur: Ac vt rotundè dicerent, in Eucharistia, panem & vinum verum corpus & sanguinem Christi esse: Et pariter à dignis & indignis, siue à bonis & malis accipi & sumi: ita vt dignitas vel indignitas sumentium institutioni & veritati Christi nihil quicquam deroget.

Bucerus respondet Luthero.

Post multam excusationem, ad epistolarum ac libellorum editionem, à Bucero allatam, tandem deliberandi spatium ipsis concessum fuit.

Vigesima

Bucerus suam & sociorum sententiam de Cœna exponit & declarat.

Vigesima tertia Maij, hora tertia post meridiem, tam superioris Germaniæ, quàm Saxonici Theologi, ad ædes Lutheri reuersi sunt. Ibi cùm consedissent, Lutherus repetijt, An reuocaturi essent suam sententiam ac doctrinam? *&c. Ad quam Lutheri non æquam, sed ex erroneo præiudicio, quo in polemicis suis scriptis, affectato contentionis studio, deceptus fuit, profectam postulationem, facilè & ingenuè respondit Bucerus:* Libenter se quidem omnesque alios, qui adsint, hunc errorem damnaturos: Nempe panem & vinum in sacra Cœna tantùm exhiberi. At ipsos cum Heluetijs, nunquam ita sensisse aut docuisse, neque nominatim cuiquam, præter Anabaptistas, hunc errorem tribuere posse. Se verò aliquando in ea sententia fuisse, Lutherum in suis scriptis nimiùm Sacramentis & externis symbolis tribuere, & crassiorem vnionem Christi cum pane statuere, quàm qualem Scriptura admittat. Quasi videlicet verborum Christi iste sit intellectus: Hoc est corpus meum, substantialiter & corporaliter, vel in pane adest corporaliter. Ex quibus visum sit ijs, Papisticos errores rursus in Ecclesiam introduci & confirmari: & à Luthero corpus Christi cum pane in vnam naturalem substantiam vniri: Item à Luthero doceri, naturaliter corpus Christi in pane contineri: Et panis contactu vel gustu gratiæ participes fieri quoscunque pios & impios.

Buceri & Sociorum Theologorum sententia & doctrina de Cœna.

Ipsorum porrò fidem & doctrinam de hoc Sacramento hanc esse, quòd sentiant, in eo ex institutione & opere Domini, verè (prout verba Christi sonant) verum corpus & verum sanguinem suum, cum visibilibus signis, pane & vino exhiberi, dari & sumi, & sic hoc ante hoc quoque tempus non solùm Zuinglium & Oecolampadium docuisse, sed ipsos quoque in publicis Ecclesiarum superioris Germaniæ Confessionibus, alijsque scriptis professos esse. Ideoque etiam Zuinglium & Oecolampadium dixisse, dissidiũ magis esse de modo absentiæ, vel præsentiæ, quàm de ipsa præsentia, vel absentia. Credere se etiam, per Ecclesiæ ministrũ corpus & sanguinem Christi omnibus sumentibus offerri, neque tantùm sumi à dignis, & corde & ore ad salutem, sed etiam ab indignis ore, ad iudicium ipsorum & condemnationem: verùm intelligi hoc velle de membris Ecclesiæ. *Idem quoque post Bucerum Socij eius omnes confessi sunt: Et simul addiderunt,* Magistratus in pluribus suis Ecclesijs seuerissimas pœnas denunciâsse ijs, qui negarent corporis & sanguinis Christi in Cœna præsentiam.

1536.

Lutheri doctrina de Cœna.

Cùm hæc Lutherus intellexisset, suam quoque sententiam declarauit, & affirmauit, non vllâ se naturæ copulâ corpus & sanguinem vnire cum pane & vino: nec in pane & vino localiter includere: neque Sacramentis propriam tribuere virtutem, quâ salutem ex se afferant sumentibus ea: verùm sacramentalem modò vnionem inter corpus & panem Domini, inter sanguinem & vinum statuere: tum etiam docere confirmationem fidei, quam Sacramentis tribuat, niti virtute, non quæ ipsis inhæreat externis rebus per se: sed quæ sit Christi, & dispensetur eius Spiritu per verba & symbola.

Concordia initur inter Lutherum & superioris Germaniæ Theologos. Concordiæ summa.

Hac facta vtrinque declaratione, Lutherus cum suis in cubiculum secessit, quid porrò faciendum esset cum illis deliberaturus. Vbi rogati singuli, sententias dixerunt, ac responderunt Luthero: Si ita, vt confessi sint, corde credant, ore confiteantur, atque Ecclesiam hæc eadem, hocque modo doceant, atque sic porrò docere velint, concordiam cum ipsis ineundam omnino esse. *Tunc regressi, Lutherus sic allocutus est eos:* Si creditis & docetis, in sacra Cœna verum corpus & verum sanguinem Domini exhiberi, dari & sumi, & non panem & vinum tantùm, & quòd perceptio & exhibitio hæc verè fiat, & non imaginariè, inter nos conuenit, vosque agnoscimus & recipimus, vt charos nostros fratres in Domino.

Formula Concordiæ Witebergensis.

Post hæc actum est etiam inter eos de Communi Formula Concordiæ initæ in sententia Eucharistiæ, & Philippo datum negotium vt illam conciperet. Ea autem sic habet: Audiuimus D. Bucerum explicantem suam & aliorum, qui vnâ affuerunt, sententiam de Sacramento corporis & sanguinis Christi hoc modo.

Significationem harum literarũ Græcarum vide paulò infra in Declaratione Buceriana Formulæ huius Concordiæ Argentinæ factæ.

1. Confitentur iuxta verba Irenæi, constare Eucharistiam duabus rebus, terrena & cœlesti [α] Itaque sentiunt & docent, cum pane & vino verè & substantialiter adesse, exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi. [β]

2. Et quanquam negant fieri [γ] Transsubstantiationem: nec sentiunt fieri [δ] localem inclusionem in pane: aut [ι] durabilem aliquam coniunctionem extra vsum Sacramenti: tamen concedunt [ζ] Sacramentali vnione, panem esse corpus Christi, hoc est, sentiunt porrecto pane, simul adesse & verè exhiberi corpus Christi. Nam extra vsum, cùm asseruatur in pixide, aut ostenditur in Processionibus, vt fit à Papistis, sentiunt non adesse corpus Christi.

3. Deinde hanc Institutionem Sacra-

1536. menti [a] sentiunt valere in Ecclesia, nec pendere ex dignitate Ministri aut sumentis. Quare, sicut Paulus ait, etiam indignos manducare: ita sentiunt porrigi verè corpus & sanguinem indignis, & indignos sumere, [b] vbi seruantur verba & institutio Christi. Sed tales sumunt ad Iudicium, vt Paulus ait, quia abutuntur Sacramento, cùm sine pœnitentia & sine fide eo vtuntur. Ideo enim propositum est, vt testetur illis applicari beneficia Christi, & ablui sanguine Christi, qui agunt pœnitentiam, & erigunt se fide in Christum.

Cùm autem pauci conuenerimus; & opus sit vtrinque hanc rem ad alios concionatores & superiores referre, nondum licet nobis de Concordia pacisci, priusquam ad alios etiam retulerimus.

Cùm autem profiteantur omnes, se iuxta Confessionem & Apologiam Principum Euangelium profitentium, in omnibus articulis sentire & docere velle, maximè cupimus sanciri & constitui Concordiam. Et spes est nobis, si reliqui vtrinque ita consenserint, solidam futuram esse Concordiam.

Iudicium de hac Formula Concordiæ. *In hac Formula nulla prorsus oralis manducationis, sed simpliciter* Sumptionis corporis & sanguinis Christi *fit mentio: Atque etiam per* corpus & sanguinem Christi, *vt in alijs Philippi scriptis videre licet: totus Christus intelligitur.*

Tractatio Concordiæ Witebergensis ex Lud. Rabo. *Hanc tractationem Concordiæ breuiter percurrimus, quàd diligenter in Historia Martyrum Ludouici Rabi Vlmensis Ecclesiæ Pastoris descripta extet, & in secundo Tomo Operum Lutheri Islebiensi recitetur: Ea ad verbum sic habet:* Anno 1536. 21. Maij, superioris Germaniæ Concionatores, VVitebergam salui & incolumes venerunt, & hospitium ab Electore sibi assignatum ingressi, eadem adhuc vesperâ aliquibus è suo numero ablegatis, Lutherum & cæteros præcipuos Theologos Witebergenses, compellârunt ac salutârunt. Sequenti 22. Maij, Capito & Bucerus varia scripta & literas ex diuersis locis secum allatas Luthero obtulerunt, & de ordine ac modo totius negotij, Concordiæ scilicet, in hoc Conuentu dignè grauiterque sanciendæ contulerunt, inter alia etiam hoc addentes: quibusdam ex circumstantijs intellexisse se, Luthero & cæteris ei addictis, quidnam de Cœna Domini sentiant, ex ipsorum Confessionibus & articulis publicè editis iam pridem ita innotuisse, vt ipsorum quidem opinione nihil quod conqueri possint, habere videantur. Si tamen vlteriorem declarationem desiderent, paratos se esse id fideliter exequi.

His ita propositis, Lutherus literas primùm ex omnibus locis ad se scriptas perlegit, quæ res ad prandium vsque se extendit, ita vt horâ tertiâ pomeridiana primùm. D. Capito & Bucerus ad ipsam redierint, quibus copiosè, & seriò admodum significauit, se de alijs fidei Christianæ articulis cum illis non acturum, nisi priùs Concordia in articulo de Sacramento Cœnæ inita foret. Etiamsi enim hinc inde spargant, se cum ipso consentire, diuersum tamen sibi prorsus videri. Ad hæc scire eos debere, se nec posse nec velle, pro λογομαχίᾳ certamen hoc habere. Nullo enim modo, se de inanibus verbis, sed de veritate verborum Christi in S. Cœna hucusque pugnâsse.

Ad hanc Lutheri propositionem Capito & Bucerus responderunt, se summo studio summaque diligentiâ apud quosuis egisse, vt Lutheri sententia rectè intelligeretur. Et quanquam ex Lutheri & cæterorum, qui ipsum sectantur scriptis ac dictis, crassiorem Christi cum pane & vino Eucharistiæ copulationem quàm Scriptura admitteret, intellexissent, hancque ob causam in eum coniecti essent metum & sollicitudinem, quasi hac ratione error Papisticus (quo homines in externo tantùm Sacramentorum vsu, sine fide, quasi ex opere operato salutem quæsiuissent) reuocaretur: Ex posterioribus tamen scriptis se vidisse, Lutherum ipsique addictos, Corpus Domini nullâ naturali vnione pani includere: Vnde etiam in suis scriptis & concionibus, liberrimè hoc confessi essent, vtque alios etiam in hanc permouerent sententiam, multis iam annis diligenter laborâsse. Scripta autem ipsorum aliter, & quidem contra ipsorum sententiam accepta esse. Id se Domino committere, & paratos, etiam esse, vt iam fecissent, omnia ea retractare quæ perperam vel docuissent vel scripsissent. Id quod vnumquemque Christianum D. Augustini & reliquorum Orthodoxorum Patrum exemplo concederet. Non autem constare sibi, quòd vspiam vel docuissent vel scripsissent, In sacra Cœna, præter nudum panem & vinum nihil adesse. In sententiæ huius explicatione varij sermones & responsiones agitatæ fuerunt ad elucidationem hujus negotij pertinentes.

Interea Lutherus, cuius valetudo malè affecta erat, deteriùs habere cœpit, idque adeò, vt non solùm tum desistendum esset, sed ne posteriori quidem die opus inceptum

ptum continuari posset. Die igitur Martis circa 3. pomeridianam actio repetita fuit. Hic Martinus Bucerus omnium (qui praesentes tum fuerunt) nomine, paulò antè propositam sententiam vlteriori declaratione repetiuit: seriâ additâ attestatione: Ea quae retulissent, reuera se sic habere, nec vnquam se VERAM Christi in S.Coena PRAESENTIAM negauisse. Sed eam vocem, auditu horrendam in suis Ecclesijs futuram fuisse, si ab IMPIIS etiam corpus Christi manducari, docere debuissent. Quòd autem antehac scripserint atque docuerint, Corpus Christi tantùm spiritualiter manducari, & ori fidei exhiberi, non eò factum esse, quasi imaginariam tantùm praesentiam siue manducationem statuissent: quin potiùs, vt hac ratione crassiorem opinionem, & Papisticam Transsubstantiationem excluderent. Non etiam repugnare se, quò minùs iuxta Pauli dictum 1. Cor. 11. indigni quoque corpus & sanguinem Christi accipere dicantur.

Hac recitatione & declaratione copiosiùs à Bucero habitâ, D.Lutherus reliquos, qui tum aderant, concionatores omnes ordine de sua fide & Confessione interrogauit. Cùmque ad vnum omnes eandem cum Bucero sententiam profiterentur: D.Lutherus cum suis, Magistro, videlicet, Philippo, D.Ionâ, D.Pomerano, D.Crucigero, & duobus alijs Doctoribus Ecclesiae Isenacensis & Gothanae Pastoribus, alijsque Ecclesiae Witemberg. concionatoribus, secessit, & de his cum ipsis contulit. Vbi verò rursus consedissent, Legatos ex superioris Germaniae Ciuitatibus humanissimè ad hunc modum affatus est: Venerandi Domini ac Fratres; Audiuimus omnium & singulorum vestrûm responsa & confessiones, Quòd videlicet, credatis & doceatis: In sacra Coena verum Corpus & verum Sanguinem Domini exhiberi & sumi, & non panem & vinum tantùm, & quòd perceptio & exhibitio haec verè fiat, & non imaginariè: Offendimini autem tantùm IMPIORVM ratione, ita tamen, vt fateamini, indignos (vt Paulus ait) Corpus Domini sumere, vbi videlicet, institutio & verba Domini non subuertantur. De his igitur non contendemus. Sed cùm ita se res habeat, inter nos conuenit, vosque agnoscimus & recipimus (quantùm ad hunc articulum attinet) vt charos nostros fratres in Domino. Hunc verò articulum Philippus scripto comprehendet. Cùmque sera esset vespera, hac vice ipsos à se ad hospitium dimisit, ita tamen, vt postridie reuersi, de reliquis etiam capitibus doctrinae, de Baptismo, Absolutione & similibus, tractarent. Ad Latinas enim Psalmorum cantiones & alias ceremonias quod attineret, quia puerilia ea essent, non posse ea multùm facessere negotij aut difficultatis.

1536.

Hactenus Ludouicus Rabus, cuius verba eo potissimùm consilio adscripsi, vt & status causae, qui tum inter superioris Germaniae & Helueticas ciuitates, & D.Lutherum, atque huic adiunctos Theologos in hac controuersia fuit; pleniùs intelligi, & sententia formulae Concordiae huius, rematâ ambiguitate, dexteriùs accipi possit: denique & verae pietatis ac pacis Ecclesiarum amantibus, nunc quoque ad Concordiam publicam aditus monstretur: quae tum demum solida ac firma erit, cùm imaginationes Pontificiae de substantiali allegatione siue occultatione substantiae corporis Christi ad locum, vbi Symbola continentur; & recentes disputationes de Vbiquitate remotae; & simplex veritas à Deo patefacta, de vera communione nostri cum Christo, atque Ecclesiarum aedificatio sincero corde quaesita fuerit.

Inuenitur etiam copiosior huius Concordiae historia in Tomo Anglicano Buceri, qui in hac tota actione post Lutherum praecipuus fuit, eamque per omnia, vti gesta est propriâ manu consignauit. Hanc igitur ipsius recitationem (quae egregiè etiam consentit cum narratione Iohannis Zuiccij Constantiensis Ecclesiae Pastoris, qui huic tractationi quoque interfuit & diligenter conscripsit manu propria, quam adhuc penès nos habemus) (iussus enim à suo Magistratu fuit, ne vlli actioni subscriberet, sed quae acta essent scripto comprehensa domum referret) breuiter & summariè hoc loca inseremus. Postquam Capito & Bucerus soli Lutherum accessissent ac salutâssent, indicârunt illi, non hoc fine ad Conuentum hunc se venisse, vt de Eucharistiae negotio tantùm, sed de omnibus fidei Christianae capitibus tractetur: & vt disciplinâ atque ordinatione etiam Ecclesiasticâ constitutâ legitimè, omnibus erroribus vel desidiâ vel ἀταξίᾳ commissis, occurratur. Ad doctrinam enim de sacra Coena quod attineret, sententiam ipsorum ex antè editis suis de hoc Sacramento articulis & Confessionibus ita probè perceptam esse, vt Lutherus etiam ad ipsos, tanquam ad charos suos fratres, literas saepius scripserit, & Ecclesiae etiam Augustanae Ministrum praefecerit: vnde in eam descenderent sententiam, nihil in illis suis articulis & Confessionibus contineri, de quo conqueri deberent. Si verò vlteriorem declarationem desiderarent, paratos se esse id fideliter exequi. Ad hanc ipsorum propositionem Lutherus horâ tertiâ

Concordiae Witebergensis historia copiosior ex Tomo Anglicano Buceri.

Lutherus quid desideret in doctrina Zuinglianorum.

1536. tiâ pomeridianâ eiusdem diei respondit: se de alijs fidei Christianæ articulis cum illis non acturum, nisi priùs Concordia in articulo de S. Cœna inita foret. Bonam se quidem spem concepisse ex quibusdam ipsorum scriptis, & nominatim ex libello ad Monasterienses. Interea tamen literas ad se scribi, quibus prorsus diuersum sibi significetur: nec aliud se quicquàm cognoscendo adhuc percepisse, quàm ipsos hinc inde spargere, quasi probè cum Luthero consentiant, nihilominus tamen interea docere, quæ hactenus docuerint: nimirum tantùm panem & vinum in Cœna adesse; ideoque eam institutam esse, vt sola Domini absentis memoria recolatur, atque ita in vana saltem imaginatione, Christum præsentem habeamus. Et quantumuis de præsentia Christi verba faciant, id tamen vno vel altero saltem verbulo ipsos facere, statimque ad spiritualem manducationem transuolare. Hæc se non posse probare. Secundò eos in suis scriptis iactare, hactenus tantùm λογομαχίαν seu pugnam de verbis inter nos fuisse. Hoc similiter se non posse probare. Pugnâsse enim se pro veritate Christi: Quòd nimirum corpus Christi in Cœna præsens sit: Carolostadium verò & Zuinglium docuisse, corpus Christi ibi non adesse, sed nudum solummodò panem & vinum, quorum sententiæ ipsi quoque sese adiunxerint. Quòd si ergo vera ipsis Concordia cordi sit, necesse fore, vt priorem sententiam reuocent, & cum Luthero liberè profiteantur: Panem in Cœna corpus Christi esse. Quòd si autem id facere recusent, testari ipsos, seriò à se rem non agi. Se quoque aliam Concordiam non initurum, quàm quæ vera, firma, & stabilis sit, ne posteriora fiant deteriora prioribus. Concordiam itaque, si rectè & bene constituenda sit in eo consistere: Primùm, vt palinodiam canant, & priora sua dogmata damnent, quibus in Cœna nihil præter panem & vinum esse statuissent. Secundò, vt auditoribus suis probè inculcarent, quòd in S. Cœna verè habeatur & accipiatur verum corpus & sanguis Christi: idque non minùs ab impijs quàm à pijs: nec indesinenter spiritualem manducationem vrgerent, de qua nulla esset controuersia.

Bucerus & Capito respondent Luthero.

Capito & Bucerus ad hæc respondebunt: in proxima sua actione Basileæ cum Heluetijs instituta, errores Sacramentales satis refutatos, & Confessionem Zuinglij de Christi in Cœna præsentia satis declaratam esse. Ad palinodiam quod attinet, hoc dederunt responsum: se nimirum paratos

Bucerus non vult veram suam sententiam de Cœna reuocare.

esse, viuâ voce ea reuocare, quæ ostendi possent in publicis concionibus, à se non rectè esse proposita, scripto quoque edito ea reuocaturos, quæ similiter in scriptis publicis, vel ipsi, vel alij ipsis addicti, non rectè proposuissent. Non autem, vel se, vel socios vnquam docuisse, quòd panis tantùm & vinum in Cœna detur, & non etiam verus Christus. Hoc verò se fateri, quòd in ea aliquando fuerint sententia: Lutherum & qui ipsum sectantur, nimiùm Sacramentis tribuere, crassioremque vnionem Christi cum pane statuere, quàm quàm sacra Scriptura admittat: Huius sententiæ causam hanc fuisse, quòd tropus omnis ab illis hactenus in verbis Cœnæ negatus sit: & quòd scripserint, intellectum verborum Christi hunc esse: Hoc est corpus meum substantialiter & corporaliter, vel, in pane adest corporaliter. Item, quòd sine sufficienti declaratione, Sacramenta tradantur esse canales gratiæ diuinæ, non secus ac si hoc externo operi per sese, tanquam ex opere operato adscriberetur, &c. Ex eo autem tempore, quo in posterioribus suis scriptis ostenderint, se negare naturalem vnionem corporis Domini cum pane, nec Christum in pane localiter includere: & quòd in vsu Sacramentorum ministris nihil præter ministerium, quæcunque verò gratiæ diuinæ essent, soli Deo eiusque Spiritui tribuere: in annum iam octauum vsque cùm loquendo tum docendo, diligentem adhibuisse operam, vt scripta Lutheri hoc modo intelligerentur, vt verò reuocent, quòd nec pro suo agnoscant, nec docuerint vnquam id se prorsus non decere. Locum enim in suis scriptis nullum reperiri vbi in sacra Cœna nihil præter panem & vinum esse doceatur.

Neutra pars alterius sententiam intellexit verè.

Quòd postulatum sit, ne posthac dicant, hactenus tantùm λογομαχίαν de Sacramento fuisse, & neutram partem alterius sententiam probè intellexisse, respondere; se non de omnibus loqui. Interea tamen verum esse, se Lutheri & cæterorum, qui partes ipsius sequantur, sententiam non satis intellexisse, in eo præsertim, vbi tropum omnem negarent, & corporalem manducationem corporis Christi vsque adeò vehementer vrgerent. Scire etiam se, Lutherum ipsorum sententiam similiter non satis assecutum esse, in eo, quòd ipsis objiceret, quasi veram præsentiam Christi in S. Cœna negarent, quod nullus eorum vnquam fecisset. Quòd si autem causa hæc probè componatur, non se Luthero tali defensione posthac molestos futuros. Libenter enim

fateri

fateri velle, errorem esse, si dicatur, tantùm panem & vinum in S. Cœna exhiberi, eamque sententiam, ut erroneam acriter damnare velle: ita tamen ne personæ, quæ huius erroris nondum convictæ sunt, illo prætextu damnentur.

Doctrina ministrorum superiorisGermaniæ de Cœna.

Ad ipsum verò negotium Sacramentarium quod attineat, suam & illorum omnium, qui in Ecclesiis liberarum & Imperialium Civitatum concionentur, fidem & doctrinam de hoc Sacramento hanc esse: Quòd sentiant in eo ex institutione & opere Domini, verè, prout verba sonent, verum corpus & verum Christi sanguinem, cum visibilibus signis pane & vino, exhiberi, dari & sumi.

Doctrina Buceri & sociorum de orali manducatione.

De orali manducatione sententiam ipsorum eandem esse cum ea, quam Lutherus in tractatu de prædicatione identica expresserit: Nimirum, os nostrum ad corpus Christi propriè & per se, minimè posse pertingere, sed, ut Scriptura dicit: Iohannes videbat Spiritum sanctum, qui tamen corporeis oculis nihil præter columbam, nequaquam autem ipsum Spiritum sanctum, qui in se invisibilis est, videre poterat: Ita se fateri omnes, propter Sacramentalem unionem, quæ est inter panem & corpus Christi, dici posse (quod & S. Patres facere solent) corpus Domini in manus atque os sumi. Verùm, quia homines ipsorum semper aliquid crassius ex illo loquendi genere colligere soleant, non uti se ista loquendi forma, sed ita loqui: ibi cum pane & vino corpus Domini verè exhiberi, divino quidem & cœlesti, sed tamen vero & substantiali modo. Hac declaratione se contentos esse, & suos hortari ad manducationem, quæ veram fidem conjunctam habeat, quo fructus hujus Sacramenti fiant participes.

De manducatione impiorum Buceri & sociorum doctrina.

Ad manducationem impiorum quod attinet, dixerunt: se de ea apud suos verba non facere: Si enim tales accedere velle ipsis constaret: nequaquam eos admitterent. De ipsa verò quæstione si interrogentur, respondere solere: impios illos qui prorsus impii sunt, ita ut ipsis quoque verbis huius Sacramenti fidem non adhibeant, nihil præter panem & vinum sumere. Institutionem enim & verba Domini ad tales non pertinere, qui prorsus impii sint. Reliquos qui se externè Christi discipulos profiteantur, multis tamen nævis adhuc laborent (cùm institutionem & verba Domini non pervertant, sed historicâ fide præditi sint) etiam corpus & sanguinem Domini accipere. Quia autem hoc sine viva fide faciant, reos ipsos fieri corporis & sanguinis Domini, sicut & Corinthii rei fiebant. Addebant 1536. præterea, multa & gravia se præbituros scandala Ecclesiis suis, si dicerent, Impios æquè participes fieri corporis Domini, ac pios. Quotidio enim se adhortari suos solere, ut Christum in suis Sacramentis verâ fide participarent: quam participationem ex sexto capite Iohannis veram Christi manducationem, quæ scilicet ad vitam fieret, cum sanctis Patribus appellarent. Aliis qui hac fide præditi non essent, corpus quidem Domini in Cœna æquè offerri & exhiberi, ut & maximè fidelibus: eos verò, ut Augustinus loquitur, Christum Sacramentotenus tantùm, non ad vitam, sed ad iudicium manducare.

De Civit. Dei lib. 21. cap 25

Dicit præterea Buceri historia, in huius sententiæ explicatione varios sermones & responsiones agitatos esse: Interea Lutheri morbum ita auctum fuisse, ut per integrum diem ab actione cessandum fuerit. Cùmque postea denuò conventum esset, Bucerum sententiam antè propositam, magnâ attestatione repetivisse: Veram scilicet Christi in Cœna præsentiam, nunquam se negavisse: Et si quando his locutionibus usi essent, Corpus Christi spiritualiter manducari: Item, Christum ori fidei exhiberi: non se imaginariam seu fictam aliquam præsentiam & fruitionem statuisse: Sed solummodò crassam illam præsentiam & inclusionem excludere voluisse, quâ mundus in Papatu durabilem præsentiam, extra usum Sacramenti, sibi imaginatus, & eo insuper errore imbutus fuerit, fictam istam & imaginariam præsentiam, multùm boni importare, malaque omnia avertuncare, licet nulla vel doctrina vel fides accederet. Vnde solum etiam hujus Sacramenti aspectum & circumgestationem tanti fecerint homines.

Qualem præsentiam corporis Christi in Cœna Bucerus & socii negarint.

De manducatione impiorum. Bucerus se rursus declarat

Cùmque denuò ad articulum de manducatione indignorum ventum fuisset, Bucerus affirmavit, se idem cum Luthero sentire: Nempe eos, qui Domini institutionem & verba non retinerent sed pervertereut, nihil prætet panem & vinum in Cœna sacra sumere. Alios autem etsi vivificam fidem non afferrent, nihilominus tamen non solùm panem & vinum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini accipere: verùm sibimetipsis ad judicium. Hanc verò auditu horribilem vocem in Ecclesiis suis futuram, si dicatur: Impios æquè corpus Christi manducare ac pios. His à Bucero ita propositis, Pomeranus subiecit: Rectè igitur ipsius Pauli verbis dici posse, Indignos corpus Domini sibiipsis ad judicium sumere. Ad quæ Bucerus respondit: Imò, si

Lutheri determinatio addatur: ubi servantur verba & institutio Domini.

Buceri distinct. io de tribus hominū generibus, qui Cœnam sumere possunt.

Et hoc quidem loco narrat Tomus Anglicanus, Bucerum meminisse distinctionis suæ de tribus hominum generibus, qui Sacramentum hoc sumere possunt, Primò, scilicet dignorum: Secundò, indignorum: Tertiò, eorum qui planè sunt impii, qui nihil præter panem & vinum percipiant.

Socii Buceri probant ejus de Cœna declarationem.

Posthac narratur, Lutherum de cujusque superioris Germaniæ Theologorum fide in hoc articulo sciscitatum esse: cui universi & singuli suo nomine confessi sint, se prorsus idem in omnibus sentire & docere Addiderunt etiam suis in locis nemini concedi, ut doceat vel dicat, Tantùm panem & vinum in sacra Cœna adesse: Imò hanc sententiam in quibusdam Civitatibus inter blasphemias relatam, pœnasque gravissimas in eos, qui hæc proponant, constitutas esse: se igitur omnes fideliter docere, verum corpus & verum sanguinem Christi in sacra Cœna offerri & sumi.

Concordia Witteb quibus conditionibus facta.

His peractis, Lutherum cum suis secessisse, & posteaquam rursus consedissent, & gestu & verbis humanissimis respondisse: Auditas esse omnium & singulorum confessiones, quod videlicet credant & doceant, In sacra Cœna verum corpus & verum sanguinem Christi exhiberi & sumi, & non panem & vinum tantùm: & quòd exhibitio & perceptio hæc verè fiat, & non imaginariè. Quia verò impiorum ratione tantùm offenderentur, & tamen faterentur, Indignos corpus Domini sumere, ubi videlicet institutio & verba Domini non subuertantur: nolle se de his contendere, quin potiùs ipsos agnoscere & recipere (quantùm ad hunc articulum attineat) ut dilectos suos fratres in Domino. Et hunc articulum superioris Germaniæ Theologorum etiam consensu scripto comprehendere Philippus iussus est.

Ex Augustana confessionis historia Ambros. Wolfii pag. 618. & seqq.

Extat quidem de hac concordia Wittebergensis tractatione Friderici Myconii Gothensis Pastoris etiam Epistola, in qua inter alia refert, Bucerum confessum esse coram Luthero, & collegis ejus, se olim quædam non satis intellexisse, neque satis explicatè docuisse, paratum autem se esse, ut iam etiam factum sit, revocare, & rectè in posterum docere, precatum quoque esse cum suis omnibus qui adfuissent, quia Augustanam confessionem & eiusdem Apologiam agnoscant, ut in cōcordiam, & fidei societatem reciperentur, &c. *Sed hanc Epistolam suspectæ fidei esse, & vanissimum figmentum narrare de recantatione Buceri, & Capitonis, deque mutatione prioris confessionis, & doctrina de Cœnâ Domini, adeoque impudentem depravationem veræ rei gestæ esse; ex his sequentibus rationibus apertissimè constat.*

Primò, *Ex Actis verissimum est, Bucerum & Capitonem, aliosque superioris Germania Ecclesiarum Pastores, & Theologos, vel à suo Magistratu, vel collegis in ministerio Verbi Dei mandatum, & licentiam nullam habuisse, imò non ideo Wittebergam ablegatos fuisse, ut suarum Ecclesiarum confessionem (à qua Suvinfurti anno 32. ne pilum quidem recedere voluerunt, anno autem 34. Constantiæ Helveticarū Ecclesiarum confessionem approbārunt, & cum eis de novo concordiam inierunt) tanquam hæreticam & erroneam damnare ac rejicere deberent: sed potiùs, ut Luthero ejusque collegis suarum Ecclesiarum doctrinam, contra præconceptam, & falsam suspicionem de nudo pane & vino, nudisque & inanibus signis, exponerent, & declararent simúlque suam propensam voluntatem, & studium ad concordiam, cum hac declaratione Luthero, & ejus collegis liberaliter offerrent. Quâ fronte igitur ausi fuissent, non jubente & nesciente suo Magistratu, & collegis, tantum facinus committere, & priorem suam confessionem ac Doctrinam palàm revocare, & damnare? nonne παραπρεσβείας, seu malè obitæ legationis jure à suis damnati fuissent?*

Secundò, *Falsitatis arguunt hanc epistolam, propositiones Buceri, & Augustana Ecclesiæ Ministrorum contra Amsdorfium, summum Lutheri amicum, anno 34. edita, in quibus explicatè, & copiosè se declarārunt, ut Lutherus aliique Augustanæ confessionis Theologi, rectiùs & meliùs intelligerent, quænam ipsorum de Cœna Domini doctrina, & confessio esset, & sanctè testati sunt, se in ea perseveraturos, nec quicquam revocaturos esse, ut Amsdorfius volebat. Et Lutherus non obstante quoque hac declaratione, cupidè ipsis concordiam obtulit.*

Tertiò, *Ex Articulis formula concordiæ perspicuè apparet, Bucerum, cum suis priorem quatuor Civitatum confessionem, & doctrinam nullo modo revocâsse. Nam si quis hos articulos diligenter conferat cum Civitatum quatuor Confessione, ejusque Apologia, mox intelliget utrobique unam, eandèmque doctrinam de Cœna Domini contineri. Imò dicti articuli ferè ad verbum ex prioribus scriptis Buceri, præsertim verò ex Apologia Confessionis Urbium desumpti sunt, ut Bucerus ipse testatur in Epistola ad Ambrosium Blaurerum, quem etiam monet, nisi hæc sic se habeant, ne subscribat concordiæ articulis, ut est videre in Buceri Tomo Anglicano pag. 669.*

Quartò, *Bucerus, & Capito Helveticarum Eccle-*

Ecclesiarum Confessionem Basileæ paulò antè factam, de Cœna Domini, quam superioris Germaniæ Ecclesiæ approbârunt, tanquam suæ confessioni, & doctrinæ consentientem, Luthero mox ab inita concordia exhibuerunt, quam etiam Lutherus non improbavit. Quòd si verò in concordiæ Witebergensis tractatione Bucerus cum suis suam Confessionem pristinam & doctrinam revocâssent, mutâssent, aut ab ea defecissent, non licuisset certè eis in illo ipso ferè puncto exhibitione Confessionis hujus contrarium protestari.

Quintò, *Reclamat Myconii Epistolæ Relatio à Bucero de concordia Witebergensi, ejusque articulis Argentinæ facta, & ab omnibus, qui cum eo Witebergæ fuerunt, approbata, in qua ne syllaba quidem reperitur, quæ suspicionem aliquam revocationis, mutationis, & defectionis contineat. Reclamat etiam concordiæ Epistola, quam Argentinensis Ecclesiæ Ministri ad Lutherum, & alios Witebergenses Theologos mense Augusto hoc ipso anno scripserunt. In ea enim apertè testantur, quòd hanc concordiam, non quasi à priore sententia, & confessione sua, Augustæ quatuor Imperialium Civitatum nomine exhibita, ejusque Apologia desciscentes, sed tanquam cum ea in summa rei consentaneam, intelligant, & amplectantur. Nec eis Lutherus vel unico verbulo contradixit.*

Sextò, *Reclamant etiam huic epistolæ Retractationes Buceri, statim post initam concordiam, edita de vero sensu articulorum huius concordiæ, in qua hinc inde sparsas calumnias de recantatione prioris suæ confessionis, & doctrinæ solidè refellit, quibus etiam maior fides est habenda, quàm epistolæ Myconii diu postquam scripta fertur edita.*

Septimò, *reclamant etiam literæ Helveticarum Ecclesiarum, in quibus de Buceri declaratione Articulorum Concordiæ sic ad Lutherum scribunt: Quum ex declaratione singulorum Articulorum à Bucero facta, cuius etiam exemplar unà tibi mittimus, intelligeremus, Confessionem, & Doctrinam nostram Basileæ conceptam, per Articulos nullo modo infirmari, aut immutatum iri &c. Aliud perspicere inde non potuimus quàm nos ita semper antehac & docuisse, & credidisse: atque in posterum quoque sic omnino docturos. Itaque non possumus eos articulos aliter ex suprà dicta declaratione (si modò eadem est tua Reverentia, uti non dubitamus sententia) intelligere, quàm conformes eos penitus esse nostræ illi fidei confessioni, neq; ulla in parte illi adversari. Adeò de illorum Articulorum sensu eadem sit planè nostra sententia. Neque his unquam Lutherus contradixit. Annon igitur mendacem esse dixerit Lector Myconii epistolam, quæ fingit Bucerum suam Confessionem & doctrinam, quæ eadem est Helvetiorum, Witebergæ revocasse? Aut enim Helveticæ quoq; Ecclesiæ approbatione sua Articulorum concordiæ, juxta Buceri declarationem à sua confessione, & doctrina defecerunt, aut mendax est epistola Myconii: Sed Helveticæ Ecclesiæ suam doctrinam, & confessionem constanter retinuerunt. Ergo.*

1536.

Octavò, *Bucerus, & Capito anno 39. Calvini Gallicarum Ecclesiarum doctrinam, & confessionem approbârunt, eiq; subscripserunt, figmentum igitur est, quòd Myconii Epistola narrat de revocatione Buceri.*

Nonò, *Articuli Concordiæ inter Francofurtenses Ecclesiæ Ministros inita, testantur, quo sensu Witebergensis concordia intellecta, & approbata sit à superioris Germaniæ Theologis, inter quos etiam Francofurtenses fuerunt.*

Decimò, *Post Concordiam Witebergensem in superioris Germaniæ Ecclesiis mutatio religionis doctrinæ, & confessionis nulla prorsus facta est, sed constanter in sua priore doctrina, & confessione: sic quidem, ut quum post Numburgensem conventum Fridericus III. Elector Palatinus Argentinenses hortaretur, Augustanæ quoque confessioni de novo ipsi quoque subscriberent, illi responderent, se quidem hoc libenter facturos, hac tamen conditione, ut sibi sua confessio salva, & integra relinqueretur.*

Vndecimò, *Etiam hoc in Myconii Epistola falsum est, fortissimè Myconium contra Bucerum & Capitonem convicisse, panem Cœnæ non ex dignitate, vel indignitate, vel sumentium, vel dantium esse, & dici verum illud corpus Christi quod traditum est pro nobis, &c. sed tantùm ex potentia, & virtute ejus, qui sumpsit illud in manus suas, & dixit; Hoc est corpus meum. Nam prius nunquam docuerunt superioris Germaniæ Theologi, posterius nunquam negârunt.*

Concordiæ autem formula à Philippo scripta, & paulò antè à nobis recitata, cùm lecta esset coram utriusque partis Theologis, Bucerus his verbis eam in præsentia Lutheri declaravit, & ut ei subscriberent omnes exhortatus est: Jam Concordia, *inquit*, in eo confirmabitur, & rata erit, si ita ut habent hi articuli, scilicet de Cœna, de Baptismo, & Absolutione, verè sentiamus, & bona fide nostrum quisque doceat: Et quantum ad articulum Eucharistiæ attinet, oportebit pleno ore, ut errorem damnare: docere nihil quàm panem & vinum in sacra Cœna dari & accipi, dum illa juxta Verbum Domini celebratur: Item, affirmare & docere, veritatem Christi esse, dari & accipi verè in sacra Cœna verum Corpus & verum sanguinem Domini, ut dictum tamen est, non unitum naturaliter cum pane, nec inclusum in pane localiter, nec in cibum ventris. Denique veritatem

Bucerus hortatur socios Theologos ad subscriptionem formulæ Concordiæ.

1536. tatem Sacramenti huius, ut Verbi Dei & Sacramentorum omnium niti Verbo & institutione Domini, non meritis hominum vel sumentium vel præbentium: Iudicium autem sumere quicunque Sacramentum indignè sumunt. Hæc ergo qui vera esse agnoscit, & bona fide sic docere constituit, subscribat & præstet, quod se facturum recepit: Qui minùs, illi nos offerimus ad respondendum amicè ad omnia, quæ eum à subscriptione remorari possunt.

Concordia Witebergensis formulæ utraque pars subscribit.

Responderunt omnes, se nullam subscriptionis derrectandæ causam habere, quandoquidem seriò sic credant ac sentiant: *& ita singuli propria manu subscripserunt. Eorum autem nomina hæc sunt:*

Wolffgangus Capito D. Minister Verbi Ecclesiæ Argentinensis.
M. Bucerus Minister Ecclesiæ ejusdem.
Martinus Frechtus Ecclesiæ Vlmensis in Verbo Minister Licentiatus.
Iacobus Otherus Theologiæ Licentiatus Minister Ecclesiæ Eßlingensis.
M. Bonifacius Lycosthenes Ecclesiæ Augustanæ Minister in Verbo.
Wolffgangus Musculus Ecclesiæ Augustanæ in Verbo Minister.
M. Gervasius Scholasticus Memmingensis Ecclesiæ Pastor.
M. Iohannes Bernhardi Francofordiensis Ecclesiæ Minister.
M. Martinus Germani Furfeldensis Ecclesiæ Minister.
M. Matthæus Aulberus Pastor Ecclesiæ Reutlingensis.
Iohannes Schradinus Diaconus Ecclesiæ Reutlingensis.
Martinus Lutherus D. Witebergensis.
Iustus Ionas D. Pastor Ecclesiæ Witebergensis.
Caspar Cruciger D. VVitebergensis.
Iohannes Bugenhagius D. Pomeranus.
Philippus Melanchthon.
Iustus Menius Isenacensis.
Fridericus Myconius Gothensis.

Ex Ambrosio Wolfio.

Pro rectiùs autem intelligendo VVitebergensis huius concordiæ vero, ac genuino sensu, in memoriam revocandum est, quòd etsi Lutherus in ipso concordiæ tractatu, statim ab initio ut suprà diximus, pro sua, quâ pollere volebat authoritate, instinctu Amsdorfii, à Bucero, Capitone, eorumque sociis Palinodiam prioris sententiæ flagitaret, volens, ut se hactenus non rectè docuisse faterentur, In Cœna nihil præter solum panem & vinum adesse, eamque tantùm institutam esse, ut sola homini memoria recoleretur: Tamen ad hanc Lutheri non æquam, sed ab erroneo iudicio, quo in Polemicis suis scriptis, affectato contentionis studio, deceptus fuit, profectam postulationem, facilè, & ingenuè respondit Bucerus, libenter se quidem, omnesque alios, qui in Ecclesiis Imperialium Civitatum concionarentur, hunc errorem damnaturos, Nempe, panem & vinum tantùm in Sacra Cœna exhiberi; verùm ipsos nunquam ita sensisse, aut docuisse, neque se nominatim cuiquam hunc errorem imputare posse. Istud verò non gravatim se fassuros esse, quòd in illa aliquando sententia fuerint, Lutherum in suis scriptis nimiùm sacramentis tribuere, & crassiorem unionem corporis Christi cum pane statuere, quàm qualem Scriptura admittat quasi videlicet verborum Christi iste sit intellectus, Hoc est corpus meum, substantialiter & corporaliter, vel in pane adest corporaliter. Ex quibus visum sit iis, Papisticos errores rursus in Ecclesiam introduci, & confirmari. Ipsorum autem fidem & doctrinam de hoc Sacramento hanc esse, Quòd in eo, ex institutione Domini, verè (prout verba Domini sonant) verum corpus suum, & verum sanguinem, cum visibilibus signis, vel symbolis, pane & vino, exhibeantur, dentur & sumantur, sicut hoc antehac quoque in publicis Ecclesiarum superioris Germaniæ confessionibus, & in aliis scriptis professi essent. Quibus verbis ad suam Augustæ seorsim exhibitam confessionem apertissimè provocant seque in ea perseveraturos haud obscurè significant.

Tomo Anglici pag. 650. 651.

Hinc patuit Lutherus sententiâ Buceri intelligere.

Referunt se ad priorem confessionem suam.

Postquam autem hæc prolixè, tam suo quàm etiam Sociorum suorum nomine Luthero, aliisque quos sibi adjunctos habebat, explicâsset Bucerus, atque constanter professus esset nulla ampliùs super corporali præsentia, & manducatione corporis Christi in pane nata est quæstio, sed superiùs recitata Concordiæ formula constituta, & utrinque approbata fuit, quæ veri quidem corporis, & sanguinis Christi in Sacra Cœna exhibitionem, at non corporalem ad hoc ipsorum in Symbolis existentiam, & oralem manducationem requirit, sed novum tantùm errorem excludit qui solum panem, & vinum in Cœna Dominica exhiberi, & accipi, solamque memoriam Christi in ea celebrari docent.

Rationes cur non sequatur, corpus Christi verè adesse & dari in Cœna Ergò adest & datur corporaliter.

Etsi igitur in hac concordiæ formula iuxta Christi, & Pauli verba rectè dicatur, Cum pane & vino, verè, & substantialiter adesse, exhiberi, & sumi corpus, & sanguinem Christi: tamen hinc non statim sequitur nec sequi aut inferri posse sensit, aut voluit Bucerus, & tota tunc temporis Suevorum Ecclesia, verum Corpus Christi realiter in pane existens contineri, & corporaliter ore manducari, his quatuor præcipuè de causis.

Primò,

1536.

Primò, *Ab ipsa veritate corporis, quatenus in mortem est traditum: sic enim, & non aliter caro & sanguis Christi verè sunt cibus & potus, sicut hac pro mundi vita data sunt. Hæc autem veritas, quoniam est caro de carne, & os, de ossibus nostris, cuius, per communicationem in mysterio, membra, & concorporales efficiuntur fideles, sicut mutationem in essentialibus suis proprietatibus non admittit, testante Christo; Palpate, & videte, Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere: Ita quoque ab hac veritate corporis, ut in mortem traditi, modus præsentiæ, & communicationis eius est definiendus: de quo sic rectè sentiunt authores Syngrammatis: Corpus Christi corporale non accipitur à corde & animo, nisi pro ratione fidei, quæ est spiritualis ut maximè ipsum sit corporale.*

Secundò, *Quia non aliter cum pane & vino verè adsunt, & exhibentur corpus & sanguis Christi, quàm sicut panis & vinum verè sunt corpus & sanguis Christi, quia realiter in pane & vino existant, & corporali præsentia contineantur, sed propter Sacramentalem unionem, qua cum visibili signo, seu symbolo panis & vini, virtute & gratia Spiritus Sancti, corpus & sanguis Christi, pro ineffabilis mysterii ratione & modo, fidelibus, (in quibus solis, ut Augustinus ait, sacramenta efficiunt, quod figurant) in salutarem, & vivificum animæ cibum, & potum dispensantur. Non enim sicut panis corporaliter in manus datur, accipitur, & ore visibiliter manducatur: Ita quoque hoc, quod panis in mysterio, (quo Symbolis rerum nomina imponuntur) esse dicitur, id est, corpus Christi in mortem traditum eodem modo in manus datur, accipitur, & ore visibiliter manducatur.*

Vide Orthodoxū consensū cap. 7.

Tertiò, *Quòd in Sacramento Cœnæ verum corpus, & sanguis Christi, cum pane & vino verè distribuuntur ex promissione, seu ordinatione divina, & proprio instituti usus fine, conditionem in se habet legitimi, & rectè servati usus in fide. Sicut enim ipsa promissio gratiæ tantùm pertinet ad fideles, ita etiam Sacramenta, quæ sunt velut signa, & pignora promissionis, tantùm instituta sunt fidelibus. Isti ergo sunt etiam, qui verè servant verba, & institutionem Christi, ut habet superior articulus Concordiæ.*

Quartò, *Quia in ista Witebergensis Concordiæ formula disertè rejecta est Transsubstantiatio, & localis inclusio, hoc ipso etiam exclusa fuit, corporalis illa rerum in symbolis existentia. Est enim vera localis inclusio, & Bucerus hoc publicè ex Suevorum Ecclesiæ sententia explicavit, & declaravit, corpus Christi intra panis substantiam, & locum contineri, seu comprehendi, quamvis id fieri fingatur absque localis commensuratione. Nam quod respectu alicujus loci, (ut panis Eucharistiæ) non est similiter extra illum locum, istud necessariò in loco contineri, & includi, seu comprehendi oportet. Quemadmodum enim Transsubstantiatio non est sine locali inclusione, sicut hoc Pontificii fatentur, corpus Christi esse, & contineri in loco hostiæ, & ad motum hostiæ de loco in locum moveri, quamvis non localiter: Ita quoque corporalis in pane præsentia quæ, quo ad modum existendi, à transsubstantiatione tantùm differt permanentiâ substantiæ, nec esse, nec intelligi potest absque locali inclusione, hoc est, loci alicujus ambitu, seu comprehensione: de quo sic Lutherus; Cur non posset Christus corpus suum intra panis substantiam continere, sicut in Accidentibus? Sed ad historiam revertamur.*

Vide Orthodoxū cons. fol. 158. 159.

Hæc igitur postquam sic prolixè ab utraque parte proposita & explicata essent, nulla ampliùs super corporali aliqua præsentia & manducatione corporis Christi in pane, mota est quæstio: sed talis Concordiæ formula constituta & utrinque approbata fuit, quæ veri quidem corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna exhibitionem, at non corporalem ipsius in symbolis existentiam, & oralem manducationem requirit, sed eorum errorem tantùm excludit, qui solum panem & vinum in Cœna Domini exhiberi & accipi, solamque memoriam Christi in ea celebrari docent.

Post Concordiam Witeb. nulla ampliùs quæstio de corporali præsentia & manducatione moveri debuit.

Die 25. Maij, qui Ascensionis fuit, collocuti sunt superioris Germaniæ Theologi cum D. Pomerano, de Imaginibus, Missalibus vestimentis, lucernis, elevatione & adoratione Sacramenti, quæ in Cœna Dominica celebratione Witebergæ *& in tota Saxonia retinerentur, non sine offensione multarum Ecclesiarum, & quòd Pontificii in suis superstitionibus & idololatria his confirmentur. Ad quæ respondit Pomeranus, Se quidem agnoscere, hæc contra Verbum Dei usurpari, retenta tamen hucusque esse propter infirmiores, & D. Lutherum de abrogatione illorum jam diu secum deliberâsse.*

Witebergensis Ecclesia hoc adhuc tempore nondum plenè reformata.

Maij 27. Bucerus & Capito Helveticarum Ecclesiarum Confessionem Luthero obtulerunt, simulque indicarunt quid eas remoretur, nempe, quòd timerent talem corporis præsentiam, quæ noceret veritati humanitatis Christi: quodque etiam impanationem quandam timerent. Indicârunt etiam, quantas & quales Ecclesias habeant: Quid sentiant de Originali peccato, de Ministerio & Sacramentis: atque diligenter & multis rogârunt eum, ut illarum habeatur ratio: excudârunt quoque

Confessio Helveticarum Ecclesiarū Luthero exhibetur.

1536. *quoque eas, quòd neminem ad hunc Conventum miserint. Respondit Lutherus, se Confessionem Helvetiorum lecturum, sibique in his fratribus placere studium Concordiæ, ac præmisit studium & opem suam ad omnia promptam.*

Lutherus Confessionem Helveticarum orthodoxã agnoscit. *Die 29. Maij respondit Lutherus, se Helveticarum Ecclesiarum Confessionem legisse, eamque orthodoxam agnoscere, licèt quædam verba in ea infirmiores offendere possent: & si formulæ Concordiæ subscribant quoque, sese illarum doctores pro charis fratribus agnoscere & habere velle. Orare se igitur, ut diligenter & amicè cum Helvetiis agant, quo Concordiæ articulos ipsi etiam comprobent atque recipiant: Ita omnem scrupulum exemptum iri, &c.*

Philippi literæ de Cócordia Witteberg. *Cùm hac VVitenberga in Concordiæ tractatione acta essent, 4. Iulii Philippus ad Vitum Theodorum in hanc sententiam scripsit:* Etsi optavi semper, ut mitigaretur discordia de Cœna Domini, idque certâ quadam ratione agendum esse putavi: tameo dissuasi congressum Theologorum. Et quod meum fuerit judicium, quæ solicitudo, potuisti ex literis meis Lipsiæ scriptis, cognoscere. *Dissuasit propter Amsdorfium hostem Cócordiæ.* Cùm verò frustrà conatus essem impedire, decurri tandem ad hoc consilium, ne quid nos pacisceremur. Hoc consilium quàm fuerit necessarium, eventus ostendit. Multò minùs Amsdorffio, quàm vestris satisfecit Confessio Buceri. Quàm tragicè etiam rescripserit Amsdorffius, coràm narrabo. Ac de toto negotio coràm commeotabimur. Nã ego quidẽ nollim accendere rursus hoc certamen περὶ τῦ μυστηρίου, & habeo gravem & justam mei consilij rationem, à qua me αἱ κραυγαὶ τῶν ἀπαιδεύτων (*id est, clamores ineruditorum*) non abducent, &c. *Ex his verbis Philippi non obscurè intelligitur, eum iam tum nostrorum sententiam de Cœna Domini probâsse.*

Lutherus post Concordiam amicè scribit Argentinensibus. *Theologis VVitebergâ domum redeuntibus, Lutherus amicas admodum & benevolas ad Senatum Argentoratensem dedit literas, quarum hæc fuit sententia: Amplissimi prudentissimique Viri, Quidnam hoc in loco per Domini gratiam effectum sit, Dn. D. Capito, & M. Bucerus V. P. exponent. Quia autem Dominus vobis præ cæteris dedit hanc consensionem promovere, eundem dilectissimum nostrum Patrem per Christum liberatorem nostrum ora, ut id, quod gratiâ suâ in vobis cœpit, clementer etiam perficiat, ad nominis sui gloriam & nostrûm omnium salutem, Amen. Quod si etiam concordia hac, inter nos inchoata vestris hominibus & concionatoribus omnibus probetur, per literas illud nobis significari petimus, quemadmodum & nos invicem etiam nostram sententiam vobis expositùri sumus, ut ita palàm concordia hac publicari possit. Ad me enim quod attinet, quicquid vera ac solida concordia constituenda causâ facere & ferre possum, ac debeo, Dei beneficia nihil in me patiar desiderari. Quantum enim dissensiones Ecclesiis obsint, ipsa experientia (proh dolor!) edocti sumus. Christus pax & solatium nostrum vobis omnibus perpetuò adsit, Amen. Pastridie Exaudi. Anno 1536.*

Landgravius Bucerum & Capitonem detinet... Cùm autem Naumburgum venissent superioris Germaniæ Theologi, Landgravius Bucerum & Capitonem detinuit, ut Hamburgi & Marpurgi Hessarum, cum primariis Theologis de Concordiæ quoque negotio tractarent. Tandem Francofurti quæ inter ipsos & Lutherum acta sunt, scripto comprehenderunt.

Bucero negotium Concordiæ explicandi & tradendi aliis cóm misit Lutherus. *Bucero domum revertenti, & Capitoni, negotium totum Concordiæ istius explicandum declarandumque ad alios à Luthero commissum fuit, ut ex binis ipsius ad Helvetios literis constat. Quamobrem haud abs re fuerit, eam ipsam Buceri declarationem multoties ab eo repetitam, vivente Luthero, neq; contradicente, etiam cùm ab Helvetiis ad ipsum mitteretur, subjicere, ut potè qua etiamnum viam ad consensionem mutuam manstrare posse videatur amantibus veritatem & pacem in Ecclesiis Evangelicis, si Dei gloriam & Ecclesiarum ædificationem antefesendam injustis odiis & calumniis persuaderi sibi plerique possent.*

Buceri declaratio Wittebergensis Concordiæ Argentinensi cum collegis facta. *Sic igitur Bucerus domum reversus Argentina fratribus & collegis formulam Concordiæ VVitenbergæ constitutam, declaravit:* In primo articulo duo exprimuntur. Primum, esse in Cœna duas res, terrenam & cœlestem, hoc est, panem & vinum, corpus & sanguinem Domioi, hoc est, Dominum Jesum ipsum. Alterum, adesse, exhiberi, & sumi corpus Christi & sanguinem, cum pane & vino, idque verè & substantialiter. *α. De primo articulo Concordiæ.* Priùs ideo ita expressum est, ut pateret, nos non sola signa, panem & vinum, rem terrenam, in Cœna agnoscere, ut de nobis multi suspicati sunt. Nec D. Lutherum cum suis docere, Christum cum elemeotis panis & vini uniri naturaliter, aut exhiberi ea ullâ ratione seculi præsentis: Res cœlestis est: Cœlesti ratione exhibetur. *β.* Unde nihil hic imaginandum de mutatione, aut inclusione loci, nihil de infirmitate evanidæ conditionis, vel nostri, qui hæc mysteria sumimus, vel Symbolorum, quibus sumimus. Agit Dominus nobiscum, qui in corpore degimus, pro modo imbecillitatis nostræ. Alterum, quod hîc exprimitur, adesse, exhiberi & sumi corpus Christi, *β.* eadem de causa positũ est, ut exprimeretur & distinctio inter Sacramentum & rem Sacramenti (Nam positum est cũ pane & vino)

&

& vera hic veri Christi exhibitio: qua de causa adjecta sunt hæc verba, adesse & exhiberi: Item, verè & substantialiter: quibus omnibus nihil aliud significatur, quàm veram esse in sacra Cœna & ipsius Christi exhibitionem, quæ quidem opus Christi est, sed utitur ad hanc Christus ministerio ministri.

Secundus articulus totus positus est ad excludendam superstitionem Papistarum, ad quam inclinare quibusdam visi sunt hi, qui præsentiam Christi in Cœna asserunt. Nam ex ea superstitione vulgus imaginatur circumscriptitiam quandam Christi præsentiam sub speciebus panis & vini, quamdiu illæ supersunt, & eam per se salutarem, Vnde tanto studio accurrunt, ut Sacramentum videant, externo cultu venerentur, contra omnia incommoda circumferant, nihil soliciti de usu Sacramenti vero, ut illud sumentes, Christum in se magis magisque viventem habeant, & vivant in illo beneficiumque mortis ejus dignè celebrent. Negamus ergo disertè tria, Transsubstantiationem: localem inclusionem: Extra usum legitimum Sacramenti, etiam Sacramentalem conjunctionem Christi cum Symbolis. Ne autem videremur non satis plenè agnoscere, Sacramentum hoc esse communicationem corporis & sanguinis Domini, ut illud Paulus vocat: & verba Domini, Accipite & manducate, hoc est corpus meum, &c. solidè credere: unionem & exhibitionem Sacramentalem voluimus iterum solidè exprimere. Vnde positum est, porrecto pane, verè porrigi corpus Domini: Et ideo dici panem hunc esse corpus Domini. Dicente namque Domino, cùm panem præberet, Accipite & manducate, hoc est Corpus meum, &c. clarissimè patet, lussisse eum à se accipere cum pane, & manducare etiã Corpus suum, ipsum & verum, & non figuram ejus, aut imaginem tantùm. Addit enim, Quod pro vobis traditur. Ergo verè corpus Domini præbetur & accipitur.

In tertio quoque articulo, duo exprimuntur. Primum, Sacramentum Eucharistiæ constare ex institutione Domini, & non pendere ex dignitate Ministri aut sumentis. Alterum, indignis quoque illud dari, & ab indignis sumi, non Symbola tantùm. Prius positum est, ne videremur cum Catabaptistis plerisque Ecclesiam fraudare veritate Sacramenti, propter ministrorum indignitatem, vel sumentium. Nam dum in Ecclesia Sacramentum celebratur iuxta institutionem Domini, habent integrum Sacramentum & rem Sacramenti omnes, qui sunt in Ecclesia, etiamsi ex ministris vel ex sumentibus intersint indigni & perfidi, uti Judas interfuit Cœnæ primæ. De quorum tamen perfidia Ecclesiæ constiterit, hi arceri his sacris debent. Alterum, indignis porrigi etiam cum pane corpus Domini, & sumi hoc ab eis, positum est propter verba Pauli 1. Cor. 11. qui scribit, Indignè sumentes reos fieri corporis & sanguinis Domini; & loquitur illic de iis, qui in Ecclesia sunt, & fidem Sacramenti habent, nec tamen corpus Domini diiudicant, hoc est, donum hoc Christi non dignè æstimant. Omnino enim tria genera hominum Sacramenta sumere possunt. Quidam, qui omnia hic contemnunt & rident, qui prorsus impii sunt, nec quidquam Domino credunt. Hi nihil quàm panẽ & vinum agnoscunt, & sentiunt, eoque nec ampliùs percipiunt, quia pervertunt verba & institutionem Domini. Alii verbis his Domini porrigentis corpus suum, credunt, eaque fide Sacramentum accipiunt, ut simul rem Sacramenti percipiant, nec tamen donum hoc Dei dignè perpendunt. Hi ea indignitate reos se faciunt corporis & sanguinis Domini, quæ tamen sumere volunt & sumunt, quia verba & institutionem Domini amplectuntur. Non manducant autem revera, ut Augustinus dicit, hoc est, non fruuntur plenè hoc cibo vivifico, quem in mentem non satis demittunt. Tertii sunt, qui non credunt tantùm institutionem Domini, & accommodant se illi, Sacramenta sumendo, sed simul viva fide omnia expendunt, considerant & amplectuntur, indeque virtutem hujus cibi solidè percipiunt. Sic se habet etiam verbum Evangelii. Id ex se & institutione Domini est verbum salutis, quibuscunque annuncietur vel credatur: Hoc audiunt quidam sine omni fide. Hi cùm illud non intelligant, quantùm ad ipsos attinet, nihil percipiunt, quàm inanem strepitum verborum. Alii credunt & intelligunt, neć tamen ritè in animo recondunt. Isti Evangelium etiam, ut verbum salutis est, audiunt, ac ita in eo salutem audiunt & assumunt, sed dum illud non satis dignè excutiunt, & in eo meditantur, sed elabi illud animo sinunt, frustrà, vero verbo seipsos destituunt: quo feliciter perfruuntur, qui illud audiunt corde perfecto, & perpẽdunt dignè, qui sunt tertii & optimi generis auditores.

Huc pertinet etiam Buceri epistola ad Eduardum Foxum Episcopum Herephordensem in Anglia, ejusq́ Retractationes, quas Sycophantæ & calumniatores ejus Palinodiam seu Recantationem vocant: nihil enim propè aliud sunt, quàm testificatio de sentẽtia Lutheri, eiusdemq́

Gradus tres sumentium Sacramentis.

Collatio cum gradibus auditorum Evãgelij.

Bucerus in epistola ad Episcopum Anglicanum, & Retractationibus.

1536. *suis Witeb. formulam Concordia etiam declaravit.*

declaratio, pro cōciliāda ubiq; pace & cōcordia, & omni dissensionis occasione penitus amolienda. Verba enim eius hæc sunt: Invaluisse pridem socordiâ, & impietate Ψευδοποιμένων gregis christiani in vulgo Christianorum, eam superstitionem, ut à ceremoniis & verbis sacris salutem illi expectarent, absque vera fide, qua promissionem Christi in Evangelio, & Sacramentis amplectentur, Sancti omnes deplorant. Hanc superstitionem D. Martinus Lutherus primus hoc seculo iusto zelo insectari cœpit, eumque statim in hoc studio sequuti sunt per Germaniam admodum multi. Vt autem Domino visum est nostrâ fidé probare, permisit paulò post exortum hujus lucis, satanæ excitare qui demum vellent videri præpostetam in sacra verba, & symbola fiduciam deiicere, verùm etiā usum Sacrorum evertetent, omni externæ doctrinæ & consolationi nihil ampliùs tribuentes quàm nescio quod testimoniū doctrinæ, & cōsolationis Spiritus, quam quisq; antea secum habeat: Sacramenta verò, solā fidei, charitatisque professionem. In quos quum Lutherus meritò, sed suo more inveheretur, & cō.mendando dona Dei, quæ sacris, & verbis, & symbolis offerútur, hanc ipsam donorū Dei exhibitionem, quæ fit ministerio sacrorū verborum, & symbolorum, plusculum amplificaret, visus est plerisque doctis alioqui, & gloriam Christi ardentibus viris, uti ea ratione ista cōmendandi & ejusmodi verborū formas usurpare, quæ nimiū inclinarent ad illam exitiosam fidei superstitionem, qua vulgus à sacris verbis & ceremoniis salutem sibi petit absque fide & pœnitentia, quamq; in Sacra Eucharistia eam cum speciebus panis & vini, Christi præsentiam imaginatur, & colit, quæ salutifera ipsis sit, si modò bas species viderint, pompâ aliquâ circumtulerint, malisque quæcunque premant (sive sit cœlum inclemens, aut pestilens, sive aqua inundans, ignis grassans, terra mota, morbi omne genus, hostis, & quicquid demū sit, quod affligat, infesterque publice) opposuerint: utcunque ipsi vivant interim, absque ulla pœnitentia, absque fide totumque illū usum sacramenti, quem Dominus instituit, negligant prorsus, & cōtemnant. Hi ergo, quum putarent verba, & loquendi modos quibus condemnando sacrū Ecclesiæ ministerium in verbis & symbolis utebatur Lutherus, & alii, qui illum sectabantur, superstitioni illi Papisticæ nonnihil favere, conati ipsi sunt tradere putiora, & solidiora, quibus id nimirum efficerent, ut sacrum ministerium suo quidem loco consisteret, nihil autem patrocinii à nobis acciperet impietas Papistica. Hoc verò dum conātur, & quàm longissimè recedēdum sibi putant, à tractatione Papistarum, sic quædam de usu verborum, & sacramentorum proposuerunt, ut viderentur jam aliis dispensationem mysteriorum Dei, quæ in sacro ministerio est, non satis agnoscere, nedum dignè exprimere, atque prædicare: nam inanem modò quandam admonitionem voluntatis divinæ in verbis, in Sacramentis solam fidei, & charitatis professionem agnoscere credebantur: & in Sacra Eucharistia nihil dari concedere, quàm panem & vinum, corporis & sanguinis Christi symbola, quibus mortis Dominicæ admoniti, eam prædicemus, agentes Domino pro redemptione nostra gratias. Hinc itaque gravis inter eos exorta digladiatio est, quum illi non dubitarent se pugnare pro donis Dei, quæ sacro ministerio sanctis exhibentur: Hi verò persuasi essent se certare pro synceritate fidei, omnem salutem soli Christo, eique vero Deo, veroque homini adscribentes. Nam putabant hi illorum si non mentes, verba tamen, externo verbo, & sacramentis virtutem salvificam sic addicere, ut nō tota Christo relinqueretur, & cū Domini in Eucharistia præsentiam statuere, quæ cùm veritati humanæ naturæ, in Christo, tū glorificationi videretur nonnihil derogare: sicut contrà illi de his existimabant: eos opus & donum Dei, in verbis, & sacramentis planè negare: & in Sacra Cœna sola symbola, panem & vinum relinquere. Nos interim, qui hic ministramus in Evangelio Christi, quemadmodum de utrisque longè meliùs sentiebamus, & satis videre nobis videbamur, nec hos adeò inanire sacramenta & symbola, neq; illos vim justificandi, & salvandi Christo nō plenissimè tribuere, tum etiā de utraque in Christo natura, atque glorificatione orthodoxè sentire, ita pro virili nostro laborabamus, ut sublata omni dissensione idem utrique in Domino: & sentirent, & dicerent, idque de se invicem agnoscerent. Hoc verò quum moliremur, contigit evulgari amici cujusdam mei non vulgaris responsionem, ad privatam quandam meam ad illum epistolam, qua eum à gliscenti jam pugna avertere institueram. In ea verò responsione quia videbatur amicus ille meam sententiam non ritè acceptam acriùs quàm conveniret (ut equidem judicabam) exagitâsse, edidi invicem Apologiam (qua fateor) sicut rationem tractandi D. Oecolampadii (cujus etiam causa maximè amicum illū cōpellaveram) aliqua ex parte defendebam, ita D. Lutheri, & eorum, qui ab illa stabant inter-

interpretationes quafdam, & loquendi formas convellebam. Sed Christum testor, nulla alia causa, quàm quòd prætet meritum flagellari Occolampadius videbatur, qui vir utriq;non vulgari fuit,nec eruditione, nec vitæ innocentiâ, nec ardore in gloriam Christi; tum quòd ipse quoq;vererer verbis, quibus illi utebantur, externis Sacramentorum actionibus gratiam, ultrà quàm majestati Christi congruat, addiri,& carnalem præterea quandam statui Christi manducationem, physico modo in pane contenri. His enim verbis tum vsus sum, Hoc verò pacto quum in istuc certamen venissem, in eo aliquandiu perstiti:magis tamen, (novit hoc Christus) studio alterius partis defendendæ, quàm alteram impugnandi. Semper enim de D. Luthero, & plerisque aliis ira prædicavi, eos præclara, & veneranda Dei organa esse, viros verè eximios, & doctrina,& vita, & zelo in regnum Christi: tantùm videbantur in alteram partem invehi suprà quàm res posceret & hinc modos quosdam loquendi damnare qui tolerari poterant, & usurpare qui olim Ecclesiæ dare damni aliquid possent. Hinc nec partis alterius vel interpretationes,vel loquendi formas omnes amplexus sum, & rationem pugnæ nunquam probavi, testantur id libri mei. Religio profectò mihi erat non planè confiteri, ubicunque de hac re egi, Christi nobis corpus, & sanguinem in Sacra Cœna verè dari, sumique: quare illas interpretationes, EST, pro significat: Corpus pro Figura: nemo in meis libris inveniet, utcunque conarer defendere eos, qui panem dicebant signum, & figuram corporis Christi esse, propterea, quòd non viderem, ex eo consequi panem esse signum, & figuram absentis Christi, aut non veram cum pane & vino in Eucharistia exhiberi corporis, & sanguinis Domini cõmunionẽ,solam enim physicã corporis Domini cum pane conjunctionem, & localem ejus in pane inclusioñe impugnabam. Id tot in locis disertè à me expressum leget, qui mea de hac re scripta legere sustineat, Ipsam tamen exhibitionem corporis & sanguinis Christi, quæ fit sacro ministerio fateor non ubique satis expressi, sicut nec exhibitionem Spiritus Christi, remissionis peccatorum, atque regenerationis, quæ fit Verbo Evangelii, absolutione Ecclesiæ, & sacro Baptismate: semper enim verebar ne externis rursus actionibus ministrorum id tribueretur quod Christi est. Hac enim in re quid mali det contentio, donorum Domini in ministris ejus levior existimatio, tum propriæ imbecillitatis remissior observatio, præcipuè sensi. Nam licèt mihi aliud conscius non essem, quàm me pro optima ratione commendandi sacrum ministerium contendere(sicut id unicè spectare mihi videbar,ne homines ab externa Verbi auditione,& symbolorum perceptione salutem sibi peterent, absque vera fide in Christum)tamen in gloriam Christi, ad utilitatem Ecclesiæ ejus, & ad meam ipsius,& aliorum cautionem fateri debeo, & volo,ne in D. Luthero, & aliis damnâsse,& impugnâsse rationem commendandi dona Christi, quæ suis per ministerium Ecclesiæ præstat in Verbo Evãgelii,Absolutione peccatorum,Baptismate,& Eucharistia,quæ ratio,& cum Apostolicis Scriptis,& cum fide; & observatione totius Ecclesiæ Christi; planè consentit,& maximè propria est, nec detrahit Christo,quod ipsius opus,& donum est,nec animos hominum à Christo in actionem hominis deducit: si modò ritè (ut ipse solet) hujus homines admoneamus, ut vera fide in omni sano ministerio Domini promissa,& munera spectent. Eam verò rationem pro qua tum certabam, exprimendis donis Christi quæ per sacrum ministerium suis impertire dignatur, haud satisfacere,ut etiam cum ipsis Domini,& Apostolorum formis, quibus hæc nobis commendantur,non tam consonare,quàm oportebat id suis in locis, in retractationibus, quas bis de rebus nominatim hisce enarrationibus inserui,sic habere ex ipsis Scripturis,demonstro,& antè quoq; aliquot in libris ostendi. Nam pridem ista agnovi, postquam scilicet primi antagonistæ,progrediente pugna,sententiam suam utrinque magis declarâssent, &plerosque ipse quoque coràm audivissem. Plurimum tamen ut hæc planè relegerem etiam hæretici mihi contulerunt, qui omnem Ecclesiæ communionem evertere, & usum Sacramẽtorum planè abolere conantur. Ex horum namque furore didici causam cur D.Lutherus,& qui illum sequuntur, de sacramentis, atque sacro ministerio tam magnificè loqui soleant Quamquam, & ipse Oecolãpadius hac in re,me haud parũ juverit:nam exhibitionem donorũ Christi in verbis & Sacramẽtis hic vir pulchrè intellexit,& magnificè prædicavit. Sacramenta enim esse symbola gratiæ,& conscientiam,fidemq; confirmare, & instrumenta Spiritus Christi diligẽter docuit. Adhæc authoritatem S.Patrum in hisce rebus, qui augustissimè de sacro ministerio, & senserunt & prædicârunt, commendavit nobis magno studio. Ad hunc modum deduxit me Dominus per istam contentionem gravem nimis, & Ecclesiis plurimùm (proh dolor!) damnosâ-

1536. sicque ex ea eripuit, & in veram Christi pacem me reduxit cum D. Luthero (quem hic ut primum purioris Evangelii ad nos Apostolum honoris causa nomino) & omnibus quibus datum est agnoscere omnem salutem nostram eo nobis constare, quòd remissionem peccatorum,& justitiam Christi Servatoris nostri sola misericordia Patris cœlestis, & merito unius ipsius nostri Redemptoris destinatam, & partam, & per sanctum Ministerium Ecclesiæ in verbis, & Symbolis, quæ ad id Dominus instituit, oblatam, & exhibitam viva fide amplectimur, nec dubitant, Dominum nostrum Jesum Christum in Ecclesia sua nobis præsentem, ipsumque peccata remittere in cœlis, dum Ecclesia ejus jussu, & ministerio peccata remittit in terra: peccatis verè abluere, & regignere, quibus illa Baptisma (quod nimirum lavacrum regenerationis est,) impertit: verè suum corpus & sanguinem, hoc est,se ipsum nobis tradere, veram corporis & sanguinem sui communionem, dum illa sacram dispensat Eucharistiam:denique agnoscunt hæc sola Domini institutione, virtute ac opere,& nullius hominis merito niti, eoque in Ecclesia semper præstari integra, hoc est,non verba modò, aut symbola sed simul rem ipsam, & dona Dei, quæ verba pollicentur: Absolutione scilicet, remissionem peccatorum: Baptismate regenerationem, & in Christum incorporationem: in Eucharistia ipsum verum Domini corpus, & sanguinem, hoc est, ipsum Dominum, verum Deum,& verum hominem, nec enim nunc corpus& sanguis Domini à se disjuncta sunt. Et agnoscunt integra hæc sacramenta esse, præstari & percipi omnibus, qui verba ipsa Domini, & institutionem, quibus hæc sua dona, & nobis se ipsum sistit, atque exhibet, integra credunt, & recipiunt, etiamsi ea indignè suscipiant, non ritè scilicet ea dijudicantes, nec illis viva fide, & agente exerenteque se per solidam pœnitentiam, & dilectionem fruantur. Hac inquam, qui fide sunt, indeque sanctam Ecclesiæ communionem seriò colunt, cum his pax solida, & consensus verus in Domino mihi Domini beneficio confirmatus est, quem supplex veniam oro, quam etiam à sanctis omnibus membris, & Ministris ejus precor, omnium eorum quæ in hanc pacem unquam admisi verbo, scripto aut facto. Agnosco enim, quàm grave sit in eam vel imprudentem deliquisse. Oro etiam, & obtestor omnes, quicunque mea scripta legunt, ut quæ de externo Verbo, & sacramentis in illis extant, ea omnia intelligant,ad hanc veritatem, quàm hîc, & in hisce enarrationibus, item antea in enarrationibus in Epistolam ad Romanos, in defensione doctrinæ Christianæ contra Episcopum Abrincensem confiteor & defendo.Rejeci alicubi ista & oppugnavi verba, & symbola in sacro ministerio esse canales, & vehicula Spiritus,instrumenta gratiæ, id autem facilè quivis videbit, me de verbis, & symbolis negâsse,ut illa externè administrantur secluso Spiritu Christi: quo sensu Paulus scripsit circumcisionem nihil esse, & legem administrationem mortis; quum tamen circumcisio suo tempore, & ritè percepta exhibitio fuerit, dignationis divinæ, & fœderis salutis: Lex fide Christi percepta, doctrina salvifica. Quo sensu, & D. Petrus quum dixisset Baptisma salvare, subjecit. Non ablutio fordium in corpore: quum tamen hac ipsa ablutione (quum ea ex Verbo Dei præstatur) vera præstetur ablutio peccatorum, id autem virtute & opere Christi, non ipsius corporalis ablutionis in se. Ad hunc modum negare volui, Verbum Evangelii & sacramenta ex se hoc habere, remota operatione Christi, ut Spiritum salutis, & gratiam adferant. At quia de Verbo, & sacramentis loquendum est, ut ea Dominus Ecclesiæ suæ commendavit, & usurpati vult, pridem agnosco, & confirmo, rectè dici de verbis, & sacramentis, quum simpliciter de illis loquimur, esse ea administrationem salutis, canales, vehicula & instrumenta Spiritus, & gratiæ, quæ & D. Oecolampadius de eis in ultimo dialogo suo prædicat: Ex se enim, hoc est, ex Domini institutione, utroque usu semper Spiritum Christi, & salutem adferunt quæ nemo etiam ex eis non percipit, nisi qui ea percipere dedignatur, ut illa Dominus instituit. Ita ubi legitur in meis lucubrationibus corpus Christi non edi carnaliter,non contineri in pane realiter, & alia hujusmodi: nemo non videbit his me solùm Christi impanationem, aut ejus in pane localem inclusionem negare voluisse, Vbi itaque videbor illam per sacrum ministerium donorum Dei exhibitionem non satis expressisse, ea loca,vel corrigantur,vel farciantur, & compleantur ex hisce meis posterioribus lucubrationibus, quas modò memoravi. Habet jam R.P.T. & quicunque hæc legent, ut in contentionem sacramentariam pertractus sim, in ea me gessetim, & ab ea Domini ope ereptus sim; quæque ratio sit consilii mei, quæ causæ quod retra-

retractare in animum induxi, quæ antè de sacro ministerio in verbis, & sacramentis scripsi, sive in hisce enarrationibus, sive in libris meis aliis.

Nunc paucis respondebo iis, qui hoc meum retractandi consilium parùm probant, vel etiam calumniantur. Præcipua querela est, me à luculentiore, & certiore ratione, & de sacro ministerio, & maximè de sacramentis, propter homines deficere ad obscuriorem, & incertiorem: mallent quidam dicere impiam. Ad hanc querelam respondeo, solam Scripturam Dei, lucem veræ intelligentiæ, & veram certitudinem in hisce rebus in se continere, & nobis impartire. Nulla enim sapientia carnis valet ad hæc mysteria regni Dei pertingere. Tum ergò maximè luculenter, & perspicuè, & certò de his fidei rebus loquemur, quum loquemur ad regulam, formamque Scripturarum. Jam in illa Dominus disertè dicit, Evangelium suum esse virtutẽ ad salvandum omni credenti, Baptisma lavacrum regenerationis, Eucharistiam cõmunicationem corporis & sanguinis sui, suos Ministros ligare & solvere, peccata retinere, & remittere: Cur non ergo & nos ita loquamur? Dominus, quum Sacram Cœnã institueret, discipulisq; panẽ & vinũ præberet, dicebat: Accipite, comedite & bibite, hoc est corpus meum, hoc sanguis meus. Hæc Domini verba, qui fide considerat, nonquid clarissimè videat, Dominum non solum panem & vinum, sed cum pane & vino suum corpus & sanguinem suum, idq; corpus & eum sanguinem præbuisse, quæ pro nobis immolavit in cruce? Hoc est seipsũ verum verè, eoq; substantialiter, ipsũ scilicet non pro se signũ aliquod, hoc enim valet adverbium hoc substãtialiter, quo nonnulli frustra offenduntur. Si verò adest & nobis Dominus in Cœna nostra, præbetq; se nobis tã verè, quàm se præbebat Apostolis, qui non & credamus, & dicamus cũ Paulo, panis quẽ & nos frãgimus calix ad quẽ & nos gratias agimus, cõmunicatio est, non panis modò & vini, sed ipsius quoq; corporis & sanguinis Domini? Et quũ S. Eucharistia hæc est, debet in Ecclesia ita ut eam Dominus instituit, administrari: quis fidẽ habens verbis Christi sentire, aut dicere aliud queat quã semper, dum S. Eucharistia ita ut Dominus eam instituit, celebratur, cũ pane & vino, ipsũ Domini corpus & sanguinẽ dari & exhiberi omnibus, qui hoc Sacramẽtum sumũt? Quid enim velit Minister Christi hîc facere aliud, quàm quod facere eum Dominus jussit? Jam quia Deus fallere non potest, & actionẽ Ecclesiæ suæ sua institutione nitentẽ ratam habet: quis dubitet omnes eos integrum etiam sacramentũ assumere, qui verbis Domini, & institutioni fidem accõmodantes, nulloq; ea pravo sensu pervertẽtes, sumunt sacramentũ, etiamsi corpus, & sanguinem Domini non dijudicantes, reos se interim faciãt corporis & sanguinis Domini, ac inde cibo hoc vivifico non fruantur ad vitam, ad quod tamen illis hæc omnia exhibentur? D. Oecolampadius certè scribere haud dubitavit, qui credit etiam fide mortua, Christum Filium Dei, & Mariæ pro nostra reconciliatione, & vivificatione mortuum, & testatur hoc sacramento, se id credere, illi utique verum corpus Christi est in sacramento altaris: Nam & ipse sublevat sensus, tametsi gratiam, & virtutem non assequatur. Hæc ille. Sublevat, inquit, & ipse sensus: id est non id solùm amplectitur quod oculis apparet, quod manus tangit, & os sumit, sed id quoque spectat, & agnoscit quod verba Domini promittunt, & offerunt. In his quid obscuri, quid abhorrens, à sana intelligentia credentis duntaxat? Etenim quum disertè præterea testamur, nos non ponere ullam naturam Christi cum pane unitionem, nullam localem inclusionem, nullam etiam extra usum sacramenti durabilem permanentiam: quum Christum in sua cœlesti gloria relinquimus, & in conditionem hujus seculi nullatenus detrahimus, solaque fide præsentem hîc certi confitemur: quum denique nunquam non inculcamus eos sibi sumere judicium, qui hoc sacramentum sine viva in Christum fide sumant: Quid obsecro à nobis statuitur, quod vel veritati humanæ naturæ in Christo, vel ejus glorificationi, vel denique vivæ, solidæque fiduciæ in Christum aliquid detrahat? Si qui carnales nullam sustinent præsentiam Domini animo complecti, nisi quæ Christum quasi cœlo detrahat, & pane includat localiter, vel aliàs in conditionem huius seculi à cœlesti sua gloria detrudat: Quid hoc ad Ecclesiam Christi? cur ob id corrigenda sit lingua Spiritus Sancti? Quid hinc causæ, ut ideo negemus Christum se nobis in sacra Cœna verè sistere, & manducandum exhibere? quin docemus istos, ut cogitent gloriam cœlestem in qua regnat Christus sic habere, ut nec oculus eam videre, nec auris audire, aut cor nostrum intelligere queat: Sacram verò Cœnam esse actionem, & rem fidei, negotium Novi Testamenti, mysterium regni Cœlorum, quod limitibus prædicamentorum, aut ullis legibus rationis nostræ minimè includitur. Quare repudiandæ hîc sunt istæ cogitationes de mutatione,

1536. aut in clusione locorum, & omni conditione hujus seculi: & credendum simpliciter Domino jubenti nos suum in sacra Cœna accipere corpus & sanguinem, credendum Apostolo affirmanti fractionem hanc panis & calicis, communionem esse corporis & sanguinis Domini; & id quidem, vt Dominus Jesus magis magisque in nobis viuat, & nos in illo, vt fide in ipsum roboremur, studio ejus ampliùs accendamur. Attamen si nos eum sic complecti negligamus, verax nihilominus ipse manebit, semperque id nobis verbis symbolisque præstabit, & exhibebit quod pollicetur. In hac itaque luce, in hac certitudine Verbi Christi permaneamus, neque adsciscamus, vel admittamus tenebras, & incertitudinem rationis humanæ. Vinere viram Dei annon intelligimus Christo vni proprium esse, & eum solum hanc impartire nobis, & impartire ratione quam ipse instituit? Qunm jam Domino nostro hæc ratio placuit, vt cum pane & vino, in sacra Eucharistia, veram nobis sui præsentiam, quia veram communicationem, exhibeat, sicut exhibet Baptismate, regenerationem: ipsum simplici fide, grataque pietate hic quoque verè præsentem nobis amplectimur, Dicit Veritas, Accipite: dat igitur quod accipere à se jubet, neque enim fallit Christus: jubet autem à se accipere corpus suum, quod pro nobis traditum est, sanguinem suum qui pro nobis fusus est: Hæc igitur dat nobis, hæc ab illo accipimus, & non pro his signa modò, panem & vinum, si jam dat his Christus suum nobis corpus, suumque sanguinem: & accipimus nos hæc ab illo: quid dubitamus agnoscere, & fateri ea nobis adesse, & Christum ipsum nos habere præsentem, verum Deum, & hominem, vtcunque eum præsentem sola cernat, sentiatque fides, nec sensus, nec ratio. Exhibebatur præsentia Spiritus sancti Iohanni super Christo in specie columbæ: ibi scribit Euangelista Spiritum sanctum descendisse super Dominum in specie columbæ, visumque esse in hac specie à Iohanne: nec competit tamen Spiritui sancto ulla loci mutatio, nec pertigerunt oculi Iohannis ad Spiritum sanctum in se. Quid causæ itaque dicemus, ut quum dicimus secundùm verbum Domini, nobis exhiberi corpus, & sanguinem Domini in pane & vino, vel cum pane & vino, necesse sit statim hic consequi, quod vel veritatem humanæ naturæ in Christo, vel hujus gloriam imminuat, demergens scilicet rursus eam in conditionem hujus vitæ corruptibilis, immutationi locorum, vel affixioni cum rebus perituris obnoxiam? Mundum Christus reliquit, abijt ab Patrem in Cœlos; hoc est; in eam se gloriam recepit, qua nobis quidem verè, & totus Deus, & homo adest: adest autem ratione cœlesti, nulla cum rebus præsentibus naturali conjunctione, ratione inquam, quam fides, non sensus, aut ratio apprehendit.

Objiciuntur hîc à nonnullis S. Patres, maximè D. Augustinus, qui subinde panem signum corporis Domini vocent: & rem sacramenti, hujus signi ipsam faciant communionem, & concorporationem cum Domino, quâ viuit ille in nobis, & nos in eo: qui denique affirment, neminem reuera corpus & sanguinem Domini edere, nisi qui manserit in Domino, & habeat illum manentem in se. Scribunt quidem hæc Patres, & clarissimè omnium D. Augustinus: quid enim ex pane & vino aliud, quàm signa corporis & sanguinis Domini faciant? Et cur id non potissimum in tractatione huius sacramenti exprimat, cujus causa dicuntur & geruntur in sacra Cœna omnia? Totus sanè sacramentorum vsus hujus gratia institutus est ut Christo incorporemur, & in hac ejus communione quotidie proficiamus. At ubi faciunt S.Patres signa Sacramentalia, signa Christi absentis, aut dicunt ita exhiberi hic nobis communionem Christi, ejusque incrementum, vt ipse nobis absit? Vocant S.Patres signa Sacramentalia, signa, sed intelligunt signa exhibitiua, quibus id sistitur, & quasi in manus traditur, quod illa significant: quale signum non erat manuum impositio, & sufflatus in discipulos: quibus signis suam exhibebat benedictionem, & Spiritum sanctum. Præcipuum cur se Dominus nobis in Cœna exhibet, docent meritò sancti Patres communicationem esse naturæ ejus, vitæ ejus, sed ob hanc ipsam communicationem, vt viuat ille in nobis, & nos sibi incorporet, illi pleno ore prædicant, nos accipere in sacra Cœna carnem & sanguinem Domini, ipsumque se nobis in sacra Cœna verè exhibere. Quum itaque ipse Dominus dicit, Accipite, manducate, hoc est corpus meum, non hic est Spiritus meus, virtus mea: Et Paulus, panis, quem frangimus, numquid est communicatio corporis Domini? non, Spiritus aut virtutis: & omnis iam inde à tempore Apostolorum Ecclesia idem credit, & prædicat: cur non & ipsi crederemus, & confiteremur simpliciter, in Eucharistia duas res esse: alteram cœlestem, corpus ipsum, & sanguinem Domini, Dominum ipsum: alteram

alteram terrenam, panem & vinum, quæ nuda hîc signa absentis Christi traduntur: sed cum quibus sistitur, traditur, & percipitur corpus & sanguis Domini, Dominus ipse. Est, (ut scribit D. Augustinus) secundùm quendam modum Sacramentum corporis Christi, corpus Christi. Sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi: at secundùm quem modum? ut significet tantùm corporis, & sanguinem Domini absentiæ? Absit, Honorari enim, & percipi in symbolis visibilibus corpus, & sanguinem Domini idem passim scribit. Ita licèt hîc sanctus intelligat, revera manducare corpus Domini, illud manducare quod viua fide fit (quo pacto scribit reliquos Apostolos manducâsse panem Dominicum, Iudam panem Domini contra Dominum) quàm multis tamen in locis affirmat eos etiam percipere corpus & sanguinem Domini: & non solùm nuda signa, qui illa sacramento tenus tantùm vel in sacramento percipiunt? Quoties scribit etiam Iudam ipsum corpus, & sanguinem Domini sumpsisse? Nemo itaque authoritate S. Patrum dicet Christum in sacra Cœna absentem esse, aut nuda tantùm symbola hîc præberi.

Objicitur nobis præterea nos in hoc studio conciliandi, plerasque Ecclesias negligere, & quam hîc profiteor sententiam de sacramentis, alijs intempestiuè præscribere. Nos verò nullas Ecclesias negligimus, nec cuiquam præscribimus: & quod concordiam Ecclesiarum in syncera, & solida veritatis Christi confessione grati amplectimur, certè intempestiuum non est. Totum jam sexennium hoc saxum voluimus, vt in simplici, & Scripturis clarè nitente fide, & confessione de sacro ministerio, verbis, & sacramentis Ecclesijs conueniret. Adeoque hac in causa fategimus adeundo Ecclesias, symmistas appellando, ad collationes inuitando, scriptis vtraque lingua publicis, & priuatis solicitando, vt lusisse fratres: & Ecclesias videri jure possem, si quum Dominus dedit in ea confessione conuenire, quam re ipsa pridem Ecclesiæ tantum non omnes receperant, amplectendo hunc consensum, & omnibus commendando conarer. Nos expectamus in singula momenta Dominum judicem: nec possumus in gratiam cujusquam, doctrinæ Christi synceritatem, Ecclesiarumque tam necessariam pacem non pro viribus promouere, remotis, (quo ad ejus fieri datur) quæcunque à nobis cuiquam objecta offendicula videri queant φίλος μὲν Σωκράτης ἀλλὰ φιλτάτη ἡ ἀλήθεια, τιμιωτάτη ἡ ἐκκλησία.

Etenim nihil habet doctrina de Sacramentis, ipsaque Eucharistia, quam recipimus, quod non admiserit nobis viuus adhuc Zuinglius, approbârit etiam Oecolampadius. Nostram enim confessionem ad Cæsarem, ejusque Apologiam, in qua hæc omnia insunt, quæ hodie his de rebus scribimus, & prædicamus, & Zuinglius veram esse confessus est: etiamsi patêre eam non nihil aliorum calumnijs vereretur, eóque parum tutum judicaret si ipse eam simpliciter admitteret. At ex sententia Oecolampadij esse quæ hic, & Retractationibus de hac quæstione scripsimus, nemo inficiabitur, qui ejus nouissimum de hac controuersia dialogum legerit: in quo nimirum confessionem præsentiæ Christi in Cœna quamlibet plenam recipit, & sola hæc duo se oppugnare testatur. Vnum, vniri corpus Domini cum pane in eandem naturalemque substantiam ejus, vel localiter, includi in pane. Alterum, saluti esse sacramenti perceptionem, etiamsi ea sit absque fide viua. In eo modò tum hærebat, quòd putabat scriptis D. Lutheri statui quandam, (ut ipse loquitur) corporis Domini cum pane consubstantiationem, & ejusmodi in pane inclusionem, ex qua consequatur gratiæ participes fieri quicunque sacramentum, vel absque viua fide perciperent. Hæc enim verba Oecolampadij sunt, initio Dialogi, vbi statum exposuit controversiæ. Dissidium (inquit) magis est de modo præsentiæ, vel absentiæ, quàm de ipsa præsentia, vel absentia. Nemo enim tam obtusus est, qui asserat omnibus modis adesse, vel abesse corpus Christi. Et quum respondet altera persona, Nondum apparet, in quo dissideatis: subjicit præterea; Vrgent aliqui panem Dominicum esse ipsissimum corpus Christi, ita ut quicunque siue pij, siue impij, illo pascantur, non solùm panem, & sacramentum, sed etiam corporaliter corpus Christi manducent, ac in os stomachi transmittant. Nos verò contradicimus, & elementum nequaquam in talem honorem euectum asserimus, ut omnium dignissima creatura in vnam, naturalemque illius substantiam se vniat; vel ita naturaliter in eo contineatur, ut per ipsum, tanquam per medium canalem, transfundatur gratia quam ipse Spiritus sanctus fidelibus concedit; & contactu vel gustu ejus etiam impij, ipsum verum corpus Christi contingant, ac edant, gratiæ-ue participes fiant. Habes, vt scindamur, & quorsum Christi, Patrumque dicta, pro suo quique sensu accommodent. Hæc illic. Vtinam hunc dialogum quicunque in hac

1536.

1536. causa sunt, diligenter excuterent; viderent hunc virum non solùm nuda in Cœna symbola statuisse, sed præsentiam Domini solidè quoque expressisse. Dominus donet ut ipsum, non nos vbique respiciamus: & tam simus expetentes veritatis, quàm ejus nos titulo strenuè commendamus. Bene tamen habet: pridem enim illæ Ecclesiæ quæ præcipuè sequi Zuinglium, & Oecolampadium videntur, disertè confitentur, sacramenta non tantùm tesseras esse societatis Christianæ, sed symbola etiam gratiæ, & suo modo exhibere, quæ significant; id quidem virtute, & opere Domini, ministerio certè Ecclesiæ. Quare optima spes est, quicquid nonnulli vel querantur inconsulto zelo suo, vel calumnientur perversitate sua, omnes qui Christum Dominum nostrum esse justitiam, & vitam nobiscum prædicant, in hanc ipsam Domini Veritatem, quam profitemur & defendimus, pulchrè consensuros, agnito nimirum nihil prorsus in hac nostra confessione esse, quod non toti vbique Scripturæ plenè consentiat, & humanam in Christo naturam, & ejus gloriam, fideique in eum synceritatem nullatenus oblædat. Offendit præterea & illud plerosque, quòd diuinant quosdam, qui D.Lutheri partes sequuti sunt, hac nostri submissione & scriptorum retractatione insolentiores futuros: & quum hactenus pleraque haud ita purè tractârint, & nobis multa falsa impegerint, id de se non solùm non agnituros, sed in ea potiùs iniquitate futuros confirmatiores. Fuerunt, fateor, & sunt etiamnum nonnulli, qui se D.Lutheri discipulos prædicant, qui contrà egerunt, & etiamnum agunt, admodum insolentes, nobisque impegerunt, & impingunt quorum nos nobis coram Domino conscij non sumus: in tractandis denique sacris mysterijs sæpe multa sic proponunt, ut non pauca in eorum tractatione vel desiderare, vel culpare tutò possis. Sed quid illis facias? Contendendo, & jurgando contrà, comperimus nos nihil quàm mala hæc conduplicare. Spes itaque est eos citiùs modestia, & submissione nostri emolliendos esse, quàm si perpetuò cum eis delitigemus. Exposui bona fide hic, & aliàs, ut in bellum istuc sacramentarium pertractus sim, vt in eo me habuerim, quid in omni hac disputatione spectârim, vt pridem, & nunc mihi pax cum primis in Ecclesia Christi constet. Hæc si non permoueant eos, qui falsis nos hactenus criminibus insectati sunt, vt potrò, quæ charitatis sunt nobis præstent, & insolentiam suam in tota causa contra nos ponant, viderit Dominus, viderint ipsi, nobis nihil est quod præterea illis faciamus: me necesse est persequi, quæ sunt officij mei, quicquid instituant alij. Sed dabit Dominus, vt bono malum quorumlibet tandem vincamus. Perturbat postremò & hoc nonnullos, quòd non dubitant plerosque eo offensum iri, quòd videmur jam ipsi parùm nobis constare. At quum cunctare oportet in eo, vt Christum quotidie pleniùs, & agnoscamus, & prædicemus, morari horum offensionem non possumus, quò minùs ad solidissimam & plenissimam mysteriorum Dei explicationem, pacemque Ecclesiarum consummatissimam continuò enitamur, Oblatamque hanc Christi beneficio, ambabus, (quod ajunt) manibus amplectamur. Sed benignè nobiscum egit Christus, qui dedit nobis, & dabit in finem vsque perstare in eo, quòd ipse unus Servator noster est, & cuncta verba, & symbola quæ nobis commendauit, ipsius nobis communionem, & hac perfectam salutem adferunt. Quia præterea Dominus donauit, vt quædam loca nunc solidiùs intelligam, quàm aliquando intellexi, id quod quum mihi tam benignè largitus est, cur non impartirem liberaliter fratribus, & Domini benignitatem ingenuè prædicatem? Quid inconstantiæ sit, proficere in scientia salutis? Et quis vel superiore, vel hoc seculo, Scripturas tractauit, qui non expertus sit hoc quoque in studio diem priorem discipulum esse posterioris? Indubiè si hodie eadem nobis esset, quoque religio in Divinas Scripturas quæ D. Augustino fuit, plures edi hac quoque tempestate retractationum libros videremus. Summa, qui hoc meo instituto offenduntur, quocunque id nomine contingat, oro, Fratres, qui id intelligunt, & dolent, moneant ejusmodi, vt sustineant causam totam cognoscere, & indubiè offendi desinent. Dominum nos rectà sequi oportere, quocunque vocet, nouimus, quacunque id vel offensione, vel gratia hominum fiat. Vt debeo tamen, ita studeo, & studebo pro virili, ne cui, vllam dem offensionem, vituperandi-ue ministerij Christi occasionem. Dominus dignetur mihi, & omnibus præstare, vt istuc ad gloriam ipsius consequamur. Amen.

Buceri retractationes non sunt palinodia.

Dicit enim, Non esse à quoquã suspicandũ, Lutherum docere, veram præsentiam & exhibitionem corporis Christi in Cœna, constare naturali & substantiali quadam vnione, commistione, seu coniunctione corporis cum pane, aut locali ipsius in pane inclusione, seu ad panem affixione: nec statui carnalem quandam & oralem Christi manducationem, realiter & physico

modo

modo in pane contenti, sicut huius rei suspicione: ex modis loquendi, quibus vsus esset Lutherus, ipsemet Bucerus aliquando, & cum eo opinione sua decepti putârint Zuinglius & Oecolampadius: quo vno suspicionis errore è medio sublato, in cæteris de vera præsentia, & exhibitione corporis & sanguinis Christi, per Verbum & sacra symbola, virtute Spiritus in fide, qua præsentia hæc & exhibitio sit amplectenda, reipsa summum esse consensum, licèt in loquendi formis, suo cuiusque consilio, & controuersiæ, quem quisque spectarit, scopo, quædam videri possit esse varietas. *Cupit autem pro rectè intelligendo huius causæ statu, Oecolampadij Dialogum diligenter legi, in quo veram Christi in Cœna præsentiam rectè & solidè explicârit, & dissidium magis de modo præsentiæ, vel absentiæ, quàm de ipsa præsentia vel absentia esse ostenderit. Quare optimam spem esse concordiæ, quicquid etiam nonnulli contrà querantur inconsulto suo zelo, vel calumnientur peruersitate sua. Etsi autem non ignoraret Bucerus, Lutherum in suis contra Carolostadium, Zuinglium & Oecolampadium scriptis, longè aliter antea sensisse, tamen cùm in ipso Concordiæ tractatu animaduerteret, eum Heluetiorum sententia, in qua disertè resecta esset realis in pane corporis Christi, cum veritate, & ascensione eius in cœlum pugnans, existentia, & corporalis ipsius manducatio: non aduersari, ac totius Concordiæ sanciendæ rationem sibi ab eo committi, hoc modo Lutheri sententiam commodè explicare voluit. Tale verò iudicium de sententia sua sic à Bucero tunc fieri, non ignorauit, aut sciens dissimulanter passus est Lutherus modò, sed etiam postea in Concordiæ epistola ad Heluetios, præter solitum in hac controuersia morem, humanissimè scripta, expressa approbatione ratum habuit Lutherus, laudatâ tum hactenus ipsius Buceri sententiæ suæ Heluetijs factâ declaratione, tum etiam constituto eo totius initæ concordiæ, vt dictum est, legitimo & bonæ fidei interprete, hoc simul fraternè admodum addito, quòd si fortè non satis exactè per omnia se mutuò intelligerent, debere tamen nihilominus inter eos dilectionis vinculum & amicitiæ ius in fide Concordiæ stabile & firmum esse, cessantibus in posterum vtrinque contentionibus & prauis suspicionibus omnibus. Quod si non fieret, verendum esse putat, ne posteriora futura sint deteriora primis.*

Buceri declaratio formulæ Concordiæ Witeb. à Luthero approbatur.

Ista etiam Concordiæ formula, quâ Augustanæ Confessionis sensus, ex Irenæi testimonio, declaratur, quomodo à Bucero & Capitone, aliarumque Sueuicarum Ciuitatum ministris, qui huic formulæ subscripserunt, fuerit intellecta, & Ecclesijs suis, vt in eam consentirent, explicata, & qualis sit verè sacramentalis illa vnio rerum cum signis, quæ locali inclusioni, & durabili cum pane coniunctioni opponitur, non solùm Buceri ea de re in publicum emissæ Retractationes, sed & ipsa Concordiæ Epistola, quam Argentinensis Ecclesiæ Ministri ad Lutherum & alios Witebergenses Theologos Mense Augusto huius anni scripserunt, liquidissimè testatur: Nempe, quòd hanc Concordiam, non quasi à priore sententia & Confessione sua, Augustæ quatuor Imperialium Ciuitatum nomine exhibita, eiusque Apologia desciscentes, sed tanquam cum ea in summa rei consentaneam, intelligant & amplectantur. Sic enim inter alia scribunt: Nos itaque à Wolffgango Capitone, & Martino Bucero, fratribus nostris, auditâ hac tam exoptatâ & beatâ narratione, maximo perfusi gaudio sumus, & Domino pro tam eximio & necessario Ecclesijs beneficio gratias agimus. Nam pridem nos certè hanc ipsam indubitatam doctrinam, pro portione Spiritus, quæ nobis contigit, profitemur, sicut eam nostra Respub. non solùm in sua, quam Cæsareæ Maiestati Augustæ obtulit, Confessione, eiusque Confessionis Apologia, quam postea edidit, sed eo etiam publicè confessa est, quòd in Conuentu illo Principum, profitentium Euangelium Christi, qui Suinfurti anno 32. conuenerunt, Confessionem præterea, & Apologiam Principum publicè recepit, nobis non tantùm consentientibus, sed & suadentibus. *His literis ad Lutherum aliosque Theologos Witebergen. hac animi testatione sic scriptis, & absque omni contradictione receptis, quid aliud quæso ingenuâ vtrinque fiduciâ actum esse iudicare poterant & debebant syncere boni, pacis studiosi & constantes viri, quàm hac ipsâ Concordiæ formulâ, Confessionem illam quatuor Imperialium Ciuitatum, vnà cum Apologia, à Luthero & suis Symmistis, sicut vicissim Augustanam Principum Confessionem, cum sua Apologia, ab istarum Imperialium Ciuitatum Ecclesijs, fuisse mutuâ consensione, quasi pro vna habitam & approbatam? Et quia Luthero alijsque qui à partibus ipsius stabant, ignotum non fuit, qualis esset quatuor illarum Imperialium Ciuitatum in sua Confessione & Apologia, de Eucharistiæ Sacramento, fides & doctrina, & quomodo in ipsa Concordiæ tractatione à Bucero & Capitone explicata esset Sacramentalis vnio corporis cum pane, & oralis illa corporis Christi manducatio, ac simul etiam ex Argentinensis Ecclesiæ Ministrorum suprà recitatis literis, palàm & sine dissimulatione intelligerent, istas in sua priori sententia & confessione perseuerare, nec aliter articulos & formulam Concordiæ cum Luthero initam, intelligere, amplecti*

Concordiæ Witeb formula, quæ Augustana Confessio ex Irenæo declaratur quomodo à Bucero sit intellecta.

1536.

1536.

amplecti & approbare, quàm velut huic Confessioni consentaneam: hinc etiam colligi potest causam aliter apud se existimandi non habuisse Lutherum, quàm Augustanam Principum Confessionem, ex hac Witebergensis Concordiæ formula, ab ijs, qui huic cum Bucero subscripsissent, de vera quidem corporis & sanguinis Christi exhibitione, in Dominica Cœna, non tamen de corporali præsentia & manducatione, necessariò & præcisè intelligi oportere. In qua sententia tunc Suenicarum Ciuitatum Ecclesias plerasque ferè omnes, vt Augustanæ Confessionis socias, fuisse, non est dubium.

Basilienses mittunt Argentoratum qui cognoscant quid Witebergæ de Concordia actum sit.

Capito & Bucerus quoque domum reuersi, capita Concordiæ Witebergensis Basileam miserunt, quæ cùm recitata essent in Senatu, & doctis ad iudicandum proposita, obscura esse videbantur: visum itaque est Carolostadium & Grynæum Argentoratum mittere, vt coràm cum Capitone & Bucero colloquentes, pleniùs intelligerent, quid Witebergæ actum esset. Illi Argentoratum profecti, diebus aliquot cum eis contulerunt, & tandem scriptum quoddam Basileam retulerunt, quod continebat, quidnam cum Luthero actum esset, & quomodo capita Concordiæ essent intelligenda.

Concordia Witebergensis capita Tigurum & Bernam mittuntur.

Postea Grynæus & Myconius iussu Senatus Basiliensis Tigurum & Bernam capita Concordiæ eorumque explicationem detulerunt. Tigurinæ Ecclesiæ Ministri, biduum cum eis conferentes, post diligentem capitum discussionem, 15. die Augusti, præsentibus Basiliensibus, rem omnem Senatui proponunt. Ille respondit, capita illa obscura esse & ambigua: se ergo nolle subscribere & ea approbare. Expositionem quidem sibi non displicere, se tamen inconsultis alijs, quorum consensu confessio Basiliensis recepta sit, nihil velle decernere: sed si indicatur conuentus, in quo de responsione deliberetur, se suo officio non defuturos.

Comitia tertia Heluetiorum Basileæ, in quibus Bucerus prolixè exposuit, quid Witebergæ actum sit. Concordiæ Formulæ Witeb. & Confessionis Heluet. eandem esse doctrinam.

Ad 24. Septembris tertius Conuentus Basileæ indictus fuit, ad quem vocati sunt Bucerus & Capito, qui prolixè retulerunt, quid Witebergæ actum esset. Luthero quidem confessionem Heluetiorum Basileæ conscriptam non displicuisse, interim tamen capita quædam Concordiæ ab vtriusque partis Ministris, Witebergæ conscripta esse, quibus solida Concordia iniri posset, si Heluetica quoque Ecclesia illa approbarent. At quia illa capita obscura esse, & cum Basiliensi Confessione non vsquequaque congruere videbantur: Bucerus longa declaratione ostendere cœpit, vtrobique eandem doctrinam contineri. Vehementerque hortabatur Heluetios, vt illis capitibus subscriberent, quò Concordiæ negotium ante septennium cœptum, perfici posset. Nam cùm ipsi statim à Comitijs Augustanis, bonâ conscientiâ concordiam cum Luthero inire potuissent, Heluericarum tamen Ecclesiarum rationem semper habuisse. Non metuendum ne noua tyrannis in Ecclesiam inuehatur: nec curandos libellos famosos, qui hinc inde spargantur, &c. Responsum fuit, Si hanc explicationem agnoscat D. Lutherus, se non videre aliud, quàm quòd in ipsa negotij substantia nihil sit dissidij.

Iussus autem est hanc declarationem dictare, quæ vnà cum thematis concordiæ, domum relata fuit, vt Magistratus & Synodi Ministrorum, quid de ea videretur, quidque Luthero respondendum esset, rectiùs iudicarent. Ad hunc Conuentum cum Legatis vrbium, Theologi quoque profecti sunt. Argentorato missus est Matthias Pfarrerus Consul: Constantia, Conradus Zuiccius.

Synodus Bernensis.

Bernæ coacta est generalis Synodus ad 19. diem Octobris, in qua 300. Parochi, minùs quatuor, fuerunt. Et quanquam Heluetij declarationem istam suæ confessioni nihil aduersari iudicarent, non tamen placuit hoc adhuc tempore subscribere. Sed quia Bucerus, Heluetios Principi Saxoniæ, Luthero & alijs suspectos fuisse dixerat, quasi parùm honorificè de ministerio Verbi & sacramentis hactenus sensissent, visum est Tigurinis ad amouendam omnem suspicionem, suam sententiam de ministerio Verbi & sacramentis, scripto copiosè complecti & Luthero mittere. Hanc declarationem, Synodus Tiguri 24. Octobris celebrata, approbauit.

Comitia 4. Basileæ Helueticarum Ecclesiarum.

Duodecimo die Nouembris, quartus Conuentus indictus est Basileæ, ad quem Legati Ciuitatum, vnà cum Ecclesiæ doctoribus profecti sunt. Cumque de Responsione Luthero danda die 14. deliberaretur, placuit omnibus, vt amicissimè ad Lutherum scriberetur, eique Declaratio Confessionis Heluetica à Tigurinis conscripta de Ministerio & Sacramentis, vnà cum declaratione capitum Concordiæ à Bucero facta mitteretur. Sic autem habet.

De-

Declaratio Helueticarum Ecclesiarum Confessionis suæ vberior ad D. Lutherum missa: in qua iuxta Buceri explicationem, Formulam Concordiæ Witebergensis approbant, eique subscribunt.

Reuerende, doctissime, amantissimeque Domine & amice: præmisso in primis omni voluntario atque amico obsequio, & quicquid in nobis est rum amicitiæ tum beneficentiæ: Quum aliquot docti ex superioris Germaniæ Ecclesijs viri, retroactis Mensibus, Isnacum, & inde Wtembergam, ad tuam reuerentiam aliosque sacri Euangelij Præcones atque Doctores appulissent, vt vobiscum de Articulo Cœnæ Domini, ac reliquis Christianæ doctrinæ capitibus, & Ecclesiæ œconomia amice conferrent: & Ecclesiarum concordiam tandem sancirent: fuerat quidem nobis conuentus illius dies per charissimos fratres atque fidissimos amicos Argentinenses significatus. Et quamuis percupidè tum optâssemus aliquot ex nostris illuc ad præscriptam diem mittere, non fuit tamen (multis de causis, ac præcipuè propter temporis breuitatem) in nostra situm potestate id præstare. Itaque rogauimus charissimos dominos ac fratres Ecclesię Argentinensis Pastores, vt absentiam nostram apud vos excusarent, vobisque Confessionem nostram (quam antehac de vniuersa nostra doctrina præsentibus D. D. Capitone & Bucero Basileæ conscripsimus) simul exhiberent. Hac de causa factum est, vt postea prædicti Pastores Argentinenses nos Basileam statuto ad hanc rem die (nempe 24. Sept. accederent, eaque omnia fideliter referrent quæ inter vos Witembergæ acta fuerant. Atque in primis affirmarent Reuerentiæ tuæ, Confessionem illam nostram non solùm non displicuisse: sed & acceptam gratamque illi fuisse, nihilque in ea desiderare, nisi vt ad maiorem Christianæ Concordiæ confirmationem (quam omnes, in capite præsertim de Cœna Domini, maximè desiderant) paulò amplior à nobis eius declaratio fieret. Ideoque requisisse, vt præfati D.D. Capito & Bucerus, nobis articulos in conuentu illo Witembergico conceptos atque subscriptos, communicarent: quos non grauatim (vt præ se ferebat nostra confessio) essemus suscepturi atque approbaturi. Eos igitur tandem ad nos primùm miserunt illi: atque postea in illo nostro conuentu coràm rursus proposuerunt. Et quoniam non vno eodemque sensu ab omnibus articuli illi accipi poterant (quòd breuissimè essent concepti) singulos quosque ad verbum scriptis etiam nobis declarârunt, vt, ex annexo Declarationis ipsorum exemplari videre est.

Eadem sententia Heluetiorum & Buceri.

A. Luthero non displicuit Heluetiorum confessio quæ hodie pro Caluiniana habetur.

Buceri articulorum declaratio...

1536. tio à Luthero approbata fuit

Quum verò inde intelligeremus, Confessionem illam & doctrinam nostram Basileæ conceptam per Articulos illos nullo modo infirmari, aut immutatum iri, neque etiam ijs veram Iesu Christi Domini nostri humanitatem, eiusque corporalem in cœlos Ascensum denegari (vt qui amplius carnaliter in hoc mundo non sit constitutus, sed in cœlesti illo suo statu permaneat.) Nec denique eos inficiari Dominum nostrum Iesum Christum (dum in Ecclesiæ cœtu sacra Cœna ex ipsius institutione ritè celebratur & distribuitur) fideli duntaxat mente reuera apprehendi, participari atque percipi: Aliud perspicere inde non potuimus, quàm nos ita semper antehac & docuisse & credidisse: atque in posterum quoque sic omnino docturos. Itaque non possumus eos Articulos aliter ex supradicta declaratione (si modò eadem est tuæ Reuerentiæ, vti non dubitamus sententia) intelligere, quàm conformes eos penitus esse nostræ illi fidei confessioni: neque vlla in parte illi aduersari. Adeò vt de illorum articulorum sensu eadem planè sit nostra sententia. In quo etiam prorsus (vt Christiana exigit Vnitas) acquiescimus.

B. Huic articulorum Concordiæ sensui non contradixit Lutherus.

Sic eos articulos intellexerunt Capito & Bucerus, non omnes alij qui illos (vti debuerant si aliter sensissent) non contradixerunt. Ergo Heluetij subscripserunt formulæ Witebergensis Concordiæ. Luthero suspicio omnis hac declaratione exempta fuit.

Quia verò ex eorundem etiam relatione accepimus, hærere adhuc in multorum animis grauem de nobis suspicionem, quasi non satis modestè de ministerio Verbi & sanctis Sacramentis apud nos sentiamus: præbita est nobis inde occasio, scripto nostram de ijs sententiam penitiùs comprèhendere, illudque ad tuam Reuerentiam transmittere, quòd obnixè rogamus vt benignè suscipias, & perlegere non graueris: nostramque hac in re innocentiam si opus fuerit, apud illos tueri qui de rebus nostris nondum planè sunt instructi. Id verò conabimur quibuscunque potuerimus modis à tua Reuerentia promoueri. Est autem nostræ sententiæ hæc summa.

D. Declaratio Heluetica Confessionis.

Credimus, affirmamus & confitemur, Humanum genus solâ Dei misericordiâ per Christum fide apprehensâ iustificari. Deumque eam salutem & felicitatem, quam Christus (absque vllis nostris operibus aut meritis) nobis acquisiuit & largitus est, per externam Euangelij prædicationem, & sacrorum signorum seu Sacramentorum administrationem, annuntiare atque veluti ob oculos ponere.

Inci-

1536. Hæc fuit prima Lutheri de Heluetijs suspicio & præsumptio.

Incidimus verò hic in suspicionem quasi prædicationi externi verbi & Sacramentorum aut nihil tribuamus, aut ea ipsis adimamus quæ Dominus illis tribuit: atque ita totum Ecclesiæ ministerium peruertamus & aboleamus. Quum contrà omni conatu atque diligentiâ subinde in id incumbamus, vt ne quid vel parùm vel nimiùm in his constituatur. Didicimus enim tum ex sacra Scriptura, tum ex Christiano doctore Augustino, eam demum esse miserabilem animæ seruitutem (ac veluti carcerem) signa prò rebus quas significant accipere: Sicuti ex aduerso non leuis est error existimare, Deum frustra sua Sacramenta instituisse, nullamque Ecclesiæ vtilitatem afferrem. Itaque seriò etiam semper docuimus, signa illa atque res externas propter interna dona non debere, quasi aut non necessaria aut inutilia, contemni. Scimus enim Cornelium illum Centurionem etsi intus à Deo instructus atque illuminatus fuisset, opus tamen habuisse, vt nihilominus à Petro Apostolo & institueretur & baptizaretur. Ne verò vel ad dexteram vel ad sinistram deflectamus, sed in via regia atque rectâ hic perstemus, hoc est, ne aut externo verbo & signis eorum quicquam derogemus, quæ illis Scriptura attribuit: aut vice versa, quod vnius soliusque Creatoris est, creaturis vllis tribuamus, hominesue supra modum ad illas vel dirigamus vel astringamus: Ita semper hucusque & docuimus & in posterum hisce de rebus docere speramus, vt & Dei ordinatio suam retineat dignitatem ac valorem: & homines à nobis per hæc externa à Deo ipso instituta adminicula, ad Creatorem rectâ deducantur, sicque omnis gloria Deo soli tribuatur: quemadmodum id nunc profitemur, & clariùs adhuc deinceps exponemus.

Augustinus li. 1. de doctr. Christiana ca. 5.

Sacramenta propter dona & res per ipsa significatas in honore habenda.

De verbi Ministerio.

Quamuis Dominus claris expressisque verbis dixerit, *Neminem ad se venire posse, nisi Pater ipsius traxerit eum:* Voluit tamen Euangelium Regni Dei omnibus populis annuntiari & prædicari, vt summâ fiduciâ, curâ & diligentiâ ministerio & officio prædicandi incumberetur: & Episcopi atque Vigiles diligenter eniterentur illud exequi, modò benigniùs, modò seueriùs, quantum eius fieri posset atque expediret, vt quàm plurimos homines è mundo Christo Domino lucrifacerent. Ideo quum Dominus corpore in cœlum esset ascensurus, vbi nunc est, ita suos discipulos est alloquutus: *Ite, prædicate Euangelium omni creaturæ, &c.* Quo sensu etiam Paulus ait: *Qui descendit, idem ipse est qui etiam ascendit longè supra omnes cœlos, vt impleret omnia. Dedit igitur ipse alios quidem Apostolos, alios verò Prophetas, alios autem Euangelistas, alios autem Pastores ac Doctores: Ad coagmentationem sanctorum, ad opus ministerij, ad ædificationem (inquam) corporis Christi. Donec euadamus omnes in vnitatem fidei, & agnitionis Filij Dei in virum perfectum, &c.* Eiusmodi verò seruis suis vtitur Deus ad Ecclesiam suam ædificandam & instaurandam, quemadmodum & cibis ad homines alendos, & Agricolis satoribus ad sementem faciendam. Item & Medicis ad corpora sananda. Sicuti enim externa illa opera prorsus vana sunt & inutilia, nisi Deus virtutem & efficaciam tum cibis dederit, vt ad humani corporis alimentum intus conuertantur, tum semini, vt viuificum factum, in terra germinet, tum denique pharmacis, vt ægrotum corroborent: Sic etiam hìc accidit. Nisi enim Deus in corde auditoris verbo suo incrementum dederit: omnis externa doctrina (quemadmodum & rigatio & plantatio) inutilis & infructuosa (vtpote incredulis) futura est. Verbum enim Dei in corde tanquam in terra fertili, per fidem apprehensum & receptum, atque operâ interni agricolæ (nempe Spiritus sancti) corroboratum, miros fructus atque eximiam vtilitatem profert: attamen ita Deo placitum est, ex aduerso humana negotia curare & moderari, vt quamuis ipse solus omnia suâ virtute & operatione creet, operetur, & perficiat: seruis tamen suis tanquam συνέργοις nihilominus vti velit. Clarum enim & perspicuum est Pauli dictum, *Nos cooperarios seu adiutores esse Dei.* Verùm subdit statim, *Dei agricultura, Dei ædificatio estis:* nimirum certè vt inde discamus omnem vim, operationem & virtutem, omnemque operis perfectionem soli Deo ascribere: seruis autem duntaxat ministerium. Ideo rectè & verè cum Paulo dicimus: *Quis est Paulus? aut quis est Apollos, nisi ministri, per quos credidistis? & vt cuique Dominus dedit. Ego plantaui, Apollos rigauit, sed Deus dedit incrementum. Itaque neque is qui plantat est aliquid, neque is qui rigat, sed Deus qui dat incrementum.* Hoc sensu facilè admittimus & vsurpamus similes Scripturæ phrases: veluti quum Paulus ait, *Ego vos genui per Euangelium.* Item, *Epistola nostra vos estis, subministrata à nobis, & inscripta non atramento, sed Spiritu Dei viui.* Item? *Quorum remiseritis peccata, remissa sunt illis.* Item quod Paulus dicit, *Fidem esse ex auditu: auditum verò ex Verbo Dei.* Item quòd Dominus ait ad Paulum: *Mitto te ad gentes, vt aperias oculos eorum.* Item quod de Ioanne Baptista testatur

Hæc omnia approbat Lutherus, sed vt Schola fidelium d omnes Marburchius.

testatur Scriptura: *Eum corda Patrum in filios conuersurum & paraturum Domino populum instructum.* Quæ omnia quum accidunt, hoc est, quum homines regenerantur: quum accipiunt Spiritum sanctum: quum remittuntur illis peccata: quum fide donantur, quum oculi illis aperiuntur & insuper cor conuertitur: hæc inquam omnia (vt loquitur Paulus) efficit vnicus Ille Spiritus Dei: qui gratiâ suâ corda illuminat, eaque ordinario modo trahit per instrumenta & media illa externi ministerij: quamuis & sine vllo medio, quocunque loco, modo & tempore voluerit, eadem trahere possit. Ideo non est quòd quisquam glorietur in hominibus, sed in eo solo, qui dat incrementum. Neque tamen à quoquam contemnendi sunt homines à Domino missi, vtpote de quibus Dominus ipse dixit: *Qui vos audit: me audit: Qui vos contemnit me contemnit.* Hæc est nostra de ministerio Verbi sententia, per omnia consentiens atque optimè, vt speramus, conueniens cum sancta Scriptura & pijs Doctoribus: quam & eandem in R.T. & vestrorum scriptis comperimus. Superest igitur, vt consequenter, quæ sit nostra de sacrosanctis Sacramentis sententia, nunc exponamus.

De sacrosanctis Sacramentis.

SVNT autem Sacramenta veluti visibiles quædam imagines, & certissima symbola sanctaque memorialia rum gratiæ tum promissionum Dei erga nos: quæ nobis sub visibilibus ijsque terrenis signis, cœlestia dona repræsentant atque ob oculos constituunt: quæque animos nostros à rebus terrenis abstrahunt & ad res cœlestes deducunt sursumque eleuant. Sunt denique Christianæ vnionis & societatis insignia. Idcirco Sacramentum non est nudum ac simplex signum: habet enim vnumquodque Sacramentum non solùm signum aliquod terrestre ac visibile, sed etiam rem cœlestem atque substantialem, quæ signo illo significatur atque repræsentatur. Quæ ambo etsi vnicum constituant Sacramentum, aliud tamen est id, quod corpus extrinsecus assumit, & aliud id, quod mens fidelis Spiritu Dei instructa, intus percipit. Nam sacra signa & res cœlestes, quæ per illa signantur non aliter vniuntur, simulue iunguntur, quàm ferat natura Sacramentorum. Hanc itaque quidam Sacramentalem vnionem vocant: quod tantundem valet ac si quis dicat, Signum & rem signatam non ita simul coniungi seu vniri, vt vnum fiat alllud naturali modo, aut vt vnum alteri Inhæreat, vel includatur in altero; vnumquodque enim

Sacramenta sunt externa signa promissionum gratiæ Dei, Ita Apologia Confessionis Augustanæ. E.

Sacramentalis vnio.

istorum suam seruat (vt D. quoque Gelasius 1556. apertè agnouit) & substantiam & proprietatem.

Non sunt igitur externa signa substantialiter seu naturaliter id ipsum quòd significant: nec illud etiam magis per se aut propriâ suâ vi exhibent, quàm ipse Minister. Verùm & ipsis Ministris & signis illis vtitur Dominus (quemadmodum & Verbo) ad hoc, vt ex mera sua gratia quando & quomodo voluerit, cœlestia sua dona (semper tamen iuxta præscriptum promissionum suarum) & repræsentata annuntiet visibiliterque demonstret, & præsentia sistat atque exhibeat.

Signum non est substantialiter res signata.

Quemadmodum verò nihil ministerio Verbi Dei decedit, nullaque illud in re minuitur: etsi dicamus Verbi prædicationem externam nullius esse momenti aut vtilitatis, si Deus in corde incrementum non dederit: Paulo dicente, *Eum qui plantat eamque qui rigat nihil esse; sed Deum solum qui det augmentum:* Sic nihil Sacramentis detrahit, neque ea euacuat qui dicit: Signa visibilia non sanctificare, sed Deum ipsum: hoc est, eum non contemnere aut dedecore afficere sacramenta, qui virtutem & saluificam operationem soli Creatori tribuit. Petrus enim hîc quoque dixit, *Baptismum quidem nos seruare, non tamen quo carnis sordes abluuntur: Sed testimonium bonæ conscientiæ apud Deum.* Veluti enim in reliquis creaturis, vt puta Sole, Luna, Stellis, Igne, Lapillis pretiosis, herbis & eiusmodi rebus per quas Deus veluti per organa quædam erga nos operatur, nullam consolationem ponimus, neque In illis constituimus veram atque originalem causam beneficiorum, quæ per illa nobis contingunt: Ita nec in externis signis vllam fiduciæ nostræ partem collocare debemus: etsi tes sacræ à Deo sint ordinatæ, quibus Deus erga nos vtitur: nec etiam illis per se consideratis Dei gloria est tribuenda: sed fides nostra per illa est à rebus terrenis ad cœlestia, id est, ad Deum Creatorem omniumque rerum, (ac proinde etiam Sacramentorum) fontem & originem, euehenda.

Comparatio verbi & Sacramentorum.

Non Sacramenta sed res Sacramenti sanctificat.

Sic Lutherus in Sermone de morte.

Itaque quum Sacramenta sint Dei ordinatio atque operatio: non debent ea fideles tanquam res non necessarias, aut ab hominibus, vel institutas, vel porrectas: sed tanquam cœlestia dona è manu Dei suscipere atque participare. De externo enim verbo quod Paulus prædicauerat, ipsemet ita loquitur, *Quum*, inquit, *sermonem de Deo quem audistis ex nobis exceperitis: non vt sermonem hominum, sed (sicuti verè est) vt Dei sermonem accepistis, qui etiam agit in vobis*

Sacramenta sunt Dei institutum & opus.

1536. *qui creditis.* Eadem porrò est ratio atque forma Sacramentorum.

Comparatio locutionum de externo verbo & de Sacramentis.

Sicuti verò antehac non ægrè tulimus, sed facilè semper concessimus eiusmodi locutiones de Verbi ministerio vsurpari, quibus dicitur: *Ministros, homines ad Deum conuertere: peccata illis remittere: illis cor aperire, & quæ sunt eius generis:* Sic etiam facilè patimur alios sic (vero tamen sensu) loqui, *Ministros* (nempe) *regenerare: & peccata Baptismo abluere: atque etiam in Cœna corpus & sanguinem Domini exhibere*: quandoquidem sic Ananias Paulum alloquitur: *Exurge, & baptisare, & ablue peccata tua.* Item de Cœna legitur: *Quòd Dominus in ea panem acceperit, benedixerit atque dixerit: Accipite, comedite: Hoc est corpus meum, &c.* Eiusmodi locutiones etiam à Veteribus sunt vsurpatæ, vt dona Dei ipsiusque beneficia illustriùs exponerent.

Contra Anabaptistas

Cæterùm quum tam Sacramentorum quàm Verbi ministerium sit Dei ipsius, non vllius hominis, inuentum atque opus: purgare nos hic de Anabaptistarum seu Donatistarum errore volumus: qui Sacramenta ex dignitate vel indignitate hominum æstimant ac metiuntur.

Recta & vera de Sacramentis doctrina. Chrysost. homil. 83 in Mat.

Quòd autem cœlestia bona per signa terrena proponantur ac porrigantur, singulari Dei bonitati est tribuendum: qui nostram infirmitatem sic voluit adiuuare. Debilis enim noster intellectus meliùs res singulas percipit, cùm illi per similitudines rerum corporalium proponuntur. Idcirco Dominus suas nobis promissiones & cœlestia munera per signa externa tanquam in tabula depicta proponere voluit: hoc est, dedit nobis in visibilibus illis signis, id quod solâ mente intelligi & percipi potest.

Sacramenta piis tantum instituta.

Ex quo inferimus: In illorum gratiam instituta fuisse sancta sacramenta, qui in Christianam Ecclesiam sunt inserti. Qui enim sunt extra Ecclesiam impij, nostra Sacramenta derident, quippe qui ex forma externa illa tantùm metiantur. At pij atque fideles penitiùs Sacramenta considerant, vt qui eorum tum institutionem, tum operationem optimè norint.

Hoc non est signa vacua ponere.

Qui porrò Sacramenta verâ viuaque fide suscipiunt, illi maximum inde fructum percipiunt: sed ea sine fide percepta, damnum afferunt: Non, quòd bona Dei dona per se noceant, sed quum illis absque fide non ritè vtimur, omnis culpa damni illius nobis meritò tribuitur.

Finis & ordinatione.

Præterea Sacramenta sunt vera populi Dei insignia, per quæ in Ecclesiam & populum Dei aggregamur, suscipimur atque inscribimur, & quibus fidem nostram testificamur. Ita enim Deo visum est, populum sibi colligere & certis signis atque notis insignire: vt sic quoque officij admoneantur. Horum verò Sacramentorum duo sunt duntaxat in Ecclesia Christi: Nempe Baptismus, qui & *Lauacrum* regenerationis dicitur: & sacra Christi Cœna, quæ *Corpus & sanguis Christi*: aut *Communicatio corporis & sanguinis Christi* nominatur. De quibus etiam singulis nunc disserere, nostramque mentem & sententiam aperire cupimus. Hucusque enim egimus duntaxat in genere de Sacramentis iuxta Scripturæ & omnium Doctorum morem, vt & coram Deo testari possumus, & nobis planè conscij sumus. Neque hac in parte aut T. R. aut vestratium vllus quicquam desiderare poterit.

De Sacramento Baptismo. Quid sit Baptismus.

BAPTISMUS verò est Sacramentum, in quo Dominus gratiam suam visibili signo testatur atque proponit, nempe, quòd ipse nos regeneret, à peccatis nos emundet, in populum suum nos cooptet, qui deinceps Christo viuere, vereri autem Adamo mori debeat, & sic omnium bonorum Christi fieri participes. Omnes enim concepti & nati sumus in peccato. Itaque necesse est, nos rursus generari & à peccatis purgari: quod merâ Dei misericordiâ contingit: quam ille ex pura gratia & gratuitò nulloque nostro merito largitur. Eâ porrò gratiâ nos Deus in fœdus ad se recipit donatque Spiritu Christi Filij sui: vt simul cum eo in mortem ipsius sepeliamur, & in nouam vitam resurgimus: de quibus omnibus fusissimè in doctrina Beatorum Apostolorum tractatur. Eiusmodi porrò cœlestia beneficia à nemine nobis propriè loquendo donari aut conferri possunt, quàm ab ipsa diuina bonitate, quæ ad id hoc Sacramento vtitur: vt ea nobis annunciet & externis nostris sensibus veluti palpanda proponat: quò nos ad altiora accendat atque hortetur, vt ita penès Deum omnis gloria maneat: nec tamen ideo sacra huius signi institutio contemnatur aut euacuetur. Rectè enim & verè ait Petrus, *Baptismum nos saluos facere*, sed addit statim, *non quo carnis sordes abluuntur.* Sic & Ioannes Baptista dicebat, *Ego baptizo vos aqua: Qui autem post me venit* (nempe Christus) *ille baptizabit vos Spiritu sancto & igne.* Huc etiam respexerunt sancti illi Patres in Concilio Nicæno conuocati, dum dicunt, *Baptismum Christi non corporalibus sensibilibusque oculis, sed oculis mentis esse considerandum.*

Adhæc

Adhæc est etiam Baptismus symbolum insigne populi Dei: seruit enim etiam professioni nostræ utpote qui Baptismo testemur & profiteamur in Ecclesia, cujus fidei nos liberique nostri, cum tota familia, simus: nempe fidei & religionis Christianæ: quippe qui simus omnes membra ejus corporis, cujus Christus est caput, cui addicti & donati sumus: & à quo in numerum seruorum suorum suscipimur, vt ipsius ductu & sub ejus vexillo per totam vitam aduersùs mundum, carnem & Diabolum militemus.

De sacrosancta Cœna Christi. Quid sit Cœna Domini.

COENA Christi est Sacramentum ipsius Christi ordinario, per quam ipse nos renouat, & de suis beneficiis testatur: nempe de communione corporis & sanguinis sui, idque visibili signo. Declarat enim per panem & vinum quid nobis donet ac largiatur, nimirum seipsum in cibum vitæ, ipse enim solus alit, fovetque nos carne sua & sanguine suo in vitam æternam & perpetuò manentem.

Præcipua Cœnæ Christi pars. G. Corpus vt in mortem est traditum. Quomodo corpus Christi in Cœna cibus noster fit. Ita refellitur prior Lutheri præsumptio. Hæc contra corporalem oralemque manducationem. Ita arêtius in Exegesi & Syngrâmate, quod hodie dici tur Calvinianum.

Itaque præcipua hujus Sacramenti pars est donum Dei, nempe corpus & sanguis Christi: Corpus, inquam, illud quod pro nobis in mortem est traditum: & sanguis ille, qui in cruce fusus est, ad peccatorum nostrorum ablutionem. Hac enim ratione corpus & sanguis Christi nobis in viuificum animæ cibum parantur, quòd Filius Dei pro nobis in carne mortuus est, vt nos viuificet, & vt corpus nostrum resurgendi spem vimque recipiat. In hunc modum seipsum nobis Dominus comedendum atque fruendum præbet, non aut ipsius loco falsum aliquod hominum figmentum aut simplicem imaginationem. Nihil enim est vel in cœlo vel in terra, quod animas nostras alere satiareve possit, nisi Dominus ipse solus. Sic ergo corpus Christi verè manducatur, sanguisque ejus verè bibitur in Cœna: non tamen crasso illo atque carnali modo, quo hucusque Papistæ docuerunt & tradiderunt: (quasi scilicet manducetur substantialiter, hoc est, corporaliter & carnaliter, perinde ac si panis in veram & naturalem Christi carnem esset mutatus: aut quasi corpus in pane esset inclusum) sed spiritualiter, id est, spirituali modo & fideli mente. Rectâ enim ac verâ fide apprehendimus & accipimus Dei promissiones ac cœlestia dona. Per eandem fidem vtiliter comeditur Dominus, sicut ipse nunc in suis viuat, & sui in eo.

Ejusmodi verò excellentia & sacra Dei dona (quæ à nemine alio quàm ab ipso Domino dari & communicari possunt) nobis in Domini ipsius institutione atque ordinatione per visibilia Vini & Panis signa figurantur, sensibusque externis proponuntur: non vt hæreamus in ipso pane & vino, sed vt infirmitas nostra hoc modo adiuuetur, & vt corda nostra supra se ad Dominum attollantur. Vtque cogitemus de rebus maximè arduis hic agi, nempe non vt spectemus quomodo panis edatur, aut vinum bibatur, sed quomodo Dominus ipse cum omnibus suis donis ac beneficiis in mente pia ac fideli suscipiatur.

Ita loquitur Canon Nicenus.

Quum porrò conuiuæ, qui vnà cum Domino sacram Cœnam celebrare cupiunt, panem vident, dirigunt corda sua atque mentem in ipsum Christi corpus, & vinum aspicientes corde atque animo ad sanguinem Christi respiciunt. Rursus dum panem frangi vident, vinumque effundi, tum considerant, quòd corpus Christi in cruce mortuum est, sanguisque ejus pro ipsis effusus. Et quemadmodum sentiunt corpora sua pane ali atque corroborari, & similiter corda vino sustentari & exhilarari: Ita credunt etiam pii omnes sese corpore Christi (quod pro eis morti est traditum) cibari eoque nutriri in vitam æternam: & sentiunt conscientias suas sanguine illius in cruce effuso, foueri atque testaurari: sentiunt inquam in sese atque percipiunt hoc modo viuificam illam & corroborantem virtutem Christi. Id verò est Cœnam Christi spiritualiter celebrare & peragere. Porrò quum hæc ita fiant à veris Ecclesiæ membris, dici non potest sacramentum corporis & sanguinis Christi nuda esse ac simplicia signa. Hinc autem nascitur & veluti exurgit mira animi gratulatio, ingensque gratiarum actio pro tam præclaris & maximis Dei donis ac beneficiis: Hinc Dei laudes celebrantur. Hinc diuini nominis agnitio & prædicatio oritur. Sic operà illa Domini quæ ille semel pro nobis præstitit veluti rursus quodammodo iterata, in memoriam redeunt. Præcipuè verò tum rursus pià meditatione commemoratur mors Domini, quæ etsi iampridem præteriit, semelque tantùm contigit: est ea tamen tunc piis veluti recens, noua, præsens ac rediuiua. Commemoratio enim mortis Christi quæ fit in sacra Cœna, longè pretiosior, sanctior atque excellentior res est, quàm dum amici aliquot simul epulantes, ejus amici aut commilitonis à quo illis vinum dono alicunde transmissum est, memoriam celebrant. Ille enim absens nihil agit erga suos illos commilitones. At dum fideles celebrant Cœnam Domini ad-

Si hæc Sacramentaria sunt, non debuit ea irrefutata relinquere Lutherus.

Non sunt ergo Sacramenta nuda signa: & nihil contra hæc Lutherus.

Respondetur objectioni Lutheri in prioribus suis libris.

1536.

Præsentia Christi in Cœna est præsentia ministerij.

est illis Dominus Iesus Christus, & potenter in cordibus eorum per Spiritum suum operatur. Promisit etenim, vbi duo aut tres in nomine ipsius congregati fuerint, sese in medio eorum fore. Id verò implet haud dubiè, præstatque eo potissimùm tempore.

Quo pacto Cœna Domini non sit sine Christo.

Ex his verò omnibus manifestissimè jam intelligi potest, nos Dominum Iesum Christum Ecclesiæ suæ sponsum, à nostra Cœnæ celebratione minimè excludere, neque enim negamus corpus & sanguinem Christi in sacra Cœna tanquam verum animæ cibum percipi, ac manducari in vitam æternam. Illud autem tam nos, quàm Maiores nostri (qui nos præcesserunt in doctrina Christi) negauimus, & in hunc vsque diem adhuc pernegamus: videlicet, quòd ipsum corpus Christi in sese, corporaliter atque carnaliter manducetur: aut quòd ipse suo corpore corporaliter naturalique modo vbique præsens sit.

Nihil contra hæc Lutherus.

Ad hoc consentiens respondet Lutherus.

Etenim cum sacra Scriptura & cum omnibus sanctis Patribus antiquis fatemur, & affirmamus, Dominum nostrum Iesum Christum hunc mundum reliquisse & ad dexteram Dei in cœlesti sedere gloria: nec inde vnquam reducendum esse in hunc temporarium terrenumque statum. Itaque vera Christi in sacra Cœna præsentia cœlestis est, non terrena, aut carnalis. Negamus etiam, panem in corpus transmutari, id est, panem supernaturali & mirifico quodam modo naturale & essentiale corpus Christi esse aut fieri. Inficiamur quoque, corpus cum pane vniri vllo alio quàm sacramentali modo, de quo abundè suprà sententiam nostram exposuimus.

Si hæc Luthero non placuerunt, non debuit ea silentio præterire.

Quomodo panis sit figura corporis Christi.

Ita Brentius quoque in Exegesi. Ita Bucerus etiam in epistolam ad Ephesios: sed hodie dicitur Caluinianum.

Quamobrem si aliquando cum sanctis Patribus Tertulliano, Hieronymo, Ambrosio & Augustino loquentes, diximus aut etiam scripsimus, Panem esse figuram & symbolum corporis Christi, illudque significare aut figurare, vel repræsentare: voluimus his formulis intelligi: Panem non esse ipsummet corpus Christi, sed eius signum duntaxat & Sacramentum: neque tamen quicquam sic loquendo præsentiæ Christi in Cœna detrahere voluimus, vti suprà à nobis restatum est. Particula enim demonstratiua, HOC, quæ in verbis Christi habetur, nobis quidem non solum panem oculis corporeis, sed etiam, idque maximè, ipsum corpus Christi oculis mentis conspiciendum demonstrat.

De fructu vero Cœnæ Domini.

Fatemur etiam, vsum Cœnæ Domini tam sanctum atque tam vtilem esse, vt quisquis vera ac sincera fide ex pane illo comedit, & ex illa potione bibit, percipiat etiam atque fruatur cœlestibus illis bonis à Domino promissis. Qui verò indignè, id est, sine recta fide (per quam solam Domini ipsius, eiusque salutis simus participes) communicat & sumit, eum sibijpsi iudicium edere & bibere: sicut etiam Paulus loquitur. Idcirco nostros seriò hortamur atque monemus: ne quisquam mensâ Domini abutatur, sed sese quisque priùs probet atque examinet.

Symbolum vnitatis fidelium in vno corpore.

Est præterea Cœna Domini symbolum, quo docemur, quemadmodum ex pluribus tritici granis vna farina, & panis vnus conficitur, & ex pluribus Vuarum acinis, vinum simul confluit: Sic nos, nempe vniuersus fidelium cœtus, in vnum panem & vinum, id est, in vnum corpus coalescere & aggregari. Testamur etiam hac externâ professione, nos eos esse, qui credamus nos sanguine Christi redemptum iri atque saluari, cui etiam propterea gratias agimus. Et in quem simul obligamur & confœderamur: hocque pacto nos obstringimus, vt alij alijs omni charitate atque amicitiâ inseruiamus.

Lutherus in superioribus nihil desiderauit.

Hactenus igitur responsionem nostram complexi sumus: in qua speramus R. T. nihil desideraturam. Syncerè etenim & ex animo totum hoc negotium amplectimur: Deum fideliter quærimus & veritatem, pacemque Ecclesiarum. Facilè etiam perspeximus, vos quoque erga nos hac in re ex animo esse affectos, quandoquidem amantissimi illi Domini ac fratres nostri Argentinenses apertè & signanter exposuerunt, *Manere nihilominus post hanc concordiam omnibus Ecclesiis suam libertatem sartam tectam, vt de hoc sanctissimo negotio liberè illis loqui liceat, prout consultissimum visum fuerit. Et satis esse existimare modò simul eodem animo colliment & de summa huius articuli sententia & intellectu conueniat. Ita vt vtraque pars ea solicitè deuitet, quæ sacramentario huic negotio aut plùs aut minùs quàm decet tribuere videri possunt*: Hoc est, ne vel externæ Sacramentorum actioni & operationi tribuantur, ea quæ solius sunt Christi, vel è contra Sacramenta exinaniantur & pro nudis signis habeantur. Parùm enim tribueretur sacræ Domini Cœnæ, si panis & vinum nihil aliud esse existimarentur, quàm nuda Christianæ consociationis, & absentiæ Christi, symbola. Nimiùm autem etiam illi ascriberetur, si doceatur, Panem in sese carnaliter esse verum & ipsissimum corpus Christi, quod in cruce pependit. Item Sacramentum gratiam

Sopita vera concordia.

Hodie non amplius probantur hæc.

secum

secum afferre, etiam ijs qui absque fide id participant.

Hæc absque manifesta approbatione non poterant sine responsione manere.

Existimamus autem R.T. satis animaduertere, quàm studiosè caueamus, ne vel ad dextram, vel ad sinistram deflectamus, sed inter metas sacræ Scripturæ, & verborum Christi perstemus. Quò magis indubiè speramus, cœptam inter nos concordiam perfectè coaluisse: quandoquidem R.T. post tuam illam declarationem, abundè iam & mentem nostram (tum ex nostra illa confessione, tum maximè ex præsenti scripto) potest intelligere.

Deus omnipotens, qui omnis pacis Deus est, gratiam suam huc largiatur, vt vtrinque in vera Christiana dilectione, pace & vnitate ad rectam Euangelij sui propagationem & ædificationem viuere & ambulare possimus: velitque potenti suo Spiritu omne odium aut animositatem quæ in medium antehac irrepserat, procul facescere, & veram charitatem inter membra sua magis magisque augere ad sui ipsius laudem & gloriam, Amen. *Datum Basileæ mense Nouembri, Anno* M.D.XXXVI.

Hæc ex *Actis Concordiæ inter Martinum Lutherum, Bucerum, & Heluetios, ideo superioribus hoc loco subjicere visum est esse operæ pretium, vt ex ijs, omnibus syncerè affectis, & non corrupti iudicij, manifestè constet, non rectè nec bonâ fide ab Vbiquistis esse actum, qui iam pridem hac concordia & transactione sopitas & compositas controuersias, ex Polemicis Lutheri scriptis, ambitiosâ contendendi, primasque in Ecclesia tenendi libidine, resuscitârunt, & erudelissimum in ea bellum denuò incenderunt, atque re verâ se tales præstiterunt, quales illos concordiæ hostes futuros esse, Heluetijs prædixit Lutherus.*

A. Lutherus non negat, suis Heluetiicam Confessionem placere.

Est autem ex hac Heluetiorum ad Lutherum scripta & transmissa sententiæ suæ declaratione (in qua candidè & apertâ fronte negotium hoc concordiæ ab ijs actum fuisse appa-ret) Primò *notandum, quòd ex Buceri relatione intellexerant, Lutherum Basiliensem ipsorum Confessionem approbâsse, nec habuisse, quod in ea reprehenderet; sed vlteriorem tantùm ipsius declarationem exigeret, id quod is in responsorijs suis Epistolis, non negat, neque fidem hac in re abrogat Bucero: quin potius fidelitatem ipsius in transigenda hac controuersia vbique commendat. Et tamen satis euidenter potuit Lutherus ex ista Basiliensi Confessione, sicut & ex hac vlteriore eius declaratione, intelligere, quæ esset Heluetiorum, de corporali præsentia & manducatione corporis Christi, sententia.*

B. Hæc explicatio-

Secundò, *Notandum est etiam in primis, quòd Heluetij explicationem articulorum Concordiæ Witebergensis, quam à Bucero acceperant, ad Lutherum cum hoc suo scripto miserunt, idque eo consilio, vt videret & intelligeret inde Lutherus, quo sensu illi articuli istius Witebergensis Concordiæ recipiendi essent à Bucero oblati & explicati, ne fortè, quoniam non ab omnibus eodem modo intelligi possint, is aliter de ijs, quàm Lutherus vellet, sentiret, atque ex hac sententiarum discrepantia in fraudem & errorem inducerentur: quæ res non concordia, sed maioris discordiæ occasionem esset datura. Qualis autem ista fuerit explicatio, non solùm ex Actis Concordiæ, sed potissimum ex suis Retractationibus, & epistola ad Herphordensem Episcopum, constare potest. Quin etiam hoc omnium manifestissimè intelligere potuit Lutherus ex hac Heluetiorum declaratione, cui ipsemet assensit & subscripsit Bucerus. Itaque si tunc Lutherus improbandam esse iudicâsset hanc Witebergensis Concordiæ explicationem, à Bucero Heluetijs factam, non oportuisset hoc ex boni & constantis viri officio, qui sua culpa decipi neminem vellet, dissimulare, multoque minùs ipsum Bucerum, à diligentia & fidelitate, quasi re bene & syncerè gesta, Heluetijs commendare.*

1536. ne ignorantur Bucerus, Articulos Concordiæ non dissentire à sententia Oecolampadij. Vide Anglicana scripta fol. 649. Hæc declaratio consentit cum Confessione Augustana Ecclesiæ, anno 33.

Tertiò, *hic apparet, quòd Heluetij ex Buceri explicatione Articulorum Witebergensis Concordiæ, apertè & syncerè testentur, & profiteantur, se hanc explicationem sic intelligere, quòd ipsorum sententia & doctrina de sacra Eucharistia non repugnet, neque ab illa dissentiat, eamque se hinc Lutheri quoque sententiam esse, non dubitare. Quòd si tunc Lutherus ita de se atque de Witebergensi Concordia credi & sentiri ab Heluetijs, eosque in hac opinione sua misere falli, & aberrare non voluit: An non oportuisset ipsum Buceri ad se transmissa explicationi, multoque magis Heluetiorum de sententia ipsius ex ista Buceri explicatione conceptæ opinioni (quam satis intellexit nihil aliud, quàm anteriorum Polemicorum suorum scriptorum tacitam abrogationem, & retractationem esse) palàm & disertè, atque ea, quæ Heluetij agebant, & procedebant, ingenuitate contradicere? At quia conscientia & veritate conuictus non contradixit Lutherus, quid aliud viris bonis, & integris, quibus nec fallere, nec falli propositum fuit, hinc actum videri potuit, quàm Lutherum & Heluetios in Buceri explicationem Witebergensis Concordiæ reuera tunc consentire, omnemque veterem inter ipsos controuersiam per hoc esse sublatam? Hoc qui concedere non volent, potiùs Heluetios vnà cum Bucero turpiter deceptos & ludificatos fatebuntur. At in quem huius flagitij culpa & infamia, & cuius etiam spiritus testimonio, tandem sit redundatura, omnes sani & prudentes facilè vident & intelligunt.*

C. Hinc igitur intelligendus Concordiæ Witebergensis sensus.

Quartò,

1536.

D. Hic de fi dici intelligere potuit Lutherus.

Quartò, *Iustè queruntur Heluetij, sententiam & doctrinam ipsorum de Ministerio verbi & Sacramentorum, hactenus non fuisse à multis rectè intellectam. Profitentur itaque, se explicatè eam esse proposituros. Rogant autem Lutherum amicè & seriò, vt hanc benignè ab ijs accipiat, atque de ea liberè cognoscat & iudicet, ac proinde causâ cognita, ipsorum innocentiam apud non rectè instructos tueatur.* Hîc quid Lutherum, qui tantus in Ecclesia Doctor esse & haberi voluit, nec aliquem à se dissentientem ferre potuit, facere decuisset, si nullum cum Heluetijs, tanquam cum damnatis Sacramentariis (sicut nunc vociferantur Vbiquistæ) commercium, aut consensum esse, sed ad Polemica sua scripta tanquam infallibilem rectè sentiendi normam, prouocare voluisset, non opus est multis explicare. At voluit in ipso Deus conuicta conscientia, in hac cum Heluetijs instituto concordiæ actione, testimonium extare, ex quo reliqua humanæ infirmitatis in eo essent æstimanda, & probandus spiritus.

E. Vnio sacramentalis quam probauit Lutherus.

Quintò, *In doctrina de Sacramentis in genere apertè declarant Heluetij, quomodo sentiant Sacramenta esse externa signa gratiæ, & quomodo ex Irenæi sententia dicantur constare re terrenâ & cœlesti. Qualis sit item vnio Sacramentalis rerum cum signis, quorum in articulis* Witebergensis *Concordiæ mentio fit. De quibus omnibus sub finem iterum clarè testantur, se prorsus existimare, quòd in istis nihil planè sit, quod ab ipso Luthero, vel suis possit aliquo modo reprehendi. Et reuera cùm nihil esset, quod ex ea, quâ tunc conuictus & affectus fuit, conscientiâ, iustè & cum ratione reprehendere posset, nihil etiam reprehendit, sed non obscurè Heluetijs consensit Lutherus. Sicut non multò quoque antè eandem de Sacramentis, & de vnione Sacramentali sententiam, in* Waldensium *Confessione, quos tamen antea in contentionis furore pro hæreticis habuit, propriâ suâ subscriptione & commendatione probauit.*

Anno 1535.

F.

Sextò, *Sicut articulus de Baptismo, in vero suo sensu, necessariò requirit veram de peccato originali doctrinam: Ita ex vtriusque istius articuli Concordia Marpurgensi, Confessio Helueticarum Ecclesiarum, de Baptismo, disertè & eruditè explicatur, quam etiam simpliciter probat Lutherus.*

Heluetiorum sententia de sacra Eucharistia.

Septimò, *Circa articulum de sacra Cœna docent & fatentur Heluetij, præcipuam rem istius Sacramenti esse verum corpus, & verum sanguinem Christi, quatenus hæc in mortem pro nobis sunt tradita. Hæc autem etsi verè, & realiter in Cœna exhiberi, & accipi, palàm & disertè confiteantur, negant tamen expressè, hoc per corporalem in pane & vino præsentiam & manducationem fieri, sed fide & spiritualiter tantùm, vt cœlestia dona, ex diuina promissionis virtute, in hoc mysterio percipi posse, sentiunt. Excusant se etiam à sacramentario errore, de nudis & vacuis signis, & quid hactenus contra Lutherum senserint & docuerint, candidè & ingenuè, sine dissimulatione profitentur: & (quo verisimile est præcipuè in hac ipsorum declaratione motum fuisse Lutherum) per pronomen,* HOC, *in verbis Cœnæ fatentur, non tantùm corporis oculis panem, sed etiam vnà & præcipuè oculis cordis & animi ostendi & demonstrari corpus Christi.*

Contra nuda signa.

Hoc à Bucero fuerunt apposita.

Ad extremum de fidei suæ sinceritate, qua Deum, veritatem & pacem Ecclesiarum vnicè quærant, seriò protestantur, seque omnino persuasos esse, confidenter enuntiant, Lutherum etiam in his omnibus nihil habiturum, quod desideret & reprehendat, sed quòd planè nunc sperent, concordiam inter ipsos esse factam.

Hîc monendi sunt Vbiquistæ, vt hanc Heluetiorum declarationem, qua non solùm fidei & doctrinæ suæ Confessionem edere, sed & Lutheri prauis suspicionibus, quibus in Polemicis suis scriptis seductus fuit, satisfacere voluerunt, opponant omnibus ijs quæ in istis Polemicis scriptis contentiosissimè sunt agitata, & inuenient, nihil prorsus inde, ad euertendam hanc Heluetiorum Confessionem, & declarationem, posse afferri & adduci. Quod quia conscientiæ testimonio conuictus, non ignorauit, potiùs de pace & concordia pacisci, quàm contradicendo controuersiam tunc renouare voluit Lutherus.

Hoc autem cùm viderent magnum suæ causæ, iam renouato vicissim certamine, præiudicium allaturum esse, qui Tomos operum Lutheri congesserunt, non bona fide, sed ad interuertendum hunc totum cum Luthero Concordiæ tractatum, superiorem Heluetiorum declarationem, ex qua Responsionis Lutheri, totiusque negotij intelligentia pendet, vnà cum alijs studiosè omiserunt.

Idem fecit Dauid Chytræus in Historia Augustanæ Confessionis.

Dum hæc ita geruntur, Ioachimus Vadianus, Consul Sangallensis, Heluetiæ decus & lumen, Aphorismorum libros sex, de consideratione Eucharistiæ, in lucem dedit. Quibus autem causis permotus ad scribendum accesserit, in Præfatione ad Conradum Pellicanum exponit. Cùm vago rumore in vulgus spargeretur, de Concordia, quam Lutherus cum nonnullis Germaniæ Ecclesijs, discussa Eucharistiæ causa, sarturus esset: fuerunt non pauci Pontificij concionatores, qui Ecclesiam Sangallensem criminabantur, & omne genus contumelijs lacerabant. Non solùm, quòd nouam doctrinam iam diu inuexissent: sed etiam ea leuitate sacrosanctum corporis & sanguinis Christi Sacramen-

Ioachimus Vadianus Consul Sangallensis de Eucharistia scribit. Occasio huius scripti.

tum

tum tractarent, vt vel ipsi Lutherani, eorum impietatem ferre ampliùs non possent. Max cùm intellexissent à Conuentu Basiliensi, in fidei Confessione Sangallensibus per omnia cum celeberrimis Ecclesijs conuenire, clamare è cathedris sacris cœperunt, gaudere se plebis nomine & gratias agere, quòd qui hactenus tam impiè de Eucharistia sensissent ac docuissent, nunc tandem errasse se, ac perperam docuisse faterentur, vt qui scirent veram carnem sub specie panis, & verum sanguinem sub specie vini, in altari ostendi: quare sperare se, quòd in alijs quoque doctrinæ capitibus, in quibus affirmandis hactenus miseram plebem seduxissent, idem essent facturi. Addebant, decretum esse in Synodo Basiliensi, de priuata Missa restituenda. Hac indignitate motus Vadianus; in animum induxit, omnia illa scripto complecti, quæ ad fidei Ecclesiæ Sangallensis de vsu Eucharistiæ declarationem attinerent. Non autem perpetuo, sed interciso & Aphorismis distincto sermone vtitur, vt singula clariùs intelligi possint.

Summa sex librorum Vadiani de Cœna

In primo libro dogmata & sententias de Eucharistia tum veteres tum nouas, quas quidem legendo inuestigare potuit, explicat. In secundo Sacramenta veteris & noui Testamenti potissima, & quibus de rebus constent, quibusque in rebus conueniant aut differant, breuibus indicat, cum obseruatione locutionum, vt illis Scriptura vtitur, ex Veterum traditione & authoritate deprompta. In tertio nouum dogma de esu corporis & sanguinis Christi, Scripturis Euangelicis & antiquorum interpretum fide, oppugnat & refutat, cum veteris doctrinæ Ecclesiarum laude & vindicatione. In Quarto, de Transubstantiatione agit, potissima Papistarum argumenta refellens: quo loco & de possibilitate frequenter nostris obiecta, præterea de verborum Cœnæ claritate, & de virtute, sed & de Ministerij functione, & Consecratione, quædam necessaria cognitu, explicat. In Quinto, explanat perspectam & vsitatam Veterum loquendi rationem, quâ symbolis mysticis nomina rerum, quarum symbola sunt, tribuuntur: ibidem quoque aliquot Irenæi loca in transcursu enucleat, quibus alia etiam veterum authorum loca sunt addita, quæ ad clarum & germanum verborum Christi sensum facere videntur. Retunditur & calumnia quorundam dicentium, nostræ ætatis homines primùm omnium, authoribus Germanis, sanctæ Romanæ sedi obstrepere ausos, quam nemo antè non obseruârit & coluerit: quibus ostendit, à septingentis proximè annis in hunc vsque diem passim doctos homines atque etiam sanctos extitisse, qui scripto sint testati, cùm dogmata recepta à Pontificibus, tum Iura etiam & Ceremonias admissas, quæ veteri cùm doctrinæ tum disciplinæ & sobrietati parùm responderent: vbi & de Miraculis quibusdam, & locali Christi præsentia disserit. In Sexto & vltimo summatim repetit Scripturas, quæ carnalem & corporalem Christi in pane præsentiam nec ferunt nec admittunt: taxat quoque illos, qui naturas in Christo confundunt. Postremò, veterem vsum Eucharistiæ, & quid circa eam, à morte Christi vsque ad nostra tempora receptum, quid mutatum fuerit, quibúsue temporibus id factum sit, breuissimè, cum adiecta quadam rerum Ecclesiasticarum indicatione, exponit.

1536.

Hunc librum quum primùm excusus esset Luthero misit Vadianus, vnà cum amicissimis literis, quæ de verbo ad verbum sic habent. Bruma superiore, quum hinc indè volutantibus & dira minantibus rumoribus obrueremur, & essent homines maleferiati, qui suprà quàm credi potest, In Ecclesiæ nostræ cùm doctrinam, tum disciplinam, publicè è suggestis suis debaccharentur, & nullo non genere calumniarum, injuriarumque, nihil tale merentes afficerent; continere me non potui, quin collectis passim Scripturarum, & interpretum locis, quicquid haberem, ceu armatæ militiæ, adversus illorum phalanges producerem, vt quos nouissem tot jam annis collatis consilijs, & data opera in hoc omnibus, (quod dicitur) viribus incumbere, vt Heluetiæ nostræ Ecclesias, quæ Christum Dominum induerunt, nec audiunt ampliùs diuersum docentem Pontificem, doctrina Euangelij oppressa, oppressisque qui eius retinendæ essent authores, ad Apostolicæ sedis obedientiam (sic loquuntur) reducerent &, si grauarentur, innemora etiam redigerent. Hoc sibi quocunque authore, certò pollicentes futurum, ut oppressis nobis, & in ordinem redactis, facilè ratio iniri posset, quo & reliquæ Ecclesiæ quæ restitarent, veteri jugo sine labore subderentur. Eam lucubrationem quum post synodos in mense Februario habitas Basileæ, & editam jam confessionem, Ecclesiarum nostratum, cum fratribus nonnullis, præcipuè autem D. Pellicano sincerissimo homini, ostendissem, ac deinde plusculi eruditorum reuoluissent: continuò de edendo, sum appellatus. Quod magno illorum consensu videretur, non modò fructum allatura multis, quibus noua dogmata nondum tam bene perspecta, & cognita forent, quàm ego longo ordine proponerem, quique Coryphæorum quorundam Sophisticæ vesaniæ, rationibus, & argumentis in materia Eucharistiæ haud parùm hactenus tribuissent; sed etiam conductura concor-

1536. diæ, quæ jam esset in foribus, partim, quod non haberet, quod receptæ confessioni nostræ (quam doctores Argentinenses ita probarent, vt & spem facerent, minimè eam tuæ paternitati displicituram) vlla parte contraueniet, partim etiam quod verius, sincerius; multa largiretur sacramentis, quàm fortassis à nostris hactenus esset factum, atq; id agerem, cum Scripturis, tum receptorum interpretum testimonijs &c. Cessi precibus amicorum, modò ipsi, vt ederetur liber, senatus nostri fauore, & ministrorum Ecclesiæ nostræ judicio, id obtinere & assequi possent, quod sanè vt audio (nam me absente res agebatur) haud difficile est impetratum. Interim redeunt, qui Isenacum erant profecti, lætissimo concordiæ nuncio allato, & simul exhibita declaratione, quæ, quo sensu concepti illi articuli, recepti essent, abundè exponebant. Quæ omnia cùm legissem sanè Domino agebam gratias, quòd viderem te præsidente, haud aliud traditum de Eucharistia aut receptum, quàm quod mihi ad Scripturas, & Veterum traditiones respicienti, jam olim adluxisset: Et ego in toto illo opere meo, pro virili eram traditurus, qui multis jam annis (citra jactantiam dictum velim) ita sensi de sacramentis à Domino institutis, vt eis multis de causis honorificentissimè deferendum existimârim: dolueri mq; tantopere abuti rebus tam sanctis & cœlestibus illos, qui ad carnem, & quæstum conuersi, non quę Christi, sed quę sua sunt, quærunt. Cæterum cùm editum viderem opus illud meum quantulumcunq; nolui committere, quin tibi viro doctissimo, & Domino meo in Christo obseruando exemplum primo quoq; nuncio, cum hisce literis meis, mitterem, non hac modò causa, ut calumniatorū nihil non audentium artes præuerterem, si fortè deferre me ausint, ceu diuersum tradere quàm ferat concordia aut à te tradita, & exhibita, qualiacumq; demum forent, habere neglectui, & meam canere cantilenam instituerim. Sed illa maximè, vt acerrimo, & tot modis exercito, donatoq; à Domino judicio tuo fretus, intelligere aliquando possem, quæ tibi: & quæ minùs, quibúsq; de causis paternitati tuæ, aut probarentur, aut non probarentur. Quod enim ad me attinet, Iesum testor, adeò me maximis de causis cupidum concordiæ aliquando sarciendæ, fuisse, inter eos, qui vnum Christum Dominum, vna Euāgelij prædicatione profitentur: vt sim certus, postremum me non fuisse, qui apud nostros hoc saxum magna cum intentione animi volverit. Qua de re cùm alijs tuis, tum ante alios D. Bucero constare arbitror. Iā nunc verò visis articulis Vitenbergā allatis, nihil est quod me moretur, aut suspensum teneat, eo maximè sensu, quem Doctissimi viri D. Martinus Bucerus, & Wolfg. Capito bona fide nobis in literas relatum exhibuerunt. Primùm enim nulla transsubstantiatio ponitur, sed negatur, neq; vlla de esu illo crudo, & carnali, quem Papistæ ingerunt, mentio fit. Nulla unio vel realis, vel personalis, vel naturalis, corporis Christi cum pane, sed Sacramentalis, quam & ego cādidè reddidi, asseritur, Sed & extra Cœnæ ritum & actum negas vnionem, etiā sacramentalem quam Papistæ tamen mordicus retinent, Negas & localem præsentiā, qua & humanitati locabili, quæ in cœlestia assumpta est, sua natura relinquitur. Citra controuersiam enim verus homo est etiānum Christus. Postremò, propter vnionem Sacramentalem, concedit rectè dici panem esse corpus Christi, & vinum esse sanguinem Christi asseris eo sensu, quem non ignorant qui mysticarum locutionum formulas, vt ipsis & vetusti sūt vsi, tenent, Spiritum enim Sanctum vidit Johannes, quum columbam vidit, quo exēplo tua paternitas sensū suum exposuit. Probatur sensus, qui docet, esum corporis, & potum calicis seu sanguinis Christi, nō sensibus, sed animo, & fide comprehendi: placet & mihi, substantialiter simul in Cœna corpus Christi cum hoc ipso videam te fictam præsentiam excludere, & rectum sit, non imaginariè, sed verè nos hoc modo Dominū sumere, maximè quod cōster te ita inter localiter, & substantialiter discernere, vt non sit consequens adesse localiter, quod substantialiter adest, & sumitur, verè autem & substantialiter adesse in Cœna Christum Deum & hominem, vno ore confiteamur. Sed & verè sumere corpus Christi indignè vescentes Paulus testis est; etiamsi impij, Scriptura teste, non sumant, nec verè edant. Ex fide autem esse sentio, communicationē etiam naturalem carnis Christi, in omnibus qui sunt verè corpus Christi neq; id reticui in meis literis. Atq; vt finiam, nihil est jam dictorum articulorum quod non equidem existimem, & pium esse, & per omnia consonum Scripturis. Neq; esse arbitror in omniopere meo, quòd illis cōtraueniat, nisi si sparsim quisex verbis capraue velit, quod in toto tamen processu sic mitigo vt, calumniari facilè nemo queat. Sed hac de re, Pater amplissime, tuum judicium esto: quem, & precor, vt reuiso opere, moneare me, & si quid offendere, grauareue velit, meliùs sentientem, literis mihi significare pergat, vt pro paratissima mea voluntate, id recipiam, quod solidum, pium & Scriptura jubente, est receptum. Nolim enim is videri, longe minùs esse, qui concordiam tam anxiè

anxiè dudum à me quæsitam,& adornatam ulla parte,salvis articulis,quos modò recensui vellet remorari. Et ut errerim fortassâ in meo illo opere & alicubi sim lapsus, tuque id deprehendas,& obelisco iugules, tamen arbitror, te quæque in opere perlegendo haud obscurè intellecturum,hoc animo me scripsisse, qui Christianæ tum veritati, tum disciplinæ omni ex parte consuetum esse cuperet. Vale,Vir doctissime,& persuade tibi,me sic paratū esse animo,ut hac in re ita Iudicio tuo sim acquieturus, ut nullius magis.Cupio me commendari D. Philippo,D. Iusto Ionæ, D. Pomerano, D. Crucingero, & Collegis tuis reliquis. Sangalli 3.Calend. Septembris,*Anno* 1536.

Erasmus moritur.

Erasmus Roterodamus, lumen & ornamentum Germaniæ, hoc anno, quinto Idus Iulias, Basileæ vitâ functus est, quò remigraverat Friburgo relicto. Obitum ejus, clarissimi viri Bonifacius Amerbachius Iureconsultus, & Beatus Rhenanus descripserunt. Cùm non multò antequam moreretur,Conradus Pellicanus(cum quo, ut suprà dictum est, simultas quadam ei intercesserat) Basileam profectus, eum salutâsset,humanissimè ab ipso acceptus fuit. Rogavitq; Pellicanum,ut si à se fuisset læsus, sibi ignosceret, & posthac nihil hostile à se expectaret. Bullingeri quoque cujus lucubrationes aliquot legerat, honorificam fecit mentionem.

ANNVS DOMINI M.D.XXXVII.

Conventus Principū Smalcaldiæ.

*HOc anno frequens Electorum, Principum atque Ordinum Protestantium Conventus Smalcaldiæ fuit habitus,ad quem 15.Feb.die inchoatum etiam primi nominis Theologi Lutherus,Philippus,Pomeranus,Schnepfius, Osiander & alii confluxerunt, ut de Concilio à Paulo tertio Mantuæ indicto, deliberaretur. Quidam ex Theologis illis toti in hoc erant, ut de Cœna Domini & Ecclesiasticis ritibus,quid omnes docere & observare deberent,statueretur.Principes verò misso ad eos Saxonis Cancellario, cum altero quodam nobili,tantùm de Concilio eos agere jubebant: quid nimirum in eo, si celebretur, proponendum,quid defendendum aut concedendum videretur.Nihilominus tamen capita quædam conscripta sunt, quæ singuli approbarent, quemque in tradenda Cœna doctrina sequerentur singuli. De hoc sic scribit Philippus ad Camerarium:*Constitutum erat, ut deliberaretur, qui articuli contra Papistas ad extremum defendendi essent ac retinendi, & anteponendi communi tranquillitati, & omnibus rebus humanis:qui concedendi propter pacem viderentur. Deinde,ut de doctrina fieret collatio non futilis,sed accurata:ut tollerentur dissidia, & consentiens doctrina &

Articuli à Luthero scripti. Philippi Epistola de Conventu Smalcaldico.

explicata in nostris Ecclesiis extaret. Sed neutra disputatio,*inquit Philippus*,processit. Nam de rebus concedendis,nullam prorsus volebant fieri mentionem indocti & vehementiores. Deinde ne de doctrina accuratè conferretur,nominatim petitum est *(nomine Principum)* ne certamen aliquod augeret discordias, & fœderis distractionem afferret.Iussi autem sumus,& παρέργως percurrere articulos Confessionis, & audire, ecquis dissentiat in aliquo articulo, aut improbet aliquid. Ac Principes disertè testati sunt, se formulam Concordiæ conservaturos esse. Fuit breve colloquium περὶ τῶν μυστηρίων: dixit Bucerus planè & clarè,affirmans præsentiam Christi, satisfecit nostris omnibus, etiam iis qui sunt duriores. Blaurerus generalia sic satis,adesse Christum. Postea quædam addidit ambigua. Osiander urgebat eum paulò acriùs,sed quia nolebamus excitari certamen vehementius,interpellavi disputantem.Ita discessum est,ut inter cæteros omnes consensus constitutus sit, hic verò non repugnare videretur.

1537.

Crimen falsi Compilatorū historiæ Aug. Confessionis.

*Ex his verbis Philippi intelligimus inter alia, non eodem prorsus modo rem sese habere, ut ab Augustana historia Collectoribus fol. 315.narratur;*Electores & Principes Theologis in hoc Conventu mandâsse, ut Augustanam Confessionem ejusque Apologiam à capite ad calcem usque summâ fide perlegerent:& si quid in ea à saeris Scripturis eaque doctrina quam in Ecclesiis & Scholis suæ fidei commissis proponerent, diversum deprehenderent,id mutarent atque corrigerent:& tandem quotquot isti negotio destinati essent, Confessionem illam, ut & illius Apologiam de novo subscriberent : Et huic mandato Theologos obsequutos, ne minimùm quidem tam in verbis quàm sententia totius Confessionis & Apologiæ quod mutandum emendandumue esset deprehendisse, &c. *Nam Philippus scribit:*Iussi sumus & παρέργως percurrere articulos Confessionis,& audire, ecquis dissentiat in aliquo articulo, aut improbet aliquid.*Et quod notatu dignum est,addit:*Principes disertè testatos esse,se formulam Concordiæ conservaturos esse. *Voluerunt igitur etiam, Confessionem suam Augustanam iuxta eandem formulam intelligi & explicari debere in Cœna articulo.*

Protestantes voluēre retinere Cōcordiæ Witebergensis formulam.

In his autem Smalcaldicis articulis à Luthero scriptis, & à multis Theologis subscriptis: articulus de Cœna Domini sic habet: De sacramento Altaris sentimus, panem & vinum in Cœna esse verum corpus & sanguinem Christi : Et scimus hæc porrigi & accipi non tantùm à bonis, verùm etiam à malis Christianis. *Iuxta hunc articulum* Witebergensis

Smalcaldicus articulus de Cœna non contra Zuinglianos facit, sed contra Ubiquistas.

bergensis Concordiæ formulã intelligendã & explicandam esse valunt hodie Vbiquistæ, indeq; prabare contendunt, Lutherũ in sancienda illa Cõcardia, ne latũ quidem vnguẽ à sua priore & crassa illa de Cœna Domini sententia recessisse. Verba autem articuli illius nihil contra nos nostramq; sententiam, sed potiùs pro nobis, & contra Vbiquistas faciunt, ideoq; illa libenter approbamus & recipimus. Nan enim negamus Cœnam esse Sacramentum altaris. Non negamus panẽ & vinum esse corpus & sanguinem Christi: Ipse enim Christus Filius Dei dixit, Accipite, edite, Hoc est corpus meum. *Nan negamus etiam porrigi & accipi. Nan negamus accipi à bonis: ipse enim Christus dedit & porrexit bonis Apastolis suis. Non negamus accipi à malis: Dominum enim author Sacramenti sui, Iuda proditori suo (vt Augustinus & alii valunt) panẽ tanquam corpus suum, porrexit & dedit: & porrectum atq; datum Iudas accepit. Vbi autem in his Scmalcaldicis Articulis fuit concessa Transubstantiatio, vt in prima Augustana? Vbi quatuar illa reliqua, qua suprà indicani? Vbi vbiquitas corporis Christi? Vbi ad confirmandam vbiquitatem duo noui & inauditi Ascensus in cælum Christi? Quam Vbiquistis Principes & Lutherus in isto Articulo dant Sessionem ad dexteram Patris, qua ad hanc quæstionem non prodest quicquam? Quòd si in hoc articulo τὸ ῥητὸν vrgeas, & dicas, panem esse verum corpus, in qua castra secedendum sit quinis intelligit. Sed ita, inquies, tantùm Signi fit mentio: Vbi igitur κοινωνία τοῦ σώματος? Ergo semper debebamus loqui cum Irenao, vt res dilucidè exponeretur: Exhiberi scilicet rem terrenam, panem & vinum, vt ore sumatur: exhiberi etiam rem cælestem, scilicet corpus & sanguinem, vt fide comedatur & hauriatur. Sic res esset plana & expedita.*

Articuli Smalcaldici à Luthero fuerunt aliter concepti & aliter editi.

Deniq; multis in confesso est, qui ab iis hoc acceperunt, qui Conuentui Smalcaldico interfuerunt, Lutherum articulas illos moderatiori forma conscripsisse: Sed importunè ab Amsdorfio provocatum ita canclusisse, quemadmodum nunc leguntur, quòd præsentes ibidem Legati & Theologi conquesti sunt: à quibus, qui superioris Germania erant, expostulatum non est, vt articulis subscriberent, neq; cum aliquo de controuerso articula disputatum fuit: vt Bremensis Ecclesiæ Ministri testantur in Defensione sua ad Hamelmanni Confessionem.

Heluetiorum Confessio, ejusque Declaratio à Protestantibus Principibus, & Luthero Schmalcaldiæ approbatur.

Heluetica etiam Confessio per Bucerum iterum, vnà cum ipsius declaratione, toti huic Smalcaldica Conventui tradita ac propasita, & ab omnibus Theologis, ipso quoq; Luthero, ac Ordinibus Pratestantium approbata fuit. Vt etiam hinc satis manifestè colligi possit, intra limites tantùm non inita, anno præcedenti: Concordia omnes constitisse, sicut etiam Philippus in epistola ad Camerarium testatus est. Cùm verò Lutherus infirmus esset ex graui morbo, Elector Gotham eum deduci curauit. Multis autem plenam concordiam inter Lutherum & Heluetios summâ cupiditate expetentibus, Electar Saxonia, Bucerum & Bonifacium Lycosthenem ad eum misit, vt Heluetiis rescriberet. Ille verò respondebat, se vi morbi impediri quò minùs id facere posset. *Scribebat tamen ad Iacobum Meyerum Consulem Basiliensem, Heluetiorum literas sibi redditas esse seq; excusabat, quòd ad omnes hoc tempore scribere nan potuisset.*

Philippus scribit Heluetiis nomine Electoris Saxoniæ & Lutheri.

Melancthon autem iussu Electoris Saxoniæ Smalcaldiâ 15. die Martii ad Heluetios his verbis scripsit.

Magnificentissimis ac prudentissimis Dominis Coss. Senatui ac populo Vrbium, Tiguri, Bernæ, Basileæ, Scaphusii, Sangalli, Mulhusii & Bielæ, Dominis suis reverenter colendis.

GRatiam Dei per Dominum nostum Iesum Christum. Magnificentissimi prudentissimiq; viri, Domini colendi. Quamquam nihil magis in votis erat, R. viro Domino D. Martino Luthero, quàm ut ad literas communi vestrûm nomine ad ipsum perscriptas, respondere potuisset: Ita tamen rationes ipsius hoc tempore sunt comparatæ, ut invaletudine & calculi doloribus impeditus, arduum & graue hoc negotium satis expendere, digneq; vobis respondere nequeat. Et quamuis Illustrissimus Princeps & Dominus, D. Iohannes Fridericus, Saxoniæ Elector, Dominus meus clementissimus, venerandum virum M. Martinum Bucerum, ad Dominum D. Lutherum aliquantisper ex morbo recreatum, ablegârit: tantum tamen ipsi nondum fuit virium, vt literas exarare potuerit. Id quod illustriss. noster Princeps Saxoniæ Elector, Dominus meus clementissimus, per me significari vobis iussit. Spero autem Dominum Doctorem in reditu nostro pristinæ valetudini restitutum, M. V. copiosè responsurum esse. Sicuti enim M. vestræ optimè cupit: ita summis à Deo contendit precibus, vt animis piè consentientibus, Deum Patrem & Dominum nostrum Iesum Christum inuocemus atque colamus, & sanctè innocenterque viuamus: Quod Dominus nobis benignè largiatur. *Data Smalcaldia* 15. *Martii, Anno* 1537.

Synodus Bernensis.

Cùm in Heluetia, præsertim verò in Bernensi agro, aliqui indocti Concionatores ex malè intellecta

tellecta Witebergenſi Concordia, ejuſdemque declaratione Buceriana, in Cœna Dominicæ explicatione uterentur interdum vocabulis, ſubſtantialiter, eſſentialiter, oraliter, realiter, corporaliter, carnaliter, ſupernaturaliter, & ſimilibus, undeque rixæ & contentiones multæ exorirentur. Bernæ ultimâ May congregata eſt Synodus, decretumque, vocabula illa exotica in univerſum vitanda, docendumque in poſterum eſſe, corpus & ſanguinem Chriſti non corporaliter, ſeu carnaliter in Cœna adeſſe, nec oraliter ſumi, ſed eo modo, quem Confeſſio Baſilienſis eiuſque declaratio haberet ac doceret.

Lutheri literæ ad Helvetios, in quibus eorum Confeſſionem, ejuſque Declarationem approbat, & Concordiam cum iis inire cupit.

Lutheri literæ ad Helvetios de Concordia.

Sub finem hujus anni, nempe primâ Decemb. Lutherus placidè Conſulibus, Senatui & populo Vrbium Helveticarum Evangelici nominis, reſpondit ad hunc modum.

Gratiam & pacem in Chriſto, Domino ac Salvatore noſtro. Diuturniorem reſponſioni meæ, ad literas veſtras Smalcaldiam miſſas, interpoſui moram, quam equidem excuſarem, ſed ſpero minùs hoc apud vos eſſe neceſſarium, ut quos non fugiat, quanta mihi viribus exhauſto ſeni quotidie incumbant onera: quæ tanta ſunt, ut etiam vi quadam memet ipſum, & hominibus, & negotiis ſuffurando, tandem ad hanc reſponſionem abſoluendam acceſſerim.

Reſponſio hoc magna cura & diligentia ſcripta.

Literas verò veſtras ex morbo recreatus perlegi: Et primò quidem ſummo affectus ſum gaudio, quòd vidi, vos ſepoſita omni priori acerbitate, atque inter nos & Concionatores veſtros obortis ſuſpicionibus, concordiam ſeriò amplecti ac promovere, animum induxiſſe. Deus omnis concordiæ ac dilectionis author, ceptum hoc opus, piè ac ſalutariter perficiat, ſicuti ſcriptum eſt: *Cùm placuerint Domino viæ hominis, inimicos quoque ejus convertet ad pacem*, Proverb. 16. Certum verò eſt, haud facilè, & abſque cicatrice ſanari tantum diſſidium non poſſe. Erunt enim tam hoc, quàm illo loco, quibus concordia diſplicitura, imò ſuſpecta etiam futura eſt. Si verò utrinque ſeriò rem agamus, diligenterque inſtemus, Deus Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti ſuâ gratiâ nobis aderit, ut ipſo tempore offenſiones apud alios tollantur, & turbata aqua paulatim ſubſidat.

Priores contentiones omnes & ſuſpiciones ſublatæ.

Concordia non omnibus grata.

Amanter itaque M.V. rogo, ſeriò dent operam, quò tam apud vos, quàm apud veſtros, vociferatores illi, qui adverſus hanc noſtram concordiam debacchantur, à ſuis clamoribus abſtineant, populumq; ſimpliciter doceant, & hoc totum concordiæ negotium illis curandum relinquant, qui ad hoc vocati & idonei ſunt, neque illud impediant: ut & nos viciſſim tam in ſcriptis, quàm in concionibus tranquillitati & moderationi omni operam dabimus, & ab ejuſmodi clamoribus adverſus veſtros temperabimus, ne ullam impediendæ concordiæ occaſionem præbeamus: quam & nos ex animo videre cupimus, ejuſque promotionem Domino vovimus. Nam certè ſatis abundè fuit hactenus clamorum & digladiationum, ſi iis aliquid promoveri debuiſſet.

Adverſus clamatores & hoſtes Concordiæ.

1537.

Lutherus pollicetur ſe cura Helvetica Confeſſionem nihil amplius ſcriptorum aut concionatorum.

Plus ſatis fuiſſe digladiationum & clamorum.

Inprimis verò id oratos vos velim, ut de me vobis ea omnia polliceamini, & ſtatuatis, quæ de eo, qui & ex animo erga hoc negotium ſit affectum, & in quo nihil eorum (quantum quidem in me erit) quæ ad concordiam promovendam faciant, deſiderari queant. Hoc Deus ipſe novit, *quem in animam meam teſtem appello.* Nam diſſidium hoc neque me, neque alium quenquam iuvit, ſed damni multùm multis attulit: ut nihil inde unquam utilitatis & boni ſperari, vel olim potuerit, vel deinceps poſſit.

Diſſidium de Cœna nullis profuit, ſed multis nocuit. Et hoc confirmavit Flaccianorum ſchiſma & Vbiquitas.

Ad veſtros itaque ut veniam Articulos, in primo, de miniſterio Verbi, nihil deſidero. Neque enim nos aliter docemus, quàm Spiritus ſancti operationem in cordibus auditorum neceſſariò requiri, & externum Verbi auditum per ſe nihil proficere. Aliàs enim, ſi ſolum externum verbi miniſterium omnia efficeret, univerſi, qui Verbum audiunt, crederent, quod tamen minimè fieri, ipſa experientia teſtatur. Et Paulus Rom. 10. inquit, *An non audierunt? At non omnes Evangelio credunt:* Ita tamen, ut Evangelium prædicatum Dei Verbum dicatur, *& potentia Dei ad ſalutem omni credenti*, Rom. 1. utpote, per quod Deus, quos vult, Spiritu ſuo ſancto, vocet ac trahat. Et ſi quid in hoc capite ex mutuis vel veſtris, vel meis ſcriptis non ſatis intelligatur (unâ ſiquidem linguâ unóve loquendi modo omnes uti nequimus) Capito & Bucerus omnia perſpicuè ac planè mitigabunt, & quàm fieri poteſt, omnium optimè declarabunt. Id quod omnino mihi de ipſis ſpondeo atque polliceor: ut & hucuſque deprehendere aliter non potui, quàm ipſos hac in parte officium ſedulò diligenterque feciſſe.

Articulus 1. de vocali verbo à Luthero probatus.

Lutherus ſuos interpretes facit Bucerū & Capitonem.

Similiter quoque In Articulo ſecundo de Baptiſmo nullam video diverſitatem. Sicuti enim iam de externo Verbi mini-

Secundum articulū de Baptiſmo pro-

1537.

bat Lutherus: immisiò ergo in Polemicis scriptis Anabaptistis Helvetios annumerat

miniſterio dictum eſt: Ita quoque ſentimus, aquam & Verbum (quod potior Baptiſmi pars eſt) abſque interna Spiritus ſancti operatione, externè nihil operari, tamen Baptiſmum, externum Dei ſymbolum, imò organon atque opus eſſe, quo Deus in nobis operetur, &c. ne merum hominis ſignum ſive ſymbolum ſtatuatur.

Tertius articulus de Cœna sine controversia receptus.

Tertius Articulus: de Sacramento corporis & ſanguinis Chriſti, neque nos unquam docuimus: nec etiam nunc docemus, quòd Chriſtus cœlitus à dextera Dei, viſibiliter aut inviſibiliter deſcendat vel aſcendat. Fidei Articulo conſtanter inſiſtimus, qui talis eſt: *Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei, unde venturus eſt, &c.* Quâ verò ratione & modo corpus & ſanguis Domini in Cœna nobis offeratur, cùm videlicet juxtà ipſius Verbum convenitur, & ipſius celebratur inſtitutio, divinæ omnipotentiæ commendamus & relinquimus. Nullius hic vel aſcenſus vel deſcenſus, mentionem facimus, ſed verbis Domini ſimpliciter inhæremus, quæ ſunt, *Hoc eſt corpus meum, Hic eſt ſanguis meus.* Verùm ſi hic nondum plenè nos mutuò intellexerimus, illud nunc commodiſſimum ac utiliſſimum ſit, ut nos nobis invicem amicos præbeamus, & optima quæque de nobis invicem ſperemus, donec (multis contentionibus) turbata aqua paulatim ſubſidat, &c.

Bucero & Capitoni totum Concordiæ negotium committitur.

Bucerus quoque & Capito his in rebus omnibus conſulere facilè poterunt, dummodo animis mutuò conjunctis omnem offenſionem remittamus: Spiritui ſancto locum relinquamus, & in pia ac fraterna concordia perficienda elaboremus. Ad nos certè & nominatim meam perſonam quod attinet, omni offenſione remiſsâ, fide, benevolentiâ atque amore vos complectar. Vt ut enim nos, qui concordiam hanc ſeriò urgemus, ſumma quæque conemur, præclaro tamen Dei auxilio conſilioque indigemus. Satan enim tam noſtri, quàm concordiæ odio flagrans, ſuos quoſdam facilè inventurus eſt, qui tantùm non ſcrupulos, ſed trabes ac rupes obiicient, ut non neceſſe ſit, nos etiam mutuis offenſionibus ac ſuſpicionibus indulgere: Quin potiùs animos manuſque invicem porrigamus, & pari etiam fide atque conſtantiâ perſeveremus, ne poſteriora aliquando prioribus deteriora evadant.

Lutherus omnem charitatë & synceritatem Helvetiis pollicetur Concordiæ hostes à Sathana agitati.

De excommunicatione aut clavibus non memini unquam certamen aut diſſidium aliquod inter nos exortum eſſe: in quo capite veſtras Eccleſias etiam rectiùs ac meliùs, quàm noſtras conſtitutas eſſe crediderim. Si igitur reliqua talia ſint, qualia optamus & volumus, concordia hac in parte, Dei beneficio, nullas moras aut impedimenta experietur, Amen.

Hæc in præſentia ad literas veſtras breviſſimè reſpondere volui, quæ ut in bonam accipiatis partem, amanter rogo atque oro. Cerebrum enim meum tantâ cogitationum & occupationum mole quotidie obruitur, ut ſingulas res non ita tractare aut eloqui poſſim, ac ſi una aut altera ſolummodò mihi incumberet. His M. V. omnes unà cum veſtris, Deo, omnis miſericordiæ & conſolationis autori, commendo: qui ſui Spiritus gratiâ efficiat, ut corda noſtra in dilectione Chriſtiana, bonoque propoſito conglutinentur, omneſque humanæ ac diabolicæ malitiæ & ſuſpicionum ſpumæ ac ſcoriæ expurgentur: ad laudem & gloriam ſanctiſſimi nominis ſui, multarum animarum ſalutem, Diaboli verò & Papæ, omniumque qui eum ſectantur, perniciem, Amen. *Prima Decemb. Anno* 1537.

Ergo omnibus Concordiæ hostibus diabolus.

MARTINVS LVTHERVS.

Lutherus à priore mutatus.

JAM *totus ferè annus præterierat, ut ſcribit Ambroſius* Wolffius *in Actis huius Concordiæ, antequam Helvetiis reſponderet Lutherus. Nihil igitur ab ipſo præcipiti incogitantiâ, ſed animo bene deliberato, rebuſque apud ſe maturè conſideratis, reſponſum fuiſſe credendum eſt: præſertim cùm hoc ipſum cauſa gravitas, & ſincera concordia cum iis, quos antea, ut hoſtes, oderat, & ut hæreticos damnaverat, ineunda & cōſtituenda, ſpes & ratio efflagitaret. Quid autem à tali præcipuè Antagoniſta, cujus nota erat animi vehementia, aliud ab Helvetiis expectari debuit vel potuit, quàm ſi quid is in Buceri declaratione Articulorum* Witebergenſis *Concordia, aut etiam in ipſorum adeò diſertè explicata confeſſione, ſecundùm quam ſe* Witebergenſem *Concordiam intelligere & amplecti teſtabantur, deque omnibus iſtis iudicium & ſententiam ipſius Lutheri exquirebant, reprehendere & deſiderare tunc meritò potuiſſet, ſibique à contentione & pugna diſcedendum non eſſe, ſed ad polemica ſua ſcripta (ſicut hodie Vbiquiſtæ faciendum eſſe cenſent) revertendum omnino exiſtimâſſet, quin hoc abſque dubio pro ſua φιλονεικίᾳ facturus fuiſſet? At cùm ſibi abundè ab Helvetiis ſatisfactum, neque ſe bonâ conſcientiâ ad priorem pugnam ampliùs redire poſſe intelligeret, talem ſe in hac reſponſoria ſua Concordiæ Epiſtola præbet Lutherus, ut ſi hæc cum prioribus Polemicis ejus ſcriptis conferatur, totus repente mutatus, nec qualis antea fuerat, ſed etiam planè alius, hoc eſt, ad contradicendum & pugnandum prorſus elinguis & excors factus fuiſſe videatur.*

Lutherus non semper sibi similis fuit. Ergo in eo probādus est spiritus.

Primò,

Causæ impedientes concordiam.

Primò *autem agit gratias Deo, quòd sublatis è medio omni pristinâ animorum acerbitate, & suspicionibus, serio de sancienda concordia cogitent & solicite sint Helvetii. Cessabant igitur etiam tunc pravæ ipsius Lutheri suspiciones, de nudis & vacuis signis, aliaque complures ejusmodi, quibus solis antea ab eo pugnatum fuit. Cur verò tales nunc animos in Germaniæ Principibus, ad redintegrandam denuò in hac pia consensione pacem & concordiam non excitant Vbiquistæ? Nimirum, quia tales sunt, quales in ista concordiæ Epistola eos esse dicit Lutherus.*

Secundò, *Satis fatetur Lutherus, Etsi nihil ampliùs in ipsa re difficultatis supersit, ad stabiliendam utrinque desideratam Concordiam: tamen partim ex humana fragilitate, quæ ad dissentiendum proclivis, & offensionum tenax est, nec facilè earum obliviscitur, partim etiam propter hostes Concordiæ, quibus hæc suspecta & ingrata futura sit, non posse fieri, ut tam citò sanetur hoc tam magnum vulnus, & coalescat ista cicatrix. Verùm si utrinque seriò in hoc Concordiæ negotium incumbatur, non esse dubitandum fore, ut per gratiam Dei etiam apud alios hoc malum tandem penitus conticescat. Sensit autem Lutherus de Amsdorffio, & aliis, qui, ut Philippus in suis Epistolis ad Amicos conqueritur, multa statim tragicè contra hanc concordiam declamitare cœpit.*

Hodiè fuisset fideliter servatã, nulla nunc superesset contentio

Tertiò, *Rogat, & ex animo cupit Lutherus, ut utrinque in posterum ab omni prorsus contentione discedatur, & abstineatur, quod & se cum suis facturum, concordiamque servaturum esse, sanctè pollicetur. Hoc verò si tunc judicio ipsius Lutheri, hujus infelicis controversiæ Sacramentariæ Antesignani, visum est esse pium, salutare, & necessarium: quærendum esset, & ratio reddẽda ab Vbiquistis, cur hoc tempore id faciendum negent, præsertim cùm illud sic fieri debere, aliquoties placuerit, & convenerit inter viros Principes?*

Heidelberg. anno 70.

Quartò, *Ipsa rei experientia convictus Lutherus, fatetur, satis, superq; satis hactenus fuisse pugnatum, & dimicatum, si modo per hoc effici quicquam potuisset: verùm rem ipsam testari, hanc dissensionem neq; sibi, neque cuiquam profuisse, sed multis graviter nocuisse, adeò quidem, ut nihil prorsus ex ea boni sperari potuerit, & ne nunc quidem possit. Rogat itaq; submisse, ut hoc à se verè dici, & concordiam seriò & ex animo quæri & amari, seque omnia, quæ ad promovendam eam quoquo modo pertinere possint, sedulò pro sua facultate facturum esse, credatur. Quod si verò tunc, cùm hæc ita scriberet, quæsitus fuisset Lutherus, si tale judicium de ea, quæ ipsi cum adversariis suis, super Vbiquitate & corporali præsentia corporis Christi in pane fuit, dissensione & contentione ferret: quid igitur de Polemicis suis scriptis sentiri vellet? An in Ecclesia pro perpetua doctrinæ norma, ex qua oppugnandi, & pro hæreticis anathematisandi essent illi, cum quibus se concordiam facturum, & pacem inviolabiliter servaturum, tam seriò & sanctè polliceretur, habenda esse putaret, & vellet? Certè, nisi Deum & homines ista sua animi obtestatione fallere voluit Lutherus, non potest ex boni & sinceri viri animo aliter verè affectus fuisse videri, quàm quod Polemica illa sua scripta, unà cum infelici controversia, in qua nihil boni & utilis fuisse, sed quàm multis nocuisse, non invitus fatetur, penitus in posterum abrogata esse debere, senserit & voluerit. Et quo spiritu igitur nunc rursus in Ecclesiam pro perpetua doctrina norma, invehuntur? & Orthodoxis Synodis non conferuntur tantùm, sed & præferuntur? Mirum est autem, hæc à Germaniæ Principibus non considerari, quò tendant, & quale judicium de his rebus latura sit posteritas. Sanè non habent, quod meliùs hinc sperent, quàm quod ipsemet Lutherus vaticinatus est:* Nisi *videlicet* concordia constanter servetur, fore, ut posteriora longè sint deteriora prioribus: *quod in hac crebra sententiarum mutatione & varietate, & tristissima Ecclesiarum servitute, jam, proh dolor! eventus satis evidenter confirmat.*

Cogitatio occasio orationis cum Carolostadio Ibena

Ad Polemica scripta Lutheri.

1537.

Vaticinium Lutheri contra infractores Concordiæ.

Quintò, *Ad ipsam Helvetiorum Confessionem, ejusque declarationem quod attinet, Primum Articulum de Ministerio Verbi simpliciter probat Lutherus, unde etiam necessariò plures alios articulos inde dependentes, conciliatos esse oportuit. Si quid tamen supersit, quod fortè utrinque nondum penitus sit intellectum & explicatum, hoc Bucero & Capitoni committit, quorum fidem & diligentiam in hoc concordiæ negotio commendat, & sibi perspectam esse testatur.*

Bucerus & Capito Mediatores concordiæ.

Articulum de Sacramentis in genere silentio & tacitâ approbatione præterit Lutherus, & eodem modo Articulum de Baptismo in Helvetiorum Confessione laudat. Quoniam autem rectè negat, Baptismum esse nudum & inane signum, seu symbolum: cur non idem quoque de Eucharistia erit sentiendum, nudum videlicet, & inane seu vacuum signum non esse, quamvis corpus & sanguis Christi realiter & corporali præsentiâ in pane & vino non existant, sicut nec in aqua Baptismi existunt.

Sextò, *Circa tertium articulum, de Sacramento corporis & sanguinis Christi, cõstat, quàm planè Lutherus fundamentorum suorum, quibus antea pro Vbiquitate & corporali præsentiâ tantopere pugnâsset, sit immemor. Nihil is tunc de personalis unionis nova sua, & recenter ab ipso primùm in contentione excogitata explicatione, & reali Idiomatũ in naturis communica-*

1537. *tione, de quibus omnibus magis quàm piscis mutus. Nempe quia iam olim in his rebus errorem versari, seq́, errâsse agnoverat: & quod iam antè tunc errorem esse non invitus agnovit, in contentione postea sola vincendi cupiditate verum fateri non potuit. Vidit autem & intellexit, sibi plùs satis ab Helvetiis esse satisfactum, nec dubitare potuit, Bucerum & Capitonem, cum totius ferè Suevia Ecclesiarum Ministris, à partibus ipsorum stare. Itaq́, confeßionem eorum, pro Sacramentario errore, de nudis & vacuis signis, contra quem adeò vehementer pugnâsset, non posse ampliùs criminari. Proinde satius esse putavit, pro sancienda Concordia, tacitè hac à se approbari, quibus expreße contradicere, verè & cum bona conscientia non posset. Per quod dubitari inter viros bonos non potuit, quin Articulus iste de Sacramento, in Marpurgensi colloquio reservatus & suspensus, in hoc Concordia tractatu fuerit compositus & conciliatus.*

Hoc hodie ab Vbiquistis tyrannicè exigitur.

Quoniam verò pro excusanda Ecclesiarum suarum sententia, ad veram corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentiam, nullum è cælis descensum, sive visibilem, sive invisibilem, necessarium eße statuit: neq́, tamen propter Vbiquitatem jam antea in pane & vino corpus & sanguinem Christi reali præsentiâ contineri sensit, (Hoc enim si sensisset, Helvetiorum Confeßioni, qui hanc Vbiquitatem apertè negabant, assentiri non potuisset) manifestißimè hinc infertur, non voluisse tunc in hac responsoria sua Concordia Epistola Lutherum, pro certo articulo fidei, & vero Augustana Confeßionis, adeoq́, Witebergensis *Concordia sensu & intellectu, necessario credi oportere & debere, corporalem in pane & vino corporis & sanguinis Christi præsentiam, sed tantùm soli omnipotentiæ divinæ commendandum esse, quomodo Christus, in vero & legitimo sacra sua Cœna usu, corpus & sanguinem suum nobis poßit communicare quod etiam fieri queat absque ullo ascensu vel descensu, atque sic etiam sine ulla corporalis præsentia neceßitate. Et hac quidem sic Lutherus, post Articulos Smalcaldicos, quos non ausus fuit Helvetiorum declarationi, sicut hodie fit, opponere.*

In hoc omnes consentiunt hodie.

Quo loco notandum est: Cùm Helvetii, Christum in cælum corpore suo ascendiße, nec inde rursum descendere, ad excludendam corporalem ipsius in pane præsentiam, adduxissent, quod nihil ad hoc in contrarium Lutherus respondere, sed hoc modo Ecclesias tantùm suas excusare voluit.

Quod autem simpliciter se suosq́ue in verbis Christi. Hoc est corpus meum: *acquiescere dicit, ex eo apparet, quòd tunc unicum suum fundamentum in verbis institutionis collocatum esse voluerit, desertis & repudiatis reliquis fundamentis, pro Vbiquitate, quæ nunc ab Vbiquistis denuò sunt refricata.*

Septimò, *Vult & rogat Lutherus, Etsi fortè nondum omnia utrinq́, rectè sint percepta, amicos tamen esse debere, & concordes, prorsusque ab omni sinistra suspicione, ex utraq́, parte, alienos animos, ut Spiritui sancto locus detur, donec in universum turbida ista aqua penitus subsidat. Committit autem denuò omnem ulteriorem explicationem Bucero & Capitoni, quos tamen non ignorabat, nec ignorare poterat, cum Helvetiorum Confeßione & explicatione quam ipsi obtulissent, consentire. Quòd si itaq́, tunc aliter sensit, & ipsos etiam Helvetios aliter, quàm à Bucero & Capitone* Witebergensis *Concordia articulos intelligi & explicari audirent, sentire voluit Lutherus, nemo ipsum in æternum à mala fide, & insidioso fallendi proposito excusabit. Cur enim quæso, si in posterum adhuc aliqua ab ipso metuenda esset Helvetiis dissensio, eorumq́, sententia ex Augustana confeßione improbatio, de judicio suo super ipsorum confeßione quæsitus, adeò nihil in ea reprehendit & desiderat? Cur non eandem ipsius cum iis sententiam esse disertè negat? Cur ad peculiarem suam de persona Christi doctrinam tunc non confugit? Ejusque approbationem ante omnia ab Helvetiis exegit, præsertim cùm intelligeret, ipsos sentire, veritatem humanæ naturæ in Christo per corporalem in pane præsentiam negari? Cur concordiam & amicitiam sibi sub hac conditione, si nihil in Helvetiorum sententia reprehendere posset, sed cum sua consentientem esse judicaret, oblatam, sine ulla contradictione acceptavit, eamque vicißim sanctè repromisit? Cur uberiorem sententiæ suæ explicationem ex Capitone & Bucero, quibuscum totus consentire videri volebat, Helvetios cognoscere voluit? Cur denique priorem dissensionem, quam cum Helvetiis habuit, tantopere improbavit, ut omnem in posterum contentionem utrinque sublatam, & rerum omnium amnistiam esse, cupidißimè vellet? quæ certè talia sunt, ut nullus iis ampliùs in Luthero metuendus fuerit hostis.*

Nota, Lutherus ... Helvetiorum Confeßione nihil mali de illis suspicatus fuit.

An his majora commisit Philippus?

Octavò, *Vt tantò magis abundè testetur Lutherus, nihil in ipsa re supereße, quod desideratam Concordiam ampliùs impedire poßit, sed tantùm obstare malorum hominum, & hostium ipsius concordiæ malignitatem, dicit se ad amicabilem hanc Concordiam perficiendam, ex sua parte omnem offensionem libenter ex animo depositurum, & Helvetios in posterum ex intimo corde verâ & sincerâ dilectione prosequuturum esse. Quod cùm ita promitteret, sibiq́, hac sanctè obtestanti sic credi omnino vellet & cuperet Lutherus, libet ex Vbiquistis quærere & sciscitari, An tunc Helvetios etiam pro canibus, porcis, asinis, hæreticis, & execrandis Suermeris haberet, ut antè? &, An à Lutheranis suo nomine & authoritate sic fieri vellet? Certè si hoc Helvetiorum*

Nota, ad quid se obligarit Lutherus.

Idem fecit Waldensibus.

1538.

vetiorum Confessio & doctrina de controversis articulis non merebatur, sed potiùs pro dilectis amicis & fratribus, cum quibus nulla sibi ampliùs animi offensio intercederet, habendos esse indicavit, quo spiritu nunc ex anterioribus ipsius Polemicis (quos tamen nec sibi nec aliis profuisse fatetur) ad ineluibilem inconstantiæ & perfidiæ maculam ipsi Luthero inurendam, argumenta & indicia contra Helvetios, eorumq; socios, proferuntur, eaq; cum non exigua Augustanæ Confessionis Ordinum nota sub ipsorum nomine & authoritate canonisantur.

Hoc confiderate Principes.

Nonò. De Excommunicatione & clavibus dicit Lutherus, se nescire, nec recordari, an ipsi unquam cũ Helvetiis fuerit aliqua controversia. Existimare se autem, hac omnia rectiùs apud ipsos, quàm suos habere. Hinc verò quid aliud intelligi voluit Lutherus, quàm omnes omnino controversias, quæ antea inter ipsum & Helvetios fuerunt, hac suâ Concordiæ Epistolâ sopitas, conciliatas, compositas, & æterno silentio abrogatas esse debere? Hoc autem cùm ita se habere negari non possit, quorum quæso sententia tunc ampliùs in priore Augustana Confessione improbari debuit? Nisi fortè Pontificiorum tantùm. Eorum enim respectu, quos primò tangebat articulus, ex hac Concordiæ actione omnino omittenda fuit improbatio: præsertim cùm Lutherus Bucero testatus esset, sibi Basiliensem Helvetiorum Confessionem non improbari.

Postremò ardenter precatur Lutherus à Patre misericordiarum & consolationis, ut Spiritu sancto suo animos utrinq; in Christiana dilectione, ejecto penitus omni humanarum suspicionũ, & diabolicæ malitiæ, atq; diffidentiæ fermento, agglutinare velit. Quod cùm ita verè Christianâ ingenuitate facit Lutherus, causam discordiæ & contentionum non tam in ipsâmet re, de qua controversia fuit, quàm in pravis suspicionibus, & diabolica malitia ponit, à qua ne seipsum quidem immunem fuisse, audet profiteri.

Hoc attentior oportebat esse Ubiquistas.

ANNUS M.D.XXXVIII.

HOC anno celebris Conventus Mense Aprili Politicorum & Theologorum Urbium Helveticarum Evangelici nominis, Tiguri fuit, ut consilium caperetur, quid ad Lutheri novissimas literas 1. Decemb. anni 37. datas, respondendum foret. In primo congressu Basiliensium Legati referebant, secum advenisse Argentinensium Theologos, Capitonem & Bucerum, à Basiliensi Magistratu vocatos: utile enim ac necessariũ visum ipsi; huic deliberationi eos interesse: præsertim, cùm Lutherus ipse hos suæ mentis interpretes, si quæ ambiguitas vel dubitatio incideret, non obscurè constituerit. Basiliensibus auditis, & rogatis sententiis, Argentinensium Theologi ad consilium admissi sunt. Tum illi initio sese purgârunt, quòd non suâ sponte hactenus ad consilium admissi sunt. Tum illi initio sese purgârunt, quòd non suâ sponte hactenus de Concordiæ negotia tractârint: sed impulsu Landgravii, Magistratus sui & aliorum: quodq; Dei gloriam & Ecclesiarum pacem unicè spectârint, neque aliam ob causam à suis missi sint, quàm ut de singulis quæ egerint, petentibus, rationem reddant: Item, ut suspiciones, si quæ obortæ sint amoveant. Hac sermone finito, Legatis placuit ad deliberationem ipsam transire, ob quam hic Conventus potissimum indictus sit. Bucerus autem rursus sermonem exorsus, dicit, se compertum habere, multos suspicari, Lutherum crassam quãdam & ferè Pontificiam de Sacramento corporis & sanguinis Christi sententiam amplecti atque fovere, petit igitur, sibi ante omnia liceat mentem ac sententiam Lutheri declarare, ut omnis prava suspicio tollatur. Tigurina autem Ecclesiæ Ministri solidam concordiam expetentes, & omnem fucum, dolum, ambiguitatem ac flexibilitatem aversantes, in ea toti fuerunt, ut Lutheri animum ex Capitone & Bucero penitiùs cognoscerent. Prolixâ igitur narratione ex Lutheri libris, quos scripsit contra Cœlestes Prophetas, contra Suermeros, ad Francofurtenses, de Adoratione Sacramenti, & ex Confessione ejus majore, quæ ejus sententia & doctrina de Cœna Domini sit, demonstrare voluerunt: Cumprimis verò, quòd in Confessione majore aliquoties Nicolaum Pontificem Rom. propter Confessionem Berengario præscriptam, quasi re præclarè gesta, laudet, & reliquis Pontificibus omnibus longè præponat; sed & Glossatarem reprehendat, non probantem hanc Pontificis Rom. sententiam, quòd prematur ac dentibus atteratur ipsum verum ac reale corpus Christi. Quòd etiam cum Sophistis contra Canonistas defendat, in verbis Domini, HOC EST CORPUS MEUM, nullum Tropum, nullamque figuratam locutionem admittendam. Indicârunt etiam, Pontificios decimum articulum Augustanæ Confessionis approbâsse: qui tamen quatuor Civitatum Confessionem & sententiam de Cœna in iisdem Comitiis Augustæ habitis anno 30. damnârint. Adhac in Apologia Augustanæ Confessionis, approbari Canonem Missæ, in quo orat Sacerdos, Ut pane mutato ipsum corpus Christi fiat: Citari ibidem Bulgarii dictum, Panem non tantùm figuram esse, sed VERE in carnem mutari: Dici etiam, Se tenere Romanæ Ecclesiæ sententiam: Item: Defendere se receptam in tota Ecclesia sententiam. Et, Quòd in Cœna Domini verè ac substantialiter adsit corpus & sanguis Christi. Hanc autem hodiernæ Romanæ Ecclesiæ sententiam pugnare cum ea, quam ipse Bucerus cum aliis in Bernen-

Conventus Tiguri habitus de responso dando Luthero Acta primi diei.

Tigurinorum sententia de Lutheri doctrina

1538. si disputatione defenderit, quaque in Basiliensi Confessione ab omnibus etiam approbata sit. Praterea Lutherum crasse nimis de prasentia Christi corporis scripsisse in Confessione majore, ubi dicat, Christum se pani affixisse; atque à nobis dici velit, Hîc te habeo, &c. Quinetiam minùs cautè de corpore Christi loquutum Lutherum esse: quasi corpus Christi in omnibus locis præsens sit, ubi ipsa Deitas sit. Quod quidem verum sit secundùm unitatem personæ & Idiomatum communicationem, non autem secundùm veritatem naturæ humanæ, in quo totius rei cardo vertatur. Cùm itaque hac Lutheri sententia omnibus nota sit ex scriptis ejus, quæ omnium manibus versentur, eaque non parum Pontificiorum doctrinæ patrocinari videatur, cùm verba sint rotunda, clara & perspicua, se nec velle nec posse eam approbare, nisi intelligant priùs, Lutherum hanc suam doctrinam & sententiam mutâsse & veritati cessisse: neque etiam se, sine hac exceptione, in ullam responsi formulam consentire velle.

Buceri objectiones.

Bucerus Tigurinorum mentem ac sententiam ignorans, de Lutheri doctrina cognoscenda hac ipsorum protestatione vehementer commotus, longè meliora se ab iis expectâsse inquit, quàm nunc reipsa experiatur. Librorum & scriptorum Lutheri iam diu omnibus fuisse copiam: si hoc animo fuerint, cur non pridem sese declarârint, ac Principes, Magistratus & Ecclesias multis laboribus, molestiis & sumptibus liberârint? Multa se multis de Concordia promisisse, ac studiũ Helveticarum Ecclesiarum in ea promovenda commendâsse: nunc, quando negotium confici debeat, vetera odiosè renovari, & sic causam totam suspendi & ad nihilum redigi. Ascendisse Tigurum anno 33 Bartholomao Veneto comite, ut probaret Tigurinis, nullam Lutherum prasentiam Christi in Sacramento docere, qua cum articulis fidei pugnet: tunc ea dici oportuisse, quæ nunc demum obiiciantur ab ipsis. Constantia Conventum egisse octo Suevicarum Ecclesiarum Ministros anno 34. eò, se authore, Tigurinos quoque vocatos fuisse: debuisse tunc eos in medium proferre, quod iam faciant: sed eò ne venisse quidem illos. Argentinâ se crebrò ad Tigurinos dedisse literas. Basilea habitam fuisse Synodum anno 36. ubi hoc ipsum, quod nunc fiat, expediri potuerit. Eodem anno instante Autumno, aliam Synodum Basilea coactam: orâsse se tunc temporis omnes, quoniam rectà à Luthero veniat, ut singula, qua in dubio sint, accuratè diligenterque examinentur ac disceptentur. Solidam enim ac firmã pacem & concordiam constituendam esse Eo verò tempore nulli non placuisse, qua de Luthero dicerentur, & Deo omnes egisse gratias. Iniquè controversiam Zuinglii & Lutheri de duabus in Christo naturis renovari: cùm iampridem Marpurgi composita ac dirempta sit. Multos stare Principes & Civitates à Lutheri partibus, à quibus omnibus dissidere necesse sit, quotquot hanc Concordiam inire recusent.

Tigurinorum responsio.

Tigurini ad hac Buceri objecta responderunt, Se quidem Concordia cupidissimos esse, & nihil magis optare, quàm ut cum Luthero & Saxonicis Ecclesiis pacem colere possint: sed tamen si quis Principibus aut Civitatibus spem alicuius Concordia fecerit, se quidem id ignorare, nec id suo iussu à quoquam factum esse. Verba Buceri non obscurè innuere, ac si iussu & hortatu Tigurinorum Argentinensium Ministri aliquibus offerre debuerint Concordiam Sacramentariam: dixisse enim Bucerum, se cum suis hoc labore, hisque molestiis carere potuisse. Id autem verum nõ esse: sed rem sic sese habere. Sub finem Ianuarii anni 36. cùm Basilea Conventui dictus esset dies, ut Helveticarum Ecclesiarum Ministri Confessionis formulam conciperent, Capitonem & Bucerum suâ sponte Argentinâ eò venisse etiam, & amicè operam suam Conventui obtulisse, ut Concordia inter Lutherũ & superioris Germania Civitates iniri possit: Lutherum enim æquiorem & faciliorem sese iam præbere, quàm superiori tempore fecerit: & ad multam senectutem cùm venerit, omnino ipsum, priusquam ex hac vita decedat, conciliationem Ecclesiarum expetere. Argentinenses igitur primùm Concordiam Helveticis Ecclesiis obtulisse, & sponte intercessorum sibi sumpsisse partes. Paulò pòst mense Maio, quosdam legatorum ex Conventu, Aravia coacto, Capitoni & Bucero scripsisse, cùm Helveticis Civitatibus non sit integrum, Theologos suos ad Isenacensem Synodum mittere, se nihilominus Confessionem suam Luthero missuros. Hoc sanè, non alio modo Concordia negotium initio oblatum esse. Nemini ergo sese ullam unquam molestiam vel laborem creâsse, neq; etiam Argentinensium Ministros eò adduxisse loci, in quo nunc ipsos deserant: præsertim cùm dicta Civitates semper apertis verbis professa sint, se à Confessione sua ne latum quidem unguem discessuras. Scire se quidem, Bucerum cum Bartholomao Veneto Tigurum venisse, & multa praclara de Luthero pollicitum esse: sed contra etiam Bucerum fugere non posse, respondisse ipsos, Lutherũ recens ad Francofurtenses misisse epistolã, ex qua non dubiâ coniecturâ iudicari possit, quo sit animo: sese autem constanter Confessionis sua doctrinã retenturos esse, donec ex Verbo Dei meliora edocti fuerint. Atque hac omnia sese tam expressis verbis ipsis tunc significâsse, ut nulla iusta de causa hanc iam querimoniã adversùs se habeat. Cõstantiam venire sibi per sua Ecclesia negotia, & incommodã valetudinem, quâ nõnulli tunc uterentur, non fuisse integrum: literas tamẽ ibi suas

fuisse

fuisse præstò, quibus disertè sententiam suam de Sacramento, in qua velint deinceps permanere, declarârint, & qua lege cum Luthero Concordiam inire constituerint. Basilea, ubi Confessionis formula concepta sit, non necesse fuisse Lutheri verba adducere: nam ipsa Confessione satis indicatum esse, quam doctrinam & sententiam de Cœna Domini sequantur, & deinceps etiam sequi velint. Quod si Lutherus cum suis, hanc sententiam approbet, Concordiam factam esse. Post hac VVitenbergâ Bucerum secum attulisse Concordiæ articulos quosdam, quibus ut subscriberent, rogârit: ipsos verò tum quidem, sicut etiam in alio Conventu respondisse, se quidem id non recusaturos, si modo Lutherus Buceri declarationem articulorum istorum sit approbaturus. Egisse se quoque Deo gratias pro mutata Lutheri mente, juxta Buceri explicationem. Denique Confessionis declarationem ad Lutherum Smalcaldiam missam esse, in qua denuò luculenter comprehensum sit, in quo acquiescere constituerint. In hac sententia se adhuc esse, nec quicquam novi & obscuri recipere & approbare velle.

Acta secundi diei qui Aprilis 30. erat. Buceri protestatio.

Sequenti die Bucerus graviter testatur, nihil se moliri, quod sacræ Scripturæ contrarium vel à Confessione Basileæ concepta, aut à Disputatione Bernensi alienum esset. Præterea nemini se conari verborum ambiguitate vel obscuritate fucum facere: sed eò solùm respicere, ut, si constiterit, quid verè de Sacramento sentiendum ac docendum sit, idipsum claris, perspicuis & Scripturæ consentaneis verbis exprimatur & populo proponatur. Atque in hæc verba prorumpit: Maledictus esto, qui ex luce quenquam in tenebras deducit: Nunquam ego committam, Deo iuvante, ut hoc crimine condemnari possim. *Hinc multis disserere cœpit de scriptis & libris Lutheri & Zuinglij: Sæpe usu venire dixit, ut qui unius ejusdemque sint sententiæ, & ad verum rectùmque respiciant, in verbis dissentiant. Pro confirmatione rei, exemplum Pauli & Barnabæ adduxit, quorum uterque bonam sententiam tenuerit, nihilominus eos inter se dissensisse. Alterum enim de altero suspicatum esse, ceu hic nimiùm Iohanni Marco se rigidum, & contrà, alter nimiùm se facilem, cognationis carnalis causâ, præberet. Et ob hanc causam adeò ab invicem ambos fuisse abalienatos, ut in diversa uterque abierint loca; tandem verò rursus in gratiam rediisse. Similiter Lutherum & Zuinglium gloriam Dei tantùm quæsisse. Nec recusare sese vitæ periculum subire, nisi de verbis tantùm, non de re ipsa, controversia inter ipsos fuerit. Vtrumque ad veritatem collimâsse. Agnovisse ambos Christi in Cœna præsentiam; intervenisse autem verborum pugnam, & ignorantiam, quâ factum sit, ut neuter alterius mentem ac sententiam assequutus sit. Lutherum simpliciter Zuinglii scripta ac dicta eo sensu accepisse, ac si nihil præter panem & vinum in Cœna percipi statuat: quum Zuinglii hæc sententia non fuerit, sed semper docuerit, ampliùs quid requiri, quàm nuda panis & vini signa, imò Cœnam non esse Cœnam, nisi Christus verè in ea præsens sit. Zuinglium suspicatum esse de Luthero, quòd panem crasso & carnali modo corpus Christi esse doceat, & pani corpus alliget vel includat: Contrà verò Lutherum docuisse & adhuc docere, corpus Christi in cœlis ad dexteram Patris esse, ideoque fieri non posse, ut panis ipsum verum corpus Christi sit. Quòd si quis utramq; sententiam diligenter inter se conferat & perpendat, facilè utramque conciliari posse: Nempe, in Cœna Dominica non solum panem & vinum dari & percipi, sed verum corpus, ac verum sanguinem Christi: sic tamen, ut corpus Domini nihilominus in cœlis maneat, non in ventris cibum corruptibilem convertatur, nec cum pane & vino naturaliter copuletur, aut localiter pani includatur, vel corruptibilibus symbolis substantialiter misceatur & affigatur: & sola fides cœlestia hæc munera & cibum ex verbis Domini agnoscat, percipiat ac sentiat. Cùm itaq; res sic sese omninò habeat, æquum esse, ut Concordiam amplectantur, omnemq; de Luthero & symmistis ejus pravam & sinistram suspicionem abjiciant. Ac licèt in administratione Cœnæ his satis duris & crassis verbis utantur,* Ego tibi porrigo, tu accipis manu tua & ore corpus & sanguinem Christi: *iis tamen nihil aliud intelligere, quàm quod veteres Patres quoque suis illis hyperbolicis loquutionibus & amplificationibus intellexerint. Nullũ igitur dolum & periculum hic subesse: Lutherum quidem duriore & vehementiore interdum in hac controversia usum esse stilo, quod ipsemet quoque sæpe fassus sit: verùm ejusdem peccati ream quoque alteram partem esse. Adhæc nullâ ratione niti argumentum hoc: Papa sic sentit, ergo alii sic non sentiant. Ad id potiùs respiciendum, quòd verè Lutherus non tam crassè, ut verba ejus sonant, de Sacramento Cœnæ sentiat; sed quòd cum aliis Ecclesiis, quæ & ipsa Christum & Evangelium eius profitentur, credat, in Cœna corpus & sanguinem Christi percipi, licèt Papa quoque sic loquatur: non enim ignorari, aliam esse Papæ sententiam, quam & repudiare liceat & oppugnare.*

Bucerus ostendit, inter Lutherum & Zuinglium certamen in verbis tãtùm, non in re fuisse.

Lutherus & Zuinglius in doctrina conciliantur.

Tigurini respondẽt Bucero.

Tigurinorum Ministri ad hæc testabantur, nihil se contra sacræ Scripturæ veritatem recepturos, & si quid Verbo Dei contrarium docuerint, ex eadem admonitos, veritati locum dare & cedere paratos esse. Velle se prorsus in Confessione Basiliensi, & Disputatione Bernensi acquiescere. Quod autem ad Lutheri & Zuinglii libros attineat, nec non controversiam & declarationem, à Bucero prolixè jam expositam, jam antea

1538.

1538. antea quoque se ex Bucero intellexisse, quo loco controversiam hanc habeat, quid de ea statuat, & quomodo verba Lutheri exponat ac declaret. Tunc autem declaratione opus esse, cùm verba & verborum sensus obscura sint. Suprà verò citata Lutheri loca & verba satis aperta, perspicua & clara esse: unde ipsemet eum, qui ejus verba explicare velit, non uno loco reiiciat & reprehendat, eò quòd sint rotunda & perspicua. Hactenus Lutherum nunquam concessisse, quòd altera pars alterius mentem & sententiam assequi non potuerit. Ipsum omnino statuisse, si deinceps aliter loquatur, quàm hactenus, id non se, sed Diabolum loquutum esse. Iure ab omnibus omnino hominibus summa dementia eum argui, qui non solidis & perspicuis verbis, sed explicationi, non quidem eius, cuius sunt verba, sed alterius, cuius non sunt, fidem habeat. Ac licèt Lutherus in novissimis suis literis Capitonem & Bucerum, tanquam sententia sua interpretes idoneos constituerit, vereri tamen sese, ne eos pòst nimia liberalitatis & facilitatis accuset, & Concordiam, juxta hanc ipsorum declarationem initam, non approbet: hoc autem modo neque Luthero, neque ipsis, neque sibi suisq; Ecclesiis consultum fore. Statuisse igitur sese, in hujus Concordia tractatione, deposita omni ambiguitate, fuco & dolo, vel apertè, candidè & syncerè agere, vel rem prorsus intactam relinquere.

Legati intercedũt.

Legati tandem, nimiùm à rei cardine digressum, tati, interloquuntur, utilissimum sibi videri ac maximè necessarium, ea in consultationem vocare, qua ad Responsum Luthero mittendum pertineant, cujus rei causa potissimùm convenerint: catera in medio relinquenda esse.

Tigurini & Argẽtinenses conferũt de verbis Cana, an nimirum Tropus in in illis admittendus sit. Bucerus qualem Synecdochen in verbis Cana probet.

Argentinensium igitur & Tigurinorum Ministri inter se conferre cœperunt de verbis Christi, Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur, An nimirum figura & Tropus in illis admittendus sit, vel non? Vbi utrinque ratum habebatur, tropica esse verba, eaque non simpliciter secundùm literam accipienda: Quisnam tropus, aut qua figura ea sit porrò quarebatur? Inter alia Bucerus inquit, aut Metaphoram, aut Synecdochen esse. Quoniã verò in Bernensi Disputatione Synecdoche rejecta & improbata erat, in qua Bucerus antea protestatus erat se permanere, nec quicquam ab ea diversum docere velle; Synecdochen hanc non aliter se intelligere aiebat, quàm ut in Basiliensi Confessione ejusque Declaratione exposita sit: Vbi hac verba inter alia leguntur: Verbum, HOC, in hac sententia, Hoc est corpus meum, non tantùm demonstrat oculis corporalibus panem, sed oculis simul animi ipsum corpus Christi.

De Sacramentali unione.

Post hac quarebatur, Cùm panis non ipsum sit Christi corpus, & proinde duo in Sacramento distincta maneant, videlicet panis & vinum, deinde corpus & sanguis Christi, sic quidem, ut illa corporaliter oculis videantur, & manibus attrectẽtur, hac verò solâ fide percipiantur, quanam unio Sacramentalis illa sit? In omni unione enim, requiri necessariò vinculum, quo dua vel plura colligentur. Quodnam igitur vinculum hic detur? Ad qua Bucerus apertè respondit: Vinculum iungens, est significatio ex instituto & pacto Dei. Vnio ergo ex parte Dei est institutio & promissio Dei, ex parte hominis fides. Ita duo esse in Verbo Dei consideranda, verbum ipsum & rem significatam per verbum: illa verò non aliter conjungi, quàm per significationem. Atque adeò idem esse vinculum eandem unionem Sacramentorum & verborum. Cumque id, quod Verbum annuntiat, non corporaliter cum Verbo conjunctum sit, sed tantùm annuntiatur; nec Verbum idipsum sit quod annuntiat, unanimi consensu ab utraque parte concludebatur, eandem omnino quoque Sacramentorum rationem esse: Signa non idipsum esse quod significent, atq; res significatas impermixtas in essentia sua propria permanere.

De essentia corporis Christi post glorificationem.

De essentia autem corporis & sanguinis Christi dicebatur, corpus nimirum & sanguinem Christi verum & humanum corpus etiam post ascensionem & glarificationem permansisse, quòd non ubique eodem tempore, sed uno & certo loco sit; attestantibus hoc sacrâ Scripturâ, Bernensi Disputatione, & Augustino ad Dardanum de prasentia Dei. Ex his Ecclesia Tigurina Ministri inferebant: Ergo corpus Christi in cœlis est, nec corporaliter, neque visibiliter, neque invisibiliter in terris ac singulis hostiolis esse potest.

Corpus Christi quomodo sit in cœlis & Cœna.

Ad hac Bucerus dicebat, se nihil horum impugnare: attamen offendi multos hoc incommodo sermonis genere, si dicatur, Christum non esse in Cœna: Inde enim omnino sequi, solum panem ac vinum fideles in sacra Cœna edere & bibere. Quare tutius esse cum sacra Scriptura loqui, Fideles corporis & sanguinis Christi in Cœna fieri participes, sic enim Paulum loqui 1. Cor. 10. & Christum ipsum panem corpus & vinum sanguinem suum appellâsse. Contrà verò Tigurini aiebant, constare jam inter ipsos, corpus Christi verum esse corpus: in certo igitur loco etiã esse, videlicet in cœlis, juxta Fidei Christiana articulos. Citabantur etiam hic verba Buceri, quibus in explicatione Evangelistarum & in Bernensi disputatione usus erat. Iis recitatis porrò contendebatur, Christum, cùm ejus corpus pluribus in locis simul existere non possit, corporaliter in cœlis esse, nequaquam verò in terris. Simul tamen profitebantur Tigurini, Christum in Cœna fidelium esse spiritualiter, efficaciter & vivificè. Rogabant etiam Bucerum, ut succincto scripto sibi ea consignata post meridiem traderet,

qua

quæ hactenus inter ipsos transacta essent: videlicet, Jn verbis Christi, Hoc est corpus meum, Tropum admittendum esse: Vnionem Sacramentalem in significatione totam consistere: Corpus Christi illæsâ essentiâ ad dexteram Patris sedere: & spiritualiter in Cœna adesse.

Acta eiusdem diei à meridie.

Post meridiem cùm rursus conuenissent, petierunt à Bucero Tigurini dictorum articulorum breuem consignationem. Respondit ille, sibi non tantùm otij fuisse, vt potuerit hoc præstare: & si omnino consignandi à se sint illi articuli: id se non nudè ac simpliciter, vt ipsi fieri postulent, facturum. Tigurini nihil hîc insidiosè quicquam se ab ipso postulâsse dicebant: nec opus esse prolixo aliquo scripto, sed succinctâ tantùm consignatione capitum, de quibus ante meridiem colloquuti sint, vt intelligatur, in quibus Argentinenses & Tigurini consentiant, vel non: & vt id deinceps præstet, orabant.

De Omnipotentia Dei.

Post hæc colloqui cœperunt de Omnipotentia Dei, & quæsitum est, Sit-ne præsentia Christi in Cœna miraculosa? Scripsisse enim Lutherum in vltimis suis literis, Quâ ratione & modo corpus & sanguis Domini in Cœna nobis offeratur, cùm videlicet iuxta illius Verbum conuenitur & ipsius celebratur institutio, diuinæ Omnipotentiæ commendandum & relinquendum. *Tigurini nullum hîc miraculo locum dandum esse censebant, cùm sciamus, qua ratione Christus Cœnæ suæ adsit, nimirum Spiritu viuificante, spiritualiter & efficaciter. Bucerus contrà, modum præsentiæ verbis haudquaquam exprimi posse, dicebat, tametsi enim Fidei articulus Christum in cœlis collocet, rationem tamen humanam fugere, quid vel vbi cœlum sit: de his subtilitatibus non absque periculo disputari posse. Non dixisse Dominum*, vis & efficacia mea cibus est: *sed*, Caro mea verè cibus est. *Quare totum hoc, qua ratione in Cœna præsens sit Christus, Omnipotentiæ diuinæ committendum esse. Tigurini ad hæc, Eò se adduci non posse, respondebant, vt Ecclesijs suis hoc negotium ad hunc modum proponant*, Christum in Cœna quidem præsentem esse, præsentiæ verò modum inexplicabilem, & proinde Omnipotentiæ diuinæ eam commendandam esse: *Se enim ex Verbo Dei modum præsentiæ haud difficulter indicare posse Lutherum apertè scripsisse in altera parte contra Cœlestes Prophetas hæc verba*: Nemo mandauit nobis, vt inquiramus, quomodo panis fiat & sit corpus Christi. Verbum Dei præstò est, illud hoc dicit, in eo acquiescimus, eique credimus. Huc tuos, Sathan, dentes infige & morsus ingere, ac tamdiu inquire, donec modum, quo id fiat, repereris. *Huiusmodi*

Nullum miraculum in Cœna fieri.

1538.

verbis se vti non posse nec debere etiam dicebant, cùm iam antè auditum sit, quo sensu Christus panem suum corpus appellet, & quòd tropica locutio sit.

Post hæc Bucerus quædam loca ex Luthero pridie à Tigurinis citata, repetit & declarat. Præterea, Lutherum, quando præsentiæ corporis Christi in Cœna modum omnipotentiæ diuinæ relinquat, nihil aliud fecisse, quàm quod etiam Chrysostomus, quem etiam Zuinglius approbet; nec ipsi rejiciant, super Matthæum scripserit. Cur ergo Tigurini solius Lutheri scripta tantopere horreant & repudient? Tigurini respondent, Chrysostomi & Lutheri scripta in hac causa non posse comparari. Hæc enim verba Chrysostomi ibidem exstare: Credamus, & oculis mentalibus illum videamus: *Vnde fortasse Zuinglius suum illud desumpserit*, Contemplatione fidei præsens est Christus: *quod tamen Lutherus omnino improbârit, & sua illa crassa verba mordicus retinuerit ac defenderit: Chrysostomum aliosque Patres suijpsorum fuisse interpretes.*

Acta diei 3. qui incidit in cal. Maij

Cùm Calend. Maij post meridiem rursus conuenissent, quæsitum est, an Bucerus consignârit in breui scripto articulos illos, de quibus suprà? Tunc ille prolixum scriptum in forma Dialogi promit: ac lectum quidem illud fuit publicè coram omnibus, à Tigurinis autem improbatum & reiectum penitus: quòd in eo obiectiones & argumenta ipsorum præcipua, vel essent prorsus omissa, vel nudè ac simplicissimè proposita, interdum etiam verba aliò detorta: Multa etiam inesse ambigua, flexiloqua & obscura, adeòque materiam ad maiora certamina & dissidia: Atque huius rei testes Legatos se sistere, dicebant, qui superioribus actionibus interfuerint: nec concessuros, vt vel hæc vel similia de se spargantur & diuulgentur. Contrà, Bucerus non minùs contendit, fideliter rem, vti sit acta, à se consignatam esse, & similiter ad Legatos prouocat. Legati, deliberatione factâ, mandant, vt scriptum illud Buceri Vrbis Tigurinæ Cancellario tradatur, eâ conditione, vt nulli parti sit fraudi: quod vbi factum, à Cancellario asseruatum fuit. Atque hoc est illud scriptum, quod posteà de Actis huius Conuentus ad Martinum Frechtum, Vlmensis Ecclesiæ Ministrum, misit Bucerus, ac inter alia in literis ad eum datis sic scripsit: Cùmque nihil argumentorum habere potuerint, quàm à vera natura Christi, & ascensione eius in cœlos (nos verò localitatem hîc nullam ponimus, nec cœlesti gloriâ Dominum extrahimus) non fuit difficile respondere ad ea quæ objiciebant. Repetebant igitur eadem sæpius, admissa iterum reuocabant, &c. *Hîc nulla Lutheri, ejus scriptorum, & alio-*

De consignatione Actorum huius Conuentus à Bucero scripta.

Nota.

1538.

aliorum, quæ à Tigurinis obiecta sunt mentio. Sparsum quoque fuit hoc scriptum per totam Sueuiam, atque etiam Augustana Confessionis historia à Compilatoribus eius insertum est, folio 341. &c.

De certo in cælis loco vbi Christus corpore suo sit.

Præter hæc omnia diu multumque pugnatum est, de certo illo in cælis loco, vbi Christus cum corpore suo sit. Argentinenses contendebant, Christum ascendisse supra omnes cælos, & cælesti nunc gloria ipsum frui, quæ captum nostrum excedat: Imò posse rectè dici, Cœlum in ipsa quoque Cœna esse. *Tigurini his tam horrendis dictis non parùm offensi, eò rem tandem deuenturam aiebant, vt vbi cælum & infernum sit ignoretur. Non ita cælum à Scriptura extendi in omnia omnino loca. In Symbolo doceri,* Christum ascendisse: *supra nos igitur cælum esse. Fidelium corpora ad Christum in cælo collectum iri: non ergo futura vbique esse. Sublatus est Christus in cælum, Act. 1.*

Hac sic vltrò citroque cùm dicta essent, tandem Cancellarius Tigurinus, Wernherus *Bygelius, interloquutus,* Nunquam, *inquit*, res ad finem deducetur hoc modo: *Inde ad Ministros Tigurinos conuersus,* Creditis ne vos, *inquit*, corpus & sanguinem Christi in Cœna percipi? Credimus hoc, *aiebant omnes; nam singulos ordine compellabat. Ad Bucerum deinde & Capitonem conuersus,* Confitemini ne, *inquit*, & vos, corpus & sanguinem Christi à fideli mente & animâ, fide & spiritu accipi? Credimus & profitemur hoc corde & ore, *dicebant*: Ad quid igitur, *inquit Cancellarius*, disputationes istæ vestræ toto iam triduo habitæ? *Respondebant Tigurini:* Quam sumus iam professi nostra semper constans fuit doctrina, quam etiam hodie adhuc vrgemus, quâ innitimur, quam ex animo conseruare incorruptam deinceps cupimus, quam in Confessione, eiusque declaratione expressimus. In hac acquiescere, & cum omnibus pacem colere, qui idem nobiscum profitentur & credunt, cupimus. *Argentinenses verò dicebant*, se iam antea protestatos esse, quòd nihil cuiquam Confessioni contrarium obtrudere velint, nedum quenquam ab ea abducere.

Atque hæc omnia Tigurini in hunc tantùm finem obiecerunt Bucero, non quòd Concordiam cum Luthero aspernarentur & repudiarent: sed quòd obscurè, ambiguè & captiosè hanc causam tractari nolebant, sed liberè & apertè, ne Concordia fucata & insidiosa postea maiores turbas pareret. Legati verò reliquarum vrbium à Bucero persuasi Lutheri & Zuinglij doctrinam de Cœna, verbis potius quàm reipsa differre, Lutheri sententiam, quemadmodum Bucerus eam copiosè explicâsset, approbandam iudicabant.

Decretum Synodi huius.

Decretum igitur fit, vt omissis omnibus disputationibus deliberetur deinceps, de Responsione ad Lutherum mittenda, quæ quidem amica, nemini tamen fraudi sit, cumprimis verò Helueticarum Ecclesiarum Confessioni consentanea. Eam si approbet Lutherus, nec tam crassè de Cœna Domini sentiat, vt scripta eius priora testari videantur, sed cum Argentinensibus & Tigurinis credat ac doceat, corpus Christi & sanguinem eius, non pani affigi aut localiter includi, nec corporaliter, carnaliter & naturaliter, sed fide percipi spiritualiter, *hoc est*, spirituali modo & fideli mente, iam factam esse concordiam, quam etiam firmiter & fraternè cum Luthero & Saxonicis Ecclesijs seruare velint.

Acta 4. diei, qui incidit in 6 Non. Maij. Formula Responsionis ad Lutherum mittendæ conscribitur & approbatur à Conuentu.

Secunda Maij die, qui fuit quartus huius Conuentus, aliquibus tantùm Theologis Vrbium Helueticarum, qui ad Conuentum hunc venerant, iniungebatur, vt Responsionis formulam conscriberent, & postridie Legatis in Conuentu eam exhiberent: Quod etiam ab ipsis factum est. Cumque sequenti die Legatis exhibita, & in Conuentu coram omnibus lecta esset, ab vniuersis approbata est, & sancitum, vt Tigurini eam, sua Secreto obsignatam, per tabellarium ad Lutherum primo quoque tempore mitterent. Tigurini se id facturos esse pollicentur, & si quid vehementiùs in hoc Conuentu dixerint, id sibi ignosci petunt, sanctè affirmantes ex nullo prauo affectu, sed ex bono, syncero & candido animo profectum esse: & sese pacem syncerè cum Luthero colere & obseruare velle. Fecerunt idem Argentinenses quoque, atque de voluntate sua bona prolixè pollicentur: omniaque se candidè interpretari, & fraterna charitati operam dare velle, promittunt. Atque ita amicè discessum est.

Responsio Helueticarum Ecclesiarum ad penultimas à Luthero in Concordiæ tractatione scriptas literas.

Rescriptum autem illud, quo Euangelicæ Ciuitates in Heluetia, Lutheri Responso de rebus ad procurandam Concordiam necessarijs, satisfacere conatæ sunt, sic de verbo ad verbum habet: Reuerende atque doctissime in Christo Domine & amice singulariter dilecte, Accepimus maxima cum lætitia & applausu in Deo cœlesti Patre nostro, amicissimum & cordatissimum Responsum, quod superioribus diebus ad scriptum illud nostrum Smalcaldiam ad R.T. missum, ad nos transmisisti: ob cuius cunctationem nullo tædio

tædio nullaque molestiâ affecti fuimus: vt qui vltrò & beneuolè molem illam incumbentium negotiorum, (qua R.T. multipliciter grauari facilè cogitamus) in meliorem partem interpretari sumus: orantes vicissim amanter, vt si in rescribendo aliquatenus à nobis etiam cessatum est (non potuimus enim citiùs propter cursitantes rumores & priuata nostra negotia, conuenire) id in eandem sententiam interpreteris.

Heluetij in Capitonis & Buceri demandata & peracta relatione acquiescunt.

Quum verò non solùm ex scripto illo tuo, verùm etiam ex fideli declaratione & relatione doctissimorum nobisque amicissimorum Dominorum, amicorum & fratrum D. D. Capitonis & Martini Buceti (qui his ipsis diebus apud nos fuerunt) aliter conijcere non possimus, quàm vos optimè & sincerissimè de toto hoc sanctissimæ Concordiæ negotio cogitare: eamque abiectis prioribus nimis acerbis concertationibus & suspicionibus, fideliter promoueri cupere: Et simul intelligamus, æquè beneuolè susceptam fuisse à vobis Confessionem illam nostram Basileæ conscriptam, cum subsecuta illius explicatione. His de causis ingentes Deo ac Patri omnis pacis & concordiæ gratias agimus, pro hac diuina ipsius gratia & bonitate: quòd scilicet tam benignè nostri misereri, & gratiam suam ad hoc verè diuinum & sanctum opus, tam liberaliter impartiri: nosque ad vnanimem hunc consensum benigniter flectere & adducere dignetur. Nos enim ad vnitatem Ecclesiæ Christi, & pacem tam eum R.T. quàm cum omnibus Deo dilectis Christianis, totis nostris viribus quærendam & promouendam semper ex animo omnique sinceritate proclinues & antehac fuimus, & adhuc sumus: quod R.T. tutò sibi de nobis persuadere & confidere potest.

Quomodo Heluetij sententiam Lutheri intellexerint & interpretati sint.

Præterea cùm videamus R. T. nihil discrepantiæ aut absurditatis inuenisse in Articulis de externo Verbo, & de Baptismo (quemadmodum nec nos vllam in eis perspicere possumus) & simul intelligamus, vos circa articulum de sacramento corporis & sanguinis Christi neque docuisse olim, neque nunc quidem docere, Christum è cœlo & à dextera Dei Patris sui aut descendere, aut sursus ascendere, nec visibili nec inuisibili vllo modo: sed retinere firmiter (vt & nos facimus) Articulum fidei, Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris, & inde venturus est iudicare &c.

Sic Lutheri sententiam Heluetij

Neque illic fieri cogitetis vllum vel descensum, vel ascensum, denique nullam eiusmodi in sacra Cœna constituatis corporis & sanguinis Christi præsentiam, vel manducationem ex qua aliquid consequatur repugnans, aut vllo modo contrarium vel susceptæ Christi humanitati, vel eius Ascensioni in cœlum, ac cœlesti ipsius gloriæ, vel denique vllis fidei Christianæ articulis, vllisuè alijs Scripturæ locis. Nec nos quoque ex aduerso in Cœna constituere velimus tantùm nuda & vacua signa, sed etiam ibi Corpus & sanguinem Domini & recipi & manducari (ita vt in sese duntaxat fideli mente verè apprehendantur & percipiantur) apertissimè agnoscamus, iuxta tenorem & modum expositum in prædicta nostra Confessione eiusque ad vos Smalcaldiam missa declaratione, in qua nos firmi & immoti adhuc persistimus.

1538. ergo Capito & Bucerus declarârunt.

Heluetij in sua Confessione declaratione persistunt.

Ex his inquam omnibus, non possumus aliud perspicere aut sentire, quàm inter nos (Deo sit laus) de sensu & vera substantia hujus articuli vnanimem esse consensum: Pacemque optimam sine vlla ampliùs controuersia inter nos coaluisse: Deumque ad hanc veram concordiam nus suo auxilio adduxisse: Cui nos eam ob rem maximas laudes & gratias agimus in æternum.

Nota. Heluetij Concordiam cum Luthero ineunt.

Exscriptio concordiæ.

Quapropter quum alia non sit vestra hac in re sententia, magnopere nos Responsum tuum exhilarauit: Existimamusque omnino non futurum vobis graue, modum illum præsentiæ populo quoque quàm fieri poterit intelligibiliter, iuxta sensum & proprietatem sermonis nostri, proponere & indicare: vt & nos vicissim erga vos præstabimus ea omnia, quæ ad confirmationem seu obseruationem, & incrementum veræ concordiæ pertinere videbuntur omni diligentiâ, veritate & fide procurantes: & è contrà anteuertentes & declinantes studiosissimè quæcunque illi aduersari, eamque interturbare posse videbuntur. Omnem denique pristinam maleuolentiam, quæ vel sermonibus, vel scriptis, vel alio quocunque modo hucusque inter nos contracta fuerat: prorsus in Dei gloriam & omnium Christi fidelium emendationem & ædificationem ex animo abiecturi & obliteraturi: Ac deinceps alij alios mutuò verâ fide ac charitate amplexuri: quemadmodum & Doctores nostri, quos in hunc conuentum nobiscum adduximus, toto se pectore oprare testati sunt, & reipsa se præstituros promiserunt. Similiter & de T.R. omnem beneuolentiam nobis certissimè pollicemur, quam peramanter & obnixè rogamus, vt Ecclesias nostras pro sua paterna solicitudine, charitate, & pietate commendatas habere velit. Quod si quid

Quomodo in futurum alij erga alios se gerere debeant.

1538. fortaſſe ad vos perferatur, quod huic Chriſtianæ concordiæ & mutuæ noſtræ & vobis confidentiæ, non reſpondere, ſed potiùs aduerſari videbitur: ne ei tumori facilè fidem habere velitis: ſed noſtram de eo ſententiam priùs exquirere & percipere dignemini. Id & nos pariter obſeruare parati ſumus, remque hanc totam ſic exequi, vt feliciter cœpta Concordia per Dei gratiam ſtabiliatur: & quicquid eam vel impedire vel turbare poſſet, amicè removeatur, vt tandem ad ſummam firmiſſimamque vnitatem pertingat. Deus Pater ille noſter cœleſtis, qui Dominus eſt dominantium, & Pater omnis miſericordiæ ac conſolátionis, vtrarumque partium corda per virtutem Spiritus ſui ſancti accendat igne diuini ſui amoris, vt hoc verè Chriſtianum Concordiæ opus per Dei gratiam inſtitutum & cœptum feliciter, optatum finem tandem conſequatur, ad ſanctificationem & honorem nominis ſui, & ad ſalutem quamplurium animarum: Satanæque & huius mundi omniumque aſſeclarum ipſorum euerſionem. Nos porrò R.T. omnem amorem atque obſequium præſtare parati ſumus. *Datum Tiguri. 4. Maij. Anno* 1538.

Etſi dubium non ſit, quin Heluetij ampliorem à Luthero ſententiæ ſuæ explicationem expectârint: Tamen quia Confeſſionem, & declarationem ſuam ab ipſo ne minimo quidem verbo contradici, omnemque vlteriorem explicationem Bucero & Capitoni, quorum ſententia iam nota erat Heluetijs, committi: ipſum verò Lutherum, in accipienda ſuper hac ipſorum Confeſſione Concordia, paratum eſſe intelligerent, ne quis reſtaret, aut ſupereſſe poſſet ſcrupulus, quaſi ſe mutuò non intellexiſſent, & placuit, & rectè quidem, Heluetijs, vt denuò in his literis ſententiam ſuam de vera præſentia, vt communicatione corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna, apertè & candidè proferrent: quæ ſi Luthero iterum non diſpliceret, ſed probaretur, Concordiam vtrinque factam eſſe teſtarentur.

Super quo præſentia modo facta ſit Concordia.

Quantam verò fiduciam de ipſo Luthero, & cum eo facta Concordia conceperint Heluetij, facilè quoque indicat hæc ipſorum reſponſoria Epiſtola. Eſt autem notandum, quòd Bucerus & Capito, quos ſententiæ ſuæ interpretes fecerat, & quibus omnem perficiendæ Concordiæ poteſtatem commiſerat Lutherus, Heluetijs apertè explicârint Confeſſionem & declarationem ipſorum Luthero placere & probari: quòd quoniam hic rurſus expreſſè referunt, & an verum hoc eſſet, ex ipſo Luthero reſcire voluerunt Heluetij: aut contradici à Luthero, ſi verum non eſſet, aut ſine contradictione pro vero concedi oportuit. Agunt itaque gratias Deo, quòd is vtrorumque miſertus, in vnanimem & concordem eos coniunxerit ſententiam.

Et quò rectiùs Lutheri ſententiam Confeſſioni & Doctrinæ ſuæ conſentaneam eſſe percepiſſe videantur, declarant, ſe articulos de Aſcenſione in cœlum, & Seſſione ad dexteram, tanquam corporali præſentiæ contrarios, ex mente & ſententia Lutheri intelligere, & quòd proinde is nullam in Cœna corporis Chriſti præſentiam ponat, ex qua aliquid, quod veræ incarnationi ipſius & in cœlum Aſcenſioni, eiuſque cœleſti gloriæ, aut aliàs Scripturæ contrarium eſſe poſſet, conſequeretur: Sicuti & ipſi in ſacra Cœna non nuda & vacua ſigna ponant, ſed & corpus & ſanguinem Chriſti in ea verè, quamuis fideli tantùm animo, percipi ſentiant, vt latiùs hoc in ipſorum Confeſſione & declaratione ſit explicatum, in qua etiamnum conſtanter velint perſeuerare. Itaque cùm hoc etiam probet, nec aliter ſentiat Lutherus, nihil hinc eos aliud colligere poſſe, quàm in ſubſtantia rei ſummum eſſe conſenſum. Proinde quia non alia ſit quoque huius rei apud ipſum intelligentia, Concordiam per hoc factam, eamque ſe grata mente acceptare, & in hanc conſentire teſtantur. Quo nomine omnia, quæ ab amiciſſimis Fratribus expectare poſſit Lutherus, ipſi ſtudioſiſſimè deferunt, & viciſſim pollicentur.

Cur [illegible] Confeſſio [illegible] non ſufficit.

A quibus ſic explicatè, ad omnem tergiuerſationis occaſionem excludendam, perſcriptis, ſi tunc adhuc diſſenſit aut diſſentire videri voluit Lutherus, nemo bonus dubitabit, quin hoc palàm & diſertè edici, non autem pro confirmanda hac Heluetiorum de ipſius Lutheri ſententia concepta & perſuaſa opinione, in approbatam ab ijs hac conditione Concordiam, aliquo modo conſentire oportuit.

His literis Lutherus menſe Iunio ad hunc modum reſpondit.

Honorandis, prudentiſſimiſque Legatis & Senatoribus Ciuitatum, Tigurinæ, Bernenſis, Baſilienſis, Scaphuſianæ, Sangallenſis, Mulhuſianæ & Bielenſis, Tiguri congregatis: Dominis meis & amicis in Domino colendis.

HOnorandi atque prudentiſſimi amantiſſimique Domini & amici: Accepi ſcriptum veſtrum ad me quartâ die Maij datum: ex quo perlubens intellexi, omnium veſtrûm animos ad Concordiam eſſe para-

paratissimos, & scriptum meum vobis gratum fuisse. Nempe, quòd nos hic non doceamus, statuendum esse vllum in sacrosancto Sacramento Cœnæ Domini nostri, vel ascensum vel descensum: quamuis in ea verum corpus & verus sanguis Domini nostri cum pane & vino sumatur. Quod verò scriptis comprehendi non potest, id confido meliùs Doctorem Martinum Bucerum & Doctorem Capitonem, coràm expofituros, quibus hæc omnia concredidi, & precibus multis commisi. Et quandoquidem dubium mihi non est, plebeculam vobis subesse probissimam, quæ serio affectu ducitur ad bene agendum, & ad rectam viam capessendam: non leuem inde lætitiam, spemque in Deum concepi, futurum (siquidem dextrè cum tenero & infirmo grege egerimus) vt, quamuis vncus aliquis aliquouersum promineat, Deus tamen auxilium ad omnia impedimenta felici successu tollenda sit suppeditaturus. Amen.

Quomodo hæc intelligenda sint exposuerunt Capito & Bucerus, ad quos Lutherus sese hic remittit.

Etsi enim aliquos adhuc suspectos haberem, ipsorum scriptis ad hoc inductus: id tamen quicquid est Doctori Bucero etiam indicaui: Et quantum quidem in me fuerit, parienter feram: eosque inter bonos viros referam, donec & ipsi sese nobis adiungant. Itaque oramus denuò, vt ad diuinum hoc opus perficiendum velitis (quemadmodum iam cœpistis) omnem opem conferre: ad Christianæ Ecclesiæ pacem atque concordiam: sicuti etiam animaduerto, vos ad id summa cum alacritate & voluptate præstandum, esse paratissimos. Confirmet igitur, & in cœpto opere potenter sustenter vos Pater ille misericordiarum, per vnicè dilectum Filium suum Dominum nostrum, vnà cum sancto suo Spiritu, Amen. Datum die Iouis post festum Ioannis Baptistæ, 1538.

Hoc de Carolostadio dicitur. Ergo non fuit ei suspecta superior declaratio. Si suspecta fuit superior declaratio, quorsum istaec?

MARTINVS LVTHERVS.

Cùm itaque nihil haberet Lutherus, quod in Heluetijs ampliùs, pro eius sententia applicatione, tu quam cum ipsis siue prorsus consentire, siue concordiam saltem firmam & stabilem, vt cum amicis & fratribus, habere & colere voluit, desideraret: testatur iterum, se libentissimè intellexisse, animos ipsarum ad amplectendam Concordiam paratos esse. Probat etiam & gaudet, quòd rectè ipsius sententiam intellexerint, eaque ijs placeat. Nempe, quòd ipse cum suis non doceat, in Sacramento Cœna aliquem ascensum vel descensum Christi fieri, & tamen verum corpus & verum sanguinem ipsius cum pane & vino percipi. Hoc autem quomodo sine vlla corporali præsentia intellectum fuerit ab Heluetijs, perspicuè ostendit eorum Epistola. Quod quia non refutat, multoque minùs articulorum fidei sensum, de Ascensione in cœlum, & de Sessione ad Dexteram, in Heluetijs, ex priore sua Polemicorum scriptorum sententia, reprehendit Lutherus, sed tantùm hoc pro Concordia requirit, & satis esse vult, vt verum corpus & sanguinem Christi in sacra Cœna, & non nuda & vacua solùm signa distribui & percipi credatur, quid obstare potest, si Vbiquistarum & qui cum ijs faciunt, malitiosa facessat inuidia, quò minùs hoc etiam nunc pro resarcienda & restituenda vera Concordia inter eos, qui Augustanam Confessionem, & reformatam Religionem profitentur, satis esse queat, & debeat?

Nota. Hic Lutherus cauit non ad. dit, corporaliter & ore, quod ex.

1538. præstò erogabat Heluetijs. Fundamentum in quo Concordiam consistere posse sensit & voluit Lutherus.

Postquam enim Vbiquistæ disertè fatentur, Aut corpus Christi iam antequam fiat Consecratio, in pane Eucharistia præsens adesse: Aut, si hoc non fit, è cœlo ad panem descendere, & rursus ascendere, concedi. Aut, si neutrum ex his concedatur, omnem tunc corporalem ipsius præsentiam negari oportere: An-non ex superiore Lutheri ad Heluetios sententia, quâ nec ante consecrationem corpus ex Vbiquitate, nec etiam per aliquem è cœlis descensum adesse credi vult, negata fuisse sequetur corporalis illa in pane præsentia?

Respondeant etiam, si placet, cur in hac grauissima, & tam seria concordia actione, Lutherus ne semel quidem ad priorem Augustanæ Confessionis Articulum (quem ipsi nondum mutatum esse volunt) prouocàrit, sibique non integrum esse, apertè edixerit, in aliam Concordia formulam, quàm iuxta hunc articulum, cum quoquam consentire, ne aliàs ab Augustana Confessione discessisse videatur: sicut nunc hypocritico prætextu, pro restitutione istius tam egregij scilicet articuli schismatica illa prætendis factio. Hoc enim si tunc sensit Lutherus, cur non prioris sententia sua Retractationem, seu abnegationem ab Heluetijs flagitauit, sicut in Witebergensi *Concordia tractatu à Bucero & Capitone, ex Amsdorffij præcipuè instinctu, principio facere instituit?*

Quoniam verò Lutherus ampliorem sententia sua explicationem, totumque perficiendæ Concordia negotium Bucero & Capitoni se commendàsse, eosque rogàsse denuò scribit, vt omnia magis luculenter, vbi hoc opus fuerit, explicent, atque iam tum edita essent, & in manibus hominum publicè versarentur ipsius Buceri declarationes Witebergensis *Concordia, placet vnum atque alterum locum ex illis Buceri scriptis, pro verò istorum articulorum sensu, contra Patres Bergenses referre. Sic autem de istis articulis ad Episcopum Herfordensem consentiente cum Heluetijs sententia scribit:* Non ponimus naturalem Christi cum pane

Verus Witebergensis Con-

1538.

cordiæ articulorum sensus à Luthero probatus. Vide Orthodoxam Confessionem fol. 158. Idem Brentius in sua Exegesi. In hac sententia Bucerus fuit defensor August. Confessionis contra Pontificios.

pane vnionem, nullam localem inclusionem, nullam durabilem extra Sacramenti vsum permanentiam, sed Christum in cœlesti sua gloria relinquimus, & in conditionem huius seculi non detrahimus, ideoque fide præsentem hic confitemur. Quid igitur obsecro à nobis hic statuitur, quod vel veritati humanæ naturæ in Christo, vel eius glorificationi, vel denique viuæ & solidæ fiduciæ in Christum detrahat? Si qui verò carnales nullam sustinent præsentiam animo complecti, nisi quæ Christum quasi cœlo detrahat & pani includat localiter, vel aliàs in conditionem huius seculi à cœlesti gloria detrudat, quid hoc ad Ecclesiam Christi? *Et pòst:* Quid causæ itaque dicemus, vt cùm dicimus, secundùm Verbum Domini exhiberi nobis corpus & sanguinem Christi in pane & vino, necesse sit statim consequi, quòd vel veritatem humanæ naturæ in Christo, vel huius gloriam imminuat, demergens scilicet rursus eum in conditionem vitæ huius corruptibilis, immutationi locorum, vel affixioni cum rebus perituris obnoxiam. Mundum Christus reliquit, abijt ad Patrem in cœlos, hoc est, in eam gloriam se recepit, quâ nobis verè Deus & homo adest. Adest autem ratione cœlesti, nullâ cum rebus præsentibus naturali coniunctione, ratione inquam, quam fides non sensus, non ratio apprehendit.

Hac & alia similia Bucerus: ad cuius explicationem Concordiæ quia se multoties refert, eumque à fidelitate & diligentia eorum, quæ iam ante in hac causa egisset, laudat, & Helvetijs commendat Lutherus, negari nullâ honestâ ratione quoque potest, quin potius omnibus persuasissimum esse debet, ex hac explicatione Buceri, quæ publico consensu & approbatione nititur, articulos Concordiæ Witebergensis, & rursus ex istis articulis Augustanam Confessionem fuisse tunc consentiente vtriusque partis sententiâ declaratam.

Vnde sumendus sit verus August. Confessionis, in qua eam postea extensum fuit sensus.

Postremò est & illud ex hac secunda, & Concordiæ cum Helvetijs confirmatoria Lutheri responsione admonendum, quòd si Helveticarum Ecclesiarum superior Confessio de Sacramentis, tanta cum impietate coniuncta est, vt ad Alcoranum Turcicum sit ableganda, & passim igni atque ferro extirpanda, sicut nunc Germaniæ Principibus persuadere conantur Vbiquistæ: cur tunc Lutherus (cuius, etsi parùm ipsis antè propitij Iudicis, censuram de hac sua Confessione expetebant Helvetij) non solùm nihil in ea reprehendere potuerit, aut voluerit, sed & ardentibus votis Deum precatus fuerit, vt ipsos in hoc opere suo magis magisque confirmare velit? cùm tamen ex ijs apertè intelligeret, quòd in hac Confessione sua omninò constituissent perseuerare.

Præclarum pro Confessione Helvetiorum testimonium.

Itaque hîc seriò cogitandum & elaborandum erit Vbiquistis, quomodo in hac tota, quæ in superioribus exposita est, actione cum Helvetijs, quà ipsi in sententia & Confessione sua à Luthero se confirmari intelligebant, nec aliud inde, quàm quòd iudicio eius rectè, & non malè sentirent, percipere poterant, atque sic nullam mutandæ in posterum sententiæ causam habebant, quorum confessio & doctrina non potuisset improbari, aut ab insigni proditæ veritatis flagitio excusabunt Lutherum, aut potiùs semetipsos à fraudibus & imposturis, in retractandis ijs omnibus, quæ iam olim legitimo Concordiæ tractatu composita & transacta fuerunt, & renouanda ex Polemicis scriptis Lutheri dudum super Vbiquitate sopita controuersia coram Deo & Ecclesia immunes & inculpatos præstabunt?

Tredecim viri Ciuitatis Argentinensis die 26. mensis Augusti Basiliensibus significabant, literas Helvetiorum ad Saxonem & Landgrauium (quibus eis gratias egerant pro communicatis Actis Conuentus Smalcaldici) itemque Responsum ad Lutheri literas, Isenaci in Consessu Principum & Vrbium Euangelicarum recitatum esse: Et quantum ipsorum Legati intelligere potuerint, tum Principibus tum Luthero gratum fuisse, eò quòd piè scriptum agnouerint; & omnino se sperare, quòd apud Principes & doctos, multum vtilitatis allaturum sit. Orabant etiam, vt alijs Helvetijs hac indicarent, & toti in hoc essent, quo hac amicitia conseruaretur, & cœpta doctrina Concordia confirmaretur. Literæ enim Argentinensium sic ad verbum habent: Præmissâ omni beneuolentiâ, & gratuito obsequio, &c. Honorandi, prudentes, amantissimi atque fidissimi Amici ac vicini charissimi: Quemadmodum ad nos præteritis diebus misistis eius scripti exemplar, quod tam à vobis quàm à confœderatis vestris sacrosanctum Euangelium profitentibus, ad Illustrissimos Principes, Electorem Saxoniæ, & Landgrauium Hassiæ, Doctoremque Martinum Lutherum dicatum & transmissum fuit, simul cum responsionis ipsorum exemplari: Nos quoque amicè significare vobis voluimus ea, quæ à legatis per Dominos nostros Consules & Senatores ad Conuentum Isnacensem missis accepimus, & quorum nosipsi in sua relatione certiores fecerunt: Nempe, quòd vestrum illud & confœderatorum vestrorum scriptum, ad præfatos Illustrissimos Principes, simul cum eorundem Principum & D. Martini Lutheri responsa perlecta fuerint, coram delegatis omnium ordinum Imperij illic coactis. Et quan-

Argentinenses scribunt Helvetijs.

Concordiæ negotium non clam agitur.

Concordia scripta à Protestantibus Isnaci lecta.

Confessio Heluetica eiusque declaratio ad Lutherum missa à Protestantibus lecta, pia ac Christiana iudicata atque laudata est: Quomodo Caluiniana nominatur.

quantum prædicti prudentissimi Senatus legati à Consiliarijs aliquot Illustrissimi Principis Electoris inquirendo intellexerunt, scriptum illud vestrum ab ipsorum Excellentijs, sicut & ab ipso Luthero, fuisse gratiosè atque perbenignè exceptum, & tanquam verè pium ac Christianum ab omnibus ijs laudatum. Adeò vt ipsi illi legati omnino existiment, vestrum illud & confœderatorum scriptum plurimùm vtilitatis & fauoris apud illos Principes, & alios Ordines ipsorumque Doctores producturum. Quæ cùm à prædictis legatis nostris resciuissemus, noluimus prætermittere, pro ea vicinitatis nostræ beneuolentia, quâ vos amplectimur, quin eorum vos admoneremus, certissimâ spe ducti fore id vobis omnibus gratissimum, &c. Quod & reliquis vestris confœderatis significabitis. Datum die Lunæ, 26. Augusti, *Anno*, 1538.

Non igitur tunc temporis aliter de Heluetiorum scriptis pro Concordia ad Lutherum iudicârunt Augustana Confeßionis Principum pracipui Legati, quàm quòd hac pia & Christiana scripta essent: qua etiam eo nomine non solùm magnopere legatis omnibus placuerunt, sed & de quibus ista praclara opinio & persuasio fuit, quòd ipsorum lectio apud omnes futura esset vtilissima, & ad beneuolentiam erga Principes conciliandam maximè profutura. Quòd si quis quarat, cur hodie de ijs non idem sit iudicium, vt esse oporteret, vbi vera & constans semper de Religione sententia est: Nihil aliud pro responso, quod dicatur, adduci potest, nisi non esse quidem in reipsa aliquod discrimen, sed in temporum iniuria, & eorum, qui nunc sibi Dominatum in Ecclesia vsurpârunt, malitia atque hostili in veritatem & pacem odio, causam esse sitam. Hoc quaso diligenter considerent, qui nec ipsimet decipi, nec alios decipere volunt, & de consilijs, actionibusque suis, in hoc controuerso religionis negotio, Deo & Ecclesia aliquando rationem sunt reddituri.

Fol. 17. De quo pracipuum certamen fuerit Luthero cum Zuinglio & Oecolampadio.

Refert D. Peucerus in Tractatu suo Historico de Philippi sententia in Cœnæ negotio, *se vidisse scripta quadam, qua ab Heluetieis Ecclesijs ad Lutherum Bucerus attulerit, in quibus annotata ad marginem fuerint hac verba Lutheri*: Cur non antea sic docuerunt? *Qua verba euidenter ostendunt, pracipuum certamen Luthero cum Zuinglio & Oecolampadio fuisse de hac quastione*: Vtrum sit præsentia corporis & sanguinis Christi physica seu localis ad symbola? *Lutherus enim hoc illis tribuit, quòd exinaniant Symbola prorsus, si non corporalem prasentiam, seu localem inclusionem, vel annexionem ad Symbola statuant: quam tamen & ipse reiecit, & cùm corpus cœlo descendere neget, reipsa tandem, quam illi, verbis verò tantùm diuersam sententiam fecit. Sed ipse à sua loquendi consuetudine desistere noluit, ne quid conceßisse ipsis, aut de sua sententia ne in gratiam illorum deceßisse diceretur: & vbi deinceps bellum instaurauit, à principio certamen retexuit, eo modo, ac si nusquam quicquam actum inter eos esset, nulla collatio interceßisset, nulla facta esset emendatio, & quasi illa omnia agnoscerent Heluetij, de quibus accusabantur.*

1538.

Philippus Antiquitatis testimonia de Cœna exhibet Luthero.

Cùm etiam Lutherus aliquam Concordia responso moderato spem de se Heluetijs prabuisset, & de vehementia aliquid remisisset, Melancthon tranquilliore animo, cùm de controuersia tota Antiquitatem consuluisset diligentißimè, tum occasiones captauit, quas potuit, conferendi cum Luthero de Antiquitatis testimonijs, vt ipsemet testatur, in literis ad Cratonem, anno 59. scriptis. Obseruare autem hunc modum solitus est, vt de pracipuis capitibus, qua viderentur in partem vtramque obijci maximè, & disputari posse, ea consignata Luthero proponeret, interpositis spatijs, quibus suam Lutherus adscriberet sententiam: in qua si quid desideraret, sciscitari coràm ampliùs est solitus, donec integrè in qua ille acquiesceret sententia, perdidicisset. Extant adhuc pagella, quibus sententiam eius de Iustificatione sic explorauit.

Idem fecit etiam in hac controuersia. Multa enim illustria tam Gracorum, quàm Latinorum scriptorum testimonia conscripserat, in hunc vsum, vt ea Luthero offerret. Affirmabat autem sapißimè, se in nullo articulo in controuersijs omnibus plùs cura, opera & studij posuisse, quàm in hoc: nec de vllo quid verè senserit syncerior Antiquitas, certiùs peruestigâsse, nec fundamenta illius firmiora ac validiora iecisse: qua certò sciat, nullas contrarias rationes, quacunque specie vestiantur, nullam quantumuis lubricam sophisticen, labefactura aut euersura esse.

Jnterat, *aiebat*, mea plurimùm, vt certi aliquid de veritate huius articuli mecum constituerem: quòd authoritate Lutheri destituebar, imò aduersantem eum habebam. Cum Pontificijs autem de eodem, tanquam de capite totius causæ, certamina mihi acerrima & summa parata esse sciebam. Itaque de talibus me fundamentis cogitare oportebat, quæ Eccius, Antagonista callidissimus, more suo non astutè vel eluderet, vel eleuaret.

Antiquitatis ergo testimonia magno studio vbi cõquisiuisset, sape Lutherũ, cùm animo esset hilariore, captatis occasionibus in colloquium de hoc articulo induxit. Norat enim ingeniũ viri, & quâ arte tractãdus esset, multo vsu didicerat. In talibus autẽ colloquijs aliàs alia tulit respõsa.

1538. *Heluetij concordiam cum Luthero colere decreuerunt.*

His omnibus inter Lutherum & Helueticas Ecclesias in Concordia negotio sic transactis, Tigurini sperârunt ἀμνηστίαν, seu obliuionem omnium priorum offensionum sanctam esse, ideoque ipsi colere deinceps cum Luthero & Saxonicis Ecclesijs amicitiam & pacem decreuerunt.

An Bucerus ab alienatus fuerit à Tigurinis.

Bucerus post Conuentum Ministrorum Ecclesiarum Helueticarum Tiguri habitum, aliquantulum à Tigurinis abalienatus esse visus est aliquibus. Id autem vt maximè verum sit, quod tamen nullâ certa ratione probari poterit, falsum tamen & fictum est hoc, quod nonnulli affirmare audent, Bucerum ab hoc tempore Heluetiorum doctrinam & amicitiam sic renunciasse, vt eos pro fratribus habere ampliùs noluerit. Et in huius rei testimonium cùm Pappus, tum alij adducunt epistolam eius ad Comandrum Ecclesiæ Curiensis Rhetica Pastorem hoc anno scriptam. De ea verò sic respondet Ioannes Sturmius in Antipap. 4. Par. 4. Hanc epistolam, *inquit*, Bucero nunquam in mentem venit edere, vt & Bullingeri, & suæ existimationi, & Ecclesiæ disciplinæ consuleret. Scripsit autem ad Comandrum amicum Bullingeri eiusdem cum Bullingero doctrinæ. Neque Comandrum eredo Bullingero ostendisse, consulentem communi concordiæ: Conradus etiam Hubertus custos scriptorum Buceri non répofuit intet ea opera, quæ Basileæ edita sunt & dedicata Episcopo Cantuariensi: non tectum reputans priuatas offensiones, & quidem tales ad posteros traducere. Quod igitur hi propter verecundiam non fecerunt, hoc isti per impudentiam non verenturè tenebris & tineis eruere & in lucem producere. Quid autem prodest illis hæc iam diuulgata esse, quæ celari ampliùs non possunt, posteaquam ab eis sunt in theatrum orbis producta. Si meum iudicium de hac Buceri querela audire volunt, iudico illam iustam esse & verecundam ad amicum communem Comandrum scriptam. An verò iniuriæ causam rectè Bullingero ascripserit, affirmare non ausim. Sæpe enim amici nostri multa nobis inscijs faciunt: non tectè quidem: sed tamen faciunt, si sunt imprudentiores. Atque hæc mea sententia est de Buceri scripto. Quòd Bullingerus fidem habere Bucero diu non potuit: quòd dubitauit: quòd hæsitauit, non miror: neque enim Bullingero istud soli accidit. Fuit enim Bucerus acerrimâ oculorum acie à natura præditus, linguâ etiam erat ita expeditâ & verbis abundans, & sententijs & longioribus membris, oratio, & ita toto corpore compositus, & eiusmodi assuetus incessui, vt omnia ista magis habere speciem virtutis & doctrinæ & veritatis, quàm res ipsas habere & colere viderentur. Et cùm natura magis informata oratio illius esset, quàm in Rhetoricis Scholis emendata, non nisi à bene oculatis intelligi celeriter poterat. Nihil autem minùs patiens moræ est, quàm animus legentis res controuersas alienas. Monitus etiam fuit Bucerus de his periodorum & peribolarum ambagibus sæpe. His igitur optatis omnibus & non intellectis naturæ dotibus quosdam à se alienauit, aliquos etiam habuit, qui dubitarent: quæ res plurimùm Euangelij cursum impediuit. Diligenter autem considerent qui volunt, cùm in alijs semper scriptis fuisse eum propter rerum & verborum copiam atque circumductionem obscurum: tum præcipuè in sacramentaria Controuersia, dum Concordiam colere, & Lutheri verba interpretari, & à Confessione quatuor Ciuitatum non discedere conaretur. Sed consideretur ipsa Confessio: & axiomata Apologetica contra Amsdorffij stilitentica: & Epistola ad Herfordiensem Episcopum: & ad alios in Galliam & Italiam scripta confecta: Et Testamentum eius Argentorati factum, antequam in Angliam ad Regem Eduardum confugeret: præcipuè verò quos in Anglia in Paulum fecit Commentarios: intelligetur, & quid semper voluerit: & quid semper defenderit: & in qua sententia constituerit ex hac vita discedere. Cur isti calumniatores non hæc etiam adferunt?

De epistola Buceri ad Comandrum.

Sinc- [illegible] Buceri stilo & oratione.

Summa controuersiæ de Buceri Epistolâ ad Comandrum.

Sed qua in parte istos quæso hæc Epistola ad Comandrum & præsertim eius extrema pars iuuat? Video quidem querelam ad communem amicum: sentio alienationem quandam animorum: & offensionem animaduerto non leuem: Sed solùm de Bullingero conqueritur, quòd apud amicum maluit facere, quàm cum Bullingero expostulare: amicitiæ verò & fraternitatis nullam possum notare renunciationem: præsertim cùm tot fuerint illo tempore communes Bullingero & Bucero amici Bernæ, Basileæ, Sangalli & alijs in locis. Vnde ista Dialectica analysis? Bucerus grauissimè conquestus est de iniuria Bullingeri: Ergo disrupta fuit amicitia & fraternitas eum Heluetijs. Bullingerus, vt Zuinglio successor fuit, ita filiorum illius summam curam suscepit, & filium Zuinglij ad nos misit voluit ante quadragesimum annum, anno post hanc contentionem vel potiùs querelam ad Comandrum scriptam. Suos ipse Bullingerus liberè Argentinam filios duos ante bellum

Smalcal-

Smalcaldicum misit, cùm in ea vrbe Bucerus vsque ad annum 48. esset. Hæc-ne signa sunt siue disruptæ, siue dissectæ beneuolentiæ & fraternitatis, & distracti in contrarias partes vtriusque ciuitatis Tigurinorum & Argentinensium Ministerij? *Hac omnia D.Sturmius.*

Bucerus de Zuinglio præclarè sentit & de Oecolampadio.

Imò in Commentario 26. cap. Matthai, in sua Retractatione Bucerus praclarè de Zuinglio iudicat, quum scribit: Huldricus Zuinglius, quem vindicandis Christo Ecclesijs à tyrannide & superstitione Papæ, fuisse studio flagrantissimo, & admirandâ etiam felicitate, norunt quicunque eum norunt. *Hac magnifica viri laus est. De Oecolampodio autem praclariùs:* Oecolampadium, *inquit,* nemo dubitat præstantissimum Theologum fuisse, qui eius monumenta legerit. Hic vt singulari modestiâ & religione in scriptis versabatur: & sanctos Patres diligenter legit, magnique fecit: ita admodum reuerenter & religiosè de sacramentis scripsit, vtcunque & ipse Impanationem corporis Christi in verbis Lutheri asseri putaret: eoque illa oppugnaret. *Hac Bucerus de vtroque in Retractatione sua: quam post conciliatam Concordiam inter Saxonicas, superioris Germania & Helueticas Ecclesias, viuo adhuc Luthero, conscripsit, qui etiam has laudes horum ferre potuit.*

De
ACTIS ET SCRIPTIS Witebergensem Concordiam subsequutis, & certaminis Sacramentarij renouatione.

Waldensium Fratrum Confessio sciente Luthero Witebergæ editur cum qua doctrina de Cœna. De duplici Christi præsentia.

CVm excitata illa inter Lutherum & Heluetios controuersia, interposito per Bucerum Concordia tractatu, aliquantisper conquieuisset, edito est Witeberga, *consentiente & approbante Luthero,* Waldensium *Confessionis Apologia ad Georgium Morchionem Brãdeburgensem Electorem, in quo pro explicanda vlteriùs sententia sua, duplicem Christi præsentiam faciunt, corporalem & spiritualem. Corporali præsentia seu essendi modo, Christum in cœlo, & non in terris esse dicunt, secundùm certos fidei articulos: Proinde eos, qui post ascensionem corporalem ipsius hic in terra præsentiam profitentur, dicentes:* Hic est Christus: *Pseudoprophetas vocant. Spirituali autem præsentia seu essendi modo, Christum toti ministerio suo verè & efficaciter adesse docent: In Sacramentis tamen peculiariter dici & intelligi adesse sacramentaliter, hoc est, velut in sacro & externo ad hoc diuinitùs instituto signo, id testificante & certificante in Verbo, ipsumque Christum inferente in spiritum fidelium, & omnia illius beneficia. Ne quis verò eos docere existimet, sacramenta per se salutifera esse, dicunt se pro clariore explicatione addere hac verba* Spiritualiter, *hoc est,* inuisibiliter, insensibiliter, incorporaliter, *corpori videlicet, non autem menti atque spiritui nostro. Nam totum hoc sacrum negotium spirituum humanorum & mentium esse: Quia Spiritus Dei in spiritus nostros hoc modo spiritualia sua dona traducat, virtute & efficaciâ prapotentissima legationis & institutionis Christi, Ideoque rectissimè addi,* Efficaciter. *Verè autem ob id dici, quòd verè actu & realiter, afficiantur mentes fidelium sacris istis actionibus, nisi quis fortè frigidas & exangues Diuinitatis operationes existimet. Hunc spiritualem præsentia seu essendi modum sicut fidelium spiritui proprium esse, ita quoque sola cordis fide capi posse tradunt. Ne autem quis existimet nos alienum sensum verbis illorum affingere, ipsorum verba adscribere volo, qua sic habent.*

1538.

Scriptura quatuor de S. Cœna credenda proponit. 1.

Iam diuina Scriptura quatuor nobis de hoc Sacramento sacrosanctissimo credenda proponit. *Primùm*, quòd Sacramentum hoc, panis & vinum sit. Nam sic Paulus, Panis, inquit, quem frangimus, &c. Item: Quoties ederitis panem hunc, &c. Nisi enim remaneret & esset panis & vinum (vt quidam nolunt, sed extorquere etiam & euincere volunt, citra omne tamen Verbum Dei, Transubstantiationem, de qua prior Ecclesia longo tempore nihil nouit, etiam Erasmo Roterodamo in Annotationibus suis super Euangelia teste) non fuisset tam audaculus Paulus, vt panem, quod panis iam non esset, appellaret. Neque etiam Lucas, qui disertè scribit, quòd Apostoli panem fregerint, &c. Quin & Magister Iacobellus, S.Hussij Martyris discipulus, is scilicet, qui primus omnium communionem vtriusq; speciei in Bohemia vsurpare cœpit, ex professo scripsit & edidit libellum, contra Transubstantiationem panis & vini, &c. *Secundùm*, quòd PANIS ILLE SIT VERUM CORPUS CHRISTI, ET VINUM VERUS SANGUIS CHRISTI: Ipse namque dicit: Accipite & comedite, hoc est corpus meum. De calice verò: Bibite ex eo omnes, hic est enim sãguis meus, qui est Noui Testamenti, &c. Quibus quidem verbis Christi, si quis præpostero ordine, priùs velit intellectum obtrudere sensumque eorum venari, quàm illis credere, is Christi magistrum se constituit, ac interim magnis semet ipsum inuoluit periculis, idque sic, vt aut nimis in altum se

2.

1538. hic subuehat, hoc est, integrum Christum in pane & vino viuentem corporaliter, seu personaliter præsentem corporibus nostris, idque sub vnaquaque specie habere velit, aut è diuerso nimis ad ima sese dejiciat & demittat, vt nullo modo Christum hic esse ferat, sed solùm nudum & exangue, ac nihil operans in anima, signum siue tesseram tantùm quandam professionis fidei, ac memoriam Christi absentis. Quæ quidem opinio, mentem ac finem intentionis ac institutionis huius sacrosanctissimi Sacramenti Christi, sed & Verbum illius prorsus euacuat, & in puerilem fabulam conuertit. *Et ibidem*: Corroborati in fide integra verba Christi docemus, oportere itidem cognosci & mentem Christi. Alioqui quid conferret sumpsisse Sacramentum, si nihil constaret, cur, quomodo, in quemve vsum vti debeamus Sacramento? Siquidem hoc pacto non difficulter quispiam obtineret, sicut, proh dolor! multi sibi persuadent, quòd solo hoc exteriore esu & potu, edat & bibat integram salurem: vel, vt alij, signum quoddam tantùm vel symbolum, quo scilicet testetur, se ad Christum illiúsque exercitum pertinere, cum eo pugnaturum, ac etiam quidlibet cum eo passurum: aut alioqui id pro operato opere habendum esse, quod facientes, tanquam aliquo bono opere à Deo præcepto, Deum demereantur: vel Sacramentum ipsum in spectaculum quoddam sacrum caperet, quod colat, adoret, cui supplicet. Quæ quidem omnia externa mentem & intentionem Christi esse, nemo negat, qui vel à liminibus sacras Scripturas salutauit. Verùm qui volet è verbis Christi seu Cœnæ, quibus nos ex toto corde ac simpliciſsimè credimus, quæque pro indubitatis habemus, mentem ac intentionem, siue propositum hic à Christo finem, venari & habere, qui scilicet vbique quadret cum Scripturis, & nusquam ab illis dissideat: is omnibus ijs, qui ad hoc factum pertinent, diligenter euolutis & dispectis, non aliud comperiet, nisi quòd Christus panem & vinum, corpus ac sanguinem suum sumi iusserit, in præcentissimam illius Noui Testamenti seu fœderis fruitionem, iam olim oraculo Hieremiæ promissi, ac pòst à morte & sanguine Christi effuso perfecti ac confirmati, & in omnium beneficiorum Dei, in salutem humani generis à Christo præstitorum, memoriam, quibus in corpore illius nobis sic promisso ac dato, fruimur præsentissimè, vtpote iam nostris? ac nobis velut in manus hoc Sacramento donatis, non quòd panis in corpus Christi corporaliter transeat, seu commutetur, & panis iam esse desinat, sed manens panis in sua substantia (cum Paulo sic loquimur) STAT, institutum Christi, verum illius corpus, vinum quoque verus illius sanguis, modo essendi speciali, QVEM NOS (quandoquidem plerunque germana ac propria vocabula, ad exprimendum verum sensum desunt,) SPIRITVALEM dicimus ac SACRAMENTALEM simul, &c. Et adhuc pro clariore eorum intelligentia docemus, idque iuxta sacrum Scripturarum tenorem, Christum duplicem essendi modum habere, vnum personalem seu corporalem, spiritualem alterum. CHRISTVS CORPORALI SEV PERSONALI ESSENDI MODO, NON IN TERRIS EST, SED IN COELO. Namque perfunctus hic legationis suæ munere, prædicationis scilicet, sacrificij sui in cruce, resurrectionis die tertiâ, glorificationisque quadragesimo ab hinc die, corpore & sanguine corporaliter & visibiliter cœlos conscendit, & ad dexteram omnipotentis Dei Patris residet, Rex cœli & terræ, Pontifex ac Sacerdos magnus supra domum Dei factus in cœlis, vnde non est rediturus ita corporaliter, quoad extrema mundi dies, iudicandorum viuorum & mortuorum aduenerit. Atque huc spectant certi Christianæ fidei articuli, qui fortiſsimis Scripturis sunt innixi & probati. Ea propter Christus deinceps non vult prædicari corporaliter præsens in terris, coli, adorari, credi, sed vnà cum Patre, secundùm Diuinitatem corpore existens in cœlis: Siquidem ista eius illic præsentia, nobis vtilis & necessaria est, vt adsit perpetuò humanitas illius incorrupta, pro nostra corrupta humanitate intercedens, quæ quidem hic iam nobis nulli vsui esset, post peractam legationis isthanc suæ, denique & mortis dispensationem. Et an non ipsemet eos, qui sic eum hic post abitum illius corporaliter in terris profitentur, dicentes, hic aut illic est Christus, vocat pseudo-prophetas, de quibus diligenter cauendis suos præmonet? Porrò eiusmodi doctrinis fides euertitur, Christus dignitate suâ & oblatione, quâ seipsum in cœlis Deo Patri offert, spoliatur, & respectus ab ipso ad res externas, humiles, corporalesque conuertitur, ac sic miserrimè plebs Christi seducitur. Spirituali verò essendi modo seu existentiâ, idem ipse adest, hic, atque verè præsentiſsimus est, tanquam vnigenitus Filius Dei, verusque & Deus & homo simul. Quem modum nullus corporalis sensus sentire aut quoquo modo com-

Verborũ Christi in Cœna finis, & scopus.

Christus duplicem essendi modum habet.

comprehendere poteſt: ſiquidem ſolâ fide cordis capi poteſt, quandoquidem honore & gloriâ Divinitatis coronatus eſt, eam quoque iam exeruit, priùs hîc corporis velamento (in quo Legatum egerat) tectam. Et iſto modo eſſendi ſeu operandi, ubique omnibus præſentiſſimus eſt, dominatur regnatque etiam in medio inimicorum ſuorum atrociſſimorum. Nihilominus, quòd peculiari modo fit in Eccleſia, omnia in omnibus adimplens, diligenter inculcamus, atque id quidem ſub triplici differentia: Principiò hîc eſſe ſuum in cordibus omnium fidelium habet: ſecundò aliud atque aliter in Miniſtris miniſtrantibus: Tertium tandem in ipſis adminiſtrationibus.

Christus Eccleſiæ ſua præſens eſt ſub tripli ci differentia.

1. Primùm quidem confitemur, Chriſtum eſſe in cordibus fidelium & electorum ſuorum, per veram ipſius agnitionem, perque efficacem huius agnitionis vim & operationem, in cordibus illorum agentem, de quo ad Epheſios multa Paulus & egregia diſſerit, quæ quidem omnia ille veritatis Spiritus, quem Chriſtus pollicitus fuerat, præſtitit abundè, & in hodiernum diem Eccleſiæ ſuæ præſtat: Per quem denique atque dona illius, corda illorum ut illuminat, ita etiam renovat ſeu reformat, & facit ipſos in omnem voluntatem Dei paratos, obſequentes & fervidos. Atque hæc eſt illa ſingularis ac præveniens illius gratia, de qua olim per Ezechielem facta eſt ſuaviſſima promiſſio, *Dabo*, inquit, *cor novum, ſpiritumque novum conſtituam in medio veſtri, & faciam ut in præceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis faciatiſque.* Paulus verò, *Miſit Deus*, inquit, *Spiritum ſuum in corda veſtro, clamantem Abba Pater, &c.*

2. Secundò de Miniſtris, ex cœtu fidelium iectis & conſtitutis, tenemus, quòd Chriſtus ſit itidem ſpiritualiter alio ab hoc operationis modo atque eſſe, ſcilicet per potentiam authoritatis, quàm per Spiritum ſuum eundem, dat illis in loco ſuo, ſive per miniſterii functionem, ut ſcilicet efficax ſit & operativa functio, apudque fideles gratiſſima. Quæ quidem etiam eſt pignus quoddam & arrhabo promiſſionum Dei erga nos, ut ea miniſtrorum authoritate, cui fideles alacriter parent, ac ſeſe ſubmittunt, omnes ſancti in unú corpus coaleſcant: Quos quidem multiformibus donis miniſterialibus ædificationi Eccleſiæ neceſſariis donat, quæ Apoſtolus 1. Cor. 12. enumerat evidenter: *Vnicuique*, inquit, *noſtrûm dato eſt manifeſtatio Spiritus, ad id quod expedit. Nam huic quidem per Spiritum datur ſermo ſapientiæ, alii verò ſermo ſcientiæ ſecundùm eundem Spiritum, &c.* Item: *Alios quidem dedit Apoſtolos, alios verò Prophetas, alios Evangeliſtas, Paſtores, Doctores, &c.* Ipſe verò Chriſtus de Spiritu ſancto, qui præſentiæ illius corporalis loco, fideles eſſet hîc conſolaturus; ſic: *Expedit*; inquit, *vobis: ut ego vadam: niſi enim abiero, Paracletus non veniet ad vos; ſi autem abiero: mittam eum ad vos, ut maneat vobiſcum in æternum, Spiritum veritatis, quem mundus non poteſt capere: Is teſtimonium perhibebit de me, glorificaturus eſt me, mundum coarguet, vobis ſuggeret omnia, ac in omnem inducturus eſt veritatem; quia de meo accipiet & annuntiabit vobis.* Et cùm mitteret eos in mundum, atque toti creaturæ prædicandi ſive miniſtrandi munus imponeret, protinus ac diſertè de hac ſua præſentia in ſuis Miniſtris ſubdit, *Vobiſcum*, inquit, *ſum uſque ad mundi conſummationem.* Et adhuc dubitabitur à quoquam, Chriſtum adeſſe ſpiritualiter Miniſtris miniſtrantibus, ab ipſo non à quovis homine conſtitutis adminiſtrationibus? Atque hinc eſt illa vox eius: *Sicut miſit me Pater, & ego mitto vos in mundum. Qui vos audit, me audit.* Item: *Non eſtis vos, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta ſunt. Et quæcunque olligaveritis ſuper terram, erunt ligata in cælo, & quæcunq. ſolveritis ſuper terram, ſoluta erunt in cælo.* Et an-non claris verbis Paulus hunc modum eſſendi ſpiritualem Chriſti, non modò in ſeipſo, ſed etiam in aliis Miniſtris demonſtrat, cùm inquit: *Habeo glorîationem in Chriſto Ieſu, in iis, quæ ad Deum pertinent: Non enim auſim quicquam eorum loqui, quæ non effecerit Chriſtus per me.* Et alibi: *Votentem quæritis certitudinem illius, qui in me loquitur, Chriſti:* Et item: *Si nos exiſtimet homo, ut Miniſtros Chriſti, & diſpenſatores myſteriorum Dei:* Alibi quoque: *Itaq. nomine Chriſti legatione fungimur, tanquam Deo vos obſecrante per nos, rogamus loco Chriſti, Reconciliemini Deo.*

3. Tertiò, docemus, quòd Chriſtus præſens ſit, ſingularem quoque actionem ſeu eſſe habeat in adminiſtrationibus ſuis; atque id quidem diverſum ab eo, quo præſens erat hic mundo priuſquam moreretur, aut etiam poſt reſurrectionem ſuam: quo deinceps præſens eſt & agit in cordibus fidelium, vel etiam in Miniſtris functione ſuâ utentibus. Peculiaris quidam hic eſt actionis modus ſive exiſtentia, quâ ille unus atque idem Chriſtus præſentiſſimus in iis ſuis adminiſtrationibus eſt, in hunc finem, ut hunc eundemque illis, atq; in iis mediis, ad

1538. ad id ab eo ex professo institutis fideles in semetipsos recipiant, ut hoc pacto in eis per fidem inhabitet, iuxta vim roboris sui, agendo & operando in eis atque vim suam exerendo, prout uniuscujusque membri necessitas pro ædificatione illius in charitate requirit. Quæ quidem præsentia atque inhabitatio illius in hominibus, est finis ac fructus omnium laborum illius, hîc in mundo susceptorum & exantlatorum, quin & hujus muneris, quod nunc in cœlis æterno & summo suo sacerdotio obit.

In eadem: Hanc quoque illius præsentiam in ministeriis, esse in Verbo Evangelii externo & in Sacramentis, profitemur: In Verbo hunc esse atq; operari tunc, cùm suijpsius Patrisque agnitionem instillat per Verbum hoc, & cùm per hoc uim suam exercet in homine, è veteri creatura novam faciens: De quo Apostolus sic: *Evangelium*, inquit, *est potentia Dei.* Et ipse Dominus, *Si quis*, inquit, *diligit me, sermonem meum servabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus.*

Christus in quem finem in Cœna præsens.

In Sacramentis verò tunc esse, cùm per hæc exteriora itidem signa, ipse idem nobis se declarat, impertit & exhibet, ad majorem nostri in fide Evangelii corroborationem, & in charitate inflammationem erga Deum, & mutuam inter fideles, adque confortationem in tentationibus assiduè irruentibus, tum denique ad majus incrementum in spe futuræ beatitudinis: præterea ad excitationem & auxilium, quin & ad redintegrationem & refocillationem conscientiarum languentium in frequenter labentibus, dum hac corporis corruptibilis mole oppressi sunt. Atque hinc est, quod in Sacramentis profitemur Christum esse, non personaliter aut corporaliter sive sensibiliter nostris sensibus ac corpori, sed solùm essendi modo iam dicto, spirituali, spiritibus scilicet nostris præsentissimâ virtute & efficaciâ institutionis suæ, conditioni naturæ nostræ appositissimæ. Perinde atque Ministris verboque Evangelij adest, verùm non adest corporaliter ac sensibiliter, verùm utrobique spiritualiter, potentiâ scilicet suâ ac efficaciâ, hic operando salutem omni eredenti. *Ibidem: Qui susceperit*, inquit, *eum quem misero, me suscipit.* Eodem modo in sacramentis spiritualiter est, atque id quidem ob eam causam, ut ii, qui Christum Ministros & verbum Evangelii susceperunt, eundem & per Sacramenta, quodammodo sensibiliùs, &, ut ita dicamus appropriatiùs, etiam sibi quisque per se suscipiant, & applicent, sic, ut eo fruantur in salutem.

Christus quomodo præsens in Cœna.

Etsi autem ista Waldensium Ecclesiæ sententia, de spiritualis præsentia Christi in Cœna modo, quem multis & accuratè explicant, cum triplici illo corporis Christi essendi modo, quem primus omnium (quod absque invidia & obtrectatione tanti viri dictum sit) recenter ex Scholasticorum non rectè percepta doctrina, invexit Lutherus, cujus nunc etiam solius authoritate ab Vbiquistis, intolerabili multorum Scripturæ locorum depravatione; malè defenditur, & certissimo novi schismatis indicio Ecclesiis recipiendus obtruditur; planè non conveniat: Tamen constat, non potuisse à Luthero, quæ à Waldensibus hac parte rectiùs & commodiùs essent tradita & explicata reprehendi, sed potiùs fuisse ab eo approbata. Quo nomine videri possunt soli, præ aliis ejusdem sententiæ & fidei sociis, felices, quòd non similes adversariorum furores & atroces in insectando calumnias sunt experti. Quis igitur hinc non facile animadvertat, eos non pio veritatis amore & studio, nec recto gloriæ Dei zelo, sed mero potiùs odio & ambitione, certarumque personarum invidiâ duci & impelli, qui quod in Waldensibus hactenus approbatum irreprehensumque fuit, in aliis quos isti veritatis & pacis hostes, contra dilectionem Christianam & præceptum Dei, de non dicendo falso testimonio, inuitos, per injuriam & contemptum, Cinglianos & Calvinistas vocant, hoc plausibili videlicet, quem sibi hæc propriâ suâ calumniâ pepererunt, prætextu, impio & fraudulento conatu damnant & persequuntur. Sed non erit, inquit Deus, testis mendax impunitus.

Vbiquistæ in Waldensibus probãt, quod in Calvinistis damnãt.

Lutherus in Epist. ad Waldẽs. anno 1542.

Eadem est Waldensium quæ Gallicarum Ecclesiarum fides & confessio.

Hoc etiam anno Philippus Melancthon literas scripsit ad Vitum Theodorum Noribergensis Ecclesiæ Pastorem: In iis cùm totum negotium Eucharisticum diligenter tractet, & errores, ex Physica conjunctione multis in locis natos, refutet graviter, & per antithesin veræ præsentiæ & alterius commentitiæ, sententiam suam de utraque manifestissimè demonstret: ut facile intelligatur, quid hoc tempore post factam concordiam Witebergensem de Cœna Domini senserit, & quantum ab illa opinione discesserit, quam Landgravio Hassiæ unà cum Brentio olim exposuit, eas in gratiam Lectoris adscribere non gravabor. Sic autem habent.

Philippi literæ ad Vitum Theodorũ de usque Cœna.

Epistolæ

Epiſtolæ duæ Philippi cum Scholiis D.Sturmii in Antipap.4.Par. 4.Pap. Elench. priore.

Philippus. EXtat libellus quiſpiam, in quo author reſpondet Carolo Magno Imperatori Francico primo, quid ſit de Symbolo Cœnæ Dominicæ ſentiendum.

Sturmius. *Author hic fuit Bertramus Presbyter, nec ſcripſit ad Carolum M. Imp. ſed Carolum Calvum Galliarum Regem, à quo etiam propter ſummam eruditionem & vitæ ſanctimoniam in magno pretio habitus fuit, circa annos Domini* 850.

Author fuerat Auguſtini ſtudioſus, ut ferè illa ætate tota, quare in hac reſponſione propemodum ſequitur Auguſtinum. Et de efficacia multa diſſerit, de præſentia magis ſignificans quid velit, quàm explicans.

Apparet igitur hunc ſcriptorem magis efficaciam & ἐνέργειαν, &, ut etiam Patres loquuntur, virtutem, ἀρετὴν, vim atque potentiam, δύναμιν, corporis Chriſti, quàm ipſam corporalem præſentiam aut oralem manducationem commendâſſe.

Sed ſi ſuperiorum temporum teſtimonia colligimus, quid dicant vides; Nam pleraque tenes: & habeo plura, quæ ſi ſequeremur explicatæ eſſent cęteræ quęſtiones, ἡ γὰρ ἀρχὴ ἥμισυ παντός.

Superiora illa tempora, quæ hunc ſcriptorem anteceſſerunt, ſunt Auguſtini, Epiphanii, & æqualium: certè Chryſoſtomi, Cyrilli, Theodoreti, Baſilii etiam & Nazianzeni apud Græcos: Tertulliani, Cypriani, Hilarii apud Latinos: certè Origenis & Clementis, qui præceptor fuit Origenis: certè Irenæi & Iuſtini, ad quorum tempora extenderunt ætatem ſuam Apoſtolorum diſcipuli: ad quos Marcus Evangeliſta & Iohannes Apoſtolus & Evangeliſta ætate uſque ad Trajanum Imp. pervenit. Hi inquam omnes efficacitate, virtute, vi, potentiâ, præſentiam carnis & ſanguinis, potus & cibi cœleſtis, magis, quàm craſſa & Capernaïtica manducatione æſtimabant. Et habeo plura, inquit Philippus, nempe teſtimonia Patrum, quàm Vito Theodoro miſerat. Cur verò colligebat ea? ut cognita & demonſtrata Patrum ſententia & Orthodoxo Conſenſu de re Euchariſtica reliquæ omnes controverſiæ explicarentur, ſcribit enim: Quæ ſi ſequeremur explicatæ eſſent cæteræ quæſtiones. *Ecce quantum authoritati Patrum tribuat Philippus. Nullam putabat reliquam poſſe eſſe controverſiam ſi de Patrum conſtaret ſententia: & Patrum eſſet authoritas, quæ eſſe debet. Cur autem addit;* Principium dimidium totius eſt? *Hæc enim Controverſia de præſentia Chriſti principium, & caput, & fons eſt omnis diſſidii, de quo ſi ex Patribus & authoritate veteris Catholicæ Eccleſiæ conſtaret, & de hoc conventus haberi convenientes placeret, principium certè hujuſmodi dimidium totius eſſet, & non longa neque difficilis futura eſſet diſceptatio, de Tranſſubſtantiatione, de Vbiquitate, de Elevatione & Adoratione, cæteriſq; Ritibus in Cœna Dominica. Quid autem Philippus in hac eadem epiſtola de ſacramentali præſentia, & ut Græci loquuntur, περὶ μυστικῆς παρουσίας?*

1538.

Ego ne longiùs recederem à Veteribus, poſui in uſu ſacramentalem præſentiam, & dixi: datis his rebus, Chriſtum verè adeſſe, & efficacem eſſe. Id profectò ſatis eſt. Nec addidi incluſionem aut conjunctionem talem, quâ affigeretur τῷ ἄρτῳ τὸ σῶμα, aut ferruminaretur, aut miſceretur.

Oſtendit ſe Veterum veſtigia inſequi, neque longè à Veteribus recedere. Qui ſunt iſti Veteres? ij ſcilicet, quos vocare ſolebat, puræ & eruditæ Eccleſiæ ſcriptores: hos inprimis imitandos putabat. Qua ratione & via? Poſui, *inquit*, in uſu ſacramentalem præſentiam.

Quæ eſt illa ſacramentalis præſentia? quæ non eſt carnalis, ſed myſtica: cujus myſterium ſoli fideles intelligebant, ut ſcribunt Veteres, Origenes, Cyrillus, Theodoretus, Auguſtinus: In uſu, *inquit. Quid uſum vocat? Vſus triplicem poteſtatem apud Latinos habet, ut apud Græcos χρῆσις. Vna eſt ut inſtrumenti, quo utimur: Altera ut utilitatis: ut in ſacramentali præſentia, utilitas ejus ſpectanda eſt, ſocietas videlicet & κοινωνία corporis Chriſti: ut, nativitas, vita, mors, reſurrectio, aſcenſus, quarum omnium hujus cibi & potus ſocietate evadimus participes. Tertia vis verbi ſita in ipſa actione, quam Philippus conſiderandam maximè cenſebat contra artolatriam, quam introduxit & auxit inprimis cuſtodia Ciborii, ut vocat Evagrius.* Et dixi, *inquit*, datis his rebus, *hoc eſt, acceptis, benedictis, fractis, infuſis, porrectis, etiam manducatis & potatis, poſtquàm comediſſent & bibiſſent, ut eſt apud Evangeliſtam,* Chriſtum verè adeſſe & efficacem eſſe. *Vbi hîc de rixâ περὶ τοῦ ῥητοῦ: propria-ne verba ſunt, an tranſlata? Vbi de locabilitate? Vbi hîc Vbiquitas? Vbi hîc Philippus diſſerit corpus Chriſti in pluribus locis eſſe poſſe, ut in Epiſtola ad Principem Landgravium ſcripſerat? Non ſentimus quàm longè hîc ab illa abſit contentione? Contentus uſu & ſacramentali præſentia: Statuit Chriſtum, Chriſtum inquam, Deum & hominem verè adeſſe & efficacem eſſe? Cur addidit,* efficacem eſſe? *an-non ſecutus ſententiam*

1538. *Bertrami? Et vide quomodo concludat affirmando.* Id profectò, *inquiens*, est satis? *ad quam rem est satis? ad deponendo dissidio: ad componendas Ecclesias: ad pacificationem: ad pacem: ad Concordiam: ad charitatem, quæ Christi corporis glutinum est. Vbi verò in hac Epistola σωματικῶς, aut οὐσιωδῶς?* Nec addidi, *inquit*, inclusionem, aut coniunctionem talem, quâ affigeretur τῷ ἄρτῳ τὸ σῶμα, aut ferruminaretur, aut misceretur. *Quid sibi volunt ista verba*, Includi, affigi, ferruminari, misceri? *Quis illa facit? à quibus ista fiunt? De Veneratione autem & Elevatione quid in hac Epistola?*

Sacramenta, *inquit*, pacta sunt, ut rebus sumptis adsit aliud. Hoc cùm ita sit τὴν φερομένην addi non oportuit: aut si additur, non est referenda πρὸς τὸν ἄρτον.

Ecce quàm hîc Philippus reverenter? quàm longè aliter, quàm ad prudentissimum Principem Landgravium. Pacta inquit esse, non pacta solùm, sed etiam fœdera, & fœderum tesseras atque characteres. Cur illud in hoc Epistola? Et in altero ad Landgravium non illud? Ut rebus sumptis, *à quibus? ut in hoc Sacramento ex manibus Christi in extrema Cæna: ex manibus Ministri in nostra Cœna adsit aliquid aliud: quid illud est? Christus ipse cũ corporis sui efficacia, virtute, vi, potẽtia: eius efficiendi & porrigendi, quod Christus nobis dari & porrigi, & à nobis sumi, edi, & bibi voluit. Adorandum ne istud? ecce quid Philippus:* Hoc cùm ita fit, addi τὴν φερομένην non oportuit, aut si additur, non est referenda πρὸς τὸν ἄρτον? *Vbi illud τὸ μετὰ? Panis est corpus Domini, id in Cœna est: in pane est, cum panis est: cum fasciis & linteis. Non sic quidem Philippus scribit ad Landgravium, sed ita Vbiquistarum aliqui interpretati sunt ad plebẽ imperitam. Quod ad Philippi sententiam attinet ad Landgravium Principem scriptam, satis est in hac Epistola notari à Philippo, panem non adorandum esse, qui anno 30 quo tempore Philippus & Brentius ad Landgravium scripserunt, adhuc Witeberga & in toto Saxonia & Misnia elevabatur & colebatur in Excelsis. In hac verò Epistola adoratio pani adimitur. Iesu Christo Deo & homini attribuitur. Dicit enim, ad panem adorationem non esse referendam. Sed videamus quid de vetere novo fundamento Vbiquitario, & de Vnione hypostatica, quam Vbiquista monstroso dogmate deprovant, Philippus sentiat.*

Tu quod disputas de Unione hypostatica, aut σωματικῇ, Primùm in vocabulo erras. Hypostatica vocatur personalis unio, qualis sola est divinæ & humanæ naturæ in Christo: Talem unionem τοῦ ἄρτου nec Papistæ ponunt, & prorsus novum est, & haud dubiè ἀνόσιον. Ergo hoc vocabulo in hac causa te uti nolo.

Ecce quantum hæc Epistola ab illo ad Lãdgravium differat: Et quam procul Philippus à Luthero & à seipso discesserit. Totum fundamentum Vbiquisticum de Vnione hypostatica hîc evertit, personalem esse dicit: ad sacramentalem istam quæstionem non pertinere: solùm divinæ & humanæ naturæ in Christo applicabilem esse: ad cæteras res non pertinere, non pervenire, etiam Pontificios talem unionem panis non ponere: Novum illud & ἀνόσιον, hoc est, impium dogma esse. Et pro authoritate sua ait: Hoc vocabulo in hac causa uti te nolo. Vbiquista verò censent, non posse defendi præsentiam corporis Christi, nisi hoc posito Vbiquitatis fundamento. Et ut vincant, hæresin in Ecclesias novam, invisam, inauditam, immanem, exhorrescendam inducunt. Consideremus autem id quod insequitur cuiusmodi sit.

Nec tu hoc volebas esse unionem hypostaticam τοῦ ἄρτου καὶ τοῦ σώματος, sed realem, ut ferri & ignis in ignito ferro: utamur enim qualicunque similitudine, seu ut est vasis & potus.

Apparet de his rebus Philippum cum Vito Theodoro in collocutionem venisse, & cum ipso disseruisse, & propterea antè scripsit: Dixi datis his rebus Christum verè adesse, & efficacem esse. Et hoc in loco vicissim quid ipse senserit in eo disceptatione repetit. Nimirum, non esse coniunctionem hypostaticam, realem tamen: ut est ferri & ignis in ignito ferro, seu ut est vasis & potus. Philippus verò non vetat hac similitudine uti; sed quæ ostendit hanc similitudinem non aggregari posse rei propositæ. Patres enim etiam utebantur hac similitudine non de Eucharistia, sed de Christo: non de panis & corporis in Cœna coniunctione, sed de humanitatis & Divinitatis in hypostatica unione.

Ego verò, etsi ut dixi, realem pono, tamen non pono inclusionem, seu ferruminationem, sed sacramentalem, hoc est, ut signis positis adsit Christus verè efficax: Quid requiris ampliùs?

Requirunt Vbiquista aliquid amplius, præter præsentis Christi efficacitatem: ipsum Christum præsentem & verè efficacem cum sacramentis suis? Ecce autem quid addat, & quantum huic suo fundamento tribuat.

Et huc decurrendum est tandem, nisi defendas illud, quod nonnulli jam dicunt: Separatim tradi corpus & sanguinem: Id quoque novum est, ac ne Papistis quidem placiturum.

Quæro ab Vbiquitariis: utrum statuant separatim dari corpus & sanguinem, corpus absque sanguine, & sanguinem absque carne, alterum

rum extinctum & siccum, alterum succulentum, & non nutriens: utrum inquam utrumque separatim, an utrumque cum utroque & in utroque conjuncte? Si seperent, repugnant Melancthoni: si conjungunt, confirmabunt Pontificium dogma, utrumque sub una specie accipi. Nunc cogiteut qua Melancthonis sit sententia. Non certè illos probat, qui discerpunt: Neque Pontificiorum institutum sequitur, una contentus specie: Et tamen & Lutherus & Melancthon principio contentionis hujus concesserunt Pontificiis, corpore Christi etiam sanguinem contineri. Quid igitur possumus hinc aliud statuere, quàm Philippum ex Patrum authoritate præsentiam corporis & sanguinis Christi censere, non corporali illa præsentia Vbiquitaria, sed ipsius Christi præsentia, qui efficax est in Cæna, & in sacramentis suis? Quales verò sunt quæstiones? & quæ sunt, quæ ad hoc revocandæ sunt principium? Multa ut solet fieri in disputationibus: enumerat autem aliquas.

Error, *inquit*, fœcundus est, ut dicitur: Multas quæstiones parit illa physica conjunctio: an separatim, an sint inclusæ partes, quando adsint: an extra usum? Horum nihil legitur apud Veteres: Nec ego inveham has disputationes in Ecclesiam, eoque tam parcè dixi in locis de hoc negotio, ut à quæstionibus illis iuuentutem abducerem.

Quicquid hujusmodi quæstionum est, & quicquid argutiarum, hac Philippus sua retenta sententia putat posse explicari. Et vide ut terminet Epistolam.

Habes in summa & κατηγορικῶς, quid sentiam: sed utinam iusta deliberatio de tota re aliquando haberetur, remotis aliquantisper affectibus καὶ τῇ σοφιστικῇ duobus tyrannis sævissimis.

Ait, summatim & disertis verbis absque hæsitatione aut dubitatione suam se explicâsse sententiam. Cur non hanc sequimur donec iusta habeatur de tota hac re deliberatio? Sed quorum hominum? Eorum qui ad Synodum hujusmodi non adferant affectiones pravas: ut iræ & odii, ambitionis & avaritiæ, in honoribus & gratiis colligendis, pecuniis accumulandis. Deinde non eorum qui disceptandi causa potius veniant, ut vincant, ut vexent, ut exagitent: non Theologi, sed Sophistæ. Duos enim statuit in hujusmodi actionibus Tyrannos πάθος καὶ σοφιστικήν. Concludit Epistolam his verbis.

Si tibi hac simplici responsione non satis fecero, expectabo à te longiorem disputationem. Ego hoc modo & religiosè & ἀπεργῶς & verecundè de symbolis me loqui existimo, & proximè ad Veterum sententiam accedere. Nunc scribere plura non vacabat: Witebergæ die Georgii, *Anno* 1538.

1538.

Is ad quem hæc scripsit Philippus certè non habebat quid requireret, nisi unum, quòd τὸ ῥητὸν præterisset in sua Epistola: Unde sic ei rescribit in alia Epistola Philippus trigesimo secundo die post alteram Witebergæ datam.

Epistola altera.

Ut ille Regum præstantissimus apud Herodotum negat se velle ἰσοβασιλεύειν: Ità multò magis nos in Ecclesia conferre sententias decet, à qua longissimè tyrannis abesse debet, sed ita si non adferant duas res veritati inimicissimas, τὴν σοφιστικὴν καὶ τὴν αὐθάδειαν.

Indignissima res est, quod malum neque Cyrus Rex Persarum, neque Epirotarum Pyrrhus in regno suo concessisset: Privatorum consiliorum authoritatem, aliorum non auditis consiliis, id paucos aliquos viros, ut nostra ætate sex Bergenses Patres, sibi arrogare, ut de universis & omnibus Ecclesiis iudicium facerent.

Quid enim fuerit indignius, quàm si dicturus in Ecclesia sententiam expetat hanc laudem quæ est in Epidico de Sycophanta: Qui,

Legum atque virûm fictor conditor oluit.

Scripsi tibi simpliciter quid sentiam, nec discerpo aliquid ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ: Scio enim verè & substantialiter adesse Christum: & efficacem esse, cùm symbolis utimur.

Dicit, se nihil decerpere, hoc est detrahere ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ, id est de sententia verborum Christi: Verbum enim Dei veri tenet & defendit, qui veram illius sententiam & sensum tuetur. Scio enim inquit, verè & substantialiter adesse Christum: Cur Christum dicit, & non corpus Christi? Si enim totum, quid parte erat opus? Cur addit; Et efficacem esse suis symbolis? an non ut retineret quod in priore Epistola posuerat, & sequeretur Augustini vestigia? Ecce autem quid ἀπὸ τοῦ ῥητοῦ scribat ex sententia illius ad quem scribebat aliquid efficiens.

Synecdochen tu quoque concedis.

Si enim Synecdochen concedit, certè Metaphoram concedit: Est enim apud Aristotelem genus Metaphora, ipsa Synecdoche. Si quis neget Synecdochen inter Metaphoras numerari non debere, tamen tropum & figuram ut concedat necesse est. Si figuram, ubi τὸ ῥητὸν, authore Melancthone. Quàm longè Philippus abest ab illa ad Landgravium Epistola: & ab illis authoritatibus, quas ante 30. annum ad Oecolampadium miserat?

Sed

1538.

Sed addi divisionem ac distractionem τοῦ σώματος ἐ αἵματος novum est prorsus & inauditum universæ veteri Ecclesiæ.

Noluit divelli Christum in suis sacramentis, qui in utroque symbolo æquè est efficax : integer atque totus, neque distractio symbolorum Christi distractionem parit, neque Christi Dei atque hominis corpus suum à sanguine suo distrahi patitur cùm caro nutriat cum humectatione, & sanguis humectet cum nutritione. Possumus ex his animadvertere, Philippum aliquid in Patribus observâsse quod non ausus fuerit aperire, metuens καινοτομίας & novitatis vituperationem : & diu in hac Patrum observatione versatum esse, & aliquid annotâsse, quod animadversione, & integra tractatione dignum esset. Ecce enim.

Hac de re scripseram longiorem Epistolam, sed postea cogitavi de tota causa integram disputationem me cùm primùm potero ad te scripturum esse, collectis omnibus & testimoniis & argumentis quæ quidem memini. Nam illud scias amplius decennio nullum diem, nullam noctem abijsse, quin hac de re cogitârim. Witembergæ 24. Maij, *Anno* 1538.

In hac epistola videmus, decennium magis in Patribus legendis & argumentis notandis tum versatum fuisse Philippum, quàm anno 28. Non igitur movere aliquem debet Philippi & Brentii epistola ad Landgravium : αἱ δεύτεραι φροντίδες τῶν προτέρων ἀμείνους. Plus ætati virili credendum, quàm iuvenili : experientiori magis credendum, quàm eidem inexperto: & ea doctrina melior est, quæ usque ad exitum vitæ defenditur.

Philippi Loci Communes recuduntur, in quibus orthodoxa sententia de Cœna explicatur.

Cùm etiam Philippus hypotyposes Locorum Cõmunium superiori anno 36. retexuisset, eumque librum titulo Locorum Communium Theologicorum edidisset, Regi Angliæ inscriptum, eundem hoc anno 38. Witebergæ recudi curavit, multis ante Lutheri obitum annis, ex quo etiam colligere licet, quantum vir ille in negotio Sacramentario brevi temporis spatio profecerit, & quantum ab illo mutatus sit qui adhuc anno 30. fuit. Nam hoc modo summam controversiæ de præsentia, sive unione sacramentali in Cœna Dominica in eo exposuit. Multæ & horribiles de hoc sacramento controversiæ extiterunt. Disputatur de verbis Cœnæ, An sit in his verbis Metaphora, Hoc est corpus meum. Quæritur de Missa, an sit quædam oblatio facienda & applicanda pro aliis, vivis & mortuis, ut mereatur eis remissionem seu culpæ seu pœnæ : Quid differant opus Sacerdotis & laici. Hæ controversiæ, & aliæ his vicinæ, facilè dijudicari possent, si non esset mutata vetus Ecclesiæ consuetudo in hac ceremonia tractanda. Atque utinam Synodus eas piè & feliciter explicet. Ego nec author, nec assertor ullius novi dogmatis esse volo, quod non habet Ecclesiæ veteris probata testimonia. Non enim contemno Ecclesiæ Catholicæ judicium & authoritatem. Quid autem de verbis Cœnæ senserint Ecclesiastici Scriptores, ex dictis eorum apparet. Paulus inquit : Panis est communicatio corporis Christi. Poculum est communicatio sanguinis Christi. Itaque datis his rebus, pane & vino in Cœna Domini, exhibentur nobis corpus & sanguis Christi. Et Christus verè adest Sacramento suo, & efficax est in nobis, sicut Hilarius inquit: Quæ sumpta & hausta faciunt, ut Christus sit in nobis & nos in Christo. (*Hoc quum fateantur hodiè pij omnes, cur quæruntur dissidia perpetua in Ecclesia? Nec verò ulla hîc vel Consubstantiatio, vel localis inclusio, vel occultatio, vel alligatio substantialis corporis Christi ad Symbola ponitur : sed Communio corporis cum homine salutaris & vivifica & consolationis efficacis plenissima asseritur, In qua fides piorũ tutò acquiescere potest: cùm præsentia illa substantialis, quam alii ponunt ad locum panis, momentanea esse fingatur tantùm, & otiosa, & à vero usu Sacramẽti homines abducat, & basis seu nervus sit multiplicis idololatria Papistica. Et tamen nec Lutherus, nec alij vivente adhuc Luthera, de hac sententia cum Philippo contenderunt.*) Mirum profectò & ingens pignus est summi erga nos amoris summæ misericordiæ, quòd hac ipsa Cœna testatum vult, quòd seipsum nobis impertiat, quòd nos sibi adjungat tanquam membra, ut sciamus, nos ab eo diligi, respici, servari. Utinam hujus tanti muneris magnitudinem animo metiri & contemplari disceremus, ut grati essemus, & cùm fidem erigeremus, tum verò expavesceremus etiam, & cogitaremus, quantum habeat ingratitudo sceleris, quàm horribiles pœnæ, abusus manifestos & prophanationem secuturæ sint.

Testatio ipsius est etiam in epistola ad Oecolampad. Sed aliter eam Philippus nunc applicat: non ad oppugnandam, sed ad defendendam veram sententiam de Cœna.

Casparus Cruciger quoque qui tractatui Concordia Witebergensis interfuit, eodem modo ad Vitum Theodorum de præsentia Christi in Cœna scripsit, & simul graviter conquestus est de variis quæstionibus quæ in hac causa moveantur, ac turbis quæ inde sint aliquando orituræ: Epistolam, *inquit*, tuam ad Philippum, cùm ipse absit, ego ad me recepi, & quia intellexi te velle, ut à me quoque legatur, ausus sum eam aperire, & legere, cùm sciam me hoc Philippo quoque non invito facere. Disputatio jam impedita est, non tantùm quod ad adorationem attinet (quam non existimo ita duriter accipiendam, ut illa externa cujusdam etiam reverentiæ signa,

Caspari Crucigeri literæ de Cœna & querela de variis quæstionibus quæ in hac causa moventur.

gnificatu

gna, cùm ostenditur Eucharistia, mox λατρείας, quæ debetur ipsi Divinitati aut personæ Christi, interpretemur) sed multò magis quod attinet ad ipsam παρουσίαν, qualis tandem constituenda sit, non quòd veram esse negandum sit, sed an localem seu loco inclusam. Deinde etiam an illam divisionem seu separationem corporis & sanguinis ponendam esse asserendum sit: Aut an eo modo tantùm, quo Christus alioqui ubique verè, non ἐνεργείᾳ tantùm præsens esse, & omnibus adesse creditur. Bone Deus, quantùm nobis istæ quæstiones Tragœdiarum aliquando excitabunt, quas iam neque attingere licet, nec tamen ab iis, unde debebant, aliquo modo expediuntur. Nihil est usquam, quod magis vellem explicari, neque quidquam magis perhorresco cogitatione, quàm harum disputationum motus. At sæpe cum nostro (*Philippus*) his de rebus colloquor, ἀλλ' ἀεὶ τούτων ipse ad te scribet. Ego quantum possum, disputationibus illis interim sepositis, sequor, quod existimo tutissimum, veram adeoque σωματικὴν παρουσίαν esse IN VSV Eucharistiæ, quam verba Cœnæ, & Paulus omnino videntur ponere & verba Niceni Concilii planè testantur. Sed ut præsentiam omnino ponendam esse sentio, ita de modo παρουσίας non disputo. Puto hoc simplicitati fidei sufficere, credere, quòd verè adsit Christus, & ejus corpus & sanguis verè exhibeantur VTENTIBVS. Cæterùm quantum ad veram concordiam Ecclesiarum referat, & hanc disputationem clarè explicari, ipse potes judicare. Verùm hæc à me fidei tuæ sanctè credita esse existimes, cui non dubito, quævis secreta mearum cogitationum concredere, Philippum spero intra biduum teversurum, &c. B. V. Witebergæ die Cœnæ Domini 1538. *Casp. Cruciger.*

Vates fuit Cruciger.

Vocat corporalem præsentiam non in symbolis sed in usu Cœnæ quoad κοινωνίαν non fidelibus: id quod ex dicto Pauli allegato apparet, in quo verba Cœnæ interpretatur Apostolus de κοινωνίᾳ.

Eodem hoc anno cùm Bucerus, Capito & Ioh. Sturmius Basileam missi essent à Senatu, ut controversia componeretur, quam Carolostadius adversus Grynæum excitârat, postulans ab ipso, ut si Theologiam publicè docere vellet, Theologum se doctorem creare pateretur: Farellus, Calvinus & Viretus exhibuerunt eis formulam Confessionis Gallicarum Ecclesiarum de Cœna Domini, quæ ad verbum sic habet: Vitam spiritualem, quam nobis Christus largitur, non in eo duntaxat sitam esse confitemur, quòd Spiritu suo nos vivificat, sed quòd Spiritus etiam sui virtute, carnis suæ vivificæ nos facit participes, quâ participatione in vitam æternam pascamur. Itaque cùm de communione, quam cum Christo fideles habent, loquimur, non minùs carni & sanguini eius communicare ipsos intelligimus, quàm Spiritui, ut ita totum Christum possideant. Siquidem cùm apertè testetur Scriptura, carnem Christi verè nobis esse cibum, & sanguinem eius verè potum: ipsis verò nos educari oportere constat, si vitam in Christo quærimus. Jam nec exiguum quiddam, aut vulgare docet Apostolus, cùm nos carnem de Christi carne, & ossa ex ossibus eius esse asserit: sed eximium nostræ cum Ipsius corpore communionis mysterium ita designat, quòd nullus verbis satis pro dignitate explicare queat. Cæterùm istis nihil repugnat, quòd Dominus noster in cœlum sublatus, localem corporis sui præsentiam nobis abstulit, quæ hîc minimè exigitur. Nam utcunque nos in hac mortalitate peregrinantes in eodem loco cum ipso non includimur, aut continemur, nullis tamen finibus limitata est eius Spiritus efficacia, quin verè copulare, & in unum colligere possit, quæ locorum spatiis sunt disjuncta. Ergo Spiritum ejus vinculum esse nostræ cum ipso participationis agnoscimus, sed ita, ut nos ille carnis & sanguinis Domini substantiâ verè ad immortalitatem pascat, & eorum participatione vivificet. Hanc autem carnis & sanguinis sui communionem Christus sub panis & vini symbolis, in sacrosancta sua Cœna offert, & exhibet ômnibus, qui eam rite celebrant iuxta legitimû eius institutû.

Formula Confessionis Gallicarum Ecclesiarum exhibetur Bucero, Capitoni & Sturmio.

1538.

Hanc Confessionem approbârunt subscriptione sua Bucerus & Capito. Attendat autem Lector, quibus verbis, quove sensu, atque sententia subscripserint: Hanc sententiam, *inquiunt*, optimorum Fratrum & Symmistarum nostrorum G. Farelli, Ioh. Calvini, atque P. Vireti, ut orthodoxam amplectimur, neque unquam sensi Christum Dominum in sacra Cœna præsentem localiter, aut ubique diffusum: verum & finitum habet corpus & in gloria manet cœlesti. In hac autem nihilominus est per Verbum suum atque symbola: hîc sistit se nobis cum ipso jam in cœlestia per fidem sublevatus, ut panis quem frangimus, & calix per quem Christum prædicamus, sit nobis verè corporis & sanguinis ejus communicatio. Præterea ut errorem in Ecclesia non ferendum agnoscimus, nuda & inania Christum statuere in sacra sua Cœna symbola, & non credere hic ipsum quoque corpus, & ipsum sanguinem Domini percipi, hoc est, ipsum Dominum verum Deum & hominem.

Confessio Gallicarum Ecclesiarum approbatur à Bucero & Capitone.

Martinus Bucerus sua manu scripsit,
Wolffgangus Capito subscripsit.

Hac

1539. *Hac Genevensium & Gallicarum Ecclesiarum Confessionis doctrina adhuc sonat in Gallia, Helvetia & Geneva. Et conscripta approbataq; est Confessio hac, vivo adhuc Luthero. Non autem credibile est, duos illos integerrimos viros, Bucerum & Capitonem, falsa doctrina, & qua Concordia facta, aut Lutheri sententia adversaria esset, subscripsisse.*

ANNUS M.D.XXXIX.

De Certamine Sacramentario à Luthero post Concordiam initam renovato.

QUanquam post Conventum Smalcaldicum & approbatam Confessionem Helveticam eiusque Declarationem, D. Lutherus amantissimè Helvetios complecti, & vicissim Helveticarum Ecclesiarum Ministri Lutherum colere, observare & diligere cœperant, omnesque speraverant priores offensiones & injurias communis Concordia & pacis Ecclesiarum causâ sempiternâ oblivione deletas esse: non defuerunt tamen incitatores, qui Lutherum quibuscunque possent modis rursus alienare ab Helvetiis conabantur. Hi undiquaque frigidam suffundebant, ut diffidentiam instillarent animo Lutheri, eumque sic inflammarunt, ut bellum denuò in hac causa Eucharisticâ accenderet.

Lutherus edit librum de Conciliis, in quo Zuinglium Nestorianum esse dicit.

Nam in libello de Conciliis & Patribus, quem Lutherus hoc anno edidit, cùm frequens esset in omnium ore Concilii nomen, Zuinglium Nestorianum fuisse dicit, eò quòd divinam in Christo naturam dolores passam esse negârat.

Tigurini Lutherũ ad Concordiam servandam hortãtur.

Ministri itaque Tigurina Ecclesia, 30. die mensis Augusti, ad Lutherum scripserunt, eumq; sedulò hortati sunt, ne ultimam pactionem violaret, & talia de Zuinglio sentiret & scriberet. Litera autem illorum de verbo ad verbum sic habent.

Clarissimo viro D. Martino Luthero Domino colendissimo.

GRatia & vitæ innocentia à Deo Patre per Dominum nostrum Jesum Christum. Legimus quæ scripsisti, doctissime Luthere, de Conciliis & Patribus, necessarium planè & congruentem nostro seculo, nostrisque moribus & hominibus librum. Dominus te confirmet, ut sic pergas Antichristi regnum ferreâ constantiâ & invictâ fortitudine oppugnare & destruere. Dolet verò illud vehementer, quòd in eo optimi & doctissimi viri Huldrychi Zuin-

Zuinglius in

glii, felicis memoriæ, præceptoris nostri, mentionem feceris non omni parte honestam: quasi is aliquando secutus sit Nestorii dogma, aut certè parum discrepantia à Nestorianis tradiderit. Cùm tamen ex Ipso in Synodo Marpurgensi (si bene meministi) planè diversum didiceris. Nam & Articuli illi, qui ab utroque subscripti, omnium teruntur manibus, testantur atque fatentur, Jesum Christum personam esse indisjunctã. Et certè Catholicam ille fidem de unitate personæ Christi naturarumque proprietate ad eum modum semper & ubique confessus est, quemadmodum ipsam confitendam tradidit præscripsitque Scriptura Canonica, priscorum denique Conciliorum & Patrum antiquorum, præsertim S. Athanasii fides. Videre id licet in Confessione illa fidei suæ, quam scripsit ad Carolum V. Imp. Augustæ Comitia celebrantem, ut interim de aliis ejus libris nihil dicamus: Illam in postremis vitæ suæ annis edidit. Neque aliud nos ipsi vel hodie dicemus, quàm quod ille de hoc negotio tradidit, & quod Confessio illa Basileæ conscripta, & tibi per Capitonem & Bucerum oblata, expressimus. Illa verò tibi non displicuit; non displiceat ergo rogamus quod ab illa non variat. Imò hortamur, Luthere optime, tuam integritatem, ne Zuinglii nostri fidem apud Ecclesias de hæresi Nestoriana reddas suspectam. Zuinglius enim cum Nestorio planè nihil commune habuit, & vir fuit pius & orthodoxus, veritatis catholicæ & æquitatis sanctæ amantissimus: Qui si tibi rectè cognitus fuisset, non adeò incruduisset proculdubio inter vos noxia illa concertatio. Verùm cùm diversum evenerit, & dissidium ipso vivo non quieverit prorsus sopiri, cupimus saltem, ut rectiùs perpensâ & cognitâ fide hominis piissimi, vel post facta cesset concertatio, veterisque dissidii scintillulæ penitus extinguantur tandem. Atque hæc ideo scribimus ad te, charissime Luthere, quòd ultimis literis illis ad te è Tigurina Synodo Majo mense, anno 1538. scriptis, polliciti sumus, fraternè indicaturos nos tibi, si quid in te desideraremus, quo pax inter nos & concordia constare queat. Amico ergo animo hæc apud te querimur, & tuæ modestiæ indicamus, per charitatem orantes, ut si quid in nobis quoque desideraveris, amicè indicare nobis, ut fratribus, interim & de Zuinglio nostro meliora animo tuo polliceri, ac nostra hæc amico profecta animo, boni consulere velis. Vale cum tuis omnibus. Tiguri 30. Augusti, *Anno* 1539.

Marpurgensi Colloquio probavit se non esse Nestorianum.

Ad

Lutherus ad has literas Tigurinorum non respondit.

Ad has verò literas Lutherus nihil prorsus respondit, non quòd Tigurinorum culpâ, sed incerto ac suspenso Concordia tractatio relicta esset, sicut Compilatores historia Augustana Confessionis scribunt; ab hac enim culpa procul abfuerunt, ut ex penultimis & his ultimis illorum ad Lutherum literis manifestum est: sed quòd calumniam hanc & injuriam Zuinglio illatam, excusare nullo modo posset, & contra promissa ac pacta manifestè se egisse animadvertisset. De aliis à Luthero scriptis contra Vitenbergensem Concordiam editis, suo loco dicemus.

Decreta Londinensis Synodi quibus Papatus rursus confirmatur.

Cùm superioribus annis Henrici 8. Regis Anglorum mandato abolita esset per totum Angliæ Regnum magna pars Papisticorumerrorum, & de communi omnium assensu, Pontificatus Romanus ac illius impostura omnes è Regni finibus exterminata essent, non secus atque per magnam partem Germania: Rex quoque ipse Protestantium Principes per Eduardum Foxum Episcopum Herfurtensem hortatus esset, ut in proposito suo strenuò pergant, & eandem planè doctrinam profiteantur omnes: Ecce hoc anno in Conventu quodam sequentia decreta fecit, prioribus plane contraria: Sub forma panis atque vini, verum esse & naturale corpus atque sanguinem Christi, & à consecratione non ampliùs manere substantiam panis atque vini: perceptionem integræ Cœnæ Domini non esse necessariam ad salutem, & sub utralibet specie contineri totum Christum: Sacerdotibus non licere contrahere matrimonium: Vota castitatis esse servanda & præstanda: Missas privatas esse retinendas: auricularem & arcanam Confessionem delictorum esse utilem & necessariam: iis qui contrà docerent, atque facerent, pœnam constituit ut hæreticis. *Vt de dogmatis illis Rex ita statueret, nonnulli dicebant ab Episcopis impulsum fuisse, quò per eam occasionem, Thoma Cranmero Archiepiscopo Cantuariensi, & Thoma Cromelio, qui religionis erant cupidi, detraheretur omnis authoritas.*

Sleidan. lib. 12.

Philippus scribit contra decreta Synodi Anglicanæ.

Hæc decreta postea sunt ab Episcopis edita sub Regis nomine: contra quæ Philippus gravem Supplicationem, seu Intercessionem jussu Principum Protestantium scripsit ad Regem, quæ extat integra inter Consilia seu Iudicia Theologica Philippi anno 1600 operâ D. Pezelii edita. In ea quod ad Sacramentariam causam attinet sic inter alia scribit. Similes præstigiæ sunt in articulo de privatis Missis. Etsi initium planè falsum est. NECESSE est retinere privatas Missas. Quis sic sensit annis ampliùs quadringentis post Apostolos, cùm nullæ essent privatæ Missæ? sed postea sequuntur sophismata, ut populus per eas

De privatarum Missarum abominatione.

1539.

recipiat divinas consolationes, & beneficia. Cur non addunt, quas consolationes, & quæ beneficia? non nominant Episcopi applicationem & meritum, quia sciunt defendi non posse. Ludunt verbis, ut elabi possint, si applicatio vituperetur. Et tamen à populo applicationem intelligi volunt. Uolunt confirmari persuasionem idololatricam, mereri hoc sacrificium aliis remissionem culpæ, pœnæ, levationem omnium calamitatum, denique lucra in negotiis, & quicquid affinxit hominum solicitudo.

Et paulò pòst: Non est leve peccatum instituere cultus sine mandato Dei, aut tales cultus defendere: Privatæ Missæ autem, & reliqua, ut constat, sunt cultus ab hominibus instituti. Etsi enim Cœna Domini à Christo instituta est, tamen privata Missa est impia profanatio Cœnæ Domini. Nam in Canone, quantùm est sceleris, qui inquit: Hic offerri Christum: & hoc opus sacrificium esse, quod redimat vivos & mortuos? Hæc non sunt instituta à Christo, imò multipliciter pugnant cum Evangelio. Non vult se offerri Christus à sacrificulis, nec opus illud offerentis, aut sumentis sacrificium pro aliis ullo modo esse potest. Idololatria manifesta est, & opprimit doctrinam de fide, & de vero usu Sacramentorum: Fide in Christum iustificamur, non opere sacrificuli, & Cœna instituta est, ut Minister aliis porrigat, quo agentes pœnitentiam admoneantur, ut credant verè ad se pertinere promissiones Evangelii, cùm hic proponatur testimonium, nos fieri membra Christi, & ablutos esse sanguine Christi.

Ab hoc usu, qui institutus est in Evangelio, & observatus in veteri Ecclesia aonis ampliùs trecentis, non licet discedere. Impietas enim est, transferre ritum divinum ad alios usus, iuxta secundum præceptum Decalogi. Quare Missæ privatæ cùm multis modis, oblatione, sacrificio, applicatione, denique aliis modis longissimè discesserint ab instituto Christi, non retinendæ, sed abolendæ sunt. Fugite, inquit Paulus, idololatriam. Est autem multiplex idololatria in privatis Missis, quam quidem tueri Pontifices, non est mirum. Quia postremis temporibus, ait Scriptura, insignem idololatriam regnaturam esse in loco Ecclesiæ. Sicut Christus significat inquiens: Cùm videbitis abominationem desolationis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit, intelligat. Et Daniel cap. 11. Et Deum Maosim in suo loco veerabitur, & Deum, quem nescierunt patres eius, colet

1539. colet auro, argento, & lapidibus pretiosis. Utrque locus de Missa concionatur. Hunc cultum, hanc tetram profanationem sacramentorum abominatur Deus. Quàm multa sunt enim manifesta flagitia in hoc ritu, confertur ad quæstum, coguntur indigni sumere, vel si nolint, applicant pro vivis, & mortuis, promittunt aliis faustam navigationem, aliis alia.

Hæc sunt apertè flagitia, sed alia non minùs reprehendenda sunt, quæ imperiti non perinde cernunt. Non sunt humano arbitrio instituendi cultus sine mandato Dei cùm ex hoc opere faciunt sacrificium. Jmaginantur privatas Missas faciendas esse, quia hoc ritu Deus coli velit. Et videmus auro & argẽto, apparatu, sũptu ingenti Missas emi, Sacramentum circumferri adorandum in auro & argento, cùm in hunc usum non sit institutum sacramentum. Quare cùm mandatum Dei jubeat idololatriam fugere, non erunt retinendæ privatæ Missæ, ac miror eur dixerint, necessariò retinẽdas esse, cùm constet olim non fuisse. An deerant puriori Ecclesiæ annis trecentis post Apostolos res necessariæ in cultu Dei? Quid potest dici absurdius? Videmus acerrimis studiis defendi privatas Missas, quod fit magis ab aliis, quia quæstui metuunt, ab aliis, quia inserviunt vulgi affectibus, quod ægrè sibi eripi hoc præsidium, ut existimat, patitur, quàm vera aliqua ratione, sed tamen firma & perspicua causa est, cur abrogati debeant.

Primùm enim applicatio haud dubiè est impia, non meretur alteri gratiam opus sacrificuli, sed suâ quisque fide iustus est. Nec vult Deus confidere quenquam ceremoniâ ullâ, sed tantùm beneficio Christi. Et certè applicatio pro mortuis plena est erroris. Ac frustra hîc finguntur sophismata ad excusandam explicationem. Nemo ex universo populo aliter sentit, quàm hoc opus prodesse universæ Ecclesiæ. Ipse etiam Canon Missæ hoc profitetur. Quid ludunt verbis quidam astuti, qui negant se applicare Missas, cùm sciant suo facto confirmari populi errorem, etiamsi ipsi aliter sentiant. Quanquam quotus quisque aliter sentit? Absit simulatio à divinis ritibus, utamur eis, ut docent sacræ Literæ, & ut mos fuit primæ Ecclesiæ aliquot seculis. Cur hominum audacia discessit à veteri more? Cur nunc defenditur aliorum erratum, qui mutaverunt Christi institutum? Iam etiamsi fingat aliquis, se non applicare, tamen ita ceremoniam seorsum facit, ut existimet, hanc oblationem esse cultum, quem Deus requirat. Id quoque improbandum est. Quia non sunt instituendi cultus humano arbitrio sine mandato Dei.

Quare obsecro per gloriam Christi, ut de Missa non defendas articulum decreti illius, sed sinas rem diligentiùs à piis & doctis deliberari. Nostra habent evidens & firmum testimonium primæ Ecclesiæ, quod non dubito omnium posteriorum iudiciis opponere, qui veterem doctrinam, veteres ritus multis erroribus contaminarunt.

De emendata, aucta, locupletata & reperita Augustana Confessione.

C*Irca hæc tempora Augustana Confessio à Philippo Melancthone recognita, emendata, aucta & locupletata fuit. Et ad decimum articulum Latini exemplaris quod attinet, duo hæc vocabula* (adsint & distribuantur) *dempta, & pro illis unum* (exhibeantur) *suffectum: Insuper etiam Clausula hæc* (Et improbant secus docentes) *omissa est. Vetus editio sic habet:* De Cœna Domini docent, quòd corpus & sanguis Christi verè adsint, & distribuantur vescentibus in Cœna Domini: & improbant secus docentes. *Ea verò quæ recognita est, in hæc verba loquitur:* De Cœna Domini docent, quòd cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi vescentibus in Cœna Domini.

Articulus confessionis August. decimus & Apologia prima Papisticus est, & propterea mutari debuit.

Hunc autem decimum articulum Confessionis & Apologiæ prioris mutari oportuit, quòd prorsus Papistico sensu ab initio conscriptus esset. Fuit enim, ut suprà quoque dictum est, ex vulgò recepta Papistarũ de Transsubstantiatione conscriptus articulus: quo sensu etiam à Pontificiis in confutatione sua fuit intellectus, & approbatus: Idque non solùm ostendunt, usitata illa papistica doctrina verba. Sub specie panis & vini, sed etiam hoc planè confirmat prior Apologia, in qua hæc istius articuli verba ex malè intellectis Patrum sententiis, adeoque etiam ex ipso Canone Missæ, de substantiali mutatione panis in corpus Christi, juxta approbatum à Pontificiis sensum, sunt explicata: quod etiam fatetur Heßhusius lib. de Cœna fol. 198. *Vbi hunc errorem Apologiæ se repudiare, & damnare dicit. Sic enim habent prioris Apologiæ verba: Decimus articulus est approbatus à Pontificiis scilicet in sua confutatione, in qua nominatim pro declaratione istius Articuli requirebant, credendum esse, substantiam panis mutari in corpus Christi cui se accommodare volens ex hac Pontificiorum approbatione Confeßionis Articulum intellexit Apologia, ideóque addi-*

Prima Augustanæ Apologia confirmat Papistarum sententiã.

Historia August. confeßi. fol. 167.

Falsum & erroneum Articuli prioris confessionis fundamentum.

addidit: Comperimus non tantùm, Romanam Ecclesiam affirmare corporalem præsentiam Christi, sed idem, & nunc sentire, & olim sensisse Græcam Ecclesiam: id enim testatur Canon Missæ apud illos, in quo apertè orat Sacerdos, ut mutato pane ipsum corpus Christi fiat. Et vulgarius, scriptor, ut nobis videtur, non stultus, disertè inquit, panem non tantùm esse figuram, sed verè in carnem mutari. Ex quo sensu planè Papistico etiam Author Apologiæ in suo libello sententiarum de Cœna Domini Ambrosium, & Damascenum, quasi naturam panis revera mutari sentientes, tunc temporis adhuc intellexit. At manifestissimum nunc est, neque Græcam neque Latinam Ecclesiam ante damnatum Berengarium, de Papistica panis mutatione quicquam novisse, & longè aliam Cyrilli sententiam fuisse, quàm tunc putavit author Apologiæ, ut ipsemet postea rectiùs intelligere, & cognoscere cœpit.

Chytræus in hist. August. confess. fol. 238. 244. 246. 248. 259.

Quo minùs verò dubitare quis possit, eandem fuisse istius articuli cum Pontificiorum doctrina sententiam, constat ex Actis, quòd in amicabili tractatione inter Pontificios & Protestantes, iste articulus semper fuerit habitus, & numeratus inter conciliatos, de quo in ipsa tractatione palàm testati sunt Pontificii, nullam hîc superesse controversiam, nisi de communione Laicorum sub utraque specie: Quæ quum certis conditionibus ab iis concederetur, ad has responderunt Protestantes, se credere & confiteri, integrum Christum sub unaquaque specie, ac proinde sub sola specie panis realiter adesse, exhiberi, & sumi, neque se judicare, eos male facere qui sub una specie communicent, quibus etiam durabilem sub speciebus præsentiam sunt confessi. Hæc autem, quia ad postulationem Pontificiorum, pro testificando cum iis consensu: sic concessa fuerunt, non possunt aliter quàm ex ipsorum de Transsubstantiatione sententia intelligi. Eaque procul dubio causa fuit, cur adeò in tota ista actione super hoc articulo se Pontificiis accommodârint Protestantes, ut etiam datâ ex proposito operâ, nunquam panis & vini, sed tantùm specierum panis & vini mentionem facere voluerint. Verbà enim, Vnter gestalt des brodts / und weins / *in Idiomate Germanico prorsus sonant in Pontificium dogma de Accidentibus panis, & vini. Accedit, quòd in Articulo de Missa nulla Transsubstantiationis, sed solùm pharisaicæ, de Sacrificio, ex opere operato, opinionis injecta fuerit reprehensio. Quoniam itaque, ut dictum est idem omnino sensus prioris confessionis, & Apologiæ fuit, necessariò hunc Articulum confessionis, unà cum Apologia mutari oportuit. Est enim eadem mutationis in utroque necessaria causa, & ratio. Alioquin, retentis verbis & sensu prioris Confessionis, omnis alia doctrina de Cœna, quàm Transsubstantiatio, per hoc foret improbata. Estque merè impostorius eorum conatus hodie, ut rectè Ambrosius Wolfius monet, qui rejectâ & abrogatâ priori Apologiâ, quæ côntinet mentem & explicatianem articuli Confessionis, tanquam Papisticâ, ipsum articulum Confessionis, iam pridem cum Apologia gravi consilio mutatum, nunc denuò alio & novo sensu, quem à principio non habuit, neque in quo à Pontificiis approbatus, neque per Apologiam, in confirmando Pontificiorum intellectu, explicatus fuit, pro sua libidine nunc revocare conantur. Hoc enim verius est novum articulum cudere, quàm priorem restituere. Isto autem in eo, quo primùm conscriptus, exhibitus, conciliatus, approbatus, & Apologeticè explicatus fuit, sensu, iterum nunc restituto, tota Bergensis Concordiæ doctrina, de quatuor Corporalis præsentiæ fundamentis, & de persona Christi, ex Pontificiorum sententia & iudicio, in quo acquiescit Apologia funditus est eversa. Non igitur intelligunt, nesciunt etiam verè quid dicant vel scribant, qui pro norma doctrinæ, fidei & confessionis retinendam & sequendam esse volunt, priorem Confessionem Augustanam anno 1530. Imperatori Carolo oblatam, & huius Apologiam, nec in verbis, nec in sententiis ulla ex parte mutatam. Stat igitur hoc firmum, quòd aut ex priore Confessione Augustana ejusque Apologetica explicatione, Transsubstantiatio cum Pontificiis asserenda, omnisque alia doctrina improbanda sit: aut si non mansit iste, nec postea semper fuit Augustanæ Confessionis sensus, mutationem in hoc articulo necessariò intervenisse, concedi oportet.*

1539.

Hoc etiã fatentur Lutherani Tom. Wit. 12. fol. 165.

Hoc non est se à Pontificiis segregare, sed ad ipsos accommodare.

Confessio Augustana communi principũ & Theologorũ consilio mutata.

Est verò articulus iste, sicut etiam alij, non privato solius Philippi consilio, sicut hoc Vbiquistæ impudenti mendacio, non sine ignominia Augustanæ Confessionis Ordinum, hodie à malevolis imponitur, sed Primùm *publicis actionibus, cum quatuor Imperialibus Civitatibus, quarum peculiaris erat Confessio, communi approbatione mutatus.*

Mutati articuli Augustanæ Confessionis verus & approbatus sensus, in quo omnes rectè sentientes consentiunt.

Cui postea Secundò, *successit Tractatus Witebergensis Concordiæ, cum istarum aliarumque Suevicarum Civitatum & Ecclesiarum Ministris, in qua, rejectâ Transsubstantiatione, & locali inclusione, docetur:* Cum pane & vino sic verè & substantialiter adesse, exhiberi, & sumi verum corpus & sanguinem Christi, sicut Irenæus Eucharistiam constare ait, Re Terrenâ & Cœlesti, & sicut panis & vinum Sacramentali unione sunt corpus & sanguis Christi: *quam Concordiæ formulam nemo bonâ fide negabit, continere mutati istius articuli publico consensu receptum & approbatum sensum, iuxta quem Suevicarum Civitatum Ecclesiæ in*

1539. *societatem istius Confessionis primùm fuerunt receptæ, quæ aliàs in priorem articulum, nisi is mutatus fuisset, nunquam erant consensura.*

Hunc Witebergensis *Concordiæ sensum postea ex Lutheri voluntate & mandato, ad attrahendos etiam, & conciliandos Helvetios, in suprà recitato cum ipsis Concordiæ tractatu, explicavit Martinus Bucerus. Quid igitur mirum videri, aut etiam iustè nunc demum ab istis Vbiquistis reprehendi in eo potest, quòd in posterioribus editionibus non solùm sublata & mutata fuerint illa ex Pontificiorum doctrina desumpta verba de specie panis & vini, sed & postea quoque omissa sit improbatio eorum doctrinæ, cum quibus in superiorem Concordiæ formulam jam factus esset consensus, & data fides, pacem & Concordiam cum iis sincerè & inviolatè colendi. Fuit itaque ex hac iustissima & inevitabili causa in hunc modum reformatus articulus* : De Cœna Domini dosent, quòd cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi, vescentibus in Cœna.

Cur omissa fuerint verba. Et improbatio secus docentes Reformatur Confessionis August. articulus;

Falsò igitur ad decipiendos rerum ignaros obtendunt Vbiquistæ, hæc verba: Et improbant secus docentes: *fuisse solius Philippi privato consilio, in gratiam Zuinglianorum, ex priore confessionis articulo sublata. Hoc enim & ipsius articuli, ex Pontificio Transsubstantiationis errore in alium sensum mutatio, &* Witebergensis *Concordiæ formula, in qua tunc primùm Transsubstantiatio, localis inclusio, & durabilis præsentia rerum sub signis, publico consensu reiecta fuit, omnino requirebant. Neque ampliùs improbari poterant, cum quibus super alio & reformato isto sensu facta erat Concordia. Itaque falsum est & illud, sublata fuisse hæc verba animo lucrifaciendi Zuinglianos, ut tantò faciliùs ad partes Lutheri transirent, qui tamen hoc facilitate & gratiâ multò nunc sint facti protervioires & pertinaciores.*

Cur tunc Lutherus non improbavit, quod nunc improbare volunt Vbiquistæ.

Quin potiùs, si verum fateri velimus, Philippus, post Vitebergensem Concordiam, transiit ad sententiam Buceri, de Sacramentali præsentia, in usu instituto. Ad Helvetios autem quod attinet, isti in tractatu Concordiæ ingenuè & sincerè testati sunt Luthero, se à sententiæ suæ declaratione non esse discessuros, quam si is non improbaret, factam esse Concordiam. Vbi igitur hic illa facilitas & gratia, quam in lucrifaciendis Zuinglianis, ex affectato quodam in Ecclesia imperio & dominatu, superbissimus ille Vbiquistarum spiritus jactat? Expostulent, si libet, cum Luthero, quòd is non improbatâ Helvetiorum Confessione & declaratione, concordiam sub ista conditione oblatam, magna cum gratulatione acceptârit, eoque Helvetios in sua sententia confirmatos, & in posterum ob omni controversia à se suisque securos se esse iusserit. Quibus rectè, & quo loco tunc fuerit hæc Sacramentaria controversia, diligenter consideratis, apparet, & concedi est necesse, si non omissa, sed repetita rursus fuissent hæc prioris Articuli verbs : Et improbant secus docentes*, non potuisse tunc ista, rebus eo tempore sic stantibus, nisi contra Pontificios, cum quibus prior articulus consentiebat, posita fuisse videri. Et sanè si servata ab omni parte tam sanctè repromissa concordia fides fuisset, non opus esset hac invidiosa disputatione, quam ex sola concordiæ infida retractatione nunc denuò movent Vbiquistæ. Quamvis autem hæc articuli mutatio fuerit à Pontificiis notata in Colloquiis, in quibus sic publico Augustanæ Confessionis Ordinum nomine fuit propositum: (Neque enim de isto, sicut de priore, dici poterat, quòd esset approbatus) tamen ex Ordinibus nemo hunc hactenus voluit, aut potuit, improbare, sed mansit, & habitus fuit is semper pro vero Confessionis Articulo, in quem consentirent ipsius socii, ex recepto Vitebergensis Concordiæ sensu.*

Fundamentum Vbiquistarum est perfidiosa Concordiæ retractatio

Tertiò, *constat, ut in Actis Colloquij Altenburgensis indicatur, quòd & hortante & approbante, atque mandante Luthero, Augustana Confessio sit à Philippo recognita, emendata, & denuò prælis Typographicis submissa, maximè propter adversarios, quòd multa cavillarentur illi, quæ oportuit explicari, ut occasiones & argumenta perniciosarum cavillationum si rursus ad disputationum conflictus deventum esset, eis adimerentur, quòdque ex priore Confessione multa mutarentur iidem, quibus sua pingerent: sicut res ostendit, multa eos in plerisque controversiis lenisse, usos formulis nostrorum, ut faciliùs imponerent imperitis. Non igitur quenquam movere debet illa ex Illyrici Vimariæ habita disputatione repetita fabella, quæ narrat, Lutherum ægrè tulisse, quòd à Philippo instituta esset Confessionis emendatio, verùm editione jam peractâ non potuisse impedire. Nam futilitas istius commenti manifestè vel ex eo coarguitur & refellitur, quòd non semel, sed aliquoties, ut anno 38. anno 40. anno 41. recognita, & aliquot in locis aucta & divulgata Confessio fuit, etiam postquam Eccius, ut mox dicetur, in Colloquio Vormaciensi litem de hac movisset. Nam ut demus, & ab authore recognitam Confessionē, semel, inscio & improbante Luthero, editam esse, quid de crebra repetitione editionū magis etiam locupletatarum dicetur? Affirmabitur-ne dormiente, inscio, & invito Luthero id toties factum & peractū esse? Adeòne fuit Lutherus senescens, remissus & languidus, ut rem tantam tam negligenter ageret? Adeòne authoritas ipsius jam fuerat diminuta & dejecta, ut non potuerit prohibere & impedire, ne exemplaria jam im-*

Philippus emendavit Confessionem August. authore & hortante Luthero.

Illyrici mendacium.

impressa spargerentur, neve denuò imprimerentur distracta? Viventibus præsertim maxima adhuc ex parte Illustrissimis Principibus, qui Confessioni Augustanæ Carolo Imperatori exhibita nomina sua subscripserant? Calidum, inquit ille, mendacium optimum. Mox enim deprehenditur vanitas, postquam paulò diligentiùs inquiri illud cœpit, an ita factum sit, vel fieri potuisse verisimile, quod impudenter aliquis asseveravit. An verò consentaneum est, tota ferè decennio, quo adhuc supervixit Lutherus, & valetudine atque sensibus integris Ecclesiæ gubernationi præfuit, neminem eam inter Protestantes omnes publicè reprehensurum fuisse, si qua culpa à Philippo commissa esset. Imò constat, ipsum etiam Lutherum in Epistolis anno 41. de Colloquio Ratisbonensi ad Illustrissimum Principem Iohannem Fridericum scriptis, honorificam mentionem Confessionis, quæ post recognitionem tunc in disputationibus publico nomine adversariis Pontificiis opponebatur, fecisse, quod & editio Tami septimi Ihenensis Operum Lutheri clarè testatur.

Confessio Augusti. recognita in Wormatiensibus Comitiis publicè defensa fuit.

Quartò, *In Colloquio Vormaciensi non privatim, nec suo, sed publico nomine, præsentibus omnium Ordinum, Confessionem Augustanam amplectentium, Legatis, Eccio quærenti à Protestantibus tunc oblatum fuisse exemplar Confessionis & Apologiæ minus consentaneum Recessui Haganoensi, vigore cuius, Confessio ipsa, sicut Cæsareæ Maiestati, ac Principum Ordinibus Augustæ fuit exhibita, nudè, verè debuerit Catholicis exhiberi: disertè his verbis respondit Philippus:* Quòd moram excusavit, & causam contulit Dominus Collocutor in exemplarium dissimilitudinem, Respondeo: Rerum eandem esse sententiam: etsi quædam alicubi in posteriore editione vel magis mitigata, vel explicatiora sunt. *Adhæc cùm Eccius eodem die à prandio opposuisset in hunc modum*: Quod attinet ad varietatem exemplarium, cùm facilè possem Domini Collocutoris responsionem infringere, & oculari inspectione monstrare, ut non solùm verbis, sed rebus ipsis oblata exemplaria à Confessione Augustana diffideant. Nam nisi diffiderent, Augustæ non fuisset laborandum in vocula MERITI, quam tunc rejiciebant: Vt sim brevior, remitto me ad futuros articulos Colloquii, ubi illa per me in apertum producentur, ut in articulo decimo, &c. *Philippus sequenti die has calumniosas objectiones, quòd communi consensu Protestantium indigna refutatione viderentur, rejecit hac brevi responsione*: Ad ea, quæ ad prægravandos nos, de exemplaribus & editis præfatus est D. Doctor, commodiùs alibi respondebimus. Et sit modus harum exprobrationum. *Atque his verbis Eccius ita lenitus fuit, ut pomeridiano tempore nihil aliud responderet, quàm*, se scientem præterire, quantum ad exemplarium mutationem attinet: *nec unquam posteà mentionem dissimilitudinis & discrepantiæ illorum ullam intulit.* 1539.

Protestantes Principes declarationem decimi articuli Augustanæ Confessionis in Wormatiensi Colloquio Granvellano obtulerunt.

Adhæc, Protestantium Ordines scripto responderunt in eodem Colloquio de immutatione decimi Articuli Confessionis, quod etiam per Saxoniæ Cancellarium & Alexandrum à Tann Granvellano tradi mandârunt, in eoque hunc articulum sic declarârunt: Illustrissime Princeps, & Illustris Domine, Magnitudo negotii, in quo versamur, non potest non afferre moras aliquas. Ideo reverenter precamur, ut boni consulatis, quòd non citiùs respondimus. Non mirum est propter abusus multorum seculorum difficiles iam de Cœna Domini deliberationes esse, Sperabamus autem, Reverendissimis viris Delectis ad Colloquium satisfacturam esse Confessionem doctrinæ nostræ de Cœna Domini nuper exhibitam, quæ ad communem concordiam certè profutura erat. Nam perspicuè testati sumus, non amplecti & tueri communem consensum Catholicæ Ecclesiæ, Quòd in Cœna Domini cum consecrato pane verè adsint & sumantur corpus & sanguis Christi. Testati sumus etiam, nos improbare eos; qui negant adesse & sumi verum corpus Christi. Abhorremus enim à prophanis iudiciis in hac causa, *&c. Et post*: Miramur igitur Reverendos Dominos Delectos non fuisse contentos nostrâ simplici & perspicuâ confessione, quæ certè ad concordiam profutura erat. Retinet enim id, quod doceri necessarium est, sed Delecti addiderunt alios Articulos, quos omittere ad concordiam utilius esset. Primùm enim cùm retineamus doctrinam de præsentia corporis Christi, quid opus est quærere de modo? Recentes sunt hæ disputationes de Transsubstantiatione, & sunt dissimiles, nec intellectæ ab ipsis scriptoribus, tantùm abest, ut populus intelligat. Loquimur igitur verbis Pauli, & veterum Patrum, cùm Paulus dicit: *Panis, quem frangimus est communicatio corporis Christi*: nos quoque dicimus, cum pane consecrato verè adesse & sumi corpus Christi. Sicut & Irenæus loquutus est, constare Eucharistiam duabus rebus, terrenâ & cœlesti. Nec dubium est, quin terrenam vocet panem, huic adjungit rem cœlestem, videlicet corpus Christi. Sic Cyrillus docet: *Dominus fragmenta panis dedit, inquiens: Hoc est corpus meum*, non ait dedisse accidentia panis. His addantur & reli-

1539. reliqua testimonia Patrum, ut Epiphanii, Cypriani, Augustini, Gelasii, & Nicenæ Synodi,&c.

Ex his jam commemoratis & recitatis satis manifestum est, ea exemplaria, quæ hodie Ubiquista tanquam falsa & adulterata petulanter accusant, communi & Principum, qui Augustæ subscripserant, & cæterorum Ordinum, eandem Confessionem amplectentium, nomine, Pontificiis Vormaciæ ad disputationem institutam congregatis, præsentibus Illustri Cæsareæ Majestatis Commissario, Legato Regis Romanorum, & generosis, nobilibus ac præstantibus viris, Dominis Præsidentibus, ut vera & germana oblata fuisse, & contra Eccii sycophanticas calumnias publicè tunc defensa, cùm nemo vel eodem tempore, vel postea, adhuc vivente Luthero reperiretur, qui anno 38. recognitam & editam, & tunc, cùm Colloquium Vormaciæ institueretur, oblatam Confessionem vel improbaret, vel suspectam redderet. quiq; non magnopere probaret etiam eam editionem, quæ sequente anno 41. adornata fuit emendatior & locupletior multo prioribus. Et quantum tributum fuerit in his Recognitionum laboribus, authoritati, curæ, diligentiæ & fidei Melanchthonis, id etiam argumento est, quòd cùm Eccius in eo Colloquio, cuius modò allegavimus Acta, monuisset locum Augustini, qui in Apologia citatur hoc modo: Peccatum in Baptismo remittitur, non ut non sit, sed ut non imputetur; *non exstare iisdem verbis apud Augustinum: Philippus respondit, se agnoscere malè citatum esse, sed addidit,* hanc sententiam sæpe in Augustino traditam esse, *& publicè professus est,* mutaturum se multò antè fuisse, si editionibus ipse affuisset: *cui responsioni acquievit Eccius. Constat etiam, neque tum in præsentia, neque post divulgato, de voluntate & mandato Ioannis Friderici Electoris, Colloquii illius Actis, Philippum à quoquam eo nomine quòd se mutaturum quædam in Confessione dixisset, reprehensum aut accusatum fuisse.*

Testimonia approbationis publicæ recognitæ & emendatæ Confessionis Augustanæ.

Quintò, *his addantur & insignia Testimonia approbationis publicæ, Confessionis Augustanæ Recognitæ: Primò ex formula Instructionis datæ iis, à Ioanne Friderico Saxoniæ Electore, qui anno 46. ad Conventum Ratisbonensem ablegati fuerunt eo mense, qui proximè Lutheri mortem antecessit. In qua hæc verba inter alia reperiuntur.* Und nach dem Seine Churfl. Gn. und der Landgraff/ diesens theils Ständen/ so zu dem Colloquio, die ihren auch verordnen/ geschrieben/ und solches auch darbey klärlich/ und außdrücklich angezeiget/ daß bey der augspurgischen Confession und Apologia zu bleiben/ welches ihnen die Stände haben gefallen lassen. So werden sich drüber gedachter M. Philippus und D. Maior desselben auch zu halten wissen/ dieweil sie beyde auch neben dem Herren Doctore Martino, und andern/ ihr bedencken/ obgemeldtes Colloquii halben zusammen gezogen/ welches Sein Churfl. Gn. Ihr nicht mißfallen lassen/ so ist ihnen davon Copey mit gegeben/ darnach Sie sich zu solchem Colloquio, auch der form halben/ da ein andere wolt fürgeschlagen werden/ insonderheit auch zu halten wissen/ &c.

Ante bellum Germanicum nulla unquam dubitatio fuit de recognitis exemplaribus Augustanæ Confessionis.

In ea formula diligenter consideretur, nullam prorsus in deliberationibus publicis ante bellum à Carolo V. in Germania gestum de exemplaribus Augustanæ Confessionis, vel dubitationem, vel dissensionem inter Protestantes Principes, & Ecclesiarum reformatarum Pastores incidisse. Quod si factum esset, optatissimum sanè adversariis Pontificiis accidisset, qui eam occasionem cupidissimè ad detrectandum cum ipsis Colloquium fuissent arrepturi. Sicuti hodie nihil tantopere ipsos delectat, quàm quòd vident, eos, qui recognitam ab authore Confessionem in dubium vocant, strenuè id agere & conari, ut fundamenta, quæ communi consensu Papistis antea opponi consueverant, eiusmodi petulanti ζυγομαχίᾳ concutiantur & evertantur. Nec possumus statuere, utrum Pontificii, si ingente proposita mercede conducere prævaricatores voluissent, commodiore viâ rem aggredi potuissent, quàm quæ per Flaccium Illyricum, & complices illius hac audaci rejectione sæpius jam nominatæ Confessionis Augustanæ ipsis patefacta est. Certè nulla major clades reformatis Ecclesiis afferri potuisset.

Principum Epistola Naumburgi scripta ad Ferdinandum Imp. pro emendata Confessione Augustana.

Huc pertinet etiam Epistola communi consensu Principum Protestantium ad Ferdinandum Imp. Naumburgi anno Christi 1561. scripta: Non est hic animus aut intentio nostra, quòd per repetitam subscriptionem primæ Confessionis Augustanæ, ab ea quæ anno 40. Recognita, & deinceps sæpe exhibita est, Confessione, quam unius ejusdemque sententiæ cum prima illa esse iudicamus, ulla in parte vel minima discedere aut adduci nos per alios velimus. Nam quia Recognita Confessio in plurimis Colloquiis & disputationibus, quæ cum adversariis institutæ fuerunt, oblata fuit, & in quibusdam articulis eam ob causam copiosius explicata est, ut veritas divina in lucem magis proferretur, inprimisque fides atque fiducia unius meriti & satisfactionis Domini nostri Jesu Christi Mediatoris & Redemptoris nostri unici, explosis omnibus traditionibus humanis, pura & incorrupta ad posteritatem transmitteretur. Tam non possumus à Recognita ista, quàm à prima illa, partim à Maioribus nostris, partim à nobisipsis quoque exhibita Confessio-

fessio-

1539.

fessione recedere, præsertim cùm hanc Recognitam Confessionem sicut anno 40. & 42. typis edita est, hoc ipso tempore constet in Ecclesijs & Scholis nostrarum Ditionum, potissimùm in vsu esse, & in manibus omnium versari. Similiter & Apologiam (quæ partim per Maiores nostros, partim per Nos in Comitijs illis Augustanis oblata, nec tamen ab aduersarijs accepta fuit, Witebergæ verò postea typis impressa, & in Colloquio Wormaciensi anno 40. vnà cum recognita Confessione Augustana exhibita est) disertè etiamnum approbamus, & pro repetita haberi volumus.

Testimonium Landgrauij de emendata Confessione Augustana.

Accedit luculentissimum Illustriss. Principis Wilhelmi Landgrauij eiusque laudatissimorum fratrum testimonium in literis ad Augustum Saxoniæ Electorem 10. Septembris, anno 1576. *scriptis:* Nam quòd solùm, inquiunt, & nominatim ad primam immutatam Augustanam confessionem, quæ isto quidem tempore scripta est, in summa festinatione, & temporis angustia, atque etiam in maximo metu præsentium periculorum, adeoque mollissimè, ne offenderetur Cæsar, ne-ue Principes Euangelici in summum vitæ periculum adducerentur, prouocatur, eoque illa, quæ postea in præcipuis articulis summa cum diligentia, & cura locupletata, & emendata est, si non rejicitur, saltem suspecta apud alios redditur, id approbare non possumus, cùm ob supra enumeratas causas, tum verò præcipuè, ob præfationem ad Ferdinandum Imp. Naumburgi anno 61. scriptam, præsertim cùm etiam meminerimus probè, Flaccianorum factionem, bono, atque optimè merito viro Philippo Melanchthoni, qui apud Celsitudinem T. & Fratrem ejus Mauritium Electorem potiùs manere, quàm cum alijs Samariam migrare voluit, infensissimam fuisse, & ex concepto suo odio ad opprimendum optimum virum, confidenter de illo sparsisse, quòd injussus, & ignorantibus Principibus, & Luthero, primam confessionem Augustanam mutârit: cùm tamen hæc mutatio non deprauatio, sed potiùs Irreprehensibilis explicatio ejus, & ex Verbo Dei emendatio sit, procul dubio sciente, & volente Luthero facta. Ea enim natura, & prudentia Philippi fuit, sicut omnibus notum est, vt in dicta confessione ne vnum quidem verbum, nesciente Luthero, & alijs solus mutare ausus fuisset. Neque etiam demonstrari potest, Lutherum, etsi annos quatuor supervixerit, quum anno 42. in habito Colloquio recognitio & mutatio facta, ne verbo quidem vnquam recognitionem illam reprehendisse, vel saltem aliquam ejus mentionem fecisse. Cur igitur Electores, nosque cæteri Principes, nostram confessionem, quam hactenus in omnibus Colloquijs, & aliàs sæpe approbauimus, ob priuatarum personarum quarundam conceptū odium, absque sufficiente causa, magno nostro cum dedecore, & diminutione reputationis nostræ, in suspicionem injustam, & dubium vocaremus?

His addendum est non minùs graue, & luculentum eorundem Landgrauiorum testimonium, quod extat in literis ad Electorem Augustum vide suprà.

Luculentè quoque eadem de re Illustrissimus Princeps Ioannes Casimirus Palatinus, ad Electorem Augustum socerum suum hæc scripsit inter alia, sub dato 22. *Iunij.* 1578. Wir haben offtermahls von unserem lieben Herren Vatter und Landgraff Philipsen Seliger gedächtnuß/ gehöret/ daß die Augspurgische Confession nach gelegenheit derselbigen zeit/ und also gestellet/ daß die Chur- und Fürsten mit glimpf zum thor hinaus kommen möchten: Hernacher aber/ weil in derselbigen/ wie auch in der Apologia, so erstlich dunckel und zweiffelhafftig gestellet/ erkläret und verbesseret/ doch daß das fundament behalten/ auch solche verbesserung mit gemeinem consens approbiret worden/ wie dan zu Naumburg/ und Franckfort E. L. bewust dergleichen auch geschehen/ und ungeachtet solcher Ænderung/ und sonsten underschiedlichen auß gegangenen Confessionen/ den Papisten/ wann sie solches den Ständen Augspurgischer Confession fürgeworffen/ mit grund begegnet worden/ daß nicht auff die mancherley formen/ sondern auf das Fundament derselbigen/ in dem man/ Gott lob/ einig/ zu sehen.

His tot Illustrissimorum Principum, testimonijs, meritò plùs credendum, quàm Flaccianorum mendaciis, quòd Melanchton injussus, & ignorantibus Principibus, & Luthero, primam Augustanam confessionem mutârit: imò Lutherum agrè tulisse, quòd à Philippo hæc instituta esset Confessionis emendatio in literis ad Electorem Saxoniæ Augustum de libro Concordiæ anno 77. scriptis, quas infra integras referemus. In ijs enim sic inter alia scribunt: Non ignoratis, quòd antehac bono animo de particula illa (*Non mutata Augustana Confessio*) monnetimus, ac etiamnum vos amanter rogamus, vt de his rebus, ac periculosis inde manantibus consequentijs diligenter cogitare, ac singula studiosè perpendere velitis. Etsi namque æquum est vt,

1539. Augustanam illam Confessionem, quæ Imp. Carolo anno 30. oblata est, nominemus: Constat tamen omnibus, quam ob causam deinceps illa Confessio, viuente adhuc Luthero & tam de ipsius, quàm præcipuorum Statuum, Theologorumq; consilio & voluntate, in quibusdam articulis, non sine magno fructu locupletata, ac deinceps in Colloquijs, publico nomine Imperij habitis, proposita & vsurpata, imò & à nobis, & à D. Parente nostro, alijsque Electoribus & Principibus anno 61. Naumburgi appensis sigillis, non minùs quàm prior illa confirmata, & Imp. Ferdinando Francofurti proposita oblataque fuerit. Quæ sanè omnia vnica hac voce (*Non mutata*) improbamus atque rejicimus. Quamuis enim id expressè non dicamus, reipsa tamen ostendimus, non solùm Philippum Melancthonem, qui & concinnauit Confessionem, ac primam postea editionem locupletiorem reddidit: sed Vos etiam ipsos, & Dominũ Parentem nostrum, & alios Electores ac Principes malè ac temerè egisse, dum locupletatam Confessionem approbârunt: quam incogitantiæ & leuitatis notam ne Domino Parenti nostro, felicissimæ memoriæ, inuiti patiamur, & honestas ipsa, & filialis erga ipsum reuerentia & obedientia vetat, Accedit eodem (quod cumprimis considerandum est) in prima Apologiæ anno 31. typis excusæ editione, quam Concordiæ liber disertè & speciatim vrget, Papisticam & idololatricam Transubstantiationem in articulo Cœnæ acceptari & stabiliri, id quod postea optimo iure & meritò est mutatum, & ab opere planè resectum. Quòd si igitur Apologiam anno 31. excusam saluam & non mutatam esse volumus, oportebit nos necessariò Papistarum commentum de Transubstantiatione admittere, cum annihilitate anteactorum, & graui veritatis ac conscientiæ nostræ læsione, &c.

Nota.

Habent etiam, vt author Disputationis de vera sensu verborum Cœnæ Dominicæ indicat contra Schachtium, Cancellaria Anhaldina & Cassellana illas literas cum sigillis Principum quæ docent, Melancthonem, non solùm scitu, sed etiam iussu & consensu Electoris Saxoniæ & Landgrauij (addimus etiam reliquorum sociorum) Confessionis huius primam scriptionem subinde emendasse & auxisse: quasque Pappus Defensione 4. contra Sturmium pag. 7. requirit: Nunquam, *inquit*, hoc nobis Sturmius persuadebit, priusquam Electoris & Landgrauij literas ac sigilla de hac re exhibeat. *Vt iam taceamus Præfationem anno 31. Latinæ editioni Confessionis Witebergæ Principum & Theologorum nomine præfixam, & Præfationem anno 51. ab Electoribus & Principibus præfixam repetitæ Saxonicæ Confessioni, & ad ipsum Imperatorem scriptam.*

Testimonium Anhaldinæ & Cassellanæ cancellariæ de approbatione emendatæ Augustanæ Confessionis. Fol. 438.

Et quoniam ex aduersariorum quoque ore sæpe veritati testimonium perhibetur, adjiciam quæ Selnecerus olim ad Augustum Saxoniæ Electorem scripserit publicè, & qualem sententiam de his tulerit, qui ob Recognitionem Augus. Confessionis Philippum accusant, & emendationem improbant ac damnant: Abeant *inquit*, ingrati cuculi, πθυγαλόπνιες Lutheri, & Philippo mastiges, crabrones & fuci, fabricentque alia quæ possunt, si modò possunt, corpora vel potiùs cadauera: Aut objiciant, Confessionis Augustanæ, Locorumque non deprauationem (hanc enim objicere, vel si rumpantur, minimè possunt) sed Recognitionem, sed illustrationem, sed vberiorem multarum rerum explicationem. Limnisco nobis opus est, & fasciolâ solâ, notante, non sententiâ, sed verbis tantummodò aliter, & dilucidiùs ac copiosiùs relata. Istis autem calumniatoribus helleboro opus est, ἢ σιδηρᾶ ἁρπαγῆ, quâ cerebrum suum ipsi verrant, &c.

Selneceri testimonium de eadem re.

Ioannis Brentij quoque iudicium aspernari non poterunt, qui in Epistola, ad Vitum Theodorum Witebergæ tum apud Lutherum versantem, scripta, non modo gratias agit pro donato sibi libello, Augustanam Confessionem & Apologiam recognitam continente, sed etiam editiones diuersas inter se conferre, & causas mutationis expendere, atque inde magnum fructum percipere sese affirmat. Accepi, *inquit*, optime Vite, libellum, quem ad me dono dedisti. Etsi autem munus illud multis nominibus mihi gratissimum est, primùm quòd non sit alius libellus, in quo summa Christianismi, tam disertè, tam perspicuè contineatur: Deinde quòd Author huius libelli mihi charissimus est, & cui vicissim ego charus sum: id quod ego non in postrema parte felicitatis meæ, si quam in hoc seculo habeo, duxerim. Adhæc, quia ligatio libelli sit bellissima, & iucundo suo aspectu etiam torpescentem ad lectionem inuitet: Postremò quòd libellus mihi donatus est à te, quo cum mihi arctissima in Christo necessitudo est: hoc vno tamen ingratus, quòd nimis preciosus est. Nosti enim studiosorum dona magis debere apta, quàm preciosa esse. Tuum autem donum vt aptissimum est, ita pretij multi. Attamen quia tu ita voluisti, quò animus tuus erga me candidior est, eò gratius mihi est

Ioannis Brentij de eadem testimonium.

est munus. Ago igitur beneuolentiæ tuæ maximas gratias, & sedulò enitar, vt aliquando referam. Ego soleo hanc posteriorem editionem cum priori conferre, vt videam, quid mutatum sit, & inuenio pleraque esse mutata. Scio autem Philippum CITRA IVDICIUM NIL TEMERE MVTARE. Quare dum confero, & expendo causas mutationis, mirum, quanto cum fructu à lectione discedam.

Nutat Vbiquista.

Vt autem concludatur locus hic de Recognitis Augustanæ Confessionis & Apologiæ exemplaribus, hæc quoque Ioachimi Camerarij defensio pro Philippo consideretur. Nam de Recognitione Confessionis loquens: Cùm illa, *inquit*, ederentur frequentiùs, operam dedit Philippus, vt alicubi expositio esset dilucidior & plenior. Nam præclarè dicitur: *Multa diem monere, & posterioribus cogitationibus priores fieri meliores.* Nihil tamen aliter factum, neque vllum mutatum dogma, neque momenta rerum conuersa sunt. De quo ne deesset materia scilicet serendi rixas, quidam quæ ipsis non tam in mentem, quâ deficerentur, quàm animum, qui quiescere non posset, & buccam, quod dicitur, venerunt, ausi fuerunt efferre atque euomere. Quorum futilitas, & quasi sordes tantæ sunt, vt præterire eas auersando, & vitare declinando omnes puræ doctrinæ amantes debeant.

Camerarius de Recognitione Augustanæ Confessionis.

Ex his omnibus liquet, vanissimum esse, quòd Flacciani & Vbiquistæ in Philippi contumeliam dicunt, Ipsum: inscijs Principibus & Theologis Protestantium, Confessionem Augustanam propriâ tantùm authoritate recognouisse & emendâsse, & propterea priuatum eius scriptum esse: ac falsò hanc Augustanam Confessionem vocari, nec admittendam esse, quòd non sit Augustæ scripta & Carolo Imp. exhibita, nec à Statibus, qui ei subscripserunt, approbata. *Nam contrarium à nobis demonstratum est. Quibus etiam hæc addo, Si hæc Oratio, seu veriùs calumnia sufficeret, ad detrahendam fidem posterioribus editionibus, valeret ea quoque in exemplari Confessionis, quæ omnium prima* Witebergæ *typis excusa fuit, cuius primæ editionis exemplar, quomodo demonstrabunt Flacciani & Vbiquistæ ita congruere ad archetypum Augustæ scriptum & exhibitum, vt nulla vspiam in parte, quod attinet ad verba, & orationis formam, variet, cùm in Apologia tunc simul edita, anno videlicet post exhibitionem vtriusque proxima, quantum sex quaterniones complecterentur, mutatum fuerit, totidem alijs quaternionibus substitutis. Id quod, si opus esset reipsa docere & comprobare possemus, Ac videtur confirmare idem Præmonitio ad Lectorem, Confessioni vetustissimæ editionis præfixa publica consilia: In ea enim expressè dicitur,* Necesse fuisse recognitam & emendatam denuò edere, quia non solùm ad existimationem Principum, sed etiam ad religionem pertineat, præstare, ne ipsorum titulis spargantur in vulgus huius generis mendosa scripta. Quare nunc emitti probè & diligenter descriptam Confessionem ex exemplari bonæ fidei, &c. *Quòd si hoc Aristarchi isti, tanquam crimen falsi, tantopere vrgere non desinunt, quid de crebra translationis Bibliorum, ab ipso Luthero adornatæ, emendatione, sentiendum erit? Dicemus ne etiam postremæ editionis horum exemplaria, ab eodem paulò ante mortem perpolita, propterea falsata esse, quòd alicubi, ad interpretationis formam quod attinet, paululùm variant à prioribus? Vertetur-ne vitio ipsi etiam Luthero, quòd post aliquot annos, re diligenter consideratâ, quædam accuratiùs & magis perspicuè studuit transferre & explicare? Quod igitur in Luthero laudant Vbiquistæ, id odio & inuidiâ aduersùs Philippum excæcati, quàm possunt acerbè & crudeliter carpunt & insectantur.*

Vbiquistarum vanitas de recognitæ Augustanæ Confessione.

1539.

Hæc omnia etiam sunt opponenda horrendis conuitijs, quæ Iacobus Smidlinus 21. Iunij, anno 1580. contra optimè meritum virum Philippum Melanchthonem publicè de suggestu euomuit, eumque accusauit, quòd Augustanam Confessionem, ejusque Apologiam corruperit, & adulterârit, Vnd hiemit ein buben- und Schelmen ia ein Ehrloß böß-wichts stuck begangen habe. *Vide concordiam discordem pag. 149.*

Hanc autem ob causam potissimùm Flacciani & Vbiquistæ sublatam è medio, & ex hominum memoria deletam esse cupiunt, de Lutheri voluntate, consilio & mandato recognitam, & rursus ante annum 40. editam Confessionem, nempe, vt ipsorum intempestiuè prauolantes & spinosis perplexitatibus referti libelli discentium manibus terantur, & ita iuxta Prouerbium, quasi Glauci & Diomedis permutatione factâ, perspicuis obscura, rectè dictis confusa, ordine explicatis intricata & perplexa infeliciter succedant.

Vbiquistæ cur emendatam August. Confessionem è medio sublatam velint.

Ac miror certè vehementer Vbiquistas, quâ fronte hoc illi in Philippo reprehendere audeant, cùm Patres ipsorum Bergenses isti ipsi sint, qui Confessionem August. primæ editionis, & à Principibus in Præfatione secundæ editionis reiectam, quam libro suo Concordiæ insarserunt, mutilarunt, corruperunt ac deprauarunt quàm maximè, sicut hoc eis ad oculum demonstrat Illustriss. Princeps Ernestus Fridericus Marchio Badensis, *in duobus libris à se editis, de causis, ob quas Celsitudo eius Concordiæ libro hucusque non subscripserit.*

Bergenses Patres primam August. Confessionem mutarunt & corruperunt.

1540.

ANNVS DOMINI M. D. XL.

Ioannes Caluinus Argentorati Theologiæ Professor & Gallicæ Ecclesiæ Pastor ordinatur. Caluinus cur Geneua in reliquerit.

IOannes Caluinus Nouioduni Veromanduorum oppido celebri natus, anno Domini 1509. superiori anno 38. Argentinam venit, ibique ex illius vrbis Senatus voluntate, à Bucero, Capitone, Hedione, Nigro, & alijs eorum Collegis ad Theologicam professionem, honesto stipendio proposito, ordinatus est, & non modò Theologiam illic docuit magno cum Doctorum omnium applausu, sed etiam ex Senatus consensu, Gallicam Ecclesiam, constituta etiam Ecclesiastica disciplina, plantauit. Docuerat antè Geneuæ: Causa autem ob quam inde migrare coactus est, hæc fuit. Cùm Ciuitas illa priuatorum quorundam factione in diuersas partes scinderetur, & non pauci sese in ordinem iuratum redigi nullo modo paterentur, eò tandem deuentum fuit, vt Farellus & Caluinus apertè testarentur, sese Cœnam Domini tam inter se discordibus, & ab omni Ecclesiastica disciplina alienis Ciuibus, ritè celebrare non posse. Accedebat & hoc, quòd in quibusdam ritibus Ecclesia Geneuensis à Bernensi discreparet. Vtebantur enim Geneuenses in Cœnæ Dominicæ celebratione pane communi seu fermentato, & Baptisteria, tanquam ad Baptismi ministerium minùs necessaria, itemque dies festos, excepto Dominico, sustulerant: quibus de rebus quum Synodus Lausannæ à Bernensibus coacta sic decidisset, vt azymum panem, cæteraque restitui Geneua postularet, Collegium autem Ministrorum Geneuensium se priùs audiri æquum duceret, eaque de causa altera Tigurum Synodus esset indicta, his oblatis occasionibus, qui tum fuerant creati Syndici (annuus hic est summusque in Repub. Geneuensi Magistratus) factionum & discordiarum duces, populum conuocant, eoque rem perducunt, frustra sese Caluino, cum eiusdem sententiæ Collegis ad reddendum omnium rationem offerente, vt maiore parte meliorem superante, Caluinus cum Farello intra biduum excedere vrbe iuberentur, quòd Cœnam Domini celebrare recusâssent. Postea bonos nonnullos, istâ mutatione panis fermentati in azymum, vsque adeò offensos, vt etiam à Cœna sibi abstinendum putarent, seriò monuit, ne ob illud ἀδιάφορον litem mouerent. Sicque obtinuit Geneuæ panis azymi vsus: de quo etiam postea restitutus Caluinus, nunquam contendendum putauit, minimè tamen dissimulans, quid alioqui magis esset probaturus.

Caluinus edit Argentinæ librum de Cœna Domini, & summa libri.

Hoc verò anno Argentinæ edidit libellum de Cœna Domini in Gallorum suorum vsum, quem deinde Latinum fecit Galasius: in quo argumentum hoc dextrè admodum ac eruditè explicâsse videtur. Nam primò, *quam ob causam & quem ad finem, sanctissimum hoc Sacramentum Dominus instituerit, ostēdit.* Deinde, *quis fructus inde ad nos redeat, ibique declarat, quomodo nobis in eo corpus Christi donetur.* Tertiò, *quis sit vsus eius legitimus.* Quartò, *quibus erroribus & superstitionibus contaminatum fuerit, recitat.* Postremò *exponit, quæ fuerit origo contentionis eius, quæ tam acerbè agitata est ab ijs ipsis, qui nostris temporibus Euangelio in lucem reducendo, Ecclesiæ instauranda puræque doctrinæ restituendæ, omnem operam collocârunt, ostenditque, quid ab vtraque parte peccatum sit, qua via procedendum fuisset, & quomodo piæ conscientiæ se inde explicare debeant.*

Origo certaminis Sacramentarij, & quid ab vtraque parte peccatum sit.

De hoc autem postremo capite ad hunc modum scribit: Fideles omnes per nomen Dei rogo atque obtestor, ne adeò offendantur, quòd hæc controuersia mota sit inter eos, qui in restituenda Euangelij doctrina, & quasi postliminio reducenda duces fuerunt primarij. Neque enim nouum est, Dominum sinere seruos suos aliquid ignorare: & pati ipsos inter se contendere: non vt eos perpetuò errare sinat, sed ad tempus: quò humiliores reddat. Et certè si hactenus prosperè cessissent, & ad voluntatem nostram fluxissent omnia, homines forsan obliti essent sui: aut gratia Dei, minùs quàm par erat, cognita fuisset. Itaque Dominus omnem gloriandi materiam hominibus adimere voluit, vt soli ipsi gloria tribuatur. Præterea, si consideremus quàm opacâ tenebrarum caligine obsitus erat orbis, cùm ij, qui hanc controuersiam mouerunt, cœperunt nos ad veritatis lumen reducere: minimè profectò mirabimur, quòd non omnia ipsis ab initio cognita fuerunt. Insigne potiùs Dei miraculum est, quòd tam exiguo temporis spatio ita fuerunt illuminati, vt ex illa errorum colluuie, quibus tandiu immersi fueramus, emergere ipsi, atque alios educere potuerint. Verùm nihil melius quàm rem ipsam vt gesta est recitare. Inde enim apparebit, non esse tantam in hac parte offensionis causam, quanta vulgò existimatur.

De Luthero.

Cùm Lutherus docere cœpit, sic materiam Cœnæ tractabat, vt, quòd ad corporalem Christi præsentiam attinet, talem ipsam relinquere videretur, qualem tunc omnes concipiebant. Nam Transsubstantiationem damnans, panem corpus Christi esse dicebat, quòd vnà cum ipso coniunctum esset. Adiungebat præterea similitudines duras quidem illas & rudes, sed eis vti cogebatur, quòd aliter mentem suam explicare non poterat. Difficile enim est, rem tam arduam exponere, quin impropria quædam

De Zuinglio & Oecolampadio.

dam subinde accersantur. Dehinc suborti sunt Zuinglius & Oecolampadius: qui cùm imposturam & deceptionem à diabolo inuectam considerarent, in stabilienda præsentia illa carnali, quæ ab annis sexcentis tradita, & pro certa habita fuerat, tem tanti momenti dissimulare nefas esse existimârunt. Maximè cùm huic errori execrabilis idololatria annexa esset, quòd Christus quasi sub pane inclusus adoraretur. Quia verò difficillimum erat hanc opinionem, quæ diu iam & altiùs radices egerat in animis hominum, reuellere, omnem ingenij vim ad eam impugnandam applicârunt: admonentes crassissimi & absurdissimi erroris esse, non agnoscere ea quæ de ascensione Christi tota Scriptura testificatur. Ipsum in cœlo in hominis natura receptum esse, ibique mansurum, quoad descendat ad iudicandum orbem. Sed huic proposito nimiùm intenti: quam præsentiam Christi in Cœna credere debeamus, qualis illic communicatio corporis & sanguinis ipsius recipiatur, dicere omittebant. Adeò, vt Lutherus eos nihil præter signa nuda, & spiritualis substantiæ vacua relinquere velle, existimaret. Ideo cœpit palàm obsistere: ita vt pro hæreticis habendos denuntiaret. Ex quo semel efferbuit contentio, sic temporis progressu adaucta & inflammata est, vt acerbiùs æquo exagitata sit per annos plùs minùs quindecim, quibus interim neutri alteros æquo animo & placido audire sustinebant. Nam etsi semel contulerunt inter se: tanta tamen animorum alienatio erat, vt re infectâ discesserint. Cùm etiam ad concordiam aliquam accedere debuissent, magis ac magis regressi sunt: nihil aliud spectantes, quàm vt opinionem suam tuerentur, & contrariam refutarent.

Quid ab vtraque parte fieri oportuerit.

Habemus itaque qua in re impegerit Lutherus, in qua etiam Oecolampadius & Zuinglius. Lutheri partes erant, ab initio admonere, non esse propositi sui, præsentiam localem talem statuere, qualem Papistæ somniant. Item testari, se non hoc quærere, vt Sacramentum, Dei loco adoraretur. Tertiò, abstinere à similitudinibus illis rudibus & perceptu difficillimis: aut moderatè eis vti, atque ita interpretari, vt nullam offensionem parere possent. Denique, ex quo mota est contentio, ipse modum excessit: tum in declaranda opinione sua, tum in alijs nimiâ verborum acerbitate vituperandis. Cùm enim ita se debuisset explicare, vt sententia eius recipi posset: pro solita vehementia sua, vt contraria afferentes impugnaret, hyperbolicis loquendi formis vtebatur: quas haud facilè erat tolerari ab ijs, quorum alioqui animi ad fidem ipsi adhibendam malè dispositi erant. Alij etiam offenderunt in eo, quòd ita tenaciter inhæserunt in oppugnanda superstitiosa illa & phanatica opinione Papistarum; de præsentia locali & adoratione quæ inde sequebatur, vt ad vitium diruendum conatus suos potiùs conuerterint, quàm ad id quod cognitu vtile erat, stabiliendum. Nam etsi veritatem non negârunt: eam tamen non ita apertè, vt decebat, docuerunt. Hoc intelligo: dum nimis studiosè ac diligenter in hoc toti incumbebant, vt assererent, panem & vinum corpus & sanguinem Christi vocari, quòd ipsorum signa sint: non cogitârunt, sibi hoc interea simul agendum, vt adiungerent ità signa esse, vt nihilominus veritas cum eis coniuncta sit. Nec testati sunt, sese non eò tendere, vt veram communionem obscurarent, quam nobis hoc Sacramento Dominus in corpore & sanguine suo exhibet.

1540.

Vtrique profectò in culpa fuerunt, dum sese mutuò audire non sustinuerunt: vt positâ omni affectione, veritatem, vndecunque pateficeret, sequerentur. Verùm non ideo, quod nostri erga ipsos officij est, prætermittere debemus. Ne scilicet obliuiscamur gratiarum & beneficiorum, quæ Deus in eos contulit, & nobis per ipsorum manum distribuit. Nisi enim ingrati sumus, & immemores eorum quæ ipsis debemus: facilè ab omni vituperio & maledicto abstinentes, ista & multò maiora condonabimus. Denique, cùm videamus ipsos & vitæ sanctimoniâ & doctrinâ excellenti præstitisse, atque etiam præstare qui hodie sunt superstites: non aliter debemus de ipsis, quàm cum summa modestia & reuerentia; & loqui & sentire. Maximè, cùm Deo nostro ita placuerit, posteaquam ipsos hoc modo ad humilitatem erudiuit, huic infelici disceptationi finem imponere, aut saltem eam pacare, interim dum omnino finiatur. Hoc dictum volui, quoniam nulla adhuc publicata est formula, vbi concordia illa constituta sit: quod valde necessarium esset. Verùm hoc fiet, cùm Deus volet in vnum eos conuenire omnes, à quibus hæc sunt componenda. Interim hoc nobis sufficere debet, fraternam amicitiam & coniunctionem inter Ecclesias esse: quatenus Christianæ communionis interest. Vno igitur ore fatemur omnes, nos cùm iuxta Domini institutum fide Sacramentum recipimus, substantiæ corporis & sanguinis Christi verè fieri participes. Quomodo id fiat alij alijs meliùs definire & clariùs expli-

1540. uare possunt. Cæterum, hoc in primis tenendum, vt carnalis omnis imaginatio excludatur, animum oportere sursum in cœlos erigere, ne existimemus Dominum nostrum Iesum Christum eò deiectum esse, vt in elementis corruptibilibus concludatur. Rursum ne vis sacrosancti huius mysterij imminuatur, cogitare debemus, id fieri occultâ & mirabili Dei virtute: Spiritumque ipsius vinculum esse huius participationis: quæ etiam ob eam causam, spiritualis appellatur.

Lutheri iudicium de hoc Caluini libro.

Scriptum est hoc iudicium Caluini superstite adhuc Luthero: Nam id & vidit Lutherus, & probauit vehementer, cùm ex Gallico in Latinam linguam translatum ex Francofurtensibus nundinis Vernalibus anni 1545. *Witebergam attulisset Bibliopola Mauritius Golzabius, & Luthero requirenti, quid nouorum librorum esset allatum, abtulisset legendum. Quo tempore ex testimonijs fide dignissimorum hominum constat, eum in hac verba erupisse:* Non ineptè iudicat iste Scriptor. Atq; ego quidem, quæ mea sunt, agnosco. Heluetij si idem facerent, & sua quoque seriò agnoscerent & retractarent, iam pax esset in hac controuersia. *Et anno quidem* 1540. *perscriptum est hoc iudicium à Caluino, cùm à nemine hominum priùs accusatus esset vnquam, quòd de Cœna Domini prauè sentiret: Imò cùm ad defensionem veritatis contra Papistas aliquoties dum in Germania fuit, ad Colloquia in Comitijs adhibitus esset à Protestantibus, vt eam dicemus.*

EX ACTIS COMITIORVM Haganoensium & Wormatiensium, quod ad causam potissimùm Eucharisticam attinet.

Haganoensia Comitia, & quid in ijs Pontificij postulârint.

HOc quoque anno Comitia Imperij Spirâ propter pestem Haganoam translata sunt, & inde rursus eodem anno Wormaciam, componendis Religionis dissidijs. Postulârunt in Haganoensi Conuentu Eccius & Pontificij, vt quæ de Cœna Domini Augustanis Comitijs anno 30. concessa essent, ea immota deinceps manerent. Sed ab omnibus tam vnanimis sententijs reclamatum fuit, & nemo omnium erat, qui istud Pontificijs esse dandum putabat, quod non absque stomacho fiebat & querela Pontificiorum.*

Caluinus à Ducibus Luneburgensibus postulatur, vt legatis [illegible]

Ob Wormatiensia verò Comitia Duces Luneburgenses Caluinum & Ioannem Sturmium ab Argentinensium Magistratu postularunt, vt Legatis eorum in Wormatiensi Colloquio assisterent. Senatus igitur decreto Sturmius & Caluinus, cum Argentinensium Legatis Iacobo Sturmio & Pfarrero, ac Theologis Capitone & Bucero VVormaciam profecti sunt. Sunt qui scribant, Caluinum cum his animi causa descendisse VVormaciam, non autem Senatus iussu: Sed si id imprudentes faciunt, errant: si de industria, non verum scribunt: id quod ex Actis illius Colloquij liquere potest. Refutantur etiam Argentinensis Ecclesiæ Ministrorum literis hac de re ad Geneuenses scriptis, in quibus de Caluino inter alia hæc scribunt: Cras aut post biduum abeundum ei nobiscum VVormaciam est ad Colloquium de Religione: Non videtur igitur consultum, vt Caluinus rescindat vocationem Domini, quâ ad hoc Colloquium deputatus est.

in Colloquio Wormaciensi assistat. Antipap. 2. fol. 112 & Antipap. 4. fol. 10. 11.

Inter Caluinum & Philippum in Wormaciensi Colloquio amicitia initur. Cruciger probat Caluini sententiam de Cœna.

In eo autem Colloquio magna inter Melancthonem, Crucigerum & Caluinum notitia constituta est, sic vt Philippus Caluinum sæpe Theologum cognominarit, & dum viuerent ambo, nunquam interrupta fuerit charitas & amicitia, id quod ex Philippi Epistolis potest confirmari, quæ in lucem editæ sunt: Cruciger verò priuatum de Cœna cum Caluino colloquium habuerit, eiusque cognitam sententiam disertè comprobarit.

Caluinus Geneuam reuocatur.

Caluinus ab Argentinensibus conceditur Geneuensibus.

Cùm hæc VVormatiæ agerentur, venerunt literæ Argentinæ à Senatu ad Iacobum Sturmium & Matthiam Pfarrerum Legatos Reipub. Argentinensis, quibus scribebatur, Caluinum à Geneuensibus suæ Ecclesiæ postulari: viderent Legati per Bucerum, Capitonem & Ioan. Sturmium, qua ratione retineri Caluinus posset: Placebat enim tum Senatui Argentinensi, quòd Ecclesia Gallorum Argentinæ quotidie magis magisque augeretur, & quòd ex Gallia multi propter Caluinum accederent, studiosi adolescentes, atque etiam literati viri, quemadmodum in illis literis scribebatur. Indicabatur etiam his literis, si Caluinus Argentinæ quàm Geneuæ esse mallet, quod à Geneuensibus petebatur, Senatum recusaturum. Sed cùm Legatus Geneuensium VVormaciam veniret, eiusmodi ostendebat tempora esse Geneuensis Ciuitatis, & eas dari in Gallia occasiones, vt ad communem religionis causam pertinere videretur, hac in re Geneuensibus gratificari. Itaque pro tempore concessum fuit istud beneficium Geneuensibus, vt post Conuentum VVormaciensem, Geneuam Caluinus subsequeretur.

ANNVS M.D. XLI.

Comitia Ratisponensia.

Caluinus ab Argentinensibus

POst discessum Legati Geneuensis, de quo anno præcedenti diximus, decreta VVormaciæ fuerunt Comitia Ratisponam in annum insequentem quadragesimum primum. Relatum igitur ad Senatum Argentinensem à Legatis de his Comitijs fuit. Hac re consultata & deliberata ab ijs quibus mandata erat, Senatusconsultum

1541.

Reisseranam ad Colloquium mittitur.

fultum foctum est, vt cum Iacobo Sturmio & Beato Dunzenhemio tredecemuiro, Bucerus & Caluinus Ratisponam mitterentur. Credo hic etiam dicetur, animi causâ cum Bucero Caluinum profectum esse: quod aquè falsum est, atq; illud alterum de Wormaciensi profectione. Sed videantur in Archiuis Acta illius temporis, in quibus constabit, & Caluinum retentum fuisse vsque ad illa Comitia: & post habita demum Comitia missum Geneuam, cum honorifico testimonio & Epistola. Longè igitur aliter tunc de Caluino, eiusq; doctrina & eruditione iudicârunt Argentinenses, quàm hodie.

In his Comitijs Præfecti Cæsaris Fridericus Elector Palatinus & Granuellanus à Protestantibus postulârunt etiam inter alia, Confessionem de Cœna Domini. Atqui Comitijs Augustanis anno 30. de huius quæstionis quinque capitibus actum & transactum erat, exceptâ sola manducatione vnius speciei, vt suprà etiam dictum est. Iam autem hæc quæstio reuocatur, quia Haganoæ superiore proximo anno 40. Pontificij postularant, vt hoc caput de Cœna Domini, quatenus Augustæ conciliatum esset, comprobaretur. Negarunt autem hoc Protestantes, & mutarunt sententiam de quinque illis articulis Augustæ concessis; propter Concordiam Witebergensem & declarationem vtrinque factam & Lutherana & Heluetica doctrina. De qua re sic ad Noribergensium Concionatores Philippus scribit: Decreuimus, nos prorsus nullam mutationem vllius articuli Confessionis & Apologiæ admissuros esse, quocunque prætextu Augustæ rem eò adduxerant, vt simul articulos conderemus ambiguos, flexiloquos. Res erat similis Syrmiensis illius Synodi. Sunt autem res nostræ aliquantò pluribus lucubrationibus ita iam patefactæ atque explicatæ, vt quid verè sentiamus satis liqueat, &c.

Vt autem Imperatoris Caroli mandato satisfieret, conscripsit Philippus suo & reliquorum Collocutorum nomine formulam sententiæ Protestantium de Cœna, quam Friderico Palatino Electori & Granuellano exhibuit, & sic de verbo ad verbum habet: Christus inquit, *Accipite, manducate, hoc est corpus meum*, & deinde, *Hic est sanguis meus.* Ideo fatemur in Cœna Domini verè & realiter corpus & sanguinem Christi adesse, & cum pane & vino exhiberi.

Triplex autem finis est, primus, vt hac sumptione admoniti, recordemur passionis, & resurrectionis Christi, & erigantur piæ mentes fide agnoscentes Filium Dei. Hac fide per Sacramentum applicatur nobis gratia. De hoc fine concionatur Christus ipse inquiens, *Hoc facite in mei recordationem.* Vult enim nos retinere memoriam passionis & promissi beneficij. Nec vult tantùm historiæ memoriam conseruari, sed vult, vt hæc beneficia in vsu Sacramenti nobis fide applicemus.

Secundus finis est, vt Deo pro immensa misericordia erga nos, & Filio pro nobis dato, vicissim gratias agamus in vsu huius Sacramenti.

Tertius finis est, vt facti membra vnius corporis Christi admoneamur de mutua dilectione, Quare Paulus inquit: *Sicut vnus est panis, ita vnum corpus multi sumus.* Semper autem de Sacramentis regula tenenda est, esse ea principaliter testimonia voluntatis Dei erga nos seu gratiæ: postea alij fines accedere possunt.

Docemus & hoc, neminem ad vsum huius Sacramenti idoneum esse, perseuerantem in delictis contra conscientiam, nec admittendos esse eos, qui obnoxij sunt manifestis criminibus. Docemus igitur Apostolicam regulam: *Probet seipsum homo, & sic de hoc pane edat.* Vt autem Irenæus inquit: *Eucharistiam constare duobus rebus, terreno & cælesti*: Et Paulus ait: *Panis, quem frangimus, particip[illegible] corporis Domini*: Ita nos docemus, c[illegible] consecrato exhiberi corpus Christ[illegible]ribus. Nec docemus fieri Transubstantiationem, vt vocant, seu abjici substantiam panis, & sequimur multorum sanctorum Patrum firma & perspicua testimonia.

Hæc eorum, qui falsò Zuingliani vocantur, doctrina est. Nam & illi docent verè & realiter corpus Christi in Cœna præsens esse, & dari sumentibus: at non in pane, neque ori præsens esse, sed fidei, & omnibus quidem cum pane & vino sumendum offerri, sed solis fide sumentibus communicari. Philippus nullius oralis manducationis hoc quidem loco mentionem facit. Addit etiam Irenæi dictum, quo nullo frequentiùs ad sua sententiæ confirmationem, quàm hoc ipso nostri vtuntur.

Cùm autem delecti Domini hac simplici & perspicua Confessione non contenti essent, sed etiam alios articulos addidissent, de Transubstantiatione, de reponendo Sacramento, de reposita panis adoratione, &c. aliud scriptum obtulerunt, in quo decimum Articulum Augustanæ Confessionis luculenter his verbis declarant: Illustrissime Princeps, & Illustris Domine, Magnitudo negotij, in quo versamur, nō potest non afferre moras aliquas. Ideo reuerenter precamur, vt boni consulatis, quòd non citius respondimus. Nec mirum est, propter abusus multorum seculorum, difficiles iam de Cœna Domini deliberationes esse. Sperabamus autem reuerendis & doctissimis viris, delectis ad Colloquium, satisfa-

1541. tisfacturam esse Confessionem doctrinæ nostræ de Cœna Domini nuper exhibitam, quæ ad communem Concordiam certè profutura erat. Nam perspicuè testati sumus, nos amplecti & tueri omnem consensum Ecclesiæ Catholicæ, quod in Cœna Domini, consecrato pane & vino, verè & realiter, adsint & sumantur corpus & sanguis Domini. Testati enim sumus, nos improbare eos, qui negant adesse & verè sumi corpus Christi. Abhorremus enim à prophanis iudicijs in hac causa, vt ipsa formula in hoc Conuentu à nobis exhibita, & Apologia iam olim (*Anno scilicet* 1531.) edita, testantur: Nec in libro, quem inuictissimus Imperator à nobis inspici voluit, plus est, quàm in nostra formula, nisi quòd in margine libri quædam verba (de Transubstantiatione) vt apparet, ab alio authore adiecta sunt. Et quia retinemus doctrinam de præsentia corporis Christi, quid opus est quærere de modo, quomodo corpus Christi sit præsens? recentes sunt hæ disputationes, de Transubstantiatione, & sunt dissimiles, nec intellectæ ipsis scriptoribus, tantum abest, vt populus intelligat. Loquimur igitur verbis Pauli & veterum Patrum, cum Paulus dicat: *Panis, quem frangimus, est participatio corporis Domini*; nos quoque dicimus, cum pane consecrato verè adesse & sumi corpus Christi. Sic & Irenæus locutus est, *constare Eucharistiam duabus rebus: Terrenâ & cælesti*: Nec dubium est, quin terrenam vocet panem, huic adiungit rem cœlestem, videlicet corpus Christi. *Sic Cyrillus*: Dominus fragmenta panis dedit, inquiens: Hoc est corpus meum: *non ait, dedisse* accidentia panis. Noua est hæc imaginatio Transubstantiationis, quæ finxit accidentia sine subiecto, vnde natæ sunt infinitæ quæstiones inutiles, de muribus rodentibus consecratum panem, & similes indignæ Ecclesiæ grauitate. Epiphanius diligenter describens & dogmata Ecclesiæ & deinde Sacramenta, inquit: *Cibus quidem panis est, sed in eo est corpus Christi, quod viuificat.* Disertè inquit, in EO, nondum enim orbis terrarum vocabulum Transubstantiationis audierat. *Cyprianus inquit*: Nec potest videri sanguis eius, quo redempti & viuificati sumus esse in calice, quando vinum desit calici, quo Christi sanguis ostenditur. *Augustinus satis sibi constat, si dextrè intelligatur: panem & corpus coniungit*: quod videtur panis est, quod fides postulat instruenda, panis est corpus Christi. *Et perspicuum est Gelasij Romani Pontificis testimonium, qui inquit*: Certè Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi *diuinæ res sunt, propter quod & per eadem diuinæ efficimur consortes naturæ, & tamen non desinit esse substantia vel natura panis & vini.* Sic & Nicena Synodus loquitur: *Non attendamus ad panem & poculum in diuina mensa propositum, sed attollentes mentem fide, cogitemus, iacere in ea mensa agnum Dei*: coniungit igitur panem & corpus Christi. Nec ignoramus recentiores scriptores postea philosophatos esse de abiectione substantiæ panis: & maxima turba est recentium scriptorum. Sed nos cum Paulo & vetusta Ecclesia loquimur, & hæc sententia præcidit quasdam periculosas quæstiones. Nos non venimus rudes ad hanc causam, sed peruestigata est nobis tota Antiquitas, & quasi cum pia Ecclesia deliberantes, inquisiuimus omnium Veterum sententias, vt nostris Ecclesijs firmam & salutarem doctrinam traderemus, & acquiescimus in ea sententia, quam exhibuimus, quam & piam & ad sedandas discordias vtilem esse iudicamus, &c.

Hæc commemorauimus, vt cùm constet nos retinere veram præsentiam, ne cogamur recipere, quæ addidit recentior ætas de abiectione naturæ panis. A deputatis alterius partis adiecti sunt articuli de reponendo Sacramento, & de repositæ partis adoratione, quæ vbi est vsus integri Sacramenti, seu vtriusque speciei, locum non habent, &c. Ideo articulos à delectis oblatos non recipimus, & reuerenter oramus, vt hanc nostram responsionem Celsit. vestræ boni consulant, nosque ad reliquam collationem offerimus, &c. *Huic declarationi subscripserunt Philippus Melancthon, Martinus Bucerus, & Ioannes Pistorius, Ordinum Protestantium nomine collocutores designati.*

Hoc scriptum Granuellanus primùm noluit accipere: postea verò à prandio oblatum à Cancellario Saxonico & Alexandro von der Thann, *accepit, & rursus delecti tertiâ horâ conuenerunt.*

Sequentia quoque testimonia de Eucharistia non administranda, nisi adsint, quibus distribuatur, collegit Philippus in hoc Conuentu Ratisponensi.

Cœnam non administrandam, nisi adsint quibus distr. Tom. 2. Operum Philipp. fol. 10[illegible]

Cyprianus Epist. 3. lib. 2. In administratione huius Sacramenti, nihil aliud, quàm quod Christus fecit, facere debemus. *Facite*, inquit, *hoc in meam commemorationem.* Dominus autem dedit panem & poculum discipulis atque dixit, *Accipite & bibite, hic est sanguis meus.* Quando igitur hoc mysterium celebrandum est, oportet conuenire discipulos Christi, & Sacramenta illa distri-

distribuere, sicut fecit Dominus.

Tempore Apostolorum, & postea circiter 400. annus in Ecclesijs celebratissimis fuit hæc consuetudo: vna Missa celebrabatur, In qua cùm sacræ essent orationes, & concio, plures sumebant Sacramentum corporis & sanguinis Christi. Nec solebant fieri Missæ sine plurium communione, sed accedebant pij, & vsu Sacramenti suam fidem excitabant & confirmabant. Hic mos primus conuenit institutioni factæ à Christo ipso, cùm dicitur, *Accipite, manducate, hoc facite in mei recordationem.* Hinc Paulus 1. Cor. 10. morem sui temporis describens, addit, *se à Domino accepisse, quod tradidit*: Discernit hanc Cœnam à prophana, & monet hunc morem; non esse inuentum humanum, sed rem diuinitus institutam, & ordinatam, & clarè iubet simul sumere in publico cœtu. *Conuenientes ad manducandum*, inquit, *exspectate vos mutuò.* Item: *Vnus panis, vnum corpus multi sumus, omnes enim ex vno pane participamus.* Ergo hoc mysterium, cùm multi conueniunt, celebrandum est. Nec tamen plures panes, sed vnus panis frangatur. Nam dicit, omnes de vno pane participamus, non, Aliqui de hoc, Aliqui de alio, vt hodie in vno cœtu multæ Missæ habentur: Multo minus verò congruit, vt multis conuenientibus ad hoc sacrum, vnus tantùm de hoc pane & poculo participet. Hunc morem diu mansisse in Ecclesijs sine vllis priuatis Missis testatur etiam Dionysius, qui multis verbis describens ritum Missæ, narrat, talem fuisse communionem plurium.

Clemens: Tot in altari holocausta offerantur quot populo sufficient.

Nicena Synodus præcipit hoc modo: Accipiant Diaconi secundum ordinem post Presbyteros, ab Episcopo, vel à Presbytero sacram communionem. Hinc apparet vnum fuisse, qui cæteris Presbyteris, Diaconis, & populo porrigebat, nec fuisse singulorum Presbyterorum peculiares oblationes.

Chrysostomus ait: Sacerdotem stare ad aram, alios accersentem ad communioné, alios arcentem. Cap. peract. dist. 2. sic ait: Perfectà consecratione omnes communicent, qui noluerint, Ecclesiasticis careant luminibus: Sic enim etiam Apostoli statuerunt.

Augustinus lib. 2. Retract. Vt hymni de altari dicerentur de Psalmorum libro, siue ante oblationem, siue cùm distribueretur populo, quod fuisset oblatum. Item: Omnibus tamen Dominicis communicandum suadeo, si tamen mens in affectu peccandi non sit. Item ad Paulinum: Fiunt orationes, cùm illud, quod est in Domini mensa benedicitur, & sanctificatur, & ad distribuendum comminuitur.

1541.

Chrysostomus in Epist. ad Eph. hom. 3. scribit: Quicunque mysteriorum consors non est, improbus & impudens adstat. Et: Qui non dignus sit communione, eum ait etiam indignum esse precatione. Item: Quomodo cùm manseris, de mensa ista non participas? Item: Non vt in veteri Lege partem Sacerdos, partem populus comedebat, sed nunc vnum corpus & vnum poculum omnibus proponitur.

Cyprianus de Lapsis: Vbi verò solennibus adimpletis, calicem offerre Diaconus præsentibus cœpit, & aduenientibus cæteris, locus puellæ aduenit, &c.

Ex Concilio Toletano. Post orationem Dominicam &c. Panis & Calicis benedictio in populum sequatur, & tum demum corporis & sanguinis Domini Sacramentum sumatur, eo videlicet ordine, ut Sacerdos & Leuita ante altare communicent, in choro clerus, extra chorum populus.

In vtroque Canone Græco & Latino verba testantur, fuisse morem communicandi pluribus, ut cùm dicunt: Sacramenta quæ sumpsimus, &c.

In ijsdem Comitiis sæpe ex Philippo, vt Pezelius testatur, hæ voces auditæ sunt, quàd in primis metueret difficultatem & pericula certaminis, vbi in Colloquio de religione publicâ authoritate instituto, ad Missam ventum esset, quæ iam ante se prospicere omnino & præmeditari aiebat. Sed fundamenta iam totius causæ inquisiuerat, quæ sciebat nullâ sophisticâ infirmari aut eludi facilè posse. Itaque exitum prouidentiæ & gubernationi diuinæ maiori animi tranquillitate commendabat. Accidit tamen Ratisponæ, quod animo præsagierat, vt magnæ turbæ commouerentur, cùm de Missa disputari cœptum esset. Nam cùm hæc solida & immota fundamenta Philippus Missam oppugnare cœpisset: Quòd Sacramenta noui Testamenti in Ecclesia sint actiones à Christo institutæ, & quòd nihil habeat rationem Sacramenti extra vsum legitimum: Deniq; quòd in ipso vsu Cœnæ, promissio de præsentia & communione corporis Christi non ad symbola, sed ad sumentes pertineat, sicut verba Cœnæ non propter panem, sed propter hominem recitentur. *Eccius non reperiens subitò, quò vel auerteret vel exciperet talem ictum, tam improuiso & tanto impetu illatum, totus furere, fremere, extremo minitari omnia, & se vel ad ignem vsque pro Missa pugnaturum, exclamare cœpit. Granuellanus verò;*

Tom. 8. Philipp. Turbæ in Ratisponensi Colloquio motæ de Missa.

1541. *qui Imperatoris nomine Colloquio præerat, nihilo mitius ingenti irâ accensus,* Imperatorem *dixit*, citiùs omnia Regna sua in discrimen positurum esse, quàm passurus sit, vt labefactetur authoritas Missæ. Quam qui attingat, illum aiebat pupillam oculi Imperatoris attingere. *Illud etiam subjiciebat Granuellanus,* Nunquam se passuros, vt pro idololatris accusentur aut traducantur. Errare, *inquit*, in aliquibus & abusus habere potuisse libenter confitebimur. Sed idololatræ esse nolumus.

Eccius non reuertitur ad Colloquium propter crapulam.

His motibus dirempta certamine, eo die discessum est. Nec redijt ad disputationem deinceps Eccius, qui ira & indignatione æstuans, cùm apud Episcopum Mutinensem multo se vino Italico ingurgitasset, ardenti febre correptus, grauiter vsque ad exitum Comitiorum decubuit.

Missa ingulum petijt Philippus non Lutherus.

Lutherus, cùm ad eum hæc fundamenta Melancthan è Comitijs perscripsisset, tanto exilijt gaudio, vt qui spectarunt præsentem, asseuerarint, nullo vnquam tempore se lætiorem eum vidisse, sæpe exultantem, & iterantem atque ingeminantem hæc verba: Macte virtute & pietate, mi Philippe, tibi debetur gratia, qui Pontificię Missę potuisti Sacramentum adimere, quod ego tentare & aggredi non fui ausus.

Carolus Imp. irritatur disputatione de Missa.

Imperator Carolus hac disputatione auditâ, vehementer irritatus est, vt magis quàm vnquam antea incandesceret. Et accesserunt malevolorum delationes, quibus calumniati sunt Melancthonem, quòd à Legato Gallico incitaretur, & quòd fiduciâ Gallici patrocinij aut perfugij tantopere ferociret. Conspectum enim esse Legatum Gallicum cum sola solum, sermones habentem arcanos.

Landgrauius argumentis instruitur à Philippo contra Londinensem Episcopum de Missa.

His & suspicionibus & calumnijs Melanethon grauiter periclitatus est. Quod autem eo tempore gratia & authoritate valeret apud Carolum Philippus Hassia Landgrauius, hunc per Londinensem Episcopum ex Anglia exulem in suam Imperator pertrahere sententiam conatus est. Quod vbi ille animaduertisset, à Melancthone, se vt instrueret ad colloquium cum Londinensi postulauit.

Perscripsit itaque Melancthon Landgrauio argumenta aliquot & rationes, quibus edoceret & conuinceret, adorationem, repositionem, circumgestationem consecrati panis, & sacrificium Missæ (quæ omnia ex hac falsa imaginatione à Papistis detexerentur, quòd præsentia seu existentia corporis statueretur in loco, vbi species panis teneatur vel manu sacerdotis, vel in patinis, & capsulis) tetram esse profanationem Cœnæ Dominicæ.

Argumenta Philippi contra

Argumenta hæc fuerunt, quæ extant Tom. 2. Oper. Philippi, pag. 209.

Tunc fit Sacramentum, cùm omnes causæ concurrunt & seruatur intentio eius finis, qui institutus est, consequendi, vt si quis vtere tur Baptismo Magicè pro morbi alicuius depulsione, iam non esset Baptismus.

Missam Pontificiam Landgrauio suppeditata.

1. Cœna tantùm fit ad sumendum. Ergo tunc tantùm est Sacramentum, cùm accedit sumptio.

2. In Sacramentis debet esse certitudo. In actione tantùm est certitudo. Ergo tutissimum est actione contentum esse.

3. Præsentia est voluntaria, non est conuersio physica, aut localis inclusio. Ergo est actionis præsentia.

4. Deus non est alligandus, vbi seipsum non alligauit. Christus non alligauit se ad Sacramentum extra vsum, quia adest propter hominem, non propter panem.

5. Christus dicit: Accipite, manducate, hoc facite.

6. Christus adest hominis causâ, non propter panem. Verba non recitantur propter panem, sed propter auditorem.

7. Sacramentum constat verbo & signo, quæ in vsu non debent diuidi. Fit diuisio, cùm panis datur sine recitatione verborum, sine concione. Ergo est abusus.

Londinensis Episcopus à Landgrauio vincitur.

His popularibus argumentis Landgrauius præmunitus, Londinensem ita excepit & repressit, vt fateri sit coactus, se quanquam sit Episcopus, non tamen intelligere has res tantas, nec habere, quo redarguat sibi obiecta, se oportuisse acceptis mandatis satisfacere, velle se de his eunctis Imperatorem edocere.

Prætextus quo fuit abrumpendi colloquium.

Quòd verò instituta de controuersis capitibus collatia, & de hac inprimis, successum optatum minimè adipisceretur, & maiorem inclinationem sua causa Pontificij mouerent, si disputatia, vt cœpta erat, pertexeretur, quæsiti sunt prætextus, eam abrumpendi.

Argumenta Philippi contra Missam non tantùm Pontificiorum sed Vbiquitistarum opposita.

Intelligit autem quiuis, non tantùm Missæ Pontificiæ, & reliquis prophanationibus Cœnæ Dominicæ apposita esse hæc fundamenta Melancthonis: sed etiam fontis illorum abusuum, videlicet, præsentiæ corporali in Symbolis, quæ vt toto genere differt à vera præsentia in Cœna, quæ est ipsa κοινωνία corporis Christi cum credentibus: Sic quandiu retinetur & defenditur mordicus, basis est & columna sustentans totum illud chaos abusuum, & ἀρτολατρείαν vniuersam, quæ sub Papatu inuecta est, stabilitens ac confirmans. Quamobrem cùm taties inculcat Melancthon: Sacramenta esse actiones. Et in vsu tantùm esse Sacramenta. Et præsentiam, ad actionem referendam esse: & non propter panem, sed propter hominem Christum adesse: *intelligentibus velut facem hanc præfert: Non faciendam esse alligationem substãtia corporis Christi ad panem, seu speciem panis:*

panis: Nec in pane substantialiter quarendum esse Christum, qui si ibi corporaliter præsens esset, aut inclusus speciebus ibi contineretur: necessariò ad locum panis adoratio Christi faciendo esset, & ad hanc alendam, circumgestatio, repositio, & oblatio retinenda. Qua cùm falsa & idololatrica esse omnes pij in Ecclesijs Euangelicis ognoscant: Mirum certè est, eosdem non intelligere, opinionem quoque illam, qua ista omnia nituntur de existentia corporis in manu sacerdotis, siue sub pane, siue specie panis, falsam esse oportere.

Itaque eadem opera & abusus illos Pontificios, & hanc imaginationem falsam oppugnat Melancthon regulis ac fundamentis illis suis, qua VVitebergam reuersus magis magisque illustrauit, docendo & disputando in Academia, Luthero non modò non aduersante, aut prohibente, sed etiam probante, quòd eo esset ingenio, vt placidè tradentem meliora, studio veritatis, etiamsi dissentanea sui viderentur, facilè tamen tolerare posset.

Caluinus Geneuã regreditur.

Finitis his Comitijs Caluinus 13. Septemb. huius anni Geneuam regressus est, summa cum vniuersi populi, ac Senatus inprimis, singulare Dei erga se beneficium seriò tum agnoscentis, congratulatione. Dimiserunt eum Argentinenses hac conditione, vt ius Ciuitatis honorarium, quod in Caluinum contulerant, saluum esse, & Prabenda, quam vocant, annuos reditus retineret. Quorum illud probauit Caluinus, hoc verò vt acciperet nunquam ab eo extorqueri potuit, vt qui nihil minus quàm opes quæreret aut curaret.

Caluinus eandem doctrinam Geneuæ tradidit, quam Argentinæ & in colloquijs defendit.

Geneua eandem doctrinam, quam antehac semper, de Cœna Domini & scriptis editis & viuâ voce professus est. Hoc verum esse, quiuis intelliget, si Institutiones eius quas Argentina primùm in lucem edidit, cum posterioribus eius libris contulerit.

Caluinus non mediam sententiam inter Zuinglium & Lutherum docuit, sed Zuinglij sententiam secutus est.

Sunt qui mediam quandam sententiam inter Lutherum & Zuinglium eum docuisse affirment; sed hoc vel ex imperitia, vel malitia faciunt. Nam à Zuinglij sententia (si rem ipsam spectes) ne hilum quidem, quod Caluinus tradidit, discrepare, quamuis paulò planius quid in Sacramento percipiatur definiat ipse; vel summus ille & perpetuus Tigurina & Geneuensis Ecclesia Consensus de re Sacramentaria confirmat. Passim quidem inculcat Zuinglius, Cæsam Christi carnem nos à cæde seruare, comesam nihil prodesse: veram illam ac realem carnem Christi ne spiritualiter quidem edi: carnis & sanguinis nominibus mortem ipsam significari: carnem Christi manducare nihil aliud esse quàm credere, *& si qua sunt similia. His autem contraria videtur Caluinus affirmare,* Carnem Christi *videlicet* quæ crucifixa est oportere à nobis comedi: veram substantiam carnis nobis spiritualiter communicari: Christum ipsum non esse à suis donis separandum; manducationem esse fidei effectum. *Nullam autem in his esse repugnantiam, non difficile est sani iudicij hominibus demonstrare. Comesam vbique carnem vocat Zuinglius ex aduersariorum sensu, qua siue sensibili siue spirituali modo in nostra corpora trajiciatur: Et rectè negat hoc sensu carnem quicquam prodesse, quoniam mactata est in ara crucis, vt semel eius morte non autem comestione aut esu seruaremur. Hoc Zuinglij dictum qui ex prauo affectu sinistrè accipiebant olim, concludebant inde, eum simpliciter negare omnem carnis manducationem, quod quidem esset ipsa Christi verba manifestè inficiari: Nec vnquam illi in mentem hoc venit. Ideo comedendam etiam carnem asseruit Caluinus: sed simul quid vocabulo manducationis carnis & sanguinis Christi intelligeretur perspicuè declarauit: nempe, non oris aut dentium vllam actionem, non substantiarum traiectionem, aut permixtionem, aut inter se applicationem, siue corporali siue spirituali modo factam, sed spiritualem illam κοινωνίαν, quâ fit, vt ille ipse Christus Deus & homo crucifixus pro nobis, verè noster fiat, adeò quidem arctè, vt ex ipso quicquid ad salutem nostram requiritur, ipsaque adeò vita aterna in nos promanet, qui spiritualis nexus similitudine membrorum & capitis, itemque matrimonialis copula adumbratur. Qua est igitur in istis repugnantia? Eiusmodi certè esum à Zuinglio minimè repudiari ex scriptis eius liquet. Nam in libro De vera & falsa Religione, & in Historia de Passione;* Christus, *inquit*, apertè docuit, spiritus esse comestionem, non oris. *Item*, Spiritualiter edimus, quum per Dei gratiam ad Christum venimus. *Item*, Pij non solùm symbola dentibus premunt, sed vltra symbolorum manducationem quæ ore corporis fit, intus in mentibus suis corpore & sanguine Christi per fidei manducationem pascuntur.

Nulla repugnãtia inter Zuinglium & Caluinum.

At objiciat aliquis, corporis & sanguinis nomine Zuinglius vbique testatur, se non ipsam carnem, sed Christi mortis efficaciam atque adeò interdum spiritum, id est, spiritualem vim Christi Dei & hominis intelligere. Respondeo, ne hoc quidem Caluini sententia repugnare, si dextrè & ex Zuinglij mente intelligatur. Quis enim eum fuisse Zuinglium existimet, qui vel Christum diuiserit, vel eorum qua Christus pro nobis impleuit efficaciam ab eiusdem carne re ipsa seiunxerit, ac si fides nostra in passionem carnis ita ferretur, vt carnem ipsam qua passa est negligeret? Res autem sic se habet. Zuinglius aduersus sarcophagos agens, quorum duo genera esse videbat: vnum eorum, qui crasso quo-

1541. *dam modo, & vt ait Nicolaus Papa, sensualiter comedi carnem Christi sub panis & vini speciebus crederent, cuius tamen erroris ipsum quoque Caietanum puduit: alterum eorum, qui spirituali & incomprehensibili quodam modo substantiam ipsam carnis re ipsa in pane præsentem manibus & ore sumi somniant, ex quo errore tandem natum videmus, Vbiquitatis monstrum: totus in eo fuit nimirum, vt spirituale hoc mysterium esse declararet, ideoque substantia ipsius esum est inficiatus, quatenus videlicet ab aduersariis statuebatur. Huius rei gratiâ Caluinus cùm Zuinglij sententiam à nonnullis malè intelligi videret, ac si corpus Christi in spectrum vel certè in abstractum quiddam transformaret, quod nunquam certè illi in mentem venerat; clariùs id quoque studuit explicare. Itaque fidem nostram inprimis in ipsummet Christum ferri docuit, secundariò verò in ipsius merita & obedientiam, in ea denique omnia quæ ex ipso in nos, qui ipsius membra sumus, promanant. Vsus est autem de industria* Substantiæ *vocabulo, quoties præsertim illi cum Sarcophagis negotium fuit, partim insistens Christi vestigiis, qui carnis, & corporis, & sanguinis nomina sic vsurpauit: partim verò, vt eò dilucidius illa inter ipsummet Christum & eius dona, siue (vt ita loquar) inter subiectum & accidentia, siue inter fundum & fructus distinctio appareret. Et certè cùm ab ipso Christo pendeat (Christus autem per carnem siue in carne nobis appropinquat) quicquid ex ipso per fidem tum in verbo simplici, tum in Sacramentis spiritualiter haurimus, magis propriè loquimur, quum ipsam carnem & ipsum sanguinem, siue ipsum Christum sic ab ea parte in qua pro nobis passus est descriptum, statuimus pro re significata tum verbi simplicis, tum sacramentorum: quàm quum fructum & efficaciam illius pro re Sacramenti ponimus. Verissimum est tamen illud quoque, quod Zuinglius spectauit, nempe Christum ipsum nostrum fieri, non vt reipsa coalescat substantia ipsius cum nostra, sed vt noster factus suam in nos vitam instillet, quod mysterium cùm alibi passim, tum verò vel maximè Caluinus in Matth. 26. c. clarissimè his verbis explicauit.* Tria, *inquit,* hîc obseruare operę pretium est, Ne perperam res spiritualis cum signo misceatur: Deinde, ne quæratur in terra Christus, vel sub terrenis elementis: Tertiò, ne fingatur alia manducatio, quàm quæ arcana Spiritus virtute vitam Christi nobis inspirat, quod ipsum non nisi solâ fide consequimur. *Et mox:* Non est somniandum, naturalem fieri substantiæ eius transitum in animas nostras: sed comeditur à nobis eius caro, dum ex ea vitam percipimus. Tenenda est enim analogia siue similitudo panis cum carne, qua docemur, non secus pasci animas carne ipsa Christi, quàm panis instillat corporibus vigorem. Spirituale ergo alimentum est Christi caro, quæ nobis viuifica est. Ideo autem viuificat, quia vitam quæ in ea residet (*residet autem non aliter quàm quia Filij Dei caro est, vt docet idem Caluinus cap. 6.*) Spiritus sanctus in eos diffundit. *Hæc ille.*

Caluinus cur substantiæ vocabulo in Cœna vsus.

Restat vltimum illud, in quo rursus, si rem ipsam spectemus, diuersitatem aliquam, repugnantiam autem nullam comperiemus. Quid enim est manducare Zuinglio? Credere. Quid Caluino? Credendo Christum apprehendere, vt vitam nobis inspiret. Sic enim Caluinus in iis quæ modò citauimus; quibus & hoc subjicit: Quanquam, *inquit,* aliud est vesci Christi carne, quàm in ipsum credere: sciendum tamen est, non aliter Christo nos posse vesci quàm per fidem, quia manducatio ipsa fidei est effectus. *Nullum est igitur in istis nouum doctrinæ genus. Tantùm studuit Caluinus, vt malos Zuinglij interpretes refelleret, ac si Zuinglius spiritualem rei significatæ perceptionem tolleret, inter effectum & instrumentum distingueret, cùm neutrum tollere voluisse Zuinglium non tantùm ex eo appareat, quòd inde consequeretur, quod absurdissimum est, nempe fidem effectu suo priuari, sed etiam ex ipsiusmet verbis. Sic enim Zuinglius in historiam Passionis:* corpus & sanguinem mens fidelis percipit, & percepto Spiritus Dei calore concoquit, & in interiora animæ viscera trajicit, ex quo intima & mirifica piæ menti refectio accedit. *Hæc Zuinglius, Caluini certè sententiæ penitus consentanea. Hæc enim omnia spiritualiter, ita vti diximus, & ex sacramentali Metonymia explicanda sunt.*

ANNVS M.D. XLII.

Hoc anno Lutherus libellum de precibus contra Turcas edidit, & Zuinglium, siue ab alijs impulsus, siue suâ sponte commotus, medium inter Anabaptistas & Monetarium collocauit. Inter cætera enim, causas iræ diuinæ aduersùs Christianos æstuantis, in illo libello indicans, manifestum nimirum Pontificiorum cùm obstinationem, tum etiam in opprimenda veritate tyrannidem atque sæuitiam: Et Euangelicorum ingratitudinem, securitatem, curiositatem atq; proteruiam: Tum hæc subiungit: Quàm pestilentes sectæ, ac nefariæ hæreses exortæ sunt, Muncerus, Zuingliani, Anabaptistæ, & complures aliæ, idque sub augusto Euangelij nomine atque prætextu, &c.

Lutheri liber contra Turcas in quo Zuinglium Anabaptistis annumerat.

Hæc & alia à Luthero scripta ex diametro

Luther. rus Cor-

pugnā-

Concordiam utrumque. *pugnârant cum illis qua in Concordia tractatu tum Helueticis Ecclesijs sanctè promisit. Nam in epistola ad Helueticarum Ciuitatum Magistratus scripta Decemb. 1. anno 37. sic inter alia inquit*: Nos vicissim tam in scriptis, quàm in concionibus tranquillitati & moderationi omni operam dabimus, & ab eiusmodi clamoribus aduersùs vestros temperabimus, ne vlla in impediendæ Concordiæ occasionem præbeamus, &c. *Et paulò pòst*: Inprimis id oratos vos velim, vt de me vobis ea omnia polliceamini & statuatis, quæ de eo, qui ex animo ergà hoc negotium sit affectus: Hoc Deus ipse nouit, quem in animam meam testem appello. *Item*: Ad Sacramentum corporis & sanguinis Christi quod attinet, etsi hîc nondum plenè nos mutuò intellexerimus, illud tamen nunc commodissimum vtilissimumque erit, vt nos nobis inuicem amicos præbeamus, & optima quæque de nobis inuicem speremus, donec turbata aqua paulatim subsidat. Bucerus quoque & Capito his in rebus omnibus consulere facilè poterunt, dummodò animis mutuò coniunctis omnem offensionem remittamus. Spiritui sancto locum relinquamus, & in pia ac fraterna Concordia perficienda elaboremus. Ad nos certè, & nominatim meam personam quod attinet, omni offensione remissâ, summâ fide, beneuolentiâ atque amore vos complectar, &c.

Tigurini pacta Concordiæ seruare volunt. *Hæc promissa & pacta cùm Lutherus in duobus postremis libellis non seruasset, & Zuinglianos Nestorianis & Anabaptistis annumerasset, multi pij & honesti viri Tigurinorum socordiam accusabant, quòd toties prouocati, neque suæ existimationis, neque publicæ veritatis rationem habere viderentur. Tigurini verò non, vt mentiuntur historiæ Augustanæ Confessionis Compilatores folio 367. ob piam atque fidelem Lutheri cohortationem, de precibus contra vim Turcicam ad Deum fundendis, stomachabantur, sed de Lutheri calumnijs & atrocibus iniurijs non sine causa querebantur; & Anabaptismi & seditionis scelus meritò, vt à quo alienissimi erant, à se depellebant. Neque etiam Lanatherus Tigurinus in Sacramentaria sua historia fatetur, vt ijdem Compilatores audacter & sine fronte scribunt*, Tigurinos de hoc scripto ad Lutherum scribere ausos non fuisse; sed, *vt apertè scribit Lanatherus*; quòd pertinaci suo silentio ipsum emollire constituissent, ideoque priuatis tantùm literis apud amicos sese excusabant.

Dissidium inter Francofurtenses. *Hoc eodem anno dissidium de sacra Domini Cœna, de Sessione eius ad dexteram Patris in cœlis, seu de Vbiquitate, & de duabus in Christo naturis, inter Ministros Francofurtensis Ecclesiæ ad Mœnum exortum est, propter Lutheri, vt est verisimile, ad ipsos ex quorundam instinctu perscriptam adeò atrocem Epistolam: Cuius componendi gratiâ ab eius Ciuitatis Senatu, Argentinâ Bucerus accersitus fuit: qui tandem viginti tribus articulis consensum inter eos factum complexus est: qui articuli cùm inter scripta Buceri Anglicana extent, & Germanicè antehac editi sint, quosdam ex illis, & præcipuè priores 17. hoc loco inferemus, in quibus iuxta Augustanæ Confessionis & Vitebergensis Concordiæ sensum, sic de Eucharistia & Persona Christi sentiendum ac docendum esse Ecclesiæ illius Ministris præscripsit.*

1542. Ministrorum de cœna, &c. certamen, à Bucero componitur.

Articuli Pacificationis.

1. In Cœna sacra, cùm ea iuxta institutionem Domini celebratur, verum corpus & verus sanguis Domini, verè & essentialiter exhibentur, & à sumentibus Sacramenta percipiuntur.

2. Nulla tamen hîc præsentia Domini localis, vel circumscripta ponitur: quare nihil de descensu Domini è cœlis hîc cogitandum.

3. Vtrúmque enim verum & semper prædicandum est, Christum Dominum sedere & regnare in cœlis ad dexteram Patris, & in sacra eius Cœna, dum ea iuxta institutum illius celebratur & exhibetur, adesse, & sumi ab his omnibus qui Sacramenta, ita vt instituit Dominus, percipiunt, & institutionem atque verba Domini non peruertunt.

4. Vtrumque enim Verbum Domini disertè testatur, cui simpliciter inhærendum est, nec quicquam in hoc mysterio curiosè inquirendum.

5. Sed nec in cœlis Dominus certo loco includitur. Scriptura enim testatur: Eum ascendisse, super omnes cœlos ascendisse, & sedere ad dexteram Patris τοῖς ἐπουρανίοις, in supercœlestibus, hoc est, in ea gloria & potentia Patris, quam oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit.

6. De loco itaque & modo, quo Dominus in cœlis sit, inquirere, fidei irreligiosum est, & alienum à pietate.

7. Cuius est simpliciter credere & confiteri, Dominum Iesum in hac cœlesti & inaccessâ Patris gloria semper manere, & se in ea ipsa manentem, nobis in sacra Cœna exhibere vereque adesse.

8. Nam licèt Dominus in sacra Cœna se exhibeat in speculo & ænigmate Verbi sui & symbolorum; quæ res huius mundi sunt, tamen se in his ipsis exhibet, non ratione huius mundi, sed ratione

1542. quadam diuinâ & cœlesti.

9. Nec enim sensus aut mens nostra eum in sacris symbolis, sed sola mens subuectâ fide cernit,& apprehendit. Nec exhibet se hic in cibum ventris, aut veteris hominis, sed animæ,& noui hominis. Est enim cibus afferens vitam æternam.

10. Non est irreligiosè tantùm,sed etiam prorsus ineptè, & sine vlla consecutionis ratione dictum: Si Dominus in cœlo est, quomodo exhibetur præsens in Cœna,quæ celebratur in terra? Si reliquit mundum, & est in gloria cœlesti quomodo editur hic ab homine?

11. Summo ergo studio homines ab his impijs & blasphemis argumentationibus reuocandi & absterrendi sunt.

12. Sed nec Transsubstantiatio panis & vini in corpus & sanguinem Domini asserenda est: sed confitendum cum Paulo & sanctis Patribus: In Cœna duas res exhiberi, cœlestem & terrenam: Cœlestem corpus & sanguinem Domini,Et terrenam panem & vinum sacra symbola, quibus Dominus corpus & sanguinem suum, nobis verè & realiter exhibet.

13. Sic etiam duas naturas in Christo, diuinam & humanam vt in vna persona vnitas, ita etiam ambas integras, & impermixtas, & Christum Dominum verum Deum & verum hominem, credere & prædicare debemus. Et quia Christus idem verus Deus & verus homo est, ei & rectè & propriè quæ vtriusque naturæ sunt tribuimus.

14. Impiè tamen dicitur, Christus est creatura (cùm enim Christum dicimus,diuinam personam exprimimus) Piè autem: Humana in Christo natura, creatura est. Nam hæc à diuina differt, sed manet in eo integra, sicut & diuina.

15. Resurrectio enim homini Christo, gloriam cœlestem attulit,naturam non abstulit.

16. Disputatio igitur de Vbiquitate corporis Christi omittenda est, & quæcunque de tantis mysterijs non sunt tradita diuinis Scripturis.

17. Et ea fideliter ac religiosè docenda, quæ in sacris Scripturis habentur, & in Confessione nostra Augustana & eiusdem Apologia: tum etiam in articulis Ratisbonæ à nostris Statibus Imperatori oblatis: ac denique in formula Concordiæ Witembergæ composita, explicata sunt: quibus omnibus Prædicatores prædicti, iuuante Christo, firmiter atque sinceriter inhærere volunt.

Hæc ita Bucerus, quæ omnia, tanquam sacris Literis, Augustana Confessioni, & Concordia Witebergensi consentanea, ex animo se pro veris amplecti, in eaque consentire professi, atque ita in posterum priuatim & publicè loqui & sentire velle, constanter polliciti sunt inter se reconciliati Ecclesia Ministri. Quis autem hinc non perspiciat, Bucerum, in constituenda hac inter Francofurtensis Ecclesia Ministros Concordia, Augustanam Confessionem, de vera & substantiali corporis & sanguinis Christi in Eucharistia exhibitione, non fuisse tunc, ex Witebergensis Concordia formula, de corporali præsentia ac manducatione interpretatum? Neque tamen is propterea à quaquam reprehensus, aut à Theologicis actionibus remotus, sed pro Augustana Confessionis pracipuo defensore, in omnibus Colloquiis, etiam post Argentinenses propositiones adhibitus fuit. Patet etiam ex his obiter, Augustanam Principum Confessionem, neque ex perpetua & consentanea de Sacramentis doctrina, neque per Witebergensis Concordia formulam, sicut hac à Bucero in Retractationibus explicata, atque à Sueuicarum Ciuitatum Ecclesijs accepta approbataque fuit, neque etiam per ea, qua Francofurtensis Ecclesia Ministris, pro componendo ipsorum dissidio, prascripsit Bucerus, ad corporalis prasentia rerum in signis necessitatem posse omnino referri & detorqueri.

Bucerus articulum de Augustana Confessione ex concordia Witebergensi formula interpretatus est.

Intexuit etiam hoc anno Philippus, ab Hermanno Archiepiscopo Coloniensi accersitus, emendanda Ecclesia sua causà, vt Sleidanus lib. 15. indicat, ea fundamenta contra ἀρτολατρείαν de quibus pracedente anno quoque diximus. Responsioni sua ad Clerum Coloniensem, eaque, vt in controuersia quaque Sacramentaria legerent, & considerarent diligenter, amicus hortator fuit. Sic enim in Epistola ad Vitum Theodorum: Attigi, *inquit*, hanc causam in libello scripto Bonnæ contra Colonienses Sycophantas, quem vt legas vel propter amicitiam nostram te rogo. Uolui enim significare aliquid de vsu Sacramentorum & vulgi persuasiones taxare, quæ fingunt inclusiones Christi penè magicas. Nec tamen rem prophanam facio δεισιδαιμονικόν. Dico, in vsu Christum nos sibi membra facere, efficacem esse,&c. *Similia inculcabat Philippus in lectionibus suis, vbicunque offerebat se opportunitas dicendi de causa Eucharistica. Semper enim hoc studebat, vt commodis locutionibus moderaretur ac mitigaret ea, qua horridiùs dici videbantur ab alijs, & extrueret atque muniret fundamenta immota vera sententia, ex qua oppugnaret idola Pontificia, & prophanationes innumeras Cœna Domini: & fontes monstraret doctrina de vera præsentia Christi in legitimo & diuinitùs mandato vsu huius Sacramenti.*

Philippus fundamenta contra ἀρτολατρείαν Responsionibus ad Clerum Coloniensem.

Supra

Judicium Philippi de suo libello, in quem collegit testimonia Patrum

Suprà dictum est de Collectione testimoniorum ex Patribus, quæ Philippus in unum libellum collegerat, & Friderico Myconio adscripserat, quibus fidem & sententiam veteris Ecclesiæ de præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna demonstrare, & adversariorum doctrinam refutare voluit. Hoc autem anno evulgata est epistola Philippi (quæ tertio Tomo Operum ejus præfixa legitur) de seipso, & de editione prima scriptorum suorum: In quo Luthero adhuc vivente, etiam de hoc libello judicium suum profert his verbis: Sunt & sententiæ recentes collectæ περὶ δείπνου κυριακοῦ, quarum aliquæ in illis authoribus, qui citantur sunt supposititiæ: hæc & similia quædam mallem omissa esse. *Et paulò pòst:* Neque jam velim citatis notis sententiis titulo Cypriani, aut Ambrosii, aut Theophylacti confirmari abusus Sacramenti. Comperi nimiam fuisse audaciam & impudentiam describentium veteres libros. Qui ut imponerent indoctis multa de suo scripserunt, pugnantia cum Authoribus. His verbis certè, *ipso quoque Hunio judice*, testimoniorum à se ex Patribus collectorum, omnem authoritatem prorsus labefactavit, ut jam cum eis adversùs Calvinistas in acie pugnare non possint Lutherani. Quicquid enim inde proferent, sive supposititium sit sive non, hoc tamen nomine rejicietur: *Verba sunt Hunii.*

De Refut. tractatus historici Pezeriani fol. 52.

Justa & necessaria fuit Philippi defectio à priore sua sententia.

Intelligit etiam hinc Lector, justam & necessariam Philippi fuisse à priore sententia defectionem, quum supposititias esse comperisset plerasque illas Veterum sententias, quibus illam confirmari putabat, ipsique adeò scriptorum vera sententia contrarias. Quæ fuisset enim hominis conscientia, si in iis, quæ manifestò falsa esse compererat, ad se & alios fallendos obstinatè perstitisset? Laudandus ergo illius candor, & prædicanda ipsius verè Christiana sinceritas: quam utinam ii qui pii ejus discipuli haberi volunt, tandem imitarentur, ut & à falsis dogmatibus liberè recederent, & vera sanaque, non ex rapsodiis quibusdam sententiarum Veterum centonibus, sed ex ipso fonte eruta, amplecterentur, confasq́ erroris sui, tam apertè, tamque sincerè aliis indicarent, ut & sic cum vera scientia bonam quoque conscientiam se habere testarentur.

ANNVS M. D. XLIII.

Lutherus editione Bibliorū Germanicorum vehementer irritatur.

L*Aboraverat Leo Judæ, Ecclesiæ Tigurinæ Minister, & linguæ Hebreæ peritissimus, aliquot annis in Bibliis sacris Latinè transferendis quàm fidelissimè: præventus autem morte absolvere non potuit integrum, sed id hoc anno à fratribus & collegis absolutum & in publicum editum est: Huius Operis exemplar Typographus Christophorus Froschoverus eleganter compactum Luthero misit Witebergam. Ille verò per Epistolam eum monuit*, ne posthac sibi aliquid mittat, quod à Ministris Tigurinæ Ecclesiæ profectum sit: Se enim nullum cum eis commercium posthac habere, & libros eorum nec recipere nec legere velle. Nam Ecclesias Dei cum eis communicare non posse. Multos quidem labores eos sustinere, sed irritos & frustraneos: Quandoquidem & ipsi iam damnati sint, & alios quoque miseros homines secum ad inferos abducant. Se itaque damnationis, & blasphemæ doctrinæ illorum nolle consortem esse: sed quoad vixerit & precibus & libris eos oppugnare constituisse.

1543. Lutheri epistola ad Froschoverū.

Zuinglii Opera edita.

Tigurini itaque Pastores; cùm viderent, quo animo Lutherus in Zuinglium ejusque doctrinam affectus esset, quidque deinceps ob eo esset expectandum, & summ illud silentium ac in ferendis iniuriis longanimitas veritatis negotium non modò non promoveret, sed & plurimum impediret, communi consensu & consilio, Lutheri columniis & convitiis modestè occurrēdum, & vim iniustam à se suisque Ecclesiis depellendam esse decreverunt. Ideo cum suo Typographo egerunt, ut Opera Zuinglii collecta ederet, quò præsentes & posteri ex eorum lectione cognoscere possent, qualem doctrinam Helveticis Ecclesiis tradidisset: videlicet, non hæreticam, quemadmodum Lutherus subinde columniabatur, sed Catholicam. Accesserunt his non paucorum è multis nationibus eruditorum preces, qui omnes, ut Zuinglii Opera excuderentur, amicè postulabant. Quæ igitur vernaculâ linguâ à Zuinglio scripta fuerant, eius gener Rodolphus Gualtherus in Latinam linguam convertit, & Operibus Apologiam pro Zuinglio, & Operum ejus editione præfixit: In qua primo loco ostendit, quænam doctrina à Sanctis Patribus, Prophetis, Christo & Apostolis tradita fuerit. Deinde quomodo vera & simplex doctrina, aliquot seculis conservata sit. Mox subjungit expositionem doctrinæ Zuinglianæ, quæ cum ea Veterum prorsus consentiat. Postremò respondet adversariorum criminationibus & objectionibus. Hanc verò Operum editionem Lutherus molestissimè tulit, non secus quàm si nullius nisi Lutheri libri excudendi essent.

Apologia præfixa Operibus Zuinglii.

Hæc sic gesta esse nemo negare potest: Et tamen Augustanæ historiæ Collectores scribere non pudet, Certamen Sacramentarium Tigurinæ Ecclesiæ Ministris procuratoribus, longè vehementiùs, quàm antea unquam recruduisse. *Et in margine porrò addunt*, Tigurinos certamen Sacramentarium summâ acerbitate renovâsse. *In quo sanè*

Certamē Sacramentarium à Tigurinis instauratum. Fol. 378.

1543. *nè lupum Æſopicum egregiè imitantur, ouem, in inferiore parte fluminis ſtantem, de turbata aqua vehementer accuſantem. Et* Melancthon *ipſe in epiſtola ad Bullingerum, vt infrà ſub anno* 44. *audiemus*, non Tigurinos, *ſed* Lutherum accuſat *diſertis verbis*, quòd bellum de Cœna Dominica inſtaurârit: *& ad Vitum Theodorum*, quòd mouere bellum in concionibus cœperit. *Ad Wolffgangum Muſculum ſimiliter eodem anno* 12. *Auguſti inter alia hæc verba ſcripſit:* Nunc domeſtica bella noua ciet noſter Pericles: Tonat aduerſùs eos, qui περὶ συμβόλων σώματος καὶ αἵματος χριστοῦ aliter loquuntur, quàm ipſe loquitur.

Philippus excuſat Tigurinos.

Confirmant hæc etiam literæ quas Lutherus in Italiam ad aliquas Eccleſias ſcripſit, eaſque monuit, vt à Sacramentariorum & Zuinglianorum errore ſibi diligenter caueant: & eò vſque irâ, odio & inuidia progreſſus eſt, vt etiam Tranſſubſtantiationem conceſſerit. Conqueritur his de rebus in aliquot Epiſtolis grauiter Philippus quas ſubjiciemus.

Lutherus Italos monet, vt ſibi à Zuingliano errore caueant.

Epiſtolæ tres Philippi Melanchthonis de Inſtauratore Certaminis Sacramentarij.

Epiſtola Philippi ad Vitum Theodorum.

A*D Vitum Theodorum ſic ſcribit:* Illud ipſum, *inquit*, de literis Italicis quod accidit, metuebam. Sciebam horridiùs ſcripturum Lutherum, quàm ſentit. Quid enim opus fuit largiri etiam Tranſſubſtantiationem, quæ fons eſt Idolomaniarum non vulgarium? Poteſt autem in inſtituto vſu retineri præſentia, Sacramenti rationi conueniens, etiamſi prorſus illa deliramenta tollantur, de abiectione panis, de incluſione corporis perpetua in accidentia, vt ſi ligna in fornacem miſſa eſſent. Cohorreſco, quoties hæc cogito, & attingo inuitus. Miror tot ſeculis homines doctos non cogitaſſe diſcrimen inter agens liberum, & rem inanimatam. Chriſtus, tanquam agens liberum, adeſt actioni inſtitutæ, poſt actionem non vult incluſus eſſe pani, non vult ibi ſe alligatum eſſe. At quæ portenta finxerint, conſtat. Cùm autem latè ſpargantur reſponſa Lutheri, perlata illa ſententiola in Heluetios, accendet noua certamina. Id nollem fieri. Foueamus noſtrarum Eccleſiarum concordiam qualemcunque & glutinemus eas, quantum poſſumus, nec oſtentemus induſtriam, aut δεινότητα in augendis diſcordijs, vt multi faciunt, &c. Die 25. Oct. *Anno* 1543. *Philippus.*

Nota quis certamen Sacramentarium rurſus accenderit.

Rurſus ad eundem: De cenſura Ambſdorfiana nuper ad te ſcripſi. Et iam mouere bellum in concionibus Lutherus cœpit. Dicitur etiam neſcio quæ editurus. Si rurſus accenditur certamen de Cœna Domini, maiores erunt & triſtiores diſſipationes. Miratus ſum, te velle oſtendi Luthero ſcripta Bullingeri & Buceri, quæ ſunt ad Joſephum Hungarum. Satis multos Incitatores habet alios. Te magis vellim λεῖον eſſe. Magis publicâ causâ, quàm meâ doleo, rurſus hanc Tragœdiam moueri. Nunc iuſſi ſumus cõponere προβούλευμα futuri cõuentus. Quid dicam conſilij eſſe noſtris? Inſtituere volunt conciliationes cum Pontificijs, & noſtrarum Eccleſiarum concordiam non fouent. Die Auguſti 11. *Anno* 1544.

Alia ad eundem.

Similia prioribus ſcripſit Philippus ad eundem Vitum Theodorum, non abſque graui doloris ſignificatione, quòd veteres contentiones in Euangelicas Eccleſias reuocarentur: Scio, *inquit*, in Italia & Gallia controuerſiam περὶ ἄρτου accenſam eſſe, eamque diſſenſionem vt in Germania Euangelij curſum remorari. Et in Gallijs Proceres in excuſanda ſæuitia immani allegant authoritatem Lutheri: Hæc confirmari à te nollem.

Alia Philippi Epiſtola ad Vitum Theodorum cũ Annotationibus Sturmij in Antip. 4. Elench. folio 47.

Proceres iſti in Gallia erant tunc temporis Cardinalis Turnonius, Coneſtablius, Baiardus, Pontificij omnes, qui vel legerant Confeſſionem maiorem Lutheri, aliaque ſcripta eius Polemica contra Sacramentarios, vel de ijs audierant. Hi Lutheri authoritatem opponebant Legatis Principum, qui contra ſupplicia intercedebant. Addit verò : Hæc à te confirmari nollem: *quia aliter tum ſenſerat, quàm olim in Landgrauiana Epiſtola. Et rectè Philippo ac Brentio Landgrauius auguratus erat, Pontificios excitari his condemnationibus ad crudelitatem. Sunt qui de Lutheranis ſupplicia ſumta in Gallia fuiſſe ſcribant, ſed falsò: Spectator enim fuit Sturmius aliquot horum ſuppliciorum, & Zuinglianos fuiſſe affirmat, & eorum partem aliquam ſe nouiſſe dicit. Lutherus verò ſcriptis hæc ſupplicia augebat: & Philippus rectè ſcribit propter ſacramentariam cauſam eos cruciari.*

Profectò enim Vetuſtas longè aliter locuta eſt de hac re quàm recentior ætas.

Quæ de re? de præſentia corporis & ſanguinis Chriſti. Ecce enim:

Nazianzenus ſimpliciſſimè nominat ἀντίτυπα σώματος καὶ αἵματος χριστοῦ. Et poſſem plura ſimilia teſtimonia recitare.

Si antitypa rerum, vbi res? Si imago rei, vbi veritas? Cur hoc modo Nazianzenus?

tur alii Patres? cur dixerunt, Vmbra in Lege, Imago in Evangelio, Veritas in Cœlo? Philippus tametsi Patrum non indicet apertam sententiam, eruditi tamen coniiciunt quid velit.

An me sine magno dolore nostros audire putas, qui interdum nihilo mitius de Ecclesiis Rhenanis loquuntur, quàm de Turcis? Te quoque doleo interdum horridiùs loqui. Velim igitur de tota re te cogitare, ut hominem doctum.

Quæ sunt istæ Ecclesiæ Rhenanæ? Argentina, Constantiensis, Helvetica. Qui illi homines qui tam malignè de illis loquebantur? Amsdorffius & Lutherus ipse.

Attigi hanc causam in libello scripto Bonnæ contra Colonienses Sycophantas, quem ut legas, vel propter nostram amicitiam te rogo. Volui enim significare aliquid de usu Sacramentorum, & vulgi persuasiones taxare, quæ fingunt Christi inclusiones penè magicas. Nec tamen rem prophanam facio δεῖπνον κυριακὸν: dico in usu Christum nos sibi membra facere, efficacem esse. Sed hæc aliàs copiosiùs. *Dat. 6. Septemb.* Witeb. *Anno* 1543.

Hunc libellum Bonnensem Philippus, si quis conferas cum Epistolis ejus ad Landgravium scriptis, animadvertet, quid distent æra lupinis. Quales verò Sycophantæ Colonienses erant, de quibus in hac Philippus Epistola? Amsdorffius fuit, qui propter Coloniensem hanc veluti Censuram rursus occasionem habuit Lutheri incitandi, ipse etiam fortaßis excitatus.

1543.

Hoc etiam anno à Melancthone editi sunt Loci eius Theologici postremùm & locupletiùs retexti ante mortem Lutheri. In iis omissâ prorsus mentione corporalis præsentiæ in pane, seu ad locum panis fictitiæ, de vera tantùm præsentia & κοινωνίᾳ corporis Christi in Cœna perspicuè & evidenter suam & Ecclesiæ veteris Orthodoxæ sententiam ad eum modum explicavit; ut non inane spectaculum Cœnam esse diceret, sed Christum revera sic adesse doceret, ut per hoc ministerium corpus & sanguinem suum det manducanti & bibenti. Et quia in Apologia Confessionis usus erat voce CORPORALIS *præsentiæ, ad eamque confirmandam Cyrilli & Hilarii dicta citaverat; disertè nunc vocis illius ambiguitatem declarare studuit, monstratâ nativâ sententiâ Patrum illorum, qui corporalem & naturalem participationem, non ad Symbola referunt, sed ad legitimè Cœna Domini utentes. His enim κοινωνία corporis & sanguinis Christi debetur, non Symbolis. Ideoque; & præsentiam corporis non quidem in pane, sed in Cœna ad credentes seu legitimè utentes referri oportere, in Locis illis suis Melancthon docuit: Quam Cyrilli genuinam sententiam esse, cùm alia multa, tum collatio & interpretatio dictorum Scripturæ manifestè ostendit, quæ Cyrillus loquens de corporali & naturali participatione Christi citat ex capite Iohan. 6. & 15. & 1. Corinth. 6. & 10. Vt enim hæc dicta de capite & membris, item de vite ac palmitibus, & de mansione Christi in his, qui manducant carnem, & bibunt sanguinem ipsius, loquuntur: Sic Cyrillus etiam de copulatione nostri cum Christo docet, quò corpori Christi inserimur, ut ipse in nobis, & nos in ipso vivamus.*

Loci communes Philippi correcti & postremò editi. Philippi doctrina de Cœna in Locis communibus.

Verba Philippi hæc sunt: Ritus describitur à Matthæo, Marco, Luca, & à Paulo. Et nominatim inquit Paulus, *Convenientibus vobis:* Vult publici congressus cæremoniam esse hanc Cœnam, & simul vult ibi doceri Evangelium, invocari Deum, mentione & fiduciâ Domini nostri Iesu Christi, & agi gratias. Ideo dictum est, *Hoc facito ad recordationem mei.* Nec est inane spectaculum, sed Christus revera adest, dans per hoc ministerium, suum corpus & sanguinem manducanti & bibenti: sicut & veteres Scriptores loqnuntur: Cyrillus in Iohannem inquit: *Vnde considerandum est, Christum non solùm per dilectionem in nobis esse, sed etiam naturali participatione,* id est, adesse non solùm efficaciâ, sed etiam substantiâ. *Et Hilarius ait: De naturali enim in nobis veritate, quæ dicimus, nisi ab eo didicimus, stultè & impiè diceremus. Ipse enim inquit: Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus, & deinceps: Hæc accepta & hausta efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit.* Non imaginemur esse memoriam hominis mortui, ut sunt spectacula de Hercule aut similia. Abiiciamus has prophanas cogitationes, ac hoc testimonio commonefacti credamus verè Christum pro nobis factum esse victimam, ac mortuum, sed revera etiam resuscitatum, jam regnare, & adesse suæ Ecclesiæ, & in hoc ministerio verè nos sibi tanquam membra adjungere.

Quomodo instituta sit Cœna.

Hæc est vera & vivifica præsentia corporis & sanguinis Christi, quam verba Cœnæ promittunt fidelibus: Non illa, quæ fingitur ad locum panis & calicis occulta & latens existentia: Cùm non Symbolis, sed homini utenti facta sit promißio communicationis corporis & sanguinis Christi.

Vera præsentia corporis Christi in Cœna.

Atque hæc quidem sunt in Locis Theologicis de quæstione, Quomodo instituta sit Cœna Domini? *Mox subiicitur altera quæstio:* Quibus prosit manducatio: *ubi hæc sunt verba:* In Ecclesiis, quæ rectè docentur, invitandi sunt & assuefaciendi auditores, ut crebrior usus sit Sacramenti corporis & sanguinis Christi, & ut in usu simul excitetur attentior

Quibus prosit manducatio corporis Christi in Cœna.

dentior

1543. dentior invocatio & gratiarum actio: Et simul docendi sunt homines, quibus prosit manducatio. Vtrumq; vituperandū & deplorandum est, quòd multi, qui volunt videri membra Ecclesiæ, totis annis decem vix semel aut bis sumunt Sacramentum: Et simul cum hac negligentia obrepunt prophanæ opiniones, extinguitur invocatio, & accedunt alia vitia: Olim, initio Ecclesiæ, multò erat frequentior usus Sacramenti, ut veteres historiæ & Canones ostendunt.

Est & alteri malo magnâ diligentiâ & severitate occurrendum, ne ignari quid agant, & polluti manifestis vitiis, sine pœnitentia ad communionem accedant. Ideò utile & pium institutum est, priùs singulos explorare, quid intelligant, quid didicerint, & in eo colloquio rudiores docere, & quid sit Sacramentum, & quis sit usus, & quibus prosit.

Deinde manifestum est de hac parte sæpe dicendum esse, Non prodesse manducationem iis, qui non agunt pœnitentiam, sed perseverant in delictis contra conscientiam, sicut Paulus clarâ voce affirmat: *Qui manducaverit panem hunc, aut biberit poculum Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.* Manducant indignè, qui non afferunt timorem Dei & fidem, seu pœnitentiam & fidem, & scientes perseverant in delictis contra conscientiam. Alii indulgent libidinibus, alii odiis, & injustæ cupiditati vindictæ; alii aliis sceleribus pollutos se esse norunt, nec deponunt propositum malè faciendi. Hæc mala per sese offendunt Deum. Sed Paulus cumulat hanc offensionem novâ tristiore offensione inquit, quòd contumeliâ afficiunt corpus & sanguinem Domini. Deinde addit alteram communicationem: *Edens & bibens indignè iudicium sibi edit & bibit, non discernens corpus Domini*, id est, pœnam sibi accersit, non solùm pro prioribus peccatis, sed etiam pro hoc scelere, quod contumeliâ afficit corpus Domini. Necessaria igitur est pœnitentia seu timor Dei in his, qui accedunt ad conjunctionem. Et quidem de utraque re, de pœnitentia & de fide, concionatur hæc ipsa actio. Celebratur memoria mortis: Audis, corpus Christi pro te datum esse: Audis, sanguinem pro te effusum esse. Hæc verba nos primùm de ingenti ira Dei adversùs nostra peccata commonefaciunt, quam cùm nullorum hominum aut Angelorum virtutes aut merita placare potuerint, sed Filii morte placari oportuerit, pia mens judicare potest, peccatum non esse leve malum, &c. Deinde & fides necessaria est, petens & accipiens remissionem peccatorum. Nam hîc offerunt remissionem peccatorum, & applicatur credenti. Cùm enim hîc dicatur, Hic est sanguis Novi Testamenti, admonemur de universo Evangelio, de toto beneficio Novi Testamenti. Et hæc promissio requirit fidem, &c. Dignè igitur accedunt, qui seriò agunt pœnitentiam, & ideo ad Cœnam Domini accedunt, ut commonefacti hoc testimonio & promissione Novi Testamenti fidem confirment. Ad hoc igitur prodest manducatio agenti pœnitentiam videlicet, ad fidem confirmandam, quâ sumens verè consequitur remissionem peccatorum, & Spiritum sanctum. Si nova vox de cœlo sonans testaretur, te recipi in gratiam, tum verò ingenti animo diceres, te Deo creditutum esse & gratias ageres. Sic oportuit in hoc usu Sacramenti nos sentire. Testatur Christus hoc tanto pignore, se recipi, te fieri membrum sui corporis. Hoc testimonio admonitus, verè te recipi ab ipso credas, & hac fide Deum invoces, agas gratias Christo, quòd morte suâ placârit iram Dei, quòd dederit nobis Evangelium, & sua testimonia.

Qui indignè manducent corpus Domini.

Qui dignè accedant ad Cœnam.

Reiiciendus est igitur error Monachorum & Sacrificulorum, qui finxerunt, ex opere operato, ut loquuntur, sine bono motu vtentis prodesse sumptionem. Unde hæc Pharisaïca deliramenta in Ecclesiam irrepserunt &c.

Vidit has explicationes seu declarationes nostram sententiam defendentes, Lutherus, & legit, & totum hunc librum Locorum Communium Theologicorum toti posteritati nominatim commendavit honorificentissimè, & quandiu halcyonia & pax erat cum Ecclesiis exteris, & Concordia antehac inita, vigebat, non offendit moderatio hæc Philippi Lutherum. Nec quisquam ante Flaccianam factionem aliter de eo libro judicavit, quàm in eo contineri veram & nativam sententiam Augustanæ Confessionis in universis ac singulis articulis doctrinæ repurgatæ. Nihil habent autem verba hæc, quod non simile sit & consentaneum iis, quæ de hac parte doctrinæ Evangelicæ postea etiam constanter sonuit & professus est Philippus.

Lutherus vidit Locos communes Philippi, citra offensionem eius.

Quod igitur Lutherus in Præfatione Operum suorum Lectorem monet atque hortatur, ut libros ejus lecturus meminerit; Ipsum unum fuisse ex illis, qui, *ut etiam Augustinus de se scribit*, scribendo & docendo profecerint: non ex illis qui de nihilo repentè fiunt summi, cùm nihil sint neque operati, neque tentati, neque experti, sed ad unum intuitum Scripturæ, totum spiritum eius exhausisse se putent: *Id iurè etiam de Philippo Me-*

Philippus in causa Sacramentaria in dies factus eruditior.

po Melancthone usurpari potest. Solet enim Deus sanctos suas ita regere, ut paulatim ad clariorem veritatis agnitionem eos perducat, idque mirabilibus sæpe occasionibus. Nec verò à pii bonique viri officio alienum est PROFICERE *in doctrina pietatis, opiniones anteceptas corrigere, sententiam meliorem sequi, non in præjudiciis adversùs alios persistere, non errata aliena, quæ fortè acciderunt, sine fine exaggerare, non stipulas & navos suos pertinaciter defendere. Hæc non levitatis & inconstantiæ, sed honesti ac sancti propositi indicia sunt. Itaque in hac præsertim causa, Philippus non reprehensionem, sed laudem summam meretur, quòd post seriam & diligentem totius controversiæ inquisitionem, & sententiarum cum adversariis, quos & ipse antea cum Luthero pro Sacramentariis habuerat, collationem, doctior atque exercitatior in hac controversia factus esset; & suspiciones de adversariis sinistrè conceptas ex animo suo depasuit; & iras adversùs illos ab aliis conceptas mitigavit: & quod in causa ipsa principale erat, à stipulis prudenter ac circumspectè sejunxit & separavit. Vidit enim in hac causa necessariò retinendum esse sententiam orthodoxam de vera præsentia & communione corporis & sanguinis Christi in Cœna, & hanc ad sumentes referri oportere dicit: Vidit quæstiones cæteras de occultatione seu delitescentia corporis alicuius invisibilis sub pane, vel specie panis, novas & ab analogia fidei alienas esse. Intellexit perniciosam opinionē esse de opere operato, quâ impiis quoq; hoc est, pœnitentiâ & fide omni in universum carentibus, prostituitur communio corporis ac sanguinis Christi in externa usu ceremonia: Expertus est etiam reipsa multa in hac causa utrique parti per calumniam attribui, multa reprehendi, in quibus utraque pars sentiat rectiùs: Animadvertit denique, in primo illo fervore contentionis, nonnullas vel obscuriùs, vel tenuiùs, quàm par erat, hac de re tanta sententiam suam explicâsse; & in altera quoque parte, cui ipse conjunctus erat, misceri quædam intellexit, quæ vel præcîdi, vel explicatiùs dici satiùs foret.*

A viro bono nunquam alienum est proficere in veritate.

ANNUS M. D. XLIV.

Lutheri liber in Genesin editur.

D*Um Ecclesiæ Tigurinæ Ministri Lutheri calumniis omnibus viribus, modestè tamen, occurrere, & extremâ necessitate compulsi defensionem suarum Ecclesiarum & veræ doctrinæ iustam & æquam moliuntur, ut suprà diximus; Ecce novus Lutheri liber in Genesin conscriptus (quem discipuli ejus singulare quoddam Clenodium, cuius simile mundus non viderit, esse indicant) ipsis offertur, in quo omnem suam bilem eructâsse & evomuisse videri posset.*

Et ut Lector intelligat, quo spiritu agitatus fuerit dùm librum hunc scriberet, pauca tantùm loca adnotabimus. 1544.

In explicatione tertii capitis, Lutherus inquit: Omnes Sacramentarii sunt Idololatræ, non quòd lapides aut ligna adorent, sed quia adorant cogitationes suas relicto Verbo. *Item*: Hanc Satanæ (à verbo abducentis) rationem sequuntur omnes fanatici spiritus. Sic Arius: Putas-ne, quòd Christus sit Deus, qui clarè dicit: *Pater major me est?* Sic Sacramentarii: Putas-ne, quòd panis sit corpus Christi, & vinum sanguis Christi? Profectò sic absurda Christus ne cogitavit quidem. His cogitationibus cùm postea indulgent homines, paulatim à Verbo discedunt, & incidunt in errorem, &c. Videt enim Satan rationem hoc modo (quasi Deus id non dixerit aut voluerit) facilè posse falli, quando sub Dei nomine & Verbo, Deus & verbum amittitur. *Item*; Habemus Christi verbum manifestum de Cœna Domini, ubi de pane dicit: *Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur.* De poculo, *Hic est calix Novi Testamenti in meo sanguine.* Fanatici igitur, cùm à fide horum verborum discedunt; & disputant, Quomodo hæc sic esse possint? paulatim eò labuntur, ut simpliciter hoc verbum Christi negent & impugnent, sicut Arius; &c. *Item*, Quantò homo à verbo discedit longiùs, tantò videtur sibi doctior & sapientior. Sic magnam sapientiam esse putant Sacramentarij, Quòd panis sit panis, quòd vinum sit vinum, non corpus & sanguis Christi, &c.

Loca in Commentario Lutheri in Genesin contra Zuinglianos.

In 6. cap. sic inquit: Etiam magni viri his Rabinorum stultitiis delectantur, non dissimiles Sacramentariis, qui verba Christi non negant: Hoc est corpus meum: sed sic exponunt: Panis est panis, & tamen corpus Christi, id est, creatura ejus, Hic est sanguis meus, id est, vinum meum, &c.

Et post aliqua: Quantum sectarum excitavit Satan nobis viventibus, & omni studio in id incumbentibus, ut puritas doctrinæ retineatur? Quid futurum est nobis mortuis? Profectò tota agmina Sacramentariorum, Anabaptistarum, Antinomorum, Servetianorum, Campanistarum, & aliorum hæreticorum producet, qui nunc victi, puritate Verbi, & assiduitate piorum Doctorum latent, in omnes occasiones stabiliendorum suorum dogmatum intenti; &c.

In cap. 15. Vide nostra tempora, Muncerum, Anabaptistas, Sacramentarios;

1544. Zuinglium & Oecolampadium quid excitavit, nisi horribilis præsumptio & ambitio, si quis quatuor græca vocabula scribere, unum Psalmum explicare potest, scientiâ tanquam fermento inflatur, ut in nubibus sibi videatur incedere, longè supra alios homines.

In cap. 19. Non modò stolidum, sed etiam impium est Sacramentariorum argumentum, quòd dicunt: Caro non prodest quicquam, & ideo externas ceremonias, Baptismum, Absolutionem, & Cœnam Dominicam nihil prodesse ad salutem. Si verbum & institutio Dei non adest, tunc rectè dicis. *Item*; Gravissima Ecclesiæ tentatio & pestis est, quærere nova dogmata, & discedere à via quam Verbum ostendit, ut nostro tempore Monetarius à Verbo discedens excitabat seditiones. His sopitis Carolostadius cum Sacramentariis Ecclesiam turbârunt. Illis quoque jam inclinaotibus, Anabaptistæ exorti sunt.

In cap. 22. *sic inquit*: Sacramentarii contradictionem faciunt, quod Christus dicit: *Accipite, hoc est corpus meum*: Et, *Christus sedet ad dexteram Patris*. Inde concludunt: Ergo in Cœna Domini tantùm distribuitur panis & vinum, non corpus & sanguis Christi. *Item*, Caro nihil prodest, Christus in Cœna dat carnem suam, Ergo Christi caro in Cœna non est. Hoc verè est illotis pedibus irruere in Scripturam sanctam, & sequi cæcum rationis judicium.

In cap. 24. Muncerus & Sacramentarii, neglecto Verbo & Sacramentis, nihil aliud nisi Spiritum sonant, Idque nobis viventibus, docentibus & repugnantibus, quid futurum est, ubi conticuerit nostra doctrina.

In cap. 39. Sacramentarii bellissimè docent Deum, quomodo possit corpus Christi in pane & vino esse, cùm ascenderit Christus in cœlum? dum sic cogitant: Quia non possum ego comprehendere præsentiam corporis & sanguinis in Cœna Dominiea, ideo præscribam Deo rationem quandam, quâ possit adesse. Sic scilicet in ordinem & disciplinam suam Deum redigunt. Volunt ei tribuere locum in cœlo, & nesciuot tamen quid, aut ubi sit cœlom. Quid potiùs oculos claudis & aures, ac audis Verbum, & audito eo acquiescis? sicut dicitur Psalm. 37. *Subditus esto Deo, & formare ei, & non formes eum* so gehets recht hinauß/ tum Deus multa plura largitur, quàm nos nostris consiliis & sapientiâ possumus præstare. Si fsoatici clauderent oculos & aures, & sic statuerent: En sumam panem & vinum, & credam me manducare corpus, & bibere sanguinem Christi realiter, facillimè ex errore suo liberarentur: sed quia metiuntur verba Christi ratione Mathematicâ, & disputant de cœlo & terra: Ideo veram & propriam vim verborum Christi nunquam assequuntur, cæco rationis judicio dementati.

Phanatici hoc ignorant.

De Parva Lutheri Confessione.

NEc tamen his omnibus contentus, libellum etiam, quem Parvam Confessionem inscripsit, hoc eodem anno edidit Lutherus, in quo omnia qua antehac iniquè, absurdè, inhonestè & injustè nimis egit, quasi obsignavit, & omnem suam immodestiam, quâ in Helveticas Ecclesias, Tigurinam in primis, earumque fidelissimos Ministros tam mortuos quàm vivos debacchatus est sæpius, in compendium quoddam & breve summarium contractum, omnibus spectandum proposuit.

Ab initio statim in hac verba prorumpit: Si damnati Suermeri, Zuingliani & similes me laudant aut vituperant, perinde est ac si me Iudæi, Turcæ, Papa, vel etiam omnes diaboli vituperarent aut laudarent. Ego enim, qui morti vicinus jam sum, hoc testimooium hancqoe gloriam ad Tribunal Jesu Christi mecum adferam, quòd Suermeros, Sacramentorum hostes, Carolostadium, Zuinglium, Oecolampadium, Stenkfeldium, eorumque discipulos Tiguri, & ubicunque fiot, toto pectore damnârim atque vitârim: satis enim superque à me & aliis admooiti sunt: & quotidie adhuc io concionibus damnamus eorum blasphemam & mendacem hæresin, quod ipsi non ignorant.

Atrox criminationes Lutheri contra Zuinglium.

Secundò dicit, Post Marpurgense Colloquium, in quo Zuinglius multa revocârit, & Luthero concesserit, excepto unico articulo de modo præsentiæ Christi in Cœna, se resipiscentiam eius sperâsse, sed interea temporis cum miserrimè in prælio à Papistis interfectum, ideoque in peccatis suis mortuum esse.

Tertiò, mentionem facit libelli Zuinglii, à Tigurinis post mortem ejus editi, hoc titulo: Christianæ fidei expositio. *Et plurimùm indignatur*, quòd huoc libellum, ceu peculiarem quendam thesaurum Zuinglianæ doctrinæ, in lucem emiserint: simulque scribit, absurdas, ineptas, prodigiosas, inciviles fœdasque dicendi formulas, in eo contentas, Zuinglium libelli huius authorem non obscure prodere. Deinde immanissimum & atrocissimum crimen, cujus libellum illum Lutherus incusat, &

ob

ob quod se de animæ Zuinglii salute omnino desperare dicit, hoc est, quòd Zuinglius nō modò Sacramēti hostis esse perrexerit, sed etiam in universum Gentilis vel Ethnicus factus sit, eo quòd impios Ethnicos, videlicet Socratem, Aristidem, horrendum illum Numam, qui primus per dæmonis revelationem idololatriam apud Romanos instituit, & Scipionem Epicureum, inter beatos numeravit. Quorsum enim, *inquit Lutherus*, Baptismo, Sacramentis, Christo & sacrâ Scripturâ nobis opus est, si Ethnici huiusmodi & beati & sancti sunt? Et quidnam aliud huiusmodi Minister credere potest, quàm quòd quilibet in sua fide & religione, imò idololatra quoque & Epicureus salutem & beatitudinem consequi possit?

4. *Quartò*, rogat omnes, quicunque audierint, propter Marpurgense pactum Lutherum Zuinglianorum doctrinam approbare, ne credant propter Deum. Prohibeat *inquit*, Deus: ne scienter nomine meo vel minimum eorum articulum confirmem. Nam etiam Marpurgi nos ne in uno quidem articulo in illorum partes concessimus: sed ipsi in omnibus articulis in nostram sententiam concedebant. Ac mallem centies discerpi vel comburi, quàm illorum doctrinæ consentire.

5. *Lutherus Papistarum doctrinam de Cæna probat.*

Quintò scribit, Ex instinctu diaboli nos vocant carnivoros & sanguipotores: nam ne Papistæ quidem sic unquam docuerunt. Ad hunc enim modum sub Papatu traditum est, quemadmodum & nos statuimus, atque docemus adhuc, veluti vera & prisca Ecclesia ante mille quingentos annos statuit & docuit. Si de altari panem accipis & comedis, non brachium à corpore Christi avellis, aut nasum, vel digitum eius voras, sed totum corpus ejus accipis tu & qui te sequuntur omnes, &c. iuxta illud quod canitur in corporis Christi festo, Sumit unus, sumunt mille, quantum iste, tantum ille, nec sumptus absumitur. *Item*: Hoc modo docent etiam Papistæ, imò non Papistæ, sed Ecclesia (non enim Papa Sacramentum instituit) & nos cum iis, quòd corpus Christi non sit localiter in Sacramento, sed definitivè, id est, certò est ibi corporaliter & verè.

6. *Sextò dicit*, Se Zuinglianos iurè vocare posse, Paniuros, vinibibones, imò animarum latrones. Sy haben (*quis enim Latinè prodigiosa illa verba exprimat?*) ein ein geteüfelt / durch teüfelt / uberteüfelt / lesterlich hertz und lugen maul.

7. *Septimò*, Neminem pro illis orare posse, peccare enim eos ad mortem.

1544.

8. *Lutheri Thrasonicæ admonitiones ad Zuinglianos falsæ*

Octavò, Lutherus tres admonitiones enumerare pergit, quas Zuinglianis quidem à se oblatas esse, ipsos verò ex iis non resipuisse scribit. Primùm ab ipso statim Spiritu sancto admonebantur, *inquit*, cùm videlicet in textus (*Hoc est corpus meum*) expositione in septem spiritus dividerentur, & nullus eorum cum altero conveniret. Mox eos in septem spiritus distribuit. Nempe 1. Carolostadius dicebat, Hoc est corpus meum, idem esse, atque, Hic sedet corpus meum. 2. Zuinglius dicebat: Hoc est corpus meum, idem esse quod, Hoc significat corpus meum. 3. Oecolampadius, Hoc est signum seu figura corporis mei. 4. Stenkfeldius dicit, Verba, *Hoc est corpus meum*, vel prorsus ex oculis removenda, vel ad hunc modum construenda esse: Corpus meum est hoc, cibus videlicet spiritualis. 5. Alii contextum hoc modo ordinant: Comedite panem, quod pro vobis traditur est corpus meum. 6. Plerique ad hunc modum, Hoc est corporis mei commemoratio. 7. Campanus verò sic, Panis quem vobis do, per sese corpus est, & tamen meum corpus est, quia mea creatura, & ego eum creavi. Insuper, *ait Lutherus*, plerique sunt, qui dicunt: Non esse hîc articulum fidei: Ideoque de eo non esse pugnandum, unicuivis in hoc negotio, quod velit, credere licere.

In his Lutherus recitandis, tantùm affectibus, ne quid gravius dicam, indulget, ut non immeritò quis mirari posit, qui fiat, ut tam parùm salis, vanitatis autem & nugarum plurimùm, in viro tam grandævo esse potuerit. Horrorem certè omnibus ea vel lecta, vel audita summoperè pariunt, quæ in hac recitatione de Spiritu sancto profudit. Quas enim ille erroneas opiniones esse arbitratur, eas per Ironiam Spiritum sanctum *nominat*: *quin* diabolum *quoque* sanctum & magnum spiritum *vocat*; & vetus ille Spiritus sanctus alium juniorem Spiritum sanctum peperit & excubavit *Luthero, &c.*

His non sine magna vanitate addit, Cœnam Domini in nostris Ecclesiis nil nisi communem quandam & quotidianam compotationem esse, in qua panis & vinum adhiberi solet: Et quòd Christus eximiè stultus fuerit (*hac modestiâ Lutherus de æterna Dei sapientia loquitur*) qui peculiarem Cœnam instituere voluerit, cùm Cœnarum huiusmodi totus mundus alioquin plenus sit.

Altera Lutheri admonitio hæc est: Per me, *inquit*, inprimis admonebantur, cùm tantâ diligentiâ & studio contra illos scriberem, & omnes illorum rationes ac ar-

Ee 2 gumen-

1544. gumenta omnia tam firmiter & potenter confutarem. *Et his quidem duo præcipuè nostrorum argumenta Lutherus profert, e quibus primus est Ioannis locus, Caro non prodest quicquam.* Hunc locum, inquit, tam potenter illis eripui, ut & Zuinglius in ultimo suo libello nullam eius mentionem faciat. *Secundum nostrorum argumentum sic describit Lutherus:* Alterum, quo nitebantur, argumentum hoc erat: Christus ascendit in cœlos, ergo corpus & sanguis ipsius in Cœna esse non possunt. Simul autem, *inquit*, & plures alios de Ascensione Christi locos producebant, & Christum in cœlos ascendisse nos magno studio docebant, quasi verò id ipsum per annos jam 1500. nemo unquam audivisset. *Sed & hoc argumentum se illis æquè potenter eripuisse gloriatur vanissimè:* Licèt enim Christus corporaliter in cœlos ascenderit, non tamen ideo sequi *dicit*, quòd nudus in Cœna panis & nudum vinum sit. Et hanc nucem nostros nunquam vel mordere vel attingere voluisse iactat. *Sed & hoc addit*, falsò & mendaciter dici, quòd Christi in cœlos ascensio, nostros, ut corporalem in Cœna præsentiam & manducationem abnegarent, moverit: cùm videlicet Cœna priusquam in cœlos ascenderet Dominus, instituta sit. Unde cùm primam Cœnam Ascensiō hæc non sit remorata, non posse non falsum esse, quòd ascensione moti sint, ut præsentiam illam abnegarent.

Postremam, qua nobis indurata malitia & pœnitere nesciis hominibus obuenerit, admanitionem, Lutherus huiusmodi verbis producit: Tertiò, per horrendum Dei judicium admonebantur, cùm Zuinglius, & cum ipso circiter 5000. virorum, optimorum hominum, cæderentur. Quamvis grave illud irati Dei indicium ipsi gratiæ signum esse interpretentur.

9. *Nonò dicit*, audire se, quòd librorum, quos Zuingliani scribant, copiâ, & laboribus in Ecclesia & Scriptura sacra assiduis plurimùm fidant, sed omne hoc frustraneum esse inutile.

10. *Decimò inquit*, se posthac Zuinglianos vitare velle, tanquam αὐτοκατακρίτους, qui scienter & volentes damnati esse velint.

11. *Vndecimò, subinde in hoc suo libello vocat nostros Lutherus* Blasphemos in Deum & Christum, damnatam sectam, mendaces homines, maledictos, superbos & arrogantes spiritus, Sacramentorum prophanatores ac hostes, contra propriam conscientiam eos agere *dicit, & similibus aliis convitiis & calumniis eos proscindit: eòque se compulsum esse dicit*, ut nullus fanatici, sive is sit Stenkfeldius, sive Zuinglius, siue Carolostadius, sive Oecolāpadius, sive quisquā alius hæreticus, ἀρτολάτρης, οἰνοπότης, hoc est, Christi hostis & blasphemi consortium recipere, nec literas, libros, salutationes, benedictiones, scriptiones aut nominationem, intra animi sui penetralia admittere, nec visu vel auditu dignari decreverit.

In fine Confessionis huius causas indicat Lutherus, ob quas proximè præcedente anno Elevationem Sacramenti Witteberga abrogārit. Landgravius enim, qui fundamenta controversiæ Sacramentariæ satis cognoverat, & Helvetios Smalcaldico fœderi conjungere cupiebat, operosius, quàm antea laboravit, ut facta Concordia fundamenta firmiore nexu solidarentur. Quòd ergo sciret, Helvetios ritu Elevationis, quem Lutherus eò usque conservaverat, & pronunciatione verborum veteri inter distribuendum offendi; non destitit instare apud Lutherum, donec perficeret utrumque; & ut verborum pronuntiatio intermitteretur, & Elevatio seu ἀνάδειξις abrogaretur, quæ alere & confirmare in vulgo opinionem cultus & adorationis videbatur, procidentibus ad sonitum tintinnabuli, & pectora mox pulsantibus imperitioribus cum gemitu & suspiriis, ac si eo fine fieret Elevatio, ut ad panem elevatum in sublime invocatio dirigatur. Hoc Lutheri factum, quòd delicatulos in gente Misnica, quæ recens post mortem Ducis Georgii à religione Pontificia ad repurgatam Evangelii doctrinam conversa erat, vehementer suspicionibus sinistris vellicaret ac pungeret, quasi cum Sacramentariis colluderet, sermones mirabiles, & judiciorum discrepantia, varios admodum peperit. Hæc ubi cognovit Lutherus, valde irritatus fuit, quòd nihil impatientiùs ferret, quàm quæ authoritati suæ afficerent, aut insidiarentur. Cumque jam antea rumusculis quibusdam motus, contra Helvetios inflammatus esset, & hostes Concordiæ subinde frigidam suffunderent, eò, irâ, odiâ & invidiâ tandem abreptus fuit, ut in hac parva Confessione longè alias causas abrogatæ Elevationis prætenderet, quàm jam indicavimus, modò ne quicquam fecisse in Zuinglianorum gratiam videretur.

Lutherus cur præcedenti anno Elevationem Sacramenti abrogārit.

Proinde sic scribit in Parva Confessionis Appendice: Dici audio, quosdam commotos esse: ut opinentur, nos cum phanaticis Sacramentariis consentire, eò quòd in nostris Ecclesijs Elevationem intermisimus & abrogavimus, quasi nunc statueremus Christi corpus & sanguinem in sacra Cœna non esse, neque oraliter accipi. Verùm hæc causa ita comparata est. Factum est ante annos viginti aut viginti duos, cùm inciperem Missam damnare, & graviter Pontificios scriptis oppugnarem, quòd Sacramentum non

non esset sacrificium aut opus nostrum, sed gratuitum donum & Testamentum Dei, quod nos minimè Deo offerremus, sed à Deo accipere necesse haberemus. Quemadmodum Baptismus non est sacrificium, sed gratuitum Dei donum. Eo tempore in animo habebam Elevationis ceremoniam abolere, propter Pontificios, qui ex illa opus, meritum & sacrificium faciunt, & ultra sexcentos annos huc usque ea mente illam observârunt. Quia verò doctrina nostra illo tempore adhuc recens & supra modum scandali plena videbatur toti mundo, moderatè me agere oportuit, & propter imbecilles multa relinquere, quæ postea muravi. Ita quoque Elevatio relicta fuit: præsertim cùm posset commodâ interpretatione in meliorem partem exponi, quemadmodum in libello meo de Captivitate Bab. scribebam, &c.

Et paulò pòst idem ibidem scribit. Dum hæc meditor furenter in me irruit insanus ille spiritus D. Carlstad, unà cum cœlestibus suis Prophetis & libellum contra me edit, in quo nos Witenbergenses criminatur, quòd Christum occidamus, crucifigamus, quòd simus recentes Papistæ &c. multisque aliis impudentissimis calumniis nos adoriri non verebatur. Neque tamen ullam habebat aliam causam, quàm quòd nos in administratione S. Cœnæ utebamur ritu Elevationis, quam ille de sacrificio malitiosè interpretabatur, & porrò sacrificare ille exponebat, quod idem esset, ac Christum mactare, occidere, cruci affigere, & crudeliùs multò tractare, quàm à Iudæis factum unquam fuisset.

Et mox post paucula. Cùm itaque furiosum hunc spiritum tanto fremitu cõtra nos insurgere videremus, absque nostra culpa, qui volebat nos peccati & quidem adeò atrocis peccati reos agere, ubi nullum erat peccatum nec esse poterat. *Eam ob causam ego Elevationem retinui, ut diabolo per Carolostadium furenti, ægrè facerem, quam tamen alioquin Pontificiorum respectu abrogare cogitaveram. Pati enim non potui, ac ne nunc quidem possum, ut Satanas suo arbitratu mihi præscribat, quo pacto hoc vel illud in Ecclesia instituendum aut mutandum sit.* Accedebat secundò etiam hæc causa, quòd non debui nec potui in mea conscientia sustinere horrendorum illorum scelerum, quorùm nos Carolostadius reos agebat, accusationem, quæ tamen à nobis ipsis palam confirmata fuisset, si ad ipsius nutum & arbitrium Elevatione delecissemus: Hoc enim pacto quodámodo confessi essemus: nos antehac Christum crucifixisse, occidisse, contumeliâ affecisse &c. quod diabolicus ille spiritus de nobis magno fervore calumniabatur, & omnino cõntendebat, nos propter tantorum scelerum conscientiam Elevationem posthac intermittere oportere. Talium verò scelerum puros nos coram Deo noveramus, quin & ipse Carolostadius probè noverat &c.

1544.

Et iterum. Hac de causa Elevatio apud nos mansit. Nam quod liberum est, hoc est nullo mandato vel præceptum vel prohibitum, in quo nec peccato, nec merito locus datur, id meritò liberæ Christianorum dispensationi relinquitur.

Quæ cùm ita sint, hostes sacramenti non habent causam gloriandi, quasi nos in illorum gratiam & favorem Elevationem abrogassemus. Neque quisquam id suspicari debet, nos hoc instituto vel tantillum ad blasphemum illorum errorem inclinare, tantum abest, ut eum approbemus. Sed constanter illos pro damnatis Dei & Ecclesiæ hostibus habemus, neque unà cum illis Christi Verbum negabimus, blasphemabimus, & pervertemus: Quasi verò illorum institutione demum discendum nobis foret, quo pacto panem edere & vinum bibere nos doceat, quod alioquin etiamsi nunquam sacra Cœna à Domino instituta fuisset, facere possumus, totusque mundus egregiè absque Dei nutu & voluntate facit.

Vnica verò intermissæ & abjectæ Elevationis causa hæc est, quia pleræque Ecclesiæ longo tempore ante illam omiserunt, ideoque hac in parte nos illis conjungere voluimus, ut inter quos doctrinæ erat consensio, rituum quoque esset conformitas, néve nos peculiare quid haberemus in re per se libera & media, quæ absque conscientiarum læsione vel stare vel iacere posset. Præsertim cùm à principio constituissem eam tollere, ac nisi intervenisset Carolostadii furor, revera quoque sustulissem.

Atque hæc est illa Lutheri Confessio, de qua discipuli eius postea scripserunt, quod ad nominis divini gloriam singulari quadam providentiâ Dei, maximoque totius Ecclesiæ ac posteritatis emolumento edita fuerit, & pro hoc ipsius sancto labore immortales Deo gratiæ agendæ sint. *Cùm tamen hac ipsa Confessione non solùm Concordia Vitebergensis rupta sit, sed etiam Christiano homine, ac præsertim Theologo, seu Verbi Dei pracone nihil indignius vel scribi vel dici potuerit. Neque enim tam de reipsa seu doctrina Lutherus in hac Confessione sua cum adversariis disputat, quàm de personalibus, id est, invectivas atroces tractat: & prætermissis ac silentio prateritis*

Iudicia de Lutheri Confessione par na.

1544.

actionibus de Concordia, à principio certamen totum retexit, eo quidem modo, ac si nusquam quidpiam actum sit de pace, neque ulla collatio intercesserit, nulla etiam facta atque conciliata sit Concordia, & quasi illa omnia adversarii agnoscant, de quibus accusentur. Funestâ igitur ac ferali istâ confessione pax omnis violata, omnis quies turbata, lis omnis renovata, atrociusque multò causa hæc agi cœpit, animis partium vehementiùs exacerbatis: omnes in summa alienationes, odia, clamores, scriptiones tribunitia in Scholis, Ecclesiis, Politiis, Regnisque omnibus orbis Christiani aucta fuerunt incrementis exitialibus: Omnis illa denique inter Pontificios, Lutheranos & Zuinglianos seu Calvinistas, controversia existit, & in hodiernum diem usq. ab hac alitur.

Nui.

Occasio scriptæ ac editæ parvæ Confessionis Lutheri, & instaurati certaminis Sacramentarii.

Quòd autem, Collegis suis neque consciis, neque approbantibus, Lutherus parvam hanc suam Confessionem, occasione quidem à Schuvenkfeldio sumptâ, sed contra Helvetios tamen, inprimisque adversùs Tigurinos tantâ animi commotione & vehementiâ scripsit: id quomodo factum sit, ex D. Pezelii octava parte Argumentorum & Responsionum Theologicarum Philippi, optimâ fide commemorabo, ut is ex fide dignissimorum relatione, exploratè perceptum atque cognitum habuit. Erant ad D. Lutherum allati de Tigurinis aliquoties rumusculi, ex quibus ille contemni authoritatem suam ab eis suspicabatur: Nec parùm offendebat eum, nova & peculiaris Bibliorum versio Germanica Tiguri edita, cujus exemplar ad se missum à Typographo iracundè accepit, eumque abstinere deinceps jussit à libris eiusmodi mittendis, hac enim translatione putavit Tigurinos honori & existimationi suæ insidias struere. Nec dissimulabat in familiaribus colloquiis indignationem adversùs eos conceptam, & in lectionibus ac concionibus publicis, ubi poterat, taxabat Zuinglium, & scriptiones novas contra Tigurinos non obscurè minabatur: idque instinctu potissimùm & incitatione Amsdorffii, qui omnia Zuinglianorum dicta & facta in pejus interpretabatur. Vnde Philippus ad Vitum Theodorum sic inter alia scripsit: De censura Amsdorfiana nuper ad te scripsi. Et iam movere bellum in concionibus Lutherus cœpit. Dicitur etiam nescio quæ editurus. Si rursus accenditur certamen de Cœna Domini, majores erunt, & tristiores dissipationes. *Conservârat etiam ad idusque tempus D. Lutherus Witemberga ritum Elevationis panis consecrati. Sed anno demùm 1543. ut suprà etiam diximus, eum, rogatu Landgravii Philippi, & aliis de causis abrogari passus est. Ea res in vicina gente Misnica, quæ post mortem Ducis Saxoniæ Georgii à religione Pontificia ad repurgatam Evangelii doctrinam recens accesserat, varias suspiciones & sermones admodum sinistros peperit, quos ex vulgi sermonibus ad se perlatos contemnere ille initiò, aut certè premere ac dissimulare visus est, donec incautiori sermone eum inflammavit Medicinæ quidam Doctor Zuiccaviensis, Stephanus Wildius, cui propter artem & in medicando felicitatem, magna cum præcipuis ex nobilitate Misnica necessitudo intercedebat: Eaque de causa, cùm sæpe ad eos evocaretur, fiebat, ut multorum audiret iudicia & sermones. Hic Witeberga à Luthero exceptus hospitio, postquam vino incaluisset, expostulare cum eo de abrogata Elevatione cœpit, atque in hac tandem verba prorupit:* Commune hoc iudicium esse præcipuorum in Misnia ordinum & hominum, quòd in Helvetiorum sententiam concesserit, & in gratiam illorum, Eleuationis ritum abrogârit. Hanc opinionem inde quoque confirmari *dixit*, quòd cùm sciret Helvetios, & Tigurinos inprimis sententiam pristinam suam retinere, nihil contra eos durius egisset hactenus, neque suam cum ipsis dissensionem scripto publico jam ab aliquot annis declarâsset. Quod sane authoritatem tuam, *inquit*, apud omnes non parùm imminuit ac labefactat. *Idem etiam literarum Schuvenckfeldii mentionem iniecit, qui idem sentire iactitaret in controversia Sacramentaria, quòd Helvetii & Ecclesiarum superioris Germaniæ Doctores sentirent, cum quibus in gratiam mutuam rediisset Lutherus. Hæ voces adeò tum pupugerunt Lutherum, ut iis incitatus, palàm profiteretur, in Helvetios se denuò scripturum. Et aderant, qui oleum igni suffundebant. Interfuit ei convivio & assedit. D Philippus non sine ingenti dolore, quia & Luthero à commotione metuebat, cui ut aliàs sæpe, sic tum quoque illud subiicere conabatur.*

Vince animos, iramque tuam, qui cætera vincis.

Et eventum, qui postea magno cum Ecclesiæ discrimine secutus est, prospiciebat ac deplorabat. Sic ergo bellum vix antea sopitum in causa Sacramentaria, demum unius temulenti & importuni hominis impulsu, instauratum est, quòd vehementer inflammatus esset Lutherus; vehementiùs etiam stylum exacuit, argumento sumpto à Schuvenckfeldio: à cuius mentione librum exorsus, ac paulatim digressus ad Helvetios, & Tigurinos præsertim, omissâ mentione omni pacificationis, quæ in tractationibus de concordia intervenerat, Marpurgensis tantùm conventus meminit: inprimisq. diversas verborū Cœnæ interpretationes, inter diversissimarum sententiarum homines exagitans, desiuit tādem in defensione facti sui de mutatione ritus Eleuationis. Hæc belli iam diu intermissi instauratio

inenar-

inenarrabilem dolorem attulit Philippo Melanchthoni. Quod literæ eius ostendunt ad diuersos scriptæ, & illa inprimis ad Bullingerum Epistola.

Egregia eruditione & virtute prædito, D. Henrico Bullingero amico suo.S,D.

Fortassis priusquam hæ meæ literæ ad te perferentur, accipies atrocissimum Lutheri scriptum, in quo bellum περὶ δείπνου κυριακοῦ instaurat. Nunquam maiore impetu hanc causam egit. Desino igitur sperare Ecclesiarum pacem. Tollent cristas inimici nostri, qui defendunt εἴδωλα Monachorum: ac rursus Ecclesiæ nostræ magis distrahentur. Qua ex re ingentem capio dolorem. Nam priuato periculo, quod nunc mihi impendet, etsi non est leue, tamen tantum non moueor, quantum Ecclesiarum nostrarum, & literatorum distractionibus. Legi tuam epistolam, seu querelam potiùs, quam dedisti Josepho Pannonio: in qua mihi, qui fueram hortator ad quædam dissimulanda, respondes. Sed hæc noua belli instauratio impedit, ne quid de moderatione nunc scribam. B.V. Prid. Calend. Septemb.

Bucerus scribit ad Lutherum de editione paruæ Confessionis.

Bucerus etiam sub illud ipsum tempus edita Confessionis paruæ Lutheri, vt schismati nouo viam maturè præcluderet, Epistolam ad Lutherum scripsit, in qua exaggerans damna publica, quæ ex illo certamine in Ecclesiam redundarent, mitigare Lutherum studuit. Et vt sit, *ait inter alia*, à Tigurinis ἀφορμὴ aliqua offensionis data: sibi tamen ac cæteris Doctoribus Ciuitatum Imperialium, & Bernensibus, atque Basiliensibus imputandum non esse, qui in ijsdem concordiæ initæ vestigijs permaneant.

Scripsit quoque theses Bucerus eo ipso anno, quo parua Confessio Lutheri edita est, quas integras subjiciam hoc consilio, vt appareat non solùm etiam tum Bucerum sententiam Concordiæ initæ retinuisse, sed præcipuè modis omnibus conatum esse, vt durioribus Lutheri phrasibus commodè explicatis, pacis atque concordiæ vias, perpetuo instituto suo monstrare pergeret.

Confessio M.Buceri, de sacra Eucharistia, Argentinæ in Schola hoc anno Nonis Iulij dictata, & ad Bullingerum transmissa.

In tomo Anglicano Operum Buceri fol.700.

1. De omni mysterio quid sentiendum & loquendum sit, ex Scripturis petendum est, & à Spiritu sancto. Non sunt igitur formæ loquendi Spiritus sancti corrigendæ pro nostræ rationis iudicio: Sed quæ absurda, & dissentanea Scripturis, ac synceræ fidei, consequi ad eas formas, nostræ & aliorum rationi videntur, à formis illis planè remouenda sunt.

2. Communionis nostræ cum Christo mysterium, sic nobis commendatur verbis Scripturæ, vt dicatur Dominum esse caput nostrum: manere & viuere in nobis, habitare in cordibus nostris: dari nobis corpus & sanguinem eius in cibum & potum: panem & calicem Eucharistiæ communicationem esse corporis & sanguinis eius: nos esse membra eius, carnem de carne eius, os de ossibus eius: nos edere carnem eius, bibere sanguinem eius: manere & viuere in ipso.

3. In his formis loquendi prædicat Spiritus sanctus Christum ipsum nobis caput & cibum esse: non Spiritum, aut virtutem eius. Quia ergo ego ex me nihil intelligere de hoc tanto mysterio, eoque minùs eloqui valeo, & nihil queat verbis Christi & Spiritus sancti dici magis disertè, & ad doctrinam nostri salutarem magis appositè & propriè: hæc ipsa verba Domini & Spiritus sancti sequor simpliciter, quodque in eis comprehendere ratione meâ non possum, fide tamen amplector & adoro.

4. Credo itaque & confiteor planè, Christum Dominum ipsum, non tantùm Spiritum, aut vim, aut opus eius esse nobiscum quotidie, vsque ad finem mundi, nos in sacro Baptismate ei inseri, & eo nos indui, eiusque fieri membra, incipere in eo viuere, & habere eum caput nostrum, & manentem viuentemque in nobis, iamque esse nos de carne eius & ossibus.

5. At quia, dum hic agimus, toti in ipso nondum viuimus: sed maxima ex parte adhuc in nobis ipsis viuit vetus Adam, nondum nouus. Christus Dominus, per omnia: Ideo sicut ipsâ prædicatione Euangelij: ita etiam sacrâ Cœnâ Domini, hanc Christi Domini veram communionem vel mei potiùs cum ipso, augeri quæro: sequens simpliciter institutum & verba Domini, studeo me ipsi sistere in sacro cœtu verum discipulum, hoc est, manentem in sermone eius, verum membrum eius cum cæteris sanctis, vocationis ipsius iunctura connexum, & sincerâ eius charitate adhærescens: Cum bis doctrinam Domini mei audio, & in corde, quoad ipse dederit, repono: cordeque sursum elaro, gratias unà ago: Verba Domini, Accipite & manducate, ex eis audio: ipsum Dominum mecum loqui agnosco & cogito.

6. Quem igitur panem, quod vinum mihi

1544. mihi per Ministrum porrigit, panem & vinum esse non dubito, dum ipse pronuntiauerit ita per Euangelistas suos & Apostolum: nihil de Transsubstantiatione harum rerum, vel annihilatione, in mentem admitto: sed vtrumque cùm Dominus iubeat accipere, cogito, præbentem hæc Iesum Seruatorem meum & Dominum esse.

7. Ideo quamlibet hæ in se sint res sensibiles & perituræ: tamen indubitanter credo, Dominum & his velle operari salutem meam. Excipio igitur illas (defixâ mente in ipsum, quantâ possum religione) vt dona diuina & saluifica.

8. Vbi verò audio præterea, *Hoc est corpus meum, quod traditur pro vobis.* Item: *Hic calix est sanguis meus. Est Nouum Testamentum in meo sanguine.* Et: *Qui funditur pro vobis, & pro multis in remissionem peccatorum.* Hæc verba Domini pronâ mente & religione summâ excipio atque adoro, vt agnoscam dari mihi his ipsis verbis & symbolis, pane & vino, corpus & sanguinem Domini, eoque Dominum ipsum, & in cibum vitæ æternæ, vt magis magisque viuam in ipso, & ipse in me, sim eius membrum ad omnem motum eius magis & promptum & validum. Hunc enim usum cibi potusque huius, prædicauit ipse Iohan. 6.

9. Glorior quoque mihi hac ipsâ Christi mei innouatâ communicatione confirmari remissionem peccatorum, constabiliri fœdus nouum adoptionis nostræ, quo sumus filij & hæredes Dei, cohæredes autem Christi, quo verè se præstat Dominus, Deum nostrum & Patrem quoque, eùm certa fiducia Deum inuocamus, vt Patrem. Donari enim hic mihi eredo, sentio, confiteor, Christum Dominum cum omni merito eius, & expiatione peccatorum, quam fecit, tradendo corpus suum in mortem, & mortem crucis, & fundendo sanguinem suum tam diris cruciatibus.

10. Quoniam verò præcepit Dominus, hoc sacro solennem sui celebrare memoriam, & mortem suam prædicare, inter actionem hanc totam teuoco mentem, celebro cum sanctis, quicquid Euangeliũ mihi testificatur, & prædicat de Domino & Seruatore meo Iesu Christo, quòd cùm Deus esset, & in æternum sit, homo meâ causâ factus sit: tantaque & fecerit & passus sit, vt me peccatis mortuum vitæ restitueret, quòd mortem etiam resurgendo mihi quoque destruxerit: meque ascendendo in cœlos in cœlestibus collocârit, locumque pararit iam, quò ad se suo me tempore transferat: quòd sedens ad dexteram Patris, & cunctam in cœlo & in terra potestatem administrans, in meam & omnium sibi credentium certam salutem, mecum tamen est, me ducit, regit, tuetur, vindicat, atque ad vitam cœlestem expedit & perficit quotidie vsque ad finem seculi.

11. Hæc cum Ecclesia animo meo reputo, voce confiteor, & annuntio, totumque me in obsequium Christi mei addico, idque sanctâ oblatione alicuius muneris, pro vsu eius in minimis ipsius, in pauperibus contestor: Sicque gratijs actis ad opera redeo vocationis meæ. Hæc mea est de sacra Cœna Domini & fides & confessio, sententia & doctrina.

12. Si contrà occurrit animo: Quomodo potest hic tibi in terra existenti, & cum his terrenis symbolis verum corpus verusque sanguis Domini dari, & à te percipi? Finitum est corpus Domini, & resurrectio & ascensio huic gloriam attulit, naturam non imminuit, subuectum est in cœlum, sedet ad dexteram Patris: Non poterit igitur in omnibus locis, vbi Cœna celebratur adesse & percipi omnium manibus & ore, qui symbola hæc de Mensa Domini percipiunt?

13. Respondet ad hæc fides: Christus tuus reliquit terram, exaltatus est insuper cœlestia super omnes cœlos, reliquit mundum, concessit ad Patrem, sedet regnatque à dextris Patris in diuina gloria Patris. Hanc quia oculus non vidit, & auris non audiuit, ac ideo nec in cor cuiusquam hominis ascendit, tunc conditioni huius vitæ similem facias? Dominum gloriæ in mundum hunc impurum cogitationibus tuis ne detrahas, ne includas locis, quæ huius mundi sunt, ne distrahas diuersitate sumentium, quæ item res huius mundi est.

14. Symbola in se quidem (vt panis & vinum sunt) res mundi huius sunt, vt & nos ipsi, quod ad terrenam conuersationem attinet. At internus noster homo cœlestis est, cuius cibus Christus est, & ita quidem, vt & sensibile & corruptibile corpus nostrum ipse suo glorioso corpore per resurrectionem sit conformaturus.

15. Porrò, vt hæc symbola sunt corporis & sanguinis Domini ænigmata sunt, specula sunt, in quibus cernitur quidem & percipitur verè, verum Domini corpus, verus sanguis, Dominus ipse: sed non sensu, non ratione, verùm solius fidei oculis, sensu rationeque noui hominis, Spiritu, qui scrutatur profunda Dei, (de quo 1. Cor. 12.) imò nec imbutâ fide ratio & mens nostra hanc

Christi

Christi in Sacramentis exhibitionem, præsentiam, manducationem potest cognoscere, quid in se sit, sicut nec, quid nostri in eum insitio, quâ facti sumus de carne eius, & de ossibus eius: sicut nec quid sit Verbi incarnatio, quid sit animæ nostræ cum corpore nostro communicatio, & in eo inhabitatio. Ista tantùm à posteriore, id est, ab effectis vtcunque cognoscuntur.

16. Pius igitur animus satis habet credere, quòd hæc sint, & quòd effecta etiam huius sanctissimæ communicationis percipit, augescentium in vita Dei, factus fiduciâ misericordiæ Dei firmior, charitate, atque studio Dei & proximi ardentior, castitate purior, perferendâ cruce constantior, ad sanctificandum nomen Dei, & promouendum Regnum eius instructior atque expeditior cùm ad solita vocationis suæ, tum etiam ad insolita arcanæ dispensationis Dei, opera.

17. Formas igitur verborum Domini in his rebus simpliciter sequor, & fide mentis & sermone confessionis & doctrinæ credo, sentio, confiteor, prædico: In S. Cœna, cum pane & vino (quæ signa exhibitiua sunt, sicut erat flatus oris Domini, quo tradidit discipulis Spiritum S.) dari & percipi corpus & sanguinem Domini, & nostram fractionem panis atque communicationem calicis Domini, communicationem, non panis & vini tantùm: sed etiam (vt Spiritus S. disertè testatur, corporis & sanguinis Domini esse, exhiberi, dari, & percipi: eoque præsentes haberi in S. Cœna duas res, vnam cœlestem, corpus & sanguinem Domini: alteram terrenam, panem & vinum. Quæ verba Irenæi in articulis Concordiæ Witebergæ constitutæ, posita sunt.

18. Absurda & dissentanea fidei, quæ hîc occurrunt, suggesta à ratione carnis, sic repello: corpus & sanguinem Domini, Dominum ipsum, ita in S. Cœna exhiberi, percipi, adesse, vt nec moueatur loco, nec distrahatur locis, nec commisceatur & alligetur symbolis vllâ ratione huius seculi: nec attingatur sensu vel ratione, non fiat cibus ventris, non patiatur aliquid huius mundi. Ad ipsum enim in se sola mens subleuatâ fide pertingit.

19. Hinc si rursus ratio carnis obturbet: ista omnia si à corpore & sanguine Domini, Domino ipso se in hac Cœna exhibente fidelibus, remoueas, euanescere præsentiam Domini veri hominis, cuius sit certo in loco esse: Succurrit fides, quæ nixa Verbo Domini tenet præsentiam Domini, quæ rationi sanè euanescit, conditionibus illis huius seculi seclusis: & agnoscit (scilicet fides) in loco esse, conditionem esse huius mundi, quem Dominus reliquit: τῆς ἐπουρανίου, gloriosæ illi vitæ, quam Dominus viuit, exaltatus super omnes cœlos, nec locus, nec vlla alia huius vitæ conditio attribui potest. Scriptura enim nihil huius tradit, & ratio insuper ad cœlestem illam gloriam sese attollere non valet.

20. Definitum autem corpus Domini, & non vbique diffusum credere & fateri Scriptura præcipit, quæ verum hominem prædicat, & ascendisse supra omnes cœlos, & ita rediturum vt ascendit. Definitione igitur corporis Christi potius, quàm de loci descriptione illud Augustini intelligo: In vno cœli loco Christum esse oportet.

21. Queritur adhæc ratio, subduci se in caliginem & abyssum, in qua nihil cernat, nihil attingat? Sed respondet fides ista nec rationi, sed soli menti fide corroboratæ exhiberi: & exhiberi credenda, non inspicienda. Atqui nihil amplius de anima nostra intra nos-ipsos & primarijs eius facultatibus & actionibus in se, mens & ratio nostra cernit vel comprehendit. His me, ad Scripturam confugiens expedio: illis quæ ratio carnis obijcit fidei, remotis, & defixam in Verbo Domini mentem sustineo.

22. Verùm quia etiam satisfaciendum est omnibus Christianis, quòd ad me attinet, de mea circa hoc mysterium fide, si incido in aliquem, qui veretur, me non satis plenè confiteri exhibitionem & præsentiam Domini in Cœna: Ego illi simpliciter expono quod sentio, verè & reipsa dari ac percipi hîc, eoque verè etiam adesse corpus & sanguinem Domini; ac verum corpus: id scilicet, quod traditum est pro nobis; & verum sanguinem, nimirum qui pro peccatis nostris fusus est, siquidem Cœna sacra ex instituto Domini celebretur, & verbis quibus sese exhibet, fides solida habeatur.

23. Qui enim Institutum & verba Domini rejicit, is etiam exhibitionem Domini rejicit. At quia etiam ij, qui verbis Domini credunt, alij Christum Dominum religiosè excipiunt, alij secus, fit vt sacramenta alij etiam vt sacramenta, atque ideo Dominum ipsum percipiant dignè: alij indignè, vt Corinthij, quos Apostolus correptos propterea à Domino morbis & morte testatur.

24. Impiorum rationem haberi hîc, rejicimus: Quanquam Deus admirabili suo iudicio nonnunquam impios etiam ad tem-

1544. tempus fide donet, vt Christum in ænigmate percipiant & degustent: vt Euangelium: ita etiam Sacramenta ipsa Matt. 13. Heb. 6. At qui prorsus nihil habent fidei, ijs verba Domini, quibus se in Cœna exhibet, ludibrio sunt. Vt ergo illi nihil afferunt ad hæc, quàm sensum & rationem, quæ ad ista mysteria non pertingunt: Ita nihil quoque cernunt, nihil attingunt in hoc ænigmate & speculo huius sacramenti, præter hoc, quod sensibus patet.

25. Porrò, si convenero aliquem, qui metuit, ne corpus Domini nimis cum pane alligetur, & ne quid de præsentia Domini asseratur, quod detrahat aliquid vel humanæ naturæ in Christo, vel gloriæ eius cœlesti, vel etiam gratuitæ operationi salutis soli promissæ fidei: disertè explico, præsentiam me hic Domini statuere nec localem, nec vllius modi huius Mundi: me Dominum nec detrahere gloriâ Cœlorum nec pani includere localiter, nec vllâ ratione huius seculi affigere ei, nec concedere veram Domini manducationem (de qua Ioan. 6.) vlli hominum non plenâ viuáque fide Sacramentis communicanti.

26. Si me is tum roget, cur igitur dicam, me consentire cum Luthero, qui affirmat, panem ipsum esse corpus Domini, vel in pane, & id omnibus sumentibus pijs & impijs? Respondeo: Lutherum his suis loquendi modis, nihil quàm veram exhibitionem Christi in Cœna velle exprimere: panem & corpus Domini, non idem naturâ, sed Sacramento facere: Corpus Domini, non includere pani localiter: non opinari ascensum vel descensum hîc Christi fieri. Cùm igitur, vt nos, duas res in Sacramento agnoscat, corpus Domini & sanguinem, & symbola, nec colliget aut commisceat hæc vllâ ratione huius mundi: Denique à non credentibus verbis Domini, & non viuâ fide credentibus, nihil salutare hîc percipi affirmet (quæ omnia ex scriptis & ore eius cognoui sic habere) cur non consensum cum illo agnoscerem?

27. Si objiciatur, si ita sentit, cur igitur damnat tam sæuè Tigurinos & alios? Respondeo, persuasum habet, eos nihil quàm absentis Christi symbola in Cœna statuere: nec aliud potest ipse quidem ex eorum aliquot scriptis percipere.

28. Si roget, quid sentiam de illis interpretationibus: Hoc significat corpus, vel est figura corporis Christi: Dico, de pane illa quidem verè dici. Nec enim panis ipsummet corpus Christi est: sed est symbolum eius, eoque etiam significat illud. Verùm hoc dixisse, non esse satis dico, propterea quod corpus & sanguis Domini etiam hîc exhibetur, non significatur tantùm.

29. Si quærat quis, vnde fiat, quòd non possint se inuicem hac in re plerique docere & audire, vt tandem consentirent? Arcano hoc fit consilio Dei, volentis sic exercere nostram moderationem, nostram charitatem. Multos enim perturbat zelus non purus, & cura existimationis vel sui vel aliorum nimia.

30. Qui regno Christi verè student & consultum volunt: & in hac, & in alijs huiusmodi quæstionibus, contentionem fugient, & simplicitati inhærebunt Scripturæ, & tradendo & loquendo. Itaque hunc locum & tractabunt & vrgebunt, vt prædicandæ & vrgendæ pœnitentiæ & remissioni peccatorum subseruiat, nec sit impedimento, astumque religiosè vitabunt Satanæ, qui scrupulosas istiusmodi quæstiones de partibus Euangelij injicit, vt totum interim eripiat, & frigere faciat animis contentione accensis & perturbatis. Dominus nos in se Idem & sentire & loqui donet, & de hoc, & de eius alijs mysterijs. Amen.

Martinus Bucerus ita in Domino sentio, & in hac sententia opto venire ad tribunal Domini, manu meâ, Anno M.D.XLIV. *Iunij 5. die.*

Reformatione Coloniensi, de qua suprà, ad finem perductâ, & reformationis articulis peculiari libello à Philippo & Bucero comprehensis, Luthero nunciatur, in articulo de Sacramento, multis quidem de vsu & fructu Cœnæ Dominicæ agi: sed Caput de præsentia corporis & sanguinis Christi, prorsus silentio præteritum, nec quicquam de eo expositum esse. Ea fama vehementissimè commotus Lutherus, Philippum hoc nomine appellauit, qui sui purgandi causa, hoc in medium attulit: Non à se, sed à Bucero caput illud conscriptum esse. Et vt maximè à se etiam aliquid in illo loco consignatum fuerit, suis tamen posthabitis, ea quæ à Bucero scripta fuissent, Operi Reformationis inserta esse. Se in suo contra Clerum Coloniensem libello, vsitatam suam regulam posuisse ac repetijsse, videlicet cùm Deus nulli creaturæ alligandus sit, nisi certum ipsius verbum habeamus: Sacramenta verò certum atque expressum Christi mandatum habeant, quo fine & quo modo vsurpanda sint, verissimum esse, quòd panis

Lutherus irascitur quòd in articulis reformationis Coloniensis nulla fiat mentio corporalis præsentiæ Christi in Cœna. Philippo excusatio.

aliter, quàm iuxta ordinationem Christi vsurpatus, Sacramentum esse non possit: sicuti certum sit, quando quis baptizatur, in illa Baptismi actione Spiritum sanctum præsentem & efficacem esse: Si quis verò aquam Baptismi circumgestaret, & Spiritum sanctum etiam perpetuò in ea inclusum assereret, eumque ab hominibus adorari in ea vellet: Omnes pij dicturi essent, horribilem atque damnatum errorem eâ ratione committi, &c. *Tunc Lutherus supra modum ira excanduit, & sese ab amicitia Buceri etiam omnino remouit, dicens de eo*, Spermologus est, nil nisi conciliationes quærens & tractans: sed apud me conciliationes ipsius nihil amplius habebunt loci, nec literas eius in posterum admittam, &c.

Lutherus se ab amicitia Buceri amouet.

De hac re extat apud Ambrosium Wolfium in fine Actorum Concordiæ Wittebergensis, epistola cuiusdam ad Vitum Theodorum, quam adscribam, vt ex ea etiam intelligatur, quisnam Sacramentarium certamen instaurarit, & concordiam ruperit. De Sacramentarijs, *inquit*, nouum opinor certamen orietur. Nam sæpe acerbè, publicè & priuatim, in eos inuehitur Lutherus. Video eum quotidie manibus versare libros, quos olim contra ipsos scripsit, quosdam transferri in linguam Latinam curabit, vt & in Italorum & Gallorum manus perueniant. Nouam præterea Confessionem de illo articulo editurus est, & iam tres sexterniones conscriptos esse dicit. A te negat sibi quicquam à Sacramentarijs allatum, quod nescio quâ ratione acciderit, num perierint literæ, an verò ipse obliuioni tradiderit, vt fieri solet, in tantis occupationibus. Bucero grauiter irascitur, propter articulum de Sacramento, quem composuit in scripto ordinationis Ecclesiarum Coloniensium, narrat eum prolixè de vsu Sacramenti declamitare, sed illam priorem disputationem de præsentia corporis & sanguinis Domini silentio præterire. Accidet ei idem, quod Schuuenkfeldio, vt pro damnato & deplorato à Luthero habeatur. Ita enim dicebat: Es ist ein Klapper maul / geht nur mit Conciliationibus vmb: Aber er sol bey mir auch concilijrt haben: Er sol mir mit seinen scriptis nicht mehr vnter mein augen kommen: Ich wil jhn pro damnato halten: wils Philippo sagen/ vt scribat ei iram meam. Id cùm significâsset Philippo post suam prælectionem, sensi eum valde perturbari. Postea in Examine ordinandorum relegebat illum articulum cum D. Crucigero, ibi audiebam eum queri de istis contentionibus, & inter reliqua dicere: Ob es aber auch gut sey/ daß man ein new gezenck anrichte/ das weiß ich nicht / &c. 8. Aug. Anno 1544.

Quis sacramentarium certamen instaurarit.

1544.

Hæc cùm de Luthero ad Bucerum delata essent, occasione Apologia anno hoc pro Reformatione Coloniensi conscripta, & anno sequenti edita, caput illud in articulo contra Transsubstantiationem aliquantò clariùs explicuit. Queritur enim ab aduersarijs in suspicionem adduci eos, qui librum Reformationis concinnarunt, quasi de Sacramento, & Christi in eo præsentia non rectè sentiant. Et quia suspicionem hanc inde probare conabantur, quòd in illo libro nihil de exhibitione & sumptione corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna ageretur; Bucerus suam sententiam de vera Christi præsentia in hac Apologia expressit, quando inquit: Patres agnouerunt ac docuerunt, post consecrationem etiam corpus & sanguinem Christi adesse & dari. Dicunt enim: Cùm panis percipit vocationem Dei, tunc non est communis panis, sed Eucharistia ex duabus rebus constans, alterâ terrenâ, pane scilicet & vino, alterâ cœlesti, videlicet corpore & sanguine Christi, &c.

Bucerus vt satisfaceret Luthero suam sententiam de vera præsentia corporis Christi in Cœna expressit in Apologia pro reformatione Coloniensi.

Literæ etiam quædam de Sacramenti negotio ex Italia Bucero allatæ sunt, ad quas hoc anno respondit. Quibusdam enim Italis ad Euangelij doctrinam conuersis, non multò post dissensiones de Cœna Dominica ad illa etiam loca dimanarunt: de quibus plerique Bononienses & Mutinenses anno 1541. Bucerum consuluerunt. Quid autem ipsis responderit, ex tribus eius Epistolis in Tomo scriptorum Anglicanorum extantibus, videre licet. Summa illarum epistolarum hæc est: Controuersiam Sacramentariam Germaniæ plurimùm dedisse damni, & cursum Euangelij vehementer impediuisse: idenque nostro malo doctos, ab ea sibi caueant. Satis ducant, Christum ita inquisiuisse, vt in ipso pleniùs viuamus, & illum viuentem in nobis potentiùs sentiamus. Panem & vinum symbola, non autem res ipsas huius tanti mysterij esse, omnes fateri. Absit autem, vt quisquam suspicetur, inania tantùm symbola in Cœna exhiberi. Panem enim quem frangimus, communicationem esse corporis Domini, non panis tantùm. Ad hanc communicationem, vt cœlestis sit, ita nobis in Ecclesia ad Christum, per speculum & ænigmata verborum & symbolorum animis subuectis, percipi. Manere illum in cœlis, & tamen apud nos esse, quia sit caput nostrum, vtcunque sit eam vera & verus sanguis. Cùm enim nec sentiatur nec ratione carnis intelligatur, in mundo ipsum non esse, sed in cœlis esse. Manere itaque illi cœlestem suam gloriam, manere & humanæ naturæ veritatem, & nihilominus exaltatis nobis

Italorum querimonia de Cœna Domini ad Bucerum literæ.

Responsio Buceri ad Italorum literas, de vera præsentia & sumptione corporis & sanguinis Christi in Cœna.

1544. nobis cum ipso in cœlestibus, habentibusque τὸ πολίτευμα nostrum in cœlis, verè in hoc mysterio adesse, &c.

In secunda Epistola, inquit, Dominus clarè docuit: Nostram carnem & sanguinem regni Dei hæreditatem non posse percipere: Itaque opus nobis esse carne & sanguine Christi, quam carnem & sanguinem Christi, qui edat ac bibat, hunc mansurum in ipso, & ipsum habiturum manentem in se, & in æternum victurum. Hanc verò carnem & sanguinem dare vescendum & bibẽdum Verbo, & singulariter quidem symbolis Eucharistiæ. Panem enim, quem frangimus, non panis tantùm, sed etiam corporis sui communicationem esse: Vnde præbens panem dixerit: Accipite & manducate, Hoc est corpus meum, & non periturus ventris cibus, sed vivificus mentis, indeque & totius hominis, at cœlestis tamen. In cœlis enim esse & manere Dominum, id est, in inaccessa Patris gloria, quæ nulli loco mundi alligetur: quia ille mundum reliquerit, & ad Patrem in vitam cœlestem transierit: hoc est, conditionem huius seculi exuerit, & gloriam quam ab initio habuit, repetierit, in qua tamen ipsum & hic cum suis esse vsque ad consummationem seculi. Quia Pater nos in ipso iam conuiuificârit, & in cœlestibus collocârit, & dederit in cœlis habere nostrum πολίτευμα. Quò vt respiciamus, Ecclesiam Patrum in tractandis mysteriis iussisse, habere sursum corda. Nihil itaque hic terreni, nihil huius seculi cogitandum, etiamsi & nos & propter nos symbola, totaque externa actio mysteriorum, huius adhuc seculi res sint, &c. Christum insufflantem discipulos dixisse: Accipite Spiritum sanctum, quem & verè externo symbolo ipsis dederit, sed nec in eo oris Dominici flatu localiter inclusum, aut eidem vllâ huius seculi ratione adiunctum verè tamen atque realiter illo signo exhibitum, &c. Alias superuacaneas quæstiones quæ tantùm ad inanem gloriam & contentionem valeant, euitandas esse.

Bucerus de manducatione indignorum. *In tertia Epistola ad Italos Bucerus de eo agit, quomodo Lutheri & Zuinglij de Cœna Dominica doctrina & sententia conciliari inter se possit. Præcipuè autem queritur: Lutherum in quæstione de manducatione indignorum nandum omnibus satisfecisse. Etiamsi enim sint, qui dicant, contingere etiam vt impij fidem habeant: Et fieri posse, vt quis aliquibus & non omnibus verbis Domini verè credat: Bucerus tamen inquit, se illud affirmare non audere: Et hoc inter probabilia relinquere: & proinde præsentia Christi in Cœna Dominica, tantùm cuique addicere, quantum quisque credat. Vt, qui credat adesse tantùm Christum, non autem adesse sibi in salutem dignè reputet, is quidem percipiat Christum, sed in iudicium, qui verò Sacramentum in totum contemnat, & nihil credat, eum nihil quoque percipere, &c.*

Verba Epistolæ hæc sunt. De altera verò quæstione sic sentimus: Lutherum nunquam aliud contendisse, quàm adesse, & exhiberi corpus & sanguinem Domini, in Eucharistia, modum autem præsentiæ non definivisse. Zuinglium verò non impanati Christum, vel pane localiter includi, quorum neutrum Lutherus affirmabat: sed cùm diceret, panem esse corpus Christi, aut corpus Christi in pane realiter, corporaliter, &c. Visus est etiam mihi, si non sentire, tamen id his loquendi formis alijs ingerere, corpus Domini pani crassiori aliqua ratione, vel uniti, vel includi. At inter agendum de reconciliatione Ecclesiarum circa hunc locum deprehendi, nec Zuinglium nullam, nec Lutherum crassiorem illam, sed planè indefinitam præsentiam Christi in sacramento statuere.

Sicut itaque illi inter se non pugnant, quorum alter affirmat de animali aliquo, esse animal: alter, non esse asinum, sed hominem. Ita nec reipsa pugnarunt Lutherus, qui in genere, & indefinitè adesse corpus Domini contendit: & Zuinglius, qui negavit adesse modo physico: affirmans autem adesse modo spirituali, vel ut ipse loquebatur, contemplatione fidei. At dum hic fugeret, videri crassiorem illam præsentiam statuere, sæpe ita dilutè de præsentia Domini locutus est, & magis quid panis esset, quàm quomodo Christus adesset, disseruit: vt visus multis sit tantùm absentis in Cœna Christi symbolum agnoscere. Sic Lutherus contrà cùm sibi non satisfaceret exprimendo realem Domini in Cœna exhibitionem, ad eum quoque modum locutus est, vt non paucis indignum quiddam Christo in Cœlis regnanti, affirmare videretur.

Nunc autem: gratia Domino, vbique prædicatur, paucis exceptis, hoc sacramento, dum administratur ex instituto Domini, nobis pane & vino, signis exhibitivis, corpus & sanguinem Domini verè exhiberi: & in hoc, vt nos in illo vivamus, & ille in nobis. Adeoque duas hic res affirmamus: terrenam, panem & vinum: Cœlestem, Christum ipsum, qui cùm nec sensu, nec ratione nostra hic percipiatur, verè extra mundum, & in Cœlo est: attamen nobiscum, fide in cœlestia eodem subleuatis, verè adest, & verum corporis, & sanguinis eius

eius communionem hic in dies magis ac magis : percipimus, qui dum hic viuimus nunquam toti in eo viuimus, nec ille solus in nobis. Itaque omnes, etiam Lutherus disertè affirmat, panis nullam transmutationem realem fieri: agnoscit panem, panem manere; idque vnum contendit, hoc pane exhiberi corpus Domini, Illum tamen scrupulum, qui & apud nos multos offendit, non satis ab omnibus remouisse fatemur, de manducatione indignorum. De qua re nos sic.

Idem Sacramentum omnibus, etiam malis offertur, adeóque vera communio corporis & sanguinis Christi, quam animo cernunt, & amplectuntur, quicunque verbis Domini, quibus suum corpus & sanguinem offert, fidem habent: hanc verò habere contigit etiam tepidos, ingratos, forsan, & impios, quod equidem tamen affirmare non ausim. Sunt qui potent fieri posse, vt quis aliquibus verbis Domini verè credat, & non omnibus verbis Domini verè credat; ego in nullius talis animum introspexi, & Scripturæ hæc tam clarè non definiunt: quare ea inter probabilia relinquo. Utrosque, qui fidem sacramenti rectam habent, non tamen satis ad hæc mysteria ardent, eosque se, indigna sua accessione, sicut Corinthij reos facere corporis & sanguinis Domini. Proinde, quia Christus hic non sensu, non ratione, sed fide tantùm cernitur, percipitur, sentitur, præsens habetur: nos præsentiæ huius Domini tantum cuique addicimus, quantum quisque credit. Si adesse tantùm quis credit Christum, non etiam adesse sibi in salutem, dignè reputat, is percipit Christum sed in iudicium. Qui sacramentum in totum contemnit, & nihil credit, is nihil quoque percipit. In cibum salutis Dominum ij percipiunt, qui eum, & talem, vera viuaque fide expetunt, & amplectuntur. &c.

Simultates inter Lutherum & Philippum exortæ, sed mox extinctæ.

Non solùm autem Lutherus à Bucero nonnihil abalienatus fuit, vt dictum est, sed parùm quoque abfuit, quin amoris & amicitiæ vinculum inter ipsum & Philippum Melanchthonem etiam prorsus disrumperetur, cùm propter moderationem, qua post factam Concordiam Witembergensem vtebatur in negotio Sacramentario, tum etiam quòd editionem Paruæ Confessionis Lutheri ægerrimè ferret Melanchthon. Cùm enim Lutherus ex aliorum relatu cognouisset, Philippum ad Bullingerum & Academiæ Witembergensis Professores ea de re grauiter conquestum esse, admodum excanduit, & ex animi commotione voces aliquas duriores in eum emisit, imò pro concione quoque interdum occultè ipsum notauit. Id quum animaduerterent nonnulli iracundi, feruidi, præcipites & calidorum consiliorum amantes, qui iam antea Philippum propter moderationem oderant, id vnum summè studebant, vt concitato in Melanchthonem Luthero, bellum inter eas accenderent. Hoc enim diabolus moliebatur per tales, vt duobus his quasi capitibus repurgatæ religionis bello inter se commissis, dissiderentur Ecclesiæ inter se coniunctæ, & sequerentur distractiones ac confusiones infinita. Effeceruntque machinationibus, vt fama dissidij inter Lutherum & Philippum percrebuerit quoque in Saxoniæ Electoris Aula, in qua etiam odio Melanchthonis aliquos inflammârunt. Hac de re sic Camerarius in Philippi vita scribit:

Inter Luther.

1544. rum & Philippum nonnulli bellum accendere moliuntur.

Camerarius de dissidio inter Lutherum & Philippum.

Philippus Melanchthon alijs quasi in portu, id est apud suos, procellis iactatus ita fuit, vt penè euerteretur, vel oppressus vel pulsus iniquitate & odio nonnullorum, qui contra ipsum Lutheri animum incitauerant atrocitate accusationum, quarum caput erat moderatio & lenitas, quibus ab illo aduersarios subleuari dicebatur. Atque alijs temporibus concedendo & mollendo quædam, causæ eum nocuisse prædicabatur. Tunc autem renouabantur, cum quadam non modò vehementia, sed planè sæuitia, disputationes de sacratissima in Ecclesia Christi actione Cœnæ mysticæ, quæ est communicatio corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi. De ea quorundam qui Luthero ita se dabant, vt doctrinam illius vniuersam non modò cupidè amplecterentur, sed eam etiam exaggerare non necessaria interdum amplificatione studerent, horum igitur nonnulla insulsa & propemodum profana tam dicta quàm scripta, illi nonnullisque alijs pijs & attentè rem considerantibus non probabantur. *Hac Camerarius.*

Philippus ob sycophantas Witembergam relinquere cogitat.

Lutherus quoque nonnullorum instinctu Formulam conscripsisse dicebatur, cui velit omnes subscribere, ex eaque auditum esse, se, si quis aliter quàm ipse sentiat, Witebergæ non duraturum. Accedebant his varij & quidem minaces & acerbi rumores ex Aula, quasi in Philippum inquirendum sit seueriùs. Quæ omnia fecerunt, vt Philippus aliique nonnulli pij & boni viri de discessu & exilio deliberare cogerentur: nolebant enim assentiri omnibus quæ præscriberentur, nolebant apertè pugnare cum Luthero, nolebant notari subinde pro concionibus & metuebant, ne Aula (vt sunt etiam apud bonos Principes, incitatos ab alijs, præcipites sæpe iniuriæ) violentiùs aliquid in se statueret.

Casparis Crucigeri literæ de periculis Philippi.

De his turbis & periculis scripsit literas lugubres admodum Caspar Cruciger ad Vitum Theodorum, in quibus significat, sibi & Philippo displicere condemnationes Lutheri: Eas in-

1544. immimentibus ob veritatis professionem

in Lectoris gratiam, eum D. Ioannis Sturmij Scholijs adijciam, vt Lector inde rem totam meliùs ac pleniùs intelligat. Sic igitur inquit: Nihil habebam hoc tempore, quod aut te delectare posset, aut te magnopere iuuaret scribere. Sed Tabellarium postulantem literas, non volui prorsus dimittere à me vacuum, & simul abs te elicere literas, ne meam pigritiem secutus fias & ipse ad scribendum negligentior. In hac Schola Dei beneficio status nunc est tranquillus, & frequentia crescit in dies scholasticorum. Vnus noster Philippus præter labores & alias curas quibus conficitur, nunc etiam exilia meditatur, in quo tamen spero Deum gubernaturum exitus, vt nihil fiat atrocius: Sed certè non prorsus nullum periculum est subitæ alicuius dissipationis, quæ secum tractura est magnas ruinas in Ecclesijs. Existimo te aliquid ex Doctore Milichio intellexisse, de his principijs, quæ tamen nihil, vt dixi, secutum est grauius. Sed noster tamen erat incitatus, vt audio, literis Suencfeldij, quibus tunc homo impurissimus traduxit quosdam superiorum Ecclesiarum Concionatores, quorum aliquot existimo viros bonos & synceros.

Quis erat ille Noster? *Lutherus erat, vt ex alijs literis Crucigeri apparet. A quo erat Lutherus excitatus? Suencfeldium nominat. Sed fuerunt illo tempore etiam alij homines malè feriati, qui Lutherum incitabant calumniando & criminando, idque contra Concionatores Ecclesiarum superioris Germaniæ, quos Cruciger bonos viros esse iudicabat: Hi crabrones & vespæ mellificium Christi perturbabant, quibus pacificatio Witebergensis non placebat, qui illam infringere conabantur, inimici illius Concordiæ.*

Suspicio etiam iniecta est Philippo ex ordinatione Coloniensi, in qua ipse tamen nihil composuit περὶ ἰυχαριστίας: Nec Buceri sententia visa est illi improbanda esse, quod ad doctrinam attinet.

Ait suspicionem iniectam esse Philippo: id est, contra Philippum. Quæ erat illa suspicio? sententia illa de Cœna Domini, quod aliter explicata esset, quàm Lutherus volebat: cùm tamen Philippus in ista Ordinatione de Cœna Domini nihil composuisset: Bucerus enim scripserat, neque Philippo videbatur improbanda esse, quod ad doctrinam pertinebat. Quis verò præter Suenkfeldium exacerbauit?

Sed noster Citiensis, vt est rigidus, etiam ὑμέτερον διδάσκαλον inflammauit, ac vt audio pugnat ne quidem Synecdochen admittendam in verbis Cœnæ.

Quis verò est ille præceptor? Lutherus: Quis Cytiensis est? Citiensis Episcopus est: Amsdorfius: Hic Lutherum inflammauit: Quamobrem? ob Bonnensem sententiam de Cœna Domini: quam Bucerus scripsit: Melanchthon approbauit: qui etiam Italis, antequàm Bonnam descendisset, suam exposuerat sententiam, non clàm, non vt Lutherum falleret, sed quia sciret quid in concordia constituenda vtrinque probatum & concessum esset, istud non ignorabat Philippus: Italici verò adulatores aliquot, quorum pars Vitenberga erat, hanc rem ad Lutherum deferebant: Amsdorfius exaggerabat: virum exacerbabat: Lutherum excitabat, vt rursus ad suam Vbiquitatem decurreret: τὸ ῥητὸν in arenam reduceret. Synecdochen rejiceret: cultum nouum Patribus incognitum attingeret: pacem cum Heluetijs factam infringeret. Hinc illud est, quod in Epistola sequitur.

Ac noster cùm apud illum nuper fuit, dicitur Libellum conscripsisse, qui nemini adhuc visus est, & nunc, vt audio, parat formulam, cui vult nos omnes subscribere: fortasse postea quæ scripsit editurus: certè hoc ex eo auditum est, dicente, se si quis nostrûm aliter quàm ipse sentiat, non hic duraturum. Itaque vides quid possit accidere, si ille aliquam formam rigidiorem proferat: præsertim cum anathematisationibus, quibus damnandi sint, qui infirmitate aliquâ, aut simplici errore in alijs Ecclesijs secus sentiunt, aut qui nolint etiam hoc probare, quod vester ille (*Philippus*) aliquando ἀποτόμως asseruit: Panem esse Deû. Itaque constituit alter (*Philippus*) se potiùs rectà pedibus egressurum esse ex vrbe, quàm vt sic assentiatur, aut pugnet cum διδασκάλῳ. Quod si fieret, mihi etiam cogitandum esset, quod illi, nisi mallem hic ἀναθεματίζεσθαι: & Deus bone, quantùm dispersionum & malorum vtrinque secuturum esset?

Videmus hîc siccitates illius æstatis. Quales illi erant dies caniculares? quàm ardens Syrius? quantæ curæ? quanti metus? quales angores bonorum virorum ab illa formula? Melanchthon potiùs in voluntarium ire constituit exilium, quàm cum Luthero prælium inire, aut quàm assentiri illius formulæ. Idem Cruciger facere & pati cogitauit, qui vt socius sententiæ erat, sic periculorum & exilij esse cupiebat. An aliud alij cœpissent consilij? An-non videmus hîc nouum gliscentem Papatum? nouum Antichristum?

Sed Deus increpet te Sathan, & conculcet sub pedibus suæ Ecclesiæ. Et certò spero Deum prohibiturum hos illius conatus. Hæc tamen scripsi, vt & tu communibus precibus nos adiuues. Witebergæ 7. Septemb. *Anno* 1544.

Simulatores

Videmus hîc rursus quàm longè diuersum,

&

inter Lutherum & Philippum Electori Saxoniæ innotescunt, & intellere studia.

1544.

& Melancthon & Cruciger, & omnes qui Philippum sectabantur ab illis duabus ad Principem Landgrauium Epistolis senserint, quas quidam ex pulueribus Bebenhusiani Cœnobij eruerunt.

Hæc omnia cùm etiam ad ipsum Electorem Saxoniæ perlata essent, pro singulari suo & prorsus paterna erga Academiam Vitenberg. affectu & solicitudine facilè animaduertit, quantum inde exoriturum esset incommodi & damni, si Lutherus Philippo indignatus publicè in eum inuehi, eumque inter Sacramentarios numerare inciperet. Cancellarium igitur suum D. Pontanum seniorem plenis mandatis & literis fidem ipsius contestantibus instructum, eò misit. In ijs literis hæc verba inter alia leguntur: Ad Philippum verò quod attinet, quem (*in libellis & concionibus*) taxari & notari audimus, clementer cupimus, vt Dominus Doctor consilium nostrùm optimo certè animo profectum, secutus, priuatim ipsum ad sese accersitum paternè admoneat: Id si fiat, locum ipsum admonitioni atque institutioni omnino daturum esse persuasum habemus, &c. Si verò præter omnem nostram spem & expectationem is nullum admonitioni relinquat locum, tum Dominus Doctor: & eas quas iam instituit, & alias etiam, quas commodas atque vtiles iudicârit rationes inire poterit.

Hassiæ quoque Landgrauius huius rei gratia ad ipsummet Philippum scripsit, & à Pontano etiam, quomodo ea res habeat, per literas sibi exponi petiuit.

Lutherus admittit consilium Electoris.

De hac Electoris & Principis optimi voluntate & consilio certior factus Lutherus, non solùm magnopere illud approbauit: sed summa etiam voluntate sese ad illud accommodauit. Cùmque iam tum inclyto Electori de quorundam dimissione constitutum esset, ipse tamen & moram & moderationem suasit atque vrsit: se etiam ipsummet cum Philippo, qui multos in Academia labores cum maximo multorum fructu sustineret, collocuturum esse, & si quid apud ipsum proficeretur, id quod omnino persuasum haberet, aliter ac meliùs rebus consultum iri.

Lutherus Philippum, licèt à se dissentientem in Cœnæ negotio, à se & schola dimittere non vult.

Respondit etiam Cancellario Pontano mandata Electoris explicanti: Se quidem non prorsus absq; metu esse, neq; scire sat posse, quænam Philippi sit de Sacramento mens atq; sententia. Non enim aliter quàm simplicem ceremoniam illud ab ipso nominari atque haberi: & diu iam esse, ex quo ipsum sacram Domini Cœnam vsurpantem conspexerit. Postea etiam cùm Cassellis fuisset, pleraque in medium ab ipso allata esse argumenta, ex quibus ipsum in sententia Zuinglianorum propendere non obscurè collegerit. Quæ verò ipsius mens sit adhuc quidem per omnia sibi non constare. Clandestinis verò literis ac vocibus sese permotum, varia cogitare ac suspicari: Nihilominus tamen se eum, tanquam summi nominis virum, maximosq; labores sustinentem, intimo amoris affectu, non secus atq; suam ipsius animam complecti, neq; eum à sese, vel ab Academia disiungi velle: vt testantur Pontani literæ ad Saxoniæ Electorem: Et initium epistolæ Crucigeri mense Septemb. ad Vitum Theodorum scriptæ hoc anno, quam tamen totam adjiciam. Adhuc quidem, *ait* Dei beneficio, nihil φορμσόμενον incidit in eo, quod metuebamus. Noster enim (*Lutherus*) interea nullam significationem edidit alicuius offensionis erga nos. Etsi antè ex ipsius sermonibus intellectum est, eum, nescio quibus in suspicionibus fuisse: & libellus editus, multò adhuc moderatiùs scriptus est, quàm sperabatur. Etsi non dubium est; eo quoque quosdam offensos esse, propter quædam asperiora verba, vt illud est, quod propemodum sine discrimine Sathanæ plenos, καὶ ἐνδιαβολωθέντας suo verbo vocat, qui contrarium sentiunt, & sanè metuendum est ne ex his initijs recrudescant certamina, multò crudeliora præteritis, & exitialia Ecclesiæ, vt sæpe amicus noster Philippus lacbrymans ingeminat illud ἀπολωλὸς τὸ δὲ τὸ χαλόν? Quàm multi his temporibus rapti ad necem & acerbissimè excruciati sunt, quibus nulla alia causa hanc necessitatem profundendi sanguinis imposuit, nisi quòd illa Papistica περὶ εὐχαριστίας approbare noluerũt, tantùm oppressi authoritate nominis & sententiæ τοῦ ἡμετέρου, & quàm multorum in animis hærent vulnera, quæ; nisi res verè explicetur, non sanantur. Nostrum quidem prorsus existimo commodiùs sentire, quàm interdum loquitur, cùm efferuescit. Sed hoc ipsum quantum incõmodi est? Quare Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi oremus, vt ipse misertus suę Ecclesię sanet has offensiones, & tollat scandala, ac coniungat animos in Confessione puræ & sinceræ doctrinę, sicut precatus est Pontifex noster Filius Dei: Sanctifica eos in veritate tua. Item: vt sint sanctificati in vnum, &c. B.V. 7. *Septemb.* 1544.

CASPAR CRVCIGER.

Philippus non vult diuelli à Luthero.

Respondit etiam Philippus Landgrauio & Pontano; Non esse rem hanc magni momẽti, & Luthero ac sibi nihil quicquam de mutuo odio constare. *Vnde etiam Pontanus in suis ad Electorem literis, inter cætera his verbis vtitur:* Diabolus suum aduersùs Academiam odium, duorum illorum virorum dissidio tegere & ornare conatur, si fortè cum pernicie Scholæ diuellere ipsos possit. Ego verò ex Philippo aliter intelligere non potui, quàm inter ipsum & D. Martinum opti-

1544. mè conuenire. *Atque ita nec Lutherus Philippum à se diuelli, nec Philippus Lutherum offendere, & ex amicissimo hostem facere valuit.*

Inter Lutherum & Philippum coniunctio & amor summus.

Tanta enim fuit iam inde ab initio repurgata doctrina Euangelij, inter hos summos viros coniunctio, vt Lutherus Melancthonem non secus ac filium diligeret: Melancthon verò Lutherum non secus quàm patrem coleret. Agnoscebat enim Lutherus adiunctum sibi diuinitus esse Philippum, tanquam ὑπασπιστὴν fidelissimũ. Contrà Philippus in Luthero vocationem diuinam ad regnum Antichristi Romani oppugnandum, & eximia Spiritus sancti dona, quibus ad rem tantam aggrediendam diuinitus instructus erat, exosculabatur & suspiciebat toto pectore. Lutherus vehementi & acri ingenio, Philippus verò moderato, leni & placida praditus, ceu συνεργαστὴς Lutheri fuit: non vt vehementiâ certaret, sed vt moderatione leniret concitatos Principum animos: & disputationes conflictu certaminum, vt fit, ab vtraq; parte pugnantium horridiùs exasperatas, & extra metas abductas, quasi intra septa & in viam reuocaret. Nullum etiam sententiarum suarum moderatorem faciliùs & patientiùs ferre potuit Lutherus, quàm Philippum. Erat enim in Luthero is animus, vt præfractum, pertinacem & fastu tumentem aduersarium oppugnare aut persequi non desineret: Leniter verò aduersantem, & duriora quadam ipsius absq; acerbitate & odio mollientem, asperiora lenientem & obscuriora declarantem, diffusa & vaga contrahentem amicissimè complecteretur, & libenter sequeretur. Hoc animo Philippica pleraq; eum accepisse, norunt omnes qui Lutheri consuetudine & familiaritate vsi sunt.

Philippus sententiarum Lutheri moderator.

Philippus horridiora Lutheri mitigauit.

Habemus huius rei euidentissimum exemplum ac testimonium Disputationem horridiorem Lutheri contra Erasmum de Seruo arbitrio. Cùm enim Erasmus ad alterum extremum prorsus extra metas vectus, & Philosophorum sententias ac rationes potiùs, quàm veritatis Euangelicæ vestigia secutus ad Pelagiana declinasset, & plus nimio viribus humanis tribuisset: Lutherus autem profanitate disputationis irritatus, se vehementer opposuisset, & vt fit in certaminum feruore, horridiùs quadam in sententiam statuisset contrariam: Melancthonem horridiuscula illa moderantem tam placidè & comiter tulit, vt spontè deinceps depositis suis, in Melancthonis sententiam concesserit, & de Libero Arbitrio nõ aliter disseruerit, docuerit, dixerit & scripserit, quàm quæ ex præscripto Melãcthonis haberet, secundùm eam doctrinæ formam quæ in Locis Theologicis extat. Nec dubitandum in hac controuersia de Cœna Domini ex subiectionibus & commonefactionibus Philippi, aliqua correcturum fuisse Lutherum, & de vehementia, ac feruore in hoc conflictu suo remissurum plurimùm, nec Pontificijs ad sui idoli defensionem tantum concessurum, nisi extitissent, qui inflammatum antea & sponte currentem, velut calcaribus subditis, vehementiùs incitarent, & sæpe mitescentem moderatasque Concordiæ vias ac rationes, quæ proponebantur, amplectentem, irritarent stimulis acerbis, ac velut noua flamma fomite ac pabulo de nouo rursus incenderent.

Philippus Concordiam Witebergensem apud Lutherum promouet & conseruat suis dictis.

Philippus in colloquiis cum Luthero de Cœna vtitur testimoniis priscis.

Quanquam verò in hac causa Sacramentaria eiusdem cum Luthero sententiæ fuit multis annis, & vnà cum eo antagonistas acriter insectatus est, quandiu eos hunc errorem defendere existimaret quod nihil differret Cœna sacra à communi & prophana, & quòd nuda tantùm signa exhiberentur in vsu Cœnæ: tamen cùm postea ex colloquijs & scriptis eorum mentem planiùs, & ipsos quoque de legitimo vsu Cœnæ, & de vera carnis Christi communione rectè sentire ac docere animaduerteret & ipse quoq; ex assidua meditatione fundamentorum controuersiæ huius, & ex lectione diligentiori testimoniorum syncera Antiquitatis eruditior factus, non solum reconciliatus est ijs, quos vna cum Luthero pro aduersarijs antea habuerat, sed etiã apud Lutherum Concordiam studiosè adiuuit & promouit. Cumq; post hanc constitutam Concordiã animaduerteret, Lutherum duriores nõnnunquã phrases suas, quibus vti consueuerat, vrgere ac retinere: sæpe cùm tranquilliore animo Lutherus fuit, occasiones captauit, quas potuit, conferendi cũ eo de Antiquitatis testimonijs, quæ magno studio de hac controuersia conquisiuerat. Nôrat enim viri ingenium, & quâ arte tractandus esset multo vsu didicerat. Itaq; non nisi occasionib. commodis captatis, in colloquium de hoc articulo eum inducebat. Et tulit quidem in colloquijs eiusmodi aliàs responsa alia. Sed cùm attulisset aliquando ad eum consignatas in pagella plurimas sententias Patrum tam Græcas quàm Latinas, præsertim Tertulliani & Augustini: adscripsit Lutherus glossemata ad alias alia. De quibus cùm respondisset Philippus, talia & se posse comminisci glossemata : sed cogitandum esse, quantum hæc valitura aut obtentura sint, si agendum sit cum aduersarijs, præsertim Pontificijs. Tum enim non sine rubore vsurpare sibi talia licere : Et alijs opus esse fundamentis, si aduersæ partis sententia sit infringenda, & Pontificijs, si idolum Missæ adimendum sit. *Cumq; perrexisset instare & vrgere* : Quid quæso illustribus testimonijs Græcorum opponam, qui panem & vinum expresse nominant σύμβολα καὶ ἀντίτυπα τοῦ ὄντος σώματος, *respondit Lutherus paulùm commotiori animo* : Malim Græcos rejicere vniuersos, quotquot mihi aduersantur, quàm sententiam deponere, quam Latina Ecclesia tot seculis professa

&

& tutata est. At nunquam, *inquit Philippus*, obtinebimus, vt repudietur authoritas Græcorum, cum quibus ipse quoque Augustinus consentit. Nec veritati hoc modo consuletur. *Tacuit ad hæc Lutherus, eoq; silentio tum diremptum colloquium cessauit.*

Alio rursus tempore, cùm iterum in colloquio priuato, mentio hujus controversiæ incidisset, non dubitauit eadem Vetustatis testimonia D. Philippus repetere, quibus panis Eucharisticus, signum corporis Christi à scriptoribus antiquis, non solùm Græcis, sed etiam Latinis nominatur. Hic cùm nihil haberet Lutherus quod opponeret: Mirari se dixit sententiam tot seculi vsitatam, in Ecclesia hærere potuisse, si falsa habenda sit. *Atqui error de invocatione mortuorum multò vetustior in Ecclesia est. De quo operæ pretium est, ipsam Philippi narrationem repetere, ex Epistola eius ad D. Cratonem scripta circa Annum* 1540 *edita autem demum Anno* 1560. 21. *Martij, vno scilicet ante ipsius obitum Mense.*

Philippi de Antiquitatis testimonijs pro Zuinglianis in negotio Cœnæ Luthero obiectis in priuato colloquio & Lutheri responsione.

Sic igitur post pauca quæ ab initio de Sycomores & Sycomino scribit: De tua, *inquit*, quæstione disseramus: de qua primùm omnium oro, vt eruditam Antiquitatem consideres, & ex dubitatione mentem euoluas. Scio carnificinam non solùm sæuam, sed etiam periculosam esse dubitationem. Ideo Paulus iubet caueri, ne abducantur animi in docendo εἰς διακρίσεις διαλογισμῶν. Existimo autem ad confirmandas mentes, consensum Vetustatis plurimum cõducere. Memini me Luthero ante annos 20. in itinere, cùm & placidior & hilarior esset, recitare Veterum Græcorum & Latinorum dicta, quæ expressè dicunt panem & vinum σύμβολα: Item ἀντίτυπα esse: Item *signum*: Item *figuram*. Cumque adderem, recentem errorem esse, ponere τὴν ἄρτου μεταβολὴν ἢ μεταστοιχείωσιν, (sic enim recentiores loquuntur) ibi ille hæc verba subiecit: *Mirum esset in Ecclesia recenti potuisse tantum errorem tamdiu hærere, & tam latè recipi*, Repressi me ac mirabar eum tempore in hac re moueri, cùm in alijs non moueretur. Augustinus contra Adimantum expressè scribit: *Non dubitauit Dominus dicere, Hoc est corpus meum: cùm daret signum corporis.* Tertullianus expressè inquit: *Hoc est corpus meum, id est, figura corporis.* Id Lutherus interpretatur figuram Geometricam: Vidi legentes cum gemitu, viros eruditos, & verè inuocantes Deum. Origenes expressè inquit: θεωρεῖται δὲ ἡ ἐκκλησία τὰ τοῦ σώματος, καὶ τοῦ αἵματος σύμβολα. Canon vetus apud Græcos nominat ἀντίτυπα σώματος. Nazianzen. etiam hac voce vtitur: Nominat panem ἀντίτυπον σώματος. In recenti

Antiquitatis doctrina de Cœna.

Canone post ea verba, plura addita sunt, περὶ μεταβολῆς. In Theophilacto Oecolamp. bona fide reddidit verba περὶ μεταστοιχειώσεως; quæ invenit in suo codice. Tota illa sententia deest in nostro Codice. Ita veteribus libris insertæ sunt corruptelæ. Narrauit mihi Auentinus, se in Codice Bedæ, qui est in Bibliotheca Passauiensi, legisse enarrationem verborum perspicuam, quæ tota desit in libris editis. Reperi & ego manuscriptum Bedam in Matt. in Monasterio Waltsassensi, non dissentientem ab Augustino. Mittam cùm primùm potero, multorum Veterum dicta. Fuit enim mihi curæ, vt quantùm possem, Antiquitatem & inquirerem & considerarem, cuius enarratio non est aspernanda, cùm disseritur περὶ ῥητοῦ καὶ διανοίας. Nec iam instituo disputationem. Tantùm velim te Antiquitatem considerare. Quòd noster amicus de communicatione idiomatum disputat, miror eum intelligere communicationem Idiomatum, confusionem physicam naturarum. Interea tamen verum est, Filium Dei adesse ministerio, & in eo efficacẽ esse ἐν τῷ ἄρτῳ κοινωνίαν εἶναι τοῦ σώματος: vt Paulus disertè loquutus est. Scio enim te virum doctum rectè cogitare quid κοινωνία significet. Hæc nunc breuiter scripsi, nec volo spargi in populum: etsi tantùm dicta Veterum recito, non pugno. Oro autem Filium Dei, vt ipse opem ferat veritati suæ & Ecclesiæ, & nos gubernet. Bene & feliciter vale. *Die 21. Martij, Anno* 1559.

Philippus.

1544.

Theophilacti & Bedæ Codices corrupti.

Recitaui hanc Epistolam, præcipuè quidem propter historiam Colloquij Philippi cum Luthero. Sed tamen cætera quoq; lectione digna sunt propter congeriem testimoniorum Antiquitatis, ad quorum consensum hic quoque ut aliàs passim, Philippus provocat. Nec verò dubium est sæpe aliàs cum Luthero Melancthonem de hac controversia locutum esse, antequam ille de nouo bellum instauraret.

Vbiquisto quum hæc apertè negare non ausint, hoc effugio utuntur. Philippum in hoc colloquio transsubstantiationem tantùm intellexisse. Rectè. Ergo ex Lutheri responsione apparet, Transubstantiationem Pontificiam, pro errore non habuisse, sed eam vetustate confirmatam, & longè latèque propagatam pro fundamento suæ consubstantiationis habuisse. Deinde dicunt, literas has ad Cratonem post obitum demum Philippi à Calvinistis editas fuisse. Sed quid tum? Autographum enim literarum Philippi non cum Philippo obierat ac proinde non minus fide dignum est, quàm si ante obitum ejus in lucem editum esset.

Quemadmodũ igitur Lutherus & Philippus

1544.

Lutherus non odit Philippum Concordiam Witebergensem formantem: & Philippus omnia Lutheri in meliorem partem interpretatus est

antequam recrudesceret bellum Eucharisticum, sese mutuò amarunt syncerissimè & unà vixerunt conjunctissimè: Sic etiam postea disjungi & à se invicem auelli minimè debuerunt. Vt igitur, cùm inter partes dissidentes concordia facta esset, Philippus non temerè à Concordia illa, cum tot Ecclesijs inita discessit, nec se avulsit à Luthero propter duriores phrases, sed commodiùs ipsum sentire, quàm loqui iudicauit, ideoque phrases illas correxit, & quæ in actionibus Lutheri corrigere non potuit, tolerauit: Ita Lutherus, etiamsi videbat atque intelligebat, Philippum nequaquam nouis certaminibus in hac causa implicari velle, amicitiam ei renunciare non debuit, neque eum impedire, quò minùs suam in explicanda hac controuersia docendi rationem consentaneam formula Concordiæ, retineret, neque ad phrases, & formas loquendi sibi usitatas eum adigere.

Lutherus non vult Philippum calumnijs opprimi, nec à se auelli

His à Luthero diligenter perpensis, etsi essent qui odio Melancthonis Lutherum nonnihil inflammassent, tamen cùm atrocissimum incendium inde exorturum prospiceret, & veteris amicitiæ memor esset, non passus est Lutherus se permoueri aut impelli, ut hostilem prorsus animum adversus eum indueret, vel ut eum opprimi apud alios calumnijs pateretur. Sed restitit Lutherus, & nihil durius contra eum tentari aut suscipi voluit. Amsdorfio, turbulento homini in hac causa, denegauit conscribere formulam pro Consubstantiatione, addens hanc rationem: quòd cùm hanc pugnam priuato arbitrio, non autem communi consensu renouauerit, se neminem ad subscriptionem cogere posse. Imò texit eum authoritate & patrocinio suo, quia nec auelli à se hunc fidum παραστάτην, neque authoritatem eius conuelli volebat, quòd quantas Spiritus sanctus in eum dotes contulisset, quantum nauaret ille opera in Schola, cognitum perspectumque haberet. Allatæ fuerunt aliquando pagellæ ex Pannonia quibus Melancthon, nonnullis quærentibus, sententiam suam aperuerat. Eas cùm à Luthero interrogatus, agnoscere se respondisset, incanduit quidem Lutherus, qui non diu antè, ultimam illam, seu Paruam suam Confessionem ediderat, sed mox se reprimens tacuit.

Pactum inter Lutherum & Philippum in negotio Cœnæ.

Cùm etiam intellexisset, Philippum de discessu cogitare, cum eo accersito ad sese, & apertè se declarante, in eas transegit leges, atque his eum verbis à se dimisit: CAVSA HAEC MEA EST, *inquiens,* QVAM TVEBOR SINE TE. Tu maneas in sententia, & vsitata tibi docendi formâ & ratione. Neque ego te cogam, vt vel auxilio vel patrocinio tuo mihi adsis in hac causa. *Propter hoc quasi fœdus, nec Lutherus ad extremum vitæ halitum usque hostile quicquam in Melancthonem præ se tulit, nec Melancthon dixit aut scripsit quicquam, quod derogare nomini & detrahere authoritati Lutheri videretur in hac controuersia, etsi idola Pontificia oppugnare ex veris fundamentis doctrinæ de legitimo usu Sacramentorum nunquam destitit. Sed & mortuo Luthero, cùm liberiùs veritatem profiteretur Philippus, ita tamen stylum moderatus est Philippus, ut appareat manifestè, non voluisse eum videri, notare aut petere Lutherum: quia eius sententiam nec propugnat, nec oppugnat usquam: Sed Pontificiam tamen, quæ cum ea Lutheri proximè consentit, ita conuellit & euertit ut fundamenta constituat, quæ & Lutherus cum summa gratulatione amplexus est, & irrefutabilia confessus est. Et talia sunt, ut ijs positis atque concessis Lutheri sententiā sponte sua concidere necesse sit, destitutā fulcris, quibus nititur. Amsdorfio etiam quem incitatorem habuit præcipuum Lutherus, biennio ante mortem proximo hortanti, ut ad certam & præscriptam formā adigeret collegas omnes, respondit:* Litem hanc suam esse, cui invitū neminē velit implicare. *Addidit etiam tum:* Si quid tale tentaret, plures fortasse aduersaturos, quàm suffragaturos, & posteriora prioribus futura deteriora.

Hæc ita gesta esse norunt, qui vel Witebergæ eo tempore familiares fuerunt Professoribus Theologiæ primarijs, vel qui ex ore fide dignissimorum hominum commemorari ista audiverūt.

Lutherus cur Philippum in negotio Cœnæ à se dissentientem tulerit, Helvetios non item.

Cùm autem Lutherus Philippum à se in controuersia Cœnæ Dominicæ dissentientem non modò tulerit, sed etiam coluerit, non iniuriā quæritur, cur Philippum sibi repugnantem domi, inq; in eadem cathedra amicè complexus sit, Helvetios autem longè remotos tantā vehementiā impugnârit? Cur Philippum cum Helvetijs facientem in Collegij & fraternitatis communione perpetuò retinuerit ac tutatus sit; Helvetios autem in fraternitatis coniunctionē recipere noluerit? Quod hic aliud causæ subesse quis diceret, quàm priuatum aduersus Helvetios odium? quid? quàm immane contentionis studium, & propriæ gloriæ immoderatum amorem.

Philippus non vult frigidam suffundi in causa Eucharistica.

Scripsit ante hoc tempus Bullingerus, de Bucero diximus, ad fratres Italos de causa & controuersia Eucharistica, & grauem querelam instituit: Has Bullingeri & Buceri literas cùm quidam Pannonius Witebergam secum asportâsset, quidam incitatores eas Luthero exhibendas esse indicârunt: Alij, inter quos Philippus præcipuus fuit, id prohibuerunt, & quamdiu licuit eas suppresserunt & occultârunt. Qua de re Philippus ad Vitum Theodorum sic scribit: Miratus sum, te velle ostendi Luthero scripta Bullingeri & Buceri, quæ sunt apud Iosephum Hungarum. Satis multos incitatores habet alios. Te magis velim λίτην esse. Magis publicâ causâ, quam meâ doleo, rursus hanc Tragœdiam moueri. Nunc iussi

sumus

sumus componere παρασκευὴν futuri conuentus. Quid dicam consilij esse nostris? Instituete volunt conciliationes cum Pontificijs, & nostrarum Ecclesiarum concordiam non sinent. *Die 11. Augusti, Anno 1544. Philippus.*

Lutheri vehemens epistola contra Zuinglianos.

Litera Bullingeri & Buceri cùm tandem ab assentatoribus Luthero tradita essent, ipse Nouemb. mense huius anni Balthasari Alterio, qui nomine aliquot Christianorum, Venetijs & Vincentia synceram Euangelij doctrinam profitentium, ei scripserat, respondit: ex qua responsione eam solummodo biliosam Peritopen, quæ de Sacramenti negotio agitur, hoc loco subijciam. Verba autem Lutheri hæc sunt: Intellexi irrepere & in Italiam pestilentiæ magistros, qui nostram Germaniam adhuc hodie apud Heluetiorum partem diuexant: Sacramentarios dico, qui nobis ex corpore & sanguine panem & vinum faciunt: Qui in principio fuêre hydra octiceps: sex capita contudimus, languent adhuc duo capita, scilicet Zuinglij, cuius furor fuit iste: *Hoc est corpus meum*, id est, *significat corpus meum. Et caro non prodest quicquam.* Quanquam hoc alterum non Zuinglij, sed Oecolamp. fuit. Insulsissima & stultissima sunt etiam argumenta, vt non errore, sed operante Satanâ, scientes veritatem oppugnare conuincantur. In lingua nostra scripsi multa contra eos: Latinè scribere mihi non opus esse duxi, cùm id mali tantùm in Germanica lingua furere cœpisset. Meditor autem postquam satis serò nunc intelligam, illos per Latinam linguam suum virus sparsisse, & spargere in Italiam & Galliam, aliquid Latinè edere. Quanquam mallem hoc tentari ab aliquo vestrûm, vel Gallico, cuius esset in Latina lingua maior vsus. Mihi vt videtis, Latinæ linguæ modicus est vsus, qui in barbarie Scholasticorum Doctorum ætatem consumpsi. Igitur vos non fallant obsecro in Domino, siue Tigurenses, Bullinger, Pellicanus, neque ipse Bucerus, qui dicitur in principio Tragœdiæ multa Latinè scripsisse (quæ non vidi) sed iamdudum resipuisse mihi persuadeo, quin si fortè audieritis Dominũ Philippum vel Lutherum consensisse illorum furori, propter Deum nolite credere. Sic enim audio illos, vel aliquos illorum sparsisse rumorem, vt erroris sui pestilentis, etiam sub nostro nomine patrocinium & authoritatem haberent: Nolite credere, Pseudoprophetæ sunt, qui Galatas subuertere volunt. Sed si Dominus me volet diutiùs viuere, plura fortassis in publicum dabo. Valetudinarius, senex, piget sum, & horam gratiæ expecto, quam & vos, oro, vt vestris orationibus mihi impetretis. Dominus noster Iesus Christus, qui nos & vos vocauit, vt in eodem Spiritu vnanimes & vniuoces fecit, conseruet, roboret, perficiat nos & vos in eandem formam & imaginem Filij sui dilecti, Amen. VVitembergæ 12. Nouemb. *Anno 1544.*

1545.

ANNVS M.D. XLV.

Caluinus hortatur Tigurinos, ne scribant contra Lutheri Paruam Confessionem.

ERant quidem multi, qui Tigurinos à Responsione ad Lutheri Paruam Confessionem propter pacem & concordiam Ecclesiarum dehortari conarentur, inter quos etiam Caluinus fuit, qui hac de causa sic ad Bullingerum scripsit 25. Nouemb. anni præcedentis: Audio Lutherum tandem cum atroci inuectiua non tam in vos, quàm in nos omnes proruppisse. Nunc vix audeo à vobis petere, vt taceatis: quia neque æquum est, sic vexari immerentes, & illis negari sui purgandi locum: & statuere difficile est, num id expediat. Sed hæc cupio vobis in mentem venire: Primùm quantus sit vir Lutherus, & quantis dotibus excellat, quantâ animi fortitudine & constantiâ, quantâ dexteritate, quantâ doctrinæ efficaciâ hactenus ad profligandum Antichristi regnum, & simul propagandam salutis doctrinam incubuerit. Sæpe dicere solitus sum: etiamsi me diabolum vocaret, me tamen hoc illi honoris habiturum, vt insignem Dei seruum agnoscam: qui tamen vt pollet eximijs virtutibus ita magnis vitijs laboret. Hanc intemperiem, quâ vbique ebullit, vtinam magis frænare studuisset. Vehementiam autem, quæ illi est ingenita, vtinam in hostes veritatis semper contulisset, non etiam vibrasset in seruos Domini. Vtinam recognoscendis suis vitijs plùs operæ dedisset. Plurimùm illi obsuerunt adulatores, cùm ipse quoque naturâ ad sibi indulgendum nimis propensus esset. Nostrum tamen est, sic reprehendere, quod in eo est malorum, vt præclaris illis donis aliquid concedamus. Hoc igitur primùm reputes, obsecro, cum tuis collegis, cum primario Christi seruo, cui multum debemus omnes, vobis esse negotium. Deinde nihil vos, confligendo profecturos, quàm vt lusum impijs præbeatis, vt non tam de nobis, quàm de Euangelio triumphent. Si mutuò nos proscindimus, plùs satis nobis habent fidei. Cùm autem vno consensu, & ore vno prædicamus Christum, eo abutuntur ad fidem nobis derogandam, in quo plùs quàm par sit, nobis credunt. Hæc potiùs intueri & cogitare te velim, quàm quid sit sua intemperie promeritus Lutherus, &c.

1545. Tigurini respondent ad Lutheri Paruam Confessionem.

Tigurini tamen omnino respondendum censebant, & Ministerij sui dignitatem asserendam tum quòd rei magnitudo id poscere videbatur, tum quòd morti vicinus esset Lutherus. Periculum enim erat, ne si rem post eius obitum distulissent, scripta eorum de hac causa, non solùm apud Lutheri discipulos, sed alios quoque parùm ponderis habitura essent.

Apologia Tigurinorum titulus.

Apologiam itaque scripserunt initio statim anni huius 1545. ad istam Lutheri Confessionem, Latinâ & Germanica lingua, cum hoc Titulo: ORTHODOXA Tigurinæ Ecclesiæ Ministrorum Confessio, illorum & fidem & doctrinam, quam cum Catholica Sanctorum Ecclesia communem habent, continens, Inprimis autem de COENA Domini nostri Iesu Christi: Unà cum æqua & modesta Responsione ad vanas & offendiculi plenas D. Martini LVTHERI calumnias, condemnationes & conuitia, quæ tum alibi, tum in nouissimo libello suo, quem Breuem de sancto Sacramento Confessionem appellauit, potissimùm edita & vulgata sunt.

Apologia Tigurinorum Præfatio, in qua causas indicant propter quas in ninis Luthero responderint.

Præfixerunt huic Apologiæ Præfationem, in qua iustas, æquas & graues causas, ob quas Luthero responderint, his verbis indicant: Non equidem dubitamus, sancti Christi fideles fratresque dilecti, plurimos inter vos esse pacis & concordiæ amantes, quorum animos acerbæ illæ eorum, qui doctrinæ titulo notari solent, contentiones & infesta eorundem scripta iam olim offenderint, & magnâ impleuerint molestiâ: quibus propterea & hoc quoque institutum nostrum minùs fortassis poterit probari. Eos verò per Dei nomen obsecramus, vt vel aliqua longanimitate nos ferre, & inevitabile illud præsentis necessitatis nostræ telum iusto animi iudicio perpendere, & vel in hac causa solùm patientes ac beneuolas aures nobis præbere dignentur. Nam & nobis certè singularem quandam animi molestiam & dolorem acerbissimum pariunt contentiones istæ, quas in Christiana Ecclesia exerceri videmus, inprimis autem infœlix illa pugna & altercatio, quæ circa Domini Cœnam exorta per multos annos hactenus agitata est: cùm videlicet Cœnam hanc ab ipso Domino, iam iam à suis discessuro discipulis, ceu insigne aliquod & longè excellentissimum mysterium, veri videlicet corporis & sanguinis sui ac redemptionis nostræ per mortem illius acquisitæ Sacramentum summè venerandum, & Christianæ charitatis atque concordiæ arctissimum vinculum, institutam esse constet. Quapropter & nos per multos annos, licèt sæpenumerò nos ad pugnam prouocari videremus, patienti silentio vsi multas & varias iniurias deuorare nequaquam dedignati sumus, hac nimirum spe commoti, quòd pugnas huiusmodi & dissidia tandem finiri, & omnes turbarum causas simultatumque semina deleri & tolli posse arbitraremur. Cæterùm cùm nos hac spe nostrâ in dies magis atque magis frustrari & patienti hoc nostro silentio non aliud impetrari posse videamus, quam quod & nos & multæ verè fidelium Ecclesiæ & nostrum quod in Ecclesia administramus officium, vnà cum multis sanctis viris partim in viuis adhuc agentibus, partim verò vitâ hac piè & fœliciter defunctis, temeraria & audaci quorundam libidine indignis modis illudamur, iniquissimè traducamur, damnemur, proscribamur, & ceu omnium qui viuunt impijssimi hæretici, Dei & Sacramentorum, sacrorumque omnium contemptores, & prophanatores omnium exponamur violentiæ, diutius silentium & iniuriarum offendiculique plenæ illorum libidinis patientiam nec famæ nostræ honos, nec officij dignitas, nec fides quâ obstricti sumus, admittere vel ferre potest: nisi nostra improbitate, ignauia & perfidia diuinam veritatem & nostro ministerio commissas Ecclesias, nostram denique functionem & fidem, & plurium (qui de Ecclesia fidelium optimè sunt meriti) tam mortuorum quàm viuentium adhuc, honorem ac famam indignè prodere velimus. Omnes ergo Christi fideles, veritatis, innocentiæ pacisque studiosos oramus & obtestamur, vt de hac nostra responsione, quod res ipsa loquitur, iudicare velint, vt quàm durum & ineuitabile necessitatis telum nobis extorserit, non arrogans animi libido neo nullis lacessita iniurijs temeritas, nec inuida & pertinax contendendi cupiditas citra omnem causam dignam iustamque pepererit. Non multis enim abhinc retrò diebus elapsis, libellus quidam à Doctore MARTINO LVTHERO in lucem editus est, quem ipse Breuem de Sacramento confessionem inscripsit, in quo nominatim, nec id sine graui contumelia taxat, & ceu obstinatos, & omnis impietatis sibi conscios hæreticos, Dei & Sacramentorum prophanatores, omnium denique qui viuunt hominum sceleratissimos, nocentissimosque proscribit & damnat, primò quidem Ecclesiarum nostrarum fidelissimos Doctores & Ecclesiastas P. M. IOANNEM OECOLAMPADIVM & M. HVLD. ZVINGLIVM, deinde verò, cum his illorum quoque, qui Tiguri sunt (sic enim ille scribit) vel vbicunque terrarum discipulos.

Libellus

Libellus hic tantâ diabolorum atque selectissimorum & à Christiana fide cumprimis abhorrentium conuitiorum copiâ scatet, tantâ verborum immodestiâ, fœditate & impuritate turget, tanto denique iracundiæ, maledicentiæ, furoris & insaniæ impetu furit, vt quotquot illum legere dignantur (modò non ipsi quoque cum illo insanire cœperint) non sine graui animorum stupore infelix hoc & inauditum hactenus exemplum admirari coguntur: quòd videlicet tantum virum, multâ iam senectute grauem, multâ rerum experientiâ & exercitatione instructum, & in precio hactenus à multis habitum, tanta animi & affectuum impotentia effrenem ruere & rapi vident, vt tam indignis modis prorumpens, apud omnes vera ratione præditos se totum vilem & contemptum reddat. Magna est ipsius apud multos nominis authoritas: hac nimirum confisus illius grauitate nos terrere, debellare, & opprimere conatur. Dum enim omnem nostram amicitiam & communionem abominatur & rejicit, dum nec literas, nec libros, nec salutationes, nec benedictiones nostras, nec aliqua nostrorum scripta intra animi sui (vt ipse inquit) penetralia admittere, nec visu vel auditu dignari vult, non obscurè equidem prodit, qualem nimirum vnusquisque mortalium sese gerere debeat, siquidem iuxta Lutheri exemplum, quod bonum & pium est facere voluerit, vt nimirum à nostro ceu perniciosissimorum hominum commercio abstineat, libros nostros & quæcunque scripta à nobis proficiscuntur, nusquam admittat, nostras responsiones ac innocentiæ nostræ testes Apologias non audiat, sed nos & proscriptos iam & iutè damnatos prorsus æstimet. Quâ verò causâ & occasione motus hoc faciat, siue contentiosorum quorundam stimulis irritetur, siue malignus ille omnis pacis & concordiæ hostis, siue propria animi libido ipsum instiget & compellat, tam ipsi quàm illi iudicandum relinquimus, qui ipsos animos & mentes hominum cognitas ac perspectas habet. Nouit is nullâ nos priuatâ in Lutherum inuidiâ rapi, nullo etiam priuato odio exacerbari. Dolet præterea nobis grauiter quòd pugnæ & contentionis huius instauratione multos verà animi pietate præditos affligi premique, & plures infirmiores adhuc & simplicioris ingenij homines offendi, & in fidei negotijs per contentiones huiusmodi & pugnas impediri videamus. Quotquot maligno sunt in veritatem & veram religionem animo, pugnis istis cumprimis delectantur & superbiunt, conuitia & calumnias huiusmodi hinc indè spargunt & dissipant, & hoc fuco tam seipsos, quàm causam suam exornari & vestiri posse arbitrantur. Speramus tamen omne, quod tam in hac quàm alijs causis oboriri solet, offendiculi periculum hac Confessione nostrâ & modestâ excusatione magna ex parte minui & molliri posse. Ea certè est hisce nouissimis temporibus Christiani orbis plùs satis afflicti calamitas, offendiculis, afflictionibus, insidijs, periculis, seditionibus & bellis ita scatent omnia, vt ad extremum interitum vergere videatur: fidei & religionis, charitatis & modestiæ in multorum animis quàm minima portio cernitur: maxima quoque hominum pars, Dei Verbum, admonitiones, doctrinam & correptionem omnem, non modò contemnere, sed & odio habere, & iniquissimè persequi solet: qua de causa graue & horrendum, quod Christiano orbi imminet, Dei iudicium cernimus: quæ omnia satis admonent, Christianos homines, eos inprimis qui Christiani Doctores quoque dici volunt, magis decere posse, vt mutuis operis & consilijs sese inuicem & consolatentur & iuuarent, quò Dei ita declinari, & communis ac publica omnium incolumitas parari & conseruari posset. Hæc, inquam, & Deo & verè Christianis hominibus magis vtique placere possent, quàm quòd immoderatâ conuiciandi libidine nos inuicem proscindere, damnare, & sathanæ tradere satagimus. Quandoquidem verò concordiæ & amicitiæ studium D. Luthero nequaquam placere potuit, sed hostiliter hîc agere potiùs maluit, quod ipsum luce clarius (proh dolor!) videre licet, nos porrò in hac Confessione & responsione nostra constanti in clementem Deum fiduciâ freti, & precibus ad Christum Iesum Dominum & Redemptorem nostrum animati, omni modestiæ diligenter studebimus: sic vt veritatem pro virili & liberè fateamur & tueamur fideliter: vt præterea & sanctæ Christi, quarum Ministri sumus, Ecclesiæ excusetur, vt functio nostra, dignitas & innocentia afferatur, vt sancti & omni laude digni viri, itê tam viui adhuc, quàm è viuis sublati, ab iniurijs defensi immanissimâ quoque conuitiorum libidine liberentur, inprimis verò vt Dei honor propagari, & Ecclesia emendari possit.

Apologiæ Tigurinorum ca- [illegible]

In ipsa verò Apologia non responderunt ad singula Lutheri verba & obiectiones; hoc enim molestiæ plurimùm, fructus autem & vtilitatis minimùm attulisset, sed potissima duntaxat Con-

1545.

Conſeſſionis capita ejus tractarunt. Et primò quidem, cùm Lutherus Marpurgenſis Colloquii ſemel atq; iterum, idq; non niſi iniquiſſimè meminerit, hoc unum videlicet quærens, ut ſub ejus prætextu Doctorum & Miniſtrorum tam vivorum, quàm mortuorum Helveticarum Eccleſiarum, Tigurinæ inprimis, honori & authoritati quàm plurimùm deroget: interim verò tanto ſtudio & diligentiâ & oret & hortetur, ne quis vel Marpurgenſis Colloquii conventionibus, vel aliorum dictis & perſuaſionibus ſeſe adduci patiatur, ut Lutherum cum Helveticis Eccleſiis convenisse, & idem cum eis ſentire credat: ideo primo loco de Marpurgenſi Colloquio agunt, & num in hoc Zuinglius & Oecolampadius in omnibus articulis ad Lutheri partes conceſſerint, docent.

...quibus ad Lutheri partes acceſſerit

Secundò, *de Zuinglii ad Regem Chriſtianum libello tractant: & quòd Marpurgenſis Colloquii pactis ſteterit Zuinglius, nec ut Sacramenti hoſtis obierit probant.*

2. De Zuinglii libro ad Regem Chriſtianum: quod Marpurgenſis Colloquii pactis ſteterit, & non ut Sacramenti hoſtis obierit.

Tertiò, *quòd Zuinglius nequaquam gentilis factus ſit indicant. Quo loco ſolidè reſpondent ad ea, quæ Lutherus in Confeſſione ſua ex dicto libello profert & multis exagitat, quæ Zuinglius ibi ſcripſit, de quibuſdam gentilibus extra Iſraëlis Rempublicam ſolvatis, licèt abſque ſacramentis è vivis exceſſerint. Et primò docent, Zuinglium ſemper credidiſſe & docuiſſe conſtanter, quòd homo in ſolo Chriſto & per Chriſtum ſalvus fiat. Deinde, quòd non ſimpliciter omnes gentiles ſalvos pronunciârit, ſed eos tantùm, qui in verâ fide mortui ſint, licèt fides illorum imperfecta fuerit. Item probant, quòd Scriptura, non omnes gentiles Veteris Teſtamenti damnet, ſed aliquos beatos declaret. Propterea docent, hoc ipſo Dei ordinem & Miniſterium non tolli vel exinaniri, licèt Deus liberrimùm agens, extra communem & hominibus præſcriptum ordinem agat interdum. Denique in hoc tertio capite indicant, ipſum quoque Lutherum ante Zuinglium docuiſſe, gentiles aliquot, ab Iſraëlis Republica alienos, per* FORTVITAM *Dei miſericordiam ſanctos & ſalvatos fuiſſe: Lutherum igitur in Zuinglio id ipſum reprehendere ac damnare, quod ipſemet docuerit: ac proinde ſi Zuinglius ob hanc doctrinam Ethnicus factus ſit, Lutherum non minùs Ethnicum pronunciandum eſſe. Nam anno 1528. homiliæ aliquot in Geneſim à Luthero conſcriptæ & editæ ſunt: & in caput illius vigeſimum ſcribens verum diſputationis huius caput ac fundamentum, ut & Zuinglius, præmittit, nullam videlicet extra Chriſtum opem eſſe, & ſine Chriſto neminem ſolvari poſſe. Deinde ſingulorum judiciis excutiendum relinquit, num Abimelech (de hoc enim Philiſtæorum Rege eo in loco diſputat) verè ſanctus fuerit, vel in eo duntaxat, quod circa Abrahæ uxorem contigit, facinore. Poſtea nonnihil pergens, ſic inquit:* Illud enim negari non debet, ſæpenumero ſcilicet inter gentes quoque verè ſanctos (vel integros) Chriſtianos fuiſſe: qualem & Nabuchodonozorem Regem & Naaman Syrum fuiſſe legimus: qui & ipſi, & plures alii gentilium viri ſancti fuerunt. Credibile ergo eſt, hunc quoque (Abimelech nimirum) fidelem fuiſſe. Noli enim rem levem aut ridiculam putare, ſicubi Deus tantam gratiam exhibet, quantam huic Regi contulit, ſic nimirum, ut illum conveniat, illi ſeſe revelet, illi colloquatur, & ne damnum aliquod incurrat, præmoneat. Virum certè non vulgarem fuiſſe oportuit. Gentiles ſuæ ipſorum rationi permittit. Si verò alicui tantâ familiaritate ſeſe conjungat, hoc quaſi ſigno prodit, ſe illius vitam vigilanti oculo inſpicere, & eundem coram ſe in aliquo pretio haberi. Gentiles certè non ita prorſus rejici debent, qui Iudæis vicini in illorum confiniis habitârunt, eo quòd quidam ex iis quoque ſancti fuerunt, quales & Reginam Sabæ & Hiram Regem Tyri fuiſſe legimus. *Et paulò pòſt:* Velim equidem divinam gratiam ad gentes quoque extendi, & magni beneficii ac gratiæ loco ducendum eſſe exiſtimo, quòd ipſe Dominus illum admonere & ipſi apparere dignatur.

3. Zuinglius nequaquam gentilis factus etiamſi aliquos extra Iſraëlis Remp. ſalvos pronunciavit. Lutherus quoque docuit gentiles aliquot ſervatos fuiſſe.

Secundò, idem Luth. in cap. 4. Gen. in enarrationibus anno 1544. editis ſic ſcribit: Valdè credibile eſt, quòd multi ex poſteritate Caïn ſalvati ſint, qui ſe conjunxerunt cum vera Eccleſia, Sicut poſtea apud Iudæos etiam locus fuit proſelytis & gentibus. Sic valde dura lex fuit, ne quis ex Moabitis, & Ammonitis adhiberetur ad Eccleſiaſticas operas. Et tamen multi tum Ammonitæ tum Moabitæ ſalvati ſunt, qui venerunt ad Reges Iuda & ſervierunt eis. Sic Ruth mater & proava Salvatoris noſtri, fuit ipſa quoque Moabitis. Hæc fuit, ut ſic vocem, fortuita miſericordia, non certificata priùs per promiſſionem. Sic Naaman, ſic Rex Ninivitarum, ſic Nabucadnezar & Evilmerodach, & alii ex gentibus fortuitâ miſericordiâ ſalvati ſunt. Non enim ut Iudæi, habebant promiſſionem de Chriſto.

Lutheri fortuita miſericordia.

Rurſus in eodem libro, folio 84. idem Lutherus etiam hoc ait: Etſi enim ſoli Iudæi habebant gloriam huius ſeminis *& promiſſionem, (ſecundùm Pſalmum 147. Non fecit taliter omni nationi)* tamen gentes habuerunt, ut ſic dicam, jus mendicandi, & conſequebantur idem beneficium propter miſericordiam

diam Dei, quod Iudæi propter veritatem seu promissionem Dei habebant. *Et hactenus Lutherus.*

Consimilia quædam de Ethnicis quibusdam apud Patres quoque inveniuntur. Epiphanius arbitratus est, quosdam absque Mosis lege, & sine gratia lege solùm naturali salvatos esse. Et Fribusius Iesuita hanc Epiphanii opinianem pro exhortotiane publica commendavit. Clemens in 1. *libr. stromat. osseruit, Philosophiam quosdam Græcos justificâsse: Et, Philosophiam idem Græcis præstitisse, quod Iudæis Lex præstiterit. Iustinus dixit: Gentes, quæ sint rectam rationem secuta, (ut apud Græcos fecerunt Socrates, & Heraclytus) factos fuisse Christianos neque Christum illis ignotum fuisse.*

4. *Lutherus violavit pacta Marpurgensis Colloquij.*

Quartò, *docent in hac suo Apologia Tigurini, ut Lutherus post Marpurgensis Colloquij pactum & conditiones sese nec pacificum nec amicum præbuerit.*

Quintò, *quid & qua ratione de Concordia inter Lutherum & Helveticas Ecclesias actum sit.*

6. *Lutherus quàm hostilem se post concordiam Wittebergensem præbuerit.*

Sextò, *quàm iniquum & hostilem Lutherus post initam Concardiam sese præbuerit: Ut intelligatur inde, Helveticas Ecclesias paci nunquam nan studuisse, Lutherum verò nullâ necessitate impulsum, nullis etiam occasionibus justis irritatum has turbas & alterationes non sine gravi offendicula excitare, in earum palæstram Helveticas quoque Ecclesias, quas pacis studium magis delectaret, vel invitas pertrohere.*

7. *Helveticarum Ecclesiarum doctrina de Cœna.*

Septimò, *cùm Helveticarum Ecclesiarum Ministros, tom mortuos quàm vivos obstinatos & pœnitere nescios hæreticos esse proclamet Lutherus, qui videlicet hæresium sibiipsi conscii sint, interim tomen falsam suam & venenatom doctrinam Ecclesiis proponant, easque seducant miserè, imò ne unam quidem Christianæ fidei articulum verè credant, inprimis autem de sacro-sancta corporis & songuinis Christi sacramenta falsum, blasphemum, impium, divino Verbo & veteri Christiona Ecclesiæ doctrina contrarium dogma proferant, inculcent & tuentur: tam fidem quàm doctrinam suam, paucis & brevibus comprehensam: sed & eam, quam de sacratissimo Cœna teneont sententiam liberè, verè, breviter & dilucidè exponunt & fatentur, certis & perspicuis rotianibus demonstrontes suam & doctrinam & fidem, Christianom & orthodoxom, non hæreticom nec falsom, sed potiùs ex Dei Verbo petitom esse, & cum veteri catholica & orthodoxa Ecclesia nullo modo pugnare. Econtro verò probont, Lutheri de Sacramento sententiam & doctrinam, Verbo Dei & veteris Ecclesiæ doctrinæ contrariam esse, imò sibiipsi contradicere. Hoc autem non ideo se facere, quòd Lutheri errores tanto studio & fervore in lucem protrahere cupiant, vel quòd privato quodam affectu illi contradicere libeat: sed quòd sui officii sit, veritatem fateri, illique testimonium perhibere, ut omnes intelligant: cur nec suam doctrinam deserere nec Lutheri sententiam, quæ tam incerta & omni argumentorum præsidio destituta sit, recipere & approbare possint.*

Lutherus nullam justã causam habuit condemnandi Helveticas Ecclesias.

Postremò, *cùm Pauli, quæ ad Titum est, de hæretico vitando, sententiam Lutherus adducat, & admonitiones aliquot, quæ obstinatis Zuinglianis & pœnitere nesciis (ut ipse quidem judicat) frustra obuenerint, jactitet, hisce nimirum argumentis ipsos & hæreseos convinci & condemnari posse existimans, imò ceu hæreseos conuictos jam condemnet & proscribat: ipsô rei veritate docent, eum non aliquam hujus condemnationis & proscriptionis suæ causam justam invenisse adhuc: & quòd ipsos nunquam hactenus vel argumentis convincere, vel ullius mendacii arguere potuerit: sed quòd eas temerariâ conuiciandi libidine falsò & impiè proscindere, & talium criminum insimulare solitus sit, quæ nullis unquam veris & certis rationibus evicturus sit.*

Apologiã Tigurinorum ad Lutheri parvam Confessionem avidè lecta.

Lecta est hæc Apologia avidissimè, non ab illis tantùm, qui Ecclesiæ Tigurinæ non parùm deferebant: sed ab adversariis quoque, & in primis Pontificiis, quibus gratissimum erat. Ecclesias Evangelicas primi nominis, inter se digladiari: Multi eâ lectâ commoti sunt, ut diligentiùs totam hanc controversiam expenderent, & rectiùs de Sacramentis sentirent.

Hardenbergius & alii conferũt cum Bullingero de Cœna & in vera doctrina confirmantur.

Venerunt hac ipsa de causa Tigurum clarissimi doctissimique viri Albertus Hardenbergius Frisius, Gerardus Westerburgius Coloniensis, atque Georgius Lætus Augustanæ Reipub. à secretis, qui cùm de aliis doctrinæ partibus, tum etiam de Socrâmentis suam sententiam cum Bullingero complures dies contulerunt, & peramicè disputarunt, oc in vera doctrino volde confirmati sunt.

Bullingerus igitur, ut suam sententiam pleniùs explicaret, librum conscripsit de Sacramentis, quem primùm Ioanni Calvino iudicandum misit, & postea Ioonni à Lasco singulari suo amico: ò quo etiam Londini editus est anno 51. *hoc titulo:* Absoluta de Christi Domini & Catholicæ eius Ecclesiæ Sacramentis tractatio, authore Henrico Bullingero. *Author autem non eum ut ederetur, sed exercitationis gratiâ scripserat, ignoravitque consilium Lasci de eo edendo: edito autem illo, qua ipse evulgato esse voluit, in decades suas retulit postea.*

Lutherani accusant Tigurinos ob editam.

Lutherani verò accusabant Tigurinos, quòd Lutherum acerbè & contumeliosè essent insectati, cui propter tot Ecclesiæ causâ labores, & senium meritò parcendum fuerit.

1545. Apologiâ contra Lutherũ. Tigurini respondent.

At illi respondebant, se quidem multas præclaras dotes agnoscere in Luthero, sed æternæ veritatis, sui nominis, & tot animarum, potiorem habendam fuisse rationem, quàm unius Lutheri, qui renitentes & invitos in hanc arenam protraxisset. Iubebant etiam contraria hæc scripta diligenter inter se conferre, postea iudicium facere, num ipsi, vel Lutherus, modestiæ leges transiliissent.

Tigurinorum excusatio probatur. Calvini litera ad Philippũ de renovato à Luthero certamine Sacramentario.

Acceperunt hanc Tigurinorum excusationem pii omnes, atque etiam Calvinus, qui ad Philippum, ob renovatum hoc à Luthero certamen valde anxium & solicitum, sic scripsit: Utinam, ut me angit, adeóque excruciat mœroris tui συμπάθεια, sic aliquâ ejus parte sublevare te possem. Si ita est, ut dicunt Tigurini, habuerunt iustam scribendi causam. Vester autem Pericles quantâ intemperie ad fulminandum rapitur? præsertim cùm ejus causa nihilo sit melior. Multum illi debemus omnes, fateor. Nec ego invitus patiar, ut summâ authoritate polleat, modò sibijpsi moderari sciat. Quanquam in Ecclesia semper videndum est, quousque hominibus deferamus. Actum enim est, ubi unusquispiam plus potest reliquis omnibus: præsertim ubi hoc ipsum non dubitat experiri, quantum possit. In tanta quidem dissipatione, quantam nunc cernimus, difficile est res turbatas componere. Verùm si in nobis omnibus is esset animus, qui esse debet, aliquod forsan remedium posset inveniri. Et certè fœdum exemplum transmittimus ad posteros, dum omnem libertatem sponte malumus projicere, quàm ut hominis unius animum offensiunculâ aliquâ pungamus. At est vehemens ingenium, & impetus habet violentos. Quasi verò hæc vehementia non magis exultet, dum omnes illi indulgent, atque omnia permittunt. Si inter prima renascentis Ecclesiæ initia iam emergit hoc tyrannidis exemplum, quid brevi, rebus in deterius collapsis, fiet? Defleamus ergo Ecclesiæ calamitatem, neque modò taciti apud nos hunc mœrorem devoremus, sed audeamus aliquando liberum gemitum edere, &c.

Lutherus de Apologia Tigurinorum ad Præpositum Bremensem.

Lutherus autem cùm à Iacobo Præposito, Ecclesiæ Bremensis Ministro, de hac à Tigurinis edita Apologia factus esset certior, ad hunc modum ei rescripsit: Senex, decrepitus, piger, fessus, frigidus, & iam monoculus scribo, & qui sperabam mihi emortuo nunc requiem (ut mihi videtur) justissimam dari, quasi nihil unquam egerim, scripserim, dixerim, fecerim, ita obruor scribendis, dicendis, agendis, ferendis rebus: Sed Christus est omnia in omnibus, potens & faciens, benedictus in secula, Amen. Quod scribis Helvetios in me tam effutenter scribere, ut me infelicem, & infelicis ingenii hominem damnent, valde gaudeo. Nam hoc petivi, hoc volui meo illo scripto, quo offensi sunt, ut testimonio publico suo testarentur, sese hostes meos, hoc impetravi, & ut dixi gaudeo. Mihi satis est: infelicissimo omnium hominum, una ista beatitudo Psalmi: *Beatus vir qui non abiit in consilio Sacramentariorum, nec stetit in via Zuinglianorum, nec sedet in cathedra Tigurinorum.* Habes quid sentiam. Cæterum quid petis, ut pro te orem, hoc facio, tu pro me vicissim ores quæso. Et sicut ego non dubito tuas pro me orationes valere: Ita ne dubites meas pro te valere. Et si ego prior abiero, quod opto, traham te post me, si tu prior abieris, trahes me post te: Quia unum Deum confitemur & expectamus Salvatorem cum omnibus sanctis, &c. 17. *Ian. Anno* 1546.

Nota ingenium Lutheri.

Compilatorum historiæ Augustanæ Confessionis vanitas.

Compilatores historiæ Augustanæ Confessionis hîc multis referunt, quæ Tigurini ad Landgravium de edita Apologia sua scripserint, eumque rogarint, ut & ipse eam legat, ac intra suos fines divendi patiatur: apud Saxoniæ quoque ELECTOREM *Ducem Mauritium, generum suum, perficiat: ne ipsorum libri in illius ditione prohibeantur, utque hanc Tigurinorum petitionem Landgravius, Saxoniæ Electori per Epistolam exposuerit: & quid Saxoniæ Elector responderit &c. Sed ea omnia, vel pleraſque vana & ab ipsis ficta esse prorsus arbitror, cùm Mauritius tertio demum post anno Elector creatus fuerit.*

Lutherus contra Lovanienses.

Hoc etiam anno Lutherus contra Lovanienses Theologos Theses suas edidit. Et Thesi 16. sic dicit: In Eucharistia, Sacramento venerabili & adorabili, est & exhibetur, & sumitur verè & reipsa, corpus & sanguis Christi, tam à dignis, quàm indignis. *Et Thesi* 28. Hæreticos seriò censemus, & alienos ab Ecclesia Dei esse, Cinglianos & omnes Sacramentarios, qui negant, corpus & sanguinem Christi, ore carnali sumi in venerabili Sacramento. *Atque hæc fuit Lutheri responsio ad Tigurinorum Apologiam.*

Lutheri responsio ad Tigurinorum Apologiã.

Cruciger sæpe Lutherum lenire conatus, sed facere nũ ausus est.

Casparus Cruciger irritatum Lutherum, & exacerbatum ejus animum sæpe privato aliquo Colloquio mitigare & lenire conatus est; sed quòd sciret esse eum hominem asperum, durum, vehementem, acrem & iracundum, qui levissimâ quaque occasione commoveretur, & in summa quoque cautione offenderetur, ausus non fuit id facere. Qua de re sic scribit ad Vitum Theodorum: Sæpe ante hoc tempus in animo habui de illa nostra causa cum διδασκάλῳ nostro (*D. Luthero*) familiariùs colloqui, & veluti fundere in sinum ipsius cogitationes meas. Sed me multùm diùque deliberantem

tem retraxit μέγα τι δεῖ, quòd video, in hac præsertim re faciliùs fieri, ut etiam in summa cautione offendas apud tam acrem virum, & qui interdum multò aliter accipit, quòd simplicissimè dixeris, quàm quisquam cogitet. Quare ego quidem, quibus verbis apud illum utar, nec ubi non offendam eum, non invenio. Idem sæpe questus est mihi noster amicus (*Philippus*) qui omnino negat, de hoc toto negotio, vel verbum cum eo commutandum esse. Scio non esse apud illum movendum aliquid disputationum, & certè non cupio ei adversari. Quare etsi est σφαλερόν, tamen si offeretur occasio, ut sperem, me sine offensione cum illo agere posse, utar ea. Sed hoc ur rectè fiat, Deus orandus est. Video quàm non mitia certamina aliquando eruptura sint denuò, ex illis utcunque restinctis & sopitis prioris incendii fomitibus, quæ non usquam iam etiam incipiunt gliscere, cùm multa passim sint curiosa & levia ingenia, quæ delectantur non necessariis quæstionibus. Et nostrum, ut scribat, incitandum esse non existimo, qui suâ sponte satis impetus habet & utut scribet, multa duriter dicet, quæ fortasse majores offensiones & certamina facient, & hæ res postquam rursus moveri cœperint, etiam inter nostros ὁμοφρονοῦντας novas disputationes parient. De declaratione, ut planiùs exponat suam sententiam, omnino mentionem faciendam non esse iudico, ne malè tangatur hoc ulcus. Ait se, ut & superioribus libellis ostendit, satis sese explicuisse, & declarâsse suam mentem primis illis scriptionibus. Animadverto eum, ut aliquid scribat, usurum occasione in scripto, quod instituit ad refutandos articulos Louanienses: ubi scis eum in oppositis sententiis seu propositionibus editis mentionem fecisse, de verè adorabili Sacramento, quod dictum certè videtur opus habere declaratione, etsi hoc quidem nuper in prælectione quadam bene explicuit, cùm de reverentia erga Evangelium, & totum Ministerium diceret. Calami concinnaculum inspexi aliquando, sed postea non fuit ad manum. Illas disputationes de Christo sedente ad dexteram Patris, planè alienas ab hac causa puto. Vellem, nostros quosdam interdnm etiam consideratiùs de his rebus dicere. Sunt enim quidam prorsus Ineruditi & βάναυσοι, ut quendam apud juniorem Principem Vittebergensem audimus palàm vociferari: *Substantiam panis in Eucharistia esse ipsam substantiam corporis Christi*. Respondi ad quæ volebas. In Conventu, an sit futura collocutio, nondum scimus. Philippus in Schola potiùs retinendus videtur, dum constet aliquos adversariæ partis adesse ad colloquium delectos. *Bene vale. Vitenbergæ, die Luciæ* 1545.

Cruciger vellet sensis declaratione opus habere quod Sacramentum vocat Adorabile.

Sub finem huius anni denuò Colloquium inter Pontificios & Protestantes Ratisponæ, experiundæ conciliationis causâ in religione, gravi consilio, ante futura Comitia, institutum erat, misso eò ab Imperatore Maluendâ Hispano. Constitutum igitur erat, ut Melancthon quoque eò mitteretur. Hoc autem consilium Lutheri & Amsdorffii suasu mutatum fuit, quòd Melancthoni in controversia Cœna Dominicæ diffiderent: eorumque iussu D. Maior Philippi loco Ratisponam missus fuit. Et ne fraus deprehenderetur, Lutherus his verbis de Philippo ad Electorem scripsit: Quia Colloquium nihil & prorsus vanum futurum sit, de quo nulla spes bonæ frugis concipi queat, Philippo parcendum esse, & imbecillitatis eius rationem habendam, præsertim cùm Maior huic negotio plùs quàm idoneus sit, si vel maximè nihil amplius, quàm affimare & negare possit. *Sed sapientum iudicia diversa erant, qui belli Germanici, quod mox subsecutum est, non minimam causam in hoc ipsum conferebant, coniecturis non dubiis, quod Melancthonem Elector Saxoniæ non adhibuisset. Nam & in contemptum id sui, suorumque, & instituta collationis traxit Imperator, & ipsi causa non parùm decessisse existimatum est authoritatis & ponderis, quòd qui caput Protestantium erat, πρὸς ἀγῶνας ἦν idoneum non misisset: & indicatum est, præmaturam revocationem legatorum in quam Melancthon ante Caroli adventum opinione omnium consensurus non fuisset, consilia ab omni pace aliena præ se ferre. Quòd hæc autem animum Imperatoris graviter admodum commoverint, certorum hominum indicio postea cognitum est.*

Philippus ad Ratisbonense colloquium instinctu Lutheri & Amsdorffii nō mittitur propter mutatā sententiā de Cœnā.

Lutherus belli Germanici causa nō levis.

Tulit hoc patienter Philippus, & nihilominus in ea moderatione perrexit, qua antè hac in controversia Sacramentaria usus est: ut non obscurè intelligitur ex ejus Epistola ad Vitum Theodorum hoc anno scripta, quæ sic habet: Cùm de responsione Ratisbonensi deliberarem, decrevi in Exordio recitaturum me esse veteris Germaniæ Ecclesias quæ ante Gothica tempora à discipulis Apostolorum cōstitutæ sunt. In his est Ratisbonensis, quā primùm constituit Lucius Cyrenæus, filius ejus senis, qui in gestanda cruce Filium Dei adiuuit. Multa splendidè in hoc exordio ad pios homines confirmandos, cùm in ea civitate, tum verò in cæteris, dici potuissent. Deinde de vera invocatione & vero usu Sacramentorum dicturus eram, vitatis iis scopulis, περὶ προσκυνήσεως ἄρτου, quos

Philippus hanc repulsam patienter fert, & solita moderatione utitur.

1545. quos tu non vis vitare. Putatis & omnia dicenda esse, & nullam moram in causis agendis fortibus viris convenire. Ego contrà multa prætereo,& cunctanter ad causas accedo. Sed scio me rideri à multis, & facilè fero. Sed vellem & illos, & alios introspicere meum cor: si tantùm lacrymarum fundere possem, quantùm undarum noster Albis pleno vehit alueo, non posset exhauriri meus dolor, ortus ex hac dissensione,&c.

Bucerus in Ratisponensi Colloquio Malvendæ opponitur.

Absente autem Philippo, & Principibus in hoc Colloquio oppositus est Malvenda Bucerus, isque contra eum doctrinam in Augustana Confessione repetitam, defendit: quod satis claro argumento est, Bucerum hoc adhuc tempore pro Augustanæ Confessionis membro à Protestantibus agnitum, habitumque fuisse.

Sleidanus li. 18 Petrus Brulius Tornaci ob veram religionē, & doctrinam de Cœna Domini igni adiudicatur.

Petrus Brulius, Concionator quidam Gallus, Tornacum, quod facilè primum in Nerviis oppidum est, à fidelibus eius loci Argentorato vocatus, quum eò venisset, quod fuit mense Septembri anni 44. cœpit eos diligenter in vera religione erudire. Re verò enunciatâ, cœptum est inquiri de illo, per totam urbem, occlusis portis: Inventus, capitur & in carcerem conjicitur. Quum ex vinculis causam ille diceret, Theologi Monachi rogant ex eo, præsento Magistratu: quid sentiat de Sacramento, quod vocant, Altaris, de Missa, de Consecratione, de Adoratione hostiæ, &c. Respondet ille, Verum ibi corpus & sanguinem Christi sumi, non quidem ore, sed spiritu per fidem, neque panis neque vini substantiam mutari: sed cùm ex instituto Christi Cœna distribuitur Ecclesiæ, sermone populari, sic ut omnes usum atque fructum eius intelligant, tunc verè consecrari illa, nimirum ex verbis Christi: nam tacitum illud & submissum murmur, quo sacrifici panem atque vinum tractant & afflantur, ad sortilegos & veneficos magis, quàm ad Christianos pertinere: Missam Pontificiam nihil habere commune cum Cœna Domini, sed esse cultum ab hominibus inventum ad contumeliam & injuriam Christi: adorationem consecrati panis esse idololatricam, nam creaturam ibi loco Creatoris adorari: Missam pro mortuis, esse non solùm nullius usus, verùm etiam impiam, quòd præter Dei verbum instituta sit, &c. Tandem igni adiudicatur. Supplicii genus erat vehemens; nam igni non magno fuit exustus, ut tantò major esset cruciatus: Fuit hoc ad 19. diem Febr. hujus anni. Cùm fama captivitatis ejus in Germaniam venisset, Senatus Argentinensis missis literis intercedit: pòst etiam Legati Protestantium, qui tum erant Wormatiæ; sed id fuit aliquantò serius, & priusquam hæ literæ perferrentur, Saxonis atque Landgravii nomine missæ, jam erat sublatus à medio.

ANNVS M. D. XLVI.

Martinus Lutherus moritur.

ANnò 1546. Februarii die 18. Martinus Lutherus, qui primus nostro seculo variis scriptis in Papisticos errores & abusus palàm, magno fortique animo invectus fuit, ex hac vita decessit. Cochlæus mendacissimus Papista, & post eum Bellarminus Iesuita, mentiuntur, eum morte repentinâ mortuum esse. Nam cùm vesperi opiparam Cœnam sumsisset lætus & sanus, & facetiis suis omnes ad risum provocasset, eadē nocte mortuum esse. Æquum est autem, ut Melanchthoni & Sleidano fidem habeamus potiùs, quàm impudentissimis Papistis. Sic enim de ejus morte scribunt, eum scilicet anno ætatis suæ sexagesimo tertio infirmâ valetudine, profectum esse ad patrium solum, ad dirimendam controversiam quandam inter Comites Mansfeldenses, quâ quidem de re ab ipsis eò evocatus fuerat; & cùm ibi esset, cœnatum esse quidem cum suis: sed nec lætum fuisse, nec quenquam ad hilaritatem aut facetias provocâsse: sed de rebus gravissimis & sanctissimis, ad religionem & pietatem pertinentibus, locutum esse. Hos nominatim illius Cœnæ sermones fuisse scribit Sleidanus, utrùm simus alii alios in altera vita recognituri? Lutherus respondit, Adamum cognovisse Evam, quam antea nunquam viderat, & dixisse, hæc est os ex ossibus meis, & caro de carne mea: ergo nos multò magis pòst hanc vitam amicos nostros agnituros esse; quia tum perfectior erit cognitio nostra, quàm fuit eo tempore Adami cognitio. Post cœnam ad cubiculum profectus est, & cubitum se contulit. Cùm verò morbum sentiret ingravescere, vocat ad se uxorem, & pædagogum liberorum suorum Iustum Ionam. Postea venit Comes Mansfeldius. Multa verba piè cum iis habuit, & eos ad pietatem hortatus est. Tandem sanctam animam Deo dedit placidè,& suavissimè sine cruciatu, cùm antea precatus esset,& Deo gratias egisset. Sic Sleidanus libro 16. in fine. Eodem etiam modo Melanchthon in vita ejus.

Cochlæi Papistæ mendacium de obitu Lutheri.

Ex illis omnibus, quæ ab utroque de morte Lutheri scripta sunt, hæc quatuor possumus colligere. Primò, *Lutherum, cùm jam senex esset, in anno suo climacterico, qui solet esse periculosissimus, in bona ætate mortuum esse in patrio solo, in sua civitate, in qua natus est, Islebii scilicet.* Secundò, *mortem illius fuisse pacatam, placidam, quietam, ut somno potiùs quàm morti similior esset.* Tertiò, *non modò tranquillam & dolore vacuam fuisse mortem, sed sanctam etiam & piam fuisse; quia perpetuis vocibus astantes omnes ad pietatem & religionem hortatus est, & gratias Deo immortales egit, quòd Christum Filium suum ei patefecisset.*

Vidi

Vidi, (*inquit*) Filium tuum, & Veritatem tuam, & amavi tanquam animam meam. *Denique non ipse modò in precibus perseveravit; verùm etiam hortatus est omnes, qui aderant, ut pro Evangelii propagatione assiduè precarentur, Papam enim cum Tridentino Concilio multa contra Ecclesiam moliturum. Ita mors ejus talis fuit, qualem pius quisque optare posset. Nec dubitandum quin in vera pœnitentia, quod etiam ad sacramentariam controversiam attinet: mortuus sit, cùm paulò ante abitum Philippo Melancthoni confessus sit, in negotio de Sacramento nimium esse factum.*

Lutheri postrema confessio ad Philippum de crimine Sacramentario ex Alexandro Alesio.

Hoc loco silentio obruere, aut dissimulare nec possum, nec debeo, historiam recitatam à multis testibus fide dignissimis, de postremo sermone Lutheri ad Philippum, de causa sacramentaria. non diu ante illius abitum, habito. Recitabo autem eam non meis verbis, ne quid vel addere vel detrahere inde voluisse videar: sed sicut ab Alexandro Alesio celebri & excellenti Theologiæ Professore in Lipsensi Academia perscripta, & ab aliis quoque antehac edita est. Is igitur in Responsione ad defensionem articulorum Lovaniensium Ruardi Tapperi, cujus pars quadam edita est, hæc ad verbum scripsit.

ARTICVLVS XIII.

IN Eucharistiæ Sacramento est ìpsa verum corpus Domini nostri Jesu Christi, illud ipsum quod de virgine natum est, & in cruce passum.

ALESIVS.

Dicturus sum de istis quatuor.

I. Vtrum corpus Christi sit ubique.
II. Vtrum simul & semel sit in pluribus locis.
III. Vtrum sit in Sacramento per Transsubstantiationem, & quomodo panis sit corpus Christi.
IV. Quale sit corpus in Sacramento: sensibile-ne an intelligibile, & qualiter adsit & distribuatur cum pane & vino vescentibus in Cœna.

De Primo. Cùm quæritur, utrum corpus Christi sit ubique; nemo suspicari debet, hoc in dubium vocari, utrum Christus verus Deus & homo sit ubique: vel utrum hæc propositio sit vera per communicationem Idiomatum: Christus homo est ubique? Sed hoc disertè quæritur: An sicut Christus secundùm Divinitatem est ubique, sic oporteat hujus humanitatem esse in omnibus locis? De tempore, quo hoc dogma Ecclesiæ primùm traditum est, & de ejus authore mihi constat. De rationibus autem firmis, & quæ speciem habeant aliquam, nunquam investigare potui, etiamsi cum authore diligenter de eo contuli. Est autem natum me vivente, qui hoc anno sexagesimo primo, ingredior sexagesimum, & oppugnatum à me primò tanquam novum, nec antea unquam auditum in Ecclesia. Anno 31. cùm venissem Vitembergam, disputavi contra illa, quæ mihi absurda videbantur in doctrina Lutheri, & felicis recordationis viro, D. Philippo Melancthoni significavi, me nunquam hoc dogma de Vbiquitate corporis Christi, in illo authore legisse; & cùm eius sententiam audivissem, quæsitâ occasione, conveni D. Lutherum & pauca præfatus, ad tollendam malevolentiæ suspicionem, quærebam: Quid interfit inter panem Sacramenti & communem, si Christi corpus est ubique? Respondit ille, & ostenso sole sereno: Tu-ne, *inquit*, dubitas Deum isthîc esse? Et cùm respondissem, me nequaquam dubitare; adiecit: Et tamen ad Solem non vult agnosci neque adorari: imò vocat eos idololatras per Prophetam, qui adorant Solem & Lunam. Sic, *inquit*, etsi Christus est ubique: tamen non vult ubique agnosci & adorari, sicut in Sacramento. Ad hoc cùm respondissem, me credere, Christum Deum & hominem ubique esse, sed me vicissim scire, non inde sequi, quòd corpus Christi, aut humanitas sit ubique: Subrisit dicens; Scire se has subtilitates, & convenire de sententia: sed non potuit sermonem absoluere, quòd tunc ad Ingressum Templi pervenissemus.

Lutherus fatetur si bi cum Alesio de sententia conveni re, quòd corpus Christus non sit ubique.

Multi verba Lutheri urgent, quæ calor disputationis φιλονικοῖς exprimere solet, ut nunc aliqui colligunt ἀκυρολογίας ex Lutheri scriptis, contra Carolostadium & Oecolampadium, aut certè ὑπερβολὰς ἢ παράδοξα, ad probandam Vbiquitatem corporis Christi, propter inseparabilem naturarum in Christo unionem & communicationem Idiomatum; dissimulantes, aut nescientes forsan, ut æquum est de tantis viris credere, illa quæ valedicturus Collegio Theologico, priùs quàm proficisceretur in patriam, in qua mortuus est, dixit Domino Philippo Melanchthoni, & quæ is multis exposuit, quæque probari possunt testibus omni exceptione majoribus; videlicet, quòd sponte, non rogatus, in hæc verba prorupit: Lieber Philippe / ich bekenne es / daß der sach vom Sacrament zuviel gethan ist: [hoc est: Mi

Lutherus fatetur in negotio cœnæ à se nimium factum esse.

1546. Philippe, fateor in negotio de Sacramento, nimium esse factum.] Et cùm Philippus respondisset: Ergo mi Domine Doctor, ut consulatur Ecclesiæ, edamus lene aliquod scriptum, in quo sententiam nostram clarè explicemus: Lutherus subjecit: Mi Philippe, Ego de hac re quoque solicitè cogitavi: Aber also machte ich die gantze lehr verdacht. So wil ich das dem lieben Gott befolhen haben / thůt ihr auch etwas nach meinem tode: [hoc est, sed sic redderem totam doctrinam suspectam. Itaque hoc optimo Deo committam, Agite vos etiam aliquid post mortem meam.] Hæc ex ore Philippi excepta sunt.

Cùm hæc recitarentur Bremensibus, à quodam nobili viro, Erhardo à Lingen: missus est ad D. Philippum, M. Iohannes Schlongrabe, ut sciscitaretur, an hæc vera essent. Respondit D. Philippus, se nunquam hæc negaturum esse: Et addidit: Imò jam publicè dicerem & scriberem, nisi caverem turbas Ecclesiarum: sed nolo sciens mori, nisi hoc relatum à me sit in Testamento meo. Neque dubium est, quin fecisset, nisi mors in conscribendo Testamento calamum è tremula manu eripuisset. Lutherus negat, Sacramentum esse tantùm signum & figuram corporis & sanguinis Christi, & docet, personam velle isthic agnosci, non tantùm præsentem, sed per ministerium efficacem: ac certò statuendum, quòd cum pane & vino verè exhibeantur corpus & sanguis Christi, sumantur, edantur ac bibantur à fidelibus, qui observant institutionem juxta ejus mandatum. Nec si jam viveret, aliud doceret.

Ubiquitatis infirma fundamenta.

Ad quæstionem primam hoc dico: Non tantùm sophisticum, sed prorsus ineptum est, quod Dei dexteram, id est, divinam potentiam Christo per resurrectionem donatam interpretantur de Ubiquitate corporis. Deinde inanis est metus, somniare, humanam naturam divellendam à Divina; si illa non extendatur per omnia loca, in quibus est Divinitas. Et ridiculum est affirmare, illum solvere Christum, qui humanæ naturæ non tribuit Divinitatis proprietatem. Absurdissimum est etiam, communicationem Idiomatum, interpretari non tantùm de communicatione proprietatum utriusque naturæ in concreto de persona, sed etiam de communicatione proprietatum reali, quâ natura divina illa, quæ sunt ei propria, creare scilicet, sustentare, implere omnia, vel esse ubique, & eodem tempore in cœlo & in terra, supra omnes cœlos, & infra omnes inferos, communicet humanæ naturæ. Nititur enim falsissimâ imaginatione, quòd Deus sic sit ubique, ut corpus in loco, & corpus sic sit in loco, ut locum non occupet, sicut Deus.

Ubiquitas corporis Christi ex hæresibus damnatis nata, & quid ab illis differat.

Sed quæcunque sit causa huius dogmatis, constat nullum neque Scripturæ, neque veteris authoris habere testimonium, & vicinum esse hæresibus Eutychis, Valentini & Apollinaris, si non omnino idem. Notum est enim ex historia Ecclesiastica, & vetustissimis Scriptoribus, Irenæo, Ignatio & aliis, Valentinum & Apollinarem primò, deinde Manem sustulisse veritatem humanæ naturæ in Christo. Postea verò Nestorium distraxisse naturas, & negasse proprietates utriusque naturæ tribuendas personæ in concreto, juxta regulam Ecclesiasticam de communicatione Idiomatum. Postremò Eutychen confudisse naturas in Christo & earum proprietates. Isti verò, ne videantur confundere naturas, concedunt diversas esse οὐσίας, id est, aliam esse essentiam divinam, & aliam humanam in Christo, sed confundunt proprietates, & contendunt, illa, quæ sunt propria Divinæ Naturæ, non nomine tantùm, vel prædicatione de persona in concreto, sed de humana natura in abstracto dici, & hanc ubique esse, ubicunque est Divina Natura; & simul atque Filius induisset humanam naturam in utero virginis, illam etiam extra uterum fuisse, ubicunque erat ejus Divinitas, in cœlo & in terra, apud Inferos, & in dextera Dei, si non circumscriptivè, tamen verè & realiter, propter unionem personalem individuam, quasi verò cùm corpus Christi penderet in monte Calvariæ, idem in monte Oliveti, imò in montibus Armeniæ & Caspiis, atque in toto orbe terrarum fuisset crucifixum, vel in uno tantùm loco passum, & in aliis minimè, cùm tamen verè esset ubique &c.

Testimonium hoc Alesii supprimere voluerunt aliqui frustra.

Hac Alesius cum Typographo Lipsensi Iohanni Rhambano excudenda jam tradidisset: rescivit hoc D. Iohannes Pfeffingerus, Pastor Ecclesiæ Lipsicæ & librum ex officina abstulit, editionemq; impedivit, gravem Ecclesiæ & Luthero per ignorantiam faciens iniuriam. Divinâ tamen providentiâ, cùm Deus nollet hac latère, factum est, ut vir honestus, Iohannes Pfulmannus, eo tempore auditor Alesij, missus postea ad serviendum Ecclesiæ in Palatinatu Bavarico, ex Alesii libro, quem domum deportandum ab ipso finitâ prælectione publicâ, acceperat, ea descripserit. Ex Pfulmanni autem manu hac descripta sunt, testibus viris integerrimis, qui & Lipsiæ anno LXIII. die VI. Aprilis ex αὐτογράφῳ Alesii illum hac descripsisse,

&

& ista sic acto esse Lipsiæ, se ibi præsentibus, sciunt & testantur. Neque res, etsi quidam operam dabant, ut supprimeretur, ita occulta mansit, quin pluribus innotesceret. Ex hoc enim facto D. Pfeffingeri, inter ipsum & Alesium & Typographum extitit contentio, quæ non potuit omnes latere. Cùm autem hæc in Palatinatu etiam increbuissent, ut res penitiùs cognasceretur ex mandato Illustrissimi Principis Friderici III. Palatini, Electoris, felicissimæ memoriæ, scriptum est ad Consulem tum Bremensem, virum spectatissimæ fidei, & virtutis ac sapientiæ famâ clarissimum in Germania, Dn. Danielem à Buren, quem honoris causa nominamus, ut un ista sic acta essent Bremæ, ipsius & Erhardi à Lingen & Schlongraby testimonio, Celsitudo ipsius edoceretur. Rescripserunt illi, omnia ista esse verissima, nec se recusare coram tota Ecclesia & mundo huius rei testes nominari, ut qui, quòd authoritate publica esset gestum, occultandi aut inficiandi neque potestatem, neque causam ullam haberent. Verba Burenii hæc sunt.

Testimonium Consulis Burenii.

Philippus Melancthon cum Luthero in patriam suam paulò ante mortem profecturo collocutus de dissidio Sacramentario, cùm inter cætera dixisset: Videri sibi Patrum purioris Vetustatis scripta stare magis à parte adversariorum quàm à sua. Respondit Lutherus, Was sol ich viel sagen/ den sachen ist zu viel geschehen. Hic cùm Philippus subiecisset: Posse ea facilè corrigi leni aliquo scripto: Respondit Lutherus. Deß habe ich ein bedencken. Ich habe das meine gethan / ihr andern müsset auch etwas thun.

Testimonium Alberti Hardenbergij & Schlongrabii.

Sed & D. Alberti Hardenbergij verba, quæ de hac narratione ad Ioan. Schlongrabium scripsit addam: Quæ ad causam attinent, de qua Erastus scribit, de eo ego sanctissimè testor, Philippum mihi ea dixisse, in eam omnino sententiam, quam scribit D. D. Erastus in suis ad D. Consulem Danielem literis. Videntur ipsa ferè verba annumerata esse in literis ipsius. Tu autem meminisse potes, quæ tibi Philippus responderit, cùm eum interrogares. Habeo literas tuas, quas tunc Witeberga ad me mittebas, in quibus talia quædam sunt: Ea quæ Albertus tibi dixit, vera sunt: Ego nunquam ea negabo, & si non antea, certè Testamento meo testabor hoc. Et tu: Potuisset certè Lutherus suffragari Ecclesiæ in vita sua: Ibi Philippus: Potuisset quidem ille, sed noluit tunc propter suas quasdam causas. Hæc in tuis literis sunt. Oro autem te, ut ad D.D. Erastum scribas, & veritati testimonium perhibeas, quantum omnino potes. Meum nomen quoniam exosum est, non scribam nunc, ne causæ ipsi obsim. Tu scis, quàm semper sanctè, hæc ita habere ibi affirmarim.

1546.

Parsum nihilominus tum fuit ipsorum nominibus, propter crabronum, quos non dubitant illi, qui hæc publicabant, sicut etiam evenit, irritatum iri aculeos. Nos verò, postquam isti bilem suam in alios effuderunt, ideo nominandos existimavimus, ut omnes intelligerent, non ex falsis, & authore carentibus, & risum excitaturis rumusculis, sicut nuper admodum fecerunt quidam ex Theologis Bergensibus, sed ex testimoniis, quibus fides derogari sine impudentia non poterat, olim narrationem illam in lucem datam fuisse: & viderent veritatis cupidi, hoc certum esse, quod Philippus ista recitaverit; si qui autem sanctam Philippi animam arguant mendacii, illos nihil aliud, nisi suam protervlam traducere.

Heidelbergensium narratio huius historiæ.

Theologi Heidelbergenses in suo libro, cui titulum fecerunt. Gegenbericht / *de Protocollo & actis Colloquij inter ipsos & Wirtenbergicos Maulbrunnæ habiti, hanc historiam sic narrant:* Venisse Philippum ad Lutherum in Cœnobium: cùmque post varias collocutiones Lutherum hilariorem animadvertisset, de Cœnæ negotio ipsum in hanc sententiam conferre cum eo cœpisse: Diligenter se evoluisse Patres, & quæ veteres Orthodoxi de hac materia scripta reliquerint, studiosè pervestigasse, quibus cum, si quod res est fateri debeat, Tigurinorum de Cœna Domini dogma melius quàm nostrorum doctrina consentiat: Vbi Lutherus exiguo interposito silentio, in hæc verba responderit: Mi Philippe, quid opus est multis verbis? fateor peccatum à nobis esse in causa Sacramentaria, *Cætera ut suprà. Hanc narrationem Philippum plerisque viris honestis & fide dignis recitasse, & simul addidisse:* Se non priùs extremum diem visurum, quàm hoc, si non alia ratione, in Testamento saltem suo aperuisset. Cœptum etiam ab eo ejusmodi scriptum esse, sed quò minùs illud absoluerit, morte præventum esse.

Tigurini pacis & concordiæ studiosi.

Tigurini ab edita sua Apologia, & morte Lutheri, nihil ediderunt, quo veterum injuriarum memores, vel mortuum insectati sint, vel ullam occasionem novis certaminibus præbuerint. Semper enim hoc malum sopitum esse maluissent. Sed quomodo, & à quibus inuiti rursus ad pugnam provocati sint, infrà referemus.

Tigurini accusantur apud Landgravium quòd Lutherum mortuum conviciis proscindant.

Nihilominus accusabantur Tigurini apud Illustrissimum Landgravium Hassiæ, aliosque pacis amantes Principes, quòd mortuo Luthero insultarent, eumque in Domino quiescentem publicè pro concione & privatim conviciis proscinderent, & gloriarentur, ipsum præ dolore mortuum,

1547. *tuum, quòd ipsorum Apologia non posset respondere. Nolle etiam Tigurinos eos ferre, qui Confessioni nomine Helveticarum Ecclesiarum anno 36. Basileæ conscripta & Luthero oblata sese adjungant.*

Tigurini sese excusant.

Monuit Illustrissimus Hassiæ Princeps Philippus de rebus Bullingerum. Is re cum fratribus deliberatâ omnium nomine Principi rescribit: Ac primùm gratias agit Deo, qui Principem tanto Zelo promovendi gloriam Dei & Ecclesiæ Concordiam atque salutem donarit. Deinde Principi pro benevolentia sua & fida admonitione gratias agit, ac ostendit, sibi primùm dolere, quòd turbulenti homines hujusmodi criminationibus falsis nos in odium Principis adducere conentur. Etenim non esse moris nostri, ut quenquam in concionibus publicis aut lectionibus Theologicis conviciis proscindamus, nedum Lutherum de Ecclesia optimè meritum: & quamvis ipse Lutherus in concertatione Sacramentaria nos contumeliosissimè appellârit, nunquam tamen nos nisi honorificam ejus mentionem fecisse. Constare autem nobis, hodie quoque in Saxonia complures Ministros non nisi cum contumelia aliquam nostri mentionem facere, nos Suermeros, Iconomachos, Sacramentarios & blasphemos nominare: atque Marpurgi in ipsius Principis Academia Theobaldum Thamerum in publicis Lectionibus nos multis probris onerare: petere igitur nos ab ipsius Clementia, ut nostræ innocentiæ rationem habeat, & silentium hujusmodi conuiciatoribus indicat. Magnam præterea nobis fieri injuriam, quòd dicamur expellere eos qui Basiliensem Confessionem amplectantur: nam propter hanc controversiam neminem unquam à Magistratibus nostris ejectum, neque hîc opus esse Magistratuum animadversione, cùm summa sit inter omnes de hoc dogmate consensio. Basiliensem Confessionem nos agnoscere, modò verba quædam non trahantur in alienum sensum quàm à nobis scripta sunt: Si Lutherus cum suis hac Confessione, quam approbârant contenti, publicis scriptis nunquam nos contumeliosè provocassent, pacem conservari potuisse. Atque quòd nobis obiiciatur idipsum in his locis contingere, ubi Lutheri libri regnent, ut pii homines, qui Basiliensem Confessionem profitentur, locum habere non possint: id nos clementiæ Principis expendendum relinquere. Quod autem in Aula Imperatoria Majestatis controversia hæc sacramentaria Illustriss. Principi objecta fuerit, nobis dolere, sed nos non esse certaminis authores, sed provocatos non debuisse causam bonam deserere, & Ecclesiarum nostrarum Ministrorum ejus cùm vivorum tum mortuorum famam negligere. Paratos esse nos quòd etiam ultima Responsione ad Lutherum testati sumus, perseverare in ea fidei simplicitate & integritate, quam in confessione Basileæ publica nomine conscripta professi sumus. Sed à nobis plura exigi, ut nullam mentionem faciamus spiritualis manducationis, & corporalem tum præsentiam confiteamur, id nos facere salvâ conscientiâ non posse, multò minùs cum Luthero confiteri, panem esse naturale corpus Domini, quod impii ac Iudas non minus corporaliter sumant quàm Petrus & omnes sancti: hæc enim ipsius Lutheri verba sunt. Adhæc Lutherum cum suis scripsisse, excepta Transsubstantiatione, de Sacramento per omnia consentire cum Romana Ecclesia, quod nos nullo modo probare possimus. Paratos tamen esse nos ad pacem servandam, modò petant ut ea dicamus & concedamus, quæ neq; intelligimus neq; alios docere possumus, quoniam perspicuè in Ecclesia loquendum est & simplices non turbandi. Postremò petit ut Illustr. Princeps nostram excusationem clementer recipiat, & nos etiam apud alios Illustrissimos & illustres Principes excuset, ac si in posterum aliqui nos accusent, ne illis fidem habeat, sed pro sua clementia nostram defensionem prius audiat, semper enim paratos nos fore ad reddendam rationem doctrinæ si id à nobis postuletur, nos veritati maximè studere, & simul concordiæ inter Magistratus conservandæ.

Landgravius Tigurinorum excusatio nem accipit.

Non displicuit hæc responsio Landgravio, qui semper pacis Ecclesiarum studiosus & nostris nunquam inimicus fuit, Bullingerum quoq; magnâ benevolentiâ complexus est. Et quoniam mox secutum est bellum Germanicum, aliquoties ex castris ad Bullingerum scripsit: petebat autem ut Helvetii quoque, qui Evangelium profitentur, suas copias auxilio mittant Protestantibus, sed id ob graves causas illi facere renuebant; & docebant magis è re esse Principum, ut bello abstineant, alioqui reliquos quoque Pagos Romanæ religionis suas copias Cæsari auxilio missuros, qui nunc, quamvis petente hoc Cæsare & Papa, nostrorum exempla quiescant. Interea tamen aliquot millia nostrorum, absque publica authoritate o urbibus Imperii militârunt. Ministri, quòd ipsorum muneris erat publicas preces instituerant, ac convocato populo, Deum pro pace & salute totius Germaniæ religiosè deprecabantur.

ANNUS M. D. XLVII.

Bellum Germanicum.

Hoc anno Carolus V. Imperator, instigante Paulo III. Pontifice Rom. bellum gessit contra Ordines Protestantium: Eo tandem composito, victor Imperator quosdam Principes à sua gratia repudiabat, inter quos erant Georgius Wirtebergensis Comes, & Ludovicus Comes Ottingensis, qui ad vicinos Helvetios,

sese

sese conferebant, donec Cæsaris gratia eis reconciliaretur.

Iohannes Hopperus Angliæ Episcopus Tigurum venit.

Iohannes quoque Hopperus postea Glocestriensis Episcopus in Anglia & Martyr hoc tempore Tigurum venit cum uxore, Bullingero familiarissimus, cum quo de omnibus capitibus religionis, tum verò præcipuè de Sacramentis sæpe disseruit, & quæ nostrorum esset sententia exquirens, & quid aduersariorum obiectis respondendum sit, discere cupiens. Quæ autem ipsius sententia de Cœna fuerit, & quam consentanea doctrinæ Helueticarum Ecclesiarum, scripta sanctissimi Martyris testantur à Iohanne Foxo historiæ Martyrum Anglicorum inserta.

ANNVS M.D. XLVIII.

Constantia ab Hispanis oppugnata.

Die sexto mensis Augusti huius anni, Constantia ab Hispanis oppugnata est, quòd detestandum INTERIM*, iuxta mandatum Cæsareum, recipere nollet, & multi egregij ciues factâ eruptione occubuerunt. Postea cum ab Imperatore ob eandem causam proscripti varijs modis diuexarentur, & ciuium quoque variarent sententiæ, Austriacis sese dediderunt.*

Ambrosius Blaurerus.

Ministri itaq; Ecclesiarum nullum ampliùs ibi locum habentes, urbe excesserunt. Inter quos primarius fuit Ambrosius Blaurerus, nobili familiâ natus, & magnâ eloquentiâ præditus. Is primùm Visoduri (quod celebre Tigurinorum municipium est) consedit: postea Biennam Heluetiorum profectus, ministerium Ecclesiasticum ibi suscepit.

Propter Interim multi ministri hinc inde in exilium pelluntur, & ab Heluetijs amicè excipiuntur Wolfgangus Musculus.

Compilatorum historiæ Confessionis Augustanæ querela.

Multi quoque alij Doctores Ecclesiarum, & belli Germanici tempore, & postea cùm INTERIM *Imperatorium recipere & approbare nollent, solum hinc inde vertebant, & in exilium ibant. Quidam ad Heluetios profecti, humaniter accepti sunt.* Wolffgangus *Musculus Augustâ* Windelicorum *Tigurum venit, postea Bernam, vbi sacram Theologiam magna cum laude in Schola docuit, multisque libris editis, suam de Cœna Domini sententiam perspicuè declarauit. Geruasius Scholasticus, qui Memmingensis Ecclesiæ Pastor fuerat, aliquandiu Tiguri concionatus est, postea Lenzeburgi Bernensium oppido. Alij alibi Ecclesijs Helueticis præfecti sunt. Hoc Collectores historiæ Augustanæ Confessionis his verbis deplorant.* Ex eo bello Germanico, *inquiunt*, grauissimæ persecutiones ad omnes ferè Ecclesias Euangelicas io Germania, tristissimique tumultus ac perturbationes, ad Ordines Protestantium redundarunt. Et præcipuè propter impium atque abominandum Interreligioois librum, quem *Interim* vocarunt, permulti superioris Germaniæ Ecclesiarum Ministri in exilium pulsi fuerunt: quorum plerique in Heluetiam digressi, Lutheri sententiâ relictâ, ad Zuinglianos defecerunt, & in ipsorum Ecclesijs functiooibus impetratis, publicis postea scriptis, errorem Sacramentarium defendendum susceperunt.

1548.

Iohannes Brentius laudat iam Heluetios, & Caluini amicitiam quærit.

Brentius Hala Sueuorum pulsus, Basileæ aliquandiu substitit. Multi peramanter ad Helueticos Ministros scribebant. Publica enim Ecclesiæ calamitas, priuatarum offensionum obliuionem inducebat. Tempore igitur Interimistico omnis controuersia Sacramentaria cessauit, sic vt ne Brentius quidem vllam de ea litem moueret, sed potiùs Heluetios laudaret, & Caluini amicitiam studiosè quæreret: vt apparet ex hac eius epistola ad Caluinum anno 48. *scripta 6. Octob.*

Non dubito, *inquit Brentius*, amicissime mi Caluine, te iamdudum accepisse quis sit status, imò quæ sit mutatio Ecclesiarum in oostra parte Germaniæ: quæ ruina etiam me ex ea Ecclesia, in qua Euangelium Filij Dei vigintiquioque annis docui, eiecit. Et cum maodato τῆς αὐτοκράτορος, vel ad carceres vel ad mortem peritus fuerim, hactenus diuinâ clementiâ, & curâ amicorum ita defensus sum, vt his diebus saluus ad Basileam peruenerim. Statui autem hîc hybernare. Et quanquam iouenerim omnia hîc commoda, hospitium, vrbis amœnitatem, ciuium beneuolentiam, doctorum virorum familiaritatem, & (quo maximè delector) Ministrorum Ecclesiæ humanitatem: tamen cùm veoit in mentem vastatæ Ecclesiæ, desertæ familiæ meæ, ac periculorum, quæ alijs Ecclesijs & Ministris earum imminere videntur, cogitare ipse potes nihil externarum rerum tam amœnum esse, quod in tali paroxismo iucunditatem afferre queat. Quare, quæ est tua pietas non dubito, quin coniungas tuas preces cum nostris, vt Filius Dei incipiat iterum declarare se sedere ad dexteram Dei Patris sui, & tueri Ecclesiam suam. Nam hoc officium nos vicissim vobis præstamus, & gratulamur tibi & tuæ Ecclesiæ, quòd hæc pericula ad vos nondum pertingant, ac precamur Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi vt vos ita conseruet, quò perspicuè cognoscatur, Ecclesiam Filij Dei non io cœlis tantùm, verùm etiam io terris suas habere mansiones & hospitia. *Et in fine Epistolæ:* Age igitur, *inquit*, amicissime mi Caluine, conscende, quod facis, nobiscum precibus tuis in cœlum, vt excitemus Filium Dei ad seruandas reliquias suas. Bene & feliciter vale. *Hæc tunc quidem sic Brentius, progressu verò temporis aliter de Caluino indicauit.*

1548.

Argentinensium Confessio quadragesimi octaui anni.

Cumq́ Imperator Carolus Argentinensibus quoq́, sicut alijs Protestantium Ciuitatibus & Ordinibus, Interim obtrudere hoc tempore conaretur, sua Ecclesia Confeßionem & doctrinam de nouo conscribi Argentinenses curarunt, quæ 48. anni Confessio dicitur, *cui etiam omnes Ecclesia sua Ministros subscribere oportuit. In ea prouocant ad primam suam Confeßionem, eiusq́ Apologiam, quam Anno 30. Imperatori Augusta seorsim exhibuerunt, & inde ad hoc vsq́ tempus immutatam retinuerunt: caueruntq́, vt Ministri doctrinam ab anno 38. ibi traditam solam sequantur: eoq́ ipso satis superq́ testatum facere voluerunt, se hanc suam Confeßionem & Apologiam* Witebergensi *Concordiâ nequaquam reuocasse, vt hodie ipsis affingitur: sed dictam Concordiam huius Confeßionis sua declarationem potiùs esse, & cum ea in omnibus consentire. In illa autem Repetita sua Confeßione de Cœna Domini sic docent:* De Sacramenti corporis & sanguinis Christi substantia, sic credimus & docemus simpliciter, quemadmodum Christus eiusq; Apostoli testati sunt, Nempe, quòd panis, quem frangimus, benedicimus, distribuimus & accipimus, vt Dominus mandauit, sit communio corporis Christi pro nobis traditi, & quòd poculum Domini sit communio sanguinis Christi pro nobis effusi: Quòd etiam hæc communio talis sit, quâ magis magisq; caro de carne eius, sanguis de sanguine eius, & os de ossibus eius fiamus, quâ etiam nos in ipso, & ipse in nobis sit, maneat & viuat, nosq; in ipso vnum corpus & vnus panis simus: Ita vt hîc cum sancto Episcopo & Martyre Irenęo in Sacramento Cœnę duas res confiteamur, terrenam videlicet, quæ est panis & vinum, quæq; iuxta Gelasium Romanum, in sua substantia non mutantur: deinde cœlestem, nempe verum corpus & sanguinem Christi, hoc est, ipsum Christum Dominum nostrum, totum Deum & hominem, qui propterea cœlum non relinquit, neq; cum pane & vino naturaliter commiscetur, aut localiter eis includitur; sed seipsum hîc nobis pręber cœlesti modo in verum cibum & sustentationem, ad vitam æternam, & in testimonium sanctæ resurrectionis. In hac simplici Confessione constanter permanemus, & alias inutiles ac superuacaneas quæstiones Deo committimus: &c. *Subscripserunt Caspar Hedio, Martinus Bucerus, Paulus Fagius, M. Theobaldus Niger, D. Iohannes Marbach, Iohannes Stenelinus, Iohannes Lenglinus, vnà cum omnibus Diaconis Argentinensis Ecclesia.*

Repetita Confessionis Argentinensis articulus de Cœna.

De Matthia Flaccio Illyrico, eiusque rixis & contentionibus, quas in Ecclesijs Saxonicis, præsertim contra Philippum Melancthonem hoc tempore & sequentibus aliquot annis, inprimis propter Sacramentariam causam excitauit.

IN hoc perturbatißimo tristißimoque Germanicarum Ecclesiarum statu, Matthias Flaccius Illyricus *nouas rixas & contentiones admodum periculosas in Saxonicis Ecclesijs excitauit, quibus inprimis Philippum Melancthonem oppugnare, eiusque doctrinam vellicare & criminari, authoritatem verò & existimationem omnibus modis imminuere conatus est. Et quia in his rixis & contentionibus optimum Philippum ob mutatam priorem sententiam de Cœna Domini calumnijs suis in odium apud quoscunque etiam adducere voluit Flaccius, opera pretium me facturum existimo, si initium & progressum Tragœdia huius ordine exponam.*

Flaccius Tubingam venit.

Matthias igitur, Illyrica gentis homo, qui sibi Flaccij nomen imposuerat, fuisse enim ei familiare aliud fertur, in adolescentia ad Matthiam Garbicium, Gracas literas in Tubingensi Academia profitentem, popularem suum se contulit: vsusque est Garbicij hospitio pro facultatibus ipsius non illiberali, & expertus aliorum quoque beneuolentiam ac studium. Inde discedens, Witebergam *profectus est: Eumque humanitate aliquantò maiore Philippus Melancthon complexus est. Itaque omnibus rebus adiuuit eum, augens & ornans hominem, suis etiam facultatibus sustentans. Mediocrem autem sermonis Graci scientiam cùm teneret Flaccius, in cognoscendam linguam Hebraicam tunc totus incubuit* Witeberga: *Vbi etiam Magistri bonarum artium titulum atq; insignia assecutus est, & data ei vxor, & publicum docendi munus Philippi operâ ac studio aßignatum.*

Rursus Witebergam venit & à Philippo humaniter excipitur ac augetur.

Flaccius fouet erroneas opiniones, easque propagare studet.

Animo autem fouebat erroneas & falsas quasdam opiniones de Iustificatione hominis coram Deo, de Libero Arbitrio, & similibus doctrina Christiana capitibus. Et quia turbulenti ac ferocis erat ingenij, opiniones suas propagare omnino animum induxit. Sed initio astutè legere Flaccius ea qua animo agitabat, & alienationem atque odium dißimulare.

Flaccius cùm florente Philippo.

Quòd verò intelligeret, se, florente Philippi authoritate & doctrinâ, monstrosas suas opiniones Ecclesia & Scholis obtrudere non posse, ideo fouit omnes eos, puta Nicolaum

Gallum,

1548.

perterrere suos non posse sperarent, eum in contemptum adducere studet. Prætextus sub quo Flacius Philippi authoritatem imminuere conatur.

Gallum, Iohannem Wigandum, Matthæum Iudicem, Basilium Fabrum & similes, quos odisse Philippum sciebat, & eorum operâ virum sanctissimum, eiusque doctrinam & libros in contemptum adducere studuit, verùm sub alio prætextu, qui talis fuit.

Carolo Imperatore omnibus viribus annitente, vt Concilium inchoatum Tridenti ibidem perficeretur, Pontifice verò atque ijs qui Bononiam transierant refragantibus, proque sua authoritate, respondendo postulatis Imperatorijs acriter propugnantibus: Imperator reputans neque se dignum intermitti illarum rerum tractationem, quarum maximè causâ tam periculosum & graue bellum superiori anno suscepisse ipsum gessisseq; asserebatur: neq; suis multiplicibus promissis de controuersiarum Ecclesiasticarum cognitione consentaneum esse, relinqui tunc quoque cùm nemo voluntati ipsius aduersari posset, incerta, dubia, litigiosa omnia, Pontificijs tam manifestè tergiuersantibus: cum quibusdam deliberatô re, consilium cepit, excerpendi quædam ex ijs scriptis quæ superioribus annis ad Concordiam dissentientium de Religione fuerant non tam absoluta atq; comprobata, quàm instituta & proposita. Atq; ità liber paucorum quorundam clandestinâ atq; tenebricosâ operâ congestus & consutus fuit, quo præscribebatur, quid Interim, dum Synodi decreta prodirent, fieri seruarique oporteret, ab ijs quidem, qui in doctrina Ecclesiæ & ritibus vsitatis aliquid innouassent. Vnde etiam liber ille quasi tituli nomine est vocatus INTERIM: In quo hominibus ita dimidius relinquitur Christus, vt nulla interea doctrina ipsius pars vel non obscurata horribiliter, vel non aliquâ mendacij labe aspersa fuerit. Et tamen constat vrgendo minimè elementer, sed admodum potius imperiosè, iussa de recipiendo illo libro & præscripto in eo exequendo ad omnes ordines delata, & tanquam de his consensissent vniuersi, neque recusationem, neque preces, denique nihil quod contradiceretur, ab Imperatore Carolo admissum esse.

Cæsar decreuit quid à Protestantibus in religione interim dum Tridentinâ Concilij decreta prodiren, fieri oporteret. Liber INTERIM.

Mauricius Elector Saxoniæ ex Augustanis Comitijs, in quibus liber iste Ordinibus Imperij obtrusus erat, reuersus ad suos, vt de Religione antè eis cauerat, ita quid agitaret consilij Imperator, quid. ue & quâ id seueritate flagitaret & vrgeret exposuit: Et quòd de libro isto nihil omnino nisi re cum suis communicatâ promittere voluerit, ostendit: Renouato simul promisso, quo nec sese deflexurum ab ea doctrina, quam suæ Ecclesiæ profiterentur, nec passurum, vt ab eadem sui ad alienam & nouam adigantur, confirmauit. A Theologis autem conuocatis moneri se petiuit, Quid saluâ veritate doctrinæ & conscientiâ saluâ, concedere Imperatori posset in ritibus Adiaphoris seu medijs, ac ceremonijs, ne pertinaciâ temerariâ in rebus non necessarijs nec impijs aduersando Imperatori, qui præ se ferret concordiæ causâ hæc institui & requiri, præbeat argumentum fingendæ falsò nouæ rebellionis & contumaciæ, &c.

Mauritius Elector deliberat cum suis de Cæsareo decreto & libro Interim.

Cùm hac flagitatione sæpe multumque vrgerentur Theologi, & ipsis spes etiam præberetur, hac lenitate sua, Ecclesias suas incolumes, & à bellicis vastationibus immunes fore, habitis super ea re in aliquot Conuentibus serijs ac grauibus deliberationibus, tandem, maioris periculi & damni vitandi causa, cesserunt, inter quos Philippus præcipuus fuit, & de mediorum nonnullorum rituum receptione, abolita tamen omni superstitione, consenserunt iis, qui eam lenitatem tantopere ab ipsis exigebant.

Theologi Saxonici in Conuentibus aliquot deliberant de respondendo Electori. Philippus probauit quædam adiaphora propter liberum vsum vera doctrina.

Hos conuentus Theologorum Flaccius cùm adhuc Witeberga esset, primò clàm & fictitio nomine sparsis chartis suggillare, mox apertè criminari ac traducere ad vulgus cœpit, cùm quid ageretur & fieret, quid exigeretur ab ijs qui ad deliberationes adhibeantur, quid de petitis & postulatis illi responderent, nec sciret nec scire certò posset, nisi quantum suspicionibus colligebat, & de captatis à sese vel incerto sermone peruulgatis arripiebat rumusculis, denique quantum somniabat ex somnijs Philippi, quæ studio tam sollicito excepit & notauit, vt momenta etiam in suos retulerit Annales, quibus ea recitari audiuit, scilicet ne quid periret, quod substruendis aut fundandis aliquo modo ijs, quæ meditabatur, accommodatum reperiebat.

Flaccius suggillat Theologorum conuentus quibus ipse non fuerat adhibitus.

Paulò pòst cùm à suspicionibus, somnijs Philippi Melancthonis perquisitis ac direptis in huius Bibliotheca scriptis priuatis & epistolis, vocibus à quocunque auditis, quas sciscitando insidiosè: & animos perterrendo elicere solebat & similibus, præclarè sibi videretur instructus ad eam causam publicè & ex professo agendam, quam vsque ad illud tempus alieni nominis figmento presserat, turpiter ac sine causa deserto loco & munere suo in arcem Magdeburgensem confugit, indeq; apertas accusationes in Melancthonem præcipuè, & alios Theologos emisit, & hortationes, vt ceu pestes & nocentissimi seductores & mangones religionis, fugerentur. Ita huius sui primi actus & initij clamorum nullas alias habuit causas Flaccius, quàm vanissimas suspiciones, conceptas ex illis Conuentibus, & congressibus paucis cum Episcopis Saxonicis.

Flaccius Magdeburgum confugit, indeque apertas accusationes in Philippum emisit.

Deinde vbi acta & responsa & conclusa in Conuentibus illis ab Electore Mauritio imperatis, cum aliquibus clàm communicata fuissent,

Flaccius nanciscitur Acta conuentuum Theologicorum:

1548. *sent, & paulatim, ita vt fit, in plurium manus peruenissent, Flaccius ea omnia per quosdam ad hoc partim concilatos & præparatas emissarios suos & Coricæos venabatur & conquirebat: summopere laborauit, vt particeps fieret scripti Lipsici, in quo illa annotata fuerant capita mediorum rituum in Ecclesia, quibus concessis vel receptis, cum obtestatione grauissima persuasus fuit Philippus, cæterique Theologi & pacem Saxoniæ, & incolumitatem Ecclesiarum, & liberum vsum incorrupta doctrinæ & Sacramentorum redimi & retineri posse.*

Flaccij triumphi.

Eius igitur scripti nactus copiam Flaccius, tum demum seriò exultare, triumphare, gloriari de suis illis antea sparsis præmonitionibus, & palàm prædicare: nunc tandem liquidò apparere, se verum vatem, salutarem monitorem, pium ac sollicitum curatorem Ecclesiarum, & salutis singulorum fuisse: nunc cerni dudum prædictum prouentum & fructum illarum occultarum congressionum, & consultationum: iam actum esse de religione pura, proditam esse libertatem Euangelicam, susceptum denuò iugum pristinum Pontificiæ tyrannidis: commissas miseras oniculas lupis mitratis. Hæc ita se habere, vt demonstret certò & suam fidem, & sollicitudinem pro Ecclesiis omnibus comprobet, ac testatam faciat, typis euulgat illa ipsa capita τῶν ἀδιαφόρων Lipsiæ proposita Statibus Saxonicis, eoque nomine ipso æquat libro pernicioso Interim, *& adiectis Scholiis, singula verba ferè in impium sensum detorquet, & in summa, miro & ipsi soli cum paucis alijs possibili artificio cauillandi & calumniandi, conatur persuadere omnibus, nil nisi venenum præsentissimum in illis capitibus, contineri. Declamitauit passim cum suis, ornamenta Ecclesiarum, ita constanter sine vlla cessionis nota retinenda esse, vt ne minimum etiam in ritibus quantumvis concessis & indifferentibus reciperetur aut mutaretur hoc tempore, cùm mutatio rituum iuxta præscriptam in libro* Interim *formam exigeretur, & si propterea vis ab Imperatore aut Pontificiis pararetur, indicarunt eam armis & vi opposita repellendam esse. Et si ita accideret, vt illato ab Imperatore bello vincerentur, & succumberent non propterea tamen tanti æstimari aut formidari debere vastationes agrorum, direptiones vrbium, cædes ciuium, raptus & cantumelias honestarum matronarum & virginum, mactationes aut exilia Ministrorum Euangelij, vastationes Ecclesiarum, dissipationes Schalarum, euersionem disciplinæ, & alias infinitas calamitates, quas bellicus furor ceu diluuium regionibus importat, vt metu illarum linea vestis à concionaturo indueretur, aut lectiones Euangeliorum & Epistolarum ad aram Latina linguâ recitarentur, aut similes ritus natura sua non impij reciperentur in illas Ecclesias, ex quibus fuissent semel exturbati, cùm sibi & alijs magnis clamoribus vel ipse vel alij persuasissent, illam cessionem in minimis quoq; & liberrimis ritibus, plerosq; interpretaturos & accepturos esse, pro omissione confessionis omnibus mandatæ, proditione veritatis, abiectione repurgatæ doctrinæ, susceptione pristini iugi Pontificij, reditu ad priores sordes semitu electas, deniq; pro abnegatione Christi, pro Ecebolismo, & pro extrema prophanitate & impietate.*

Flaccius typis euulgat Acta Lipsica de adiaphoris approbata & recepta. Flaccij iudicium de adiaphoris receptis.

Nactus otium tandem Philippus mox de priuatis Consultationibus falsò & calumniosè ex solis suspicionibus, sine fundamento aliquo reprehensis, breui respondit Epistola, quam præmisit repetitæ in enarratione Epistolæ ad Colossenses doctrinæ de pœnitentia & vera conuersione ad Deum, anno 49. contra præstigias, quibus satisfactiones à quibusdam recens pingebantur. Huius Epistolæ partem hoc loco inserere placuit, vt inde intelligatur, quid reprehenderit Flaccius, quare Philippum culparit & quas causas huius reprehensionis habuerit.

Philippus respondet criminationibus & calumnijs Flaccij.

Sic igitur inter alia scribit: Sonat eadem vox doctrinæ vniuersæ, quam in libris nostris, qui extant, sonamus. Usus Sacramentorum manet idem, qui fuit ante proximum bellum. Taxantur errores, & idola, vt libri à nobis scripti ostendunt.

Ex præfatione Philippi in epistolam ad Col.

Quod verò clamitat Flaccius Illyricus, & doctrinam mutari, & restitui ceremonias quasdam antè abolitas, primùm de doctrina respondebo. Palàm refutat hanc calumniam vox omnium docentium in Ecclesijs nostris & in Scholis. Ac ne longa aut obscura sit responsio: De vniuersa doctrina sentio, quod scripsi in eo libro, qui in multorum manibus est, titulo *Locorum Theologicorum*, in quo non volui nouum doctrinæ genus constituere, sed fideliter collegi doctrinam communem harum Ecclesiarum, quæ amplexæ sunt confessionem exhibitam Imperatori *Anno* 1530. quam sententiam iudico esse perpetuam Ecclesiæ Catholicæ doctrinam, ac volo dextrè & sine sophistica & sine calumnijs intelligi id scriptum.

Doctrinam à Philippo non mutatam.

Et quantum mihi conscius sum, non studio dissentiendi ab alijs, non amore nouitatis, non φιλονεικίᾳ, aut aliâ vllâ prauâ cupiditate impulsus sum, vt illam Epitomen colligerem. Sed tempora occasionem præbuerunt. Cùm in prima inspectione Ecclesiarum comperissemus admodum dissonos clamores esse ineruditorum de multis rebus, summam doctrinæ, quam Lutherus in diuersis & interpretationum & concio-

num

num voluminibus tradiderat, tanquam in vnum corpus redactam edidi, & quæsiui genus verborum, quo ad proprietatem, quæ ad perspicuitatem & concordiam vtilis est, discentes assuefierent, ac semper omnia scripta iudicio Ecclesiæ nostræ & ipsius Lutheri permisi, de multis quæstionibus etiam disertè sciscitatus sum Lutherum quid sentiret, ac multi pagellarum illarum exempla adhuc habent. In eius doctrinæ professione, quam, vt dixi, scio perpetuum esse consensum Ecclesiæ Catholicæ Domini nostri Iesu Christi: & nunc Deum inuoco, & iuuante ipso hanc confessionem ad æternæ Ecclesiæ consuetudinem adferam. Hæc recito, ne quis criminetur, me aliorum fidem dubitatione aliquâ meâ languefacere.

De rituum mutatione.

Iam de rituum mutatione, quæ alicubi facta est, pauca respondebo. Optarim certè in hac præsertim tanta mœstitia, nullâ protsus mutatione has Ecclesias turbari, ac si quæ factæ sunt, non sunt à me ortæ. Sed fateor me suasisse & Francis & alijs, ne desererent Ecclesias propter seruitutem, quæ sine impietate sustineri posset. Nam quod Illyricus vociferatur, potiùs vastitatem fuisse faciendam in Templis, & metu seditionum terrendos Principes, ego ne nunc quidem tam tristis sententiæ author esse velim. Alia onera multò duriora, quàm linea vestis est, sustinere nos studiorum & Ecclesiæ causâ manifestum est, odia potentum, contumaciam populi, maleuolentiam in fucatis amicis, discordias docentium, inopiam, iniurias & alia multa mala, quæ etiam tranquillam gubernationem comitantur. Nunc verò turbulentis temporibus multò accedunt atrociora.

Cùm autem propter tales miserias non discedendum sit à statione, toleretur etiam seruitus in re leuiore, quæ tamen sine impietate est. Mihi quidem ingens mœstitia huius temporis in tanta distractione voluntatum & opinionum poscere videtur, vt afflictas Ecclesias consolemur & foueamus, quantum piè fieri potest, & curemus, vt rerum necessariarum omnium doctrina fideliter explicata ad posteritatem propagetur, & Scholæ conseruentur, quæ custodes sint omnium honestarum artium.

Quod autem narrat Flaccius, alium nescio quem, dixisse, me dixisse, non discedendum esse ab Ecclesijs, etiamsi omnes veteres abusus restituerentur, manifestum mendacium est.

Ac videte artificem, vt odia accendat, & suspiciones cumulet, multa profert ex familiaribus colloquijs, quæ etiam calumniosè interpretatur, alicubi personis alijs sermones falsos attribuit, vt habere non solùm testes, sed etiam adstipulatores videatur. Neque sensi, neque dixi vnquam, quod ille in me falsò confert, manendum esse in ijs Ecclesijs, in quibus restituantur errores, & oblatio Missarum, & inuocatio Sanctorum, & similes impij cultus, qui nostris scriptis taxati sunt. Imò palàm profiteor, nec recipiendos esse illos idolorum cultus, nec tolerandos. Et vt discentes in singulis materijs essent instructiores, magnâ curâ & magno labore fontes controuersiarum exposui.

Hic si dolori meo indulgere vellem, possem & de Flaccio iustè queri, qui aduersùs me talia mendacia spargit, & commemorare ex alto repetitas causas harum ærumnarum, quibus nunc Ecclesia totius orbis terrarum oppressa est, & exponere quæ res armauerit audaciam aduersariorum contra veritatem, & confirmauerit potentiam. Sed hæc vulnera nunc attingere nolo, & istos libertatis vindices oro, vt sinant me & alios multos tacitos circumferre nostros dolores, nec accedant atrociora dissidia.

Gloriatur se defensorem fore pristini status. Si statum, Imperia certa & politias intelligit; & Ecclesiam suis tantùm mœnibus includit, non rectè sentit. Sparsa est etiam in alias politias Ecclesia sonans vocem Euangelij incorruptam, & verâ inuocatione, veris gemitibus & lachrymis Deum inuocans. Cùmque tanta fuerit familiaritas ei mecum, quantum significat, testis esse potest ipse meorum dolorum, gemituum & assiduitatis. Nos Imperiorum & status publici concussionem deploramus, nec quærimus arces aut præsidia: Sed in his ipsis Ecclesijs, in quibus sumus, eandem vocem Euangelij sonamus inuecantes Deum in vera agnitione & fide Filij Dei, & mediocri labore studia literarum, institutionem iuuentutis & disciplinæ adiuuamus. Si potest Ecclesijs ille defensor status aureum seculum restituere, triumphet vt volet.

Cur me delegerit, cùm nulla in re vnquam à me læsus sit, quem in ista defensione status, vt vocat, primum oppimat, vt Marius Antonium, nescio, cùm sciat mihi semper displicuisse corruptelas doctrinæ, & à me errores præcipuos taxatos esse. Nunc scribit, me promouere, hoc enim vtitur vocabulo, quia suasi, ne in templis fieret solitudo, propter lineam vestem, aut res similes.

Etiam

1548. Etiam si qua esset dissensio de re tali, non obliuiscenda erant in Ecclesia præcepta de dilectione, præsertim cùm sciat nos in magno luctu esse, & nec regna, nec opes quærere, non erant imitanda exempla ciuilium dissensionum, in quibus qui sint animorum impetus, prouerbio, significatum est: ὄφις ἂν μὴ φάγει ὄφιν μήπω γενήσεται δράκων. Ille verò mihi non tantùm stylum, sed alia minatur atrociora. Optarim nos conferre operas potiùs ad illustrandas res necessarias, satis enim certaminum restat, propter quæ inter nos pacisci inducias & velut syncretismum non modò nobis, sed toti Ecclesiæ vtilius esset, ne accideret illud, quod Paulus inquit: βλέπετε μὴ ὑπ' ἀλλήλων ἀναλωθῆτε. Ego responsiones moderabor ex vtilitate, ac spero me & scriptis, & multorum honestorum judicijs aduersùs calumnias satis defendi. Nam & alij pij & docti viri in multis regionibus non leuiter dolent, has Ecclesias condemnari.

Sed & Flaccium & alios adhortor, vt cogitent, quid futurum sit, si vtrinque accensi, Historiam annorum triginta reperemus, qualis hæc erit tela?

Quod toties profert obiter dicta in familiaribus colloquijs, imò & somnia recitat, ostendit quâ fide amicitiæ & familiaritatis iura colat. Sæpe in dolore familiares querelæ liberiores sunt, sæpe disputandi causa ego ipse vehementiùs sententiam, quam amplector, oppugno, non ludens, sed discendi causâ, vt aliorum cogitationibus erudiar.

Postremò natura mea multis nota est, non appeto laudem nouitatis, sed mediocris est comitas, quâ iocor interdum etiam in doloribus. Talia dicta postea calumniosè spargere, vt iste facit, βλακικὸν est, non officiosum, vt nihil dicam asperius. Sin autem, vt in quadam parte suæ Epistolæ significat, vbi mihi etiam gladios minatur, casus aliquis me oppresserit, quorumcunque gladijs præbenda erit hæc misera ceruix, commendabo me Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, crucifixo pro nobis & resuscitato, qui inspector est cordium, & scit me simplici studio quæsiuisse veritatem, non factiones aut regna constituere, non laxare frænos curiositati voluisse, nec sine magna difficultate diligenter consideratâ vniuersâ Antiquitate, multas intricatas quæstiones euoluisse, meque iuuentuti ad disciplinam & ad colenda rectissima studia hortatorem fuisse.

Flaccius fideli Philippi *Etsi autem spes erat futurum, vt si hæc cognouisset Flaccius, ad veritatis productæ vocem ac testimonium si nullo percelleretur testimonio conscientiæ, at pudore tamen ac rubore suffusus verecundè sese reprimeret, & impetu maledicentiæ frænato, atque cohibitâ impudentiâ, paulatim & tacitè cedendo reciperet sese, ne vel conspiceretur ampliùs in publico, vel exaudiretur vox vlla eorum, quibus hactenus incessere temerè & falsò innocentiam optimè meritorum solitus esset: Et cogitaret etiam tum de fundamentis suarum criminationum, quàm sint cæca, lubrica, falsa, lacera, malè de suspicionibus, somniis & fabellis, consuta, & calumniis malè sarta: tum de dissidiis, quibus Ecclesiam petulantis ac maledica lingua flabello inuoluisset nulla de causa; tum etiam de peruasuris in Ecclesiam horribilibus scandalis, si illata vulnera vellicando arrodendoque lacerare pergeret & exasperare: Adeò tamen nihil istorum mouit eum, vt oculis occlusis, obturatis auribus, animo in suo proposito pertinaciùs obfirmato, ita componeret se, tanquam qui nec doceri, nec cernere, audire, cognoscere vellet quicquam eorum, quæ fierent & dicerentur. Redijt itaq; ad veteres vomitus, & repetitas eodem coccysmo veteres criminationes nouis calumnijs ad eum modum exaggerauit & exacuit, vt appareret liquidò, nihil eum aliud agere & conari, nisi vt clamoribus his commoueat & perturbet animos hominum, & ex perturbatione in dubitationem, ex dubitatione in suspicionem de nouis insidijs, & metum, & ex metu & suspicionibus in odia ex odijs in consilia & conatus seditiosos concitaret atque conijceret.*

admonitione non emendatur.

Flaccius accusat Philippum de mutata religione & ritibus. *Clamabat Flaccius tunc atrociùs quàm antea, Discessum esse à veritate & defensione doctrinæ Christianæ: religionem ad studia & cupiditates potentum detortam esse & attemperatam: ritus impios in Ecclesiam reuocatos esse: conciliationes tentatas Christi cum Belial: Scortum Babylonicum in Ecclesiam intromissum esse, & similia, quorum manifestam impudentiam & vanitatem non tantùm in publicum edita scripta & viua docentium voces redarguebant, sed & res ipsa illo ipso tempore, & quæ in oculos atque aures omnium incurrebant, sine vllo patrocinio vllorum refutare poterant apud eos, qui veritatem quærerent.*

Flaccius alia viâ rem aggreditur, & accusat eum de mutatione doctrinæ in Cœna. *Cùm autem hæc non successisset apud bonos & pios viros, alia rem aggressus est via contra Philippum Flaccius cum suis, quorum odium implacabile magis adhuc aduersùs Philippum accendit, quòd mutatâ priore sententia sua de Cœna Domini, doctrinam Sacramentariorum, quos ita vocant, probare & defendere inciperet. Longiùs igitur progressi, conati sunt scriptis in vniuersum omnibus Philippi quibuscunque possent modis ac rationibus fidem & authori-*

1548.

1. Accu-satio.

thoritatem derogare. Ac primò *quidem literas eius ex Augustanis Comitijs ad Lutherum Coburgum missas, de conscribenda Protestantium Principum Confessione, in lucem ediderunt & sinistrè interpretati sunt, quasi ipsemet de doctrina in Confessione illa comprehensa dubitârit.*

2. Secundò *sparserunt, Philippum non conscripsisse Augustanam Confessionem; cùm tamen & viuis testibus, & literis propria manu à Luthero scriptis, quaeque adhuc extant, contrarium probari potuerit.*

3. Tertiò, *Exemplaria Confessionis Augustanae in suspicionem vocârunt, & incertum esse clamârunt, quodnam exemplar pro authentico habendum sit, aut quae sit vera & legitima Confessio.*

4. Quartò, *Ipsam Confessionem etiam Cothurnum nominârunt.*

5. Quintò, *Philippum inscijs Principibus & Theologis Protestantium, propriâ authoritate Confessionem hanc recognouisse & multis locis emendâsse: ac propterea priuatum eius scriptum esse: & falsò hanc Augustanam Confessionem vocari, nec recipiendam esse: quòd non sic Augustae scripta sit & Carolo Imp. exhibita, nec à Statibus, qui ei subscripserunt, imò ne à Luthero quidem approbata.*

6. Sextò, *Locorum Communium Philippi editionem postremam anni 43. factam, & Corpus doctrinae in vniuersum reiecerunt, vt monstrosas suas opiniones simplicioribus faciliùs obtrudere possent, his orthodoxis libris è manibus iuuentutis ablatis & excussis.*

Flaccianorum adiuersus contra scripta Philippi eiusque scripta in Aldenburgensi Colloquio.

Inprimis autem Flaccij gregalium vesania in deformanda, praeter meritum Philippo & scriptis eius vtilissimis eleuandis, exeruit sese in Aldenburgensi Colloquio, in quo disputari debuit cū Flaccianis de Iustificatione hominis coram Deo, & an bona opera ad eam sint etiam necessaria: de Libero Arbitrio: & de Adiaphoris. Adfirmare enim non erubuerunt, ac demonstrare conati sunt, in doctrina Lutheri ac Philippi dissensum esse ac discrepantiam tantam, quanta sit inter aestatem & hyemem dissimilitudo. Ac tandem etiam eò audaciae progressi sunt, vt non vererentur, palàm reijcere, & de erroribus ac corruptelis plurimis ac tetris insimulare atque accusare Corpus doctrinae Ecclesiarum Saxonicarum, seu, vt contemptim de illo loquuti sunt, fasciculum illum praecipuorum & selectissimorum librorum Philippi, inq; his nominatim formulam Confessionis Augustanae à Philippo (non ignorante aut inuito, sed probante Luthero) recognitam & locupletatam: Quòd author horum librorum Philippus in plurimis & grauissimis articulis (quorum paucos tamen ostenderunt, & hos ipsos, cur & quàm verè accusarint, rationibus firmis non probarunt: & praeter hos alibi quoque latere errores plures in ijsdem Philippi scriptis dictitarunt, quos autem non indicarunt) ea quae carnis sunt sapuerit, & à norma vocis diuinae deflexerit, sapientia quadam Philosophica & carnali abreptus, & ad deuia abductus, recto pede non incesserit, sed alicubi grauiter errarit ac lapsus sit, &c. Cùm tamen Lutherus ipse in praefatione Latinorum Operum suorum, anno ante mortem proximo, nimirum 45. asseueret, Inter methodicos libros, qui tunc extiterint quàm plurimi, Locos communes Philippi excellere: Ex quibus Theologus & Episcopus formari possit, vt sit potens in sermone doctrinae pietatis. Imò, non extare vllum aliud opus praestantius, post Apostolica scripta, Locis Communibus D. Philippi, ideoque in Ecclesijs & Scholis retinendum: Quia in eo doceat, pugnet, & triumphet, ac totum Corpus coelestis doctrinae in eo complectatur: Nec in omnibus omnium Patrum scriptis, tantum reperiri eruditionis Theologicae, quantum in Locis hisce Communibus. Et si omnia illorum scripta conflentur & colliquescant, non tamen Locos Philippi inde prodituros.

Lutheri testimonium de Locis communibus & corpore Doctrinae Philippi.

Imò ipse Flaccius anno 49. sic scripsit de ijs: Locos communes tam nollem perire, quàm nollem meipsum miserè perire.

Flaccij testimonium de eodem.

Ad has autem criminationes omnes Flaccianorum contra Philippum, eiusq; vtilissimos labores animosè & grauiter responderunt in eodem Aldenburgensi Colloquio, qui tunc in vtraque Academia Lipsica & Witebergica primarij fuerunt Theologi. Cumque in Responsione illa multa contineantur, quae ad historiam nostram pertinent, praesertim de Augustana Confessione emendata, non ingratum fore Lectori arbitror, si praecipua ex Actis eius hoc loco adscribam. Sic igitur illi:

In prima, quam afferunt, ratione, caecae suae temeritatis illustre specimen conspiciendum praebuerunt, dum negarunt, ideo per omnia fidem habendam esse corpori doctrinae, quòd priora exemplaria non habeant germanam & veram Confessionem Augustanam, postrema verò confundant conciliatione praeposterâ veram Confessionem cum falsa. Ac huius venenatae calumniae priorem partem ita declarant, vt sine vllo pudore affirment, in editione prima Corporis doctrinae verae Confessioni Augustanae aliam falsam esse substitutam, quae neque scripta neque exhibita sit Augustae, neque à Statibus Augustanae Confessionis vnquam approbata. De posteriore verò parte eiusdem Criminationis, nihil aliud habent quod afferant, praeter acerbissimam, & planè hostilem insectationem

1. De recognitis Augustanae Confessionis exemplaribus.

Ad Flaccij criminationes responsio Theologorum Lipsiensium & Witebergensium in Aldenburgensi colloquio.

1548. Philippi Melanchthonis, quem in conscribenda Confessione Augustana, quum nemo tunc alius, qui id facere commodè posset, aut vellet, reperiretur, solum curam, laborem & periculum sanè grauissimum sustinuisse constat.

Primùm enim hunc præclarissimi & verè aurei illius Operis authorem negant potestatem habuisse quicquam corrigendi in eo, quod alij suum fecerint subscriptione, atque exhibitione suâ. Deinde, causantur primam & veram Confessionem Imperatori Carolo non Philippi nomine exhibitam esse: tum asseuerant, ideo non solum Philippum authorem illius scripti habendum esse, quòd Lutherus quosdam articulos, quasi materiam aut segetem, scribenti suggesserit, ac ipse postea id ipsum Opus correxerit: Postremò addunt querelam de mutata toties Confessione illa, vt & Sacramentarijs fenestra sit aperta, quâ in eam irrepserint, & periculum sit, ne idem deinceps etiam tentetur à Papistis.

Sed ad vtramque virulentæ huius calumniæ partem quod attinet, satis publicè responsum est, in ijs præfatiunculis, quæ initio exemplarium posterioris editionis sunt collocatæ, ex quibus hæc verba summam veræ excusationis aduersùs impotentem Criminationem continentia, recitare in præsentia visum fuit.

Refutatis obiectionum Flaccianarum contra Augusf. Confessionem recognitam.

Ante omnia sciendum, cùm decreuissemus edere corpus hoc doctrinæ, nos diligentissimè contulisse antiquissima exempla, quæ potuissemus nancisci, cum recentissimis: Neque vspiam deprehendisse sententiam, vel minima in parte mutatam. Quòd autem proximè diuulgata ferè in manibus omnium haberi videremus, ideo ea exprimere optimum rati fuimus. Nunc verò postquam in his ab obtrectatoribus non tam nostris, quàm authoris viri summi, & de omnibus publicè, de plurimis, & ijs quidem in primis, à quibus infestissimè oppugnatur, priuatim bene meriti, notari quædam nobis indicatur, quasi mutando deprauata: quod ad detergendam hanc maculam maximè appositum iudicauimus: id fecimus, vt omnia verba discrepantia, de alia editione excerpta nunc adderemus proximè expressis, adiecta suo quæque loco. In quibus tanta fuit sedulitas nostra, vt paucula etiam verba certis quibusdam signis inclusa noluerimus omittere, &c.

Ex his verbis Præfationis manifestè apparet, in prima editione Corporis doctrinæ non fuisse falsam Confessionem, vt Flacciani falsò vociferantur, substitutam in locum veræ & publicè receptæ: Sed bono atque vtili consilio illud exemplar Insertum esse, quod ab authore, viuentibus adhuc & approbantibus Illustrissimis Principibus, qui initiò illam subscripserant, & Imperatori Augustæ exhibuerant, recognitum & auctum, manibus omnium gestabatur, & vetustiori, propter quarundam materiarum perspicuitatem, plurimorum iudicio præferebatur: adeò vt Tomus quartus Jenensis Latinus queratur, eo tempore, quo excudi debuisset Confessio, iuxta editionem anno 31. factam, exemplaria primæ illius editionis defuisse. At quantum intersit inter vtramq; editioné, collatio multis in locis euidenter ostendit.

Nec obstat, quòd cauillantur, recognitum exemplar, neque scriptum, neque exhibitum fuisse Augustæ. Nam si hæc oratio sufficeret, ad detrahendam fidem posterioribus editionibus, valeret ea quoque in exemplari Confessionis, quæ omnium prima Wirebergæ typis excusa fuit: cuius primæ editionis exemplar, quomodo demonstrabunt ita congruere ad archetypum Augustæ scriptum & exhibitum, vt nulla vspiam in parte, quod attinet ad verba, & orationis formam, variet, cùm in Apologia tunc simul editâ, anno videlicet post exhibitionem vtriusque proximo, quantum sex quaterniones complecterentur: mutatum fuerit, totidem alijs quaternionibus substitutis. Idquod, si ita opus esset, reipsa docere & comprobare possemus.

Et videtur confirmare idem Præmonitio ad Lectorem, Confessioni vetustissimæ editionis publico consilio præfixa, in qua disertè dicitur, necesse fuisse recognitam & emédatam denuò edere, quia non solùm ad existimationem Principum, sed etiam ad religionem pertineat, præstare, ne ipsorum titulis spargantur in vulgus huius generis mendosa scripta. Quare nunc emitti probè & diligenter descriptam Confessionem ex exéplari bonæ fidei, &c. Quòd si hoc Flacciani, tanquàm crimen falsi, tantopere vrgere non desinunt, quid de crebra tráslationis Bibliorum, ab ipso Luthero adornatæ, emendatione, sentiendum erit? Dicemus-ne, postremæ editionis horum exemplaria ab eodem paulò ante morté perpolita, propterea falsata esse: quòd alicubi, ad interpretationis formam quod attinet paululùm variant à prioribus? Vertetur-ne vitio ipsi etiam Luthero, quòd post aliquot annos, re diligenter consideratâ, sicuti discipulus est prioris posterior

1548.

ſterior dies, quædam accuratiùs & magis perſpicuè ſtuduit transferre & explicare?

Paulo poſt: Flaccianis nullis licèt euidentiſſimis ſatisfieri poteſt argumentis: Alioqui enim non acciperent occaſionem exagitandi exemplaria poſterioris editionis Corporis doctrinæ, in quibus cùm illa vetus, tum poſtea ſæpius recognita Confeſſio, coniunctim ponitur, vt inde, factâ collatione, perſpici poſſit, quâ parte verbis ſententijſque congruant, & vbi non, tam in ſententijs, quàm in verbis, videantur diſcrepare. Rerum enim ipſarum perpetuum vbique conſenſum in vtraque editione eſſe nemo negabit. Eſtque omnino vox incogitantis hominis, vtriuſque editionis verba, quâ parte variant, diſtinctè ſuo quæque loco iuxtà poſita, Confeſſionem præpoſteram veræ Confeſſionis cum falſa appellare. Nam vna tantum Confeſſio vera eſt, in prioribus editionibus preſſiùs & alicubi obſcuriùs: In poſterioribus vberiùs, & aliquantò planiùs loquens.

Quòd verò ganniunt de Authore Confeſſionis Philippo, non habuiſſe eum poteſtatem corrigendi illius Operis, quod alij cum ſubſcriptione, tum exhibitione ſuâ fecerunt ſuum, quodque non ſit priuato ipſius nomine exhibitum, id quàm leue nulliuſque momenti, ac planè nugatorium ſit, Acta Colloquij Wormatienſis, ſub initium anni 41. habiti, manifeſtè declarant, vt ſuprà videre licet.

Quale verò illud eſt, quod nugantur Flacciani, non ſolùm Philippum authorem fuiſſe Confeſſionis, ſed multùm ea in parte Lutheri, quamuis abſentis, commonefactionibus fuiſſe adiutum? Nam vt hoc ita eſſe demus: (neque enim niſi communicatis primùm cum Luthero conſilijs & ſententijs, opus tam arduum, à quo cæteri, conſcientiâ infirmitatis ſuæ, & metu periculorum ac odiorum abſterrebantur, aggreſſus fuit Philippus) an propterea ſequitur? non licuiſſe ipſi, à ſe ſcriptam publico nomine Confeſſionem, ſicubi deprehenderet quædam minùs commodè & explicatè poſita, publico nomine emendare & illuſtrare?

Adhæc inter reliquas nugatorias rationes etiam hoc nomine eleuare fidem Confeſſionis Auguſtanæ moliuntur, quòd criminantur, crebrâ illius mutatione, non tantùm Sacramentarijs patefactam eſſe feneſtram, per quam irrepſerint, ſed etiam periculum eſſe dicunt, ne idem deinceps quoque à Pontificijs tentetur: Quod quidem Sycophanticum calumniandi artificium, illos non dubium eſt ab Eccio & ſimilibus alijs Pontificiarum ſuperſtitionum patronis mutuatos fuiſſe. *Quemadmodũ enim in Colloqvio Wormatienſi Eccius Thraſonicè minatus eſt, ſe inuidioſè exagitaturũ in articulo decimo Confeſſionis diſsimilitudinem exemplarium, & textus varietatem: itã in Colloquio Aldenburgenſi illius arrogantiam & vanitatem imitantes Flacciani odioſè vellicant authorem Confeſſionis, ob eiuſdem articuli diſsimilem lectionem, qua patefactam eſſe perhibent feneſtrã defenſioni dogmatis Sacramentariorũ. Sed aſpiciatur, quæ diſcrepantia ſit in ipſo textu, atq; ex eo candor & ingenuitas Flaccianorum æſtimetur. Ibi enim poſita affirmatiua ſententia, manifeſtum eſt, quid de negatiua cõtradictoria ſit iudicandum. Quid autem in recuſo Corpore doctrina reprehendi vera ratione poteſt, in qua, vtraq; lectio ideo coniunctim reperitur, vt illi ipſi crimini falſi, quod Flacciani authori Confeſſionis obijciunt, ita obuiam eatur, ne quod contra afferre illi, ſaltem veriſimiliter, ſine ſophiſtica poſsint, facilè inueniant. Verùm videant Flacciani, ne id, de quo aduerſarios ſapiẽter præmonuiſſe volunt, nimirum vt caueant, ne Papiſtis ianua patefiat, per quam in Confeſsionem Auguſtanam, retenta illa exemplarium diſsimilitudine irrumpant, ipſi commiſiſſe reipſa deprehendantur, & hoc vnum egiſſe conuincantur, vt omnis authoritas & fides eidem planè derogetur, & hæc doctrina norma primùm in dubium vocata, deinde labefactata; ac tandem omnino ſublata, confirmetur licentia petulantium ingeniorum, pro ſua libidine comminiſcendi, & in Eccleſiam inuehendi impias, abſurdas, & pernicioſas opiniones, eaſq; publicè defendẽdi. Hæc omnia Lipſici & Witebergici Theologi in Actis Aldenburgenſis Colloquij contra Flaccianos.*

Reſpondent quoque ibidem ad reliquas Flaccianorum criminationes, de erroribus, quos tribuunt Locis Philippi Theologicis: In quibus & doctrinam de libero Arbitrio deprauatam: & in iiſdem diſcrimen Legis & Euangelij confuſum: locum de Iuſtificatione non ſatis illuſtratum, imò periculoſis locutionibus implicatum: In doctrina de Cœna Domini non integram definitionem poſitam, nec Sacramentariorum refutationem additam eſſe: In capite de Magiſtratu politico, perperam aſſeri, Iuſtitiam eſſe lucem in corde: Reuelationem denique Antichriſti nuſquam ſatis à Philippo vrgeri clamitarunt.

Criminationes in Philippum eorum qui in

Hæc ſic quidem omnia Lipſici & Witebergici Theologi tum in hoc Aldenburgenſi Colloquio, tum antè etiam ſæpe Flaccio & Complicibus eius pro Philippo Melanchthone, ac vtiliſsimis eius laboribus reſponderunt: Mox verò ex illis ipſis multi Brentianam Vbiquitatem &

 Hh 2 alia

1548.

Aldenburgensi colloquio eum contra Flaccianos defendērunt. Flaccio Brentiani.

alia portenta approbare incipientes, eosdem coccysmos contra Philippum & libros eius ediderunt, veterum Flaccianorum exemplo, quòd vos socios haberent in Vbiquitatis defensione, vt in historica narratione de Concordia libro suo loco indicabitur: vnde & Flaccio-Brentiani *vulgò nominari cœperunt. Nam etiam Corpus doctrinæ Philippicæ repudiant adhuc hodie: Augustanæ Confessionis Recognitionem damnant: Errores Philippo impingunt, in doctrina de libero Arbitrio, inprimisq́; de Cœna Domini. Assuunt & nouas criminationes superioribus: Nimiùm authoritatis queruntur scriptis Philippi tribui ab eius discipulis: Inter Lutherum & Melancthonem synceram coniunctionem fuisse negant: Melancthoni animum mollem, & nimium de pace publica solicitum, probri loco objiciunt: In actionibus Interimisticis veritatem prodidisse: Pontificijs item adulatum esse in multis calumniantur: In quem finem etiam Epistolas quasdam recitant, quarum vna à Philippo ne quidem scripta est vnquam: A Confessione deniq́; Augustana Philippum reuera defecisse, & Sacramentarium dogma amplexum esse, imò, in castra Sacramentariorum prorsus transijsse, subinde dictitant, & hoc nomine omnium atrocissimè eum accusant.*

Has autem criminationes veterum & nouorum Flaccianorum editis scriptis refutarunt, Ioachimus Camerarius in vita Philippi, Ioannes Franciscus Aspaltes Salassus contra Andream Pouchentum, Peucerus in Defensione iusta Philippi aduersùs nouitios Theologos Witebergenses, & alij multi.

ANNVS M. D. XLIX.

Eduardus Rex Anglorum reformat Ecclesias in suo regno. In vita Petri Martyris. Petrus Martyr vocatur in Angliam.

MOrtuo anno 1547. Henrico Rege Angliæ, Eduardus eius Filius de consilio Tutorum & maximè Eduardi Ducis Somersetensis Auunculi sui, ac Thomæ Cranmeri Archiepiscopi Cantuariensis & totius Angliæ Primatis, Pontificiam Religionem abolere, & Ecclesias iuxta Verbum Dei reformare statuit. Et quia ex Academijs Ministri Ecclesiarum prodeunt, qui per vniuersum Regnum Verbum Dei annuntient, eas imprimis diligenter reformandas esse statuit, quo deinde ex his purus succus sanæ doctrinæ in singulas Regni partes deriuetur. Quia verò Petrus Martyr doctorum virorum iudicio, ob singularem eruditionem & incredibilem multarum rerum peritiam, vnus omnium ad hoc munus maximè idoneus videbatur, ab Archiepiscopo Cantuariensi de voluntate Regis vocatus est. Itaque sub exitum Nouembris 1547. anni, permissu Senatus Argentinâ, vbi iam quinquennium docuerat, in Angliam discessit, comitante eum Bernardino Ochino, qui & ipse quoque ab eodem Archiepiscopo vocatus fuerat. Cùm autem aliquandiu eos Archiepiscopus secum detinuisset, & omnibus humanitatis officijs prosequutus esset, Martyr iussu Regis sacris Literis interpretandis Oxonij præfectus est. In ea Academia primùm enarrauit Epistolam Diui Pauli ad Corinthios priorem, eò quòd in ea tractentur varia & multiplicia capita, quæ ad nostrorum temporum controuersias faciunt, sic vt huius Epistolæ doctrina, si commodè dextreq́; adhibita fuerit, omnibus vitijs, quibus Ecclesiæ sinceritas corrupta est, mederi possit: & omnes abusus atq́; superstitiones Papisticas conuincere.

Pontificij, quorum adhuc Oxonij magnus erat numerus, initiò quidem vtcunque patienter ferebant Martyrem docentem, & quidam etiam lectiones eius frequentabant, & se illius eruditionem admirari præ se ferebant: Alij verò, ac præcipuè Collegiorum Præsides, suos arcebant à lectionibus, nihil tamen mouebant vlteriùs. Verùm posteaquam damnatis iam antè ipsorum votis, deinceps occasione verborum Apostoli de Cœna Domini tractare incepit, existimârunt sibi vlteriùs non esse quiescendum. Etenim cùm Maiores ipsorum obscuratâ primùm, deinde deprauatâ doctrinâ huius dogmatis, in Ecclesiam hac ianuâ erroris patefactâ omnem superstitionem & idololatriam inuexerint, non poterant ferre Martyrem, qui mirifico studio veritatem Eucharistiæ ab eorum erroribus & corruptelis vindicabat. Quo verò non modò inuidiam, sed graue etiam periculum illi crearent, eum apud vulgus primùm vsitatis criminationibus traducebant, quòd Maiorum doctrinam impugnaret, ceremonias optimè constitutas conuelleret, sacrosanctum Altaris sacramentum prophanaret, & tantùm non pedibus conculcaret. Deinde omnibus rebus compositis, ipso ignorante, omnibus Templis schedas Anglico sermone conscriptas, affigunt, postridie publicè disputandum esse contra præsentiam Christi in sacra Cœna. Die ergo sequenti hi auditorium occupant, operas suas idoneis locis disponunt, easq́; ad clamores & tumultum, & ad pugnam præterea si vsus postulet, paratas esse iubent. Concurrunt præterea audiendi causâ, non tantùm studiosi ex omnibus Collegijs, verùm etiam pars nō exigua concitati populi, partim vt euentum rei spectarent, partim etiam vt alterutri parti adessent, si fortè tumultus aliquis exoriretur, Martyr interea horum omnium ignarus sese domi parabat, vt horâ constitutâ more solito lectionem faceret, cùm interea amici permoti insolitâ concursatione populi, domum ad eum veniunt, ac illi omnem rem exponunt, hortanturque, vt se domi contineat, neq́; aliquod periculum sibi conciliet, quandoquidem aduersarij ita parati sint, vt potiùs videantur armis quàm argumentis concertare

Martyri gratia in Anglia suspecta concitantur.

velle.

1549.

velle. Respondet ille, se non posse officio suo deesse, & munus à Rege demandatum sibi, negligere, se nullius tumultus outhorem vnquam fuisse, cuius rei ipsi optimi testes esse poßint: nunc quoque se nolle aduersarijs tumultuandi occasionem dore, sed more solito legere velle, esse haud dubiè multos in hoc cœtu, qui lectiones consuetas expetant, quos non poßit negligere. Pergebat iam ad auditorium comitantibus illum amicorum fidelißimu, cùm illi in via obvius fit puer Smithæi, qui in hac Tragœdia primas partes ogebat, ac literas eiporrigit, quibus ipsum herus suus ad disputandum prouocabat. Ibi tunc amici rursus monere, rogare, hortari, vt domum redeat, commemorare pericula quæ ipsum maneant, perstat tamen ille in sententia, pergit in auditorium, ac prouocantes aduersarios modestâ oratione compescens quantum poterat, respondet, se disputationem non recusare, sed nunc non disputandi, sed legendi causa huc venisse, atque ita illis concedentibus, lectionem more solito habet, magna omnium admiratione. Quippe qui antè singularem doctrinam & eloquentiam admirati, nunc quoque incredibilem constantiam & fortitudinem in ipso suspicerent. In tanto enim murmure popul. & fremitu aduersariorum, ita lectionem absoluit, vt nulla mutatio vultus & coloris in eo esset, non hasitatio aliqua vocis, non linguæ titubatio, non denique tremor membrorum, out pallor aliquam opinionem timoris præbuit.

Martyr prouocatur ad disputationem.

Finitâ lectione acriùs instont aduersarij, & eum magnis clamoribus ad disputandum prouocont, neq; modestißimam eius excusationem recipiunt, quod se diceret disputaturum esse, sed alio tempore, nunc se non esse paratum, cùm propositiones disputandas ita studiosè occultârint, neq; more solito publicè proposuerint, vt eas ad hunc vsq; diem ignoret: oiebant enim eum qui nuper causam Cœnæ Domini tam multis lectionibus tractasset, non posse imparatum esse quæcunq; tandem in hac materia quæstiones proponerentur. Tum ille, cùm eum vrgere perseuerorent, denuò respondit, se primùm nolle inconsultâ regiâ Moiestate tantam rem aggredi, præsertim cùm res ad seditionem spectare videatur. Deinde ad legitimam disputationem requiri, vt proponantur certæ quæstiones, constituantur iudices & moderatores, quorum iudicio atq; arbitrio tota res gubernetur, deniq; requiri notarios, qui vtriusq; partis argumenta & orationes bonâ fide iustaq; diligentiâ conscribant: cùm autem horum nihil nunc paratum & constitutum sit, se nec velle nec posse disputare, præsertim cùm non satis temporis supersit, die iam in meridiem vergente, ad tantam rem excutiendam. Posteaquam verò his rationibus, quamuis æquißimis, aduersarijs non satisfiebat, & iam res ad pugnam & conflictum spectare videretur, interponit se Vniuersitatis Oxoniensis Vicecancellorius, & his conditionibus pugnam dirimit, vt vterque Martyr & Smythæus cum aliquot socijs in ædibus conueniant, propositiones disputandas, tempus, ordinem & modum disputandi communi consilio constituant. Iubet deinde apparitores suos, Pedellos nominant, turbam summouere, & ipse ad suggestum accedēs, Martyrem manu illi porrectâ e turba populi abducit, & domum vsq; comitatur, ac pro sua authoritate tumultuantes compescit. Martyr liberatus ex hoc præsenti periculo, nec ideo quòd causa diffideret, disputationem remisisse videretur, hora constituta ad domum Vicecancellarij venit, comitantibus ipsum cum aliis amicis, tum præsertim Sydallo & Curtopo, qui illo tempore eximij veritatis defensores erant, postea tamen Marianis temporibus eandem constantiam non retinuerunt. Facit idem aduersarius, & secum adducit Colum Oglothropum, & tres olios Theologiæ Doctores. Diu inter eos de disputatione constituenda disceptatum est: Martyr enim æquum esse aiebat, ipsos in confutando eum seruare ordinem, quem ipse tenuisset in docendo, idque tandem obtinuit. Abhorrebat præterea à vocibus peregrinis, barbaris & ambiguis, quæ tomen in Scholis recepta sunt, itaque duabus tantùm vsus est carnaliter & corporaliter, quoniam Scriptura in Cœna describenda tantùm carnis & corporis, non rei & substantiæ meminit, ottamen ne ambiguitate aliquo ludere ipsum existimarent, se illas accipere dixit, atque si dictum esset realiter & substantialiter, Fuerunt etiam alijs de rebus dissensiones oliqua inter ipsos; attomen cùm demum de vniuersa ratione disputandi inter ipsos conuenisset, omnia quæ tum constituto fuerunt, partium consensu ad Regiæ Maiestatis Consiliarios relata sunt, vt illi de tota controuersia cognoscerent: ab his disputationis dies constitutus est quarto Nonas Maij, ad quem diem affuturi sint Legati Regij, qui disputationi præsint. Verùm Smythæus conscius sibi tumultus excitoti, non expectata die constituta, fuga se subducit, & in Scotiam primùm; deinde Louanium in Brabantiam abijt. Posteaquam verò præscripta dies adfuit, venerunt Oxonium Regij Legati, R D. Henricus Episcopus Lincolniensis, D. Richardus Coxus Vniuersitatis Oxoniensis Cancellarius, M. Richardus Morisinus Armiger, D. Christophorus Neuynsonus Iuris Canonici Doctor. His præsentibus disputauit Martyr per quatriduum cum tribus Pontificio religionis Theologis, Treshamo & Cheadzeo Doctoribus, & Morgono artium Magistro.

Disputatio Oxoniensis de Cœna Domini.

Propositiones autem od disputandum à Martyre proposita hæ fuerunt. Prima, In Sacramento Eucharistiæ non est panis & vini transubstantiatio in corpus & sangui-

Propositiones disputationis.

1549. nem Christi. *Secunda*, Corpus & sanguis Christi non est carnaliter aut corporaliter in pane & vino, nec, vt alij dicunt, sub speciebus panis & vini. *Tertia*, Corpus & sanguis Christi vniuntur pani & vino sacramentaliter. *Quantâ autem eruditione has defenderit, & aduersariorum argumenta confutârit, non necesse est commemorari, quandoquidem Acta huius disputationis in omnibus manibus habentur. Nam Martyr, quia aduersarij multa falsa & conficta de hac disputatione in vulgus spargebant, eorum improbitate, & amicorum precibus, qui hoc assiduè flagitabant, coactus disputationem hanc in publicum edidit: Quâ autem fide ac diligentiâ hoc fecerit, ostendit testimonium Regiorum legatorum libro ab ipsis additum.*

Petrus Martyr edit in lucem tractatum de Cœna Domini.

Edidit etiam hoc anno in lucem simplicem Tractationem, quam in Schola Oxoniensi de Eucharistia habuit: in qua cùm multas res in Theologia nondum antea satis explicatas, tum verò inprimis illam difficilem & obscuram quæstionem, quæ est de Christi in Sacramento Eucharistiæ præsentia, omnium optimè explicauit. Nam cùm, vt ex iis quæ hucusque narrauimus, ea de re tam variæ sint Doctorum recentium, tamque discrepantes sententiæ, vt Euangelicæ doctrinæ magna impedimenta ea dissensio fuerit, prudenterque aliqui sibi visi sint à veritatis causa tota, quasi à re incerta ac nondum satis exploratè percepta atque cognita assensionem cohibuisse: Martyr remouendi offendiculi studio, hanc suam de Eucharistia tractationem ita instituit, vt tres, quæ potissimè esse videbantur opiniones argumentis in medium adductis, quàm firmissimis diluat. Ac primùm quidem eam opinionem, quâ naturæ panis in naturam ac substantiam corporis Christi conuersio, quam appellant Transubstantiationem, statuitur, non tam absurdum quàm impium dogma confutat, ac quæ quantæque rationes ad illum errorem confirmandum afferuntur, eas omnes refellit. Hoc errore ad hunc modum remoto ac refutata, ad eorum opinionem transit, qui in Eucharistia panis & vini substantiam reliquam quidem esse & manere integram, sed cum ea corpus & sanguinem Domini verè & naturaliter, & vt ipsi solent dicere, realiter coniungi & commisceri docuerunt. Duabus his opinionibus prorsus confutatis, accedit ad tertiam cuius authores & patroni statuunt, symbola cum rebus per solam ac nudam significationem sic coniungi, vt præter signa inania nihil in Eucharistia reliquum faciant. Quam opinionem complures nostra ætate viri docti confidenter quidem, sed tamen impudenter Zuinglio tribuunt. Nam, vt in hac Tractatione scribit Martyr, libri Zuinglij ab ipso editi, testes sunt locupletissimi, eum signa ponere in Eucharistia sacramento minimè vacua, minimeque inania. Ac quoniam nihil est tam impium, tamque indignum hominis Christiani grauitate atque constantiâ, quàm alicuius hominis authoritate adductum, aut falsum sentire, aut quod non satis exploratum habeas sine vlla dubitatione defendere: præteritis eorum, qui istarum opinionum patroni videbantur esse, nominibus, opiniones ipsas ponderat atque rationes, quæ vtrinque afferuntur, sic expendit, vt qui neutrius in magistri verba iurauerit, quid verum sit, & Scripturæ S. consentaneum, satis intelligat.

Martyr in doctrina de Cœna Domini tradenda perspicuitatem secutus est.

Cùm autem in explicatione controuersiæ de Cœna Domini complures viri docti affectatâ quadam obscuritate hoc tempore vterentur, in Martyris Scriptis è contrà nihil nisi proprium, simplex, & dilucidum in hac causa legitur. Et cùm Bucerus, quem coluit & admiratus est semper, sæpe illum hortaretur, vt in Causa Cœnæ Dominicæ obscuris quibusdam & ambiguis dicendi formulis vteretur, quibus ipse ideo vtebatur, quòd vir bonus sibi persuasisset, posse, hac ratione tolli grauem, quæ est de hac causa controuersiam, & ita Ecclesiæ, pacem diu desideratam restitui: paruit tandem illi, & eisdem cum eo loquendi formis vsus est: sed mox periculo huius rei animaduerso, sententiam mutauit. Vidit enim hac ratione non posse illis satisfieri, qui crassam & carnalem præsentiam corporis Christi in Cœna statuunt, nisi etiam crassæ eorum locutiones cum plena crassaque interpretatione recipiantur: rursus etiam expertus est, fratres infirmiores hac orationis ambiguitate partim grauiter offendi, partim ita implicari & perturbari, vt vix norint quid sibi in hac causa sentiendum sit. Quare Bucero suas locutiones concedens, ipse eandem quam in alijs rebus, in hac quoque dogmate perspicuitatem secutus est, mansitque nihilominus inter eos firma constansque amicitia: nam neque Martyris sententiam Bucerus improbabat, neque Buceri sensum, quantumuis ambiguis locutionibus vteretur, Martyr ignorabat. Itaque etsi diuersa eorum in hac causa esset docendi ratio, fuit tamen summus eorum consensus in omni doctrina religionis, & perpetua amicitia vitaque coniunctio.

Bucerus ad Martyrem scribit de Cœna negotio.

Quia autem Bucerus obscuro & ambiguo, Martyr contrà simplici, aperto & perspicuo orationis genere vsus est, ideo Bucerus ad Martyrem de propositionibus disputationis Oxonij habitæ, sic scripsit, vt habetur Tomo Anglicano fol. 546. Fateor ego, si tibi visum fuisset mecum de constituendis tuis propositionibus deliberare, oraturum te fuisse, vt secundam extulisses his, vel similibus verbis: Corpus Christi non continetur localiter in pane & vino, nec ijs rebus affixum aut adiunctum est vllâ huius mundi ratione. Quærendum

enim

enim nobis est, *inquit porrò Bucerus*, vt ædificemus, non destruamus, neminem præter causam offendamus, neque criminandi occasionem aduersarijs demus. Et quidem ad voces carnaliter, corporaliter, substantialiter quod attinet rectè sentientes ijs vtuntur, ac dicunt, se non tantùm nuda & externa panis & vini symbola, sed carnem siue corpus Christi substantialiter accipere, & ita totum Christum Deum & hominem habere &c. Item, de pane & vino non satis est dicere, quòd signa tantùm sint vel significatio Christi, sed ipsa Christi vbique exhibitio, & præsentia Domini (non significatio & absentia) plenissimè exprimitur, &c. Christus in Cœna Dominica vbique datur, & præsens est non significatiuè vel procul remotus. Si quis igitur contendat Christum ita in cœlis esse, vt ab Eucharistia realiter & substantialiter absit, & nuda significatione adsit, is impiam eorum sententiam confirmat, qui vacua tantùm signa agnoscunt, &c.

Confessio mutua in re Sacramentaria Ministrorum Tigurinæ Ecclesiæ, & Ioannis Caluini Geneuensis Ecclesiæ Ministri.

Compilatorum historiæ Augustanæ Confessionis mendacia de Caluino.

A*Nte omnia hîc puto Lectorem admonendum de vanissima calumnia & putidissimo mendacio Compilatorum historiæ Augustanæ Confessionis, quo Caluinum incanstantiæ accusare volunt. Nam fol. 460. sic de ea scribunt*: Quia Bucerus Caluinum ad Colloquia, Wormatiense & Ratisponense vnà secum adduxerat, plerique nostrûm amicè ad ipsum, tanquam fidei & confessionis socium, scripserunt. Ipsi etiam Zuingliani, non aliter persuasum habebant, quàm Caluinum in doctrina de Cœna Domini cum Luthero consentire. Protestantibus autem Augustanæ Confessionis Ordinibus, tunc temporis Cæsare victore, in summo periculo, maximaque trepidatione constitutis, mirè admodum, & quidem omnium spe atque expectatione citiùs, mutatus, id quod hactenus clanculum animo occultauerat, aut certè paucis non nisi secretò aperuerat, tandem palàm reuelans, subinde magis magisq; sese prodidit: donec Interim Religionis libro Augustæ Vindelicorum sub graui interminatione promulgato, *Anno* 1549. Tigurum cum Farello profectus, totum se Zuinglianis adiungeret: in spem certam erectus, se Germanis iam victis atque oppressis, eo in loco tutissimum asylum atque propugnaculum habere posse. Et quoniam

1549.

Lutherus satis iam concesserat, eam insuper concepit opinionem, quasi in tanta nostrorum perturbatione atque discrimine, nemo publicis scriptis se ipsi opponere auderet. Sententijs igitur cum Zuinglianis communicatis, mutuum consensum in re Sacramentaria cum ipsis instituit, & publicè excudi curauit. *Hæc Compilatores.*

Insunt huic narrationi mendacia aliquot. Adductus est Caluinus ad Colloquia aliquot, non Buceri, sed Senatus Argentinensis iussu, aliorumque Principum ac Magistratuum rogatu. Deinde crassam illam de Cœna Domini sententiam, quâ corpus Christi ad panem alligatur, illique includitur, nemini probare vnquam visus fuit. Augustanam autem Confessionem in recto & sano sensu, quatuor quoque Imperialium Ciuitatum Germaniæ superioris Confessionem, & Concordiam Witebergensem, *nec non Declarationem Heluetica Confessionis approbauit & defendit semper, nec quicquam aliud Zuingliani de ea persuasum vnquam habuerunt. Nec tempore Interimistica demum sententiam suam de Cœna aperuit, sed diu antè, vt ex Confessione eius, Farelli & Vireti, quam suprà integram recensui, & ex Institutionibus eius Argentinæ scriptis ac editis, apparet. Tam etiam abest, vt* Interim *Imperatorio territus fuerit, vt primus omnium publico scripto id confutare ausus fuerit. Nec propter tempestates Germanicis Ecclesijs imminentes Tigurum profectus est, quòd speraret se ibi asylum & propugnaculum habere posse: Nam iam antea, videlicet anno 41. ad Geneuensem Ecclesiam redierat ex Germania, vbi etiam in summa pace & tranquillitate viuebat: qua de re ipsi quoque gratulatur Brentius, in exilio tum Basileæ degens, vt intelligitur ex eius epistola, quæ inter Caluini epistolas est 89. etiam scripta anno* 48. Gratulamur tibi, *inquit Brentius*, & tuæ Ecclesiæ, quòd hæc pericula ad vos nondum pertingant: ac precamur Deum Patrem Domini nostri Iesu Christi, vt vos ita conseruet, &c.

Consensus inter Ecclesiæ Tigurinæ ministros & Caluinum cur initus.

Res autem sic se habet: Multi viri boni leui de causa offendebantur, quòd Caluinus de Sacramentis diuersum quid à Tigurina Ecclesiæ Ministris tradere videretur. Tigurinam Ecclesiam, quæ multis præclaris dotibus ornata esset, meritò reuerebantur: Geneuensi quoque Ecclesiæ, & priuatim Caluino, multùm deferebant. Vt igitur cupiuère Tigurinorum & Geneuensium scriptis in discenda pietatis doctrina adiuuari, ne qua dissensionis species eorum progressus moraretur: ita vtile iudicabant, si familiari colloquio rationem inirent, testandæ suæ consensionis in re Sacramentaria. Caluinus itaque adiuncto sibi comite Guilhelmo Farello Neocomensis Ecclesiæ Pastore, Tigurum Geneua

1549. *hoc anno profectus est, & cum Ministris eius Ecclesiæ de causa Cœnæ Dominicæ contulit, facileque inter eos utrinque veritatis amantes & studiosos convenit.*

Capita consensionis.

Capita consensionis hæc sunt. Cùm Christus sit finis Legis, & eius cognitio totam in se Evangelii summam comprehendat, non dubium est, quin huc spectet totum spirituale Ecclesiæ regimen, ut ad Christum nos ducat: sicuti per eum solum ad Deum pervenitur, qui ultimus est beatæ vitæ finis. Itaque quisquis hinc vel minimùm deflectet, nunquam de ullis Dei institutis rite & appositè loquitur.

Totum Ecclesiæ regimen spirituale ad Christum ducit.

Sacramentorũ cognitio vera ex cognitione Christi.

Cùm autem Sacramenta sint Evangelii appendices, is demum & aptè & utiliter de eorum natura, vi, officio & fructu disseret, qui à Christo exordietur. Neque id modò, ut obiter Christi nomen attingat, sed ut verè teneat, quorsum nobis datus sit à Patre, & quid nobis bonorum attulerit.

Cognitio Christi qualis.

Sic ergo habendum est, Christum cùm æternus esset Dei Filius, ejusdem cum Patre essentiæ & gloriæ, induisse carnem nostram, ut iure adoptionis, & id quod natura proprium habebat, nobis communicaret, nempe ut simus Filii Dei, quod fit, dum fide inserti in corpus Christi, idque Spiritus sancti virtute, primùm iusti censemur gratuitâ iustitiæ imputatione, deinde regeneramur in novam vitam: quò reformati in imaginem Patris cœlestis, veteri homini renunciemus.

Christus Sacerdos.

Ita Christus in carne sua considerandus est nobis Sacerdos, qui peccata nostra unico mortis suæ Sacrificio expiavit, qui omnes nostras iniquitates delevit suâ obedientiâ, qui perfectam nobis iustitiam comparavit, qui nunc intercedit pro nobis, ut accessus nobis ad Deum pateat. Considerandus est tanquam victima expiatrix, quâ placatus est Deus mundo. Considerandus est Frater, qui nos ex miseris Adæ filiis effecit beatos Dei Filios. Considerandus est Reparator, qui Spiritus sui virtute reformat quicquid in nobis est vitiosum, ut mundo vivere desinamus & carni, ac Deus ipse in nobis vivat, Considerandus est Rex, qui omni bonorum genere nos ditat, qui nos gubernat suâ virtute ac tuetur, qui spiritualibus nos armis instruit, ac adversùs diabolum & mundum invicti stemus, qui nos ab omni noxa liberat, qui oris sui sceptro nos moderatur ac regit. Atque ita considerandus, ut ad se Deum verum & ad Patrem nos evehat, donec impleatur illud, quod tandem futurum est, nempe ut sit Deus omnia in omnibus.

Christus Rex.

Quomodo se Christus nobis communicet.

Porrò ut se nobis talem exhibeat Christus, ac eiusmodi effectus in nobis proferat, unum cum ipso nos effici, & in eius corpus coalescere oportet. Quia non aliter vitam in nos suam diffundit, nisi dum caput nostrum est, ex quo totum corpus compactum & connexum per omnem juncturam subministrationis, secundùm operationem in mensura cuiusque membri augmentum corporis facit.

Sacramenta instituta.

Hæc spiritualis est communicatio, quam habemus cum Filio Dei, dum Spiritu suo in nobis habitans, facit credentes omnes omnium quæ in se resident bonorum compotes. Cuius testificandæ causa tam Evangelii prædicatio instituta est, quàm Sacramentorum usus nobis commendatus, nempe sacri Baptismi & sacræ Cœnæ.

Sacramentorũ fines.

Sunt quidem & hi Sacramentorum fines, ut notæ sint ac tesseræ Christianæ professionis & societatis, sive fraternitatis: ut sint ad gratiarum actionem incitamenta, & exercitia fidei ac piæ vitæ, denique syngraphæ ad id obligantes. Sed hic unus inter alios præcipuus, ut per ea nobis suam gratiam testetur Deus, repræsentet atque obsignet. Nam etsi nihil aliud significant, nisi quod Verbo ipso annunciatur, hoc tamen magnum est, subjici oculis nostris quasi vivas imagines, quæ sensus nostros meliùs afficiant, quasi in rem ducendo, dum nobis Christi mortem omniaque eius beneficia in memoriam revocant, ut fides magis exerceatur, deinde quod ore Dei pronunciatum erat, quasi sigillis confirmari & sanciri.

Quod verè sacramenta figurant, Dominus verè præstat.

Cùm autem vera sint quæ nobis Dominus dedit gratiæ suæ testimonia & sigilla, verè procul dubio præstat ipse intus, suo Spiritu, quod oculis & aliis sensibus figurant Sacramenta: hoc est, ut potiamur Christo, tanquam bonorum omnium fonte, tum ut beneficio mortis eius reconciliemur Deo, Spiritu renovemur in vitæ sanctitatem, justitiam denique ac salutem consequamur: simulque pro beneficiis his olim in cruce exhibitis, fide verò perceptis à nobis, & quæ quotidie fide percipimus, jam agamus gratias.

Distincta signa & res signata.

Quare etsi distinguimus, ut par est, inter signa & res signatas, tamen non disjungimus à signis veritatem, quin omnes, qui fide amplectuntur oblatas illic promissiones, Christum spiritualiter cum spiritualibus eius donis recipere, adeoque & qui dudum participes facti erant Christi Communionem illam continuare ac reparare, fateamur.

Promissio maximè

Neque enim ad signa nuda, sed potiùs ad pro-

est in sacramentis spectanda. missionē quæ illis annexa est respicere convenit. Quatenus ergo in promissione illic oblata proficit nostra fides eatenus ista vis & efficacia,quam dicimus,se exerit.Ita materia aquæ , panis aut vini,Christum nequaquam nobis affert,nec spiritualium eius donorum compotes nos facit , sed promissio magis spectanda est,cuius partes sunt nos rectà fidei viâ ad Christum ducere : quæ fides nos Christi participes facit.

In elementis non obstupescendum. Sacramenta per se nihil efficiunt. Hinc concidit eorum error , qui in elementis obstupescunt , & illis affigunt salutis suæ fiduciam , cùm Sacramenta à Christo separata nihil sint , quàm inanes larvæ:& in ipsis omnibus hæc vox clarè personet,non alibi quàm in solo Christo hærendum , nec aliunde petendam esse salutis gratiam.

Præterea si quid boni nobis per Sacramenta confertur , id non fit propriâ eorum virtute , etiamsi promissionem qua insigniuntur, comprehendas. Deus enim solus est, *Soli Deo omnis actio salutis tribuenda.* qui Spiritu suo agit : & quòd Sacramentorum ministerio utitur , in eo neque vim illis suam infundit, nec Spiritus suæ efficaciæ quicquam derogat:sed pro ruditatis nostræ captu, ea tanquam adminicula sic adhibet, ut tota agendi facuitas maneat apud ipsum solum.

Deus organis utitur,sed ita ut omnis virtus sit Dei. Itaque quemadmodum Paulus admonet , eum qui plantat aut rigat nihil esse,sed unum Deum, qui dat incrementum, ita & de Sacramentis dicendum est, ea nihil esse , quia nihil profutura sint , nisi Deus in solidum omnia efficiat. Organa quidem sunt , quibus efficaciter ubi ipsi visum est , agit Deus : sed ita, ut totum salutis nostræ opus ipsi uni acceptum ferri debeat.

Constituimus ergo unum esse Christum, qui verè intus baptizat, qui nos in Cœna facit sui participes, qui denique implet quod figurant Sacramenta : & uti quidem bis adminiculis,ut totus effectus penès eius Spiritum resideat.

Quomodo sacramenta confirment. Sic interdum Sacramenta vocantur sigilla, dicuntur fidem alere, confirmare , promovere,& tamen solus Spiritus propriè est sigillum, & idem fidei inchoator est & perfector. Nam hæc omnia Sacramentorum attributa inferiore loco subsidunt,ut ne minima quidem salutis nostræ portio,ab unico authore , ad creaturas vel elementa, transferatur.

Non omnes sacramento participantes regeneri Præterea sedulò docemus, Deum non promiscuè vim suam exerere in omnibus qui Sacramenta recipiunt , sed tantùm in electis.Nam quemadmodum non alios illuminat , quàm quos præordinavit ad vitam: ita arcana Spiritus sui virtute efficit, ut percipiant electi quod offerunt Sacramenta. *participant.*

Sacramenta non conferunt gratiam. Hac doctrina evertitur illud Sophistarum commentum, quod docet,sacramenta novæ Legis conferre gratiam omnibus non ponentibus obicem peccati mortalis. Præterquam enim quòd in Sacramentis nil nisi fide percipitur,tenendum quoque est,minimè alligatam ipsis esse Dei gratiam,ut quisquis signum habet re etiam potiatur. Nam reprobis peræquè ut electis signa administrantur, veritas autem signorum ad hos solos pervenit.

Omnibus offeruntur Dei dona,fideles duntaxat percipiunt. Certum quidem est, offerri communiter omnibus Christum cum suis donis,nec hominum infidelitate labefactari Dei veritatem, quin semper vim suam retineant sacramenta : sed non omnes Christi & donorum eius sunt capaces. Itaque ex parte Dei nihil mutatur, quantum verò ad homines spectat , quisque pro fidei suæ mensura accipit.

Fideles ante & extra usum sacramentorum Christo quoque communicant. Quemadmodum autem nihilo plus Sacramentorum usus infidelibus confert, quàm si abstinerent , imò illis tantùm exitialis est: ita extra eorum usum fidelibus constat, quæ illic figuratur veritas. Sic Baptismo abluta sunt Pauli peccata, quæ iam prius abluta erant. Sic idem Baptismus Cornelio fuit lavacrum regenerationis, qui tamen jam Spiritu sancto donatus erat. Sic in Cœna se nobis communicat Christus , qui tamen & priùs se nobis impertierat, & perpetuò manet in nobis. Nam cùm iubeantur singuli seipsos probare , inde consequitur, fidem ab ipsis requiri,antequam ad sacramentum accedant. Atque fides non est sine Christo. Sed quatenus sacramentis confirmatur , & agnoscit fides confirmantur in nobis Dei dona , adeoque augescit quodammodo Christus in nobis, & nos in ipso.

Adeò nō alligatur actioni sacramentorū gratia,ut fructus eorum percipiatur aliquando post actionem. Utilitas porrò quam ex Sacramentis percipimus , ad tempus quo ea nobis administrantur , minimè restringi debet , perinde ac si visibile signum dum in medium profertur , eodem secum momento Dei gratiam adueheret. Nam qui in prima infantia baptizati sunt , eos in pueritia , vel ineunte adolescentia , interdum etiam in senectute regenerat Deus. Ita Baptismi utilitas ad totum vitæ decursum patet. Quia perpetuò viget, quæ illic continetur promissio. Et fieri interdum potest, ut sacræ Cœnæ usus , qui in actu ipso propter incogitantiam vel tarditatem nostram

1549. ftram parùm prodeft,fructum deinde fuum proferat.

Localis imaginatio tollenda. Præfertim verò tollenda eft quælibet localis præfentiæ imaginatio. Nam cùm figna hic inmundo fint,oculis cernantur,palpentur manibus, Chriftus quatenus homo eft, non alibi quàm in cœlo, nec aliter quàm mente & fidei intelligentiâ quærendus eft. Quare perverfa & impia fuperftitio eft, ipfum fub elementis huius mundi includere.

Expofitio verborum Cænæ Domini, Hoc eft corpus meum. Proinde qui in folennibus Cœnæ verbis, *Hoc eft corpus meum*, *Hic eft fanguis meus*, præcisè, literalem, ut loquuntur, fenfum urgent, ejus tanquam præpofteros interpretes repudiamus. Nam extra controverfiam ponimus, figuratè accipienda effe: ut effe panis & vinum dicantur id, quod fignificant. Neque verò novum hoc aut infolens videri debet,ut per Metonymiam ad fignum transferatur rei fignatæ nomen, cùm paffim in Scripturis ejufmodi loquutiones occurrant: & nos fic loquendo, nihil affetimus, quod non apud vetuftiffimos quofque & probatiffimos Ecclefiæ Scriptores extet.

De manducatione. Chrifti. Quod autem carnis fuæ efu & fanguinis potione, quæ hîc figurantur, Chriftus animas noftras, per fidem, Spiritus fui virtute, pafcit, id non perinde accipiendum, quafi aliqua fieret fubftantiæ vel commixtio vel transfufio: fed quoniam ex carne femel in facrificium oblata & fanguine in expiationem effufo, vitam hauriamus.

Contra Tranffubftantiationem & alias ineptias. Hoc modo non tantùm refutatur Papiftarum commentum de Tranffubftantiatione, fed craffa omnia figmenta atque futiles argutiæ, quæ vel cœlefti eius gloriæ detrahunt, vel veritati humanæ eius naturæ minùs funt confentanea. Neque enim minùs abfurdum judicamus Chriftum fub pane locare, vel cum pane copulare, quàm panem tranffubftantiare in eius corpus.

Chrifti corpus in cœlo in loco eft. Ac ne ambiguitas reftet, cùm in cœlo quærendum Chriftum effe dicimus,hæc loquutio locorum diftantiam nobis fonat & exprimit. Tametfi enim, Philofophicè loquendo, fupra cœlos locus non eft, quia tamen corpus Chrifti,ut fert humani corporis natura & modus,finitum eft,& cœlo, ut loco, continetur, neceffe eft à nobis tanto locorum intervallo diftare, quantum cœlum abeft à terra.

[illegible] Quòd fi imaginatione noftrâ Chriftum pani & vino affigere fas non eft, multò minùs licet in pane cum adorare. Quanquam enim panis in fymbolum & pignus eius quam habemus cum Chrifto communionis, nobis porrigitur, quia tamen fignum eft, non res ipfa,neque rem in fe habet inclufam aut affixam,idolum ex eo faciunt,qui mentem fuam in eum convertunt, Chriftum adoraturi.

Hic Confenfus non folùm à reliquis Helvetia & Rhetia Ecclefiis approbatus eft,fed etiam multis doctis & moderatis Viris, non parùm placuit, qui in agnitione veritatis hoc fcripto confirmati fuerunt. Operam quoque fuam,fi quibus fortè non effet fatisfactum, in addenda declaratione offerebant.Promittebant etiam fe dociles fore,& melioribus confiliis obfequentes, fi quid aliquis in ipfis defideraret. Bucerus cùm eum legiffet, fcriptis ad Calvinum ex Anglia literis,toti Ecclefia gratulatus eft. Adverfarios autem hac Confenfio magis irritavit, ut acerbiùs fcriptis in Calvinianos inveherentur, ut mox indicabimus.

ANNUS M. D. L.

Sleidanus lib. 21. Miffa in quatuor restituta. IUxta decretum Imperatoris Caroli nuper factum, Argentinenfis Senatus in urbe fua tria Templa Epifcopo fuperiori anno permifit, ut in iis Pontificiam religionem inftituat. Decreverat quidem Epifcopus rem inchoare fuis in Templis ad Chrifti diem natalem, & rationem Clero præfcripferat, quam fequerentur, fed quia non fatis erant inftructi, diftulit in Calendas ufque ad Februarium hujus anni. Tunc in tribus illis Templis, qua Senatus ei per tranfactionem concefferat, facrifici cantiones fuas atque preces vefpertinas, & poftridie Miffam rurfus inchoant, totos jam 21. annos intermiffam. Ingens autem erat hominum concurfus, maxime iuventutis. Nam his omnibus novum erat fpectaculum & inauditum, multos ibi, rafo vertice, novo genere veftitus, cantare fimul qua nemo intelligat, cereos atque lampades ardere in ipfa,quod dicitur, meridie,fumigationes atque fuffitus excitari thuribulis,facrificum aftare cum Miniftris ad aram, pronunciare omnia fermone peregrino, variis ac geniculationibus atque geftibus,inclinari ftrictis manibus,modo diftendere,modo reducere brachia,fubinde fefe convertere,nunc effe clamofum,nunc magno filentio quadam demurmurare, fufpicere in altum, effe pronum, confiftere non uno loco,nunc in dextram nunc in lævam partem altaris, commigrare,micare digitis,inhalare in calicem,eumque tollere in fublime,poftea reponere, certis locis nominare nunc vivos,nunc mortuos, panem azymum frangere & in calicem immittere, pectus ferire pugno,fufpirare, claufis oculis repræfentare fomnum rurfus expergifci, manducare partem unam panis,alteram haurire cum vino totam, ne qua guttula

guttula remaneat, abluere manus, patellam deauratam, aversum, extenso brachio, demonstrare populo, admovere eandem fronti atque pectori, deosculari nunc altare, nunc imagunculam, materia vel metallo inclusam: hæcunquam, & id genus alia, inventus non sine admiratione & stupore, neque sanè sine risu spectabat, & vix cohiberi potuit.

ANNVS M. D. LI.

Buccrus moritur in Anglia.

M*Artinus Bucerus, qui ante biennium cum Paulo Fagio, Hebraicæ linguæ peritissima, in Angliam profectus erat, ut ibi sementem puræ doctrinæ facerent, pridie Calend. Martii hujus anni, Cantabrigiæ, multorum incredibili luctu & mœrore de vita decessit, anno ætatis suæ 61. Patriam habuit* W*eissenburgum oppidum ad Rhenum situm. In pueritia sese dedit in familiam vel sodalitatem Dominicanorum, spe, ut videtur, vitæ melioris atque sanctioris. Verùm offensus, ut alii quoque, superstitionum impietate, deseruit illam congregationem, & evoluit se erroribus quibus temerè fuerat implicatus. Versatus deinde fuit aliquantisper ad Franciscum Siccingensem. Postea Argentinam se contulit: ubi studio & diligentiâ magnâ concionando populum docuit, & multa opera scribendo edidit. In pacando quoque dissidio Sacramentario, nihil laboris aut defatigationis recusavit, sed cupidissimè suscepit atque pertulit: sed infelix successus fuit, ut ex iis quæ hucusque dicta sunt, intelligitur. Ac tametsi multi pii viri, magnum illum magna res conatum in eo laudarent, modum tamen non omnes probabant. Quòd crederetur etiam esse placido ac miti ingenio, accersitus tandem fuit Augustam, cùm liber ille concinnaretur, sententiam Imperatoris pronuncians, de iis, quæ Interim dum Concilium cogeretur, fieri servorique oporteret. Sed frustratus est expectationem plerarumque & conceptam opinionem fefellit, improbando apertè scriptum illud, & demonstrando insidias atque corruptelas. Quod igitur tum Imperatoris potestate tam latè patente, ut aliorum quorumvis ditioni subiecta loca complecteretur, neque Argentinæ neque uspiam in Germania tutus videretur fore, ita accersitus perquam honorificè in Angliam se contulit, ubi, ut diximus, obiit hac anno mortem.*

Buceri vita.

Bucerus quâ occasione in Angliam venerit.

Buccrus commendat Confessionem Argentinensem ejus loci Theologis.

Discedens Argentinâ Bucerus, Confessionem Augustanam Argentinensem Doctori Hedioni, Lenglino, Nigro & Marbachio, cæterisque commendavit: Hanc comprobavit quoque Testamento suo, cui Marbachius subscripsit: contra hanc se nunquam docuisse; ab hac nunquam discessisse se testificatus est: hanc se secuturum esse, usque ad extremum vitæ spiritum promisit. Hoc ipsum in testamento suo in Anglia confirmando renovavit.

Bucerus idipsum in Anglia docuit de Cœna, quod prius in Germania.

Quod autem antè in Germania de Cœna Domini docuerat, idipsum etiam in Anglia ad extremum usque diem docuit. Testantur hoc ejus Commentarii in Epistolam Ephesinam quos Cantabrigiæ dictavit, in quibus de præsentia Christi in Cœna sic scribit: Est præsentia hic Christi, sive Verbo ea tantùm, sive etiam Sacramento offeratur, aut testificetur, non sensus rationis, non terræ, sed Spiritus, Fidei & Cœlorum est, quatenus in hoc per fidem subuehimur & collocamur cum Christo, eumque in cœlesti sua Majestate apprehendimus, & complectimur utcunque speculò & ænigmate verborum & Sacramentorum sensibilium indicatum & oblatum.

In Antipap 4. Elenchorum.

Hîc respondeant, qui Epistolam Bel enhusianam Buceri ad Brentium proferunt, eâque demonstrare conantur, malè Bucerum de Sacramentariis sensisse cùm versaretur in Anglia, & eorum sententiam damnasse; quid sit quod docuit, Præsentiam Christi offerri, aut testificari? *quid item sit illa distinctio* sive Verbo tantùm, sive Sacramento? *an idem utrumque sit an diversum? an utrumque conjungi debeat, an saltem alterum positum sit satis? Et an idem sit,* offerri & testificari, *an diversum? Conjungine debeant, an alterum tantum poni sit satis, Item, quid sit:* Sensus rationis, & sensus terræ, *idem-ne sit ratio & terra, an inter se differant? Item, idem ne sit,* Sensus spiritus, & sensus fidei, & sensus cœlorum? *Sic etiam, quid sit in sensu cœlorum per fidem,* Subuehi & Collocari nos cum Christo? *& cogitent, quibus gradibus fidei subuehamur & collocemur: & an spatiis locorum sit opus, & quæ ista sint spatia: & an absque loco possimus cum Christo collocari? Item, quid sit,* Comprehendere Christum in cœlesti sua Majestate, & in illa Christum comprehendi & complecti? *Item, quid sit:* Speculum verborum: *Item,* Speculum Sacramentorum, *sive* Ænigma Sacramentorum, *idque* sensibilium, *Item, quomodo Sacramenta ab Eucharistia differant: an sint ἰσοδυναμοῦντα & idem significantia? Sed pergit Bucerus:* Doceantur igitur dociles, præsentiam corporis in Eucharistia nullam haberi, nisi in legitimo usu, & quo solâ fide tum apprehenditur, tum tenetur; cæteri relinquantur ut duces cæcorum, & plantatio, quam Pater cœlestis non plantavit: Qui enim ex Deo nati non sunt, Verbum Dei non audiunt.

In his verbis videmus Philippi Melancthonis sententiam de usu Eucharistiæ, non de verbis & syllabis: quæ, quoniam stare in hac controversia non poterant, ad usum coëgerant Philippum & Bucerum, consentiente & dissimulante

tum

1551. *tum Luthero, confugere. Ecquid etiam est, quod dicit*: Quæ sola fide tum apprehenditur, tum tenetur? *Vbi hic oralis manducatio? ubi illud novum, Hic, hic in terris apprehendis & tenes, ore & manibus apprehendis & tenes, Si enim fide, non ore, non manibus: neque terreno, sed cœlesti modo: idque secundùm Patres, & illud Catholicum, Sursum corda. Qua est autem ista plantatio, quam Pater non plantavit? Qui propter oralem manducationem perturbant Ecclesias: qui impiis conantur Cœnam Dominicam vindicare, & idololatriam introducere.*

Sic autem concludit Bucerus: Definio igitur præsentiam Christi, quæcunque à nobis percipitur, vel Sacramentis, vel ex Verbo Evangelii, tantùm esse apprehensionem & fruitionem Christi, Dei & hominis, ut nostri capitis, regnantis in cœlis, & manentis atque vivendis in nobis: quam nullâ ratione huius seculi, sed fide percipimus, cunctis nostris partibus & viribus, cùm Christi Spiritu illa sanctificantur, & ad obedientiam vitamque Dei renovantur.

Definitionem hic vocat Bucerus ἀφορισμὸν brevem & non dubiam sententiam: & ἀπόφασιν, pronunciatum verum aut falsum: & ὅρον, finem & terminum commentationis. Ait autem præsentiam Christi à nobis percipi. *Vbique? nequaquam: sed*, vel in Sacramentis, vel ex verbo Evangelii. *Duo igitur sunt modi præsentiæ. In solis-ne, & ubique? nequaquam: Sed in Sacramentis, cùm dixit, Hoc est corpus meum: vel ex Evangelio, cùm dixit, Vbi duo vel tres meo nomine conveniunt, ego in medio illorum ero.* Item, *Qui credit in me, comedit me. Qua est autem ista præsentia? aut quid est?* Tantùm apprehensio est: *Manu-ne corporis, aut ore corporis, ut docent Lutherani?* & fruitio: *Cujus partis corporis? stomachi, & mesenterii, & epatis? minimè: sed fidei & commentationis. Cujus? Christi. Divisi-ne, an integri? exanguis-ne, remoto à corpore sanguine? Integri inquam & totius*, Dei & hominis: *nempe, rei non terreno, sed cœlestis. Fragilis-ne & fluxa, aut temporaria? Nequaquam*: sed regnantis in cœlo, capitis nostri, manentis & habitantis in nobis. *Quid horum ad impios pertinet? Christus caput Ecclesiæ suæ est, quæ est fidelium, non impiorum: & Christus in suis fidelibus sedem habet, non in impiis & infidelibus. Quomodo ergo in Cœna est Christus?* Nullâ ratione huius seculi. *Quid ita?* Quia fide percipimus & fruimur. *Vbi hic manus & os?* Fide, *inquit*, percipimus: *Quid?* Christum. *In quo re?* In Verbo & Sacramento. *Cujus naturæ Christus est? an-non cœlestis? cujus naturæ Sacramentum? an non terrena, secundùm Irenæum? Quibus instrumentis percipitur? Res cœlestis certè ore fidelis animæ: & terrena ore corporis: Animo panem Dominum, ut sensit Augustinus: os panem Domini. An-non utilitas & usus Sacramenti etiam ad corpore nostro pertinent.* Fruitionem, *inquit Bucerus*, percipimus cunctis nostris partibus & viribus. *Quando?* Cùm Spiritu illa sanctificantur. *Quid aliud istud est, quàm modum simul indicare? nempe per sanctificationem nostrorum membrorum, quæ fit interventu Spiritus sancti: qui, ut D. Virgini obumbravit, sic nobis etiam in hoc mysterio Eucharistico hac membra sanctificat & renovat ad obedientiam vitamque Dei. Si igitur habitat & regnat in nobis Christus certè præsens est, idque totus, Deus & Homo, humanitate & divinitate. Quomodo verò præsens?*

Præsens, *inquit Bucerus*, dicitur secundùm aliquam perceptionem: Ita adesse dicimus, quos auditu tantùm vel visu percipimus. Cùm itaque perceptio fidei sit multò certior omni comprehensione sensuum vel rationis: Quare non dicamus, Christum caput nostrum præsentem nobis suis membris, apprehensum fide, vivente in habitantemque in nobis? *Rursus*: Si de usu hic panis & vini rogor, respondeo, Signa esse exhibitiva, quibus Dominus ita sese panem cœlestem & vitæ æternæ exhibet & præbet, sicut suis discipulis præbuit Spiritum S. signo, afflatu oris sui. Et sicut tactu manus multis contulit sanitatem corporis & mentis: sicut visum luto facto & sputo: sicut circumcisionem cordis: sicut Baptismate regenerationem. *Item*: Si rogor quæ possit esse conjunctio gloriosi corporis Christi existentis in cœlo, & certo cœlorum loco, cum pane corruptibili, contento in terra, & loco sensibili? Respondeo, eam quæ est regenerationis & cum tinctione aquæ: quæ Spiritus sancti, cum flatu oris Christi. Pacti igitur conjunctionem esse dico, ut qui vera vivaque fide communicant his signis corporaliter; Spiritualiter veram percipiant confirmationem & incrementa communionis corporis & sanguinis Domini: eis qui sunt membra Christi, caro de carne, & os de ossibus ejus.

Iuxta Bucerum igitur, corporaliter signo, hoc est panis & vinum: spiritualiter, res signata, caro & sanguis Domini accipiuntur: idque à renatis tantum, qui sunt caro de carne ejus, &c.

Paulò ante mortē in Cantabrigiensi Academia dictare cœperat auditoribus suis explicationem de vi, & usu Sacri Ministerii: Cumq; ad Cœnam Domini pervenisset, promiserat explicare, quid ipse

ipse sentiat de hoc mysterio eredendum esse: Tum, quam existimet veram, ac genuinam verborum Domini, & Spiritus Sancti de hoc mysterio intelligentiam, & interpretationem: Tertiò, quibus nos verbis deceat maximè in commendando, prædicandoque hoc sacramento uti: postremo, ad fugiendam superstitionem Papistarum; tum etiam ad caveudas omnes hallucinationes, & iniquas de Fratribus suspiciones, quibus implicantur, qui de hoc mysterio, huc usque acriter contenderunt, etiam ad horum omnium respondere statuis argumenta, quibus quisque vel errorem suum tueri conatur, vel suam defendere in asserendo sua, & refutando placita & dicta Fratrum duritiem, sed morte præventus absolvere non potuit.

Philippus iussu Saxoniæ Electoris Saxonicarum Ecclesiarum Confessionem, Concilio Tridentino exhibendam, conscribit.

Hoc etiam anno cùm Concilium Tridentinum indictum esset, & ratio fidei à Principibus Germaniæ peteretur, Mauritius Saxoniæ Elector mandavit Philippo Melanthoni, ut Confessionem Saxonicarum Ecclesiarum conscriberet, qua illa, quæ Concilio exponerentur si quos illuc mitti placuisset, comprehenderet. Hanc cùm ille absolvisset, convocati Lipsiæ Theologi & præcipui vndique Ecclesiarum præsides, iubentur audire recitationem Confessionis, & de ea dicere quæ sentirent. Vniversis eam approbantibus, neque ullo ferè quicquam requirente aut reprehendente, unus tamen aut alter aliquid notare in actionibus superioris temporis, & culpare quædam ausi sunt, ut suscepta gestaque timidiùs. Sed neque horum sermones consensionem turbârunt, & ipsi etiam commoditate & mansuetudine aliorum, veritatisque inprimis demonstratione, quòd falsis temerè fidem habuissent, facilè placati sunt. Quanquam autem & simplex erat istius Confessionis expositio, neque ullius nominatim criminationem complectebatur, eorum tantùm, de quibus controversiæ iamdudum erant, explicationem continens, non visum tamen est cum aliis ipsam communicare nonnullis Principibus & Civitatibus hoc magnopere expetentibus. Et advenere ea de re Legati quidam Theologi Wirtenbergenses & Argentinenses, & attulerunt Confessionem ad eundem usum conscriptam à Ioanne Brentio. Sed ea confessio, quam à Melanthone compositam fuisse diximus, congregatis in Concilio offerenda, cùm iis qui illarum rerum causâ in Misniam venerant, tandem communicatâ, & postea conventu Witteberga acto ab aliis compluribus, coram quibus recitata fuerat approbata, ut mox indicabitur, & tandem

Repetita Augustana Confessio.

editione quoque REPETITÆ *Confessionis Augustanæ titulo, divulgata est, ut in qua simpliciter & fideliter recitata sit sententia Confessionis Augustanæ Carolo V. in Comitiis Augustanis exhibita, sic tamen ut quædam hîc narrentur pleniùs: ideoque haud immeritò tanquam prioris Confessionis interpres consulenda sit.*

1551.

Repetitæ Confessionis Augustanæ articulus de Cœna.

In hac repetita Confessione, articulus de Cœna Domini sic habet: Et Baptismus & Cœna Domini, sunt pignora & testimonia gratiæ, quæ de promissione, & tota redemptione nos commonefaciunt, & ostendunt beneficia Evangelii ad singulos pertinere, qui his ritibus utuntur. Sed tamen hoc discrimen est: Per Baptismum singuli inseruntur Ecclesiæ: sed Cœnam Domini simul etiam voluit Dominus esse nervum publicæ congregationis. Vult enim Deus ministerium Evangelii publicum esse, non vult in latebris inclusam teneri Evágelii vocem, sed exaudiri eam: vult se agnosci & invocari à toto genere humano. Ideo vult publicos & honestos esse congressus, & in his vult sonare Evangelii vocem, vult se ibi invocari & celebrari. Vult etiam hos ipsos congressus, testes esse Confessionis & seiunctionis Ecclesiæ Dei, ab aliarum gentium sectis & opinionibus. Convenit Iohannes Ephesi cum suo cœtu, & docet Evangelium, & usu Sacramenti totus cœtus ostendit se hanc doctrinam amplecti, & hunc Deum invocare, qui Evangelium tradidit, & sejunctum se esse à Dianæ, Iovis & aliorum idolorum cultoribus. Vult enim Deus conspici & audiri suam Ecclesiam in mundo, & vult sejunctam esse multis publicis signis à reliquis gentibus. Sic haud dubiè suos cœtus habuerunt primi Patres, Adam, Seth, Enoch, Noë, Sem, Abraham: & deinceps politia Israël habuit multos ritus, ut seiunctio illa à gentibus esset conspectior. Addidit etiam Dominus peculiarem promissionem congregationi, Matth. 18. *Vbicunque duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ero in medio eorum.* Item, Matth. 18. *Quicquid petent consentientes, fiet eis.* Et in Psalm. 149. *Laus ejus in Ecclesia sanctorum.* Sintque promissiones, in quibus Deus affirmat se Ecclesiam servaturum esse, eò dulciores, quia intelligimus eum publicum ministerium in congressibus honestis conservare & restituere: sicut & in ipsis verbis Cœnæ inclusa est hæc promissio, cùm iubet annunciari mortem Domini, & hanc Cœnam distribui, donec venerit, Matth. 26.

Causa institutionis.

Vt igitur reverentia maior sit in huius Sacramenti usu, veræ causæ institutionis cogitentur, quæ ad publicam congregationem, & ad singulorum consolationem pertinent.

Prima causa est: Filius Dei vult in publica & honesta congregatione sonare vo-

 Ii cem

1551. cem Evangelii. Hujus congregationis vinculum vult esse hanc sumtionem, quæ summâ reverentiâ facienda est, cùm ibi testimonium exhibeatur mirandæ societatis Domini & sumentium: de qua reverentia Paulus loquitur, 1. Cor. 11. inquiens: *Qui sumit indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini.*

Secunda: Vult & concionem & ipsum ritum prodesse ad conservationem & propagationem memoriæ passionis, resurrectionis, & beneficiorum suorum.

Tertia: Vult quemlibet sumentem hoc testimonio singulariter confirmare, ut statuant ad se pertinere beneficia Evangelii, cùm concio sit communis: & hoc testimonio, hac sumptione ostendit te ipsius membrum esse, & te ablutum esse sanguine suo, & facere se hoc fœdus tecum: Iohan. 15. *Manete in me, & ego in vobis*: Item, *Ego in eis, & tu in me.*

Quarta: Vult hanc publicam sumptionem, confessionem esse, quâ ostendas, quòd doctrinæ genus amplectaris, cui cœtui te adiungas. Vult & gratias agi publicè & privatim in hac ipsa ceremonia, Deo æterno Patri, Filio, & Spiritui sancto, cùm pro cæteris beneficiis, tum nominatim pro immenso beneficio redemtionis & salvationis. Vult & ipsis Ecclesiæ membris inter sese vinculum esse mutuæ benevolentiæ. Ita multi fines concurrunt.

Harum maximarum causarum commemoratione invitamus homines ad Sacramenti reverentiam & usum: Et docemus, quomodo prosit usus. Apertè damnamus portentosum errorem Monachorum, qui scripserunt, sumptionem mereri remissionem peccatorum, & quidem ex opere operato, sine bono motu utentis. Hæc Pharisaica imaginatio pugnat cum dicto, Habac. 2. *Iustus suâ fide vivet.* Sic igitur erudimus Ecclesiam, accessuros ad Cœnam Domini oportere pœnitentiam, seu conversionem afferre, & accensâ iam fide in cogitatione de morte & resurrectione, & beneficiis Filii Dei, quærere hîc confirmationem huius fidei: quia in usu Sacramenti fit testificatio, quæ ostendit, ad te quoque pertinere beneficia Filii Dei. Fit & testificatio, quòd te sibi membrum adjungat, & quòd sit in te, sicut dicit Iohan. 17. *Ego in vobis, &c.*

Monemus etiam, ne existiment propter hoc opus seu hanc obedientiam, remitti peccata, sed ut fiduciâ intueantur mortem & meritum Filii Dei, & resurrectionem ejus, & statuant propter ipsum nobis peccata remitti, & velle eum hanc fidem hac communefactione & testificatione confirmari. Cùm hoc modo fides: consolatio, gaudium conscientiæ & gratiarum actio crescunt, prodest sumptio. Nec admittuntur ulli ad communionem, nisi priùs à Pastore & Collegis eius eruditi sint & absoluti. In hac exploratione interrogantur & sæpe erudiuntur rudiores: de tota doctrina: & deinde absolutio promulgatur. Docentur etiam homines: Sacramenta esse actiones divinitus institutas & extra usum institutum res ipsas non habere rationem Sacramenti, sed in usu instituto in hac communione verè & substantialiter adesse Christum, & verè exhiberi sumentibus corpus & sanguinem Christi: Christum testari, quòd sit in eis, & faciat eos sibi membra, & quòd abluerit eos sanguine suo, sicut & Hilarius inquit: *Hac accepta & hausta efficiunt, ut & nos in Christo, & Christus in nobis sit.*

Ista Confessio, & in ea Repetita inter alia doctrina hac de Cœna Domini non modò à Saxonicis, Misnicis & Thuringicis, sed etiam à plerisque aliis variarum Provinciarum Ecclesiis Witebergæ congregatis, tanquam Augustanæ Confessioni consentanea probata, & authenticis subscriptionibus atq; adeo insignibus elogiis confirmata est. Quorum Elogiorum partim Germanicorum, partim etiam Latinorum verba hîc referre operæ pretium duxi: ut probè hodie meminerint & expendant illæ Ecclesiæ, quâ iniuriâ à novis Corporalistis, hoc est, Bergensibus Patribus afficiantur, qui illam Repetitionem unà cum toto Corpore, non modo suspectam reddere, sed & manifestè ut contentiosum scriptum rejicere & abrogare tentârunt, substitutâ in illius locum DISCORDIÆ *formulâ, in qua ne verbum quidem de tam authentica Repetitione facere dignati sunt.*

Repetita à nostris Saxonica approbata.

Sic ergo primùm testantur de illa Pastores Saxonici, Thuringici & Misnici, numero 31. Nos qui nunc in Ecclesiis & Academiis, quorum infrà fit mentio, docemus, affirmamus in hoc scripto (quod dextrè & non calumniosè intelligi volumus) recitatam esse doctrinam communem, quæ sonat in Ecclesiis & Academiis, in quibus Evangelium docemus. Et sentimus verè hanc esse puram & incorruptam Ecclesiæ D. N. I. C. congruentem cū scriptis propheticis & apostolicis & symbolis, ac necessariam Ecclesiis.

Legati verò Illustrissimi Principis D. Ioannis Marchionis Brandeburgensis, Gaspar Marsilius Curiæ Concionator, M. Henricus Hamme Superintendens apud Konigspergenses, in sua Repetitionis illius subscriptione sic loquuntur: Und in solche Schrifft allenthalben von uns an worten und sententzen / nicht allein Christlich/

Christlich/ rein/ recht/ und unser Augspurgischen Confession und Locis Cómunib. gemäß/ sondern auch etwas klärer und mächtiger befunden/ daß wir darob Gott gebürlich lob und danck gesagt/ ꝛc. *Hac illi: quibus Repetitianem illam & in verbis & in sententiis non modò Christianam, puram, rectam, & Augustana Confeßioni per omnia consanam esse testantur, sed etiam aliquantò magis quàm illa perspicuam atque efficacem.*

Legati antem generosi Comitis Gebhardi à Mansfeldt M. Iohannes Wigandus, & M. Andreas Theoboldus, Verbi Dei Ministri ita testantur: Wir befinden und bekennen/ Gott lob/ für uns/ das die selbige Schrifft der Augspurgischen Confession gemäß sey/ und fassen gründtlich und klar/ die lehr von den höchsten Articklen deß Christlichen glaubens/ und Sacramentis von Christo eyngesetzt/ welche durch Gottes gnad in Kirchen diser Landt bißher eintrechtig gelehret und bekandt worden ist. Welche lehr wir auch für die ewige unwandelbare warheit Gottes halten/ ꝛc. *Quibus verbis hoc in summo testantur, scriptum illud Canfeßioni Augustana per omnia respoudere pracipuasque Christiana fidei articulos, & Sacramentorum à Christo institutorum dactrinam clarè & fundamentaliter complecti, pro ut illa ad usque temporis in ipsorum Ecclesiis unanimiter recepta & pradicota fuit, hancque ipsos pro aterna & immutabili Dei veritote à Christo ipso patefacto, & scriptis Propheticis & Apostolicis comprehenso, amplecti.*

Idē attestantur Legati illustriß. Principis Friderici Marchionis Brandenburgensis M. Georgius Karg, & Iaonnes Seger. Idem & Legati aliorum Comitum à Mansfeldt, Michaël Calius, Iohannes Wigandus, Iahannes Pratorius, Valentinus Sifrid, ejus Comitatus Ministri, asserentes omnes unanimiter summam ejus doctrina, qua in Ecclesiis eorum regionum inde ob initio sonuerat, & adhuc sanabat; eo libro sincerè & perspicuè comprehensam esse, qua nullâ sophisticô labefactari passet.

Nec minùs praclarum huic scripto testimonium dederunt: Pastores omnes Ecclesiarum Argentinensis Reip. ut quòd agnascant consonum esse unica & vera doctrina à Deo patefacta & primis Patribus ac Prophetis commendata, vocique Filii Dei Domini nostri Iesu Christi & Apostolorum illustrata: & ideo nan recipiendas iudicant ullas opiniones cum illa Prophetica doctrina pugnantes.

Idem etiam prastiterunt Rector & Superintendens, ac omnes Doctores, Pastores, & Ministri Ecclesiarum citerioris Pomerania: profitentes hanc Confeßionem verum oc perpetuum esse consensum Catholica Ecclesia Filij Dei: quam ipsi tota pectore amplectantur, & ad omnem aternitotem sint constanter professuri & defensuri.

1551.

Quòd autem Vbiquista Repetita huius Confeßionis locum hunc suspectum facere conantur, quia ut loquuntur, hanc doctrinam libenter amplectuntur Calvinista; id perinde est, ac si Decalogum & Symbolum Apastolorum profiteri, aut Orationem Dominicam arare, aut verba Institutionis Baptismi & Cœna Domini recitare nolint, quia, quos Calvinistas ipsi vocare salent, easdem partes Catechismi libenter amplectuntur, & iuxta Scriptura sententiam intelligunt, & explicant.

Nan longo quoque pòst tempore, Philippus in Academia Witebergensi in enarratiane Symboli Niceni, praescripta D. Georgio Majari, ut autographum demonstrat, sententiam suam ad eundem modum explicavit?

Philippus sententiam suam de Cœna Witebergæ rursus explicat.

Dico, *inquit*, planè & firmissimâ fide: Nequaquam inane spectacuium esse, Cœnam Domini, sed verè hanc̄ sumptioné esse testimoniú & pignus, quòd Filius Dei, Dominus noster Iesus Christus sit in sumentibus: Nec tantùm adsit in illa sumptione, sed habitet in iis, juxta hæc dicta, Ioh. 14. *In illo die cognoscetis vos, quòd ego in Patre meo sum, & vos in me estis, & ego in vobis.* Item: *Qui manet in me, & ego in eo.* Et apud Paulum Eph. 3. dicitur: *habitare Christum per fidem in cordibus nostris.* Nec ita instituta est hæc Cœna; ut tantùm unius exigui momenti præsentiam significet, sed ut sit pignus assiduæ præsentiæ & efficaciæ in nobis. Quare statuendum est, in sumptione verè & substantialiter adesse Filium Dei, & hanc sumptionem testimonium esse assiduæ præsentiæ & efficaciæ in credentibus. Hæc qui cogitant de perpetua præsentia, magis lætabuntur usu Cœnæ Domini, & consolationem ex ea majorem percipient. Quòd verò Papa fecit decreta de abjectione substantiæ panis, & inclusione corporis Christi in illam figuram: Et Monachi dicunt, ibi esse præsentiam extrá usum: hæc prorsus aliena sunt à ratione Sacramenti. Firmissimè autem tenenda est hæc sententia, Deum non alligandum esse ad aliquam rem, ad quam se ipse non alligat suo Verbo: Nec habere rationem Sacramenti ullam rem, sine expresso testimonio Verbi Dei. Tantùm autem loquitur Dominus de sumptione, non de aliis rebus, aut actionibus extra sumptionem. Ac deplorandum est, Papistas tantùm dicere de præsentia in pane, & prorsus

1551. tacere de præſentia aſſidua in credentibus. Propter hanc aſſiduam præſentiam inſtituta eſt hæc ſumptio. Eodem modo Hilarius de Cœna Domini loquitur: *De naturali enim in nobis veritate, quæ dicimus, niſi ab eo didicimus, ſtultè & impiè diceremus. Ipſe enim inquit: Caro mea verè eſt cibus*. Et deinceps: *Hæc accepta & hauſta, efficiunt ut nos in Chriſto, & Chriſtus in nobis ſit.*

Hactenus verba Philippi, quæ & congruunt cum Repetita Confeſſione Saxonicarum Eccleſiarum, & paulò uberiùs declarant, qualis præſentia Chriſti ponenda ſit in uſu Cœnæ, videlicet non otioſa, nec momentanea, & quæ ad hominem utentem iſto pane, non autem ad panem ipſum referenda ſit. Quia non pani, ſed homini facta eſt promiſſio præſentiæ Chriſti; & caro ejus eſt cibus hominis non pani: ſicut & panis eſt communicatio corporis Chriſti, non ſibi ſed homini legitimè pane iſto utenti.

Similis eſt explicatio in Agenda Mechelburgenſi à Philippo ſcripta: Quid in Cœna Domini diſtribuitur & accipitur? Reſpondeo. Verum corpus & ſanguis Domini noſtri Jeſu Chriſti. Dominus enim noſter Ieſus Chriſtus hanc ſumptionem inſtituit, ut teſtetur, quòd verè & eſſentialiter nobiſcum & in nobis eſſe, & in converſis habitare, illis beneficia ſua communicare, & in illis efficax eſſe velit, ut inquit Iohan. 15. *Manete in me, & ego in vobis, &c.*

Et quid aliud tradit Definitio Cœnæ in examine Theologico Ordinandorum? Cœna Domini eſt communicatio corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti, ſicut in verbis Evangelii inſtituta eſt: In qua ſumptione Filius Dei verè & ſubſtantialiter adeſt, & teſtatur ſe applicare credentibus ſua beneficia, & ſe aſſumpſiſſe humanam naturam propter nos, ut nos quoque ſibi inſertos fide membra ſua faciat, & nos ablutos eſſe ſanguine ſuo: ſimul etiam teſtatur, ſe velle in credentibus deinceps eſſe, & ſe cùm ſit λόγος æterni Patris, docere, vivificare, & regere credentes, ſicut inquit Iohan. 15. *Manete in me, & ego in vobis. Qui manet in me, & ego in eo*, id eſt, qui fide retinet Evangelium, *in eo verè adeſt Filius Dei.*

Sed obiiciunt hi Calviniſmum, ut loquuntur, ſtabiliri, & ſcurriliter quærunt Philippomaſtiges: Quid hæc verba Chriſti de ſpirituali manſione ſua in credentibus ad Cœnam Domini? *Atqui non Calvinum iſta authorem habent, ſed Chriſtum ipſum, cujus præſentiæ in credentibus ἀῤῥαβὼν & ſigillum eſt uſus legitimus Cœnæ: Iſta verò potius Papiſmum ſapiunt, quærere de præſentia corporali Chriſti & manſione eius ſive incluſione in pane. Quæ ut nullum habet Scripturæ teſtimonium, ſic à Philippo inde uſque à conciliata concordia ſemper rejecta eſt. Itaque in Epiſtolis ad amicos ſubinde hoc repetit.* Sæpe intuens hunc Albim noſtrum cogito: Non ſi tantum funderem lachrymarum, quantum hic fluvius undarum vehit, exhauriri meum dolorem poſſe, quem multis annis circumfero propter diſſidium de Cœna Domini, in quo tam multa diſputantur extra cauſam. In uſu verè & ſubſtantialiter adeſt Chriſtus, & eſt efficax in vera conſolatione. Cur moventur diſputationes de incluſione extra uſum? Doceo eadem, quæ leguntur in meis ſcriptis. Et in eam ſententiam facta fuit formula concordiæ inter Lutherum & multos qui ex Eccleſiis ſuperioris Germaniæ huc advenerant.

Circa hoc quoque tempus, Thomas Cranmerus Archiepiſcopus Cantuarienſis, præcipuos abuſus Miſſæ Papiſticæ, libello Anglico confutavit: & verum atque Chriſtianum ejus uſum reſtituendum docuit. Hoc ſcripto plurimi ad ſanam de Euchariſtia doctrinam adducti ſunt. Id verò tam indignè Stephanus Gardinerus Epiſcopus Vintonienſis tulit, ut mox & ipſe Anglicanâ linguâ confutationem adornaret, ac deploratam peneque derelictam ſententiam defenderet. Idem argumentum poſtea quoque, ſub nomine M. Antonii Conſtantii, ſed alio modo Latinè tractavit. Archiepiſcopus quoque ſuum libellum in Latinam linguam vertendum curavit, ut omnes intelligerent (id quod in Præfatione ad Regem teſtatur) ipſos neque obſcuram ſuam ſententiam, neque abditam ſeu occultam eſſe velle, quam cum multis piis & doctis viris communem, & cum Verbo Dei & Eccleſia conſentientem habeant. Serò autem, nempe anno Domini 1546. poſt multas quas cum doctiſſimis viris publicas & privatas diſputationes habuit, poſtq; diligentem veterum & recentiorum ſcriptorum perveſtigationem, in hanc quam hoc libello defendit, ſententiam, adductus eſſe dicitur.

Cranmerus Angli libellus de Eucharistia.

Gardineri liber de Cœna.

Auguſti die 26. hujus anni, manè, poſt concionem, Eccleſiæ Auguſtanæ Miniſtri, numero decem, accerſiti fuerunt in ædes Atrebatenſis Epiſcopi, pro ſe quiſque: cùm eò veniſſent, alii poſt alios, ignari quid eſſet, iubentur conſiſtere ſeparatim neque colloqui: pòſt, in aulam, ubi cum Haſio, Seldo, Molnendo & quibuſdam aliis conſederat Atrebatenſis, vocantur ordine ſinguli. Verba facit Seldus & quæſtiones proponit: an in Cœna Domini, tantum ſub una ſpecie, quantum ſub utraque contineri: deinde, quàm multa eſſe credant Sacramenta? Poſtremò, cur non doceant iuxta formulam ante annum tertium à Cæſare præſcriptam, cùm tamen id ſe facturos receperint, non minùs quàm Senatus ipſe ac

Auguſtanæ Eccleſiæ Miniſtri urbe pelluntur.

univerſi

vniuersi Ordines? Respondent, pro se quisque seporatim, Christum instituisse Cœnam integrom, & sequendum esse illius præscriptum: in sacris Literis duo tantùm reperiri Sacramenta, Baptismum atque Cœnam Domini: formulam illam doctrina minimè se recepisse, quòd à socra Scripturo dissentiat. Hic Atrebatensis admodum stomachosè, putatis ergo non licere Cæsari, sicut de politicis, ita quoque de rebus sacris ferre leges, ac certam rationem præscribere? Quid Cæsari liceat, non jam disputamus, aiunt illi, sed, vti iam diximus, formulam istam neque recepimus, neque sanè possumus approbore. Tum ille magis etiam excanduit, & irâ tumidus, eos acri conuicio rejicit. Cùm etiam de Sacramentis illud dicerent, Seldus Iureconsultus eos increpabat acerbè. Sic ab illis dimissi, foris expectare iubentur, & per satellitem deducti, suo quisque loco, constituuntur, ne congredi possent. Mox è præcipuo Senatu Reipublicæ nonnulli vocontur: cùm hi venissent, illi simul omnes introducuntur, iisque mandatur, vt intra diem tertium, ante solis occasum, ex vrbe decedont: ne posthoc intra fines Imperij, & quàm latè Cæsaris potet iurisdictio, concionem vllam habeant: ne quem ex propinquis aut amicis conueniont, neque suì discessus causam vlli dicant, ne cui pòst in vrbe scribant, aut quid cum ipsis actum sit, exponont. Hæc, sublatis digitis, vt habet ceremonia: per iusiurandum polliceri, quantumuis inuiti, coguntur: Senatui deinde mandatur, vt quibus in Templis Religio Lutherano doceretur, cessatio fiat, donec Cæsar aliud iniungat. Ad eundem modum fuit actum etiam deinde, cum ludimagistris, cumque Memmingensibus, & alijs per Sueuiam, qui & ipsi vocati eò venerunt: etenim & docendi munere & reditu ad suos illis interdicitur.

Acta & Decreta Tridentini Concilij, de reali præsentia Christi in Eucharistia, de ratione institutionis Eucharistię, de excellentia Eucharistię super reliqua Sacramenta, de Transsubstantiatione; de cultu & veneratione Eucharistię, de Asseruatione eiusdem & ad ægrotos deportatione, de Preparatione ad Eucharistiam dignè percipiendam, & de vsu Eucharistię.

Altera die Septembris huius anni Tridenti data sunt Theologis themata, quæ discutiant, & suam quisque sententiam de singulis dicant, vt in futuro Consessu definiantur. Et quia superioribus aliquot Sessionibus anni 46. & sequentis, de peccato Originis, de Iustificatione, de Libero Arbitrio, de septem Sacramentis nouæ Legis, vt vocant, in genere, sed & de Baptismo & Confirmatione speciatim definitum erat, placuit, vt illis omnibus, decreti vim obtinentibus, ad alia fieret progressus: Et primò quidem ad Eucharistiæ Sacramentum: proinde themata quædam Theologis tradita fuerunt, his omnino verbis, vt dispicerent & inuestigarent, an sint hæretica, an per sacram Synodum damnanda? Ex Lutheri autem, Zuinglij, Buceri & aliorum libris ea themata collegeront. 1551.

Iis discussis & examinatis, vndecimo die Octobris fit Consessus. In eo primùm recitata fuit explicatio doctrinæ, de corporali præsentia Christi in Sacramento Eucharistiæ, his verbis: Principio docet sancta Synodus, & apertè ac simpliciter profitetur, in almo sanctæ Eucharistiæ Sacramento, post panis & vini consecrationem, Dominum nostrum Jesum Christum, verum Deum atque hominem, verè, realiter ac substantialiter, sub specie illarum rerum sensibilium contineri. Nec enim hæc inter se pugnant, vt ipse Saluator noster semper ad dexteram Patris in cœlis assideat, iuxta modum existendi naturalem: & vt multis nihilominus alijs in locis, Sacramentaliter præsens suâ substantiâ nobis adsit: eâ existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo, cogitatione per fidem illustratâ, assequi possumus, & constantissimè credere debemus. Ita enim Maiores nostri omnes, quotquot in vera Christi Ecclesia fuerunt, qui de sanctissimo hoc Sacramento disseruerunt, apertissimè professi sunt: hoc tam admirabile Sacramentum, in vltima Cœna Redemptorem nostrum instituisse, cùm post panis vinique benedictionem, se suum ipsius corpus illis præbere, ac suum sanguinem disertis ac perspicuis verbis testatus est. Quæ verba à sanctis Euangelistis commemorata, & à diuo Paulo postea repetita, cùm propriam illam & apertissimam significationem præ se ferant, secundùm quam à Patribus intellecta sunt: indignissimum sanè flagitium est, eą à quibusdam contentiosis & prauis hominibus, ad fictitios & imaginarios Tropos, quibus veritas carnis & sanguinis Christi negatur, contra vniuersum Ecclesiæ sensum detorqueri: quæ tanquam columna & firmamentum veritatis, hæc ab impijs hominibus excogitata commenta, velut satanica detestata est, grato semper & memoro animo, præstantissimum hoc Christi beneficium agnoscens.

Tridentinæ Synodi caput 1. de reali præsentia Christi in Eucharistia sacramento.

1551. CANON 1.

Si quis negauerit, in sanctissimo Eucharistiæ Sacramento contineri, verè, realiter & substantialiter corpus & sanguinem, vnà cum anima & Diuinitate Domini nostri Iesu Christi, ac proinde totum Christum: sed dixerit tantummodo esse in eo, vt in signo, vel figura, aut virtute, anathema sit.

Caput 1. de ratione institutionis Eucharistiæ.

Secundò, *recitata fuit explicatio doctrinæ, de Ratione Institutionis Eucharistiæ ad hunc modum:* Ergo Saluator noster, discessurus ex hoc mundo ad Patrem, Sacramentum hoc instituit, in quo diuitias diuini sui erga homines amoris velut effudit, memoriam faciens memorabilium suorum: & in illius sumptione, colere nos sui memoriam præcepit, suamque annunciare mortem, donec ipse ad iudicandum mundum veniat. Sumi autem voluit hoc Sacramentum, tanquam spiritalem animarum cibum, quo alantur & confortentur viuentes vita illius qui dixit: Qui manducat me & ipse viuet propter me, & tanquam antidotum, quo liberemur à culpis quotidianis, & à peccatis mortalibus præseruemur. Pignus præterea id esse voluit futuræ nostræ gloriæ, & perpetuæ felicitatis: adeoque Symbolum vnius illius corporis, cuius ipse caput existit, cuique nos tanquam membra, arctissima fidei, spei & charitatis connexione astrictos esse voluit, vt id ipsum omnes diceremus, neque essent in nobis schismata.

CANON 2.

Si quis dixerit, vel præcipuum fructum sanctissimæ Eucharistiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema sit.

Caput 3. de excellentia Eucharistiæ super reliqua sacramenta.

Tertiò, *recitata fuit explicatio doctrinæ, de Excellentia sanctissimæ Eucharistiæ super reliqua Sacramenta: Hoc est, An vera sit regula illa, Sacramenta extra vsum diuinitùs institutum, non habere rationem Sacramenti, idque hisce verbis:* Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris Sacramentis, Symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem. Verùm illud in ea excellens & singulare reperitur, quòd reliqua Sacramenta tunc primùm sanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur: At in Eucharistia ipsa sanctitatis author ante vsum est, nondum enim Eucharistiam de manu Domini Apostoli susceperant, cùm verè tamen ipse affirmaret, corpus suum esse quod præbeat. Et semper hæc fides in Ecclesia Dei fuit, statim post consecrationem, verum Domini nostri corpus, verumque eius sanguinem, sub panis & vini specie, vnà cum ipsius anima & Diuinitate existere, sed corpus quidem sub specie panis, & sanguinem sub vini specie, ex vi verborum: ipsum autem corpus sub specie vini, & sanguinem sub specie panis, animamque sub vtraque, vi naturalis illius connexionis & concomitantiæ, quâ partes Christi Domini, qui iam ex mortuis resurrexit, non ampliùs moriturus, inter se copulantur: Diuinitatem porrò, propter admirabilem illam, eius cum corpore & anima hypostaticam vnionem. Quapropter verissimum est, tantundem sub altera specie, atque sub vtraque contineri: totus enim & integer Christus sub panis specie, & sub quauis eiusdem speciei parte, totus item sub vini specie, & sub eius partibus existit.

CANON 3.

Si quis negauerit, in venerabili Sacramento Eucharistiæ, sub vnaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus separatione factâ totum Christum contineri, anathema sit.

CANON 4.

Si quis dixerit, peractâ consecratione, in admirabili Eucharistiæ Sacramento non esse corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, sed tantùm in vsu dum sumitur: non autem ante vel post & in hostijs seu particulis consecratis, quæ post communicationem reseruantur vel supersunt, non remanere verum corpus Domini, anathema sit.

Antilogia inter vet. & recent. Pontificios.

In hoc capite manifesta antilogia notanda est inter veteres & recentes Pontificios. Veteres enim Pontificij, qui post annum Christi paulò supra millesimum extiterunt, de Cœna Domini communem protulerunt sententiam: nempe, Substantiam panis & vini in corporis & sanguinis essentiam quidem conuerti reseruatis rerum speciebus. Ideo verò externas panis & vini species remanere, vt his corpus & sanguis Domini obuelentur, ne cruda & cruenta percipientes horreant. *Magnum igitur hac in re mysterium statuunt, quod non visibiliter, vt Capernaita, sed sine metu horroris sub speciebus panis & vini latenter (quod illi vocant mysticè) Christum in Cœna percipiant, ore quidem corporaliter: dignè autem, si ita præsentem credant esse vt dictum est. Ex his intelligitur, eos Cœnæ Dominicæ subiectum non corpus Christi viuum & gloriosum, quale est in cœlis, facere: sed vt est pro nobis in cruce traditum & à Virgine assumptum, & quale in statu humiliationis conuersatum est in terris: ideoque ex panis & vini substantia (cùm tale aliàs hodie nuspiam extet) per consecrationem conficiendum, & speciebus panis & vini, ne cruenta & cruda horreamus, contegendum. Nec enim corpus in Cœna quicquam differre volunt ab eo, quod in cruce mactatum & oblatum est semel, nisi quòd in cruce visibiliter pependerit, in Cœna autem existat inuisibiliter.*

biliter. Illic cum cruoris horrore hic sine eo, quippe panis ac vini specie obtectum.

Sententia hac Veterum triplici testimonio conuincitur. Primum est, communis illorum temporum fidei Confessio, quam Lanfrancus recitat. Is enim in eo, quem de Sacramento Eucharistia contra Berengarium, scripsit libro, hanc fidem à priscis temporibus & nunc quoque tenere Ecclesiam, per totum orbem diffusam, asseuerat, & Leoni, Victori, Nicolao Papis & Concilijs ab ipsis habitis probatam fuisse ex eodem liquet. Credimus, *inquit*, terrenas substantias, quæ in mensa Dominica per sacerdotale mysterium diuinitus sanctificantur, ineffabiliter incomprehensibiliter, mirabiliter operante supernâ potentiâ, conuerti in essentiam Dominici corporis, reseruatis ipsarum rerum speciebus, & quibusdam alijs qualitatibus, Ne percipientes cruda & cruenta horrerent: ipso tamen Dominico corpore existente in cœlestibus ad dexteram Patris, immortali, inuiolato, integro, incontaminato, illæso: vt verè dici possit, & ipsum corpus, quod de Virgine sumptum est, nos sumere, & tamen non ipsum: ipsum quidem, quantum ad essentiam, veręque naturę proprietatem atque virtutem: non ipsum autem, si spectes panis vinique speciem, cæteraque superiùs comprehensa, &c. *Idem paulò antè.* Credimus, *inquit*, panem conuerti in eam carnem, quæ in cruce pependit, vinumque in eum sanguinem, qui de pendentis in cruce latere emanauit. *Eodem refert Patrum testimonia: vt Augustini homil. 2. in Psal. 33.* Illi de Crucifixo obtenebrari sunt: nos manducando Crucifixo, & bibendo illuminamur. *Et Serm. ad Neophyt.* Hoc accipite in calice quod effusum est de Christi latere. *Cumque Berengarius contra ex Augustino opponeret.* Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri sunt qui me crucifigent, *&c. respődet:* Calumniosa quidem ista obiectio est. Qui enim superiùs testatus est, quòd carnem, quam de matre virgine sumpsit, & in qua in terris ambulauit, ad manducandum nobis salubriter tribuit, quomodo huic tam præclaræ sententiæ alia contraria potuit obuiare? *Hinc per distinctionem locum Augustini explicat, & ipsum nos sumere inquit, sed inuisibiliter, quippe sub specie panis obtectum, & non ipsum nempe visibiliter, quomodo Capernaïtæ dilacerandum in partes visibiliter putabant, id quod Augustinus citato loco solùm neget. Sic Ambrosij locum ex sexto de Sacramentis explicans,* Similitudinem, *inquit*, hoc in loco nullo dubitante panis vinique speciem intelligit, sub qua corporis Christi natura contegitur, & sine cruoris horrore à dignè sumentibus in salutē accipitur. *Denique cùm Berengarius corpus Christi gloriosum crudo opponeret, & illud fractioni in pane post glorificationem subesse negaret, respondet,* ipsum vel non intelligere fidem Catholicam, vel ad interitum suum peruertere. Nam sic in terris immolatum Christum manducamus, (*inquit*) vt in cœlestibus ad dexteram Patris integer semper perseueret, & viuus: *manifestè immolatum discernens in Cœna à viuo & integro, qualis manet in cœlis, de quo tunc inter Pontificios non erat quæstio.*

Alterum testimonium de corpore Christi in Cœna sumendo, non quatenus clarificatum & resuscitatum, sed quatenus est frangibile, & dentium attritioni obnoxium, in solenni illa Palinodia, à Papa Nicolao & centum atque tredecim Episcopis Romæ in Concilio Lateranensi Berengario præscripta extat, in quam non amore veritatis (vt ait Lanfrancus) sed metu mortis ille iurauit. Consentio, *inquit*, Panem & Vinum, quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solùm Sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse: Et sensualiter non solùm Sacramentum, (*Lanfrancus legit sacramento*) sed in veritate manibus sacerdotum tractari, frangi, & fidelium dentibus atteri, &c. *Viderint ipsi Pontificij, quomodo corpus Christi sensualiter frangant, dentibusque atterant, ne in hæresin incidant, vt cauet glossa: interim quamcunque verbis glossam prætexant, quemcunque sensum sequantur, firmum & irrefragabile manet Concilium Lateranense non de corpore glorioso, quod nec frangi, nec dentibus atteri potest, sed de passibili & in statu humiliationis, sensisse & definiuisse: quod nobis satis est ad Veterum sententiam hoc altero testimonio euincendam. Extat autem Palinodia Berengariana apud Lanfrancum iam citato libro, & in Decret. part. 3. de Consec. dist. 2. C. Ego Berengarius.*

Tertium atque vltimum testimonium petimus ex ipso Gratiani decreto à Papa Eugenio ratificato, dist. 2. vbi plura extant insignia loca, ex quibus hæc tria allegamus. C. Sed fortè dicis, speciem sanguinis non video? Respondetur: Sed habet similitudinem. Sicut enim mortis similitudinem sumsisti, ita etiam sanguinis similitudinem bibis, vt nullus horror sit cruoris. *Sic C. vtrùm sub figura? Respondetur:* Nihil rationabilius, vt quod nos iam similitudinem mortis in Baptismo accepimus, similitudinem quoque carnis & sanguinis sumamus, ita vt veritas non desit in Sacramento, & ridiculum nullum fiat à Paganis, quòd cruorem occisi hominis bibamus. *Similiter C. Quid sit sanguis Agni,*

1551. *Agni, sub finem* : Figuram panis & vini habet, faciente Domino, quia non habemus in vsu carnem crudam comedere & bibere sanguinem.

Hæc atque alia loca manifestè arguunt veteres Pontificios de corpore Christi in Cœna, quatenus fracto & crucifixo loqui. De hoc enim sonant verba institutionis Cœnæ, & discipuli in vltima Cœna non corpus glorificatum (tale enim tunc nondum erat) & quatenus passionis obnoxium & iam tradendum ederunt: Caro enim Domini, quam dat pro mundi vita, est panis vitæ Ioh. 6. Nemoq́ potest Christi glorificati particeps esse, nisi ex forma Testamenti priùs aduerit, ederit, possederit mortuum & pro peccatis nostris crucifixum, Rom 6.

Etsi autem veteres Pontificij rectè de corpore mortuo & crucifixo, vt verba Cœnæ sonant, loquuntur: tamen non rectè sed præter Testamenti formam, præter fidei & mortis Dominicæ recolendæ rationem, præsentiam Christi Corporalem per Transsubstantiationem (huc adde etiam eam, quæ fingitur per Consubstantiationem) inuexerunt. Fidem enim non in Testamentum sigillis obsignatum: sed in corporalis præsentiæ commentitiam Transsubstantiationem defixerunt: cùm tamen nec in Testamentis vlli Transsubstantiationi aut Consubstantiationi sit locus, & fides per obsignatum sigillis Testamentum, hoc est per promissionis visibile Verbum in Cœna, Christi carnem non minùs certò percipiat (qui solus est modus Christum per fidem in Verbo promissionis, siue sit prædicatum, siue sigillis obsignatum, percipiendi, cùm id sit eius obiectum) ac si illa corporaliter præsens esset, quod nec ad salutem, nec ad fidem requiritur: denique mortis Dominicæ recordatio præsentiam eius corporalem excludat: vnde ea frustra ex Patrum loquutionibus Sacramentalibus infertur.

Pontificiorum recentium sententia.

Quanquam autem & hodierni Pontificij corpus Christi, quod oblatum est in cruce, aiunt exhiberi in Cœna, adeò vt solum modum offerendi diuersum faciant: tamen & sibijpsis repugnant, & à Veteribus reipsa discordant. Nam si quis Canones Tridentini Concilij inspiciat, non corpus Christi crudum & cruentum Cœnæ subiectum faciunt, quale Veteres sub specie panis recondiderunt, ita vt illis aliter non differret à sacrificato corpore in cruce, quàm quòd ibi visibiliter, hic autem inuisibiliter contineatur: sed corpus Christi viuum & cum anima coniunctum, resuscitatum (inquam) & gloriosum in Cœna manducandum proponunt. Differt autem hoc tantum à corpore mactato, siue crudo & cruento, quantum inanimatum & animatum, & quantum conditio mortalis à gloriosa & immortali reuera distat: tametsi qui corpus mortuum possidet, per id communionem habet totius personæ Christi, itemq́ corporis resuscitati, vt docet Apostolus, Rom. 6. ex consequenti. Itaq́ cùm Veteres dicunt, corpus, quod olim mortuum est, nunc verò viuit, in Cœna edi, non quatenus viuum & gloriosum in cælis, sed quale discipuli ederunt in vltima Cœna, nempe & quatenus passioni obnoxium & traditum & in statu humiliationis pro nobis fractum: Et cùm Neoterici dicunt, corpus quidem quod olim mortuum & fractum est, sumi in Cœna, sed non quatenus fractum & mortuum, hoc est, non secundùm statum humiliationis & passionis, quale ederunt discipuli, sed quatenus nunc est viuum, animatum & gloriosum in cælis, profectò vtrique inter se ex diametro pugnant. Fit autem hoc posterius à recentioribus Pontificijs ea potissimùm de causa, vt Concomitantiam corporis & sanguinis sub vtraque specie (post subtractum videlicet Laicis & non conficientibus calicem) contra morem Veterum & institutum Christi, qui dixit (bibite ex hoc omnes) plausibiliùs tueantur.

Caput 4. de Transsubstantiatione.

Quartò, *recitata est explicatio doctrinæ de Transsubstantiatione, his quidem verbis.* Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum, id quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit, ideo persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, idque nunc denuò sancta hæc Synodus declarat, per consecrationem panis & vini, conuersionem fieri totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi Domini nostri, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis eius: quæ conuersio, conuenienter & propriè a sancta Catholica Ecclesia, Transsubstantiatio est appellata.

Canon 2.

Si quis dixerit, in sacrosanctæ Eucharistiæ Sacramento, remanere substantiam panis & vini, vnà cum corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi: negauerit que mirabilem illam & singularem conuersionem totius substantiæ panis in corpus, & totius substantiæ vini in sanguinem manentibus duntaxat speciebus panis & vini: quam quidem conuersionem catholica Ecclesia aptissimè Transsubstantiationem appellat, anathema sit.

Caput 5. de cultu & veneratione Eucharistiæ.

Quintò, *de cultu & veneratione, huic sanctissimo Sacramento adhibenda, ad hunc modum definiuit Synodus:* Nullus itaque dubitandi locus relinquitur, cùm omnes Christi fideles, pro more in catholica Ecclesia semper recepto, latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione adhibeant. Neque enim minùs est adorandum, quòd fuerit à Domino, vt sumatur, institutum. Nam illum eundem Deum, præsentem in

eo adesse credimus, quem Pater æternus introducens in orbem terrarum dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*: quem Magi procidentes adorauerunt, quem denique in Galilæa ab Apostolis adoratum fuisse, Scriptura testatur.

Declarat præterea sancta Synodus, piè & religiosè admodum in Ecclesia Dei inductum fuisse hunc morem, vt singulis annis peculiari quodam & festo die, præcelsum hoc & venerabile Sacramentum, singulari veneratione ac solennitate celebraretur: vtque in processionibus, reuerenter & honorificè illud per vias & loca publica circumferretur. Æquissimum est enim, sacros aliquos statutos esse dies, cùm Christiani omnes singulari ac rarâ quadam significatione gratos & memores testentur animos, erga communem Dominum & Redemptorem, pro tam ineffabili, & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræsentatur. Ac sic quidem oportuit victricem veritatem de mendacio & hæresi triumphum agere: vt eius aduersarij, in conspectu tanti splendoris, & in tanta vniuersæ Ecclesiæ lætitia positi, vel debilitati & fracti tabescant, vel pudore affecti & confusi aliquando resipiscant.

CANON 6. Si quis dixerit, in sancto Eucharistiæ Sacramento Christum vnigenitum Dei Filium, non esse cultu latriæ etiam externo adorandum, venerandum: neque in processionibus, secundùm laudabilem & vniuersalem Ecclesiæ sanctæ ritum & consuetudinem, & solenniter circumgestandum, vel non publicè vt adoretur, populo proponendum, & eius adoratores esse idololatras, anathema sit.

Cap. 6. de asseruanda Eucharistia & ad ægrotos deferenda.

Sextò, *De asseruando Eucharistiæ sacramento, & ad ægrotos deferendo, hunc ad modum decreuit*: Consuetudo asseruandi in Sacrario sanctam Eucharistiam adeò antiqua est, vt eam seculum etiam Niceni Concilij agnouerit. Porrò deferri ipsam sacram Eucharistiam ad infirmos, & in hunc vsum in Ecclesijs conseruari, præterquam quòd cum summa æquitate & ratione coniunctum est, tum multis in Concilijs præceptum inuenitur: Vetustissimo Catholicæ Ecclesiæ more est obseruatum. Quare sancta hæc Synodus retinendum omnino salutarem hunc & necessarium morem statuit.

CANON 7. Si quis dixerit, non licere sacram Eucharistiam in sacrario reseruari, sed statim post consecrationem astantibus necessariò distribuendam: aut non licere, vt illa ad infirmos honorificè deferatur, anathema sit.

1551.

Caput 7. de præparatione ad Eucharistiam digne percipiendam.

Septimò, *Fuit recitata explicatio doctrinæ, de Præparatione, quæ adhibenda est, vt dignè quis sanctam Eucharistiam percipiat, his verbis*: Si non decet, ad sacras vllas functiones quempiam accedere, nisi sanctè: certè quò magis sanctitas & diuinitas cœlestis huius Sacramenti, viro Christiano compterta est, eò diligentiùs cauere ille debet, ne absque magna reuerentia & sanctitate ad id percipiendum accedat: præsertim cùm illa plena formidinis verba, apud Apostolum legamus: *Qui manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.* Quare communicare volenti, reuocandum est in memoriam eius præceptum: *probet autem seipsum homo.* Ecclesiastica autem consuetudo declarat, eam probationem necessariam esse: vt nullus sibi conscius mortalis peccati, quantumuis sibi contritus videatur, absque præmissa Sacramentali confessione ad sacram Eucharistiam accedere debeat: quod à Christianis omnibus etiam ab eis sacerdotibus, quibus ex officio incubuerit celebrare, hæc sancta Synodus perpetuò seruandum esse decreuit, modò non desit illi copia Confessoris. Quòd si necessitate vrgente sacerdos absque præuia confessione celebrauerit, quàm primùm confiteatur.

CANON 11. Si quis dixerit, solam fidem esse sufficientem præparationem ad sumendum sanctissimum Eucharistiæ Sacramentũ, anathema sit. Et ne tantum Sacramentum indignè, atque ideo in mortem & condemnationem sumatur: statuit atque declarat ipsa sancta Synodus, illis quos conscientia peccati mortalis grauat, quantumcunque etiam se contritos existiment, habitâ copiâ Confessoris, necessariò præmittendam esse Confessionem sacramentalem. Si quis autem contrarium docere, prædicare vel pertinaciter asserere, seu etiam publicè disputando defendere præsumpserit, eò ipso excommunicatus existat.

Caput 8. de vsu Eucharistiæ.

Octauò, *De vsu admirabili huius Sacramenti decreuit hisce verbis*: Quoad vsum autem rectè & sapienter Patres nostri tres rationes hoc sanctum Sacramentum accipiendi distinxerunt. Quosdam enim docuerunt Sacramentaliter duntaxat id sumere: vt peccatores. Alios tantùm spiritualiter: illos nimirum, qui voto propositum illum cœlestem panem edentes, fide viuâ, quæ per dilectionem operatur, fructum eius & vtilitatem sentiunt. Tertios porrò, sacramentaliter simul & spiritualiter: ij autem sunt, qui ita se priùs probant & instruunt, vt vestem nuptialem induti, ad diuinam hanc mensam accedant. In

sacra-

1551. sacramentali autem sumptione, semper in Ecclesia Dei mos fuit, vt laici à sacerdotibus communionem acciperent, Sacerdotes autem celebrantes, seipsos communicarent: qui mos tanquam ex traditione Apostolica descendens, iurè ac meritò retineri debet, &c.

CANON 8. Si quis dixerit, Christum in Eucharistia exhibitum, spiritualiter tantùm manducari, & non etiam sacramentaliter ac realiter, anathema sit.

CANON 9. Si quis negauerit, omnes & singulos, Christi fideles vtriusque sexus, cùm ad annos discretionis peruenerint, teneri singulis annis, saltem in Paschate, ad communicandum iuxta præceptum sanctæ matris Ecclesiæ, anathema sit.

CANON 10. Si quis dixerit, non licere sacerdoti celebranti seipsum communicare, anathema sit.

Tridentina Synodus quatuor themata de Eucharistia indefinita relinquit.

Verumtamen vt Patres Concilij huius Cæsaris morem gererent, quatuor themata, ad Eucharistiæ negotium pertinentia, indefinita relinquunt. 1. Sit-ne ad salutem necessarium, & iure diuino præceptum, vt speciem vtramq; sacramenti omnes percipiant? 2. An, qui solam alteram percipit, minus eo sumat, qui simul vtramq;? 3. An errauerit Ecclesia, cum instituit, vt soli Sacerdotes vtramq; sumant, reliqui non item? 4. An paruulis quoq; Eucharistia communicanda sit? De his thematis aiebant Protestantes cupere, priusquam Synodus aliquid definiat, audiri, & publicâ fide sibi caueri. Cùm igitur ipsorum aduentum hucusq; vehementer expetiuerint, & in spem veniant, fore, vt ad pristinam Ecclesiæ Concordiam illi redeant, largiri ipsis tutum itum & reditum: & eorum thematum definitionem in 25. Ianuarij diem producere, vt ante eum diem adesse, ac sua in medium proferre queant: Tunc etiam de sacrificio Missæ, propter vtriusq; argumenti connexionem ac affinitatem agendum esse. Hæc illis quidem ita publicè recitârunt, quasi de his tantùm rebus audiri vellent ipsorum aduersarij, cùm eius rei nihil vnquam illi cogitassent, & erant multò maiora quæ proponerentur ab illis.

ANNVS M. D. LII.

Ioan. à Lasco Baro edit Confessionem suam de Cœna.

HOc anno Ioannes à Lascò, Baro Poloniæ, & Superintendens Peregrinorum Ecclesiæ Londini edidit Confessionem de Cœna Domini, in quo explicat genuinam sententiam verborum Christi, Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum.

Idem à Lasco edit dilucidam de Sacramentis Ecclesiæ Christi tractationem.

Idem à Lasco edidit hoc anno, Breuem & dilucidam de Sacramentis Ecclesiæ Christi tractationem, in qua & fons ipse & ratio totius sacramentariæ nostri temporis controuersiæ paucis exponitur: naturaq; & vis Sacramentorum compendio ac perspicuè explicatur. Et quod ad Originem controuersiæ sacramentariæ attinet, sic de ea inter alia scribit: Mira fuit Satanæ vafricies in Sacramentorum adulteratione: nimirum huc spectant conatus sui omnes, vt nostram in merito mortis Christi fiduciam, animis nostris, quo fuco quaque hypocrisi eximat. Et cùm Sacramenta omnia in hoc sint potissimùm instituta, vt nostram cum Christo communionem in merito mortis suæ cordibus nostris in Ecclesia obsignent, nosque illius fiduciâ, aduersùs omnes Satanæ conatus communiant: hæc sibi inprimis nostræ cum Christo communionis monimenta inuadenda esse putauit. Ac primùm inauditâ hypocrisi, idolum nobis in Sacramentis ipsis erexit. Et cùm ea nefandissimè dedecorâsset, ornâsse se illa nihilominus videri volebat, adeoque & contemptus diuinorum omnium culpam in eos conjiciebat, qui aduersùs prodigiosam suam illam idololatriam vel mutire saltem ausi fuissent. Nunc verò cùm eam ipsam suam idololatriam consistere ampliùs non posse videt, propter detectum fucum ac imposturam Papisticæ Transsubstãtiationis: aliud illi fulcrum rursus quærere modis omnibus conatur, vt etiamsi omnis de Transsubstantiatione imaginatio omnino rejiceretur: haberet ipse tamen, quo suam idololatriam communiret, mutatam quidem illam, neque cum tantis blasphemijs coniunctam, sed quæ interim naturam & ingenium Sacramentorum non leuiter obscuret: & ad creaturæ adorationem nos etiam quodammodo inducat, nempe realem substantiæ corporis & sanguinis Christi naturalis cum elementis Sacramentorum connexionem: quâ alioqui retentâ, nondum sibi omnem idololatriæ speciem eripi posse videt, etiamsi illi pereant vsurpatæ hactenus propitiatoriæ, aut (quemadmodum vocari nunc demum cœperunt) applicatoriæ oblationes, & earum nundinationes. Ac quemadmodum aliàs nihil nō intentauit Trãssubstantiationis oppugnatoribus: ita vbi hâc periclitari videt, nihil omnino prætermittit, quod ad grauandos eos omni inuidiâ, calumnijs & superstitionibus quoquo modo pertineat: qui realem illam substantiæ corporis & sanguinis Christi naturalis cum elementis Sacramentorum connexionem verbi diuini authoritate oppugnare conantur. Ita sanè initio renascentis in Germania pridem Euangelij Christi, plerisque Lutheri omnia ferè placebant: Si non Papisticam illam Transsubstantiationem attigisset: nimirum hac retenta Deus ille Mayzim, in

De origine sacramentariæ controuersia.

quo

.quo est positum robur omne ac præsidium tyrannidis Antichristianæ, in pretio futurus erat. Cæterùm attactâ Transsubstantiatione, ibi verò Lutherus ipse, diuinorum protinus omnium contemptor haberi cœpit: donec fucus & impostura Transsubstantiationis pleniùs cognita esset. Cùm tamen vir ille Dei, veram haud dubiè dignitatem Sacramento Cœnæ Dominicæ (pro donorum suorum mensura) restituere: magicasque ab illo præstigias omnes propellere modis omnibus conaretur. Ita & nunc nihil non arripitur, ad traducendos & proscindendos eos, qui agnoscere nolunt realem illam substantiæ corporis & sanguinis Christi naturalis cum Cœnæ Dominicæ elementis connexionem. Sed quemadmodum Lutheri doctrina plausibilior est visa, post detectum fucum Transsubstantiationis, ita nostram quoque doctrinam, post agnitam connexionis istius superstitionem, gratam pijs omnibus haudquaquam fore dubitamus.

Synodus Londinensis componendis dissidiis in Religione instituta. Eius caput de Cœna.

Hoc quoq; tempore, authoritate Eduardi 6. Regis Angliæ, promulgata sunt capita, de quibus in vltima Synodo Londinensi, ad tollendam opinionum dissensionem, & consensum veræ Religionis firmandum, inter Episcopos & alios eruditos atq; pios viros conuenerat. Caput de Cœna Domini sic habet: Cœna Domini non est tantùm signum mutuæ beneuolentiæ Christianorum inter sese, verùm potiùs est sacramentum nostræ per mortem Christi Redemptionis. Atque adeò rite, dignè & cum fide sumentibus, panis quem frangimus est communicatio corporis Christi. Panis & vini Transsubstantiatio in Eucharistia ex S.literis probari non potest: sed apertis Scripturæ verbis aduersatur, & multarum superstitionum dedit occasionem. Quum naturæ humanæ veritas requirat, vt vnius eiusdemq; hominis corpus, in multis locis simul esse non possit, sed vno aliquo & definito loco esse oporteat, idcirco Christi corpus, in multis & diuersis locis, eodem tempore præsens esse non potest. Et quoniam, vt tradunt S.literæ, Christus in cœlum fuit sublatus, & ibi vsque ad finem seculi est permansurus, non debet quisquam fidelium, carnis eius & sanguinis realem & corporalem, vt loquuntur, præsentiam in Eucharistia vel credere vel profiteri. Sacramentum Eucharistiæ ex institutione Christi non seruabatur, circumferebatur, eleuabatur, nec adorabatur, &c.

De Certamine Sacramentario à 1552. Ioachimo Westphalo renouato: in quo vehementioribus animis ab vtraque parte pugnatum fuit quàm antehac nunquam.

Bellum Eucharisticum post mortem Lutheri aliquandiu sopitum fuit.

Post mortem Lutheri certamen Eucharisticum aliquandiu sopitum ac intermissum fuit, quòd bello Germanico & victoriâ Caroli V. Imperatoris status Ecclesiarum in Germania afflictissimus, & in summum discrimen adductus fuisset. Primarij namque Principes Protestantium vinculis: Ciuitates Imperij grandi are: Ecclesiarum Ministri, qui bellum hoc Sacramentarium antehac gesserant, damnis, ignominijs, verberibus & exilijs mulctabantur. Accidit igitur tunc quoque quod in veteris Ecclesiæ historia persequutionum tempore sæpe accidisse legimus, vt nimirum sepositis odijs, conuitijs & animorum exacerbationibus, pacem vtrinque colerent, & de communi Ecclesiæ periculo soliciti essent.

Bellum Sacramentarium renouat Westphalus.

Hanc autem tranquillitatem turbauit primus, & funestum hoc bellum Sacramentarium renouauit infelix ille Ioachimus Westphalus *Hamburgensis Ecclesiæ Minister anno Domini 1552. editione libelli, cui titulum præfixit:* Farrago confusanearum, & inter se dissidentium opinionum de Cœna Domini, ex Sacramentariorum libris congesta. *Opposuit hunc libellum* Consensui *nuper facto inter Helueticas & Gallicas Ecclesias Tiguri, Bullingeri & Caluini consilio & operâ in negotio Eucharistico. In hac igitur* Farragine *sua Westphalus probare ac demonstrare conatur, Zuinglianos & Caluinistas, vt vocant quantumuis simulent consensum in Re Sacramentaria: tamen in varias & inter se pugnantes sententias scissos esse, quæ propria nota sit seductorum: Lutheranos contrà in vna certa & perpetua sententia sibi constare: quum tamen in illo ipso libello, corpori Christi tribuat vim & efficaciam physicam, quòd assumptum ore carnali ita afficiat pios simul & impios, sicut vinum alia atq; alia efficit in corporibus sanis aut agris: & similia multa doceat quæ Luthero prorsus ignota, aliena, absurda, quin palàm sunt impia & blasphema. Classicum etiam in eodem libello non obscurè canit, excitatis ad subsidiariam operam socijs, nouo bello gerendo. Scribit enim,* ideo in publicum se hunc libellum emisisse, ne deesset Ecclesiæ: deinde vt doctiores excitaret, quo miserati Ecclesiam procellis malorum conquassatam, ad nocentissimum errorem opprimendum, subsidiariam operam conferrent. Adhæc, vt om-

nes

1552. nes commonefaceret, ne Zuingliano & Caluinistico errori assentirentur. *In fine libelli*, dignas esse *dicit* istas Sacramentariorum blasphemias, quæ potiùs sceptro Magistratus, quàm calamo refutentur. *Atque hu ita stilum in Antagonistas suos strinxit & acuit, vt nulla Concordia iam pridem inter Lutherum & Bucerum ratione habitâ, decreta sanguine scripsisse existimaretur.*

ANNVS M.D. LIII.

Westphalus alium libellum contra Caluinistas edit.

HOc anno alium libellum edidit Westphalus cum hac inscriptione: Recta fides de Cœna Domini ex verbis Apostoli Pauli & Euangelistarum demonstrata & communita. *Hunc libellum se ideo dedicâsse Ecclesia Homburgensi scribit, vt eam instrueret aduersùs Sacramentarios: vtque hoc sua dedicatione publicè testaretur, se Ecclesia iudicijs subjicere, quæ iam viuâ voce, quàm scriptis, de Sacramento Eucharistiæ tradidisset. In fine libelli, defendit sententiam illam, quòd etiam mali & indigni corpus & sanguinem Christi percipiant in Sacramento.*

Ioannis Stolzij Somnium, contra Caluinistas.

Ioannes Stolzius *quoque* Witebergensis *scribit* Defensionem Lutheri, *vel* Somnium, *in quo inter alia Luthero mortuo narrat, Sacramentarios æstro percitos, ipsum scribendo nunc vincere, & quibus possint sannis Commentarios eius, & versionem Bibliorum carpere. Illum qui à caluitie nomen habeat, eius sanctissimos Cõmentarios in Genesin, singulis propè folijs explodere & cachinnis amarulentis excipere. Caluinum notans, qui suos in Genes. Commentarios, in quibus aliquando à Lutheri interpretatione dissentit, in lucem ediderat, & Principibus Saxoniæ dedicârat.*

Bellum sacramentarium à Westphalo excitatum latè sese diffundit.

Excitatum his libellis incendium celeriter sese diffudit, & multo regna ac prouincias corripuit: Ac tot quidem scriptionum velitationibus agitatum est, vt maius & feruentius studium partium in hoc certamine vix conspectum fuerit antè, sicut ex sequentibus intelligetur.

Camerarius respondet Somnio Stolzij. Philippus etiã conqueritur de Somnio Stolzij.

Respondit enim huic Somnio *Ioachimus Camerarius, qui non obscurè in eo carpebatur.*

De hoc quoque Somnio, *vel alio quodam grauiter conqueritur Philippus Melãcthon apud Camerarium, ad quem anno 55. decimo nono Calend. Septemb. sic scripsit:* Legeram virulentum scriptum Somnij Germanici, cuius authorem esse τὸν ῥάπτην quidam suspicantur: quidam Polyphemi filium fratrem τῦ Ἰλλυρικῦ: ego non vnum ῥάπτην scripsisse iudico, sed multos fuisse συῤῥάπτας (*consarcinatores*) ac video nos duos præcipuè peti, & nostris capitibus fata cantari. Non dubito esse aliquam Ecclesiam Dei, sed vt antè aliàs, aliâ tyrannide oppressa fuit, ita nunc δημαγωγοὶ ὀχλοκοπῶντες (*doctores seu præsides populi, multitudinem conturbantes*) indocti, nec quærentes doctrinæ fontes, nec disciplinam, nec pietatis exercitia curantes, dominantur, quorum regna non ego quidem impedire possum, sed tamen familiaritates eorum vitabo. Et quanquam sedemus, vt Daniel, inter leones, tamen Deus gemitus nostros exaudiet, & aliqua sua agmina seruabit. Si qua erit occasio pro nobis dicendi, commemorabo, quarum rerum explicationem isti κόλακες τῦ δήμου (*assentatores vulgi*) impedierint & impediant.

Henricus Bullingerus duos Sermones de Eucharistia Germanicè edit.

Eodem etiam anno Henricus Bullingerus *duos* Sermones *Germanicâ linguâ edit, quibus totius de Eucharistia doctrinæ præcipua capita modestè simul, absque vllo conuitiorum genere, & methodicè complectitur: sic vt, quando, à quo & quomodo instituta sit Cœna, quid Christus instituerit, quis Eucharistiæ finis sit, & quo pacto eam percepturi sese gerere debeant, perspicuè doceat.*

Petrus Viretus librum edit de Origine, progressu & [illegible] ministerij & Sacramentorum: & de controuersijs ea de re excitatis.

Ante aliquot etiam annos Petrus Viretus, *Orbæ Bernensium & Friburgensium ditionis oppido natus*, Opus, *octodecim libris comprehensum, Gallicâ lingua edidit*, De Origine, Progressu, Continuatione, *vi, vsu, authoritate atque præstantia Ministerij verbi Dei, & Sacramentorum, & de controuersijs ea de re in Christiano orbe, hoc præsertim seculo excitatis: ac de earum componendarum ratione: hoc verò anno id in Latinum sermonem conuersum in lucem emisit.*

Liber sextus, septimus & octauus *generatim de ijs agit, qui plus iusta efferunt hominum Ministrorum dignitatem, externorumque signorum præstantiam: ac vtrisque tribuunt, quæ soli Deo accepta ferre conuenit.*

Summa librorum Viretí. Summa sexti libri.

Sed quanquam hic est communis horum trium librorum scopus, in Sexto *tamen peculiariter disseritur, cùm de virtute operis operati, quam Papistæ ponunt in Sacramentis non à Christo tantùm, sed etiam ab hominibus institutis, & de caußis quæ consideranda sunt, in humana salutis quæstione: Tum verò de Transsubstantiationis Papistica commento, & de vi verborum sacramentalium in eodem, & magico sacrificulorum murmure, & de varijs super eo Scholasticorum Theologistarum disputationibus & sententijs se mutuum conficientibus.* Capite *enim* tertio *huius libri docet, Papistas non contentos, institutorum à Christo Sacramentorum symbolis ea quæ solius Dei sunt tribuere, sua præterea istis commenta æquantes, eandem ipsis vim adscribere.* Cap. 4. *agit de*

Papistico

Papiſtico Tranſſubſtantiationis commento : ac de parum congrua hujus nominis ſignificatione rei cui ſignificandæ deſtinata eſt. Cap. 5. *De novo Papiſticæ philoſophiæ genere : & de nova ejuſdem phyſicæ & naturæ metamorphoſi, quâ accidentia, quæ per ſe ſubſiſtere non poſſunt, in ſubſtantiarum naturam convertunt, quæ per ſe ſubſiſtũt: Et de vocabulorum proprietate, quibus aptiùs Tranſſubſtantiationis commentum appellari queat.* Capite decimoquinto *oſtenditur, Tranſſubſtantiationem cum ſententia totius veteris Eccleſiæ, & tota Sacramentorum natura pugnare, eaque tolli è Cœna ſymbola externa, ſine quibus nulla tamen poſſunt eſſe vera Sacramenta.* Cap. 16. *An panis & vini accidentia, ſublatâ utriuſque ſubſtantiâ, pro veris ſignis Cœnæ Dominicæ haberi queant.* Cap. 17. *Quòd nec miraculi titulo & ſubterfugio, aliquove ſacrarum literarũ exemplo, ſeu naturæ, imò ne magicæ quidem artis, Tranſſubſtantiatio defendi rectè poſſit: & quid cum magica diſciplina commune habeat.* Cap. 18. *Vtrùm ſola accidentia, an etiam panis ſubſtantia edatur corrumpaturque, dum poſt conſecrationem hoſtia editur à vermibus, aut corrumpitur: Item, an ſola tum panis tum vini accidentia nutriant.* Cap. 19. *Vtrùm animalculo hoſtiam corrodentia, odore ejuſdem, ſive ejus ſubſtantiâ paſci poſſint: curque tam graves mortis pœnas deprehenſo luant, & tam honorificè eorundem recondantur cineres, ſi ſola edunt accidentia.* Cap. 20. *De mixto ac propinato cum ſignorum accidentibus in Cœna veneno : ac de præclaro ſtratagemate, quo Deus Papiſticus ſuppoſito ſibi pane ob inſidiis animalculorum ſibi inſidiantium ſe tuetur, & de magica Tranſſubſtantiationis ludificatione.* Cap. 21. *De ſignorum & rerum quibus conſtituuntur Baptiſmus & Cœna inter ſe collatione & convenientia : & de vi, ſenſu, uſuque verborum, quibus utriuſque myſteria & ſignificatio exponuntur.* Cap. 22. *De pronunciatione ſacrorum verborum, quibus ſigna cùm Baptiſmi, tum Cœna conſecrantur, & quibus hæc Sacramenta conficiuntur.* Cap. 23. *De differentia, quam inter Baptiſmum & Cœnam hac in parte Thomiſtæ conſtituunt, ac de eiuſdem confutatione.* Cap. 24. *Quo ſenſu accipienda ſint quæ ſcripſit Auguſtinus de vi verborum in Sacramentis, & quo pacto illa vis ſeſe patefaciat: & quæ ſit Verbi Dei vis tum annunciati, tum ſide ſuſcepti, & à quo eam accipiat. Vbi & de eodem capitibus* 25. 26. 27. & 28. *agitur.*

Summa Septimi libri.

Hæc ipſa in Septimo libro fuſiùs pertractantur: In quo præcipuè Papiſtarum Sophiſtæ inducuntur inter ſe confligentes de variis expoſitionibus verborum Chriſti in Cœna, ac ſeipſos mirè torquentes, ne figuratam orationem in his agnoſcere ac recipere cogantur, quam tamen ſuis gloſſematis vitare nequeant. Ac ſimul declaratur, quibus modis verbum EST accipiatur in ſacris Literis. Deinde quæ ſit ſimpliciſſima ac certiſſima verborum Chriſti expoſitio, & quàm abſurdæ conſequãtur Theologaſtrorum Scholaſticorum interpretationes de Tranſſubſtantiatione, Conſubſtantiatione, Coexiſtentia, Tranſaccidentatione & Annihilatione, *aliiſque ejuſmodi portentis. Præterea diſputatur de poſtremo eorum ad Miracula effugio, & ad divinam potentiam. Vbi diſſeritur etiam de variis Miraculorum generibus & differentiis, quæ divinis Literis prodita ſunt.* Nam capite primo *docet, Quòd ſine Troporum & figurarum ſubſidio, verba, quibus tum Baptiſmi, tum Cœnæ Sacramenta explicantur, commodè exponi non poſſint, nec genuinus eorum ſenſus erui.* Cap. 2. *Quantum ſe torqueant Scholaſtici in expoſitione verborum Chriſti in Cœna : ac primùm in exponẽdo pronomine HOC.* Cap. 3. *Quo temporis momento dici poſſit, Corpus Chriſti adeſſe ad verborum ſacrorum pronuntiationem.* Capite 4. *Quàm variè uſurpetur verbum EST, quamq; varios accipiat ſenſus in ſacris Literis : ac quemadmodum diſtinguenda ſint eius inter ſe ſignificationes: non ſolùm figurata à naturali & ſubſtantiva ſed etiam figurata & ſignificativa inter ſe.* Capite 5. *De ſignificatione ſubſtantiva verbi EST : & de attributi copulatione & prædicatione cum eo quod ſubjicitur in verbis Cœnæ : & de Innocentii tertii interpretatione in eandem, atque etiam Scoti, & utriuſque ſuffragatorum & interpretum, Petri Alliacenſis & Occami, ac de eorundem inter ipſos diverſitate.* Cap. 6. *De Thoma & aliorum tum Veterum, tum Recentiorum ſententia, qua illorum expoſitio improbatur, aut approbatur, qui panis & vini elementa, pro figura corporis & ſanguinis Chriſti accipiunt: & quo eadem ſenſu à Veteribus transformari, & mutari in corpus & ſanguinem Chriſti dicta ſint.* Cap. 7. *De Scholaſticorum ſententiis, quas Thomas reiicit ac refellit, quibus pro* Tranſſubſtantiatione *ſubſtituitur aut* Conſubſtantiatio, *ſeu* Coexiſtentia, *aut* Impanatio, *aut* Tranſaccidentatio, *aut* Annihilatio, *ſeu* diſceſſio, *atque* emigratio, & acceſſio, *ſive* ſucceſſio. Capite octavo, *De Thomæ ſententia à præcedentium Sophiſtarum expoſitione diverſa: & de alia verbi EST, interpretatione & ſignificationis diſtinctione ex Bonaventura & ſimilium Scholaſticorum ſenſu, atque de extremo eorundem omnium effugio & præſidio.* Capite nono *agitur de verborum Chriſti in Cœna ſimpliciſſima ac certiſſimo omnium interpretatione : & de alio Papiſticæ interpretationis incommodo in vini conſecratione.* Capite decimo, *De aqua varia Tranſſubſtantiatione & converſione: & de inconſtantia & diverſitate*

1553. doctrina Papistica in Cœna controversia. Cap. 11. Quòd omnes Papistarum expositiones nullo nitantur sacræ Scripturæ fundamento: sed ipsis quoq; verbis Evangelistarum refellantur. Cap. 12. De Papistarum ad miracula effugio, & de petitis inde argumentis: ac de varia miraculorum, quæ in divinis literis, tum ob eorum notas, tum ob res ipsas quibus constant, consideratione. Cap. 13. An signa quæ miraculo aspectabili formâ producta sunt, vera semper corpora exstiterint, & vera rerum corporearum & existentium forma. Cap. 14. De argumento Papistarum, à Dei potentia sumpto, ad confirmandum dogma de Transsubstantiatione: ac quo pacto Dei potentia consideranda sit: & quatenus valeant argumenta ab eadem sumpta.

Summa Noni & Decimi libri.

Libro Nono & Decimo de iis agitur, qui superiorum errata volentes pio studio corrigere plus iusto alii quidem ad horum, alii ad aliorum sententiam deflexerunt; atque eadem opera multa tractantur de utrorumque inter se conciliandorum modo. De prioribus disseritur Nono libro: Decimo autem de posterioribus, atque etiam de iis, qui se tanquam moderatores & conciliatores inter hos interposuerunt.

Cap. 1. Noni libri de Lutheranis agitur, qui etsi non assentiuntur Papistis per omnia, ad eos tamen quibusdam in rebus propiùs accedunt, symbolisq; externis Sacramentorum, & toti externo ministerio plus iusto attribuunt. Cap. 2. De illorum sententia tractatur, qui Sacramenta in novum quoddam magicum genus convertunt, eorumq; symbolis externis vim ferè parem, quã Magi suis imaginibus & characteribus magicis attribuunt. Cap. 3. Quæ causa istos moverit, ut peculiaribus huiusmodi loquendi formis uterentur, quantumq; sit ab ipsis hac in parte peccatum. Cap. 4. Quæ incommoda importâris hæc docendi dicendique ratio, quam hi sequuti sunt. Cap. 5. De illis, qui à cæteris omnibus novum ac diversum communicationis genus corporis & sanguinis Christi in Cœna excogitârunt: Credunt enim, quum primùm Christus Cœnam instituerit, fuisse quoddam naturale communicationis & transfusionis genus naturalis corporis & sanguinis Christi cum ipsa naturali discipulorum substantia. Cap. 6. Quid nobis cum istis omnibus conveniat, quidque ab iisdem dissentiamus: & cujusmodi intelligenda sit perpetua in Ecclesia Christi præsentia: & quatenus quæ de ea in sacris Literis traduntur, ad Cœnam pertineant. Cap. 7. De ratione conciliandorum locorum, qui de Christi præsentia in terris, & ejus in Cœlos ascensu testantur: & de eorum sententia qui ex ejus ascensione absconsionem & disparitionem faciunt. Cap. 8. Quid potissimùm inquirendum sit, ad dirimendam litem, quæ istis nobiscum est. Cap. 9. Quæ præcipua in rebus inveniri queant præsentiarum sive unitatum, aut societatum & conjunctionum genera: & quodnam ex omnibus aptiùs Sacramentis conveniat, & ad ipsa propriè pertineat. Cap. 10. Quem in hac disputatione locum habere possint genera illa quæ naturalia & artificialia nominantur: & qualis intelligendus sit Christi à mundo discessus. Cap. 11. Quem in modum Christus nobiscum sit in terris, ac nihilominus tamen cælos, corpore suo à nobis locorum intercapedine disjuncto, inhabitet. Cap. 13. De duplici ratione, quâ corpus Christi & externa Cœnæ symbola sint consideranda: ac quatenus naturalis philosophia in hac quæstione admitti aut excludi debeat. Cap. 14. Quid adversarii sentiant de argumentis petitis à rerum natura, in quæstione de Christi in Cœna præsentia. Cap. 15. Quodnam præsentiæ seu unitatis, aut societatis genus iidem in Cœna statuant, rerum quæ symbolis referuntur cum suis symbolis: quasque admittere cogantur expositiones in Christi verbis, quæ vulgò sacramentalia seu consecrationis verba vocantur. Cap. 16. De figura Synecdoches in sacris Literis frequenter obvia: ac de erroribus ex eius ignoratione exortis. Cap. 17. Quo sensu commodè recipi possit in Cœna Synecdoche in verbis Christi atque etiam adversariorũ interpretatio. Cap. 18. De ratione eorum inter se conciliandorum, qui Synecdochen & qui Metonymiam accersendam existimant ad expositionem verborum Christi. Cap. 19. An Adverbia Corporaliter & Spiritualiter ita inter se pugnent, ut simul utrumque stare non possit in hoc præsentiæ & societatis genere, Cap. 20. De usu horum Adverbiorum, & de hujusmodi loquendi formis apud Veteres: & quatenus hoc nostro seculo his uti cõveniat. In sequentibus hujus libri capitibus agitur de naturali corporis & sanguinis Christi, veraque & corporea carnis ipsius cum nostra communicatione.

Summa libri decimi.

Libro decimo tractatur Capite 1. De diversa aliorum sententia qui proximorum dissimiles, visi sunt Sacramentarum vim enervare, ac ex ipsis signa duntaxat inania facere Christianæ professionis. Cap. 4. Quid habeant virium argumenta, quæ isti ducunt à significatione nominis Sacramenti & Circumcisionis. Cap. 5. Quâ æquitate conveniat judicare de verbis scriptisque doctorum virorum, qui nostro seculo exagitârunt & oppugnârunt tum Papisticam Transsubstantiationem, tum alias aliorum sententias, quæ propiùs videntur ad eam accedere. Cap. 6. De veterum scriptorum testimoniis, qui Cœnæ symbola pro figura & significatione corporis & sanguinis Christi exposuerunt. Cap. 9. Quânam potissimùm ratione hi cum proximis conciliari posse videantur, & tolli utrinque offensionis causa. Cap. 11. & sequentibus, De illorum studiis & consiliis, qui se pro pace & concordia Ecclesiarum in hac controversia conciliato-

res

res & pacificatores interposuerunt: & quàm difficilem susceperint provinciam. Cap. 15. & seq. *De iis qui Sacramenta habent vice duntaxat allegoriarum & figurarum, quibus Christiani homines sui officii, quasi symbolis quibusdam, admoneantur, & vita Christiana designetur.*

Summa libri Vndecimi.

Libro Vndecimo *confutatur cap. 30. illorum error, qui aliis etiam quàm publicis Ecclesiæ Ministris, Sacramenta administrare concedunt.*

Summa libri Duodecimi

Libro Duodecimo, *illi confutantur, qui sine externis Sacramentorum notis, res quæ illis significantur, percipi posse non censent: Qui omnibus iis salutem pollicentur, qui externa modò symbola participârunt: Qui licèt impiis salutarem Sacramentorum perceptionem negent, illis tamen res significatas cum externis earum symbolis simul verè communicari asserunt. In quo explicando, multa exponuntur de piorum & impiorum communicatione.*

Summa libri decimi tertij

Libro Decimotertio, *in fine de iis agitur, qui Cœnam Dominicam infantibus exhibendam esse censent.*

Summa libri decimi quarti.

Libri Decimiquarti, *posterior pars versatur præcipuè circa ceremonias alias & symbolorum externorum materiam & usum, quæ in Sacramentorum administratione adhiberi solent: & ostenditur quis earum usus extra Sacramentorum actionem esse queat: & quid sentiendum sit de Reliquiarum Cœnæ, externorumque ejus Symbolorum Asservatione, deq; Cœnis Clinicis & ægrotis administrandis: atque etiam de temporum & locorum delectu ad celebrandos Ecclesiæ conventus, præsertim verò in Sacramentorum celebratione, & de aliis quàmplurimis ejusmodi ceremoniis ac circumstantiis, de quibus nonnunquam inter homines superstitiosiùs controverti solet. Nam* Cap. 9. *agitur de Aqua cũ vino mixtura in Cœna* Cap. 10. *De panibus azymis & fermentatis: & quæ forma iis magis conveniat, quæ in sacra Domini mensa apponuntur.* Cap. 11. *De interdictis panis, vini, sacrorumque vasorũ contactu & contrectatione Laicis hominibus in administratione Cœnæ, & de more dandæ in manus communicãtium Eucharistiæ in veteri Ecclesia: atque item de domestica ejusdem sumptione.* Cap. 12. *de Asservatione externarum Cœnæ symbolorum, eorumq; abusu & profanatione extra ipsam Cœnæ actionem: & de veteri cõsuetudine Eucharistiæ ad peregrinas trãsmittendæ, & dandæ* Pacis *iis qui lapsi fuerant: atque item de primis authoribus, à quibus sancitum est, ut Hostia honorificè asservata ad cultum prostitueretur.* Cap. 13. *de Cœnis privatis & clinicis, ac de vera Cœnæ communione: & de discrimine quo à Baptismo clinico clinica Cœna differt,* Cap. 14. *de Hostiæ Papisticæ abusu adversus cœli inclementiam, & ad sedandas tempestates & ad magicas alias id genus superstitiones: ac de vi mysticæ benedictionis in reservatis Cœnæ reliquiis ex Veterum sententia, & quantum hæc Papistis patrocinetur.* Cap. 15. *Quid variari peccarique soleat in temporum ac locorum ratione, in quibus Sacramenta administrari solent, & aliis in consimilibus rebus ad Cœnam pertinentibus.* Cap. 16. *Quid potissimùm spectandum sit in locorum & temporum delectu ad celebranda Sacramenta: & quid sit de sacris locis ad hanc rem dicatis sentiendum.* Cap. 17. *de præscripto Cœnæ celebritati tempore, ac de ejus celebrandæ neglectu.* Cap. 20. *An necesse sit iejuno ore Cœnæ sacramentum recipere: quidque hac in re imbecillioribus cõcedi debeat.* Cap. 21. *De modo suscipiendorum externarum Cœnæ symbolorum, & de Psalmorum cantu & sacra lectione in eorũ distributione: ac de eorum superstitione, qui magis superstitiosa dierum religione quàm ipsius Cœnæ & pietatis studio moti, Eucharistiam participant.*

Summa libri decimi quinti.

Libri Decimiquinti Cap. 12. *docetur, Quodnam illud sit Cælum, quod Christus conscendit, & in quo sedet ad dexteram Patris: ac quo sensu à Paulo supra cælos omnes ascendisse dicatur, ut impleret omnia.* Cap. 14. *An ex Christi ad Dexteram Patris sessione consequatur ipsius corpus ubique esse, ac tam latè patere atque illam Dei dexteram: ac quid de loco, cæloque sentiendum sit unde eum venturum extremo die expectamus.* Cap. 15. *De ratione atque modo ascendendi in cælum, in quo Christus regnat & habitat, ut cum eo conjungamur & communicemus: & de vera cum eo communicationis modo.* Cap. 17. *Quòd nobis non tantùm Spiritus Christi communio, sed etiam carnis & sanguinis necessaria sit.* Cap. 18. *De modo & fine quo se Christus donavit nobis: & quàm commodè utrumque exprimatur Christi verbis, de esu carnis suæ & sanguinis potu.* Cap. 19. *Quis sit verus carnis Christi esus & sanguinis potus: ac de Originis hac de re testimonio,* Cap. 20. *Quo sensu, & quot modis corpus & sanguis Christi spiritualia dici intelligique possint, & quæ sit in Sacramentis vis Spiritus ipsius.*

Summa libri decimi sexti.

Liber Decimus sextus, *exponit, qualis statui debeat rerum spiritualium societas, cohæsio ac distributio cum ipsis earum symbolis, & quid commune habeant Sacramenta cum humanis fœderibus & contractibus. Quod quidem multis exemplis sacrarum Literarum declaratur, petitis ex variorum Sacramentorum natura, quibus Deus iam inde ab initio apertè demonstravit, non esse inania Sacramentorũ symbola, nec easdẽ tamen esse id ipsum, quod res quas ipsa referunt: neq; itẽ aliquo nexu indissolubili alia-ve ratione inter se coniunctas, quàm spirituali, & solà vi divinæ institutionis & Spiritus sancti. Atque in his instituta comparatione & colla-*

1553. *tione Sacramentorum Maris & Nubis, Manna, simul & Petra aquam in deserto profundentis, de quibus Paulus meminit, aliorumque Sacramentorum Israelitica Ecclesia cum nostris: ostenditur insuper, qua sit horum omnium inter se convenientia, & vera in his Christi præsentia, & communicatio. Nam* Cap. 4. *agitur de Manna & Hostia Papistica reservatione & custodia: ac de Arca fœderis, in qua manna asservari solebat, & sacris adytis quibus Hostia includitur: atque de eorum omnium inter se collatione.* Cap. 5. *De collatione & comparatione Petra & aqua ex ea manantis, cum symbolis calicis & vini Cœna Dominica.* Cap. 6. *De collatione, signorum veteris Israëlitarum Cœna & nostra, quod ad materiam quidem attinet quâ constant utraq́, & ejus præstantiam.* Cap. 7. *De collatione rerum qua Sacramentis tum Israëlitica, tum Christiana Ecclesia significantur.* Cap. 8. *De interdicta alterius symboli exhibitione in Cœna quam vocant Laicorum: ac de causis propter quas Christus duobus symbolis externis, panis & vini Cœna Sacramentum obsignari voluit* Cap. 9. *de argumento quod è calicis institutione sumi & detorqueri potest in falsum Papistarum dogma de Transsubstantiatione: & de absurdis qua inde consequuntur.*

Summa libri decimi septimi.

Libro XVII. *institutur collatio inter Agni transitionis & Cœna sacramenta, in qua simul eorum promissa, signa & res significata inter se comparantur. Deinde copiosiùs de Cœna institutione, significatione & usu speciatim dissetitur: Tum quid potissimùm in Cœna considerandum & quarendum sit demonstratur: maximè verò quid sentiendum sit de vi verborum Christi in eius consecratione, & quo sensu verbum consecrandi à Veteribus usurpatum sit: & quid valeant Papistarum argumenta sumpta à natura corporis glorificati, & à divina potentia, ad probandam corpoream Christi in Cœna præsentiam: & quale Christi corpus in ea statuendum sit, & quomodo: atque etiam qua sit vera in ea ejusdem commemoratio & societas naturalis ejus corporis cum corpore ipsius mystico.* Capite *enim* 5. *docetur, Quid inter se Cœna & Agni transitionis sacramenta conveniant.* Cap. 6. *Quid sit in Sacramentis Agni transitione, Cœnaque dissimile: quodq́ Cœna Sacramentum haberi sacrificium non possit: & qua fuerit significatio cadis innoxiarum pecudum in veteribus sacrificiis.* Cap. 7. *De collatione Agni Paschatis cum Christo, ejusq́ natura & officio.* Cap. 8. *De collatione & convenientia panis ac vini cum corpore & sanguine Christi, & utriusq́ natura.* Cap. 9. *Quòd ex ipsis Cœna symbolis quisq́ discere & colligere facile possit, qua sit hujus Sacramenti natura, & quem in finem institutum sit, quidque in eo nobis apponatur, & quari oporteat.* Cap. 10. *Quàm convenienter mystici corporis Christi communicatio in Cœna repræsentetur.* Cap. 11. *De sensu verborum Domini in Cœna, eorumque collatione cum verbis Mosis in Sacramento Agni.* Cap. 12. *Quid inter se consentiant aut dissentiant Marcionita & Papista, & quantum ab utrorumq́ sententia nostra absit.* Cap. 13. *Quòd panis & vinum, ac simul Christi corpus & sanguis revera distribuantur in Cœna: & quo sensu symbola consecrari in ea dicantur.* Cap. 14 *Cujusmodi sit corpus & sanguis Christi, qua dantur in Cœna illa, qua nunc in Ecclesia Christiana ex ejus præscripto celebratur: & an eadem illa sint qua ipsemet Christus discipulis in prima Cœna à se instituta distribuit: & quid valeant argumenta à gloria corporis Christi glorificati petita, ad statuendam naturalem corporeamque ejus præsentiam in Cœna Sacramento.* Cap. 15. *Quid Christi discipuli in Cœna, quam primam ipse administravit, ab eo acceperint, & quomodo?* Cap. 16. *Quo sensu accipiendum sit, & quò referri debeat Pronomen demonstrativum HOC in verbis Christi qua vulgò Sacramentalia vocantur.* Cap. 17. *De argumentis Papistarum sumptis à virtute, & potentia Dei, & sermonis ipsius: & quid de iis sentiendum sit.* Cap. 18. *Quòd signa Cœna Dominica, & res quas significant, ex ipsa instituti Sacramenti ratione ita se mutuum constituant, ut Christi & Evangelistarum verba pro veris haberi nequeant, ni utraq́ revera adsint, idq́ sint quod dicuntur.* Cap. 19. *Papistarum error, novorum Marcionitarum, ac eorum qui signa inania in Cœna statuunt absq; rebus significatis refellitur, solâ eorũdem signorum institutione natura & cõsideratione.* Cap. 20. *Quodnã sit pondus verborum Christi cujusmodi ab Evãgelistis recitantur in Cœna: & de quo Christi corpore & sanguine intelligenda sint, & quem in modũ hac pro nobis tradantur.* Cap. 21. *De Christi in Cœna cõmemoratione, quidq́ ea requirat: ac quatenus* Memoriæ *nomẽ, quo Christus usus est, ipsius præsentiã ex ea tollat, aut statuat.* Cap. 22. *Cujusmodi intelligi debeat commemoratio quã Christus in Cœna sua celebrari iubet: & quomodo discernenda sint varia Commemorationũ genera: quoq́ sensu accipiendum sit, quod Zuinglius scripsit, Christum in Cœna fidei cõtemplatione præsentem esse.* Cap. 23. *Cur Christus dixerit potiùs de pane & vino, suum esse corpus & sanguinem pro nobis, quàm nobis datum & effusum: & cur verbo præsentis temporis usus sit, ac quò referri oporteat Cœna fructum.* Cap. 24. *Familiaris expositio verborum Christi, ac tanquam eorundem Paraphrasis;* Cap. 25. *Quòd ipsa Cœna symbola, ipsaq́ ejus natura & institutio apertè pugnent adversus signorum adorationem & cultum, atque eorundem asservationem.* Cap. 26. *Quoniũ Cœna privata adversentur symbolorum panis & vini natura atq; significationi: & quàm appositè utrisq; tum naturalis Christi corporis*

peris, tum mystici communitas in Cœna repræsentetur.

Summa libri decimi octavi.

Libro decimo octavo copiosè exponitur, quid sit indignè ad Cœnam Domini accedere, ac in ea reum fieri corporis & sanguinis Christi, ac sibiipsi iudicium edere & bibere; & quo sensu Testamenti nomen pro fœdere in Literis Evangelicis usurpetur. Deinde quid sit probare seipsum, ac quis verus & rectus cuiusque probandi & examinandi modus: & quem in hoc usum Papistica auricularis Confessio habere queat.

Viretus librum edit de adulterato Cœnæ Dominicæ Sacramento.

Quia verò in his octodecim libris, illam partem brevissimè attigit Viretus, quæ est de adulterinis oscitiisque Sacramentis, & iis adulteratis quæ à Christo instituta sunt, idcirco proprium instituit Opus, quod hoc ipso quoque anno edidit, in quo totam hanc partem cursim duntaxat & obiter in præcedente opere prælibatam, copiosissimè persequitur, maximè verò illam, quæ est de adulterato Cœnæ Dominicæ Sacramento. Priusquam autem ad hanc accederet tractationem, operæ pretium esse existimavit, orthodoxorum sententiam paucis perstringere, de toto divini sermonis, Sacramentorum & Ecclesiæ Ministerio, ac potissimùm (quoad ejus fieri posset) clarissimis verbis exponere, quid nostræ Ecclesiæ sentiant de Præsentiæ modo, rerum quæ significantur Sacramentorum symbolis, cum signis, quæ in referendis & significandis destinata sunt & instituta, ac de earundem communicatione per institutum à Deo Ecclesiæ Ministerium. Nam in his duobus, totius ferè hujus tandiu exagitatæ controversiæ cardo vertitur. Hæc autem omnia duobus libris complexus est, quos idcirco toti præfixit Operi, sicut in Præfatione testatur, ne falsam duntaxat religionem impetere & oppugnare videretur (dum ridiculas impiasque superstitiones & idolomanias insectatur & proscindit, quæ in Christianam religionem sacrilegâ hominum audaciâ invecta sunt quibusq; tota Christiana doctrina, totumq; Ministerium Ecclesiæ corrupta, depravata & eversa sunt, & tota denique Christianorum natio, tanquam veneficiis penitus dementata, & à Deo veraque religione alienata) nullam verò certam stabilemque constituere, sed solùm demonstrare quid alienum esset à vera religione, non autem quæ vera esset illa religio, quæ nobis divinitùs patefacta & tradita est, & quam unam omnes tueri, propagnare, colere ac venerari decet. Quanquam in toto hoc Opere non ita immoratur in perstringendis, insectandisque superstitionibus & hominum deliriis & commentis, quin eadem operâ simul admoneat de divinis institutis, quibus illa hominum delirationes & traditiones adversantur, quibusque supposita sunt.

1553.

Liber Vireti editur de adulterinis Sacramentis, ejusque summa.

Primos autem hos duos libros proximè sequitur liber alius, De adulterinis Sacramentis. Hoc ostenditur, non esse germana Ecclesiæ Christianæ Sacramenta, quinque illa alia quæ Papistæ Baptismo & Cœnæ, ordinatis à Christo Sacramētis, addiderunt. Huic deinde adiecit aliū, De adulterato Baptismi sacramento, & de sacrorum oleorum consecrationibus ac usu: & postremo sex alios, De adulterata Cœna Domini, & de tremendis Missæ mysteriis.

Vireti cento Missæ.

His omnibus ultimo loco adiecit Centonem de theatrica Missæ saltatione, ex variis veterum Poëtarum scriptis consarcinatum, & libris quatuor comprehensum.

Qua occasione Belgarum aliarumque Nationum Ecclesiæ Londini in Anglia per Eduardum Regem sint constitutæ, post mortem verò eius dissipatæ, quasque ærumnas & calamitates in illa dissipatione propter dissidium Sacramentarium maximè perpessæ sint.

Londini in Anglia peregrinorū Evangelicorū Ecclesia instituitur, cui Ioannes à Lasco præficitur.

Postquam Dei beneficio, vera Christi religio, auspiciis Eduardi ejus nominis Sexti, Anno Domini 1548. ætatis verò suæ 10. in Anglia ab Antichristianismo vindicari cœpit, & repurgari, ac indies magis magisq; efflorescere: multi, Religionis nomine, undiquaque ex Cismarinis partibus sese Londinam conferunt, ut tanto veræ Religionis, liberæq; confessionis beneficio fruerentur. Dum igitur numerus istiusmodi peregrinorum, Belgici & Gallici potissimùm idiomatis hominum (quorum bona pars rectà ex patria eò commigrârat, pars verò aliqua ex superiore Germania decreti Interimistici causa, eò confluxerant) Londini fit frequentior intra biennium, Ioannes à Lasco, liber Poloniæ Baro, ipsis Ecclesias erigendi, easq; juxta Dei Verbum instituendi gubernandique libertatem à Rege, regio diplomate confirmatam, obtinet: quibus ipse regia authoritate, & unanimi peregrinarum Ecclesiarum assensu, propter singulares ipsius virtutes, Superintendens præficitur.

Eduardus Angliæ Rex moritur.

Cæterùm status hic non solùm peregrinarum, sed totius etiam Angliæ Ecclesiarum, non fuit diuturnus: quemadmodum id multò antè, propter populi ingratitudinem, & disciplinæ Ecclesiasticæ neglectum ac contemptum, futurum prædixerant, quotquot in Anglia sub Edduardo Rege, Christum syncerè prædicabant. Nam mense Iulio die 6. anni 1553. Eduardus Rex, summæ spei ac indolis Princeps, iam agens ætatis annum 17. & Regni 7. ex hac mortali vita in cœlestem evocatus est, maximo piorum & orthodoxorum dolore & luctu. Post eius obitum trans-

Mutatio vera religionis in

1553. Angliæ, & persequutio fidelium.

translato ad Mariam Eduardi sororem, imperio, ingens rerum Angliæ perturbatio secuta est. Doctrinam enim puram Euangelij extinxit Regina & Papatum substituit. Mox etiam in eos qui Euangelium vel docebant purè, vel profitebantur ingenue, tantô tamque immani crudelitate sæuijt, vt neque sexui, neque ætati, neque dignitati generis parceret. Multi in exilium eiecti, in Italia, Gallia, Germania, Heluetia & Sabaudia sedes quærebant. Quidam possessionibus suis deturbati, quidam perpetuis carceribus inclusi, quidam fame ac siti enecti, quidam in cruces acti, quidam ignibus concremati sunt, & incredibili constantiâ, quam amplexi erant fidem & doctrinam, sanguine & morte suô obsignârunt. Hos inter præcipui fuerunt Thomas Cranmerus Cantuariensis Archiepiscopus & Primas Angliæ, Hugo Latimerus, Vigorniensis Episcopus, octogenarius senex, Nicolaus Ridleus Londinensis, Ioannes Hopperus Glocestriensis, Robertus Ferrerius Meneuensis Episcopi, &c. qui omnes sanam & orthodoxam doctrinam de Cœna Domini cum Heluetijs profitebantur: exules etiam, qui hinc inde incertis sedibus vagabantur, multas priuatim in Germania & alijs locis, veram sententiam verborum Cœnæ docuerunt. Hanc autem sæuitiam Anglorum Reginæ acuebant Theologorum Lutheranorum per Germaniam clamores, qui Diaboli Martyres appellabant hos sanctissimos viros, qui supplicia subibant ac perferebant constanter maximè, quòd Missa idolum abominarentur.

Martyres præcipui Angliæ.

Disputatio Londini de Eucharistia.

Instituta quoq; est mandato Reginæ in Synodo Ecclesiastica Londini in Comitijs ad 18. diem Octob. Disputatio de duabus his Quæstionibus: 1. Num in Sacramento Eucharistiæ post consecrationem panis & vini, tota illorum substantia euanescat, transmutata in corpus & sanguinem Christi? 2. An in Eucharistia, corpus naturale Christi reuera corporaliter adsit præsens, siue per Transsubstantiationem elementorum in corpus & sanguinem, siue per coniunctionem Concomitantiæ? Acta huius Disputationis anno 1554. in lucem sunt edita.

Nauigatio peregrinorum fidelium ex Anglia in Daniã propter persecutionem Marianam.

In hoc perturbatissimo rerum Anglicarum statu, quum res quotidie in deterius ruerent, adeoque iam desperata essent, non viderunt peregrina illa Ecclesia remedium aliud, quàm si sibi alias alibi sedes ante hyemem primo quoque tempore quærerent, vbi Ministerium Ecclesiasticum iuxta Dei Verbum in Anglia cœptum prosequi liceret. Hic autem primus omnium occurrebat ipsis, Christianus Serenissimus Daniæ Rex, apud quem se impetraturas sperabant, quod antè Eduardus in regno suo benignè concesserat, sed per tyrannidem Papisticam iam ademptum erat. Votum hoc ipsorum augebat, quòd duæ naues Danicæ in Tamesi vacuæ, & exules recipere paratæ, nihil aliud quàm ventum secundum in Daniam opperirentur. Prauidebant quidem exules, quid ipsorum postulationem apud illius Maiestatem, propter summam Concionatorum eius intemperiem, fortè impedire posset: sed tanti illud non æstimabant, præsertim de singulari ipsius pietate, quæ passim prædicabatur, quàm optimè persuasi, vt eam propterea impeditam, aut negatam iri cogitarent.

Quotquot igitur ad eam nauigationem accincti erant, naues illas Danicas ingressi, Septembris 17. die Grauisennâ, quæ Londino viginti miliaribus Anglicanis distat, soluerunt. Fuerunt autem in vtraque illa naui Danica circiter 175. homines ex Belgis potissimùm & Gallis, vnà cum Anglis & Scotis aliquot qui se ipsis adiunxerant. Quarto autem Octobris die minor ipsorum nauis à maiore, vento impetuosiore depulsa, Hellesnorgam, nobilem Daniæ portum, 13. die Octobris peruenit, quò etiam paulò pòst nauis maior appulit. Inde Coldingam, in ea Cimbriæ parte, quam Iudlandiam vocant, ad Regem profecti, Ioannes à Lasco rogari iussit Paulum Nouiomagum, Regium Concionatorem, ne ad se venire grauaretur: cùmque tandem venisset, atque ex ipsis de misera Ecclesiarum suarum dissipatione, & quo consilio ad Regem eius venissent, audisset, multa quidem, sed subdolè, de commiseratione sua erga ipsos, Ecclesiamque eorum testatus, si vellent, se mox curaturum promisit, vt ad Regem eodem ipso vespere admitterentur. Illi verò actis ei gratijs, pro ea ipsius commiseratione, & tam amanti eius erga se animi propensione, respondent, se eo vespere nolle molestos esse Regi, cùm alioqui iam serius esset: sed darent, det operam, vt postera die admittantur & audiantur: quod ipsum se illis curaturum esse pollicetur, atque ita ab eis discedit.

Exules in Dania [illegible] Regio [illegible].

Postera autem die non vocantur ad Regem, quanquam id auidè expectarent. Tandem decimâ Nouembris per Secretarium Regis vocati, priùs ad concionem Nouiomagi deducuntur, cui & Rex ipse simul & Regina intersunt. In hac concione Nouiomagus, qui se biduo antè vicem ipsorum dolere, adeoque commiserari, sperareque quòd eis Deus meliores fortè sedes daturus esset, disertis verbis testatus fuerat, & qui sua ipsis officia apud Regem officiosè detulerat: vehementer in omnes eos inuehebatur, qui realem, iuxta ipsam substantiam corporis & sanguinis Christi naturalis, in pane & vino Cœnæ, delitescentiam non agnoscunt: & corpus ipsum Christi, dum Cœna peragitur, in ipso altari, quod digito commonstrabat, realiter ac corporaliter sisti atque esse negant, sic vt eos deploratissimis hæreticis adnumeraret, quorum finis sit interitus: à quibus pijs omnibus cauendum

Exules ad concionem Nouiomagi deducuntur, qua male excipiuntur.

dum esset, quique digito etiam, vt vitarentur, commonstrandi essent, quacunque tandem pietate atque eruditione præstarent. Ab istis enim Christum Dominum mendacij accusari; cùm eos docere non pudeat, non esse reale corpus & sanguinem Christi panem & vinum Cœnæ, quæ tamen Christus ore suo diuino corpus & sanguinem esse testetur. Deniq; quicquid de Pseudoprophetis in Scriptura vsquam habetur, id totum in hos exules detorquebat.

Ioannes à Lasco ad Regem Daniæ deductus humanissimè ab eo excipitur

A concione ad Regem deducuntur, cui Ioannes à Lasco, post datam ipsis à Rege dexteram, rationem suscepti ad ipsum itineris paucis exponit, commendans illi dissipatas Ecclesias, supplicationemque ei offerens. Hac Rex supplicatione acceptâ, respondet, se clementer ab ipsis accipere, quòd fiduciâ suæ pietatis in regnum ipsius venissent, esseque gratum sibi aduentum eorum: se tamen de supplicatione deliberare velle, ac deinde responsum eis aut per se ipsum, aut per Cancellarium vel Consiliarios suos daturum esse.

Exules de concione Nouiomagi Colloquium petunt. Regia ad exulum Supplicationem, & exulum vicissim ad illam responsio.

Interea verò dum Nouemb. 12. die responsum Regis expectant, per Secretarium Regium cum Nouiomago de Concione non ita pridem habita, & cui ipsi interfuissent, colloqui petunt, si id cum bona gratia & voluntate Regis fieri possit.

Quinta decima eiusdem mensis die vocantur ad Cancellarium & ad Consiliarios quosdam Regios, eisque responsionem Regis ad supplicationem ipsorum afferunt, cuius hæc ferè summa fuit: Regem publicum ministerium & exercitium Religionis ipsis permittere non posse, ob doctrinæ & rituum quorundam, quos Ecclesiæ ipsorum habeant, varietatem: alioqui dolere Regem vehementer de Ecclesiarum in Anglia dissipatione: gratulari item eis, quòd ad Papismum non relapsi essent, & cupere etiam declarare erga illos clementiam suam Regiam, quibuscunque in rebus id facere posset. *Adhæc prolixè respondit Ioannes à Lasco & tandem à Consiliarijs Regijs petijt*, vt saltem per instantem hyemem Ecclesiæ suæ Verbi ac Baptismi exercitium vno aliquo in loco habere possent. *Ad quæ Cancellarius respondet*, Regem ita iam statuisse, vt nulla omnino mutatio sit expectanda. *Atque interim subinde multa de puritate doctrinæ in Dania repetit: ac in*

De verbis Cœnæ

ipsa causa Sacramentaria, verba illa Cœnæ solennia, clara esse: & proinde neminem falli posse, qui illis simpliciter nitatur. Sed ad ea illi respondent, ipsummet Nouiomagum ea ipsa concione docuisse, & quidem rectè, veritatem cuiusque doctrinæ probandam non esse vnius alicuius loci in Scripturis testimonio, sed vnanimi totius Scripturæ consensu. Non rectè igitur vrgeri sola Cœnæ verba ad statuendam, sub pane, naturalis, iamque glorificati corporis Christi delitescentiam, cui vniuersa alioqui Scriptura manifestè repugnet: præsertim cùm Cœnæ verba alias, & quidem cum Scriptura consentientes interpretationes admittant. Atque hic fuit Colloquij huius finis.

1553.

Exules iubentur scripto comprehendere quæ in Nouiomagi concione vel probent vel improbent.

Eodem die Rex ab exulibus poscit, vt scripto sibi exhibeant, quæ in Nouiomagi concione vel probent, vel improbent. Parent illi: Et inter alia de quibus dubitent, quomodo intelligenda sint, hoc etiam esse indicant, quòd dixerit pro suggestu Nouiomagus, Symbolo Apostolico damnari omnes, qui negent mundi ex nihilo creationem; Triadem in henade diuina; veram Dei veri & hominis veri in Christo coniunctionem, per carnis nostræ & nostri sanguinis in matre Virgine ex ipsius substantia participationem, iuxta proprietates vtriusque naturæ. Hæc, *inquiunt*, agnoscimus omnia: Sed

De Incarnatione Christi.

circa veram Dei veri, & hominis veri in Christo coniunctionem, nescimus an eos tantùm damnari Symbolo putet, qui Christum vel carnis suæ originem non ex matre assumpsisse, vel carnem quidem assumpsisse, sed animam nullam habuisse, docent. An verò & illos damnari simul etiam Symbolo existimet, qui mysterium incarnationis Christi, vimque illius doctrinâ suâ obscurant, dum id quod Scriptura vniuersa Christum à nobis ex matre accepisse, non autem de suo nobis donasse testatur: nempe carnis nostræ naturalis & sanguinis nostri substantiam per eius participationem: id ipsum *illi inquiunt*, Christum nobis de suo donare in Cœna cum pane & sub pane, non autem à nobis ex matre habere docent, contra totius Scripturæ doctrinam & fidei ipsius analogiam. Rursum, qui proprietates corporis nostri in Christo euacuant, eas potissimùm quas illi Scriptura vniuersa consentienter tribuit, etiam post eius glorificationem: vt sunt illi, qui corpus Christi inuisibile, insensibile, infinitum, ἄτοπον faciunt: cùm Christus ipsemet post corporis sui glorificationem corpus suum inspici & palpari iubeat: adeoque & sensuum nostrorum iudicio illud cognosci, atque à spiritu quouis suspecto dignosci velit. Cùm item Angeli dicant, *Non est hic, præcedet vos* (qui sanè à loco in locum motus est) *in Galilæam, ibi eum videbitis.* Quâ voce & loci & præsentiæ discrimen constituitur, vt neque indefinitum, neque item ἄτοπον Christi corpus etiam post glorificationem eius constitui possit: Postremò, qui articuli fidem de ascensione & expectatione adhuc Christi, donec rursum veniat, non modò obscurant, sed propemodum violant, & ascendisse in cœlum, idem

1553. esse interpretantur, quod cœpisse esse vbique, contra Angelorum testimonium., qui Christum non cœpisse esse vbique per suam ascensionem, sed ab Apostolis sublatum, in sublime euectum per nubem è conspectu illorum paulatim subductum, ad cœlos ascendisse, illinc expectandum, illinc ad quem modum ascendit venturum etiam testantur: De his, inquiunt, nescimus, an etiam Symbolo damnari censeantur, vt si admoniti non resipiscant, vitari digitoque indicari debeant: Atque de ijs censuram secundùm Scripturas expectamus.

Quomodo in sacramento communicemus corpori & sanguini Christi.

Deinde, se hoc quoque non satis assequi potuisse affirmant in scripto suo, quòd Nouiomagus dixerit, damnari eos, qui in Sacramento negant esse corpus et sanguinem Christi. Si enim, *inquiunt*, vox Sacramenti in Cœna Domini ad eum modum accipiatur, ad quem in Baptismo accipitur, nempe vt sub illa non tantùm panis aut vini elementa, sed totam simul mysticam actionem cum suo mysterio complectamur: quemadmodum in Baptismo, non aquæ modò elementum, sed tota à Christo instituta actio mystica cum mysterio, voce Sacramenti comprehenditur: tum nos sanè neminem nouimus, nec si quisquam talis sit vsquam probamus, qui nos in legitimo Cœnæ Dominicæ vsu, vero Christi corpori & sanguini, verè etiam per fidem atque ad salutem nostram communicare neget. Si verò vox Sacramenti in Cœna pro solo panis & vini elemento accipiatur, tum nobis, *aiunt*, hanc vocis Sacramenti vsurpationem approbari ex Verbo Dei postulamus. Alioqui si claris & disertis verbis dicatur, corpus Christi naturale verè & realiter in pane esse, aut sub pane, iuxta substantiam ipsius: tum nos clarè & disertè, sine vlla dissimulatione testamur, secundùm Scripturas, corpus ipsum Christi gloriosum, in sua naturali substantia ad dexteram Dei Patris in cœlis, nosque adeò ipsos etiam illi per fidem sub spe inclusos residere: non autem naturæ suæ humanæ proprietatibus, cœlestiq; sua iam gloria spoliatum, sub pane Cœnæ delitescere, præsertim cùm tali delitescentiæ Scriptura vniuersa repugnet: & videamus præterea omnium longè grauissimam consolationem nobis hâc delitescentiâ eripi, de nostro in cœlis cum Christo iam consessu per fidem, deque perpetua nostra cum ipso, neque vnquam omnino interrumpenda communione in corpore & sanguine ipsius: ad quam alioquin animis nostris obsignandam, Cœnam sacram à Christo institutam esse constat.

Verba Cœnæ non falsa eorum interpretatione insistendum.

Tertiò, docuisse Nouiomagum dixerunt, in Cœna Dominica consideratione, verbis illis prorsus innitendum, insistendumque esse, HOC EST CORPVS MEVM. *Responderunt illi:* Libenter innitimur, adeoque & insistimus verbis his Christi, vt quæ verissima esse non dubitemus. Sed neque innitimur, neque insistimus illis liberè, quin potiùs abutimur, si ea contra mentem Christi & vnanimem Scripturæ consensum detorta vrgeamus, quò non oportet. Et miramur, hæc Christi verba ad comprobandam corporis eius sub pane delitescentiam adduci, cùm nihil prorsus huc faciant.

Quartò, ad loca Pauli Philippens. 2. & Ephes. 4. quæ ille pro carnali & omnipræsentia Christi corporis adduxerat, orthodoxè quoque responderunt, & quomodo intelligenda sint indicârunt, &c.

Nouiomagus concionem sui excusat.

Tradito hoc scripto, non multò pòst, eodem die à prandio: venit ad eos Nouiomagus, cum suo collega Henrico Buscoducensi, vnoque ex Consiliorijs regijs, & duobus Secretorijs: scriptumque illud, in manu secum adfert: Et postquam aduentus sui ac reliquorum causam indicâsset, concionem suam excusare cœpit, nempe, se in eos nihil dixisse: sed textum Scripturæ, quem præ manibus habuisset, explicuisse: hunc postulâsse, vt de falsis doctoribus pleraque diceret. Ad quæ illi responderunt: Se de hæreticis, qui verè hæretici essent nihil dicere, sed de eo, quòd ipse omnes qui in re Sacramentaria à Lutheri doctrina dissentirent, inter hæreticos annumerârit, ac simul etiam sacramentariæ doctrinæ nomine ad gehennam condemnârit. Hoc enim fecisse eum & contra Verbi Dei regulam, & contra legem charitatis Christianæ, & contra officium etiam Ecclesiastici doctoris: præsertim cùm ipsos suæ concioni, non tam suâ sponte, quàm regio iussu vocatos adductosq́; esse sciret. Perstat ille nihilominus, negans quòd in eos aliquid dixisset, aut ipsos vllo modo condemnâsset. Illi verò quædam eius verba repetunt ex concione, & hominem suis ipsius verbis vrgent, vt negare non posset, vera esse quæ dicerent.

An verba Cœnæ tropicè intelligenda.

In hanc sententiam cum multa alia vltrò citroq́; dicta essent, Nouiomagus verba Christi, Hoc est corpus meum; *tam clara & perspicua esse ait, vt nullâ tropica aut figurata expositione opus omnino habeant: Imò verò etiam omnia quæcunque in Scriptura de Sacramentis habentur, iuxta ipsam verborum proprietatem (reiectis figuris & tropis omnibus) exponenda esse. Quòd si ipsis hic Christus & Lutherus non satisfaciant, se eis nunquam satisfacturum esse. Ad hæc verè dicunt illi, se in Christi verbis nihil vnquam desiderasse, sed ea sibi planè & per omnia satisfacere: doctrinam autem Lutheri à verbis Christi diuersam esse, neq; è Christi ver-*

bis

bis deduci posse. Et se vehementer mirari, quòd cùm Lutherus & sui omnes perpetuò clament, verba Christi esse clara & perspicua, neque vllis omnino aut tropis aut figuris constare, nusquam illa tamen suo ordine explicent, vt eorum interpretatio (quam claram & planam esse dicant) videri possit, & sit eiusmodi, qua fontes doctrinæ Lutheri in illis, iusto ordine, commonstret. Nos sanè, inquiunt, eiusmodi interpretationem verborum Cœnæ neque in Lutheri scriptis, quæ quidem Latinè habentur, neque in cuiusquam alterius, qui ipsum sequuntur vidimus, sed illud potiùs animaduertimus, controuersum esse, num in verbis Cœnæ constitui possit ea, quæ nunc docetur, realis in pane Cœnæ delitescentia corporis Christi naturalis: & habemus graues causas propter quas doctrinam hanc, tantisper dum non solidiùs approbatur, amplecti non possumus. Illud etiam præ alijs magnopere miramur, quòd Nouiomagus dicit, quicquid vsquam in Scripturis de argumento Sacramentario legatur, id totum nudè & simpliciter, prorsus sine tropo aut figura vlla intelligendum & exponendum esse: Cùm in ipsis etiam Cœnæ verbis varietas ipsa verborum de pane ac poculo, apud Euangelistas & Paulum manifestè ostendant, oportere necessariò tropum seu figuram aliquam in Cœnæ verbis constitui: imò cùm ipsimet tropicè verba illa Christi imprudentes exponant, dum videlicet Pronomen demonstratiuum eclipticum faciant: & (HOC) Pronomen ita exponant, vt perinde esse dicant, ac si dixisset, In hoc, Sub hoc, vel Per hoc, &c. Quòd si quid Nouiomagus, aut alius è scriptis Lutheri habeat, quo contrarium probari, nec ita rem se habere demonstrari possit, id vt proferatur aut scripto aliquo breui tradatur petunt. *Caterùm Nouiomagus ait*, Lutheri scripta extare, ea facilè ab ipsis legi posse, si velint. *Cumque de figurata Pronominis demonstratiui in verborum Cœnæ expositione vrgeretur*, agnoscit tandem, in verbis illis Synecdochen esse, & oportere illa per Synecdochen exponi.

Nouiomagus in verbis Cœnæ agnoscit Synecdochê.

Tum Henricus Buscoducensis collega eius, aliò orationem conuertit, & quum in Christo humanitas diuinitati ita sit inseparabili nexu coniuncta, vt ab illa diuelli non possit, humanitatem cum diuinitate Christi vbique locorum simul & semel præsentem esse affirmauit. *Cui illi responderunt*, quemadmodum humanitas Christi in eius incarnatione diuinitatem eius non constrinxerit intra virginis matris vterum, in quo tamen humanitas eius conclusa fuerit: ita & nunc humanitatem illius non diffundi neque expandi in infinitum, propter indiuiduam eius cum diuinitate, in vna eademque persona, coniunctionem: quæ nihil minor fuerit in Christi incarnatione, quàm post eius mortem ac resurrectionem. *Cumque adderent*, ipsorum doctrinam manifestissimè cum articulo de Ascensione Christi in cœlum pugnare: Minimè, *inquit Buscoducensis*, Siquidem Christus ante suam ascensionem instituerat Cœnam, in qua discipulis suis sub pane corpus suum realiter edendum præbuit. *Ad quæ responderunt*, quod pro indubitato assumat nempe Christum in prima Cœna corpus suum realiter edendum Apostolis præbuisse, priùs è Scripturis probandum esse: quandoquidem id etiam cum veritate incarnationis ipsius pugnet.

An Christi corpus sit vbique, propter vnionem hypostaticam vtriusque naturæ.

1553.

Ibi demum ventum est ad ea quæ Lutheranis cum Papistis communia sunt argumenta: nempe, Christi verba esse vera: Non esse hic vtendum iudicio humanæ rationis: Christi corpus à nostro longè diuersum esse: Verbum ipsius efficax, ipsùmque adeò Christum omnipotentem esse: *& quæ huius generis alia à Papistis ad confirmandam ipsorum Transsubstantiationē afferri solent. Ad quæ responderunt exules*: his ipsis argumentis tam facilè, aut etiam faciliùs probari posse Papisticam Transsubstantiationem, quàm facilè probetur delitescentia corporis Christi naturalis in pane Cœnæ: seque scire cupere, dum istiusmodi argumentis nitantur, quibusnam rationibus impugnandam putent Papisticam Transsubstantiationem? *Ibi Nouiomagus disertè fassus est*, se aliud contra Transsubstantiationem efficacius nihil habere, quàm quòd post verba etiam consecrationis externa symbola Cœnæ, panis & vinum, à Paulo vocentur. *Cumque illi responderent*, hoc facilè, si aliud non haberent, à Pontificijs posse dilui: & si non aliter impugnari debeat Transsubstantiatio, parùm decoram fore Euangelicis huius figmenti oppugnationem: *hi dicunt*, esse multò adhuc plura, quæ subuertant Transsubstantiationem: *Illi contra*, Esse sanè multò plura & solidiora, sed quibus etiam ipsa doctrina de delitescentia corporis Christi sub pane, non minùs quàm Transsubstantiatio, eadem opera subuerti possit: *Ad quæ nihil ipsis responsum est.*

Papistarum argumenta pro Transsubstantiatione communia cum Lutheranis.

Posthac descenderunt ad ea, quæ exules in concione Nouiomagi minùs probarunt, perueneruntque ad caput illud, in quo pondus omne controuersiæ positum esse videbatur: Sed rursus quidam sermones ab instituto eos auocarunt. Ibi cùm dicerent exules, Controuersiam non esse de efficacia ac dignitate Sacramenti in Cœna,

1553. Cœna, multò minùs de Cœnæ mysterio: sed tantùm esse litem de elementis Cœnæ, nempe pane & vino, ptopter quam Ecclesiarum Christi societas non scindenda esset: *Tum Nouiomagus*, Vestra, *inquit*, Ecclesia grauissimè est apud Regem meum accusata, quòd Cœna Domini per vos Londini nimiùm contemptim solita sit administrari: quòdque variæ sint inter vos opiniones ac sectæ: & proinde constitutum iam fuit per Regem, priusquam huc venissetis, quid vobis respondendum esset. *Ad hæc illi diligenter se suamque Ecclesiam excusârunt, & quanta sibi iniuria fiat demonstrârunt. Quibus peractis, vterque Concionator Regius testatur, sibi ex animo dolere ipsarum vices, optareque vt mitiùs cum ipsis ageretur: Sed id penès se non esse, vt quod per Regem eiusque Consiliarios iampridem constitutum esset, per ipsas mutetur: Imò verò ne Regem quidem ipsum posse hîc quæ vellet. Non enim in Dania eam esse Regis authoritatem, quæ in Anglia aut Gallia, sed ipsum certis legum quarundam cancellis in Regni gubernatione astringi. Huic responsioni acquiescentes exules saltem petunt, vt permittatur suis Ecclesijs in Regno Danico libera hybernatio, donec tempora nauigationi magis commoda primo Vere redeant. Qua in re ipsis operam suam & Cancionator vterque & qui cum illo missi erant à Rege, pollicentur. Atque sic demum Colloquium eius diei soluitur, eâ lege, vt Nouiomagus postridie ad ipsos rediret, & ad scriptum earum, quod Regi obtulerant, ordine responderet. Cumque Nouiomagus inter surgendum denuò repeteret, eos à se condemnatos non esse, nisi si in doctrina sua pertinaciter insistere velint: Responderunt exules*, nullam illum iustam condemnationis causam habere, etiamsi à doctrina sua dimoueri se non patiantur, quandoquidem nihilominus Apostolicæ doctrinæ & confessioni vnanimiter insisterent. *Tandem ille*, se quidem non velle ipsos ampliùs condemnare, *respondet*: se tamen vehementer ipsis metuere, ne, si pertinaciter suæ doctrinæ adhærere velint, omnino cōdemnentur. *Atq; ita ab inuicem digressi sunt.*

Circa cœnam, dum in diuersorio mensæ assiderent exules, venit ad eos Buscoducensis, manu gestans libellum manu scriptum, in quo ad suam doctrinam, in re Eucharistica comprobandam, quædam conscripta habere videbatur: vnde inter alia aduersum eos, magni momenti loco, producit ac prælegit exemplum literarum Lutheri, quas paulò ante obitum suum ad Iacobum Probst, Bremensem Pastorem scripserat. In eis autem inter alia hæc erant: Scriptum est, Beatus vir qui non abijt in consilio Sacramentariorum, & in via Zuinglianorum non stetit, & in cathedra Tigurinorum non sedit. *Ipsi verò admonent hominem, memor esset illius sententia Apostolicæ*: Ne quis glorietur in hominibus. *Psalmi autem illius citationem dixerunt esse peruersam, tortam, puerilem & impiam, ac viro graui prorsus indignam, & similia, vt Henricus ille obmutesceret. Nouiomagus, autem pòstridie ad eos non reuertitur, vti se facturum promiserat: neq; ampliùs ipsis postea visus est vspiam.*

Exules regno Danico discedere iubentur.

Postera die, nempe 17. Nouemb. à Rege tres ad eos veniunt viri, illius nomine renunciantes, absque mora vlla ipsis è Regno eius discedendum esse, nisi & doctrinæ & receptis Regni illius Ecclesiasticis ritibus omnibus, sese accomodarent. Imò in mandatis iam esse datum, vt quotquot ex ipsorum numero Haffniæ essent reliqui, protinus è Regno cum vniuersa ipsorum supellectile pellerentur. Verùm si Regis doctrinam amplecterentur, eum de vitæ commoda ratione prospicere ipsis velle. *Responderunt autem*: Se iam multò quàm antè seueriorem audire sententiam, quam tamen vellent grato animo è manu Domini accipere: vt qui de nulla parte falsæ doctrinæ sibi conscij, de integritate autem suæ causæ probè in animis persuasi essent. Voluisse eos quidem hactenus, atque etiamnum velle quàm libentissimè Regis doctrinam & Ecclesiasticos ritus omnes amplecti, modò verbo Dei approbentur: Quod dum non fiat, iniquum esse, ea vel vllorum spe commodorum, vel periculorum metu in hominum gratiam contra conscientiam recipere. Quandoquidem igitur (*inquiunt illi*) vestra sic stat sententia, protinus vos Rex è Regno suo discedere iubet: Interim tamen ipse, non ignarus vos hactenus magnos pro suscepto ad se hoc itinere sumptus fecisse, aliosque præterea adhuc facturos esse, hospitij hîc vestri sumptus persoluet, addito vobis insuper centum thalerorum dono. Quod quidem donum, cùm paululum illic pecuniæ reliquum haberent, tanquam diuinitus oblatum acceperunt: præsertim cùm ex eo facilè conspicerent, Regem ipsum per se non prorsus alienato ab ipsis esse animo: & quod hac in causa faceret, ipsum non tam suâ sponte, quàm alieno potiùs instinctu facere.

Sub vesperam eos accedit Buscoducensis: quem cùm multis verbis testaretur se grauiter Ecclesiæ illorum vices ac ærumnas dolere, rogant rursum, apud Regiam M. ipsorum nomine pro Ecclesiæ eorum hybernatione supplex instare non grauetur: saltem vt hominibus decrepitis ac mulierculis partui vicinis, & duobus filijs Ioannis

nis à Laſco, vnà cum ipſorum pædagogo hybernandi poteſtatem facere dignaretur. *Poſtero autem die manè à Rege ille renunciat*, ipſis ſine omni exceptione omnibus, præterquam duobus filijs Ioannis à Laſco, atque eorum pædagogo, hybernandi poteſtatem negatam eſſe. Jmò Regem ipſum, certas ob cauſas, nolle eos Haffniam ad ſuos reuerti: iubere autem, vt per Holſatiam rectà in Germaniam proficiſcantur. *Atq; vix tandem, nouâ apud Regem ſupplicatiune per Buſcoducenſem factâ impetrant, vt Ioanni à Laſco liceat famulum vnà cum literis Haffniam ablegare, vt fratres illic harentes de rerum ſuarum ſtatu certiores facerent.*

Decimanonâ die Nouem. relictâ Coldingâ, in Germaniam per Holſatiam proficiſcuntur: atque medio ferè itinere ab ipſis diuulſus Micronius, Hamburgum, Lubecam, ac demum Wiſmariam venit. Reliqui quarta Decemb. die Embdam, portum Orientalis Friſiæ celeberrimum ſalui peruenerunt, quò iam multi ex Anglia confluxerant.

Exulibus quid Haffniæ acciderit.

Nunc quid exulibus Haffniæ, Wiſmariæ, Lubecæ & Hamburgi acciderit breuiter quoque referam. Cùm Haffniam appuliſſet pars illorum, & varia eſſet populi de eis ſententia, in ipſo telonio primùm, deinde poſt triduum in Conſulis ædibus examinantur: Cur *nimirum* in Daniam veniſſent? quæ ipſorum eſſet fides? quæque ſingulorum eſſent nomina & opificia? *Ad quæ cùm ab exulibus citra vllum fucum reſponſum eſſet, ac iuſſu Magiſtratus ſanctè iuratum, ſe ab Anabaptiſmo, & ab omni aduerſus Magiſtratum ſeditione alienos eſſe, bono animo, propter Regis pietatem eſſe iubentur. Ipſis præterea Magiſtratus conducendarum ædium libertatem facit: Adhæc à publicis eos omnibus oneribus liberat, &c. donec de Regis voluntate certiores fierent. Exules actis Magiſtratui pro iſta humanitate gratijs, ſpe bona de Regis eiuſque Conſiliariorum beneuolentia concepta, ædes conducunt, & in hyemem vitæ neceſſaria comparant.*

Exules Haffniæ examinantur de fide ſuâ.

Vigeſimo ſexto Nouemb. die famulus Ioannis à Laſco Coldinga ad eos Haffniam profectus, quàm triſti loco res poſitæ eſſent expoſuit. Ac mox ipſis Calend. Decemb. duo exules, Dauid Simſon & Hermes Backerelius, à Conſulibus accerſiti in Capitulum, Petrum Palladium Eccleſiæ Haffnienſis Superintendentem adire iubentur, vt ab eo de fide ſua examinentur. Conuenerat autem ibi frequens Concionatorum, Magiſtrorum & Senatorum cœtus. Tum primùm Palladius duos illos hortatur, vt ſuam fidem liberè, abſque vllo periculi metu, ſimpliciter profiteantur. Siquidem, *inquit*, de Religione idem vnà nobiſcum ſentiatis, vos tanquam Dei Angelos recipiemus: Sin verò diſſentiatis, nihilominus tamen omnia humanitatis officia vobis, vtpote peregrinis, præſtabimus. *Tum Hermes*; Gaudere *ſe dicit*, datam ſibi eſſe occaſionem, fidem ſuam publicè in tam celebri cœtu profitendi. *Cumque is Symbolum Apoſtolicum orſus eſſet ordine explicare, voluit Palladius*, vt omiſſâ hac ratione, ſententiam ſuam de quibuſdam controuerſis articulis, nempe de Pædobaptiſmo, de incarnatione Domini, & de Cœna ſacra aperiret. *Ibi Hermes pauca loquutus de veritate & myſterio Incarnationis Chriſti, de Sacramentis in genere, de Baptiſmo etiam, & quòd ab eo infantes nulla Scriptura authoritate excludi poſſint: Poſtea de Cœna Dominica diſſeruit*: quam *iuxta Pauli explicationem* 1. *Cor.* 10. eſſe *ait* ſalutatem noſtri cum Chriſto in corpore & ſanguine eius communionem: *addens*, eam conſtare fide, non autem reali aliquâ corporis & ſanguinis Chriſti ſub panis ac vini elementis præſentiâ, quam ipſi ſine Scripturæ authoritate aſſererent. Atq; in hac parte doctrinæ ſe ab illis diſſentire *ait*, quòd eiuſmodi carnalis Chriſti manducatio nullis Scripturæ teſtimonijs fulciatur. *Ad quæ Palladius*: A ſe non talem craſſam corporis Chriſti in Cœna ſtatui manducationem, qualis ſit aut ouis, aut ſuis: ſed ſpiritualem eam omnino, omnem humani ingenij captum longè excedentem. *Hermes verò reſpondit*, vnicam tantùm, eamque etiam ſupra humani ingenij captũ poſitam in Scripturis ab ipſomet Chriſto ſtatui ſalutarem carnis ſuæ manducationem: nempe Spiritualem illam per fidem. Cumque carnis Chriſti manducatio carnalis vnica etiam duntaxat eſſe poſſit, nempe craſſa illa quæ ore fit carnali, & Palladius hanc nobiſcum rejiciat, & Spiritualem agnoſcat, non videre ſe ampliùs: in quo diſſidij caput ſit poſitum.

De Spirituali & carnali Chriſti manducatione.

Ibi rurſus inter ipſos multis agi cœptum eſt, de myſterijs Cœnæ legitimoq; eius adminiſtrandæ ritu, ac de ſuperſtitioſis quibuſdam Cœnæ ritibus apud eos adhuc ex Papiſmo reliquis.

Palladij teſtimonium de his exulibus de doctrina eorum.

Tandem Palladius coram vniuerſo cœtu inquit: Pro hac fidei Confeſſione, quam ex iſtis viris audiui, ago Deo gratias, vt quæ ab omnibus ſectis aliena, præcipuis Chriſtianæ Religionis capitibus conſentiat. Exiguum duntaxat diſſidium eſt circa Cœnam Dominicam, non quidem in præcipua eius parte & myſterio, ſed duntaxat in quæſtione de modo præſentiæ corporis Chriſti in Cœna. Quod ſanè diſſidium tanti non eſt, vt propterea fraternitatis vinculum rumpi à nobis debeat: præſertim cùm in præcipuis articulis Chriſtianæ fidei conſenſus ſit. Quapropter nos decet, ho-

mines

1553. mines istos in hac fidei ipsorum confessione pro fratribus complecti, ac pro nostra facultate iuuare. Ego sanè eos pro Christianis & fratribus agnosco: vtque apud vos omnes constet, me ita de illis sentire, en publicè data eis dexterâ id restatum facio: quod cùm amanter admodum fecisset, amicè discessum est.

Exules Hafniâ migrare iubentur.

Hoc soluto Conuentu, Magistratus circiter horam secundam pomeridianam sex aut septem è numero exulum ad ædes primarij Consulis venire iubet. Eò cùm venissent, Senatus eis Regias literas ostendit, quibus ipsi omnes, cum suis, nisi si in Regis sententiam de re Sacramentaria descenderent, protinus Regno excedere iubentur: aliàs fieri eis libertatem in Regno manendi. Exules suppliciter Senatum rogant, vt ipsis in tanta cœli inclementia (*erat enim tum sæuissima ventorum tempestas, frigus acerrimum, & nix altissima*) illic hybernare liceret, cùm sine præsentis vitæ periculo, vnà cum infantibus & vxoribus suis, & decrepitis aliquot viris ac mulieribus nusquam trajicere possint. *Senatus id negat in potestate sua esse positum: se Regis esse seruos, cuius iussa exequantur. Attamen post multas exulum preces, se apud Regiam Maiestatem pro impetranda hybernatione intercessuros esse pollicentur.* Solantur eos, ac bono animo esse iubent: Fieri enim posse aiunt, vt propter asperitatem & inclementiam cœli dilatio aliqua exoretur. Interim tamen (*inquiunt*) Rex mandat, vt quisque vestrûm de fide sua per Palladium examinetur: *ad quem mox per Laurentium Moel Senatorem Haffniensem, & Pastorem ad D. Nicolai deducuntur. Quos cùm amicissimè excepisset Palladius, datisque dextris amico frâtrum titulo salutasset;* sibi à Senatu Regia authoritate demandatum esse *ait*, vt eos de ipsorum fide examinet, tentetque num ad suam fidem induci possint. Siquidem id fiat, eos tum non fratrum tantùm, sed etiam Angelorum loco habitum iri. *Inde ipse suam de re sacramentaria sententiam paucis proponit*, eosque rogat, velint-ne in eam, quam ex se audissent, doctrinam descendere? *Respondent*, se ex ipso nondum satis solida audisse argumenta, cur ad illius sententiam deficerent: Iudicare etiam se, talem corporis Christi in Cœnæ elementis præsentiam, cum articulo ascensionis Christi, & perpetua reditus eius ad iudicium expectatione, ex diametro pugnare. *Ad qua Palladius*, Scire eos, *inquit*, debere, Regem nequaquam illos in suo Regno laturum, imò nullibi eis quietas sedes datum iri, si in sua sententia Sacramentaria perstarent: quanquam ipse interim de ipsorum salute, propter eam doctrinæ partem nihil addubitaret, & pro fratribus nihilominus complecteretur, etiamsi in ea parte doctrinæ à se dissentirent. *Responsum est ab exulibus*, se non dubitare, quin Dominus alibi ipsis sedes pro sua clementia daturus sit. Non posse enim se bonâ conscientiâ ab ea doctrina, quam veram agnoscant, in hominum gratiam, aut propter periculorum metum deficere: potiùs se quiduis à Domino expectare velle: rogare tamen interim se obnixè propter Christum, vt ipsis in pacifica fidei ipsorum confessione hybernare Haffniæ liceat: atque ipse apud Regem pro eo hybernationis beneficio intercedere non grauetur. *Sanctè hic suam exulibus promittit Palladius operam.* Tam verè, *inquiens*, quàm viuit Dominus vos hac in re omnibus modis iuuabo.

Ad diem verò octauum mensis Decemb. exulum nonnulli ad ædes primarij Consulis, iussu Senatus accersiti, rogantur, num ipsis in doctrina cum Palladio conueniat? *Respondent*: se suam fidem apud ipsum confessos esse, in qua per Dei gratiam viuere simul ac mori velint. Si ab ea, *ait Senatus*, velitis deficere, vos pro fratribus nostris amplexabimur, ac omni beneficiorum genere prosequemur: Sin minùs, vobis omnibus erit ante proximæ diei vesperam è Regno discedendum, Rege id ita rursus per literas seuerirer mandante. *Exules* fieri vix posse queruntur, vt tam breui temporis spatio sarcinas suas omnes componant. Multa etiam se in hyemem comparasse, quæ non secum auehere, sed in ciuitate distrahere cogantur. Esse præterea tantam cœli inclementiam, vt se non nisi magno vitæ periculo cum tam misera multarum muliercularum, senum & infantum turba, ad iter dare possint. Rogant itaque Senatum, vt is misericordia flexus, ipsis hybernandi libertatem faciat. *Respondet Consul*, se quidem ex animo illorum omnium vices commiserari: sed in se situm non esse, vt hic quicquam aduersus Regis decretum mutet. *Ibi cùm exules rursum pro hybernatione multis precibus instarent, secedere paululum, ac inter se consultare iubentur*, velint-ne Regi hac in parte parere? *Exules, habita inter se consultatione, ad Senatum reuocati, rursum se ad preces pro hybernatione conuertunt: ad quas vbi Senatum propter Regium mandatum planè surdum esse animaduertunt, postulant sibi licentiam fieri conscribendi libelli supplicis ad Regem, pro impetranda hybernandi facultate. Senatus autem respondet, se hoc non posse, nec audere promittere, quòd Regis sententiam hac*

in

1553.

in parte ex variis eius literis plenè cognouerit.

Posteaquam igitur exules de impetranda hybernatione nihil spei superesse vident, sibi duos saltem menses concedi postulant, promittentes se interea sensim emigraturos, vt ad finem alterius mensis nemo ipsorum in Regno Danico reperiatur. Illi contrà mandatum Regium obtendunt, & se nullum videre consilium longioris moræ impetrandæ dicunt. Tum exules *altius repetentes magnitudinem periculi, si omnes simul tam celeriter, tali cœlo, cum suis decrepitis, infantulis & vxoribus iter suscipere cogantur:* Propter Christum rogant, mensis saltem vnius spacium sibi concedi. *Ibi Magistratus nonnihil succensere, duriusque aliquantò exules alloqui:* Cur ipsum sic vexent, *rogat*? quando adversus Regis decretum nihil possint: proinde à verbis abstineant, seque cum suis ad iter parent. *Ad quæ exules,* Si mora, inquiunt, non potest obtineri menstrua, dies saltem 14. exorari liceat, vt de ædibus nostris ad pascha conductis, de lignis item, aliisque in hyemem comparatis, ac debitis in civitate contractis, interea possimus statuere, ne cuiquam discessus noster sit fraudi. Promittunt etiam se interea sensim omnes discessuros, velleque proximo die discessus initium à quibusdam facere. *Quóque Magistratum flectant magis,* exponunt, quàm durum ac periculis plenum fuerit, si simul omnes, tantâ turbâ ejiciantur: futurum enim, vt ipsi vbique ab omnibus, ad hoc Regis exemplum, crudeliter exclusi, cum suis decrepitis vxoribus & infantibus, præ frigore ac fame in agris palantes, de vita periclitentur. Cumque turba omnis, præsertim peregrinorum hominum, facilè sit tumultus ac seditionis suspicioni obnoxia, sese etiam, præsertim tali cœlo profligatos, vbique pro scelestis ac seditiosis hominibus habendos ac propellendos esse. *Addunt,* non facilè in pagis cibariorum satis tantæ turbæ inveniri posse. Peste etiam Haffniæ sæviente, ipsos tanto numero inde venientes, vbique vel hoc solo nomine exclusum iri. Rogant igitur per Christum, vt Magistratus hæc omnia perpendens, quatuordecim dierum spacium eis permittat, quo ita sensim discedere liceat. *Senatus respondet,* Sibi vehementer dolere, quòd ob Regis literas acerrimas, hoc quod postuletur, non audeat permittere: nihilominus tamen se eis totum permittere triduum: vt duodecimo mensis die discedant: atque ad summum horâ octavâ tertij decimi præsentis mensis diei, manè ad vnum absint omnes. *Tunc exules rursum precibus instant, orantes* spacium illud duarum hebdomadarum sibi permitti, cùm tanta esset cœli inclementia, vt nemo extra civitatem, vel ad milliare vnum progredi possit, neminem tam inhumanum, qui tali cœlo vel canem oberrantem in suas ædes non recipiat. Sin omnino abire cogantur, ipsos coactum iri luctuosam infantum & uxorum suorum mortem oculis suis conspicere, nisi Deus miraculo aliquo eos servet. In Turcas, *aiunt,* talis non designatur crudelitas, cùm tamen à verbis pro Christianis agnoscamur. Tempus igitur illud duarum hebdomadarum denuò sibi propter Christum concedi rogant. *Cùm Senatus se propter Regis mandatum iterum negaret facere posse,* exules octiduum saltem petunt. Neq; hoc, *ait Cõsul,* possumus, etiamsi capitis nostri damno hanc dilationem redimere velimus. *Tum exulum vnus in hæc verba erupit:* Posteaquam apud vos nullus nobis clementiæ locus patet, Deo Patri nostro clementissimo nos ipsi committimus, is de nobis faciet quod volet: Attamen speramus, quòd nos pro sua bonitate in hac nostra cruce non sit deserturus. Si tamen nostrûm quisquam in vitæ suæ veniet dispendium, sciatis vos sanguinis illius reos, Dei vindictam evasuros non esse. *Ad quæ verba multis cùm Senatoribus, tum exulibus lachrymæ abundè proruperunt. Atque ita demum sub serum vesperum hic cœtus dissolvitur. Posterâ die exules apud Magistratum impetrant eidem ægroto viro, & tribus partui admodum vicinis mulieribus, vnà cum ipsorum infantibus, & puero vni tredecim annorum, hybernandi potestatem, qui sub initium proximæ æstatis alios sequuti sunt.*

Exules Hellesnorgâ discedere iubentur.

Interea verò exulum aliquot, qui hactenus Hellesnorgo manserant, inter quos erat Godfredus Wingius, liberorum Iohannis à Lasco Pædagogus, à Magistratu Hellesnorgano Regio nomine jubentur celeriter ad suos Haffniam proficisci, vt vnà cum socijs ibi hærentib. primo quoque tempore in Germaniam soluant. Qui omnes simulatq; Haffniam venerunt, de suo, in negotio Sacramentario, sententia rogati, protinus reliquorum fratrum sententiæ subscribunt, ideoque Regno cum reliquis excedere jubentur.

Exules Daniam relicturi in quatuor classes partiuntur.

Posteaquam igitur constitutum erat exulibus, sine comperendinatione vlla emigrandum esse: ipsi, ne vno loco simul appellerent omnes, sese in quatuor Classes partiuntur: quorum vna ad portum Geyser curru vecta, illic per mare Balthicum Rostochium trajiceret: reliquæ autem tres nauigio Rostochium, Wismariam & Lubecam peterent.

Ad duodecimum autem Decembris diem, non poterant nisi currus sex, & nauis vna Lubecana, ad iter parari. Qui itaque istis curribus & naui Lubecanæ assignati erant, coguntur eo ipso die jussu Senatus, ciuitatem relinquere. Et qui curribus per asperrima frigora &

1553. *altam nauem cum suis uxoribus & infantulis vehebantur, omnium possim hominum ludibriis & columniis falsissimis in itinere proscindebantur. Illi verò qui Lubecanam ascenderant nauem, prohibebantur sub capitis periculo, iterum ad Danicam terram appellere, quacunque tandem eos innasura esset necessitas. Cumque ea nauis cum tam tristi decreto in mari nonnihil progressa esset, obortâ tempestate & vento aduersante, non procul à portu iactis anchoris hæsit. Ad eundem modum nauis Rostochiana postridie eius diei, simili cum decreto soluere cogitur: etiamsi ventus ac tempestas nauigationi aduersarentur: Hæretque etiam illa non procul à portu iuxta Lubecanam nauem. Cæterùm tertia nauis, vix magno cum labore ad* 16. *diem Decemb. parari, nec nisi Rostochium conduci potest. In eam iubentur exules, qui adhuc erant reliqui, eodem die citra vllā moram sub capitis periculo ascendere. Prandio igitur, quod vnâ ædibus in vnis tum sumebatur, ob mandati seueritatem interrupto, celeriter ad nauem quisque cum sarcinculis sua vnà tendunt. Ad hoc lamentabile spectaculum multi accurrunt ciues, nec lachrymas continent, eosque ad littus vsque sequuntur. Sed ea quoque nauis anchoras suas, propè alias duas priores, propter contrarium ventum nacti, intra biduum omnes in Germaniam salui, diuino beneficio appulerunt.*

Veremundæ exules ut sint excepti. *Veremundam autem cùm pars exulum venisset, Præfectus vrbis multis eorum precibus flexus, quos prior illa nauis Rostochiana vexerat, quod alij facere non audebant, alij verò nolebant, excipit hospitio. Sed post dies circiter octo, superioris Magistratus authoritate iubetur ille, nisi de sua Præfectura periclitari vellet, Danicos illos Anabaptistas & Sacramentarios ædibus suis eijcere. Paret ille. Exules etsi ad fidei suæ Confessionem edendam, adque calumnias depellendas se paratos esse dicerent, inauditi tamen pelluntur, ac Rostochium petunt, vbi eos, quos antè curru vectos diximus, saluos inueniunt. Sed cùm exulum nonnulli, ad iter expeditiores, statim Rostochio discederent Wismariam, Magistratus ad aliorum qui remanserant præsentiam, propter intolerabile frigus conniuet. Adit interea exules Pastor S. Catharinæ Georgius Riken, cum iis multam disputans de corporali Christi præsentia sub pane Cœnæ: de ritibus etiam quibusdam Papisticis in Cœna administratione apud eos adhuc reliquis.* Accusat ille exules, quasi Christum in verbis suis mentitum fuisse dicerent: erroremque vocat, tollere cereorum vsum à Cœnæ administratione. *Cùm in disputatione incalesceret,* à Diabolationibus *non abstinet, & exules ad gehennam prorsus, multis in ipsos iactis conuitiis, condemnat. Respondent exules,* nullum se Christo mendacium impingere; sed negare falsam falsam verborum eius interpretationem. *Cumque rursus diceret;* se nolle ab iis quicquam discere: *respondent exules,* se quidem Latinæ linguæ rudes, ad eum docendum fortè non idoneos esse. Esse tamen alium virum doctum, natione Anglum, qui hoc præstare posset, quemque accersere vellent. *Is erat David Withadus, factus postea Anglicanæ Ecclesiæ Francofurti ad Mœnum Pastor. Statim autem se Georgius ille subduxit, neque ad eos amplius reuersus est: Apud Magistratum autem effecisse putatur, vt exules paulò post duodecimum Ianuarij diem ciuitate pellerentur, cùm cœlum esset aliàs inclementissimum. Quicunque autem veniebant, omnium conuitiis conspuebantur.*

Wismaræ quid exulibus acciderit. *Nauis ea, quam Hassaia postremam soluisse, nec nisi Rostochium conduci potuisse diximus, cùm portum* Wermundanum *propemodum attigisset, per validum ventum subitò exortum, magnis periculis* Wismariam *retruditur, vbi Magistratus illis, tanquam hospitibus, ius hospitij ad tempus aliquod humaniter concessit, & plerique ciuium, sub ingressum vrbis, tam miserè afflictis, omnimoda beneficentia officia liberaliter quoque præstabant.*

Wismariæ concionatores contra exules odio erga eos incitant. *Cùm autem dies circiter* 14. Wismariæ *fuissent, Henricus Smedenstede in suis concionibus non cessat publicè animos ciuium & Senatus multis magnisque clamoribus in exulum odium accendere: reliqui autem concionatores frigidam suffundunt. Vnde factum est, vt in perpetuæ expulsionis metu versarentur, variaque de ipsis in plebe essent sententiæ, aliis aliud suspicantibus & comminiscentibus. Quosdam inter alia non pudebat de ipsis in vulgus spargere,* nocturnos ab illis obseruari cœtus, in quibus promiscuam cum mulieribus libidinem, extinctis lucernis, exercerent. *Meliores ciues, vt certi aliquid de ipsis in tanto sententiarum varietate haberent, eos priuatim adeunt, ac diligenter omnia dicta & facta illorum explorant. Alij apud Vincentiam Pastorem ad S. Georgium efficiunt, vt is prouinciam suscipiat exules de fide ipsorum examinandi. Eum, Micronius & Hermes Backerelius die* 12. *Februar. eo nomine accersiti, adeunt. Ille inter colloquendum* vrget Exorcismi ritum in Baptismo: Verba illa Christi, HOC EST CORPVS MEVM, propriè ac iuxta sensum Grammaticum intelligenda: Corpus Christi vbique realiter existere, atque adeò etiam in infernos Paulum per *κοινωνίαν* corporis & sanguinis Christi, intellexisse realem corporis ac sanguinis eius sub pane & vino distributionem. *Sic etiam verba illa Christi,* Quod pro vobis datur, *interpretatus est,* Quod vobis sub pane realiter distribuitur. *Sed cùm*

ea

1555.

ea omnia paucis dissoluisset Micronius & Backerelius, nec satis aptè ea quæ contra ab ipsis obijciebantur, soluere, disputationis portes in Doctorem Smedenstede rejicit, vt qui in Sacramentaria hac controversia multis jam annis exercitatus sit, & minimo labore ipsorum argumenta omnia soluere possit. Rogant eum exules, Doctorem illum, ad suscipiendum eiusmodi colloquium inducat, & cives aliquot pios adhibeat. Quæ in re cùm operam suam promisisset Vincentius, amicè disceditur.

Smedenstede autem posterà die manè per honestum ciuem vnum & alterum in ædes prædicti Vincentij ad primam pomeridiani temporis horam colloquij causa venire jubet: sic tamen, ne vllos ciues adducerent. Micronius itaque duobus tantùm exulibus sibi adiunctis, nempe Hermete Backerelio & Godefrido Vuengio, illuc ad constitutum tempus vadit. Vincentius verò Doctorem illum domi sua negat esse, & exules non admissos durissimis & inhumanissimis verbis excipit: ac tragicis clamoribus tumultuans, seditionis & hæreseos crimina ipsis impingit, eosque jubet cum ipsorum Schuermeria *(sic enim loquebatur) ad Diabolum abire. Cæterùm illi ad furiosum hunc animi illius impotentiam obtinescunt, atque depulsis illis seditionis & hæreseos à se criminibus, petunt, vt quid* Schuermeriam *vocet, definiat. Sed cùm illum magis magisq; exacerbari & impotenter affectib. abripi viderent, rogant, vbinam Doctor ille, qui ipsos accersiri jusserat, inueniri possit, non grauetur indicare. Cùm tandem eum apud Henningum Blok ad D. Mariæ Pastorem esse fateretur, eò per illius puerum deducuntur: vbi simili humanitate excipiuntur.*

Ipsis enim cum ostiario colloquentibus, properè ab Henningo accurrens puellula, Doctorem intus esse negat. Sed cùm ab ostiario aliud audiuissent introgrediuntur. Tum Henningus ex interiori clamans atrio, jubet, ne ipsi intrò admittantur, Doctorem enim cum eiusmodi Schuermeris, Sacramentariis, ac hæreticis sermonem miscere nolle. *Micronius verò propiùs accedens, rogat Henningum,* ne præter Christiani hominis, ne dicas Pastoris officium, incognitos & inauditos homines ita contumeliosè & temerè abigat, ac pro hæreticis condemnet: addens, se non hæreticos, sed Christianos esse, qui propter Christi Evangelium ac nomen, in voluntario suo exilio durissimam crucem sustineant. Nec protinus sic pro hæreticis censendos, etiamsi in aliqua parte doctrinæ sibi ab eis aliqua esset dissensio: maximè cùm tollendæ ei dissensioni privatum, modestum & Christianum colloquium cum ipsis eius loci Pastoribus non detrectent. Imò (*inquit ille*) vos scio Schuermeros ac Sacramentarios esse, vt qui nolitis realem corporis Christi in Cœna præsentiam agnoscere. Estis proinde hæretici, nec ad vllum præterea colloquium admittendi: Quandoquidem cum hæreticis non est disputandum. Sic Papa, *ait Micronius*, adversus Lutherum olim pugnavit, atque etiam-num adversus pios doctores omnes pugnat, eamque compendiariam esse viam, ad quæ vis falsissima, stultissimaque dogmata invehenda, stabiliendaque. Quid (*inquit ille*) hue ad turbandas nostras venistis Ecclesias? Nisi improbi essetis, in vestra mansissetis patria. *Micronius verò ait*, Sese non propter scelus vllum, sed studio syncerae Religionis, sponte patriam solum jam olim deseruisse. Deinde verò, se in hac ipsorum Danica peregrinatione, præter omnem ipsorum expectationem, à Deo Wismariam extrusos esse. Imò (*inquit ille*) Diabolus vos nebulones huc adduxit, qui nostras bene pacatas turbatis Ecclesias, & siquidem sic pergitis, Princeps noster suum in vos gladium stringet. *Sed quonam (exules aiunt)* culpâ nos nebulones censeri possumus, ac vestrarum Ecclesiarum turbatores? cùm à vobis quotidie, in publicis vestris concionibus pro hæreticis traducti, nos ipsi apud vos per privatum colloquium purgare, aut meliora ex Verbo Dei discere parati simus? Vestri esset officij, nos, quos hæreticos censetis, ad eiusmodi invitare colloquium: & jam illud ante quoque à Doctore promissum expetentes, tam indignis modis repellitis? ac etiam, gladios innoxiis minitari incipitis? Sed ita semper Evangelica veritas, innoxio sanguine obsignata fuit: & nos hic toti à divina pendemus voluntate, quanquam de vestri Principis pietate multò meliora nobis polliceamur, qui banc crudelitatem adversus innoxios vel solâ cogitatione in animum suum nolit admittere. Sed tamen interim animi tui crudelitatem prodis, & ostendis cuius-nam sis spiritus. *Hinc Henningus ad exulum orationem paulò mansuetior factus*, suum senium ad vllas ampliùs disputationes ineptum, & doctoris occupationes obtendit. *Tandem verò* à doctore se sciscitaturum *pollicetur*, velit-ne aliàs sub aliquot civium testimonio colloquium cum ipsis suscipere: eiusque sententiam se ipsis postridie eius diei, per civitatis apothecarium velle significare. *Sicque disceßum.*

Posterà autem die nempe 14. *Febr. apothecarius à Doctore renunciat, illum nullam* Wismariæ *eum ipsis disputationem suscipere velle, quòd ibi neque ministerium, neque stipendium publicum haberet: posse verò ipsos subsequi illum Rostochium, quo brevi abiturus esset, vbi non gravatim esset disputaturus.*

1553. *Cùm igitur ejusmodi ab illo Doctore & Pastoribus ad declinandum colloquium rima quærerentur, nec cessarent interim exules publicè ac priuatim grauiter insimulare: audirentque præterea exules, illos multùm de ipsis ejiciendis apud Magistratum laborare: verentes, ne subitò per intensissima, quæ adhuc durabant, frigora, sub infami aliquo hæreseos aut seditionis titulo inauditi pellerentur, cùm aliud tuenda ipsorum innocentia non haberent remedium, supplicem libellum Senatui ad proximum eius consessum, qui fuit Febr. 16. die, offerunt. Decimâ octauâ die rumor est per uniuersam ciuitatem exules publico Senatus decreto, in omnibus templis jussos intra quatriduum ciuitate egredi. Exules itaque, ne quid hic temerè aduersus Senatus decretum committant, pomeridiano eiusdem diei tempore adeunt Henningum Blockium, eumque rogant, decretum illud Magistratus ipsis prælegat. In quo cùm audiunt, solis Anabaptistis & Sacramentorum prophanatoribus ciuitate interdici: testantur,* decretum illud aduersùs se non facere, cùm neque Anabaptismi, neque vllius prophanationis Sacramentorum culpa in eis hæreat: nec pro seditiosis, ac Magistratui rebellibus ipsos censendos, etiamsi vltra quatriduum illud hærerent in ciuitate, quam sine suspicione alicuius hic culpæ, cum magna alioqui justæ suæ causæ infamia non possent deserere. *Hic verò Blockius incandescit*, propter exules potissimùm decretum illud promulgatum esse dicit: eósque Sacramentarios & seditiosos nebulones appellat. *Porrò cùm exules se ad edendã spei, fideique suæ rationem paratos esse dicerent, ipse suum obtendens senium, quòd illum ad disputationes omnes fecisset ineptum: Gellij Fabri Pastoris Embdani librum, ab ipso non ita nuper aduersus Anabaptistas scriptum, in mensam aduersus exules producit:* asserens, eos in eo libro, quales sint, ad viuum depingi: eorumque argumenta omnia, omni ex parte, faciliè solui ac refutari. *Dum verò illius conuitia exules depellunt, atque librum illum Gellij (quem antè diligenter legerat Micronius) nihil aduersus se facere ostendunt, in hypocaustum, in quo consedebant, Doctor ille Rostochius ingreditur, qui disputandi cum ipsis partes suscipit, quam ipsam disputationem, simul ac reliqua quæ in illis partibus Orientalibus habita sunt colloquia, suo quaque ordine fideliter adscribam.*

Colloquium inter M. Micronium & D. Smedenstede Wismariæ de causa Eucharistica habitum, anno 1554. Febr. 18. die.

MICRON. Rogamus, Domine Doctor, vt benignè nos audias. Dicimus, hodiernum illud Senatus decretum aduersus Anabaptistas & Sacramentarios latum, nihil contra nos facere: cùm à culpa Anabaptismi & prophanationis Sacramentorum omnino liberi simus.

D. SMEDEN. Sed in vtrisque istius culpæ suspicionem apud omnes venistis.

MICR. Suspicio est fallax: nec licet ex nuda criminis suspicione quenquam inauditum condemnare. Quoniam verò suspicionibus falsæ doctrinæ laborare nos apud multos non ignorabamus: vobiscum præterea, ad nostri purgationem, frequenter de doctrina colloquium expetiuimus, atque etiam-num expetimus.

SMED. Si non idem per omnia in negocio Sacramentario cum D. Luthero sentitis, vos estis Sacramentarij. *De autoritate Lutheri.*

MICR. Miror D. Doctor, à te in hac de Religione controuersia, primo loco mihi hominis, non autem Sacræ Scripturæ objici authoritatem. Christus cum Iudæis disputans, ad Scripturas prouocat: Scrutamini, inquiens, Scripturas. Quod mandatum Christi ego hactenus in tanta, nostro sæculo, opinionum varietate sequutus, veritatem non ab hominum placitis, sed Scripturæ Sacræ testimoniis petere consueui. Quod ipsum etiam Lutherus adversus Papam rectè fecit: aliosque vt in causa Religionis idipsum facerent, sæpius fideliter monuit. Rogo te itaque, ut mihi non hominis alicuius, sed Sacræ Scripturæ authoritatem & testimonium proponas.

SMED. Ecce Lutherum iste contemnit, nec tamen pro Sacramentario haberi se patitur.

MICR. Cùm in controversia Religionis à Luthero ad Scripturarũ autoritatẽ provoco, non

non eum propterea contemno : sed nego duntaxat,eius autoritatem in astruendo aliquo dogmate , veluti inuiolabilem opponi posse,aut oportere. Ita enim ipsi par cum Prophetis & Apostolis autoritas in Ecclesia tribuitur:quod nequaquam dari debet.

SMED. Vna est eademque Lutheri & Pauli doctrina , vera vtraque & indubitata: Sic,vt alterutra probata vel negata,vtraque simul probetur , aut negetur. Licet itaque, in approbanda aliqua doctrina à Lutheri autoritate argumentum ducere.

MICR. Quatenus sit vna Lutheri Paulique Apostoli doctrina, id per exactam scriptorum ipsius ad scripta Pauli collationem discere licet. Etsi quidem detur, vnam esse, non consequetur propterea , parem esse vtriusque in probandis astruendisque dogmatibus autoritatem. Vtque liberè dicam: non leuis mihi in Apostolos videtur contumelia , cuiquam post illos doctori parem eum eis in astruendis dogmatibus autoritatem in Ecclesia tribuisse.

HERMES BACK. Apostolorum ministerium à reliquorum omnium , post ipsos, Doctorum Ecclesiasticorum vocationem, diligenter distinguere necesse est. Illorum enim tale fuit ministerium, vt cùm per illos fixum Ecclesiæ fundamentum iaciendum esset in tradenda doctrina, gubernante illos Spiritu sancto, aberrare non possent. Estque propterea horum omnium doctrina extra omnem dubitationis suspicionem apud fideles omnes posita.Reliquorum autem omnium post illos, quamlibet excellentium in Ecclesia Ministrorum, eiusmodi est conditio, vt cùm in doctrina aberrare possint, eis non magis credatur , quam Scripturis approbare possint:eorumque omnium doctrina nullam ex se habet autoritatem,sed duntaxat,quatenus doctrinæ Propheticæ & doctrinæ Apostolicę per omnia consentire deprehenditur : debetque propterea iudicio Ecclesiæ,iuxta Dei Verbum, semper subiecta manere.

MICR. Hoc Ministrorum Ecclesiæ discrimen Paulus indicare videtur , cùm docet,fideles superstructos fundamento Apostolorum ac Prophetarum,Eph.2.quod aliàs dicit se iecisse fundamentum , reliquis autem videndum quid superstruant. 1. Cor. 3. In posteriori Ministrorum numero Lutherum ponendum esse iudico: vt qui aberrare potuerit, cuiusque doctrina censuræ Ecclesiæ,iuxta Dei verbum, subiecta manere debeat, nec liceat à nuda eius autoritate dogma aliquod in Ecclesia astruere.

SMED. Errarunt-ne ergo Titus & Timotheus,quia non fuerunt Apostoli?

MICR. Errare potuerunt, suamque doctrinam iuxta septa Apostolicæ doctrinæ concludere debuerunt. Ita enim Timotheo pręcipit Apostolus:*Formam*,inquit,*habeto sanorum sermonum , quos à me didicisti.* Item : *Quæ audisti à me per multos testes , hæc commenda fidelibus hominibus.* Et rursum: *Persiste in his quæ didicisti.* A quibus præceptis si desciuissent, errassent haud dubiè. Idem de Luthero iudicandum censeo.

SMED. Aio doctrinam Lutheri non minùs , atque ipsius Pauli extra dubitationem omnem esse positam : ac vos Sacramentarios esse , qui eius doctrinam Sacramentariam reiicitis.

MICR. Si doctrina Lutheri , per omnia, vt dicis ,est vera, tum sanè omnibus scriptis Apostoli, totique adeò Scripturæ per omnia consentire debet : & quatenus consentit, haud dubiè est amplexanda : idque tamen non propter Lutheri nomen aut personam, sed propter consensum Propheticum & Apostolicum. Si ita cuique fas erit , doctorem , in cuius verba semel iurauit , in tam sublimem gradum extollere , vt in eius doctrinam inquirere nefas putetur: vicerit iam Papa:nullus,denique erit vnquam sectarum finis , dum quisque pro suo depugnabit doctore,& Christo Domino, vnico nostro iuxta Scripturam Magistro , gloria Magisterij auferetur,& in alios impiè transferetur. Sed omissâ hac inuidiosâ, de Lutheri personâ, disceptatione , ad Scripturas veniamus: aut eius doctrinam Sacramentariam , in quam non vis descendere,simpliciter tandem,quę ea sit,proponas: quam deinde iuxta Scripturas excutiamus.

SMED. Quid hîc multis opus est verbis? Doceo , Lutheri doctrinam per omnia esse veram , vnamque cum Apostolica doctrina: nec aliud,quoad vixero, sentiam,teque Sacramentarium esse vel hinc est conspicuum,quòd de tanti viri doctrina semper iniicis dubitationem.

MICR. Te hîc D. Doctor mirari satis nequeo , quòd in controuersia de doctrina sic à Scripturis ad Lutheri personam declinas , contra quàm Lutherus ipse olim eum Papistis fecit , qui eum semper a doctoribus ad Scripturas appellauit : vos iam contrà, à Scripturis ad illum. Quæ disputandi ratio si esset legitima,iam olim vicissent Papistę Lutherum.Ego verò grande peccatum esse duco, sic Lutherum, aut alium quenquam ab Apostolis verbi ministrum, eodē cum Paulo Apostolo gradu cōstituere:ac vereor,vt non impunitam sinat Deus hanc vestram pręposteram de Lutheri autoritate persuasionem.

SMED. Túc illũ in doctrina errasse dices,

1553. qui primus nostro seculo extinctum propemodum Euangelij lumen in mundum protulit?

MICR. Fuit hoc sanè præclarum opus Dei in Luthero, Papæ tyrannidem tantâ aggredi animi constantiâ. Sed nego ipsius doctrinam propterea extra omnem dubitationis aleam, aut probationis examen esse positam. Spiritus S. partitur sua cuique dona prout vult: non vni dat omnia. Et sæpe qui fuit primus, fit nouissimus. Memini etiam me ex integerrimo piæ memoriæ virô Conrado Pellicano non semel audisse, multos eruditos Viros in Germania, priusquàm prodiret Lutherus, Euangelicam doctrinam tenuisse: adeóque ipsúmmet Pellicanum, priusquàm auditum esset Lutheri nomen, vanitatem Purgatorij Papistici ipsi Luthero, cùm primùm suas positiones publicaret, fortè incognitam, multò antè cognouisse. Et Deus suos non temerè quandoque impingere finit, nempe, ut ipsi humilientur, nec alij de ipsis vltrà quàm par est glorientur. Habet Lutherus suum in Ecclesia gradum, quem nos insignem ei tribuimus: sed cum Apostolis in astruendo vllo dogmate non æquiparetur.

HEN. BLOK. Valeant Domine Doctor nebulones isti, nec tempus tuum diutiùs cum illis teras. Vides te nihil promouere: Hinc extra meas ædes apagite nebulones.

MICR. Obsecro mi Henninge, ab ejusmodi abstineas conuiriis, nec nostrum cum Doctore colloquium interrumpas.

De vero sensu verborum, Hoc est corpus meum.

SMED. Vos Sacramentarios esse, non inde tantùm manifestum est, quod Lutheri doctrinam contemnitis: verumetiam ex eo, quòd claris Christi Domini verbis, HOC EST CORPUS MEUM, fidem omnem detrahitis: nec enim licet Christo pronuncianre, *Hoc est corpus meum*, dicere, *Hoc non est corpus meum*.

MICR. Nos verba illa Christi, juxta vnanimem totius Scripturæ consensum, sacramentis familiarem, intellecta, fatemur esse vera: atque ex vero illorum intellectu summam in sacro Cœnæ vsu haurimus consolationem. At sensum illum qui affingitur, vel mutationis panis in corpus Christi, vel delitescentiæ corporis ipsius sub pane, negamus cum mente Christi subsistere, sed ex diametro potiùs cum ea pugnare.

SMED. Verba Christi perspicua sunt, & propriè absque vllis omnino figuris intelligenda: etiamsi id nostrâ ratione, in diuinis rebus alioqui cæcâ, non assequamur.

MICR. Scimus, in diuinis rebus nostram excutiere rationem: eamque in mysteriis salutis rationi non subiectis minimè consulendam esse fatemur. Quemadmodum Cœnæ Dominicæ primarium mysterium (quod est obsignatio nostræ salutis in vnico Christi sacrificio) solâ fide, non autem ratione humanâ apprehendi potest. Veritatem autem præsentiæ corporis Christi (quod nostro per omnia, quatenus sanè humanæ naturæ attinet veritatem, simile Scriptura testatur) ipsemet Christus, etiam post suam resurrectionem, tactus ac visus judicio subiecit.

SMED. Non est hîc physicè de corpore Christi disputandum, nec nostro per omnia comparandum. Illius enim corpus, Diuinitati coniunctum, existit vbique nec vllo loco alligari potest.

MICR. Humanitas Christi non debet in infinitum, propter vnionem diuinæ naturæ, diffundi. Vtraque enim in Christo natura suas seruauit proprietates inuiolatas: alioqui consequeretur, ipsum Christum Dominum, juxta corpus, ab ipso suæ incarnationis articulo etiam in inferno apud damnatos fuisse.

SMED. Tutissimum est, claris Christi verbis insistere.

MED. Si ea verba ita sunt clara, ut dicis: qui fit, vt Papistæ inde Transsubstantiationem, vos autem Consubstantiationem eliciatis? Si denique vestra doctrina in hac parte adeò est certa, quid igitur colloquium sub fide proborum testium diffugitis?

SMED. Sed quos tu illius colloquij, si vllum instituatur, testes ac judices esse velis? aliquot-ne tuæ opinionis homines?

MICR. Mihi hîc homini peregrino homines incogniti sunt. Magistratus possit illius testis esse, ac iudex.

SMED. Magistratus? Diabolus potiùs. Quid ille de religione intelligit? Petamus Rostochium, & ad Doctores aut Superintendentem proficiscamur, qui de colloquio judicare poterunt.

MICR. Siccine Magistratum contemnis Doctor? Quo iudice precor Papam principio vicit Lutherus, ab omnibus tunc Doctoribus Scholasticis passim damnatus? Quid præterea nos ad Doctores Rostochienses, aut Superintendentem nescio quem remittis, cùm hîc Wismariæ per vos publicè accusemur? Paulus vult Episcopum, seu Ecclesiæ Pastorem, aduersariis os obturare: non autem iubet ad alios, nescio quos absentes, eos remittere.

SMED. Video vos malè vobis conscios, latere velle, ac lucem refugere: posteaquam Doctores Rostochienses adire detrectatis.

MICR. Quàm non cupiamus latere, toties à Pastoribus expetita colloquia, & nostra

nostra supplicatio Senatui ante biduum oblata,satis docent. Imò non desunt, qui eo solo nomine seditiosos nos vocant,quòd sic in publicum prodeamus. Iniqua sanè est hîc nostra conditio. Quotidie per vos publicè hæreseos accusamur, & capitis supplicio digni pronunciamur,hic si conniuemus,nobis malè conscij latere velle dicimur. Sin ad nostri purgationem modesta expetimus colloquia, seditiosi sumus.

SMED. Vos-ne igitur vllam Magistratui obtulistis supplicationem? Ego illam vehementer audire cupiam.

MICR. Ego quàm lubentissimè eam prælegam, quæ sic habet: Nos peregrini, &c.

SMED. De hac vestra supplicatione hactenus ne verbum quidem audiui. Nequeo eam culpare: ac iusta est vestra postulatio, quam Magistratus haudquaquam denegare debet. Agnosco etiam Pastorum huius ciuitatis officium esse, vos ad iustum admittere Colloquium. Et si quidem ego Pastorem hic agerem, aut publicum acciperem à Ciuitate stipendium vobiscum de controuersis articulis colloquium detrectare non possem, nec vellem.

MICR. Sed cùm tu hic publicè pro concionibus doces, deberes sanè etiam hic ad reddendam doctrinæ tuæ rationem paratus esse. Aut si id omnino detrectas, ipsos saltem Pastores sui hic officij seriò admonere, vt nos ad colloquium admittant.

SMED. Quod ipsi colloquium ita detrectant, non probo: cùm sint Pastores loci, & publico alantur stipendio. Nec aliud tibi hîc consulere possum,quàm ut ad Illustrissimum Principem nostrum,aut Superintendentem,aut Doctores Rostochios colloquij impetrandi causa proficiscaris. Id si facere voles, ego tibi eò vsque viaticum suppeditabo.

MICR. Quid opus est cum magna temporis iactura aliò proficisci, quando hic sumus per vos publicè accusati? habeamus etiam te doctorem, vnà cum Pastoribus præsentem?

SMED. Scis Pastores nolle: & cur ego non debeam, audisti.

MICR. Quanquam mihi multis nominibus molesta foret eiusmodi profectio, potiùs tamen quàm cum ignominia ministerij mei latêre voluisse videar,paratus sum quocunque voles proficisci: modò literas vestrâ omnium manu subscriptas impetrem, me à vobis omne colloquium negantibus missum venire.

SMED. Nos tales tibi literas non damus. Sed cùm propediem mihi Rostochium sit petendum,si tu me eò subsequi,aut comitari voles, efficiam, vt liberum tibi fiat cum Doctoribus de causa tua agere. Verùm vbi tuam apud illos de re Sacramentaria confessionem edideris, num tu res tuas omnes tum saluas putabis?

MICR. Papæ tyrannidem (vt audio) in vestras Scholas reduxistis. Hinc disputandi rationem,quæ non Scholis Theologicis, sed sanguinariis potiùs Tyrannorum tribunalibus conuenit, non à Christo didicistis, sed à Papa Antichristo,qui negatâ piis causæ ipsorum iustâ ex Scripturis defensione,contentus eorum audiuisse confessionem, eos persequitur & occidit. Si sic argumenta doctores volunt dissoluere,eos non adibo. Tales enim suis vitandos esse monuit Christus: Cauete, inquiens, ab illis hominibus.

SMED. Habent illi pro se clara Christi verba, HOC EST CORPVS MEVM. Quomodo igitur te negarent ferant?

MICR. Non de verborum illorum Christi veritate, sed de legitimo eorum sensu est dissensio:quorum falsa interpretatio,ei quæ vera est, meritò cedere debet.

SMED. Non sunt tibi Doctores Rostochij cessuri, nisi hanc contrariam sententiam, *Hoc non est corpus meum*, alibi in scriptis commonstres: aut saltem Syllogismo doceas,eam inde statui posse. Sed neutrum præstare vnquam poteris.

MICR. Quanquam ea contraria sententia nusquam in Scripturis ad verbum legatur, facilè tamen,etiam syllogisticè, ex orationis apud Euangelistas & Paulum contextu, ex verbis item circa poculum, præsertim iis quæ apud Lucam & Paulum leguntur, atque ex multis aliis similibus & affinibus Scripturæ locis colligi potest,ea verba non propriè,sed figuratè,iuxta rationem omnium Sacramentorum, intelligi oportere.

SMED. Nulla est in verbis Christi figura:oratio est clara & propria.

MICR. Ego hactenus propriam horum verborum Christi interpretationem, quæ quadret, nusquam legere, vel à quoquam audire potui. Et si tu quam habes, Domine doctor, lubens audiam. Quonam igitur demonstratiuum illud Pronomen (HOC) refertur?

SMED. Quid necesse est adeò exactè singula illa verba excutere,cùm sint plana?

MICR. Non potest de vllius orationis constare sententia, vbi non singulæ illius voces prius rectè intelliguntur. Dic igitur, quid demonstret (HOC?)

SMED. Quid demonstret aliud, quàm panem?

1553. MICR. Est-ne ergo panis ille substantialiter & propriè corpus Christi?

SMED. Nequaquam: sed in, cum & sub pane, est corpus Christi.

MICR. Illud verò corpus Christi sub pane, est-ne exangue & inanime?

SMED. Nequaquam: sed per corpus Christi intelligitur totus Christus, Deus & homo.

MICR. Vide iam D. Doctor, quàm tu scilic. propriè Christi accipias verba. HOC, est tibi eclipticum, pro sub, in, & cum hoc. Per corpus Christi intelligis totum Christum, Deum & hominem. Quomodo igitur in illis Christi verbis negas esse figuram? Quid dices ad ea Lucæ & Pauli verba vbi poculum dicitur *Nouum Testamentum*? an-non etiam hic figurata locutio?

SMED. Itane vobiscum disputaremus? quid si vinceretis? actum de nobis esset.

MICR. Quid ais, Domine Doctor? Hinc illæ lachrymæ, & tergiuersationes illæ vestræ de colloquio. Hinc inquam illæ lachrymæ vestræ?

SMED. Non diffugimus colloquium. Pete Rostochium ibi libertas disputandi tibi fiet. Quis enim hîc nostri colloquij esset iudex? Eiusmodi enim de doctrina iudicium, non ad Magistratum, multò minùs ad cerdones, textores, & imperitam plebem, sed ad Doctores tantùm pertinet.

MICR. Itáne Ecclesiam Dei contemnis Doctor? ademptâ ei omni de doctrinis iudicandi libertate?

SMED. Non concedam hanc libertatem plebi datam, nisi è Scripturis syllogisticè id doceas.

MICR. Hoc Syllogismis probare non erit difficile, petitis argumentis ab exemplo & doctrina Pauli, atque à mandato, quod de vitandis falsis Prophetis, spiritibusque discernendis in Scripturis datum est. Et Christus à Pontifice de doctrina examinatus, non ad Doctores Synagogicos, sed ad auditores suos, qui haud dubiè magna ex parte constabant plebe, prouocat. Et Lutherus, annon etiam à Doctoribus Scholasticis ad Ecclesiæ, iuxta Scripturas, iudicium prouocauit?

Hic se ciuis quidam, qui hypocaustum paulò antè fuerat ingressus, verbis Micronij cum stomacho ingerit. Cuius conuiciis dum respondere laborat Micronius, Doctor Smedestede & Pastor Heningus se clanculum subducunt, ac sic finis factus est eius colloquij.

Dumque multum diuque expectati intrò non redeunt, nec vsquam ab exulibus in domo conspiciuntur, abeunt exules illi rectà ad Dionysium Secretarium, postulaturi ab ipso, ad suam Supplicationem responsum. Ille eos ad Consulem relegat: subindicans interim, id non futurum aliud, quàm quòd iuxta publicum Senatus decretum Ciuitate ad præscriptum diem excedēdum esset.

Dum hæc sic geruntur, omnes exules domatim per publicos apparitores Ciuitatem relinquere iubentur. Tum Micronius supplicem libellum à prandio eiusdem diei offert primùm Proconsuli, deinde etiam minori Consuli. Sed cùm neuter illum ad se recipere vellet, ac mandatum Senatus vrgeret, ipsi, Deo causam suam commendantes, Wismariam relinquunt, ac postridie eius diei Lubecam proficiscuntur. Quantis verò exules passim fuerint conuiciis & calumniis in itinere illo expositi, non facilè dictu est.

Cùm Tramundam appulissent, omnis eorum supellex in curribus ad auehendum Lubecam composita iussu Magistratus Lubecani, in maximis frigoribus sistitur, & Ciuitatē aut hospitium vllum ingredi prohibentur. Mox duo exules Lubecam profecti, rem omnem Consuli exponunt, hospitium hybernum propter Christū postulant, & fidei suæ confessionem ei offerunt: quam cùm vnà in templo, Consules legissent, exulibus Ciuitatem ingrediundi potestatem faciunt. Posteaquam verò ad tertiam vsque diem exules Lubecæ admodum pacatè mansissent, Superintendens Lubecanus, aliquot eorum aggressus, de eo queritur, quòd parū honorificè de re Sacramentaria loquerentur, simulque monet eos, tempus decem dierū à Magistratu illis pro hospitio concessum, iam præterlapsum esse, ideoque ipsis abeundum, nisi in crimen inobedientiæ incidere velint. Exules inter malleum & incudem iam constituti, quid potissimum facto opus esset, ignorant. Siquidem abirent, obuersabatur illis vxorum infantumque suorum ac decrepitorum hominum misera mors. Sin manerent, rebellionis aduersum Magistratum suspicionem incurrere verebantur. Magistratus tamen tam infelici eorum conditione permotus, exules ad finem vsque Mensis huius benignè & clementer tulit: quanquam interim Concionatores in suis concionibus aduersus ipsos clamitarent. Interea Micronius à quodam Belga 26. die Febr. ad ædes mercatoris cuiusdam Belgæ, colloquij habendi causâ deducitur: quò cùm tres Pastores Lubecani, nempe Petrus, Brictius & Dionysius accessissent, sic inter alia disputatum est.

Quid exulibus Lubecæ acciderit.

Colloquium inter M. Micronium, Et Pastores aliquot Lubecanos, habitum Lubecæ de Sacra Eucharistia anno 54. Febr. 26.

PEtrus: Durum sanè est ab Ecclesia condemnari: sed occasio istiusmodi condemnationis non danda, nec Sacramenta sic à vobis prophananda essent.

MICRONIVS:

MICRONIVS: Non existimamus nos justè ab vlla Ecclesia sic condemnari posse. Sumus enim (Deo gratia) ab omni profanationis Sacramentorum culpa liberi, atque de Cœna Dominica quàm honorificentissimè sentimus. Agnoscimus enim, primarium mysterium esse, salutarem corporis & sanguinis Christi communionem. Qua in re nos inter nos conuenire puto. Superest quæstio, Num ad salutarem hanc communionem necessaria, aut vlla ex parte vtilis sit, carnalis substantiæ corporis & sanguinis eius sub & in pane ac vino præsentia: quod nos negamus, judicantes eiusmodi præsentiam inutilem esse, atque impossibilem, & cum infinitis propemodum Scripturæ locis manifestissimè pugnare.

PETR. Non decet in tanto mysterio quæstiones de necessitate vel vtilitate pro rationis humanæ captu injicere. Simpliciter credendum est Christo Domino, qui dixit: HOC EST CORPVS MEVM. Et quomodo ea corporis præsentia non esset vtilis, cùm eius corpus sit animæ nostræ cibus, & morituris viaticum?

Quomodo corpus & sanguis Christi sint animæ nostræ cibus & potus.

MICR. Non vllum sub elementis Cœnę realiter delitescens corpus, aut sub vino sanguis, sed vnicum dnntaxat illud Christi corpus pro nobis semel in mortem oblatum, & eius sanguis semel effusus, sunt verus animæ nostræ cibus & potus: quibus anima nostra spiritualiter esuriens, spiritualiter pascitur, dum sacrificium illud corporis & sanguinis Christi verâ & viuâ fide per Spiritum Sanctum apprehendit. Quod eximium salutis beneficium in Cœna Dominica fidelibus, ex Christi instituto, ad summam illorum consolationem, aduersus omnes dubitationes, machinationesque Satanicas obsignatur. Huc illud pertinet, quòd postquam docuit Christus, se esse panem illum verum, addit: *Panis quem ego dabo* (videlicet in mortem) *pro mundi vita*: his verbis significans, se eatenus tantùm esse animæ nostræ cibum, quatenus pro nobis in mortem oblatus est semel. Hoc eximium salutis nostræ in Christo mysterium planè obscuratur per vestram doctrinam, per quam homines à carne pro nobis in mortem data, ad imaginarium quendam sub pane delitescentem Christum abducuntur. Quæ vestra doctrina infinitis præterea absurdis referta est.

Ratio non contemnenda.

PETR. Si pro tua ratione vis diuina omnia æstimare Martine, resurrectionis carnis, multorumque aliorum articulorum cum ratione pugnantium fides protinus ruet. Proinde sepositis omnibus fallacibus humanæ rationis cogitationibus adhære claris illis verbis Domini, HOC EST CORPVS MEVM.

MICR. Non sumis, quid de illis fidei negocijs, quæ Deus à ratione & sensibus nostris remota esse voluit, tamen Verbi sui testimonio patefecit, pro modulo humani mei captus statuere velim. Tanta procul absit temeritas. Proinde credo resurrectionem carnis, nos in morte Christi vitam æternam habere, aliaque generis eiusdem multa cum ratione mea pugnantia, eò quòd sunt Verbo Dei consentanea. Si ad eum modum doctrina vestra de carnali præsentia è Scripturis doceri posset, amplecterer eam libentissimè, sed ea multifariam cum illis ac fidei nostræ articulis pugnat: absit vt eam pro fidei articulo habeamus.

PETR. An-non sufficiunt tibi clara illa Christi verba, *Hoc est corpus meum*? Aut vis tu Christo mendacium impingere?

MICR. Verba Christi vera esse fatemur. Sed vobis adhibenda cautio est, ne falsum eis sensum affingatis. Is autem falsus censendus est, qui præterquam quòd nullam habet vtilitatem, & vnanimem Scripturæ sensum violat, & ipsam præterea corporis Christi veritatem tollit.

PETR. Hoc vos omnes fallit, quòd Christi corpus ex nostro metientes, physicè de illo Philosophamini: quod minimè licet.

MICR. Quatenus Christus corporis sui veritatem sensibus nostris judicandam subjecit, non peccamus, si ex ipsiusmet Christi jussu & exemplo de illius præsentia vel absentia physicè per tactum & visum judicamus. Ipse enim de corpore suo jam demum glorificato, ad ejus approbandam veritatem, suis discipulis dixit: *Videte manus & pedes, palpate, ossa & carnes habeo: Digitos in latus infer.*

PETR. Vos nihil aliud facitis, quàm vt antitheses & pugnantia Scripturæ loca coaceruetis.

MICR. Sed nihil ferè ad eliciendam veram Scripturæ sententiam æquè magis est necessarium, atque locorum in speciem pugnantium diligens collatio.

PETR. Sed ad explicandam ejusmodi difficultatem, multùm vos librorum nostrorum lectio juuaret. Quoniam verò vestros duntaxat admiramini, nec nostros dignamini legere, in errore vestro confirmamini.

MICR. Ego in nullius Doctoris, quàm Christi Domini, verba iuraui: non propterea tamen Doctorum vestrorum libros contemno, quos frequenter volui: Sed eos non solos, verùm adhibito etiam (vt decebat) semper pro mea tenuitate Scripturę judicio.

Possem

1555. Possem autem veriùs dicere, eum esse vestri erroris fontem, quòd vestros duntaxat, præter modum ullum suspicitis: ac nostros interim non modò non legitis, sed etiam despicitis & execramini: eorumque lectionem vestris severiter prohibitis: nobisque adeò omnibus, nondum tamen legitimè auditis, aqua & igne interdicitis.

PETR. An-non dicit Apostolus: Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam non adfert, nec recipiatis eum, nec Ave ei dixeritis? Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus eius malis. 2. Ioh. 1.

MICR. Sed hoc dixit Apostolus de iis tantùm, qui doctrinam Christi rejiciebant, quam Iohannes Ecclesiæ tradiderat: non autem de iis, qui Christi corpus sub pane Cœnæ infinitis propemodum locis substantialiter ac realiter delitescere negarent: cùm hoc dogma fuerit ipsi Apostolo incognitum, adeóque ab ipsomet Evangelij sui capite sexto diligenter refutatum: ubi docet, unicam tantùm esse salutarem & vivificam carnis Christi manducationem, nempe spiritualem illam, cùm per veram fidem creditur pro nostris peccatis in mortem oblata. Iniquè igitur adversum nos, qui summâ fide Christi doctrinam à Johanne & reliquis Apostolis traditam amplectimur, illud Iohannis dictum, propter negatum vestrum dogma, recens ab hominibus excogitatum, à vobis detorquetur.

PETR. Quin doctrina nostra Sacramentaria vetus est, jam inde ab Apostolorum temporibus semper in Ecclesia Dei tradita. Vestra autem nova est, per Berengarium excitata primùm, qui multis propterea conciliis damnatus est.

MICR. Imò nostra vetustissima, & vestra nuperrima doctrina est: nusquam aut Apostolis aut Patribus melioris seculi cognita, sed ab iis potiùs oppugnata. Apostoli Christum non alibi quàm in cœlis quærendum docent. Addit Petrus, quòd cœlum eum accipere oporteat, usque ad tempus visitationis omnium, &c. Acto. 3. Hanc doctrinam omnes Patres consentienter tradiderunt. Sed cùm post Ecclesiæ per Gothos & Wandalos devastationem, crassissimi quique errores irreperent, & inprimis dogma illud carnalis præsentiæ caput suum attolleret, ei se opposuit Berengarius: postea iniquis Episcoporum & Monachorum sententiis damnatus, & tandem ad Palinodiam coactus. Penès historias esto judicium. Sed miror quomodo vestram doctrinam in Ecclesia perpetuam fuisse dicatis, cùm Palinodia Berengarij (ut quidem in Decretis legitur) vestræ non consentiat doctrinæ: & Transsubstantiationis dogma annis jam plùs quàm trecentis obtinuerit: nisi fortè ipsam quoque Transsubstantiationem agnoscere pro vestra velitis.

PETR. Transsubstantiationis dogma non moramur: sed tantùm dicimus, doctrinam de carnali Christi in Cœna præsentia in Ecclesia perpetuam fuisse.

MICR. Fateor Patres, dum student spirituale Cœnæ Dominicæ mysterium crasso populo commendare, sic quandoque locutos fuisse, ac si carnale quiddam sub elementis Cœnæ realiter constituerent. Sed illi ipsi rursum aliis locis omnem carnalem imaginationem tollunt, deque veritate corporis Christi consentienter nobiscum docent, ac verba Cœnæ figuratè explicant. Quæ dum multi in Patribus non observant, turpiter in eorum lectione impingunt, & varias inde colligunt sententias. Sic ex iisdem Patrum dictis, à vobis Consubstantiatio, à Papistis autem Transsubstantiatio colligitur.

PETR. Antè testati sumus, nolle nos ullam tecum, absque venia Superintendentis disputationem suscipere: quâ etiam non admodum opus est. Certa etenim est nostra doctrina Sacramentaria, quam his tam multis annis cum pace Ecclesiæ tradidimus. Estque præterea in Comitiis Augustanis ex omnium Principum, adeoque Imperatoris ipsius consensu approbata.

MICR. Miror vos in hac de Religione controversia ad communia cum Papistis patrocinia confugere: quid obsecro hîc valebit Imperatoris autoritas, quem Evangelicæ doctrinæ persecutorem esse constat? Rectè docuit Lutherus, orthodoxæ doctrinæ regulam peti oportere non ab ullis Conciliis, Comitiis ac Principibus, sed à Scriptura: quæ sola ab omnibus humanis affectibus libera, veritatis est indubitata regula. Quare omissâ hac invidiosâ Principum & Comitiorum commemoratione, ad Scripturas veniamus, Et quo pacto ea Comitia adversum nos faciant, cùm ad ea neque acciti, neque legitimè unquam auditi simus?

PETR. Estis frequenter auditi & convicti, adeoque in Concilio Vercellensi condemnati.

MICR. Legitimum de hac re Sacramentaria colloquium, quale Lutherus in sua causa à Papistis jure postulavit, institutum unquam fuisse, nusquam legi. Nam quod de Vercellensi Concilio dicis, illud non fuit nisi improborum Monachorum & Episcoporum aliquot conciliabulum. Multi è suggesto, nemine contradicente, nostram doctrinam Sacramentariam pro falsa temerè

merè quotidie condemnant, & fuam indubitatam esse jactitant: verùm si res ad justum veniret colloquium, eventus (uti speramus) longè aliud doceret.

PETR. Nequaquam cùm pro nobis ftent verba illa Christi, *Hoc est corpus meum*: de quorum veritate nemo dubitare debet, aut potest.

MICR. Non dicimus ea esse falsa, quod invidiosè semper nobis impingitis: sed interpretationem eorum requirimus, fidei analogiæ & Scripturæ toti consentientem: unde utilitas aliqua redeat ad afflictas piorum conscientias, nec violet veritatem naturæ corporis Christi, nec dignitatem sacerdotij ipsius obscuret.

MICR. Clariora sunt ea Christi verba, quàm ut ullam iis interpretationem opus sit adhibere.

PETR. Si tam sunt clara, ut dicis, qui fit ut Papistæ inde Transsubstantiationem, vos autem Consubstantiationem eliciatis? Non possent ex tam perspicuis verbis tam pugnantia colligi dogmata.

PETR. Clara esse dico, & citra ullam omnino figuram accipienda.

MICR. Doceas (quæso) verba hæc Sacramentalia, contra omnium aliorum Sacramentorum naturam, propriè accipi oportere. Quanquam non existimem, vos ea juxta vestram sententiam propriè interpretari posse, quid enim pronomine demonstrativo (HOC) demonstrari putas?

PETR. Panem ipsum.

MICR. Ille-ne ergo est propriè corpus Christi?

PETR. Est: quia id Christus pronunciavit, quanquam id humana ratio non assequatur.

MICR. Non probatur ergo tibi ea interpretatio, Hoc, id est, in, cum, & sub hoc est corpus?

PETR. Minimè. Simpliciter in verbis Christi inhærendum esse censeo, qui disertè pronunciat, *Hoc*, *Hoc* (inquam) *est corpus meum*.

MICR. Tamen ita ecclipticè interpretantur Lutherus, D. Smedenstede & author huius scripti, quod virginibus, sororibus nostris, fuit traditum. Quomodo igitur hæc verba ampliùs dici possunt perspicua?

PETR. Credo verbis Christi, qui est veritas & omnipotens.

MICR. Iisdem argumentis suam idololatricam Transsubstantiationem Papistæ fucant. Si Papista quispiam talibus argumentis, quæ à veritate, claritate & efficacia verborum Christi omnipotentis ducuntur, Transsubstantiationem suam conetur approbare, ea quæso quomodo diluas?

PETR. Nos simplicissimis Christi verbis, citra figuram ullam intellectis, contenti sumus. Omnia enim in tota Cœnæ actione propriissimè accipienda sunt.

MICR. Quid? an-non in voce (*Frangitur*) est enalage temporis?

PETR. Nequaquam: sed frangi est hic distribui. Nam Christi corpus sub pane Cœnæ distribuitur.

MICR. Quid ergo in verbis circa poculum significat ea vox *Funditur*?

COLLEGA Petri. Sub frangendi voce passio denotatur, quæ ad totum humiliationis Christi tempus refertur.

MICR. Est igitur figura in vocibus, *Frangitur & Funditur*.

Petrus. Vos per eiusmodi figuratas vestras interpretationes nudum in Cœna Dominica panem constituitis.

MICR. Est quidem panis ille nudus à reali corporis Christi substantia: sed non eius pro peccatis nostris fracti & mactati mysterio. Verùm dic obsecro, an Baptismum propterea censes nudum esse, quòd in eo non sit realiter sanguis Christi?

Petrus. Sed in Cœna habemus clara Christi verba, *Hoc est corpus meum*.

MICR. Verum: at iis non carnalis aliqua corporis Christi præsentia traditur, sed iis verbis suos admonet Christus, quid in ipsa actione Cœnæ fide contemplari debeant; nempe ipsius corpus semel in mortem pro ipsis oblatum, & sanguinem effusum: sitque ad hunc modum spirituale epulum fidelium.

PETR. Vos in Anglia admodum contemptim Cœnam Dominicam celebrastis: quapropter jam, & propter doctrinam vestram Sacramentariam universum regnum pœnas luit: alioqui Religionis in eo status facilè salvus mansisset.

MICR. Quàm dignè, & diligenter in Cœnæ actione versati simus, multi oculati testes docere possunt: & ab hac calumnia liberat nos Liber rituum nostrorum Ecclesiasticorum. Regnum verò Angliæ suæ ingratitudinis pœnas, à veris Christi Ministris ei multò antè prædictas, jam luit. Mirum sanè est mihi, quòd ex eventu externarum rerum de doctrinæ veritate statuis. Sic Papismus & Mahometismus facilè munirentur. At doctrinæ judicium non ex incerto rerum eventu, sed unanimi Scripturæ consensu peti debet. Quem cùm nos beneficio Dei retineamus, à nullo possumus jure falsæ doctrinæ aut hæreseos insimulari.

Petrus. Sed vos verbis Christi fidem derogatis.

Micro-

1558. Micro. Nostras rationes surdâ aure præteritis, atque ad eadem semper, quasi ad ea nihil esset responsum, recurritis: nec videtis quomodo, per vestram doctrinam, corporis Christi veritatem planè subuertatis.

Petrus. Erratis, quòd Christi corpus semper ex nostro metiri vultis, cùm longè diuersum sit. Intrauit enim Christus per ianuas clausas, & mari inambulauit.

Micron. Et Petrus super mare ambulauit. Erat enim ipsum miraculum potiùs in mari, quàm in Petri corpore. Christum verò ianuam corpore suo penetrasse, nusquam in Scripturis legitur. Sed ianuis clausis ad discipulos venisse dicitur: ad denotandum tempus, vel discipulorum metum. Alioqui dixisset Euangelista, per ianuas clausas.

Petrus. Hæc tua est interpretatio. Ego Christi corpus nolo ex meo metiri. Sed cùm diuinitati sit coniunctum, non in vno tantùm esse loco, vt nostrum: id iam vbique existit, adeoque in omni gramine terræ. Quî igitur illud à Cœna Domini excludi possit?

Micronius. Agnoscimus in Christo Domino humanam pariter & diuinam naturam, ita tamen vt naturarum proprietates non sese mutuò tollant: vtque diuinam non arctat humana, sic rursum humanam non per omnia dilatat & expandit diuina. Hoc dogma vestrum de Vbiquitate Christi; Ecclesiæ Dei prorsus incognitum est. Paulus docet, Christum per omnia fratribus suis similem esse factum: Heb. 2. Angelus de Christo dicit: *Non est hic.* Et ipsemet Christus de seipso dixit discipulis: *Gaudeo propter vos quòd non eram ibi. Io.* 11. Et rursum: *Me non semper habebitis.* Quis veterum Doctorum, corpus Christi vbique existere vnquam docuit? ex qua corporis Christi Vbiquitate consequeretur, nostra olim in resurrectione corpora vbique futura, cùm Christus iuxta doctrinam Pauli nostra vilia corpora reddet conformia suo glorioso corpori. Imò consequeretur, Christi corpus etiamnum in inferno apud damnatos esse.

Petrus. Quid-ni etiam ibi sit?

Micro. Id quomodo Scripturis probas?

Petrus. Illis verbis Prophetæ Dauidis. *Si ascendero in cœlum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.*

Micronius. Ita-ne hæc Prophetæ verba ad Christi corpus detorquetis? planè obstupesco. Ah! quò vos Deus iusto suo iudicio, propter vestram pertinaciam, quâ veritati resistitis, prolabi patitur.

Hospes Domus. Quid sic exclamas Martine? Tu Christum aliquando in inferno reperies.

MICR. Christus dixit suis: *Vado vobis paraturus locum.* Rursum: *Volo, Pater, vt vbi ego sum, ibi sit minister meus.* Eum autem locum parari credo non in gehenna, sed supra nubes in cœlo. Quandoquidem verò vos Christum corporaliter in inferno constituitis, eum ibi, si placet, quærere poteritis: ego illum, vt in Scripturis iussus sum, supra nubes in cœlo quæram, vbi ego locum ab ipso mihi paratum esse credo. Eò ego aspiro, quò ipsum ascendisse, ibique ad dexteram Patris, iuxta Catholicæ nostræ fidei articulum, considere profiteor: & inde ego illum non autem ex inferno, ad iudicium rediturum expecto.

PETR. Ille fidei nostræ articulus, quo Christus ad dexteram Dei sedere dicitur, Vbiquitatem corporis eius, cùm dextera Dei vbique sit, planè confirmat.

MICR. Ad dexteram Patris Christus duplici ratione esse dicitur. Vnâ quòd ipse qui priùs in mundo contemptus erat, summam in cœlo fœlicitatem apud Patrem obtineat: ita enim dextra Dei sinistræ opposita accipitur. Alterâ, quòd sit omnium rerum cum Patre Dominus, suas vbique vires ad Ecclesiæ suæ salutem ac defensionem potenter exerens. Atque vox *Sedendi* fixam & perpetuam indicat eam Christi cùm gloriam, tum potentiam. Quid hæc obsecro faciunt pro corporis ipsius Vbiquitate? quæ legitimum Cœnæ Dominicæ vsum tollit, & Christi Domini sacerdotium obscurat. Paulus enim docet, Christum eo nomine præstantiorem Aarone sacerdotem esse factum, quòd cœlum, non manu factum tabernaculum ingressus sit: addens, Christum non fore sacerdotem, si in terris esset: Hebr. 8.

PETR. An-tu Christum existimas in cœlo, tanquam carceri inclusum, & futoris instar certo affixum loco desidere?

MICR. Absint prophanæ eiusmodi cogitationes. Certum est, Christi corpus esse vnicum, illudque in cœlis supra nubes: quemadmodum Scriptura loquitur, Marc. 16. Act. 7. Nec ego cœlũ illud vel carcerem, vel sutoriam aliquam officinam esse duco. Deum precor, nobis omnibus in tali olim cum Christo carcere esse liceat.

PETR. Sed an-non Apostolus clarè docet, Eph. 4. *Christum ascendisse ut impleret omnia*, suo scilicet corpore.

MICR. Proximis deinde verbis indicat Paulus, Christum impleuisse omnia donis suis, quæ opulentè in suâ effudit Ecclesiam, dans Apostolos, Prophetas, Pastores, &c.

PETR.

PETR. Sed nisi corpus Christi vbique existeret, eius humanitas à Diuinitate discerperetur.

MICR. Minimè: sic enim, Scripturâ teste, humana simul & diuina natura sunt in Christo vnita, vt quæque suas retineat proprietates. Sed quandoquidem vrgetis, Christi corpus vbique existere, modò ab eius incarnationis mysterio, modò autem ab eius ascensione & consessu ad dexteram Dei: dicite quæso, quandónam existimetis corpus Christi cœpisse vbique existere, in momento-ne incarnationis, an ascensionis suæ?

PET. Testatus sum antè non semel, nos disputationis causâ huc non venisse, neque velle absque Superintendentis venia illam prosequi. Surgamus.

COLLEGA PETRI. Et me iamiam aliò mea vocant negotia: abeamus.

MICR. Siccine disceditis, nullo ad postremam meam quæstionem dato responso?

PETR. Quid dicimus, mi collega? sanè cùm Christus esset in domo Annæ, non simul erat in domo Caïaphæ.

MART. Non fuit igitur ante ascensionem vbique.

COLLEGA PET. Tempus illud ante ascensionem, fuit humiliationis tempus.

MART. Quasi videlicet multùm gloriæ corpori Christi per eam vbiquitatem accessurum fuisset. Cùm igitur iuxta vestram sententiam, corpus Christi in ascensione primùm cœperit vbique existere, quid ergo vrgetis humanitatem Diuinitati coniunctam? Annon etiam ante ascensionem Deus fuit? Quomodo etiam suum corpus singulis Apostolis in prima Cœna dare potuisset, cùm nondum (vt dicitis) vbique iuxta corpus existeret?

Petr. Agemus cum Superintendente nostro, vt alius colloquio dies designetur.

Micron. Vt valtis: at precamur, ne exemplo Pastorum VVismariensium, aduersum nos interea Magistratum concitetis.

Petr. Absit hoc à nobis, qui te hac in parte iubemus cum tuis esse securum.

Cùm exules alterum cum Superintendente amicum & Christianum, quemadmodum Petrus promiserat, expectarent, postera die manè, publicus apparitor hospitem ipsorum iubet ad Senatum, vnà cum suis peregrinis hospitibus horâ secunda pomeridiana venire: tunc mandatum est ijs, vt intra quatriduum Ciuitate excederent omnes. Posteaquam verò nullis precibus, vllam propter vxores, infantes & senes suos, viribus tam exhaustos, dilationem impetrare possent, parent exules & Hamburgum petunt. Erant autem, quocunque veniebant, omnium ferè cachinnis & ludibrio expositi, omnibus grauissima quoque de illis suspicantibus.

1553.

Eos verò Hamburgenses eiues admodum benignè ab initio ferebant. Sed mox Pastores aliquot, eos pro suis concionibus in omnium inuidiam vocabant, & pro Suermeris insectabantur, nec non seditiosis Amsterdamensibus & Monasteriensibus, alijsque deploratis hominibus annumerabant. Intereo Micronius Ioachimum Vestphalum in ædibus eius accedit, quem dixisse cognouerat, cupere se ne insalutato eo discederet.

Quid exulibus Hamburgi acciderit.

Colloquium prius inter Ioachimum Westphalum & M. Micronium Hamburgi in illius ædibus habitum 1554. Mart. 3.

VVestphalus inter colloquendum inquit: In hac, de negotio Sacramentario, sententiarum varietate, vna duntaxat doctrina vera esse potest, quæ, reliquis omnibus abiectis, vnicè sit amplexanda. De veritate autem doctrinæ nostræ Sacramentariæ nihil est ambigendum, cùm ea in omnibus Saxonicis & Orientalibus Ecclesijs, vt à sanctissimis viris & præceptoribus suis eam acceperunt, vnanimi consensu tradatur. Falsa igitur & repudianda est contraria Zuinglij sententia, quæ in prædictis Ecclesijs est damnata.

Micronius. De controuersa aliqua doctrina, non ex vnanimi multarum Ecclesiarum consensu, sed tantùm ex consensu Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ statui debet, alioqui triumpharet Papa. Nec fas est doctrinam aliquam pro vnius hominis arbitratu statim hæreseos in Ecclesia damnare: aliàs etiam nullus esset vnquam hæresium modus, nec finis.

VVest. Ecclesiæ nostræ Saxonicæ sunt Ecclesiæ Dei. Sed Ecclesia Dei in doctrina aberrare non potest. Igitur in doctrina Sacramentaria illæ non errant. Proinde falso dogmate decepti sunt omnes, quorquot contrariam Zuinglij doctrinam sectantur.

Micr. Ecclesia Dei ex loco æstimari non debet. Vtque Londinum non facit Ecclesiam Dei, ita nec Hamburgum, aut Lubeca. Nulla præterea est Ecclesia præter Propheticam & Apostolicam, quæ non in quibusdam hallucinari quandoque possit, quod ipsum quoque Lutherus docuit.

VVest. Ecclesia Dei, quia in Verbo eius manet, aberrare nequit. Ecclesias autem Saxonicas, cùm tu Ecclesias esse Dei negarè

1551. non possis: consequitur, eas rectè de Cœna Dominica sentire. Nam quod Lutherus Ecclesiam scribit errare posse, de Papistica, non de Christi sensit Ecclesia.

Micr. Imò de vera Christi Ecclesia loquitur Lutherus, quæ ex humana quadam imbecillitate in quibusdam nonnunquam impingit. Ex parte enim prophetamus. Et fit quandoque vt eximius aliquis doctor alicubi turpiter hallucinetur: quem mox deinde alij præpostero quodam zelo incitati, temerè & pertinaciter imitantur. Hinc etiam sæpe errores in Ecclesia oboriuntur. Sed dum Ecclesia Verbo Dei, iuxta ipsius mentem insistit, non aberrat. Proinde approbanda venit doctrina Ecclesiæ omnis, non ex Ecclesiarum aliquot consensu, sed Verbi diuini authoritate.

VVestph. Necesse est in hac causa Sacramentaria vel Lutherum errâsse, vel ipsum Zvinglium. Dic vtrum tu errâsse, ac propterea condemnandum putes?

Micr. Ego in neutrius verba iuraui: & in Religionis causa, non ab vllius hominis, sed sacræ duntaxat Scripturæ pendeo authoritate.

VVest. Dico alterum eorum in hac causa Sacramentaria errâsse ac condemnatum esse: dic vtrum tu condemnes?

Micr. Neutrum condemnare volo.

VVest. Quid ita?

Micr. Vetuit id Christus: Ne, inquit iudicetis. Matth. 7.

VVest. Ha, ha, he: siccine Scripturam intelligis, vt putes Christi verbis iudicium de doctoribus prohiberi?

Micr. Ego eiusmodi de personis iudicium liberum nobis non esse nego. Interim sunt discernendi doctores, eorumque dogmata: sed non protinus ad gehennam condemnandi sunt omnes, quotquot alibi per ignorantiam impingunt. Annon Augustinus, vir tantus, quandoque lapsus est? Origenes quàm turpiter sæpe hallucinatur? Ad næuos in specioso corpore conniuendum est.

VVest. Augustinus, quia fundamentum salutaris doctrinæ constanter retinuit, propter suos quosdam errores condemnandus non est.

Micr. Verè retinuit vir ille doctrinæ Propheticæ & Apostolicæ de Christo fundamentum. De eo enim docuit, quòd sit in vna persona verus Deus & homo: qui iuxta diuinam suam naturam & veritatem sit vbique iuxta humanam verò duntaxat in cœlo.

VVest. Vos sinistro duntaxat oculo Augustinum legitis, quem ad vestras partes trahitis, cùm potiùs clarissimè nostram doctrinam multis approbet locis.

Micr. Quæ vos ex Augustino vestræ doctrinæ testimonia desumitis eadem Papistæ ad cõfirmandam suam Transsubstantiationem (vobis, vt quidem opinor, reiectam) producunt. Quo pacto igitur illa testimonia pro vestra Consubstantiationis doctrina sunt clara? Sed reuera neque vos, neque Papistas iuuant. Verùm his omissis, te per Christum rogo mi VVestphale, ne ita temerè nos omnes, à te in doctrina sacramentaria dissentientes, ad gehennam condemnes, cùm Apostolicæ & Propheticæ de Christo doctrinæ fundamentum retineamus. Talibus autem etiam ipse Apostolus salutem promisit, modò suas stipulas patiantur exuri, 1. Corinth. 3.

VVest. Ha ha ha, egregius sanè disputator es. Tibi-ne negotium sacramentarium est stipula? Cur igitur mouetis turbas? Ito iam disputator, ac nos etiam per te victos esse iactita, teque egregios de nobis triumphos reportasse gloriare: quemadmodum hîc passim de Lubecanis abs te victis gloriosè iactitasti.

Micr. Absint risus ac cachinni, in re tam seria: Scio stipulam non esse, si quis vniuersum negotium sacramentarium pessundet & conculcet. Ago nunc tantùm de ea doctrinæ nostræ parte, in qua à vobis dissentimus: quam negamus vllâ ratione fundamentum salutis aduersari. De Lubecanis autem à me victis, nusquam iactaui: sed rogatus, rem, vt gesta est, perpaucis exposui: qui sanè, nullam ad posttemam nostram quæstionem dato responso, discesserunt. Sed hæc finamus: ac te rursum VVestphale per Christum obtestor, ne ita nos publicè pro concionibus tuis traducas, & fœdis titulis præter meritum omne nostrum infames. Amicè potiùs nos inter nos agamus, de ijs quæ in nobis requiris.

VVest. Adulari nequeo: & in docendo cogor latronem vocare latronem, furem furem, & lupum lupum: idque non est traducere.

Micr. Sed negamus nos esse latrones, lupos aut falsos doctores: audiamur à te priùs, ac verbi diuini authoritate erroris cõuincamur, quàm sic publicè condemnemur.

VVest. Estis in Marpurgico colloquio auditi ac victi.

Micr. Hoc negant Tigurini, qui illud colloquium pro se facere existimant. Vtinam iustum aliquando ea de re habeatur colloquium.

VVest. Certior est nostra doctrina sacramentaria, quàm vt multis ad eius appro-

pro-

probationem Concilijs, disputationibus aut Colloquijs opus sit amplius.

MICR. Quo pacto igitur in libello tuo cui titulum facis, DE RECTA FIDE, doctrinam tuam sacramentariam Ecclesiæ subjicis iudicio, si in eam nullo modo inquirere licet: & omnes à te hac in parte dissentientes, protinus pro hæreticis condemnas? Consilium hic tuum intelligere nequeo.

VVES. Ego doctrinam meam sacramentariam non Londinensi, sed Ecclesiæ Dei Hamburgensi iudicandam proposui.

MICR. Licet-ne ergo omnibus Hamburgi habitantibus, tutò in tuam istam doctrinam inquirere?

VVEST. Licet omnibus fidelibus.

MICR. Hoc est scilicet, tecum in re sacramentaria sentientibus: nam reliquos ducis pro hæreticis. At qui vnius tecum sunt sententiæ, non inquirent in tuam doctrinam, de qua nihil dubitant. Cæteris non licebit tutò id facere. Frustra igitur doctrinam tuam Ecclesiæ iudicio subjicis.

VVEST. Quid in re tam certa, tam multis opus est disputationibus? Non dubium etiam est, quin vos in vestra conscientia de falsitate doctrinæ vestræ, cùm nos contrà, in nostra conscientia de veritate doctrinæ nostræ simus persuasissimi. Atque fiducia huius nostræ bonæ conscientiæ, ausus fui me Caluino similibusque gigantibus opponere, eosque in me prouocare.

MICR. Nos, gratia sit Deo, de veritate doctrinæ nostræ non dubitamus: alioquin tam graues nolimus eius nomine sustinere molestias. Sed vbi ad Colloquium ventum erit dispiciemus vtra doctrina verior sit. Dico vos de falsitate vestræ doctrinæ in conscientia conuictos esse.

VVEST. Atque esto illa prima futuri Colloquij nostri quæstio: Num vos in vestra conscientia, de doctrina vestra sacramentaria persuasi sitis. Sed tempus labitur: efficiam, vt primo quoque die (vti postulas) colloquium inter nos, certis tamen conditionibus, instituatur.

MICR. Ego nullas vestras conditiones, modò iustæ sint & æquæ, rejiciam: tantùm peto, vt Pastores omnes & ciues aliquot Colloquij testes adhibeantur.

VVES. Ne quid de nobis queraris, liberum tibi absque vllis conditionibus colloquium permittemus. Sed vide, ne eruditioni tuæ plus æquo fidas.

MICR. Nihil mihi tribuo, & paratus sum semper melioribus è Verbo Dei productis cedere. *Ita datis vtrinque dextris disceditur.*

Postera die ad VVestphalum horâ post meridiem primâ venire iussus Micronius, illuc vadit, adiunctis sibi Daui de Simpsone, Iacobo Michaelis, & Ioanne à Furno. VVestphalo autem aderant Concionatores quinque, & Scholæ Hamburgensis Rector. Vbi consedissent omnes, VVestphalus causam conuentus exponit eam esse, vt cum illis de controuersis quibusdam Religionis capitibus agatur: non quòd ipsi de sua doctrina quicquam dubitarent, vt quæ in omnibus Ecclesijs & Academijs Saxonicis summo consensu traderetur, adeoque etiam decretis Senatus Hamburgensis & serenissimi Daniæ Regis aduersus Sacramentarios latis sancita esset: sed vt ipsos in eandem secum sententiam adducerent. Deinde colloquij initium ab illis Christi verbis Caro non prodest quicquam, *facere voluit: Caterùm quando contra quàm VVestphalus promiserat, nullos adesse cives & pastores aliquot desiderari videret Micronius, de scripto quodam, quod in hunc euentum parauerat præfari voluit: vnde colloquij factum est initium. Scriptum autem ita habet.*

1553.

Colloquium alterum inter M. Micronium & Ioachimum Westphalum Hamburgæ habitum, Anno 1554. Mart. 4.

MICR. Priùs quàm aliquid loqui aut dicere incipiam, fratres & Domini mei obseruandissimi, Ecclesiæ huius inclitæ Ciuitatis Hamburgensis Ministri, pauca præfari cogor, ne quis hanc meam hominis peregrini libertatem & parresiam aliter quàm oporter accipiat & interpretetur.

Micronius cur publicum colloquium petierit.

Ante omnia itaque Deum testor, me in vniuerso hoc negotio aliud non quærere, quàm ipsius gloriam, Ecclesiæ Christi ædificationem, ac meam proximorumque salutem. Ad vos præterea non mea sponte ac temerè, sed vocatus veni & facultate priùs à judice Ciuitatis huius ordinario obtentâ, à cuius famulo ad Ioachimum VVestphalum deductus sum: quanquam non deerant aliæ iustæ rationes, vt mea sponte colloquium cum vestris humanitatibus postularem. Si quidem nos, qui ex Anglia ob puritatem Euangelij profecti sumus, in vestris Ecclesijs quotidie grauiter accusamur, deploratis hæreticis & seditiosis viris annumeramur, ac commiscemur. Cumq; me Deus pro sua bonitate Ecclesiæ Belgicæ quæ Londini fuit, ministrum esse voluerit, officij mei ratio postulat, vt apud vos, aut nostram innocentiam authoritate Verbi diuini approbem, aut saltem meliora à vobis discam. Non enim huc veni, vt vestram Ecclesiam

1553. aut turbem, aut damnem, sed vt meam pro meo officio defendam: non fiduciâ vllius eruditionis aut eloquentiæ, sed nostræ (vt in Domino spero) innocentiæ. Sum itaq; paratus audire, in quo Ecclesiæ nostræ Londinensis doctrinam aut ritus Ecclesiasticos, autoritate Scripturæ, damnare possitis, quo nomine digni simus tam prophanis hominibus annumerari. Postremò nonnullæ sunt rationes iustæ, quæ me cogunt, vt à vobis non priuatum, sed publicum colloquium, in præsentia omnium Pastorum, Magistratus & aliquot ciuium, habere postulem. Siquidem in omnibus vestris Ecclesijs damnamur. Et si quis omnino ministrorum Verbi omitteretur, ille forsan postea dicat se aliquid aduersum nos proferre potuisse: quemadmodum mihi VVismariæ accidit. Neq; iniqua mihi videtur postulatio, vt Magistratus, aut aliquot ipsius nomine deputati, nostro intersint colloquio, cùm apud Magistratum accusemur: cuius officium est, iuxta ius gentium & diuinum, accusatos in accusatorum præsentia audire: quemadmodum acta Apostolica abundè testantur, gentilem Magistratum noluisse Paulum Apostolum, nisi in præsentia suorum accusatorum damnare, aut vllam omnino sententiam contra illum ferre. Ciuium autem præsentiam, præsertim eorum qui veritatis studio tenentur, non refugimus: imò si fieri potest, omnino expetimus, vtpote cùm apud eos quotidie accusemur. Nos lucem non refugimus: clancularius enim non sum prædicator, sed in apertum venio: vel vt nostram Ecclesiæque nostræ innocentiam pro mea facultate tuear: aut si tueri non possim, authoritate Verbi diuini meliora à vobis discam. Huius præfationis meæ iudicium V. omnium pietati lubens subjicio, & clemens responsum postulo.

Act. 25. 26.

VVestp. Hoc tuum scriptum & conditiones istas tuas non moramur, nec præstare volumus. Nulla etiam earum conditionum heri facta fuit mentio. Pastorum, quorum postulasti præsentiam, iam bonam partem adesse vides. De ciuibus verbum erat nullum. Proinde istis omissis, ad propositam veniamus quæstionem.

Micr. Nihil mihi esset gratius, quàm rem ipsam aggredi: sed videor mihi graues habere causas, conditiones eiusmodi mihi à Westphalo heri promissas, rursus exigendi: quas si docere potestis iniquas esse, ijs lubens cedam: quandoquidem eas vestro iudicio subieci.

VVest. Si has tibi conditiones permittamus, videbimur de nostra doctrina dubitare: quam tamen verissimam esse credimus. Ea est multis iam annis magna cum pace Ecclesijs nostris tradita, & in Academijs excusa & approbata: ac nemo VVitebergæ ad gradus vllos promouetur, qui non priùs iuramento hanc nostram doctrinam approbet. Et si quidem dubia adhuc esset nostra doctrina, grauiter peccasset Senatus noster, & Serenissimus Rex Daniæ, qui aduersum vos decreta tulerunt.

Micr. Similibus argumentis facilè vos omnes vicerit Papa. Et si quidem ita in Religionis causa ratiocinari licet, nulla vnquam doctrina certa erit: siquidem quam Schola vna recipit, & Magistratus tuetur, eandem aliæ rursum Scholæ condemnant, & alius Magistratus persequitur. Verùm in Ecclesia Dei probatio doctrinæ, iuxta Verbum Dei debet perpetuò manere libera, iuxta illud Apostoli: *Cæteri dijudicent*. Et rursum: *Spiritus nolite extinguere, Prophetias nolite aspernari*. Postremò: *Spiritus Prophetarum* (inquit) *Prophetis subiecti sint*.

VVest. Ha ha ha, Propheta. Tu-ne Propheta es? ô salue Propheta [*hac dicens, simul caput cachinnans vtraque manu aperiebat.*]

Micr. Quid me præter omne æquum tuis sarcasmis lacessis VVestphale? Propheta sum eo significatu, quo ibi apud Apostolum Prophetæ nomen accipitur: ad quem modum ego etiam vos adeoque omnes Verbi diuini interpretes pro Prophetis habeo.

VVest. Sub huius prophetiæ prætextu vis perpetuas ali in Ecclesia de doctrina dubitationes?

Micr. Imò volumus potiùs, per legitimum eius vsum, omnes dubitationes tollere, & omnem tyrannidem ab Ecclesia pellere. Veritas enim per Prophetiæ vsum legitimum magis illustratur, confirmaturque, mendacium autem proditur. Nam vt aurum igne expurgatur, non perditur: sic doctrinæ veritas non dubia, sed certa magis ac perspicua, vsu prophetiæ, redditur.

Collega VVest. Nobis nostrarum Ecclesiarum habenda est ratio, ne earum pax & tranquillitas istiusmodi colloquijs perturbetur.

Micr. Et nobis salus Ecclesiarum nostrarum, quas quotidie condemnatis, curæ esse debet: ne nostro silentio culpam hæreseos ac seditionis, quam impingitis, videamur agnoscere. Postquam verò nulla adhuc à vobis iusta allata est causa, cur meas, quas postulo, colloquij conditiones damnare possitis, precor præstare eas non grauemini.

VVest.

De libris edendis.

VVEST. Si ad hunc modum vis in publicum prodire, tuamque doctrinam ad Ecclesiæ tuæ purgationem palàm approbare, libros conscribe, qui in multorum manus venire possunt.

MICR. Hîc, vbi per vos publicè accusamur, nos sub proborum hominum testimonio audiri æquum est. Et libri non semper ad eorum perueniunt manus, à quibus eos legi maximè oportebat, fierique potest, vt Magistratus, qui nos profligat nostros libros nunquam legerit: sed vestris contentus præiudicijs & sententijs, in nos sæuiat. Imò vos vestris hominibus lectione nostrorum librorum interdicitis. Quid igitur libris apud vos proficitur?

VVEST. Ita-ne tyrannidis accusas Magistratum? quasi is incognita damnet & persequatur? vide quid dicas.

MICR. Id ita fieri posse dixi, atque vtinam non fieret.

VVEST. Si vis tuam doctrinam, vbi publicè damnatur, etiam publicè tueri, redito in Angliam, aut alia Papismi loca, vbi etiam publicè hæreseos condemnatur.

MICR. Papistici doctores sunt lupi facti, qui sua dogmata non stylo Scripturæ, vt par erat, sed sceptro duntaxat Magistratus, tyrannicè tuentur: à talibus tyrannis cauendum esse, nos monuit Christus. At de vobis Euangelicis Concionatoribus aliud mihi hactenus persuasi, quod videlicet in controuersia Religionis non tyrannicè solo sceptro Magistratus, sed Christianè stylo Scripturæ agere velletis.

VVEST. Omissis illis tuis, quas vrges, conditionibus, Martine, rem ipsam priusquam tempus elabatur, aggrediamur. Adsunt enim Concionatores multi, qui istius nostri colloquij fidi testes mecum esse poterunt. Id si facere tergiuersaris, indicio est, te tibi malè conscium, lucem refugere.

MIC. Si tenebras amarem, nollem tam publicè causam nostram agere. Imò si vobis de vestra doctrina bene esseris conscij, ipsi ad maiorem causæ vestræ apud omnes commendationem, vestrâ sponte aliquot extra Ecclesiasticum Ministerium constitutos homines aduocaretis, colloquij testes. Ita etiam liceret vobis de me esse securi, quòd de colloquio non aliud quàm accidisset, spargere ausurus essem.

VVEST. De nostra fide non est quòd dubites. Quid verò tu de actis colloquij facturus aut dicturus sis, non moramur.

MICR. Scitis acta colloquiorum facilè perverti: nec ignoro, quàm apud omnes leue ac suspectum habeatur vnius hominis, aut paucorum aduersum vos omnes testimonium. Vellem propterea mihi meas conditiones permitteretis, ad maiorem vtriusque partis securitatem: præsertim cùm nos quotidie per vos grauiter apud omnes accusemur.

1553.

VVEST. Quid nebulo iste cogitat? & frustra cum ipso tempus terimus? Indignus est, qui cum agatur. Hæc si præscissem, non conuenissemus: abeat hinc nebulo.

MICR. Si promissis stetisses, VVestphale, hæc non mouerem. Et tua hæc conuitia lubens propter Christum fero. Sed me tui pœniret, quòd in hac causa adeò seria, tam impotenter agis.

VVEST. Sum naturâ paululum feruentior: attamen cùm volo, tam modestè agere possum, & submissè, atque tu.

MICR. Agamus igitur placidè, absque clamoribus. Expendite obsecro, Domini mei, quàm dura sit nostra conditio. Nos à vobis quotidie condemnamur publicè, nec tamen ad nos expurgandos sub testimonio proborum aliquot hominum admitti possumus.

VVES. In tui-ne gratiam istiusmodi colloquium institueremus? Minor es & ætate & eruditione, quàm vt hoc in tui gratiam fiat: abito potiùs in Scholas, vt adhuc annum vnum atque alterum studeas; ac tum ad nos disputaturus reuertere.

MICR. Non hic de ætate est controuersia. Tenuitatem meam lubens agnosco: nec eruditionis vllius, sed bonæ duntaxat causæ nostræ fiduciâ eiusmodi postulo colloquia. Placet etiam, vt post studium biennale reuertar: siquidem fidem mihi iam detis, vos tum meas, quas ex scripto proposui conditiones, sine fraude vlla præstituros esse.

VVES. Non est hoc in nobis, sed duntaxat in Magistratu situm. Verùm quid tu Dauid Simpson de re sacramentaria sentis?

DAVID SIMP. Idipsum quod in Anglia sub Eduardo Rege est traditum & Martinus iam hic profitetur.

VVES. Quid tu sartor de dogmatis vis iudicare? præstitisset te in peltaria tua officina mansisse, quàm Ecclesiæ Ministerium in Anglia suscepisse. Cur tu pelrarius cùm esses, vocationem mutasti, cùm in sua quisque vocatione manere debeat?

MICR. Ne tuis scommatis homini molestus sis, VVestphale. Quòd enim relicto Papistico sacerdotio artem manuariam didicit, non est ei probro, sed laudi potiùs vertendum. Ego in manuario opere nihil

1553. video probri. An-non etiam Paulus id quandoque exercuit? Me sanè, si eò per tyrannidem adigerer, non puderet pro meis viribus manuariam aliquam artem addiscere.

Wes. Siccine tyrannidis nos accusas? Suboleo quò spectes, nec me fugit, quòd non ita nuper tyrannidis me accusâris. Non ego, sed tu potiùs tyrannus ac satan quispiam es, dum pacatas nostras Ecclesias sic perturbas. Gladius in istos nebulones stringendus esset.

Micr. Agnosco me non ita nuper dixisse, tyrannidis esse, obiectiones è Scripturis petitas, non stylo Scripturæ, sed sceptro Magistratus refutare velle.

Wes. Doctrinam nostram sacramentariam, quam Magistratus pro muneris sui debito, sceptro suo tuetur: eam nos Scripturæ testimonijs approbamus. Habemus enim clarum illud Christi verbum: *Hoc est corpus meum*. Quæ verba, quia vos totos prosternunt, ita oditis, vt vestrûm nonnulli ea è Scripturis expuncta vellent: nec desunt, qui in actione Cœnæ ea detruncant.

De varijs interpretationibus verborum Cœnæ.

Micr. Non odimus ea verba, per quæ primarium Cœnæ Dominicæ mysterium in illius vsu fide contemplandum viuidissimè proponitur. Nec existimo quenquam tam esse impudentem, qui verba illa erasa cupiat, aut in vsu Cœnæ callidè truncet: nisi mihi illius authoris nomen ac librum indicetis.

Westph. Quàm varias vestri super illis Cœnæ verbis interpretationes fingunt?

Micr. Non nescis Westphale, vnum aliquem Scripturæ locum, varijs verbis, sententiâ tamen consentientes interpretationes admittere posse: nec protinus diuersæ vnius loci interpretationes pugnantem sensum reddunt.

West. Sed vestri falsas adferunt interpretationes.

Micr. Ego nullas hactenus apud nostros reperire potui, quæ analogiæ fidei repugnent: quemadmodum vestra illorum verborum interpretatio ex diametro repugnat. Tollit enim corporis Christi veritatem.

VVes. Non licet de corpore Christi physicè disputare.

Micr. Scriptura non nisi vnicum Christi corpus, illudque physicum & organicum, suis videlicet membris etiam post resurrectionem distinctum, agnoscit.

VVes. Catholica Christi Ecclesia nostram doctrinam ab Apostolorum vsque temporibus semper agnouit, quam Patres omnes confirmarunt. Vestra autem doctrina nupera est, per Berengarium primùm excitata, deinde per Zuinglium nostro seculo renouata, contra quam in Comitijs Augustanis pronuntiatum est.

De antiquitate nostræ doctrinæ & vestræ de Cœna.

Micr. Nostram doctrinam contrà dicimus esse veterem, Apostolicis scriptis per omnia consentientem, atque à Patribus omnibus, clarissimè autem ab Augustino traditam. Ea primùm circa Caroli M. tempora, per doctrinam carnalis cuiusdam præsentiæ corporis Christi in pane obscurari cœpit. Cui imaginationi se postea opposuerunt Bertramus ac Berengarius. Deinde posterioribus seculis vera doctrina de Cœna Domini planè defœdata est per Idololatricam Transsubstantiationem. Nec consequitur, nostram doctrinam Ecclesiæ Dei propterea fuisse incognitam, quòd à Papistis fuerit ignorata. Alioqui & ipse articulus iustificationis fidei hactenus Ecclesiæ incognitus fuisse dicetur, qui etiamnum in Papistica Ecclesia ignoratur. Nec video vos iustam habere causam tantopere gloriandi de Augustanis Comitijs, cùm ea in eum finem instituta non sint, vt ibi audita priùs vtraque parte certi aliquid de re sacramentaria statueretur: sed fuit tantùm nuda fidei confessio, quæ nullo modo Concilij legitimè congregati autoritatem obtinere potest. Et si quidem Concilia omnia iure adhuc subiacent Scripturarum authoritati, quantò magis confessio Augustana? quanquam adhuc nesciam, quatenus ea doctrinæ nostræ aduersetur, & vestram iuuet. Certissima tamen veræ doctrinæ regula est, Scriptura sacra: cui nostram doctrinam, diuino beneficio pulchrè consentientem esse docebimus, si colloquium iuxta propositas conditiones impetremus.

VVestph. Eiusmodi Colloquium non potest nisi per Senatus authoritatem institui.

Micr. Efficite apud eum, vt velit.

Collega VVes. Permittant id vobis priùs Lubecani & VVismarienses: tum quid facto opus fiet, dispiciemus.

Micr. Video nullam mihi omnino spem esse Colloquij à vobis impetrandi: Hamburgenses expectant Lubecanos, hi verò vos. VVismarienses autem expectant Lubecanos, ac Hamburgenses. Nec vlla ciuitas hic aliam præire audebit, eò quòd vos Senatum ad id pro vestro officio non extimuletis: quin potiùs tale aliquid molientem impediatis. Interim patitur iustus. At si vobis

vobis de vestra doctrina bene effetis confessi, ipsi vestra sponte apud Senatum pro tali impetrando nobiscum colloquio laboraretis, ad approbandam vestram innocentiam, & in doctrina fidem.

VVES. Quid cum hoc homine pluribus agimus? Valeat nebulo. Alind deinceps aduersus istos Ecclesiæ perturbatores quærendum est consilium.

MICR. Non vestram Ecclesiam turbare, sed meam, quam quotidie accusatis, legitimè pro debito officii mei expurgare studeo: aut si id nequeam, culpam agnoscere & deprecari paratus sum, ac corrigere. Quoniam verò omnem instituendi colloquii potestatem in Senatum rejicitis, nec vestram mibi operam in hac re præstare vultis, unum mihi saltem detis diem, quo ipse apud Senatum pro istiusmodi Colloquii conditionibus impetrandis laborem. Quas si negabit, paratus tum ero, iuxta quascunque vultis conditiones vobiscum colloqui.

VVES. Senatus publico suo decreto Sacramentariis omnibus Civitate suâ interdixit, aduersus cujus decretum nos nullam vobis hîc manendi libertatem facere possumus: imò nullum deinceps colloquium tecum habere volumus. Apage hinc cum tuis foràs.

MICR. Quandoquidem nihil eorum quæ proposui impetrare possum, sed contemptim reiicior: volo causam nostram commendare Deo. Interim priusquam discedo, te mi Westphale monitum, ac per Christum rogatum velim, ut quæ deinceps vel scripto vel sermone docturus es, ea omnia Christianè stylo Scripturæ, & Verbi Divini authoritate, non tyrannicè sceptro Magistratus approbare studeas.

VVES. Quid tu ais? siccine me tyrannidis insimulare audes? Annon mea omnia Scripturis approbo? Non sum ego tyrannus, sed tu potiùs, qui nostram conturbas Ecclesiam.

MICR. Quid ita simul omnes aduersùm me tumultuamini? Non sum Ecclesiæ vestræ perturbator, qui Ecclesiam fidei nostræ concreditam, à calumniis iusto ordine expurgare quæro: paratus interim, si erroris convincar, meliora discere. Mihi mea Ecclesia non minùs chara est, quàm vobis vestra. Neque temerè Westphalum sic admoneo. Ipse enim paulò antè de gladio in nos stringendo locutus est.

VVES. Id de spirituali intellexi gladio.

MICR. Sed tu in libello tuo de re Sacramentaria, objectionibus nostrorum non Scripturas, sed Magistratus sceptrum opponis. 1553.

VVES. Vbi hoc à me factum est? Quid hic aduersùm me comminiscitur nebulo?

MICR. Ne quis vestrûm me Westphalo mendacium impingere cogitet: en eius libellum, ad cujus calcem ad hunc modum scribit: *Ex eodem promptuario malicordis erumpunt ista: Corpus Christi haret, aut non haret. Si haret, quorsum attinet sæpe repetere Cœnam? Si non, quorsum evanescit? Tam execrandæ blasphemiæ & similes, merentur potiùs sceptro Magistratus quàm stylo refutari.* Annon manifesta hæc sunt Westphali verba?

VVES. Multas blasphemias libello suo immiscuit Ioannes à Lasco, quas semel omnes gladio Dei conficiam.

MICR. Doce, ea quæ scribit Lascus esse blasphemias, & ad singula eius argumenta ordine, si potes, è Scripturis responde: priusquam ad Magistratus sceptrum confugias.

MATTHÆVS *Rector Scholæ Hamburgensis.* Cur te Martine tam præbes difficilem in amplexanda Ecclesiæ nostræ doctrina: quam tamen vetustissimi quique Patres agnoverunt? Eo hic est vetustissimus scriptor, qui docet, Christum corporaliter in nobis habitare: quod non nisi per corporis ipsius in Cœna manducationem fieri potest.

MICR. Christus juxta doctrinam Pauli, fide in nobis habitat, non igitur corporaliter, quia Paulus aliàs ipsam speciem seu rem fidei opponit. Dici tamen potest, Christum corporaliter in nobis habitare ratione suæ incarnationis, quando ipsi per communionem Spiritus sui iungimur. Verùm si existimas, Christum ideo corporaliter in nobis habitare, quòd in Cœna Dominica eius corpus realiter sub pane edatur: iam tibi cum ipso Westphalo, qui id negat, disputandum erit.

Quomodo Christus corporaliter in nobis habitet. 2 Cor. 5.

MATTH. Cum Westphalo ais? quid ita?

VVES. Quid hic rursum aduersùm me comminisceris?

MICR. Nihil fingo. Doces enim in prædicto tuo libro, Corpus Christi tantisper esse in pane Cœnæ; dum sensus afficitur. Sed sensus non afficitur nisi in ore, vel ad summum in gutture: quomodo igitur per usum Cœnæ Christus corporaliter esse in nobis, vel habitare potest?

VVES. Detorques mea verba in alium sensum.

MICRON. Audiant igitur omnes verba

1553. tua ac iudicent. Ea verò sic habent: *Quamdiu sensus corporaliter afficitur, præsentia ejus corporalis non aufertur. Postquam autem sensus corporaliter in perficiendo deficit, deinceps corporalis præsentia quærenda non est.* Hæc est Vestphali doctrina, quam etiam non è Scripturis, sed Papistarum libris emendicavit: hoc ipso satis indicans, se in sua causa sacramentaria Scripturis destitutum, ad Papistarum confugere patrocinium.

COLLEGA VVES. Vos nunquam in Anglia Catechismum docuistis, sed toti in hoc uno fuistis, ut vestram doctrinam sacramentariam plebi inculcaretis.

MICR. Catechismum diligentissimè tradidimus, & de re sacramentaria non nisi cùm res ipsa postularet tractavimus.

VVES. Vos præterea negatis Baptismo peccata remitti, & Christianorum infantes ante Baptismum saluos esse pronunciatis.

MICR. Est Pauli Apostoli doctrina, Abrahamum ante circumcisionem in præputio iustificatum fuisse: ex qua temporis circumstantia colligit Apostolus, iustitiam imputari nobis ex gratuito beneficio, non virtute Sacramentorum, quæ vocat iustitiæ illius fidei signacula.

VVES. Quid frustra cum hoc homine tempus terimus? Abeat.

MICR. Vos quotidie gravissimis hæreseon, seditionum & aliorum criminum suspicionibus nos apud cives gravare non cessatis: nec vultis tamen ullam nostri legitimam purgationem admittere: quin nos id amicè postulantes, cum multis scommatis & convitiis reiicitis. Non sic vobiscum in Anglia egissemus. Deumque precamur, ut si olim vos exulare quandoque contingat, alios clementiores vobis, quàm nobis estis, invenire possitis. Speramus interim, quòd Deus causæ nostræ iustissimæ suscepturus sit patrocinium.

VVES. Abi tu Mattleiken.

Exules colloquium expetunt cum Hamburgensium ministris.

Posterâ die Micronius communicato cum fratribus consilio, Proconsulem urbis accedit, cui paucis exponit, quis sit & quid cum Pastoribus eorum egerit: per Christum obtestans illum, ut ad impetrandum colloquium suo ipsum consilio iuvare dignetur. Ille autem respondet, decretum fuisse, ut summo mane Civitate exirent omnes: se proinde mirari, ipsos adhuc in Civitate hærere. Se etiam audire, multa inter illos falsa foveri dogmata: doctrinam Catholicæ Ecclesiæ ab ipsis reiici: sacramenta Baptismi & Cœnæ Dominicæ pro nihilo ab ipsis duci: & ex secta eos esse Monasteriensium, qui seditiones adversus Magistratum molirentur: cui malo Senatum in tempore occurrere vellet. Micronius verò respondet, nihil ipsi de relinquenda civitate mandatum esse, eosque ab omnibus illis falsæ doctrinæ ac seditionum criminibus esse liberrimos: per Christum rogans, ut cùm tam varia ibi hominum de ipsis esset sententia, liceat fidei suæ confessionem in scriptum redactam Senatui offerre, ut is semel, quales tam sint, certò cognoscat. Assensus est Proconsul, iubetque supplicationem in proximum diem parari, eamque ad se referri, quam ipse Senatui, eorum nomine, tradere vellet. Actis itaque ei pro hac humanitate & æquitate gratiis, in diversorium reversus Micronius, supplicationem conscribit, eamque Senatui proximo die offert. In illa de Cœna Domini quid sentiant exules his verbis declarant: Sacram Domini Cœnam non nudum ac vulgare signum esse dicimus, sed Novum Testamentum in corpore Christi pro nobis tradito, & sanguine eius pro peccatis nostris effuso: seu communionem corporis & sanguinis Christi, ut Apostolus Paulus interpretatur. Non enim ventris cibus in Ecclesia nobis proponitur, sed animæ, qui est CHRISTVS JESVS, unicus animarum nostrarum ad æternam salutem, per salutarem corporis oblationem factus cibus: quo tam certò ad salutem æternam per fidem pascimur, quàm in Cœna Dominica in memoriam mortis ipsius panem fractum edimus, & poculum Dominicum bibimus. Hoc tam eximium, omnemque humani ingenii captum excedens, & solâ fide comprehensibile sacræ Cœnæ mysterium, quo nobis contra omnes Satanæ artes commendaretur, Christus panem fractum distribuens, dixit: *Accipite, edite, hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, frangitur.* Et de poculo item: *Hoc Novum Testamentum est in meo sanguine.* Ad quorum verborum explicationem pertinent illa verba Pauli: *Quotiescunque comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortem Domini annunciatis, donec venerit.* Item illa: *Panis quem frangimus, annon communio corporis Christi est?* Quibus omnibus verbis si destitueremur, hoc tantum Cœnæ Dominicæ mysterium ignoraretur: in quo tamen summa afflictarum conscientiarum recreatio & consolatio est posita. Atque inde variæ ad vitæ pietatem pertinentes deduci possunt exhortationes. Porrò modum ac ritum administrandæ Cœnæ illum maximè approbamus, qui hoc mysterium reddit illustrius, & propiùs ad mandatum Christi & Apostolorum exemplum accedit. *His addunt quid sentiant de Scriptura S. de Iesu Christo, de*

Exulum doctrina de Cœna Domini

sto, de Sacramentis in genere, de Baptismo & Magistratu.

Magistratus Hamburgensis negat exulibus Colloquium, eosq; civitate exire iubet.

Ad hanc verò supplicationem à duobus Senatoribus totius Senatus nomine eo ipso die exulibus respondetur: Magistratum de sua doctrina alioqui certum, de ea nullum cum pastoribus colloquium permittere velle: Sed Academias & Scholas publicas, ubi de controversis Religionis capitibus disputari est consuetum, ipsas adeundas esse, siquidem omnino disputare liberet. Cumque Senatus non ita nuper publico quodam decreto, omnibus Sacramentariis suâ civitate interdixisset, velle etiam nunc mandare, ut juxta illud decretum civitatem desererent: nisi id expectare vellent, quod in honestis viris indecorum foret. Ad quæ dicunt exules: Durum hoc quidem esse, quòd cùm gravia falsorum dogmatum & seditionum crimina publicè sibi quotidie impingantur, ad ipsorum tamen legitimam purgationem non admitterentur, sed etiam civitate inauditi pellerentur. Verùm id se totum grato animo è manu Domini accipere: quem etiam orarent, ut bonam ac iustam ipsorum causam, sic ubique ab hominibus neglectam & exosam, tandem vellet pro sua bonitate tuendam suscipere. *Cùm in eam sententiam quædam alia dicerent, Senatorum alter, qui ætate erat minor, vix dum lachrymas continet. Et posterâ die, priusquam Hamburgâ solverent, intelligunt ex fide dignis hominibus, Senatorum unum, propter ipsorum profligationem & negatum cum Pastoribus colloquium, sic contristatum fuisse, ut ex æde senatoria domum reversus, mox æger magno cum vitæ periculo decubuerit, quem virum paulò pòst ex ea ægritudine obiisse, relatum est.*

Cæterùm paucis pòst diebus decretum illud Senatus adversus Sacramentarios (ut illi loquuntur) semel latum, publicè in omnibus Templis renovatur, valuisque Templorum affigitur. Cumq; exules omnes, quotquot ex Anglia venerant, pro talibus haberentur, civitatem citra morã ullam extemplò relinquere coguntur: præsertim cùm adversum eos quotidie magis ex suggesto vociferarentur concionatores, quorum antesignanus facilè fuit Vestphalus.

Non multò pòst circiter Paschales ferias accidit, ut ex Evangelicis alii duo & triginta numero Hamburgum ex Anglia appellerent, qui tamen omnes in civitatem non sunt intromissi, sed foris sibi quisque & uxoribus atque infantibus procul è civitate diversorium quærere cogebantur. Verùm etiam inde postridie, nempe Martii 24. die, per ejus loci præfectum (qui multis comitatus satellitibus advenerat) sub vesperum ex inopinato pelluntur: fuissetque eis omnibus tum sub dio pernoctandum, nisi vidua quadam, eorum vices miserata, eos suo excepisset tuguriolo. Verùm nec apud illam tuta eis fuit mansio. Omnibus enim qui ipsos exciperent hospitio, mulcta pecuniaria denunciatur: Magnis tamen multisque precibus tandem à Magistratu illo impetrant licentiam in publico manendi diversorio, dum inveniant navem, quæ eos aliò veheret: quam nacti 26. Martii die, tandem Frisica attingunt littora, ubi post longos errores, varios casus & multa pericula apud illustrem Principem ac heroinam, Annam ab Oldenburg, *Frisiæ Orientalis Comitissam, dissipata & afflictissima suæ Ecclesiæ sedem invenerunt, & Embdæ à Pastoribus Ecclesiæ ac civibus omnibus humanitatis officiis excepti sunt. Cumque Micronius semel atque iterum ibi publicè docuisset, Nordam à Principe mittitur, ad subeundum illius Ecclesiæ ministerium multò difficillimum, cui 20. mensis Maij die publicè, anno 1554. juxta Dei verbum inauguratur.*

1553. Exules Embdæ humaniter excipiuntur.

Ioannes à Lasco Francofurti humaniter excipitur.

Ioannes à Lasco autem proximo deinde anno, circiter finem mensis Aprilis, Embdâ Francofurtum migravit: ubi à pientissimo Senatu humanissimè excipitur: à quo etiam non multò pòst impetrat potestatem Belgicæ Ecclesiæ in usum piorum peregrinorum erigendæ, ac juxta Divini Verbi regulam constituendæ. Ad cuius faciendæ initium Micronius per Ioannem à Lasco, & fratres ibi collectos vocatus, Francofurtum profectus ad decimumquintum Septemb. diem, anno 1555. primam ei colligendæ Ecclesiæ concionem habuit: Rebusque illius Ecclesiæ mediocriter pro initiis constitutis, ac Petro Dutheno in ministerio illius Ecclesiæ relicto, Nordam ad suos revertitur.

Exulibus Francofurti interdicitur conciones lingua Belgica audire.

Anno verò 61. Aprilis vicesima tertia die interdictum est illis rursus à Senatu Francofurtensi, conciones veteri more in lingua Belgica audire: ob eam etiam causam iussu Senatus, Templum: in quo hactenus Verbum Dei audierant publicè, & Sacramenta administrata erant, clausum eis fuit. Intercesserunt quidem pro eis Illustrissimi Principes Fridericus Palatinus Elector & Philippus Hassiæ Landgravius, Academiæ item Heydelbergensis & Marpurgensis: nihil autem apud Senatum obtinere, ac impetrare potuerunt. Sed hoc non tam Senatui, quàm Ministris Ecclesiæ ejus urbis tribuendum est, qui suis calumniis, pium alioquin & prudentem Senatum ad hanc inhumanitatem impulerunt. Supplici etiam libello Belgicæ illius ac peregrinæ Ecclesiæ Ministri, à Senatu eius loci petierunt, ut Colloquium inter ipsos & urbis suæ Ministros instituat, in quo amicè ac placidè de Cœna Domini ac Ceremoniis, quibus utantur, transigi possit. Quamvis autem hanc illorum petitionem non improbaret Senatus; Ministri

tamen

1555. *tamen Ecclesia colloqui cum eis noluerunt. Multi igitur eorum, maximo cum suo damno relicto Francofurto, in Frisiam Orientalem: alii in Angliam & alia loca commigrare instituerunt: Ex his autem quidam in itinere à Pontificiis intercepti & in carceres conjecti, ferro, igni, fame ac siti miserabiliter necati & trucidati sunt: Eorum sanguinem de quorum manibus requisiturus sit Deus, ipse novit.*

Ioannes à Lasco in Poloniam proficiscitur.

Ioannes à Lasco tandem in patriam (à qua viginti amplius annos Religionis causâ sponte suâ iam exulaverat) iuvandæ etiam ibi pullulascentis Christi Ecclesiæ gratiâ, à plurimis Regni Poloniæ cùm Verbi Ministris, tum potissimùm nobilibus viris, circiter mensem Iulium anno 1556. Literis ut minimùm quadragenis revocatur, quò etiam cum Ioanne Vtenhouio 3. Decemb. die fœliciter pervenit.

Ioannes Vtenhouius libellum edidit de ærumnis Belgicæ Ecclesiæ.

Hæc omnia desumpta ferè sunt ex Ioannis Vtenhovii Gandavi, qui harum calamitatum pars maxima fuit, libello, anno 1560. *edita: in quo continetur, ut titulus habet:* Simplex & fidelis narratio de instituta ac demum dissipata Belgarum, aliorumque peregrinorum in Anglia, Ecclesia: & potissimùm de susceptis postea illius nomine itineribus, quæque eis in iis evenerunt. *Hunc libellum, & narrationem offendiculorum plenam, ut in præfatione ad Lectorem Vtenhovius indicat, non in lucem edidit gravandi quenquam studio, aut vindicandarum injuriarum cupiditate, vel alia quadam privatâ animi affectione: sed ut Ecclesiæ Belgicæ dignitatem, suique in illa ministerii fidem, adversus improbos malevolorum latratus, quibus etiam post crucem illam suam, sine causa impetiti sunt, nudâ saltem ac simplici rerum gestarum narratione tueretur, ne silentium (quo latratus ejusmodi omnes sisti posse sperabant) suæ Ecclesiæ, suoque in illo ministerio (silentio Amyclarum instar) fraudi esset.*

De vero sensu verborum Christi.

Eidem libello adiecit in fine Appendicem, in qua Rationes recenset, cur verba illa Cœnæ HOC EST CORPVS MEVM, HOC EST SANGVIS MEVS, *non secundùm literam, aut de carnali manducatione & bibitione corporis & sanguinis Christi intelligantur, sed mysticè exponi oporteat.* Prima *est, quod pugnet expositio illa verborum Cœnæ iuxta literam cum natura Sacramentorum.* Secunda, *quòd pugnet cum vera fide & eius analogia, quam in omni expositione Scripturarum, iuxta doctrinam Apostolicam, Rom.* 12. *retineri, oportet.* Tertia, *quòd pugnet cum Regno Christi, quod non est carnale, sed spirituale.* Quarta, *quòd pugnet cum Sacerdotio Christi.* Quinta, *quòd pugnet cum doctrina Christi.* Sexta, *quòd pugnet cum unione Veteris ac Apostolicæ Ecclesiæ.* Septima, *quòd pugnet cum natura corporis Christi, veraque humanitate.* Octava, *quòd pugnet cum natura recordationis.* Nona, *quòd non sit necessaria corporalis, in pane Cœnæ, corporis Christi manducatio: ac proinde neque nuda illa iuxta literam, verbarum Cœnæ interpretatio.* Decima, *quòd sit inutilis.* Vndecima, *quòd sit absurda.* Duodecima, *quòd sit noxia.* Decimatertia, *quòd necessariò inducat prodigiosam corporis & sanguinis Christi Vbiquitatem, contra Scripturam.* Decimaquarta, *quòd pugnet cum aliis multis Scripturæ locis.*

ANNVS M.D.LIV. ET LV.

Exules Angli quamplures manifestum in Helvetia experti. Locarnenses Tiguri excepti.

EAndem humanitatem apud Tigurinos, quam Belgæ apud Embdenses, Angli exules hoc anno experti sunt. Venerunt enim complures Tigurum, non solùm docti, sed & nobiles quidam cum uxoribus & liberis, ibique peculiare Collegium instituerunt. Locarni quoque ad lacum Verbanum collecta Ecclesia, sed ab Helvetiis Pontificiam religionem profitentibus, & numero suffragiorum Evangelicos vincentibus, in exilium pulsa, salvis tamen omnibus suis facultatibus, Tigurum venit: cumque Germanica lingua nullum usum haberent, ne Verbo Dei destituerentur, peculiare Templum eis ab amplissimo Senatu concessum fuit, anno 1555.

Westphali libellum edidit de Cœna contra Sacramentarios.

Vestphalus eodem anno libellum alium Ratisbonæ excudi curavit, in quo collegit sententias D. Augustini de Cœna Domini: addidit Confutationem, *ut ipse vocavit, vindicantem à corruptelis plerosque locos, quos Sacramentarii pro se ex Augustino citant. In præfatione ad Iacobum Bordingum, artis Medicæ in Academia Rostochiana Professorem, scribit Senatum Hamburgensem & Regem Daniæ edicto prohibuisse, ne quis civium Sacramentarios hospitio reciperet & apud se foveret. Idem edictum promulgatum etiam fuit in aliis illius littoris urbibus. Coloniæ quoque decretum fuit, ut si qui Sacramentarii in urbe illa reperirentur, capitale supplicium subirent.*

Roberti Watsoni ratio.

Robertus Vuatsonus *vir doctissimus Norvicensis, cum vigore decreti, quod in primis Comitiis in Anglia sub Maria Regina stabilitum & promulgatum fuit, Ecclesiastico beneficio abdicatus, & à præfecto Norvicensis urbis accersitus, ab eoque rogatus, cur proximâ die Dominica Missæ non interfuisset? Respondisset, quinque de causis hoc à se factum esse:* Primò, *propter linguam peregrinam in qua Missæ celebrentur.* Secundò, *quòd panis & vinum in Missa colantur ut Deus,* Tertiò, *quòd Sacramentum sumatur privatim à solo Sacerdote, & non detur etiam fidelibus.* Quartò, *propter sacrilegium, quod committatur,* sub-

subtrahendo alteram speciem laici. Quintò, *quod doceatur, Missam esse sacrificium propitiatorium pro peccatis vivorum & mortuorum, quæ sit insignis blasphemia in mortem Christi, Qua unica hostia semel peracta perfectos effecerit in perpetuum eos, qui sanctificentur: Propterea à Præfecto in publicum, deinde in Concilio Regio Londinensi Gardineri Vintoniensis Episcopi & Angliæ Cancellarii iussu in interiorem carcerem Episcopi Vintoniensis detrusus, sed post annum inde liberatus fuit. Hoc igitur anno* Ætiologiam *edidit, sic enim ipse vocavit, in qua explicatur, quare deprehensus annum unum & menses penè quatuor, propter Evangelium incarceratus fuerit: deinde quanam inter ipsum & ejus Antagonistas in carcere habita sit disputatio, de Transsubstantiatione & reali Christi præsentia in Sacramento: & qua pacto corpore incolumi & conscientia illibata tandem liberaverit eum Dominus.*

Roberti Watsoni Ætiologia.

Anno etiam 1554. *Ducis Megapolensis & Theologorum ejus rogatu,* Ordinationem Ecclesiasticam *pro Ecclesiis Megapolensibus conscripsit Philippus, in cujus Præfatione sic inquit:* Nihil hoc scripto quæritur aliud, oisi ut unica, æteroa ac vera Evangelil doctrina prout Domious eam pet Filium suum Jesum Christum clementer revelatam, scriptls Propheticis & Apostolicis comprehendit, sincerè ac purè doceatur, in eo sensu, qui ln probatis lllis symbolis, Apostolico, Niceno & Athanasiano expressus est, cum quibus etiam Lutheri Catechlsmus, & Confessio Imperatotiæ Majestati anno 30. in Comiriis Augustanis exhibita, consentiunt. *In examine etiam illius Ordinotionis Philippus hanc proponit quæstionem;* Quidnam in Eucharistiæ Sactamento distribuitut ae sumitur? Responsio: Verum corpus & verus sanguis Domini oostri Jesu Christi, *&c. Quo sensu autem hæc sint accipienda, ex Literis Philippi ad Fridericum Electorem Palatinum scriptis anno 59. intelligi potest, in quibus præsentiam Christi corporalem negans, remittit Principem ad hoc Examen Megapolense.*

Megapolensis ordinatio Ecclesiastica scribitur à Philippo

Mense Decembri Ioannes Calvinus defensionem suscipiens Helveticorum & Gallicarum Ecclesiarum Consensus, quem Vestphalus vellicarat, librum edidit hoc titulo, Defensio sanæ & orthodoxæ doctrinæ de Sactamentis, eorumque natura, vi, fioe, usu & fructu, quam Pastores, & Ministri Tigurinæ Ecclesiæ & Geneveoses ante aliquot annos brevl coosensionis formulâ complexl fueraot. *Publico igitur scripto Calvinus hunc Consensum & doctrinam de Cœna, qua in eo continetur, explicat atque defendit: sed tamen prætermisso nomine Vestphali: idque hoc consilio (quemadmodum ipse scribit) ut si fortè sanabili esset ingenio, tacitè eius ignorantia sepeliretur.*

Calvinus edit primam contra Westphalum defensionem veræ doctrinæ de Sacramentis.

1554.

1555.

Sed Westphalus ad hanc quoque defensionem Calvini respondit, libello cui titulum fecit: Adversus cujusdam Sacrameotarii falsam criminationem, justa defensio: in qua & de Eucharistiæ causa tractatur.

Westphalus Calvino respondet.

Prodiit eodem tempore alius libellus, cum hac inscriptione: Farrago sententiarum consentientium io vera & Catholica doctrioa de Cœoa Domini, quam firmâ assensione, & uno spiritu iuxta divioam vocem, Ecclesiæ Augustanæ confessionis sonant & profitentut: ex Apostolicis scriptis, prætetea ex Orthodoxorum tam veterum quàm recentium perspicuis testimonils, cootra Sacramentariorum dissentientes inter se opiniooes, diligenter & bona fide collecta; per Ioannem Timannum Amsterodamum Pastorem Bremensem in Ecclesia Martiniana.

Timanni farrago editur.

Anno quoque hoc 1555. *Ferdinandus Rex, Caroli Imperatoris fratris sui nomine, Augustæ Vindelicorum, cum Germaniæ Principibus, & Imperii Statibus Comitia incepit, atque certa quadam Capita expedienda proposuit. Quanquam verò initio non omnium Ordinum Imperii Legati præsentes essent, tamen sequenti tempore Electores, Principes, atque Imperialium Civitatum Oratores magna frequentia ibidem comparuerunt. Studebat quidem Ferdinandus in primis causam Religionis componere, atque animos dissidentes conciliare, ne maior occasiò quibusdam seditiosis ad civilia bella, & tumultus excitandos daretur. Quum verò hinc inde variæ discordiæ, ac horrendi motus exorirentur, atque Religionis negotium cum ceremoniarum, & rituum certa declaratione brevi tempore vix absolvi, & constitui posse videretur, communibus sententiis decretum, hanc causam in commodius tempus differendam, atque pacem publicam Imperii firmiter constituendam esse, quò animi Principum, & Civitatum pacifici coalescerent, atque deinceps rectius quiddam constitui, atque concludi in Religione queat. Etsi enim ab annis triginta pax publica constituta, & transgressoribus certo pœna ordinata, deprehensum tamen multarum detrimento, & injuria, eam minus sufficientem esse tumultuantes coërcendi, atque injuria affectos defendendi. Cùm itaque omnes magna animorum propensione ad pacem inclinarent, atque hæc causa in quæstionem & consultationem, more solenni venisset, tandem; Regis Ferdinandi, Electorum, Principum; Civitatum & Statuum Imperii unanimi consen-*

su

1555. *sn decretū, ne in posterum Catholici (uti vocantur) Augustanæ Confeßioni adhærentes, nec vicißim hi Catholicos, aut eorum Confœderatos, & subditos nomine doctrinæ, Religionis, aut ceremoniarum molestarent, violarent, & invaderent, & contra eorum conscientiam à cognita, & amplexa doctrina, Religione, ceremoniis aut ordinibus in sua ditione, propositis, & servatis, deficere cogerent, aut ipsis alia quadam ratione vim facere præsumerent. Verùm, ut quilibet alios in diversa Religione, ceremoniis, aut statutis viventes, quiescere, atque bonis, privilegiis, & tota ditione, pacificè frui permitterent, donec tandem tota illa Religionis controversia piis, honestis, & pacificis mediis, divina gratia cooperante, in Concilia universali, aut Nationis saltem componatur. Si qui verò nec Catholicæ Religioni, nec Augustanæ Confeßioni adhærere dignentur, verùm diversam sectam amplectantur, in dicta pacis formula comprehendi nequaquam debere.*

Hac postremâ clausulâ quidam pacis non amantes Theologi, qui primò Flaccio Illyrico, postea Vbiquitati adhæserunt, inconsideratè abusi sunt, eaque probare voluerunt, Calvinistas, ut vocant, in hac Religionis pace comprehensos non esse, Quoniam autem Calvinistarum doctrina non nova, vel peregrina est, ut quam superioris Germaniæ Civitates ante, & post Witebergensem *Concordiam semper apertè professæ sunt, quæque in repetita Augustana Confeßione fundata, & comprehensa est, eique adhærentes Vrbes omnibus de pace religionis tractatibus, absque omni sejunctione tanquam Augustanæ Confeßionis Sociæ inclusa fuerunt: tempore quoque Passaviensis tractationis anno 52. cui tanquam fundamento innititur pacificatio instituta Augustæ anno 55. Ratisbonæ anno 57. & rursus Augustæ, anno 66. odiosum Calvinistarum nomen ne auditum quidem fuerit, adhuc Calvinistæ, ut vocantur, in nullo Imperii conventu legitimè condemnati sint: Magna certè horum Theologorum audacia est, ne dicam impudentia, qui eos privatâ authoritate ab Augustanæ Confeßionis Societate excludere conantur. Neque etiam hoc quisquam absque summa injustitia facere poterit, nisi prius in legitima Synodo comprobatum fuerit, ipsorum Confeßionem, doctrinam, & fidem à superioris Germaniæ Civitatum Confeßione diversam esse. Cavendum potius esset his portentosæ Vbiquitatis defensoribus, ne illi ipsi in legitima Synodo primi hac clausulâ à pace Imperii excluderentur, quum apertissimè hoc suo dogmate, & ab Augustana Confeßione, & à Pontificiorum doctrina dissentiant: præsertim quum Georgius Cassander in Consultatione sua ad Ferdinandum, & Maximilianum Impp. apertißimè testetur, hanc sententiam & doctrinam, quòd humana in Christo natura propter unionem hypostaticam cum Verbo, & maximè propter seßionem ad dexteram, totius Majestatis Divinæ sit particeps, ita ut ratione hujus unionis, & seßionis, humana natura ubique sit, haud aliter atque ipsa Divina, utraque natura inconfusa manente; hactenus in Ecclesia Christi* INAVDITAM *fuisse, omnibus tam veteribus Ecclesiasticis, quàm recentioribus Scholasticis, uno ore profitentibus, Christum esse ubique, secundùm quod DEVS est: in certo autem loco & modo in Cælo, secundùm quod homo est.*

ANNVS M. D. LVI.

A*Nno* 1556. *ab* Henrico Bullingero *in publicum edita est, Apologetica Expositio, in qua ostenditur Tigurinæ Ecclesiæ Ministros nullum sequi dogma hæreticum in Cæna Domini, opposuit eam* Westphali *& Timanni libellis amarulentis, præteritis tamen eorum nominibus. Vt autem hoc probet,* Primò *ostendit, Tigurinos consentire non dissentire ab iis, quos Sacramentarios vocant, in causa Cænæ Dominicæ.* Deinde *Sacramenta Christi Domini ab iisdem non exinaniri, nec vacua reddi.* Tertiò, *se verba Domini,* Hoc est corpus meum, *sua expositione non corrumpere.* Quartò, *verba Domini Ioannis 6. non violenter torqueri ad causam Cænæ Dominicæ.* Quintò, *corporalem corporis Christi præsentiam & manducationem non congruere cum vera fide.* Sextò, *utramque in Christo naturam impermixtam, in una indivisa natura esse.* Septimò, *Christi Domini corpus Divinitati conjunctum non ubique iam esse, sed in loco.* Octavò, *Christi Domini corpus ex mortuis excitatum humani corporis veritatem retinere.* Nonò, *Nullas fuisse contentiones apud Veteres de præsentia corporis Christi in Cæna.* Decimò, *Ecclesias à se non turbari neque scindi. Quoniam verò de his omnibus ex Verbo Dei & veterum Patrum scriptis modestè & placidè, absque ullis convitiis, disceptat, plurimi hunc librum avidè legère, quos petulantia & immodestia* Westphali *& aliorum offendebat.*

Bullingeri Apologetica expositio contra Westphali & Timanni libellos.

Bernardinus *quoq;* Ochinus *Locarnensium Ecclesiæ Pastor Tiguri, contra Vestphali libellos tres, vera doctrina de Cæna Domini defensionem conscripsit & edidit.*

Ochinus contra Westphalum.

Accessit etiam Calvinus, quem Vestphalus præcipuè impetebat, & secundam suam defensionem piam & orthodoxam de Sacramentis, contra Vestphali calumnias evulgavit. Inter alia ostendit, in verbis Christi, Hoc est corpus meum, *etiam ipsum Vestphalum*

Calvini defensio contra Westphalum.

tropi

Westphalum tropi necessitatem non effugere. Nam si in pane, *inquit*, & per panem datur corpus Christi, & cum pane recipitur, figuratè constat vocari Corpus: quia corpus in se contineat, non autem id propriè & naturaliter sit quod dicitur. Non consistit verborum simplicitas, nisi panis conflectur in corpus, vt panis visibilis, sit corpus invisibile, quemadmodum Pontificij docent, &c.

Ioannis à Lasco epistola ad Regem & ordines Poloniæ. Ioannes à Lasco, *epistolam Francofurto scripsit ad Sigismundum Poloniæ Regem, eius Senatum, omnesque Regni Ordines, in qua doctrinæ Ministerijque fidem ac nominis sui existimationem, contra* Westphali, *Timanni & Pomerani, qui eum erronem appellarant, calumnias vindicat. Ostendit item, doctrinam adversariorum, cum mente totius Scripturæ, cum analogia fidei & Catholica Ecclesiæ consensu pugnare, neque citra Domini contumeliam retineri posse. Queritur praiudicio solùm damnari doctrinam veram de Eucharistia, nullam causæ legitimam cognitionem fieri: sed more Papistarum agi, qui & ipsi non Scripturis & rationibus, sed vi tantùm agant & imperio: hæreticos accusent, qui non supplices omnia quæ ab ipsis veniunt, amplectantur.*

Ridlei martyris confessio editur. *Angli quoque, qui Genevæ erant*, Nicolai Ridlei *Episcopi Londinensis libellum de Cœna Domini, vernaculâ linguâ scriptum, hoc consilio in linguam Latinam converterunt & publicarunt hoc anno, vt toti orbi Religionis integritas, quam sub Eduardo Rege publicè professi erant, innotesceret.*

Schnepfii confessio. *Iena in Turingia, circa hoc tempus edita est.* Erhardi Schnepfij, *qui ex Ducatu VVirtenbergensi illuc venerat, Confessio de Eucharistia, eam ob causam, vt habet titulus, quòd certamina vetera de Cœna Domini, novis libellis classicum canentibus, recrudescere inciperent. In epistola dedicatoria ad Principes Saxoniæ dicit,* quosdam ex Zuinglianis lucubrationum suarum dedicationibus, vel longiùs remotis, vel posteritati fucum facere voluisse, quasi Zuinglianorum dogma fuerint amplexati. *Calvinus enim suum Commentarium in Genesin dedicarat Principibus Saxoniæ: in Acta Apostolorum, Regi Daniæ: Bullingerus autem librum suum de gratia Dei, eidem Regi.*

Petrus Martyr Tigurum vocatus. *Hoc etiam anno in Conradi Pellicani demortui, & Hebraicæ linguæ in Schola Tigurina Professoris locum, Argentorato vocatus est* Petrus Martyr Vermilius, *Florentinus, S. Theologiæ Doctor Clariss. Redierat ille paulò antè ex Anglia, sæviente ibi Mariâ Reginâ, Argentoratum, ac Senatus, qui eius pietatem, doctrinam & integritatem optimè nosset, iussit illi quamprimùm reddi pristinum locum, quem ante discessum in Angliam in Schola habuerat. Interea verò nonnulli, qui illi malè vellent, de eo sinistros rumores spargebant, quòd in doctrina de Cœna Domini à sententia Augustana Confessionis discessisset, ideoque timendum esse, ne aliquas in Ecclesia turbas excitaret. Admonitus ergo huius rei ab amicis, Senatui scripto oblato sese purgat, & docet Confessionem Augustanam & alias quasdam ab ea non discrepent, si rectè atque commodè intelligantur, se libèter amplecti, profiteri, ac si opus fuerit velle pro viribus tueri. Promittit deinde, per se nullas lites aut contentiones excitatum iri. Imo si locus aliquis pertractandus sit in Scripturis, aut quapiam alia necessitas requisiverit, vt circa huiusmodi quæstionem suam sententiam explicet, id se facturum cum omni modestia, & citra cuiusquam amaram insectationem. Quæ verò sua sit sententia, ex libellis, inquit, à se editis facilè posse cognosci, quibus hoc promissa nil detractum seu immutatum velit, quoad per Scripturas divinas edoctus aliter esse cognoverit.* *Et* quia præter Augustanam Confessionem à quibusdam proferebatur Concordia inita inter D. Lutherum & D. Bucerum, eorumq; Symmistas, respondit, Se huic non subscripsisse, quod per VerbumDei & conscientiam dare nequeat, destitutos verà fide, percipiendo Sacramenta corpus Christi sumere. *Addebat autem,* non debere hoc illis mirum videri, quod assentiri nollet, quum ipsemet D. Bucerus in Argentinensi Schola secus docuerit, dum Acta Apostolorum explicaret. Idemque quum esset in Anglia (quod ex quibusdam eius articulis ostendi possit) longè aliter scripserit: & quidem rectè. Nam quum fides vnicum sit instrumentum quo à nobis Christus ipse, corpus & sanguis ejus percipiantur, eâ submotâ os corporis nil nisi Sacramentum Corporis & sanguinis percipere, panem inquam & vinum instituto Domini consecrata. Quemadmodum etiam ætatis adultæ homo si absque fide ad Baptismum accesserit, nihil dicitur præter Sacramentum, hoc est, aquam & Ecclesiæ preces habere. Siquidem nullus dum non credit gratiam regenerationis adipiscitur: ita etiam citra fidem neminem ad communionem corporis & sanguinis Christi aditum habere. Vt enim dicit Augustinus, manducare & bibere, nil aliud est quàm credere. *Postremò addebat,* se vereri ne Concordiæ huic ad se allatæ subscribendo videatur Ecclesias Tigurinam, Bernensem, Basiliensem, Scaphusianam, Geneuensem, Lausannensem, Rhæticas & Anglicanas, omnesque per Italiam & Galliam dispersos Fratres damnare, quod sanè per Verbum Dei & charitatem erga eos sibi non liceret. Proinde vt Saxonicas Ecclesias omnesque illis consentientes veneretur & suspiciat, sic & alias quas commemoraverit se amplecti

1556. Martyr se excusat apud Senatum. *Martyr cur nolueris subscribere VVittebergensi Concordiæ.*

1556. in Domino ac vehementer diligere. Non enim hanc quæstionem tanti esse, vt inter fideles communionem & charitatem solvere debeat.

Hoc premisso, hisque rationibus quum satisfactum esset Senatui Argentinensi, reiectis aliorum clancularijs accusationibus, restituit eum pristino muneri, in quo librum Iudicum *interpretari cœpit. At verò adversarij illius & maleuoli etsi palàm sese illi non opponerent, quotidie tamen clàm, & quasi per cuniculos eum oppugnare non cessabant. Nam & per literas, & in lectionibus atque concionibus suis eum ita apertè perstringebant, vt iusta accusationi nil nisi Martyris nomen deesset. Quin & è Studiosis quidam publicè in Schola Orationem de Eucharistia habuit, in hoc compositam, vt Martyrem & doctrinam illius ex professo damnaret.*

Martyr calumniis oppugnatur.

Quare cùm animadverteret adversarios quotidie apertiùs bellum contra se gerere, & se nominatim libellis perstringi, de discessu secum deliberare cœpit, quum hac, quam suprà diximus, subitò diuinitus occasio opportunissima illi oblata est. Senatum igitur de sua vocatione certiorem facit, cui etiam Senatus Tigurinus ea de re scripserat, nihilque dissimulans, ostendit, missionem sibi fore gratissimam: *ac prolixè testatus de suo in Rempub. Argentinensem animo: quò minus cum ipsis manere posset, ideo fieri inquit,* quòd videat se hoc tempore non posse apud ipsos habere eam quam cupiat docendi, disputandi & scribendi libertatem. Vt autem hanc appetat, se primùm sua vocatione vrgeri, & minis etiam atque comminationibus percelli. Deinde se vereri iudicia grauissimorum virorum, qui sua scripta legerint, & se docentem audiuerint, si veritatem aiiàs vsque ad capitis periculum defensam, non multiplicibus & variis modis clàm & palàm oppugnatam suo silentio non tantùm deserere, sed quasi prodere videatur. Ab his enim, quorum aliqui ob hanc eandem causam vel ignibus concremari voluerunt, vel adhuc superstites magna cum vtilitate Ecclesiis Christi præsunt, se non posse nisi grauiter coargui, ut qui vel à sententia vera defecerit, quòd inconstantiæ crimen in homine Christiano minimè ferendum sit, vel qui tacitus velit præterire, quæ ad salutem conducere & necessaria esse non ignoret. Cùm itaque Deus velit, vt suam doctrinam vniuersam, & fide amplectamur & profiteamur, se hanc conditionem, in qua nunc versetur, non posse saluâ conscientiâ retinere, nisi sibi libertas in docendo & disputando concedatur: Neque hoc iniquum esse, vt tantum sibi liceat, quantum alij sui ordinis cùm in concionibus tum in Scholis liberum sibi volunt. Proinde quum munus suum necessariò libertatem in docendo postulet, quam tamen ipsi certis de causis hoc tempore concedere nolint, rogare se vt bonâ ipsorum veniâ sibi eò, quò vocetur, concedere liceat. *Ostendit præterea*, nullam spem conciliationis per Colloquium, aut aliam viam sibi affulgere: si quid tamen instituatur, se, etiamsi alibi agat, non defuturum suo officio. *Senatus, qui Martyrem amabat, & eum certis conditionibus retinere voluisset, quum videret ipsum in hac sententia persistere, sibi verò non integram esse hoc tempore hanc quam petebat docendi, disputandi & scribendi libertatem illi concedere, inuito animo eum dimisit. Discessit itaque Argentinâ 3. Idus Iulij magno cum dolore & gemitu bonarum omnium, vt Simlerus, refert in Vita eius.*

Circa hoc tempus edita sunt tres Homiliæ Brentij Germanicâ linguâ, de Cœna Dominica in priorem ad Corinthias 11. cap. non addito nomine Typographi, nec temporis, aut loci notatione.

Brentij homiliæ de Cœna edita.

Editus est etiam hoc anno Erasmi Alberi liber virulentus & maledicus, Germanicâ linguâ, contra Caroloftadianas, Sacramentarios fanaticos, Anabaptistas, &c.

Alberi liber contra Sacramentarios.

Ioannes Calvinus *quoque magnas & graves ob causas, ad nundinas autumnales Francofurtum profectus, cum* Iusto Velsio *publicè de libera Arbitria disputavit. Cumque amicè & placidè cum Francofurtensis Ecclesiæ Ministris de causa sacramentaria conferre paratus esset, reiectus est, eò quòd Zuinglianum esse dicerent.*

Calvinus Francofurtum profectus.

Permisit quoque hoc anno Illustrissimus Princeps Wirtenbergensis *Christophorus, rogatu nonnullorum Principum, vt* Ioannes à Lasco *cum* Ioanne Brentio *colloqueretur de Cœna Domini, si fortè hoc medio via sterni posset ad Concordiam. Sed irritus fuit conatus piarum Principum. Nullius enim Concordiæ mentionem fieri volebant* Wirtebergenses, *si non priùs ab altera parte Augustana Confessio absolutè & simpliciter approbaretur. Brentius quoque in hoc Colloquio primùm se cū sua Vbiquitate exeruit: Nam in ea conclusus vndique à Lasco, & in angustias redactus extremas, prorupit in hac verba,* Christum non verè & naturâ hominem fuisse, sed phantasiâ tantùm: nec verè passum & mortuum fuisse: sed ita hominem natum, vt humana natura in assumptione sit exæquata in omnibus naturæ divinæ: & vbique præsens esse cœperit cum eadem, non in homine tantùm, sed quovis ligno, lapide, animante, &c. *Item*, Christum etiam cùm sit in pane, sedere ad dexteram Dei; *aliaque huius generis multa. De hoc Colloquio scriptum quoddam per manus multorum sparsum est postea à Wirtebergensibus, de quo* Ioannes

Colloquiū Ioannis à Lasco cum Brentio.

Brentij Vbiquitas primū sese exeruit.

Brentij horrenda vox.

Pencerus in Tract. hist. de Cœna fol. 19. & 30.

Ioannes à Lasco conqueritur, quòd in eo multa non contineantur, quæ se & dixisse, atque etiam à Brentio audivisse certò sciat.

ANNVS M.D. LVII.

Ioannis à Lasco purgatio peregrinæ Ecclesiæ Francofurti.

I*Nitio anni* 1557. *edidit Ioannes à Lasco purgationem Ministrorum in Ecclesiis peregrinis Francofurti: quâ testatum facit, ipsorum doctrinam, de Christi Domini in Cœna sua præsentia, non pugnare cum Augustana Confessione, vt adversarii eos accusabant. Deinde, quamvis id faceret, non ideo tamen damnandos, si possint suam dissensionem ab illa, Verbo Dei approbare. Vtitur autem hoc ordine: Primùm exponit quo nomine potissimùm ob Augustana Confessione, de Christi in Cœna sua præsentia dissentire dicantur. Deinde recitat ipsius Confessionis verba, in eo ipso argumento. Postea ipsorum de ea re doctrina Confessionem subiungit, vt ita demum appareat, num Augustanæ Confessioni hac in parte adsentiantur, aut repugnent. Postremò profert, quæ aduersus hanc ipsorum, quam profitentur cum Augustana Confessione consensionem, adhuc adducebantur, cum breui illorum refutatione. Occasio scripti huius hæc fuit: quòd quidam, reiectis omnibus colloquiis, Ecclesias peregrinorum, & in templis, & in foro, & in conviviis accusabant, quòd de Christi in Cœna præsentia, ab Augustana Confessione dissentirent, & tamen fuco quodam suam cum illa consensionem obtenderent. Nec tam peregrinis, quàm amplissimo Senatui, invidiam apud Imperij Ordines constare videbantur, quasi violato Imperij fœdere, hostes illius in sinum suum recepissent. Nullâ interim ratione habitâ Iudæorum, juratorum Christi hostium, qui in hac ipsa vrbe liberè foventur. Iussu igitur Senatus, peregrini hanc Apologiam conscripserunt & Senatui exhibuerunt, quæ quia Concionatoribus Germanis etiam tradita fuit, à peregrinis evulgata fuit, ne ab illis corrumperetur.*

Dialacticon de veritate corporis Christi in Cœna.

Prodiit eodem tempore Diallacticon, *viri, vt titulus habet, cuiusdam boni & literati,* de veritate, natura atque substantia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia. *Qui Liber non alio consilio scriptus & editus est, quàm vt dissidentes Lutheranos & Zuinglianos in gratiam reducat. Hinc primò loco ostendit, veritatem corporis Christi in Eucharistia dari fidelibus, nec has voces* Naturæ *&* Substantiæ *fugiendas esse: Veteres enim de hoc Sacramento differentes ita loquutos fuisse. Idcirco Eucharistiam non solùm figuram esse corporis Dominici, sed etiam veritatem eiusdem, naturam atque substantiam in se comprehendere.* Secundò, *disputat, An discrimen aliquod esse putârint veteres inter illud corpus Domini, quod in Sacramento distribuitur, & id quod de virgine Maria assumptum, in cælos ascendit, indeq; sub tempore venturum est ad judicium? Hoc est, Sit-ne in Eucharistia corpus Christi juxta propriam significationem humani corporis an verò diversam aliquam à proprio corpore? Deinde, utrùm voces illæ,* veritas, natura, substantia, *communi more in hoc negotio debeant intelligi, an peculiari, & Sacramentis magis accommodatâ ratione? Breviter, Vtrùm homonymia vocum istarum aliqua subsit, an non? Neque enim obseruandum esse solùm, quibus verbis olim Patres vsi sint, sed quid istis significare ac docere voluerint. Et concludit, discrimen esse, inter corpus Domini proprium, & illud quod est in Sacramento: Corpus enim Christi proprium habere formam humani corporis naturalem; corpus mysticum non habere. Corpus proprium habere membra distincta; corpus mysticum non habere. Corpus proprium habere ossa, venas, neruos, corpus mysticum non habere. Illud videri, tangique posse, hoc non posse. Illud veris corporis sensibus præditum esse; hoc, juxta Epiphanium, sensus expers esse. Illud figuram non esse; hoc esse figuram proprij corporis. Illud in mysterio non esse; hoc esse in mysterio. Illud naturâ suâ humanum & corporeum esse; hoc cæleste, divinum & spiritnale esse. Illius materiam corruptioni obnoxiam non esse, huius partem materialem panem esse & corrumpi. Illud per se nulli edere licere, hoc & licere & oportere. Illud vno loco contineri; hoc vbicunque Sacramentum celebretur, adesse, at non vt in loco. Illud non esse Sacramentum alterius corporis; hoc verò esse. Illud de virginis Mariæ corpore sumptum, semel creatum esse; hoc de Virgine non sumi, sed quotidie per benedictionem mysticam, potentialiter, Augustini & Cypriani testimonio creari. Illud naturale corpus esse hoc supernaturale. Denique illud simpliciter, hoc secundùm quid, illud propriè & absolutè, hoc impropriè corpus esse.* Tertiò *docet, quomodo Christus præsens esse credendus sit in Cœna Sacra administratione, juxta communem & consentientem veterum Patrum interpretationem: videlicet spiritualem ab illis intelligentiam requiri, & carnalem omnem cogitationem excludi: deinde, non esse spiritualem intelligendi modum, si quis literam sequatur, & propriam verborum significationem, qualem commenti sunt, qui Transsubstantiationem induxerunt, aut crassam cum pane carnis præsentiam statuunt, sed omnes huiusmodi cogitationes, carnales & humanas, non spirituales esse: denique Christi corpus in Eucharistia, ut signo quodam sacro, per gratiam & virtutem efficacem, fidelibus exhiberi.*

1557.

Author huius Libri fuit P. Ponetus Episcopus *Vintoniensis Anglus: Et in eum præfatus est Clariss. V. Ioannes Sturmius, vt ipse attestatur*

1557. *attestatur in Antipappo quarto, parte 3. fol. 176.*

Crammeri Archiepiscopi in Anglia liber de Cœna editur.

Circa hoc tempus Ecclesia Anglicana Embdæ in Frisia, libellum edidit, sancti Martyris Christi & reuerendi Patris, Thomæ Crammeri, Archiepiscopi Cantuariensis, quem de Cœna Domini scripserat, & in carcere auctum & recognitum, tandem sanguine suo obsignauit. Editionis huius causa præcipua fuit, quòd non deerant, qui Anglos omnia mala tam domi, quàm foris ideo perpeti calumniabantur, quòd de causa Eucharistiæ parùm reuerenter & loquerentur & sentirent. Evulgârunt itaque hunc librum, vt Lectores positis affectibus, ipsi viderent, eos de Cœna Dominica rectè sentire & docere.

Iacobi Schmidlini libellus de Cœna editur.

Tubingæ edita est etiam hoc tempore, Simplex & breuis institutio Iacobi Andreæ concionatoris Geppingensis de Cœna Domini, quo pacto simplices, in diuturna illa de Cœna Domini controversia se gerere debeant. *In hoc libro inter alia quoque agit de significatione vocis* CORPORALITER. Tertiò, *inquit*, vox corporaliter in hac causa aeeipitur & intelligitur de externo & corporali signo panis & vini, Christum scilicet dare nobis corpus suum (quod est spiritualis cibus) corporaliter, hoc est, vnà cum corporalibus rebus: nam panis vtique & vinum sunt corporalis cibus & potus, præter quem & cum quo etiam spiritualis cibus & potus porriguntur. *Si autem hic est verus vsus huius vocis, cur nostros sequentibus annis damnauit, qui docent, Christi corpus spiritualem esse cibum, & propterea non manducari ore corporis: sed quia symbola externa panis & vinum, quæ corporea sunt, ore corporis manducantur, quæ tamen more Sacramentis vsitato nomen rei signatæ accipiunt, & dicuntur corpus Christi, ideo rectè à Veteribus dictum, corpus Christi in os ingredi: ipsum tamen substantiale corpus Christi, spiritualem cibum esse, & tantùm spiritualiter edi; Corpus enim Christi corporaliter, hoc est, juxta modum veri corporis adesse in Cœna & nobis communicari Iacobus Andreæ, non minùs quàm nostri, negat: dicit autem corporaliter corpus Christi edi, quia panis corporaliter editur, cum quo tamen Christus corpus suum spiritualiter edendum nobis dat, quod nostri quoque libenter fatentur.*

Longè aliter etiam in hoc suo libro loquitur de manducatione carnis Christi Ioannis 6. & Matth. 26. quàm sequentibus annis fecerit. Nam pag. 58. Etsi, *inquit*, in sexto Cap. Ioannis non agitur de Cœna Domini, certi tamen sumus, ex superiori institutione, in Cœna Domini non tantùm panem & vinum, verùm etiam corpus & sanguinem Christi distribui, Christus autem non habet duo corpora, aut duplicem carnem, sed vnicam carnem & vnum corpus, quæ caro vna cum pane in Cœna distribuitur: atque de hoc Christus Ioan. 6. loquitur. Neque aliud est diserimen, quàm quod Ioan. 6. cap. tantùm de dispensatione carnis Christi loquitur, quæ fit per Verbum Evangelij: hîc autem in S. Cœna præter Verbum fit cum pane & vino. *Si autem, vt hic affirmat Smidlinus, eadem est dispensatio carnis Christi quæ Ioan. 6. c. & in Sacramento describitur, nisi quòd hîc accedunt panis & vinum, quomodo quasi non eodem modo recipiant, quæ similiter offeruntur?*

Hunc librum Ioannes Brentius præmissa Præfatione commendat, seque hortatorem fuisse collegæ suo *dicit*, vt eum in lucem ederet. Posteaquam enim hoc dissidium de Eucharistia restauretur, vtile esse, vt clara & evidens institutio extet, ex qua intelligi possit, quibus de rebus diseeptetur: & quænam vtriusque partis sit opinio. Et quandoquidem multa scripta & disputata sint, tempus postulare, vt hæc causa, si non nunc viuentibus, saltem posteris judieanda relinquatur. *Addit quoque*, vtile sibi videri, vt vtraque pars à conuitiis sibi temperet.

Westphalus contra Ioannem à Lasco & Calvinum scripsit.

Ioachimus Westphalus *Vrsellis epistolam edidit, quâ breviter, vt habet titulus, respondet ad conuitia Ioannis Calvini: Brevem item responsionem ad scriptum Ioannis à Lasco, in quo Augustanam Confessionem in Zuinglianismum transformârit. Ostendere enim conatur, Ioannem à Lasco cum suis, à Confessione Augustana in Cœna Dominica argumento dissentire, etiamsi sua purgatione consensionem cum illa callidè simulet.*

Confessiones Ministrorum in Saxonia de Cœna.

Interea idem iste Westphalus *literas scripsit hinc inde ad Pastores Ecclesiarum Saxoniæ, quibus ab eis petit, vt de Calvino & eius scriptis, deque tota illa controuersia judiciam facerent, suamque de Cœna Domini confessionem ad se mitterent. A multis facilè impetravit quod voluit, qui exhibuerunt scriptas suas Confessiones, alij breuiores, alij longiores, quas omnes in vnum libellum redactas, VVestphalus Magdeburgi edidit. Calvinus enim scripserat, paucos quosdam morosos & indoctos illud dogma, de carnali præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, propugnare. Librum quoque suum Ecclesiis Saxoniæ & inferioris Germaniæ dedicârat: ac verbis quidem videbatur causa cognitionem ad eas deferre: neque se difficilem fore promittebat, si legitima reconciliationis ratio ostenderetur. Vrget itaque & hortatur Calvinum, vt Saxonicarum Ecclesiarum judicio & ipse doctrinam suam & scripta subjiciat. Hunc libellum, quia ex variis epistolis consutus erat, multi per iocum*, Epistolas obscurorum virorum *appellabant.*

1557.

Calvini vltima admonitio ad Westphalum.

Mense Augusto, Ioannes Calvinus evulgauit suum librum cui titulum fecit: Vltima admonitio ad Ioachimum Westphalum, cui nisi obtemperet eo loco posthac habendus erit, quo pertinaces hæreticos haberi iubet Paulus. *Refutat etiam hoc scripto, superbas Magdeburgensium censuras, quibus cælum & terram obruere conantur. Inter alia, vt probet, se non dissentire ab Augustana Confessione provocat* ad Philippum Melanchthonem authorem illius scripti, qui idem de Eucharistia sentiat quod ipse. *Et quia Westphalus in Concilio Romano, cui Nicolaus 2. & Vercellensi, cui Gregorius 7. præfuit, damnatum hunc Berengarij errorem dicit, quem Sacramentarij renouent:* adeò, *respondet Calvinus*, sibi hoc molestum non esse, quòd ab illis damnata fuerit, quam sequatur doctrina, vt sibi eo nomine plurimùm gratuletur, quòd manifestis Dei hostibus & Antichristis semper exosam fuisse videat. *Addit*, pudendæ inopiæ testimonium esse, quòd ex intima fece Papatus judices quærere cogatur. *Multi nimis vehementer Calvinum hanc causam egisse dicebant: alij verò, quia cum duris & præfractis hominibus ei negotium esset omnino hoc modo tractandos fuisse censebant. Nec deerant, qui prorsus nihil respondendum fuisse Westphali libellis arbitrarentur, eò quòd non secus quàm Erostratus ille Ephesinus, vel eum præstantissimarum rerum incendio, ac doctissimorum hominum insectatione, gloriolam expetere videretur.*

Libro epistolarum Calvini epistola 236. Calvinus cur scripserit contra Westphalum, eiusque doctrina de Cœna.

His de rebus admonitus Calvinus à Martino Schalingio Ratisponensis Ecclesiæ Pastore, sic respondet ei, vt causas ob quas contra Westphalum scripserit, indicet, & simul sententiam suam de Cœna Domini declaret, ac contrariam refutet: Dolendum quidem est, *inquit*, quum nos pauci numero idem profiteamur Evangelium, Sacræ Cœnæ occasione, quam præcipuum inter nos vnitatis vinculum esse decebat, in varias sententias distrahi. Sed hoc longè atrocius, non minùs hostiliter confligere, quàm si nihil esset nobis cum Christo commune. Maior enim eorum pars qui à nobis dissident, nescio quo instinctu percita, non minùs intemperanter in nos ebullit, quàm si prorsus diuersa esset Religio. Quum initio tanta esset discrepantia, Lutherum, vt erat vehementi ingenio, paulò acrius efferbuisse non miror: Nunc quando de præcipuis capitibus convenit, quem in finem Dominus Sacramenta nobis instituerit, quisnam sit legitimus eorum vsus, quæ efficacia, quæ dignitas, quæ inde ad nos vtilitas perueniat: quicquid adhuc residuum est controuersiæ, moderatiùs tractari poterat. Ego verò cùm totis quindecim annis optimâ fide conatus essem, quantum patiebatur ingenua veritatis confessio, meum docendi genus ad sedandas discordias accommodare, traxit me in odiosum certamen Westphali vestri importunitas. Et tamen quicquid extorsit amarulentiæ; diligenter continui, ne alios cum eo inuolueret: semperque dabo operam, ne meâ culpâ scindantur vel distrahantur Ecclesiæ: nec quisquam à me lædetur, nisi qui ex professo bellum indixerit. Imò quamvis Sneppbius, & nescio quis Somniator petulanter me lacessiverint, silere malui, quàm de nihilo turbas mouere. Nam quod à paucis intelligi scribis, quid Ecclesiæ vestræ sentiant, certè si absurda, quæ in multorum scriptis occurrunt, colligere & exagitare libeat, non vnam esse omnium sententiam ostendere difficile non esset. Hoc quidem vos omnes vno consensu asserere video, quicunque ad S. mensam accedunt, siue impij sint, siue fideles, substantialiter comedere Christi carnem, & sanguinem bibere. Quin fideles carne & sanguine Christi verè & substantialiter in Cœna alantur, non nego, si tantùm definiatur modus arcanâ Spiritus virtute fieri, vt vim suam caro & sanguis Christi in nos transfundant. Cur me longiùs trahere velis, non video: cur verò non aliam communicationem admittam, optima ratione impedior: quia & carné Christi à nobis deglutiri, & cum carne nostra corruptibili misceri, nimis crassum commentum foret. Si tantum mysterium carnis sensu æstimandú esse neges: fateor, nec verò aliud respuo, nisi quod Christi gloriæ non esse cōsentaneú fides ipsa dictat. Adde, quod non poterit Christi corpus hoc substantiali modo comedi, nisi fingamus esse immensum, quod non minùs à tota Scripturæ doctrina, quàm à veteris Ecclesiæ testimoniis abhorret. Quod enim quidam vestrûm dispensationis nomen obtendunt, vt persuadeant, corpus Christi simul fuisse in cruce mortale, & gloriosum in cœlis, inscitiâ labuntur, neque vnquam assecuti sunt quid vetustis Ecclesiæ Doctoribus esset dispensatio. Tu quoq; eximie vir, pace tuâ dixerim, dum nos confundere putas, quid nobis in Cœna detur, & ad quid detur, aliquantum falleris. Pluribus enim locis disertè assero, bona Christi non esse nostra, donec ipse noster sit. Et satis mihi distinctè locutus videor in mea institutione, vbi naturam Cœnæ vel substantiam voco, ipsum Christum crucifixum: virtutem, effectum, vel fructum esse doceo, quicquid ex eius morte consequimur, vt inde est gratuita reconciliatio, vitæ nouitas & beatitudo cœlestis:

De spirituali manducatione corporis Christi.

1557. Nomen verò efficaciæ in hunc finem vsurpo, non vt confundam, quæ distingui debent, sed vt transfusionem substantiæ excludam. Dico igitur nos efficaciter substantiâ carnis & sanguinis Christi pasci, quia mirabili & incomprehensibili Spiritus sui virtute efficit Christus, vt unum simus cum ipso, vivifica nobis fit sua caro: vita denique sua in animas nostras penetret. Iam in secundo cap. miror, vos non consideratiùs attendere ad tot absurda, quibus implicitum est hoc commentum, dignos simul & indignos promiscuè carnem Christi edere. Sicuti enim vestra de substantiali edendi modo opinio, Christi carnem à sanguine separat, ita hæc communis manducatio, corpus eius à Spiritu divulsum, vitâ & omni virtute privat. Qualis verò receptio hæc erit, vt in ventre impij lateat mortuum Christi corpus? Quod objicitur communiter omnibus dici, *Hoc est corpus meum*, nullo negotio refellitur: nihil enim obstat quo minus verè omnibus seipsum exhibeat Christus, neque tamen alij eum recipiant, nisi qui sunt capaces. Hanc me doctrinæ formam, non pertinaciâ retinere, sed qui Scripturæ authoritate obstrictus teneor Deus mihi optimus est testis. Suffragatur & veteris Ecclesiæ consensus: in quo probando, quia mihi longiùs insistere non est propositum, nobis vnus ille Augustini locus sufficiat. Hom. in Ioa. 19. *Quum alij discipuli comederent panem Dominum, Iudam non nisi panem Domini comedisse.* Ego itaque siquis alius, veram & sinceram confessionem expeto, quam modò Deus ipse suo Verbo sanciat. Nec verò Augustanam Confessionem repudio, cui pridem volens ac libens subscripsi, sicuti eam author ipse interpretatus est. Atque vtinam Principes vt decebat, maior dissipationis nostræ cura tangeret, vt conuentu piorum doctorum habito, studerent Ecclesias colligere: sed quibus flabellis ad odium nostri incitentur, minimè dubium est. Hoc tibi coram Deo volui testatum, vt scires Religione & Dei metu ad amplexandum quod profiteor doctrinæ genus, adductum, non posse inde avelli. In quo tamen asserendo (quoad per vestros homines licebit) placidè me geram, vt ante Westphali intemperiem me fecisse satis notum est. Te vicissim hortabor, ornatissime vir, vt re totâ probè expensâ, quod rectum est amplecti non dubites, Vale. Genevæ, VIII. Calendas Aprilis M.D.LVII.

De manducatione indignorum.

Quia verò Calvinus in hac sua postrema responsione ad librum Vuestphali, bis provocavit ad Philippi authoritatem, & eum postulavit interpretem verborum Augustana Confessionis de Cœna Domini, promisitque se velle desistere, si ille declaret vno verbo, se ab ipso in re Sacramentaria dissentire, ideo in libellum suum quadam loca collegit Vuestphalus ex Philippi scriptis, quibus probare conatus est, Philippum huc usque à partibus Lutheri contra Sacramentarios stetisse, eumque hoc anno edidit huiusmodi titulo: Clarissimi viri Philippi Melancthonis sententia de Cœna Domini ex scriptis eius collecta. *Citat autem quadam loca ex scriptis Philippi anno 29. 30. & paulò pòst exaratis, antequam Sacramentariorum causa ipsi satiscognita & perspecta esset: Nonnulla etiam citat, qua vel ipsorum Lutheranorum testimonio, magis pro nobis, quàm pro ipsis faciunt.*

Vvestphali alius liber de sententia Philippi in negotio Cœnæ.

Mense Septembri Martinus Micronius *apologeticum scriptum evulgavit, in cuius prima parte, Ecclesias Orientalis Frisia, contra Vuestphalum aliosque ei similes tuetur ac purgat. Sparserant enim de eis, & inprimis de Nordana Ecclesia, quòd in administratione Cœnæ, nihil minus quàm verba Cœnæ audirentur: deinde quòd mutila recitarentur: quodque totius institutionis verba prætermitterent. Adhac, quòd in Sacrorum symbolorum distributione, populum hisce verbis alloquerentur:* Accipite, edite, bibite, & memores estote, corpus Domini nostri in cruce fractum & oblatum, esse verum sacrificium pro peccatis vestris. *Ad refellendas igitur has calumnias, ponit ob oculos, qualem Cœna Dominica ritum observent. Postea in secunda parte, confutat illa, qua Suerinenses Ministri de Rhodij subito interitu, aliisque rebus, ad Vuestphalum falsò scripserant. In tertia, epistola Vuestphali aduersus eum ante biennium scripta respondet: suorumque ex Anglia in Daniam, vicinasque Orientales Germania civitates profectionem, compendiosè describit.*

Apologia Micronij.

Hoc etiam anno Paulus *quidam* Eizenus, *Ecclesia Hamburgensis Superintendens, scripsit* Defensionem veræ doctrinæ de Cœna Domini nostri Iesu Christi, *vt habet titulus. In qua eadem ferè adfert, qua à Vuestphalo & Timanno jam antè allata fuerant: non autem alio consilio se scripsisse dicit, quàm vt contradicentibus veritati Dei, & multas simplices animas suis imposturis in perditionem seducentibus, resistat, eosque Spiritu & Verbo Dei redarguat.*

Pauli ab Eyzen Defensio sua de Christi Cœna.

Tiguri *quoque impressus est libellus de Cœna Domini, nomine Adami Christiani, ad Principes & Ordines qui Augustanam Confessionem amplectuntur, viri, vt apparet, in Patrum atque recentiorum scriptorum monumentis non infeliciter exercitati. In eo viam ostendere conatur, quâ certamina in Ecclesia excitata componi possint.*

Adami Christiani liber de Cœna.

Ioachimus *etiam* Vuestphalus *librum edidit, cui talis inscriptio præfigitur:* Iusta defensio [illegible] aduersus

[illegible] phali contra Ioan. a Lasco.

adversus insignia mendacia Ioannis à Lasco, quæ in epistola ad Serenissimum Poloniæ Regem, contra Saxonicas Ecclesias sparsit. *Dedicauit hunc suum librum, Senatui Reipub. Francofurtensis, quem vehementer hortatur, ne Zuinglianos foueat: sed exempla Principum, Ciuitatum, & illarum Ecclesiarum imitentur, quæ piis edictis Sacramentarios à consortio sui populi submouerint. Quin eò vsque progreditur, vt scribat* eos, qui pro asserenda veritate & gloria Dei suum sanguinem effuderunt, esse martyres Diaboli, & Christi carnem & sanguinem contumeliâ affecisse.

Certaminis Sacramentarij instauratio qualis fuerit.

Posteaquam igitur ad hunc modum, Westphali scriptis, controuersia Sacramentaria recruduit: multi alij libri, orationes, dialogi, confessiones, epistolæ & theses & præfationes de hac causa, ab vtriusque partis doctis pariter & indoctis, typis euulgabantur, resque maiore impetu sursum & deorsum agitata fuit, quàm antea vnquam. Multa Synodi habita sunt, in quibus deliberatum est, quomodo opprimi possent Sacramentarij. Lutherani manifestè & ocenlte oppugnabant Zuinglianos: in hoc omnia studia & consilia ponebant, vt non solùm in plebis, sed etiam Doctorum & Principum odium eos vocarent, vt publicis edictis hospitio eos prohiberent & in exilium agerent: vt suis hominibus lectione librorum, quos Zuingliani scripserant, interdicerent: vtque indictâ Synodo, eos nec vocatos nec auditos condemnarent: in inuidiam eos vocabant, quasi essent Anabaptistæ aut Suuenckfeldiani, vt facilius eos opprimerent. Nihil eos commouebat, quòd multi ex Zuinglianis, optimâ fide, & maximo fructu, omnia sua studia & labores, ad Ecclesiæ ædificationem conferebant. Nihil, quòd suâ illâ vehementiâ, aduersarios Euangelij ad maiorem sæuitiam contra Zuinglianos & Lutheranos acuebant: Quin multi iungebant se Papistis, vt Zuinglianos facilius opprimerent. In omnibus ferè concionibus suis, in Zuinglianos tanquam pestilentissimos hæreticos, acerbè & contumeliosè inuehebantur, Confessiones duras admodum à suis exigebant. Non contenti erant hac simplicitate, si quis diceret, se in Cœna Domini panem & vinum ore, corpus verò & sanguinem Christi fide percipere, nisi expressè profiteretur, se corpus & sanguinem Christi, corporaliter, realiter & substantialiter ore corporis sumere: quin impios quoque corpus Domini manducare. In aliis rebus quidam eorum liberè à Luthero recedebant; in hac verò de Cœna Domini quæstione, authoritatem Lutheri vehementissimè vrgebant: Zuinglianos itaque non tantùm Ecclesiasticâ, sed etiam Politicâ societate excludebant: & propter suum illud dogma, tantùm non totum orbem concutiebant, cœlumque terræ miscebant.

1557.

Heluetiorum moderatio in certamine Eucharistico.

Heluetij verò licet se strenuè defenderent, neminem tamen huius controuersiæ causâ excommunicabant: Lutheranis suum honorem deferebant: agnoscebant eos pro fratribus: hospitium eis præbebant: nec recusabant legitimas conciliandi rationes cum Lutheranis. In concionibus suis nullam, nisi honorificam Lutheri mentionem faciebant. Suos quoque ad lectionem librorum, à Lutheranis conscriptorum, hortabantur, &c. Quæ Compilatores historiæ Augustanæ Confessionis non aliter interpretantur, quàm si ex hypocrisi & dolo aliquo malo ad decipiendos simplices ab ipsis facta essent, vt crederent, ipsos cum doctrina Consubstantiatorum consentire, & prorsus emendatos esse: cùm libri ab ipsis editi Compilatores mendacij & vanitatis manifestè arguant.

Qualem se Philippus Melancthon In Certamine Sacramentario à Westphalo instaurato gesserit, & de causis moderationis eius ex variis Philippi Epistolis.

HÆC certamina Philippus Melancthon spectauit ingenti cum dolore animi, eaque deplorauit querelis, gemitibus & suspiriis assiduis ac lachrymis detestatus est malitiam, petulantiam & audaciam, tanto conatu contradicentium manifestæ veritati. Augebatur dolor conspectu sæuitiæ ac tyrannidis, quæ in Anglia, Gallia, & Belgio crescebat quotidie, & horribilium suppliciorum exquisitis cruciatibus exasperabatur, acuentibus sæuitiam Lutheranorum clamoribus, qui Diaboli martyres appellabant eos, qui supplicia subibant, ac perferebant constantes, quòd Idolum Missæ abominarentur. Miscere tamen sese Philippus istis certaminibus noluit. Ac licet dogma Lutheranorum non probaret ampliùs in hac causa, ideoque ipsos sibi infestos magis magisque experiretur, tamen publicis scriptis pugnare cum aduersariis in hac controuersia noluit: quòd iudicaret eam non tam contrariis scriptis, quàm in Synodo inter plures pios & doctos colloquio placidè instituto componi & tolli posse. Meminerat enim prima illa inter Lutherum & Heluetios certamina, scriptis publicis magis exacerbata, quàm sanata, & his tandem silentibus ac interquiescentibus, Concordiam initam conciliatam fuisse, quam & interruptam fuisse dolebat, & inter partes dissidentes reuocari denuò posse, optabat.

Philippi iudicium de instaurato certamine Sacramentario ad Bullingerum.

Extant literæ aliquot cùm Philippi, tum aliorum ad diuersos scriptæ, parte 8. Argumentorum & Responsionum Theologicarum, contexta ex scriptis Philippi à Clarissimo viro D. Pezelio, folio 315. & sequentibus: quas cum aliis nonnullis, quæ ibidem annotauit, adscribam, vt intelli-

1557. *intelligatur, quæ Philippi hac de re fuerit sententia. Scripsit igitur de hoc consilio suo Philippus ad Bullingerum his verbis*: Quidam veteres amici mei minitantur mihi, se ὑπὲρ ἀρτολατρείας contra me scripturos esse. Si quid edent nominatim contra me, decreui, Deo iuuante, respondere: etiamsi hoc certamen omitti malim. Pios & doctos de re tanta placidè colloqui vtillus esset. Oro autem Filium Dei, vt nos omnes gubernet: sanet vulnera Ecclesiæ, &c.

Calvinus Philippo. *Cumque Calvinus scripsisset ad Melanchthonem 6. Calend. Septemb. anni 51. hæc verba*: Ecce nunc homines indocti & turbulenti bellum Sacramentarium à parte vestra innouant: quos etiam ipsos tuâ taciturnitate foveri, boni omnes gemunt & queruntur. Quantumvis enim audax sit inscitia, nemo tamen dubitat, si liberiùs profiteri quod sentis, in animum induceres, quin tibi facilè sit eorum intemperiem aliqua saltem ex parte sedare, &c. *Ad ea Philippus 14. Octobris eiusdem anni sic respondit*: Quod me in proximis literis hortaris, vt reprimam ineruditos clamores illorum, qui renovant certamen περὶ ἀρτολατρείας: Scito quosdam, præcipuè odio mei eam disputationem mouere, vt habeant plausibilem causam ad me opprimendum. Cum bonis & doctis viris multa locutus sum de multis disputationibus, quas hæc vna controversia complectitur, de diuinarum Personarum proprietatibus, de patefactione Dei διὰ λόγου καὶ πνεύματος in vera conuersione, seu consolatione. De his tantis rebus maximè tecum loqui cuperem, quem scio amantem esse veritatis, & non habere animum occupatum odiis, aut aliis stultis affectibus. Sic ait Nazianzenus: ἐκ φωτὸς τοῦ πατρὸς φῶς καταλαμβανόμενοι τὸν υἱὸν ἐν φωτὶ τῷ πνεύματι ἁγίῳ. Etsi pauca sunt eius Scriptoris dicta de illa agnitione Dei, quæ lucet in vera consolatione, tamen hoc dicto delectatus sum, quod inserui huic Epistolæ, quia tibi quoque gratam fore eius mentionem arbitrabar. Hæc nihil περὶ τὴν ἀρτολατρείαν. Non despero nos colloquuturos esse, antequam ex hoc mortali carcere mens discedat. Etsi enim propter senectam à meta huius curriculi non procul absum, tamen quotidie noua exilia expecto, &c.

Philippus Calvino.

In alia ad eundem Epistola anno 55. scripta. 1557. Scio te pro tua excellenti prudentia ex scriptis aduersariorum iudicare, quales sint eorum naturæ, & quod intueantur theatrum. Ideo nihil de eis scribam: Tantùm oro Filium Dei, vt ipse suæ laceræ Ecclesiæ medeatur, velut Samaritanus ille saucio viatori. Audio nunc τὸν ὑπερήφανον καὶ τὸν ἀλεκτρυόνα ἐν ὄχθῃ Ἴσρου ποταμοῦ, magnum volumen σπλαγχνιστικὸν contra me cudere: quod si edetur, decreui respondere simpliciter, & sine ambiguitate: Eumque laborem debere me Deo & Ecclesiæ iudico: nec in hac senecta pertimesco exilia & alia pericula.

Sutrij & Galli inuidia.

Et Paulus Eberus ad Albertum Hardenbergium anno 56. de eadem re sic scripsit: Quid noster Præceptor de quæstione illa, de Vbiquitate sentiat, ex scripto eius cognosces. De altera controuersia (*de Cœna*) adhuc continet se, ne quid palam pronunciet, quum obseruetur à tam multis insidiosè cupientibus sibi aliquam saltem occasionem dari ipsum palam traducendi specie aliquâ erroris plausibili, quam quum nondum habeant, quærunt interea alias minutulas: sed omnino sperat adhuc brevi fore congressum eruditorum, vbi declaraturus est suam sententiam. Video sanè multas gravissimas causas esse, quod prodesset sine dissimulatione longiori dicere, quid quisque sentiat. Sed iudico ipsum sui hactenus usurpati silentij non leues causas habuisse, quas aliquando intelligemus. *Et Philippus ad eundem Calvinum*: Multi Principes perunt, vt Synodus indicatur nostris Ecclesiis. In ea Synodo necesse est loqui, & de illa controversia, de qua scribis. Sed vide voluntates quorundam. In oppido Mollen propè Lubecam conuenerunt Concionatores ex aliquot liberis civitatibus, qui jam fœdus fecerunt, se non venturos ad eam Synodum, & de hac ipsa quæstione, de qua scribis, decretum fecerunt, se defensuros esse τὴν συνουσίωσιν. De hac tota te vel in Synodo, si procedet, vel aliàs tecum loquar.

Philip. pus ad Calv. scribit.

Rursus ad eundem: Meam cunctationem seu moderationem accusas, de qua causas gravissimas scribere possem. Sed nunc solam hanc commemorabo. Oro te, veniam vt mihi des, qui solus non volui formulam de re tanta componere. Assensit mihi & Snepfius in vrbe Vangionum, quòd formulam cum paucis componere nolebam. Totos jam annos 20. expecto exilia, propterea quòd ostendi ἀρτολατρείαν non probare. Cumque videas, qualis rabies sit in his, qui ediderunt in illo littore centurias suffragiorum, existimes me cunctationis meæ causas habere. Impedior etiam quotidianis occupationibus, ne integrum opus instituam.

Hac autem moderatione vsus est Philippus, & subinde sese repressit in hoc negotio, non solùm ob eam causam, quam paulò antè exposuimus, sed

Moderationis Philippi causa alia.

sed ob alias quoque non minùs graues & iustas: Primò, *quòd in iis locis ageret, vbi inueterata opinio de coexistentia corporis cum pane inualuerat:* Deinde, *quòd veritatis explicationem Aula impediebant, de quo non rarò conquestus est:* Tertiò, *quòd destitutus esset operâ & fide quorundam collegarum suorum:* Quartò, *quòd videbat, omissis hostibus communibus, in se vnum omnes alios mordicùs irruituros, & qua ferent aptimo rectissimaque studio veritatis explicanda & asserenda, ea calumniosissimè deprauaturos, & virulentissimè exagitaturos esse, ac si insidiaretur fama & existimationi Lutheri, & id ageret, vt authoritatem doctrina ipsius labefactaret. Id certò sciebat hostes suos facturos esse, quos alioqui nôrat immani & implacabili odio sui flagrare. Vnde sape palàm profitebatur:* NVLLIS se absterreri periculis, nullis odiis privatis: Scandalo calumniarum se moueri propter hostes vtrosq; domesticos Flaccianos, & externos Pontificios. Propter hæc se hactenus ex professo tractare controversiam noluisse: satis se tamen & scriptis publicis, & privatim colloquiis familiaribus & prælectionibus in Schola testatum reliquisse, quam in hoc articulo seriò judicaret veritatem esse.

Iohannes Sturmius de Philippi moderatione in negotio Cœna.

Hac de re CL. V. *Iohannes Sturmius etiam in Antipappo Elenchomeno priore ita scribit:* Meminerat Philippus belli Smalcaldici: viderat totam perturbatam Saxoniam, & propè omnia in potestate victoris Caroli Imper. fuisse, si victoriam fuisset & id bellum persecutus. Venerat ei in mentem operâ & consilio suo duas præclaras Academias, VVitembergensem & Lipsensem conseruatas esse, vt quæ bello gravissimo afflictæ fuissent, breui essent restitutæ, & æquè vt antea florerent: suâ authoritate & exemplo Pfeffingerum, Camerarium, Murerum, Lipsiæ quàm Ihenæ esse maluisse: Vuitembergæ item Pomeranum, Maiorem, Crucigerum, Eberum, Milychium, aliquot etiam alios Pastores & Diaconos mansisse, & hos suo exemplo suam violationem & suas sedes non reliquisse; Ihenam verò æmulam esse, & de gloria cū Vuitemberga contendere: Vuestphalium noua incendia excitare, & vetera refricare vlcera: sese ab Illyrico & ab Hosiandro oppugnari: & Illyricam conspirationem quotidie magis atque magis augescere. Inter eos autem qui suarum partium essent, multos esse quibus nulla sententia, nisi Lutheri placeret: omnes veteres aulicos etiam antiquum sapere: nouos paucos esse, qui aut non intelligebant negotium, aut suscipere causam non audebant. Cùm hæc ei in mentem venerunt, tum illud suum institutum, judicem sese esse nolle, nolle judicium facere de re tam diu controuersa, etiam superioribus controuersa ætatibus; *Quod itaque Philippus in hac controuersia subinde sese repressit, id Sturmius eius cura, solicitudini & studio in retinenda Ecclesia & Schola concordia tribuit: neque tam sibi metuisse dicit, quàm Reipublica bene constituta, idque multa maxima ex parte eius virtute atque industriâ: quum contrà aduersarij eius clamarent, hoc fluctuantis & titubantis, adeoque non bona conscientia indicium esse.*

1557.

Interea tamen non intermittebat Philippus quicquam earum rerum domi, cùm scriptis eristicis agere ei non consultum videretur, qua facerent ad fundamenta causa & demonstranda & explicanda adolescentibus in schola. Quibus effectum hoc est, vt magnus numerus auditorum rectè institutus ad veritatis cognitionem peruenerit. Nec in Schola solùm ad oblatas occasiones apportunas sape multumque repetebat declarationes vera sententia, sed passim etiam scriptis didacticis easdem inserebat, ex quibus multi prima initia clarioris lucis in hac causa haurientes, paulatim progressi sunt ad vberiorem veritatis agnitionem, adiunctâ lectione scriptorum veterum prioris Ecclesia: cuius suffragiis cateri destituti, quum ex testimoniis Scriptura & syncera Antiquitatis sententiam suam haud satis obtinere se posse cernerent, ad vsitata malis causis prasidia sauitia & crudelitatis decurrerunt, non modo vt damnarent exteros, sed vt domi etiam clamarent, gladio Magistratus dogma contrarium propulsandum, carceribus coërcendum, exiliis auertendum, suppliciis denique extirpandum esse, si aliter reprimi & extingui non posset.

Hac veris ac seriis gemitibus & querelis tristissimis, deplorabat Melancthon, & quum audaciam ac petulantiam multorum detestabatur, tanto conatu conspirantium in oppressionem veritatis, tum de maioribus turbis paulò pòst inde exorituris, non temerè vaticinans, non semel atque iterum, sed ad omnem huius certaminis mentionem apud amicos cum profusissimis lachrymis has voces repetebat: CAVSAM hanc futuram esse causam sanguinis. Nam idololatria, *dicebat,* in mundo nimis magna est, & sunt altissimis radicibus infixæ animis plurimorū etiam ex nostris superstitiosæ opiniones de inclusione corporis Christi in pane.

In epistolis quoque quas ad amicos scribebat, sicut & in familiaribus colloquiis, ingens animi dolor ei sæpissime has voces extorsit: Non si tantùm lacrymarum funderem, quantùm hic præterfluens Albis vehit, exhaurire meum dolorem possem, quem circumfero propter hærentem in Ecclesiis nostris hanc controuersiā, quam prospicio futuram esse causam

exitij

1557. exitij & ruinæ Ecclesiis nostris cum ingentibus cladibus & calamitatibus, quæ futuræ sunt pœnæ defensæ ac stabilitæ idololatriæ Pontificiæ.

Sæpe etiam hæc verba ex eo audita sunt, HÆC causa fundum dolij tandem impellet atque euertet. Dise sach wirdt dem faß vollend den boden auß stossen. *Sæpissime optabat,* vt liceret sibi liberiùs dicere quod sentiret, ad refutandos clamores ineruditorum. Vtinam, *dicebat,* in aliis locis essem, vbi fortior esse possem in hac causa publica, saltem posteritatis causâ. Nam istis in locis, inter istos homines, video mihi non permitti liberiorem Confessionem. Et tandem tamen dicendum erit, quod res est. Quia oportebit aliquando confiteri & pati. Et vellem me jam posse dicere & pati. Modò essem, vbi liberè confiteri liceret.

Consilium à Morasio datum Philippo. Philippi responsio.

Erat in Aula Augusti Electoris Saxoniæ præcipuo inter Consiliarios loco, D. Vlricus Mordisius. Is tum Philippo de hac causa aliquoties collocutus, hortabatur eum, vt suam de ea sententiam publicam faceret, & quos à veritate aberrare existimaret, nominatim refutaret: Faciam hoc, *inquit Philippus*, SED ME EX HIS TERRIS DIMITTITE. *Mordisio rursus vrgente*, cur id facere in hoc loco & statione sua non vellet? & cur laudem fructumque patefactæ & illustratæ veritatis his terris Inuideret? *Respondit,* Quia certò scio, veritatis defensionem in hoc articulo, quæ non carebit certaminibus, AVLAM TOLERATVRAM NON ESSE. Malo itaque non inchoare, quàm inchoatam de manibus jussu vestro, cum veritatis præiudicio deponere. Dimittite igitur me, dimittite propter Deum. *Idem respondit etiam Georgio Principi Anhaltino.*

Philippus ad Bullingerum.

Atque inde tam crebra in Epistolis Philippi exiliorum mentio, qua & ipse jam senex meditaretur, & sibi minitarentur aduersarij. Anno enim 56. sic ad Bullingerum scripsit. Libenter ad te multa scriberem, nec impedior occupationibus, etsi non leuiter oneratus sum: sed & rerum & doloris mei magnitudo tanta est, vt instituere alia argumenta non possim: sed fortassis breui colloquemur. Nam & ego exilia vsitata Ecclesiæ expecto. *Et ad Hardenbergium:* Ego laboribus ita obruor, vt quotidie mortem expectem, & tamen inimici mei priùs me hinc expellere conantur. *Et rursus:* Ego hactenus nec distractiones maiores nec dissipationes mea fuga facere volui. Sed tranquillo animo expecto exilia, sicut & ad Principes scripsi. Dixerunt aduersarij, se perfecturos, vt non sim habiturus vestigium, vbi pedem collocare possim in Germania. Vtinam hoc citò perficiant, vt Filius Dei ad Iudam dicit: Erit mihi vel in cœlo vestigium morienti, vel si viuam in hoc corpore apud honestos & doctos viros, vel in Germania, vel alibi. Ac stultitiam Inimicorum miror, qui sese Dominos Germaniæ esse existimant, & me his minis terreri. Te quoque oro, vt sinas illos triumphare, nec à moderatione tua discedas. Deus dabit occasionem explicandæ controuersiæ.

Ad alium: Quod existimas tuos inimicos me sibi adiunctos esse, longè falleris. Magis hoc agunt, vt me opprimant quàm vt te pellant. Incitantur adversus me Regum & Principum animi, cùm quidem nihil ediderim contra ipsorum sententias. Iam meus Thersites censuram scribit contra me de multis doctrinæ partibus, ac præcipuè tuetur τὴν ἀρτολατρείαν. Necesse igitur erit me respondere. Quod faciam in eo loco (si viuam) VBI ME NON IMPEDIENT AVLÆ. Ac Deo juuante Apologiam edam, quam spero piis & doctis gratam fore. Sum eo tranquilliore animo, quia manifestum est, me & pacis studiosum esse, & moueri hæc certamina ab inimicis odio mei, non studio veritatis.

Nicolaum Gallum dicit.

Ad eundem anno 56. Cùm esset magna similitudo opinionum ante annos ferè triginta, Inspectio Ecclesiarum præbuit mihi occasionem edendi summam doctrinæ, ita recitatam, vt multæ controuersiæ dijudicarentur, & monstraretur forma orationis propria in multis. Eam rem profuisse ad coniunctionem qualemcunq; Ecclesiarum existimo. Illi autem vulneri, quod adhuc præcipuè lacerat Ecclesias, mederi non potui. Et vt in ægro corpore, non omnia mouenda esse cogitabam. Vtinam autem multi studerent & fouere teneras Ecclesias, & illarum tueri coniunctionem. Sed videmus quosdam captare vndique occasiones faciendi maiores dilacerationes. Si nominatim contra me scribant, vel vt stoica deliramenta propugnent, vel vt ἀρτολατρείαν confirment, decrevi, Deo juvante, de his maximis rebus explicatè respondere, si vivam. Et libenter, quanquam senex, exilia suscipiam, vt liberatus ex hoc ergastulo, ad precationem, & ad studia plùs habeam temporis.

Ad eundem de expectatione suorum exiliorum hoc anno 57 hæc scripsit: Etsi multi amici viri prudentes, in ripa Rheni dissuaserunt mihi reditum ad Albim: Redij tamen. Sed exilia noua expecto. Inimici mei iactârunt, se expulsuros esse me ex tota Germania. Tantùm potentiæ se habere putant. Ego & ex Germania, & ex hac vita discedere, cùm Deus volet, non recuso.

Ostendit

1557.

Oſtendit & Academia Wittenbergenſis Epiſtola ad Philippum ſcripta eodem anno,cogitaſſe eum de exilio , antequam Wormatiâ domum rediret. Oramus te amanter, vt non deſeras nos,atque hanc (ſi te deſtituta ſit) verè miſeram Eccleſiam & Scholam. Miſerrimè enim nobiſcum & cum hac Schola & Eccleſia ageretur , ſi tu abeſſes. Eluxit ex hac Eccleſia & Schola prima lux purioris doctrinæ de Deo & Chriſto , quod fateri coguntur etiam noui Antagoniſtæ noſtri , etſi inuidiâ rumpantur. Quare ſperamus te non relicturum eſſe hunc locum. Locus enim vaſtus, & nos deſtituti planè orphani futuri eſſemus.

Colloquii Wormatienſis Acta Quoad cauſam Sacramentariam.

HOc ipſo quoque anno VVormatiæ indictum eſt Colloquium inter Lutheranos & Papiſtas eiuſque magna fuit expectatio.Poſtulauerant in eo quorundam Lutheranorum Principum, præſertim Ducum juniorum Saxoniæ, nominatimque Iohannis Friderici F. F. Theologi Flacciani , Morlinus , Sarcerius , Stoſſelius, Schnepſius , Strigelius, & nonnullarum Ciuitatum Legati, vt inter articulos,de quibus iidem condemnationes flagitabant , Zuinglianorum condemnatio fieret , priuſquam de aliis controuerſiis quicquam cum Pontificiis agerent:Verùm alij , qui moderatiores erant , multis rationibus adducti obſiſtebant. Et nominatim Philippus reſpondit : Si condemnationes faciendæ eſſent, articulos ſcribendos eſſe, qui de tantis rebus explicatè dicant,quid aſſeuerandum , quid improbandum ſit : nec Zuinglianos in articulo de Cœna damnandos eſſe priùs , quàm Pontificios, qui horribilia idola in Eccleſiam inuexerint, & adhuc ſtabiliant in deprauatione Sacramenti. Addidit etiam,paucos jam præſentes eſſe,& magnum eſſe periculum , ſi pauci conderent articulos , quum tanta ſit multorum rabies in reprehendendis aliis. Idem tunc quoque Schnepſius dixit:paucos eſſe,qui præſentes ſint,nec ſine periculo articulos ſcribi poſſe. Facta itaque eſt ſeparatio: Lutherani enim,præſertim Thuringici, & Flacciani,exhibitâ Eccleſiarum ſuarum condemnatione , quæ aliter ac ipſi de Sacramentis ſentiunt, diſceſſerunt.

Philippus de condemnationibus Wormatiæ tentatis.

Scripſit hæc de re Philippus ex Colloquio die Septembris 10. *ad Albertum Hardenbergium Bremenſis Eccleſiæ Miniſtrum fideliſſimum in hæc verba* : Reuerende vir & chariſſime frater,die Septemb.5.primus congreſſus factus eſt eorum,qui à noſtris Principibus huc miſſi ſunt Nobilium & Theologorum. Hic quum juſſi eſſemus deliberare , quomodo inſtituenda eſſet collatio cum Pontificiis, omiſsâ eâ deliberatione,accuſationem afferunt Legati Thuringici Schnepfij voce pronunciatam contra Brentium & me. Negant ſe nobis adfuturos eſſe niſi condemnationes ſcribantur, de his quatuor articulis, περὶ δείπνου , περὶ Ὀσιανδρικοῦ δόγματος , περὶ τῆς φράσεως εἰ ἀγαθὰ ἔργα ἀναγκαῖά ἐστι πρὸς σωτηρίαν , καὶ περὶ ἀδιαφόρων. Reſpondimus, nos retinere confeſſionem vſitatam. Sed ſi petant condemnationes,oportere maiorem frequentiam eſſe judicum,& vocandos eſſe viros doctos ex iis Eccleſiis, vbi de his quæſtionibus diſſeritur. Scripſerunt Palatinus & Dux VVirtenbergenſis ad Ducem Ioannem Fridericum,vt ſinat differri illas condemnationes nec impediat communem collationem cum Pontificiis. Nunc reſponſio expectatur. Nec aliud hic actum eſt hactenus inter nos, &c. *Scripſit etiam Philippus eadem de re ex hoc Colloquio Tigurum ad Bullingerum in hunc modum* : Reuerende vir & chariſſime frater,cùm non perfeciſſent noſtri Collegæ, vt condemnationem veſtrarum Eccleſiarum comprobaremus, ſeiunxerunt ſe à nobis,& eam priuatim exhibuerunt τῷ σεβαστῷ Iulio,à quo petiverunt,vt publicè in conſeſſu recitaretur. Fuit autem ea moderatio τοῦ σεβαστοῦ , vt recitari eam in conſeſſu noluerit. Poſtea illi hinc diſceſſerunt , &c. *Scripta fuit* 5. *Octob.*

Philippus Wormatia ſcribit ad Bullingerum.

Scripſit etiam præſentibus omnibus Theologis in his Comitiis Philippus manu propriâ, ſi quæ habenda eſſet diſputatio de Cœna , & condemnationibus eorum , qui à Flaccianis diuerſum ſentiunt , hæc capita conſenſus , quæ Pontificiis opponi poſſent , quæque vera & immota fundamenta totius Sacramentarij negotij Lectori attento monſtrare poſſunt.

Capita controverſiæ de Cœna à Philippo ſcripta Wormatiæ.

Si ponetur,*inquit*, καταφάσεις περὶ δείπνου; Primùm ponenda eſt affirmativa,vt conſpici poſſit diſcrimen inter Papiſtas & noſtros: Quærendum , An velint poni has propoſitiones : προσκυνῶσι θεὸν ὄντα ἐν ἄρτῳ. Quid de adoratione & circumgeſtatione ſentiendum? An velint dejici in ventrem? An velint in pane contineri? aut potiùs dato pane exhiberi ? An velint ponere τὸ πανταχοῦ *(Vbiquitatem corporis)* An-non panis ſit κοινωνία in uſu ? An velint approbare dicta *(ſcilicet Vueſtphali & ſimilium)* Nec Ethnici nec Iudæi afficiunt majore contumeliâ *(ſcilicet Chriſtum , quàm Sacramentarij.)* Item phraſin Bremenſem *(videlicet Iohan. Timanni & ſociorum ejus , qui fuerunt adverſarij D. Hardenbergij)* Panis eſt eſſentiale Corpus Chriſti: An velint confirmare crudelitatem Anglicam & ſimiles in hac cauſa? Quomodo reſiſti poſſit oblationi, Si ponatur incluſio localis?

Hæc

1557. *Hæc capita simul monstrant fundamenta præcipua, cur opinio de coexistentia corporis & panis in vno eodemque loco, dicatur stabilire ἀρτολατρείαν reliquam abominationem Papisticam, & errores alios plurimos repugnantes articulis fidei Christianæ. Quæ si considerarent Lutherani & Vbiquistæ, non mirarentur, Philippum in hoc certamine studuisse retinere ac illustrare hoc, quod præcipuum erat & principale de vera præsentia & communione Christi in vsu Cœnæ instituto: quodque cum perpetuo consensu Scripturæ & veteris Ecclesiæ congruere intellegebat: Cætera verò, quæ vel verbis durioribus, vel etiam reipsâ addebantur ab aliis cantra analogiam fidei, resecuisse atq; abiecisse deditâ operâ, & singulari consilio. Potest enim in instituto vsu, vt in epistola ad Vitum Theodorum anno 43. quoque scripsit,* retineri præsentia, Sacramenti rationi conveniens, etiamsi prorsus illa deliramenta tollantur, & de abiectione panis, de inclusione corporis perpetua in accidentia, aut panem ipsum, cuius substantia sit reliqua, vt si ligna in fornacem missa essent. Coborresco quoties hæc cogito, & attingo invitus: Miror tot sæculis homines doctos non cogitasse discrimen inter agens liberum, & rem inanimatam. Christus, tanquam agens liberum, adest actioni institutæ: extra actionem non vult esse inclusus pani, neque vult se ibi alligarum esse, &c.

Ne autem de hac, & cæteris controversiis, de quibus postulatæ fuerant condemnatianes, defugere videretur Confessionem sententiæ suæ, hanc formam consensionis mutuæ tunc scripsit, qua extat Tom. 4. Oper. Philipp. pag. 811.

Forma consensionis mutuæ in negotio Cœnæ à Philippo Wormatiæ Protestantium Theologorum nomine scripta.

De Cœna Domini retinemus Confessionem Augustanam & Apologiam. Nec dubium est Filium Dei adesse ministerio, quod instituit, & per illud efficacem esse. Sic autem adest in hoc ministerio substantialiter, vt communicatione sui corporis & sanguinis nos membra faciat sui corporis, & testetur, se nobis applicare sua beneficia, & velle se in nobis efficacem esse, & nostram miseram massam insertam sibi, velle servare & viuificare, sicut & Hilarius loquitur. *Hæc sumpta & hausta faciunt, vt ipse sit in nobis, & nos in ipso.* Sic Irenæus & Synodus Nicæna loquuntur, hanc consociationem cum ipsius corpore, & applicationem beneficiorum, & efficaciam complectentes.

Cùm autem verba Christi & Pauli expressè de sumptione loquantur: *Accipite, manducate.* Item, *Panis est κοινωνία σώματος,* & nihil habeat rationem Sacramenti extra actionem institutam, damnamus adorationem Papisticam in circumgestatione, repositione, & Missis Papisticis, quia hæc sunt aliena ab institutione, quæ de sumptione loquitur, non de vllis spectaculis vel extra institutum vsum. Itaque nec Transsubstantiationem, & inclusionem localem recipimus, prorsus ignotam Vetustati. Nec tamen in actione nuda signa esse dicimus, & tantùm signa societatis cum Ecclesia, sed dicimus verè & substantialiter adesse Christum, & facere nos membra sui corporis, & applicare nobis sua beneficia, & velle in nobis efficacem esse. Et formæ loquendi ex Paulo & ex antiquis Scriptoribus idoneæ sumi possunt, ac valde optamus, vt de simili forma deliberetur à pluribus viris piis & etudiris.

Condemnatio [illegible] in vllis Comitiis impetrari potuit.

Sic igitur Flacciana & Pseudo-Lutherana factio nunquam, neque in his Comitiis, neque in Passavicis, in quibus Pacificatio, vel pax Religionis, absque distractione sociorum Augustanæ Confessionis, & exclusione nostrorum, constituta est anno 1552. neque Augustanis anno 55. neque Ratisponensibus, anno 57. condemnationem orthodoxæ de Cœna sententiæ impetrare potuit: quamvis iisdem omnino conatibus, hoc est, iniustis præiudiciis, clamoribus, aliisque malis artibus nulla causa admissa cognitione ageretur, quibus à Pontificiis veritas rabiosè oppugnari solet.

Flaccianorum artibus Colloquium VVormatiense abruptum.

Arripuerunt autem Pontificij illico VVarmatia hanc exoptatam occasionem: Cumque Protestantium Theologi nollent à Condemnationibus initium facere, nec illi cum eis disputare voluerunt. Et sic abruptum fuit Flaccianorum artibus Colloquium, quum jam irretiti tenerentur Pontificij, postquam concesserant, sacram Scripturam judicem Controversiarum esse.

Strigelius in Colloquio VVormat. primo statum controversiæ Sacramentariæ agnovit.

In hoc VVarmatiensi Colloquio Victorinus Strigelius, vt sæpe postea fassus est, primùm cognovit, quis verus & proprius status sit controversiæ Sacramentariæ: Antea enim tanto studio ac diligentia Lutheri scripta legerat, præsertim Palemica, vt sibi videretur, se vno halitu difflare posse omnia aduersariorum argumenta. Cùm autem VVormatiæ hac de re cum aliquot doctis viris colloquutus esset, deprehendit controversiam non esse hodie, An in Cœna nudus tantùm panis, & nudum vinum sit? *Item:* An Cœna Dominica nihil à communi Cœna differat, in qua pij, etiam Christi eiusque meriti recordari possint? *Sed de hoc esse cōtraversiam;* An Christus corporaliter in pane sit? *Et,* Num secundùm literam, sine Sacramentali declaratione, in os, corpus & ventrem hominis Christi corpus descendat? *Ideoque sæpe etiam dixit, si hac de causa cum aliquo disputare debuisset, se nihil prorsus respondere potuisse. Ab hoc igitur tempore vsque ad finem vitæ suæ Orthodoxam sententiam de Cœna Domini strenuè defendit ac propugnavit.*

Advenerunt eodem tempore VVormatiam Legati

Legati, missi ab Ecclesiis reformatis Gallicis, qui à Theologis Augustanæ Confessionis petebant intercessionem supplicem ad Principes Germaniæ Evangelicos, ut per hos flecteretur Rex Galliæ Henricus, ad parcendum captiuis fidelibus. Fratres enim Waldenses crudeliter persequebantur Pontificij Galli: Deinde Lutetiæ intercepto cœtu piorum, qui in vico Iacobæo ad celebrandam Cœnam Domini conuenerant, persequutio sæuissima orta fuit: Nam multi eorum in vinculis erant, jamque rogo destinati.

Confessio Gallicarum Ecclesiarum de Cœna. Verum corpus & sanguis in Cœna exhibetur.

Attulerant unà Legati Confessionem Gallicarum Ecclesiarum, in qua verba, de præcipuis capitibus ad Articulum Cœnæ spectantibus, sic habent: Fatemur in Cœna Domini non omnia modò Christi beneficia, sed ipsam etiam filij hominis substantiam, ipsam inquam, veram carnem, quam Verbum in perpetuam vnitatem personæ assumpsit, in qua natus & passus, resurrexit, & ascendit in cœlos: Et verum illum sanguinem, quem fudit pro nobis, non significari duntaxat, aut Symbolicè, typicè vel figuratè, tanquam absentis memoriam proponi, sed verè ac certè repræsentari, exhiberi, & applicanda offerri, adiunctis symbolis minimè nudis, sed quæ, quod ad Deum ipsum attinet, promittentem & offerentem semper rem ipsam verè ac certò conjunctam habeant, sive fidelibus, sive infidelibus proponantur.

Modus quo res ipsa cum symbolis in Cœna copulatur est symbolicus. Symbolicus vel Sacramentalis modus quis.

Iam verò modum illum, quo res ipsa, id est, verum corpus & verus sanguis Domini, cum symbolis copulatur, dicimus esse symbolicum sive sacramentalem. Sacramentalem autem modum vocamus non qui sit figurativus duntaxat: sed qui verè & certò sub specie rerum visibilium repræsentet, quòd Deus cum symbolis exhibet & offert: Nempe quòd paulò antè diximus; verum corpus & sanguinem Christi: Vt appareat nos ipsius corporis & sanguinis Christi præsentiam in Cœna retinere & defendere. Et si quid nobis cum verè piis & doctis fratribus controversiæ est, non de re ipsa, sed de præsentiæ modo duntaxat, qui soli Deo cognitus est, & à nobis creditur, disceptari.

Modus quo symbola nobis communicantur.

Quod autem attinet ad modum, quo symbola nobis communicantur, physicum sive naturalem eum esse dicimus. Naturaliter enim visibilia illa & palpabilia sumimus.

Modus quo res ipsa nobis in Cœna communicatur.

Denique quòd attinet ad modum, quo res ipsa, id est, naturalis illa & vera Christi substantia verè ac certò nobis communicatur, non fatimus eum modum naturalem, aut localem copulationem imaginamur, aut humanæ naturæ Christi diffusionem, aut crassam illam ac diabolicam Transsubstantiationem, non denique crassam quandam commixtionem substantiæ Christi cum nostra: sed spiritualem modum esse dicimus, id est, qui incomprehensibili Spiritus Dei virtute nitatur, quam nobis in hoc suo verbo patefecit: *Hoc est corpus meum.* Obtestamur autem omnes fratres vt sepositis affectibus cogitent, Ecquid oporteat illos, qui de Sacramentis Christi ita sentiunt & docent, pro infidelibus ac hæreticis traduci.

1557.

Huic Confessioni Farellus, Beza, Carmelus & Budæus *Legati subscripserunt, idque eo titulo, quòd in Gallia, Heluetia & Sabaudia ad istum modum de Cœna Dominica doceatur & credatur.*

Paulus Eberus Gallicis Legatis, in Cœna consentit.

Ad hos Legatos Paulus Eberus, Melancthonis collega, & frequentiùs & familiariùs commeabat, cumque his absque metu vllo versabatur, & de dogmatibus conferebat: quod etiam cum illis sentiret, pro se ferebat ac profitebatur. A Pencero tunc admonitus de hac libertate, Cogit me, *inquit,* testimonium conscientiæ meæ, quod in corde habeo, ore confiteri & externo gestu ostendere. *Non ignorabat autem Pencerus, quòd & scripta illorum legisset diligenter, & sententiam esset amplexus: sed unde eum tanta Religio incessisset, quem timidissimum alioquin esse sciebat, mirabatur, & insidiosè aliquid occultari verebatur. Sed ille se indies audaciùs gerebat, & declarabat constantiùs, adeò vt cum reuersis ipsis demum à Colloquio, & sufficeretur in locum Pastoris Ecclesiæ VVitebergensis Iohannis Bugenhagij Pomerani, Diaconis author esset suis, inquirendi & cognoscendi veritatem: & unum maximè ex illis M. Iohannem Sturionem veritatis admodum cupidum incitaret & confirmaret vehementer. De quo autem eo usque Melancthon nihil tam erat questus, quàm quòd socium & συναγωνιστὴν pium, doctum & fidum nullum haberet, quo cum sententias, de hac præsertim controversia, & consilia communicaret sua, uti facere erat solitus cum D. Caspare Crucigero, quem sæpe cum multis requirebat lachrymis: id sibi offerri darique ab Ebero, quem extulerat ad hoc omne, quod erat, lætabatur: sed ita tamen, vt cùm callidissimo eum esse & lenissimo ingenio nosset, quantum fideret ei, semper dubitaret, & nonnunquam etiam cū gemitu quereretur, insidias se metuere.*

Theologi autem Protestantium, ne temerè pro captiuis in Gallia fidelibus intercedere viderentur, postulârunt à Legatis, vt non grauarentur exhibere Confessionem, quam & ipsi & vincti profiterentur, ut hâc ratione in oculis Principum Germaniæ, maiori cum spe fructuosioris successus juuare eos possent. Sectarios enim commendare se Principibus suis non debere. Exhibita igitur est tum Confessio à Legatis, in qua nihil eorum, quæ inter Gallicas & Germanicas Ecclesias controverti adhuc

videbantur, celarunt, aut dißimularunt.

1557. *Confeßio venßorum Gallorum de Cœna.*

Sic enim habet Confeßio illa : Reverendi viri, Quod à nobis postulastis confessionem doctrinæ Ecclesiarum Gallicarum, quarum membra sunt illi ipsi captivi, propter quos hoc iter suscepimus: sapienter & rectè fecistis, & cùm sciamus in tanta confusione generis humani tantam esse varietatem opinionum, & de nobis fortassis spargi diversos sermones, gaudemus à nobis peti confessionem & libenter vbique eam exhibemus.

Itaque primùm omnium piè & constanter affirmamus, Nos damnare omnes blasphemias pugnantes cum scriptis Propheticis & Apostolicis, & Symbolis: Et nominatim execrari furores Serveti, Anabaptistarum, Libertinorum, Epicuræorum, & idola Papistica. Piè autem & constanter amplectimur nos & Gallicæ Ecclesiæ (quarum membra & nos sumus, & captivi illi de quibus diximus) scripta Prophetica & Apostolica, & Symbola Apostolorum, Nicenum & Athanasianum; sicut noster Catechismus ostendit, octo linguis editus. Cumque legerimus vestram Confessionem, quæ Augustæ exhibita est, anno 1530. prorsus in omnibus articulis eam congruere cum nostris Ecclesiis judicamus, & eam amplectimur, excepto vno articulo, videlicet, de Cœna Domini, in quo controversiæ hærent, de quibus colloquia cum vestris semper expetivimus, & speramus dirimi eas posse, si eruditorum & piorum explicatio audiatur. Nunquam hoc nos sensimus, aut docuimus, Cœnam Domini esse tantùm signum professionis, sicut Anabaptistæ sentiunt, aut sicut vociferatur Suuenckfeldius, aut esse signum tantùm absentis Christi. Papistas damnamus, qui conversionem panis & adorationem docent, & horribiliter cumulant idola, & adorant panem in circumgestatione, in elevatione, in repositione & oblatione. Hæc idola damnare nos fatemur, & retinemus propositionem: Nihil habere rationem Sacramenti, nisi in vsu instituto. Et constantissimè affirmamus, Filium Dei missum esse, vt per eum colligatur Ecclesia, & adesse eum suo Ministerio, & in Cœna testificari, quòd faciat nos sibi membra: & verba Pauli sequimur, qui ait, Panis est κοινωνία corporis, id est, est illa res, quam quum sumimus, Filius Dei verè adest, & facit nos per fidem sibi membra: & testificatur se nobis dare & applicare remissionem peccatorum, Spiritum S. & vitam æternam. Retinemus & Hilarij dictum: *Hæc sumpta & hausta faciunt, vt Christus sit in nobis, & nos in eo.* Denique maximè optamus, vt docti & pij de hac tota re colloquantur. In cæteris articulis omnibus judicamus doctrinam nostrarum Ecclesiarum, prorsus cum vestra Confessione congruere, & sentimus nos & vos vnam veram Ecclesiam Filij Dei esse: & damnamus vobiscum idola Papistica, & idolorum defensores, & vobiscum invocamus verum Deum æternum Patrem Domini nostri Iesu Christi: & consensum cum vestris Ecclesiis pium & æternum, propter gloriam Dei & salutem plurimorum optamus. *Dat. Wormaciæ, Anno* 1557. *Octobr.* 8.

Hoc subscripsimus Gallicarum Ecclesiarum nomine ad Illustrißimos & verè pios Germaniæ Principes Legati: Guilelmus Farellus, Neocomensis Ecclesiæ Pastor: Iohannes Budæus, civis Genevensis: Caspar Carmelus, Parisiensis Ecclesiæ Minister: Theodorus Beza, Lausannensis Academiæ Doctor: & Reverendis viris ac Patribus D. Philippo Melanchthoni, D. Iohan. Brentio, D. Iohanni Pistorio, D. Michaeli Dillero, D. Iohanni Marbachio, D. Georgio Karg, D. Iac. Andreæ exhibuimus nostris manibus consignata.

Hac Confeßione lecta, ita toti illi Theologorum Germanorum cætui placuit, ut non gravatè statim illorum petitioni acquiescerent, & liberaliter commendatitias illis ad Illustrißimum Principem Wirtenbergensem *literas darent, quæ ita de verbo ad verbum habent.* Gratia Dei per unigenitum Filium suum Iesum Christum, &c. Illustrissime Princeps. Intellexit haud dubiè C.V. Lutetiæ ante aliquot dies, propter Christianæ Religionis professionem in carcerem coniectas esse centum circiter, & triginta quinque animas: In quibus nonnullæ honestæ matronæ, & virgines etiam nobiles numerantur. Quæ causa fuit, cur ad nos fidi isti, & docti viri Gulielmus Farelius, Theodorus Beza, Iohannes Budæus, & Caspar Carmelus, fuerint delegati, qui nos rogarent, ut apud V. C. aliosque Christianos Principes intercedere velimus, quò communi Vestrarum Celsitudinum nomine, si fieri potest, legatio aliqua ad Gallorum Regem instituatur, vel alioqui per literas pro captivis illis, pia intercessio à V. Cels. obtineatur. Quibus nos in hanc sententiam respondimus.

Primùm, non admodum nobis probari virorum simul ac mulierum, virginumque in alienas, clancularios, ac maximè nocturnos conventus: hocq; antea etiam nos dissuasisse & mo-

& monuisse vt singuli potiùs in suis quisque ædibus cum liberis, reliquisque domesticis lectioni, ac precibus vacent; Catechismum pueros doceant: & alia pietatis priuata exercitia instituant: Sacramentis autem in iis ciuitatibus communicare nitantur, in quibus publicæ, rectéque institutæ Ecclesiæ habentur, si id commodè ab ipsis fieri potest: sin minus ab illis prorsus abstineant.

Ad legationem verò quod attinet, siquidem aliquam ipsi, vel per legatos, vt per literas intercessionem cupiant obtinere; debuisse eos prius captiuorum nomine fidei confessionem offerri, priusquam enim intercedant Principes, æquum esse, ut ipsis de eorum doctrina constet, pro quibus intercedunt. Nam sectarios, ut Anabaptistas, Servetistas, Libertinos, reliquosque eius farinæ homines fovere, pios Principes non decere. Post hanc nostram admonitionem responderunt, se fidei confessionem missuros; cuius exemplar hisce inclusimus.

Quum verò ea confessio in omnibus doctrinæ capitibus nostræ confessioni probè respondeat, (etiamsi caput vnum satis obscurè proponant, de quo tamen poterunt in legitima Synodo facilè admoneri) noluimus illis in tam gravi persecutione, hanc consolationem denegare, quin Celsitudinem Vestram pro eis supplices deprecemur, & pro sua prudentia, & uti Christianum Principem decet, secum ipsa consideret, magis-ne expediat vel legationem ad Regem ipsum ex professo mittere, vel saltem per literas apud illum pro Captivis intercedere. Oramus autem Celsitudinem Vestram, ut hoc nostrum scriptum elementer suscipiat, & quoad eius fieri poterit, Venerandos istos Christianosque homines, in ipsorum innocentia solari dignetur &c. *Datum VVormatiæ 8. die Octobr. Anno 57.*

Theologi Protestantium Wormatiæ, Gallorum Confessionem Augustanæ conformem esse iudicium. Wirtebergici Ducis sententia de Confessione Gallorum & doctrina Helveticorum.

Hanc Confessionem, Theologi literis suis ad Principem VVirtenbergensem addiderunt. In quibus & hoc disertè prædicant, Confessionem eam in omnibus doctrinæ Capitibus Augustanæ Confessioni probè respondere: etiamsi caput de Cœna aliquantò obscurius proponatur: de quo tamen possit in legitima Synodo Collatio sententiarum institui.

Responsum autem VVirtenbergici Ducis tale fuit, vt palàm testetur, Ecclesias Gallicas, minimè tum à Germanis Principibus, pro damnatis aut reiectis habitas fuisse. Inter alia dicit, hanc fidelium captivorum Gallorum & jam rogo destinatorum fortunam, communem esse omnium Christum Filium Dei verè agnoscentium & confitentium, proindeque Celsitudinem suam non posse pro singulari suo erga veram Religionem studio, non vehementissimè & affici, & vicissim sibi certam & indubitatam spem facere; Deum Spiritu suo sancto has Ecclesias, quarum pietas adeò sit testata, confirmaturum & conservaturum: suamque Celsitudinem daturum operam, vt quàm citissimè hoc negotium ad alios quoque Principes Germaniæ perferatur: & coniunctis ipsorum votis & studiis opera detur, & efficiatur, vt per piam intercessionem & legationem animus Regis Gallorum mitigetur. Iudicare etiam Celsitudinem suam, maximè huic negotio profuturum, si Status Heluetij; & præcipuè illi, qui Regi Gallorum singulari sunt fœdere addicti, & in Ecclesiis suis veram doctrinam Christi sonant, hoc negotium & promoueant, & vrgeant, &c. *Actum Gœpingæ 16 die Octobris Anno 57.*

Helvetij intercedunt apud regem Galliæ pro vinctis fidelib.

Venerunt igitur ijdem Legati Tigurum, & quod petierunt à Senatu, facilè in causa tam pia, impetrarunt: bis enim hoc anno ab vrbibus Evangelicis in Helvetia Legati ad Regem Galliæ missi fuerunt: cumque idem à Principibus Germaniæ factum esset, tempestas hæc ad tempus quievit.

Colloquium Gallicorum legatorum cum Iac. Andrea de cœna.

Antequam Tigurum venirent legati Gallici, Gœpingam transeuntes, Principis VVirtenbergici voluntate, pacatum modestumque Colloquium habuerunt cum Iacobo Andrea tunc eius loci Pastore, de Cœna Domini. Sic autem vtrinque discessum est, ut quamvis inter ipsos non conveniret per omnia, levis tamen admodum controversia potius de præsentia & communicationis corporis & sanguinis modo, quàm de reipsa Sacramenti superesset. Disputationis summam, Principe sic petente, in aliquot articulas extempore contulerunt, eique exhibuerunt 14. Maij, Anno 1557. addita inscriptione, sic in Helveticis & Sabaudicis Ecclesiis doceri.

Christi corpus non descendit in nostrum ventrem.

In eodem Conventu VVormatiensi missa est ad Philippum ex Aula Illustrissimi Principis Georgij Friderici Marchionis Brandenburgici quæstio, de qua inter Decanum Anspacensem ac Pastorem eius loci contentio extiterat: An Corpus Christi descendat in ventrem, *Nam Pastor contendebat, Corpus Christi fuisse in ventre virginis Mariæ, posse igitur ingredi etiam in nostrum ventrem. Philippus autem scriptis ad Marchionem literis 12. Septem. hoc tanquam ἀδύνατον & ἄτοπον improbauit & reiecit: quibus etiam tum subscripsit, Iohannes Brentius.* Non dubium est, *inquit*, Papisticam adorationem in circumgestatione, repositione & oblatione simpliciter idololatricam esse: quia nihil habet rationem Sacramenti extra vsum à Deo institutum, cùm nulla crea-

1557.

tura poſſit Sacramentum facere. Inſtitutio autem diuina tantùm de Sumptione loquitur vt ſcriptum eſt: *Accipite, & manducate.* Item: *Panis eſt* κοινωνία σώματος. Hæc verba expreſsè de Sumptione loquuntur. Sic & Hilarius de Sumptione loquitur: *Hæc ſumpta & hauſta faciunt, vt Chriſtus ſit in nobis, & nos in Chriſto.* Etſi igitur verè & ſubſtantialiter adeſt Filius Dei in ſumptione faciens nos ſibi membra, & teſtificans nos eſſe ſua membra, & nos conſolans: tamen non ponatur conuerſio panis vel incluſio localis, vt Papiſtæ docent: Et quidem expreſsè inquit Theodoretus, doctus & antiquus Scriptor, φύσιν οὐ μεταβάλλων. Et Epiphanius inquit: βρωτὸς μὲν ἄρτος ἐστί, δύναμις δὲ ἐνέργεια ἐστί. Nequaquam igitur dicendum eſt, deſcendere corpus Chriſti in ventrem, aut dentibus atteri, ſicut in Papiſtico decreto dicitur, Lutherus etiam συνεκδοχὴν expreſsè probat, & ſæpe eam repetit.

Fuit autem hæc Reſponſio eâdem quidem ſententia, ſed paulò aliis verbis initiò perſcripta à Philippo, vt autographum teſtatur. Cumque collatio vtrique ſcriptioni lucem afferat, ſubjiciam primas quoque cogitationes Philippi de hac quæſtione, ſicut eas manu ſuâ in charta initiò annotavit, & eaſdem alij quoque antehac ediderunt.

Philippus Melancth. Wormatiæ M. D. L V I I.

NIhil dubium eſt adorationem Papiſticam in circumgeſtatione panis, & repoſitione, & oblatione idololatricam eſſe. Nihil enim habet rationem Sacramenti, extra vſum à Deo inſtitutum. Creatura enim facere Sacramenta non poteſt. Inſtituta autem eſt ſumptio, in qua verè & ſubſtantialiter adeſt Filius Dei, & teſtificatur hac externâ ſumptione, quòd verè faciat nos ſibi membra, & ſeſe & ſua bona nobis communicet, ſicut Hilarius inquit: *Hæc ſumpta & hauſta faciunt, vt Chriſtus ſit in nobis, & nos in Chriſto.* Nec eſt conuerſio ſubſtantiæ panis. Cùm autem factâ ſumptione deſcendit panis in ventrem, & alteratur, eſtque jam cibus corporalis, deſiit ratio Sacramenti. Ideo omittatur abſurda phraſis: Corpus Chriſti, vel Chriſtum deſcendere in ventrem. Nec Lutherus ponit converſionem ſubſtantiæ panis: ſed ponit Synecdochen, videlicet, ſumpto pane & vino, verè ſumi corpus & ſanguinem.

Ad hanc Synecdochen congruunt & Pauli verba, quæ tantùm de vſu inſtituto loquuntur. *Panis eſt* κοινωνία *corporis*, id eſt, id quo nobis communicatur corpus Chriſti. Poſt hunc vſum, cùm panis alteratur in ventre, alius vſus eſt panis: vitentur ſermones prophani, & doceantur homines de ipſa ratione Sacramenti, videlicet, de teſtificatione, quòd ſimus membra Chriſti. Deinde de vera conſolatione, quæ eſt manducatio ſpiritualis.

Ad hunc Doctorum Conuentum Wormatiæ congregatum, Weſtphalus *ſuam Confeſſionem de Cœna Domini miſſurus etiam erat: ſed, vt conqueritur, antequam hoc facere poſſet, Conuentus jam ſolutus erat: eam itaque euulgavit.*

Diſſoluto Colloquio varia hinc inde à Papiſtis amarulenta ſcripta ſparſa ſunt, præſertim in Comitiis Francofurti ad Mœnum, propter electionem noui Imperatoris indictis: quibus Petrus Darhenus *alium librum oppoſuit, cui poſtea* Bartholomæus Latomus *reſpondit.*

ANNVS DOMINI M. D. LVIII.

Scripta & Certamina Wormatienſem Conuentum ſequuta in cauſa Sacramentaria.

Weſtphalus contra Calvinum.

I*Nitio anni* 1558. Weſtphalus *apologetica aliquot ſcripta emiſit, quibus, vt ipſe dicit, ſanam doctrinam de Euchariſtia defendit, & fœdiſſimas calumnias Sacramentariorum diluit. Alium quoque libellum edidit, qui inſcribitur:* Confutatio aliquot enormium mendaciorum Ioannis Calvini, *ſequutura apologia adverſus eius furores præmiſſa à* Weſtphalo, *&c. Mox ſequuta eſt* Apologia *illa ad vltimam admonitionem Calvini.*

Ioachim Magdeburgij libellus.

Ioachimus *quoque* Magdeburgius *librum edidit de vetere & nouo Chriſto: in quo fingit, veterem Chriſtum prædicari à Lutheranis, nouum à Berengario excogitatum, annunciari à Sacramentariis.*

Incerti authoris libellus.

Eodem tempore prodiit incerto authore liber Germanicâ linguâ, de rumore qui ſparſus erat, neminem eſſe ferendum, qui non per omnia, abſque contradictione vel Papiſticam vel Lutheranam doctrinam amplecteretur. In hoc libro ex multis Lutheri libris oſtenditur, hanc eius fuiſſe mentem, quòd hæretici non ſint comburendi, & quòd non docti tãtùm, ſed etiam plebeij homines de doctrina veritate judicare poſſint ac debeant: item quòd iniuſtum ſit aliquem non auditâ cauſâ condemnare. At nunc longè aliter rem geri: Dicit etiam, Principibus, quando Confeſſionem ſuam, quam tantopere nunc vrgeant, Cæſari in Comitiis Auguſtanis obtulerunt, non veniſſe

in

in mentem, vt in exilium edictis suis pellerent secus docentes: sed communem pacem religionis in Imperio à Cæsare petiisse.

Liturgica Georgij Cassandri.

Edidit quoque Georgius Cassandet *Liturgica de Ordine & ritu celebrandæ Cœnæ Dominicæ, ex variis monumentis, & probatis Scriptoribus collecta. Coloniæ apud hæredes Birckmanni. Hunc librum author aliquot capitum & testimoniorum accessione auctiorem reddidit.*

Scriptum Philippi ad Transsyluania Ecclesias de Cœna.

Hoc ipso quoque anno nomine Academia Witebergensis, Iudicium de Controversia Cœnæ Domini perscriptum fuit à Philippo ad Ecclesias Transsyluaniæ, in quo hæc sunt verba, quod ad articulum de Cœna attinet: Papistici errores maoifesti sunt, qui extra institutum vsum circumgestant panem, reponunt, offerunt & ibi adorant. Contra hos tetros errores teneamus Regulam. *Nihil habet rationem Sacramenti extra vsum institutum.* Hac Regulâ positâ, multæ falsæ adorationes ruunt: oec Eccius poterat haoc Regulam refutare in Conuentu Ratisponensi. Postea de iostituto vsu Cœnæ Dominicæ in vera Ecclesia affirmo prorsus, Filium Dei verè & substaotialiter adesse præsentem in Ministerio instituto, quia persooa est ab æterno Patre missa, vt proferat Euangelium ex sinu æteroi Patris, & sit efficax & colligat Ecclesiam. Hæc persona io hoc Mioisterio adest verè & substantialiter, & est efficax, & communicatiooe corporis & sanguinis sui, facit oos sibi membra, & sese & beneficia sua nobis applicat, sicut & Hilarius dicit: *Hæc sumpta & hausta faciunt, vt Christus sit in nobis, & nos in ipso.* De hac commooicatioe & sumptiooe loquitur Dominus; *Accipite, manducate.* Et de præsentia Filij Dei in Ministerio homines docendi sunt, & de applicatione: quia seipsum nobis applicat, & nos sibi membra facit, verè & substaotialiter præsens. Nec fingatur Cœna esse inane spectaculum, &c. *Sic etiam alibi scripsit. Adeò iisdem penè verbis à primis tractationibus Concordia, ante & post Lutheri mortem, sententiam suam de vera & substantiali præsentia Christi non in pane, sed in actione Cœnæ, respectu legitimè vtentium in omnibus publicis priuatisque scriptis repetiit Melanchthon; Imprimisque ad considerationem originis controuersiæ istius magno studio intelligentes deducere conatus est, ostensis & ex veris fundamentis reiectis erroribus Papisticis, vnde disputatio omnis de corporali præsentia Christi in pane nata est. Et seriò testari voluit, non in labris natam, sed ex intimo animi sui sensu profectam esse hanc sententiæ suæ expositionem vnam ac perpetuam.*

1558.

De Conventu Francofurtensi, eiusque Recessu & Consensu.

Anno eodem celebratus est Principum & Theologorum Conventus Francofurti, in quo, quum inter ipsos Evangelicos certamina de hoc etiam articulo mota essent: hæc declaratio Augustanæ Confessionis & Consensio in articulo de Cœna, gravi authoritate Principum tum sancita fuit. Sic autem de verbo ad verbum habet: De hoc articulo In Ecclesiis nostris doceri debet juxta Augustaoam Coofessionem, nempe quòd in hac Domini nostri Iesu Christi ordinatione sacræ suæ Cœnæ, verè vivificè & substantialiter Christus præsens sit, & cum pane & vino sic ab ipso ordinatis, Corpus & Sanguinem suum manducandum ac bibendum nobis Christianis exhibeat, atqoe testetur, quòd ipsius membra simus, & quòd seipsum vnà cum promissione gratiæ nobis dooet atque applicet, & quòd io oobis sit efficax & operetur, quemadmodum Hilarius inquit: *Hæc sumpta & hausta faciunt, vt Christus sit in nobis & nos in ipso.* Quæ verba clarè loquuntur de actione seu vsu, sicut & Paulus expressè de vsu seu actione ioquit: *Panis quem frangimus, est communicatio corporis Christi.* Id enim de pane extra vsum intelligi non potest: sed hoc modo accipiendum est: Hic panis est res illa, quâ nobis communio corporis Christi exhibetur. Et sic loquuntur veteres Scriptores & Patres præcipui in Ecclesia. Irenæus inquit: *Eucharistia constat duabus rebus, terrenâ & cælesti.* Et Epiphanius ac Theodoretus clarè dicuot, *quòd natura & substantia panis maneat: & quòd tamen cum pane dana nobis dentur*, videlicet Corpus & Sanguis Christi.

Postea nouæ locutiones iotroductæ sunt: Panem mutari, sicut baculus Mosis mutabatur in serpentem. Deiode Monachi aliam locutionem finxeruot, Panem amittere substantiam suam, ac traossubstantiati, hoc est mutari, atque ita corpus in specie panis adesse, etiam extra sumptionem, &c. Has locutiooes ignotas esse Veteribus, facile est ostendere.

Quod præterea de legitimo vsu & de abusibus, & de Missa diceodum est, alibi latiùs declaratum est. Ac summè necessarium est, hanc senteotiam in vera Ecclesia manere, quòd sumptio ad confirmatiooem fidei & consolationem fieri debeat: quòd verè Filius Dei se & suas promissiones oobis applicet, & cum pane & vino verè detur. Et opus hoc non esse sacrificium pro

 aliis

1558. aliis: Qua de re in aliis scriptis necessaria declaratio est recitata.

Quòd etiam alij hoc tantùm dicunt, Christum non substantialiter adesse, & hoc signum tantùm esse signum externum, quo Christiani suam confessionem edant & agnoscantur, id non rectè dicitur.

Secundùm hunc Recessum & Consensum, Otto Henricus Palatinus, Augustus Saxo, & Ioachimus Brandeburgensis, Electores, vnà cum Principibus Friderico & Wolfgango Palatinis, Philippo Landgravio, Christophoro Wirtobergensi & Corolo Badensi, sese devinxerunt, & simul Augustanam Confessionem, eiusque Apologiam emendatam approbarunt, & phrasin illam: Quòd corpus Christi adsit in specie panis, tanquam recens à Monachis confictam & Veteribus ignotam, *disertè reiecerunt.*

Franco-furt. Recessus non probat corporalem Christi in pane præsentiam.

In hoc autem Recessu Francofurtensi non audimus vsquam doceri, Christum corporaliter in pane præsentem esse, & à piis & impiis corporaliter manducari: Sed contrà, in Cœna sua, *eaque tali*, qualis à Christo ordinata est, verè & substantialiter præsentem esse: *& quidem non mortuum*, *sed* vivum & efficacem, *hoc est Spiritu suo in nobis operantem: & quando panem hunc & vinum hoc sumimus, non quocunque modo, sed* in vsu ab ipso instituto, *qui sine vera in ipsum fide esse non potest: non Ministros qui panem porrigunt*, sed ipsum Christum: *non quibusvis promiscuè*, sed nobis Christianis: *non profectò hypocritis & nomine tenus, sed veris & reipsa Christianis qui soli hac Cœnà secundùm Christi institutionem vtuntur, quibusque author qui scripsit, & ij qui hæc profitentur, sese his verbis annumerant:* corpus & sanguinem suum edendum & bibendum dare. *Hæc verò quandoquidem solis fidelibus Christi manducationem vendicant: satis jam evidenter, etiam adversariis vel invitis confitentibus, eam non nisi spiritualem statuunt.*

Recessus Francof. de vera manducatione corporis & sanguinis Christi.

Veruntamen vt clarius & certius intelligeretur, quid sit Christi carnem & sanguinem edere ac bibere, aut quomodo se nobis Christus edendum & bibendum det, expressè adiungitur, eum hac sumptione panis testari, *non sanè carneam & sanguineam corporis sui massam per ora nostra ingredi nostra corpora, verùm* nos esse membra sua, & ipsum se & promissionem gratiæ suæ nobis applicare & in nobis efficacem esse: *quæ verba nec de alia quàm de spirituali manducatione possunt intelligi, nec aliam in Cœna patiuntur statui: quandoquidem nemo vnquam in eo finxit aliam Christi manducationem, nisi quam panis Eucharistici sumptio visibilis fieri testatur. Disertè autem hic verbis Pauli declaratur & confirmatur, testimonium spiritualis huius communionis Christi*, esse panem hunc manducatum, juxta institutionem Christi: *corporali igitur esui carnis Christi neque signi neque signati locus relinquitur. Nec aliam admittunt verba Hilarij, quibus hoc loco (vt sæpe aliàs) declaratur & confirmatur hæc sententia. Ac ter quidem inculcatur*, hæc de pane non nisi in sumptione intelligi oportere: *Itaque corpus Christi in mensa iacere, in manu Ministri gestari, in terram cadere, &c. hic manifestè negatur. Accedunt Pauli verba, quæ & ipsa non nisi spiritualem manducationem intelligi permittunt.*

Denique sic ea declarantur, quòd panis iste sit non sanè ipsum Christi verum & substantiale corpus, nec illud in quo corporaliter Christi caro lateat, aut cum quo corporaliter ingrediatur ora & corpora hominum, sed illud, quo communio corporis Christi nobis impertitur. *Vbi primùm communio non exponitur de esu corporali, sed de spirituali; quia communio corporis, & communio cum corpore Christi, quæ sanctorum est propria, pro eodem ponitur: quod à nonnullis instar magni criminis acriter reprehenditur & acerbè exagitatur. Deinde expressè hæc duo ponuntur tantum in Cœna*: sumptio panis, & communio cum corpore Christi, *quæ per sumptionem panis nobis impertitur, tanquam per organum Spiritus sancti, quo fidem ille in nobis fovet & confirmat, quâ corpori Christi inserimur: Idem confirmatur Irenæi testimonio: qui duo hæc agnoscit in Cœna:* rem terrenam *quæ est panis*; & cœlestem, *quam nefas est impiis communem dicere, videlicet corpus Christi. Qui enim negat panem esse corpus Christi, sicut baculus Mosis erat serpens: profectò neque sic esse concedit, sicut costa Adami erat Eva, vt aliqui contendunt.*

Recessus Fran. quomodo panem statuat esse corpus Christi.

Refert se item Recessus ad alias veri vsus & abusus Cœnæ Dominicæ declarationes. Hinc summam doctrinæ de Cœna Domini rursus colligens, affirmat, hanc sententiam summè necessariam esse: Quòd sumptio hæc ad confirmationem fidei & consolationem debeat fieri. *Vbi itidem duo hæc constituuntur in Cœna*, sumptio videlicet panis, & applicatio Christi: *& sumptionem fieri debere affirmatur* ad confirmationem fidei, *non eius, quâ credatur, quòd Christus corporaliter in pane sit & comedatur:* sed quòd verè se & suas promissiones nobis applicet, ac nobis cum hoc pane det: *vbi disertè, nobis applicari Christum & promissiones eius, & eum nobis cum pane dari, inter ea beneficia collocat, quæ hac sumptione confirmantur, & quæ fide, conscientias consolante, accipienda sunt.*

Rursus Fran. summa doctrinæ de Cœna.

Tandem non illorum, qui Christum corporaliter in pane esse & manducari negant, sed qui eum non substantialiter adesse Cœnæ suæ dicunt,

Recessus Franc. non est impro- [illegible]

nec

bat, qui corporalem Christi in Cœna præsentiam negant.

nec illorum, qui Cœnam Domini certum communionis Christi pignus, (nam ipse Recessus eam signum nominat) sed qui tantùm externum professionis & societatis Christianæ signum esse dicunt, vt Anabaptistarum & similium, sententia improbatur.

Recessus Franc. non novam Confessionem edit, sed Augustanam tantum repetit. August. Confessionis vera sententia.

Profitetur etiam Recessus expressè nullam hic nouam Confessionem edi, aut nouos articulos condi, sed Augustanæ Confessionis & Apologiæ sententiam repeti, & hanc Repetitionem prorsus cum illa Confessione congruere, & nominatim de hoc articulo idem hîc doceri, quod in Augustana Confessione. *Cùm igitur hæc Augustanæ Confessionis declaratio ab iisdem scripta sit, qui Augustanam Confessionem & Apologiam ediderant & postea amplexi sunt: & quidem consensionis mutuæ contra aduersariorum calumnias testificandæ causâ suscepta, idque post causam istam certaminibus tam variis, tam diu & asperè jactatam: Cur non hanc potiùs genuinam ac certam Augustanæ Confessionis sententiam esse statueremus, quàm peculiares quorundam opiniones, quæ hîc non tantùm apparent nusquam, sed manifestè etiam euertuntur? Negari non potest, Philippum Melancthonem, eandem de Cœna Domini sententiam amplexum esse & docuisse quam Helveticæ Rhenanæ Ecclesiæ amplectuntur ac docent. Ideoque audiuntur adversus illum, eadem quæ contra dictas Ecclesias, criminationes. Testatus est autem hac Francofurtensis Recessus & Consensus formulâ se verbo Dei, vetustis & sinceris Ecclesiæ Scriptoribus, atque illi quoque, quæ in Augustana Confessione & Apologia continetur, de Cœna Domini doctrinæ congruentem etiam tum sententiam profiteri: Illustrissimi Principes, Confessionis Augustanæ socij, gravissimo sapientissimoque judicio eam esse talem statuerunt: agnoscere eam pro sua non dubitârunt: in ea se perseveraturos contestati sunt: ne secus in Ecclesiis suis doceretur vnanimi decreto sanxerunt, eoque & Philippum & ipsum omnes doctrinam eandem quam ille hîc est professus, amplectentes, ab illis adversariorum accusationibus locupletissimo testimonio vindicârunt: Si quis autem in ipsorum Ecclesiis diversum aliquid ab iis, quæ hîc sunt expressa, sentiat, eum neque tumultuari, neque iniuriis alios lacessere, neque suas opiniones in vulgus spargere, sed placidè & moderatè cum doctis, prudentibus & peritis conferre voluerunt. Cur igitur, qui nos accusant, se potiùs, quàm ipsos authores Confessionis, tanquam eius interpretes audiri postulant? Cur in nobis tam confidenter damnant, quod in aliis sine insigni impudentiæ nota, ne reprehendere quidem possunt? Cur adversus omnes, qui in verba eorum jurare recusant, fulmina Pontificalia vibrantes, tam audacter Christianorum Principum clementiâ & lenitati obuntuntur? An ne putant, hos atque pios & cordatos omnes non intelligere, suum sub Calvinistarum nomine judicium, ab his Aristarchis eadem quâ Calvinistas iniurio & intemperie condemnari? Cur non æquissima potiùs & saluberrima agendi ratione vtuntur, quæ ab ipsis Illustrissimis Principibus sapientissimè præscripta est iis, qui opinionibus ab hoc ipsorum Consensu alienis sollicitantur, vt pio & quieto discendi studio, cum aliis ad collationem sese offerentibus, de doctrina eiusque fundamentis placidè colloquantur, & quod verbo Dei consentaneum deprehenderint, sequantur: quàm tot Ecclesias turbent inconsideratis clamoribus, & adeò in eos atrociter inuehantur, qui piorum Magistratuum, atque adeò ipsius Dei mandatis obtemperantes, doctrinam in verbo Dei traditam, & in hac Illustrissimorum Principum Confessione repetitam, Ecclesiæ proponere student potiùs, quàm illis auscultare, qui nobis corporales præsentias, manducationes impiorum, Vbiquitates suas, & alia id genus his coniuncta, quorum nullam prorsus mentionem facit Consensus hic, sed potiùs reijcit, instar novorum Pontificum, per vim volunt obtrudere?*

1558.

Schmidlini iudicium de recessu Francofurtensi.

De hoc Recessu Francofurtensi quid Iacobus Andreæ quoque tum quidem judicauerit, sequens epistola docet, quam ad P. Eberum scripsit: Cùm sese fortè fortunâ hic nuncius mihi obtulisset, nolui illum sine meis ad te literis dimittere, quibus si nihil aliud agam, saltem quàm grata mihi fuerit superioris anni conversatio vobiscum, in vrbe Vangionum, testari volui, quum viderem vestros animos eò spectare vnicè, vt in tanta animorum distractione, vel medioctis saltem pax & tranquillitas retineatur. Quò magis dolendum est: dum piissimi Electores & Principes in superiore Conventu Francofordiæ suam quoque coniunxerunt operam, turbulentos Theologos suis clamoribus apud Principes obtinere posse, vt ipsorum quoque suffragiis, quæ piè & rectè constituta sunt, convellantur. Sed spero Dominum eis constituisse modum furoris & insaniæ. Nam quo alio nomine intempestivum illud sanctulorum hominum scelus, zelum inquam, exprimam. Redditurí sunt & Deo & hominibus rationem, qui sine causa maiores distractiones facere moliuntur. Nostræ Ecclesiæ, beneficio Dei, pacatæ sunt, & eum consensum tuebuntur, in quem pij Electores & Principes consenserunt, & quo pacto istorum calumniis & mendaciis occurrant, modum inuenient & rationem, quam Dominus monstrabit, cuius vinculo spero copulatos nostros animos, &c. *Die 17. Iulij, Anno 1558.*

1558. Schmidlinus quos notet in hac epistola sua.

Notat autem in his suis literis Schmidlinus quosdam inferioris Saxoniæ Theologos, inprimisque Flaccianos, hoc est, Flaccium Illyricum cum suis gregalibus, qui hunc Consensum, & declarationem in eo factam non probârunt: quòd dicerent, eam dubiè, generaliter & ambiguè scriptam esse, magisque Zuinglij & Calvini, quàm Lutheri sententiam & doctrinam stabilire. *Hos jam quidem* turbulentos Theologos *nominat Schmidlinus, & eorum contra Recessum Francofurtensem exagitationes vocat* intempestivum scelus, *aliosque furores detestatur. Mox autem mutatâ mente, cum his ipsis turbulentis Theologis ad opprimendos* Witebergenses *orthodoxos Theologos, discipulos Melancthonis, & hunc Consensum Francofurtensem approbantes, conspiravit ipse, ut suo loco indicabitur.*

In eodem conventu, postularunt Gallicarum Ecclesiarum Legati pacificam de Controversiis in Cœna Domini collationem: nec modò Illustrissimi tres Principes Electores, sed etiam aliquot alij Germaniæ Principes eam promiserunt illis.

Elisabetha Regina post mortem Mariæ Angliæ Ecclesias reformat.

Rebus omnibus in Anglia sub Maria Regina propè desperatis, ecce illa præter omnium spem 17. Novemb. moritur, eique Elizabetha soror, Princeps & Religionis veræ studiosissima, & omnibus eximiis virtutibus præstantissima, in Regno successit, quæ quasi de cœlo delapsa, atque ad Reip. gubernacula divinitus admota, Patriam in summum discrimẽ adductam servavit, Ecclesiam afflictam & oppressam recreavit, pietatem jam dudum exulantem revocavit, pristinisque sedibus restituit. Eâ igitur ad Imperium maximo Dei beneficio evecta, religio, quæ fluctib. Marianis miserè jactata fuerat, quæque nullum in Anglia locum, in quo consisteret, invenire poterat, in portum aliquando tutum & tranquillum venit. Tum quos tempestas superior in longinquas oras ejecerat, atque in exilio vitam traducere luctuoso coegerat, ij, hac latissimâ rerum conversione nuntiatâ, ex omnibus partibus atque regionibus, è Germania, Italia, Polonia, Dania, Helvetia, Sabaudia, Belgio, in Angliam redierunt. Erant autem illi ex omni genere innumerabiles homines, nobiles, plebei, docti, rudes, viri, fœminæ, qui patriam, amicos, domos, bona omnia amittere atque abjicere, quàm infandâ idololatriâ & superstitione contaminari, conscientiæ vulnus inferre, & pietatis jacturam facere maluerunt. Inprimis autem ab exilio rediit hominum doctissimorum permagna frequentia, qui ex illis Marianis incendiis erepti, ad aliquod exterarum nationum perfugium pervenerant. Quibus in patriam reversis, Regina Episcopos Papisticos, qui temporibus Marianis sacris præfuerant, & plurimùm authoritate potuerant, reliquosque doctrinæ opinione celebres

Regina disputationem instituit.

Sacerdotes evocavit, in certamen cum adversariis descendere, arma deponere, furorem dimittere, flammas extinguere, argumentis, ratione, & doctrinâ certare voluit, ut utri meliorem veri oremque causam defenderent, ex hoc partium congressu & quasi conflictu cognosci posset. Deliguntur ex utroque genere docti viri, locus designatur, tempus notatur, Index constituitur, quæstiones & capita disputationis describuntur, omnesque suspensis animis rei exitum finemque expectant. Evangelici causæ æquitate confisi, & Reginæ laudatissimo studio morem gerere cupientes, ad diem adsunt, veritatis defensionem alacres lætique suscipiunt, nullas partes, nullas conditiones, nullam disputandi conditionem defugiunt, & sic institutæ veritatis confirmationi & omnium expectationi satisfaciunt. Papistæ contrà tergiversantur, queruntur, aliquid semper causantur, præscriptas leges contemnunt, nihil explicant, à proposita disputatione & Indices, & adversarios, & auditores ad alienas quæstiones abducunt, ut suam sententiam proponant atque defendant adduci non possunt. Qua illorum importuna & morosa pertinacia factum est, ut indictum Colloquium abrumperetur, conventusque celeberrimus eorum, qui ad viros utriusque partis de Religione disputantes audiendos confluxerat, subitò dimitteretur. Hinc tamen fructum hunc boni omnes cœperunt, quòd deploratam Papistarum causam esse intelligerent. Regina igitur hominum istorum iniquitate commota, illos, tanquam iis locis, quos tenerent, indignos cedere iis coegit, qui fide synceriore Ecclesiam gubernarent, & populum in vera pietate instituerent.

Scoti abolent Papatum.

Eodem ferè tempore, Scoti quoque incredibili alacritate & constantia, Papatum sustulerunt: & cùm alia, tùm Cœnam Domini ad Apostolicæ Ecclesiæ simplicitatem revocarunt.

Ex Ducatu Wirtembergensi Zuingliani pelluntur.

Hoc etiam anno Dux Wirtenbergensis *Christophorus edictum de Religione promulgavit, in quo Zuinglianorum mentio fit, & Ducatu pelli jubentur. Hoc plerique ab eo factum mirabantur, qui sciebant Patrem ipsius Illustrissimum Ducem Vlricum, Zuinglium amasse, & eius consilio in rebus gravibus usum esse: præterea Helvetiis, præsertim Tigurinis coniunctissimum fuisse. Omnis tamen huius rei culpa in Theologos quosdam derivabatur.*

ANNVS M. D. LIX.

De Flaccianorum Condemnationibus & Libro Confutationum.

Flacciani [illegible]

FLaccius Illyricus *cum suis complicibus, qui antehac de adiaphoris tãtùm adversus*

Philip-

Philippum pugnauerant; hoc tempore, quòd res in Wormatiensi Colloquio non ex ipsorum voluntate & sententia successisset, nil nisi anathematismos in eos, quos oderant, & rectè sentiebant, spirabant: in primis autem contra illos qui nolebant stabilire & approbare ἀρτολατρείαν, quorum Philippus pracipuus fuit. Imò articulo de Cœna Domini, eiusdemque declarationi in Francofurtensi Recessu comprehensa, de qua paulò antè, totis viribus, omnibusque machinis sese opposuerunt: nec quieverunt, donec perficerent tandem vt LIBER CONFVTATIONVM, à Flaccio & gregalibus conscriptus, nomine & authoritate Ioannis Friderici a. Ioannis Wilhelmi, & Ioannis Friderici Iunioris, Vinariensium Principum, Latinâ & Germanicâ linguâ ederetur, qui initium fuit violenti processus cum Orthodoxis Theologis prasertim in Saxonia. In eo sic docetur de articulo Cœna: In Cœna Domini Christus reuera, corpus & sanguinem suum sumentibus impertit: idque non imaginariè, sed verè & substantialiter: non absentiâ in cœlo, sed præsentiâ in terra: nec tantùm dignis, sed etiam indignis: non fide tantùm spiritualiter, sed etiam ore corporaliter vsurpanda.

Liber Confutationum & condemnatio. *Articulus de Cœna in Confutationum libro.*

In eodem libro etiam absque vlla legitima controversiarum dijudicatione, sed ex pravo tantùm praiudicio, Zuingliani & Calvinani, cum sua doctrina anathemate percussi & condemnati sunt.

Obtinuerunt etiam vt Liber iste omnibus sua Ditionis Ecclesiis à Principib. illis obtruderetur, & ex eo pars aliqua singulis diebus Dominicis populo in templis pralegeretur, quò sic omnes à se dissentientes in odium & contemptum adducerent. Vtque faciliùs perrumperet Flaccius cum suis gregalibus, omnes tam nobiles, quàm ignobiles hortatus est, sibi caverent à Corpore Doctrina Philippi, vel saltem cautè in eo legerent, quòd multis erroribus scateret.

Liber Confutationum Vinariensib. Ecclesiis obtruditur. Ob librum confutationum multi docti viri in pericula veniunt.

Conquesti sunt de hoc insolito in Ecclesia Christi praiudicio multi principes, & docti viri: Aliqui etiam in Thuringia, propter recusatam subscriptionem huius libri, in pericula graviss. adducti fuerunt: vt Erhardus Schnepfius senex septuagenarius, qui jam ab initio Reformationis vsque ad annum Domini 1557. acerrimus corporalis Christi prasentia in Cœna propugnator fuit, sed post hoc tempus statum controuersia didicit: & huius gener Victorinus Strigelius, qui post soceri mortem, cum Andræa Hugelio Pastore Ienensi sexagenario in carceres detrusus, diuque ibi detentus fuit.

Erhardus Snepfius. *Victorinus Strigelius.*

De hoc nouo sauitia & crudelitatis exemplo Philippus in Epistola ad Hardenbergium his verbis conquestus est: Eâ nocte quæ sequuta est lætissimum diem Paschatos, ex oppido Iena captiui abducti sunt, Pastor Ecclesiæ Ienensis senex tibi notus Andræas & Victorinus, quia non approbarunt Areopagiticum Librum. Gothæ his diebus audiri sunt à Principibus, & in carcerem reducti. Et in alia epistola ad eundem: Adhuc, inquit, sunt captiui Pastor Ecclesiæ Ienensis, & Victorinus, duo modestissimi viri. Pastor est senex. Edit jam Sarcerius condemnationes similes Gorgoni Vinmariensi. Ego, quanquam senex, tamen exilium & opto & expecto. Interea dum hic sum, Deo juvante, adolescentibus vtilia tradam, & eam moderationem, quâ hactenus vsus sum, excuti mihi non finam. Horum etiam calamitatem Philippus in epistola ad Stephanum Riccium his verbis deplorat: Doleo, inquit, non tantùm propter honestissimas familias optimorum virorum, sed etiam Ecclesiæ causâ, cui non leue vulnus hoc novo exemplo sævitiæ inflictum est.

Philippi querela de sauitia libro Confutationum sanciata. 1559.

Extat etiam judicium gravissimum Illustriss. Principis Philippi Landgravij Hassia ad juniores Principes Saxonia, in quo etiam ostendit, sibi non placere τὴν ἀρτολατρείαν confirmari & pios affligi. Et quia vtile est judicia sapientum Principum in magnis causis conseruari ad posteritatem, adscribam eam Epistola eius partem, qua ad causam Eucharisticam pertinet, ex Germanico conuersam, qua ita habet. Quod ad Zuinglianos, Sacramentarios, aut quomodocunque nominentur attinet, dolemus sanè talia eis tribui, qualia liber iste commemorat: & speramus tamen, si tum apud Lutheranos, tum apud eos, qui Sacramentarij vocantur, Concordia à Luthero, Philippo Melanchthone, aliisque constituta salva mansisset, aut etiam-num maneret, hac contentione haud opus fore. Nec dubitamus, quin vestra charitas, si scripta, tam huius quàm alterius partis cognoscere vellet, deprehensura sit, eos modò veritati vtrinque cedant, non vsque adeò inter se ipsa dissidere. Quòd si, vt antea quoque scripsimus, pro fanaticis, hæreticis & Sacramentariis habendi omnino esse videantur, consultum esset, vt pia & Christiana Synodus Ordinum Evangelicorum & Theologorum per Germaniam, indiceretur, & ad hanc illi quoque vocarentur atque audirentur. Haud dubiè enim tum manifestum foret, ipsos etiam multis, iisque gravissimis Scripturæ, atque etiam veterum Ecclesiæ Doctorum, Augustini, Tertulliani, Cypriani, Fulgentij & aliorum multorum testimoniis & argumentis niti. Sin verò contra veritatem Evangelicam D. Pauli Epistolas, & receptam in primitiva Ecclesia doctrinam, docere aliquid tum deprehenderentur, nec dimoveri ab eo se pateren-

Philippi Landgravij iudicium de Condemnationibus Vinariensis libri.

1559. paterentur, tum demum, quoad hunc articulum, excludi possent. Veremur autem, ne hac charitatis vestræ condemnatione, aduersus eos, qui Sacramentarij vocantur, Papistis fenestra aperiatur, ad cruciandos, trucidandos, & quàm crudelissimè tractandos innumeros ferè Christianos homines, sicut iamptidem in multis locis factitatum est. Pro certo enim accepimus, quàm plurimos esse in Belgio, Gallia, Italia & Hispania, qui cùm in cæteris eandem nobiscum fidem profiteantur, in ea tamen sint sententia, quòd substantia corporis Christi non carnali ore ac dentibus manducetur: Optaremus igitur THEOLOGOS HVIVS LIBRI AVTHORES, re melius consideratâ, occasionem non præbere ad multos pios Christianos interficiendos, excruciandos, & tam crudeliter tractandos. Quod moneri à nobis Charitas vestra in optimam partem accipiat. Neque enim nostri solùm, sed & aliorum Christianorum ratio habenda est, ne malè cum iis agatur, ne-ve, si in vno fortè errent articulo, communibus hostibus propterea mactandi objiciantur. Extitit in Primitiva Ecclesia, secta Novatianorum, qui lapsos post Baptismum nolebant recipere, sic tamen, vt illos Dei judicio, qui peccata ipsis remittere posset, committerent. Erga hos tamen veteres pij & orthodoxi Doctores tantâ humanitate vtebantur, vt neque excommunicarent eos prorsus, neque templis suis ejicerent: neque ab eorum prorsus abstinerent consortio. Quia enim in articulo aduersus Arrianos ipsis consentiebant, & alioqui probitate & vitæ innocentiâ conspicui essent, patienter ferendos esse judicabant. Sic ergo de Sacramentariis quoque, qui sic nominantur, qui multò tamen moderatiùs nunc, quàm initio certaminis istius de Sacramento loquuntur, agendum nobis erat: vt si omnino errare alicubi videntur, quia tamen in cæteris articulis omnibus Augustanæ Confessioni consentiunt, ex Christiana charitate non ita rigidè & inhumaniter in præcipitanda condemnatione procedendum adversus eos existimemus, &c.

Melanchthonis judicium de libro Confutationum Vinar. *Philippi verò Melancthonis judicium de libro Vinariensi quoad articulum de Cœna Domini hoc fuit*: De Zuinglianis, *inquit*, insidiosè posuerunt hunc articulum: De Veteribus & Novis Cinglianis: neque exprimunt tamen, quos nominent Cinglianos novos. Quanquam autem haberi volunt pro iis, qui Papam fortissimè jugulent ac devorent: Tamen nullo verbo attingunt fontem idololatriæ Papisticæ, Quem hæc Regula monstrat: *Quòd extra vsum institutum nihil possit esse Sacramentum*: imò potiùs idololatriam Papisticam stabiliunt, & adducunt illorum aliqui propositiones, quas nemo in Ecclesia inde vsque ab initio, ac ne Papistæ quidem posuerunt: videlicet, *quòd corpus Christi sit vbique etiam in lapidibus & lignis.* Quod si verum sit, quid discriminis erit inter hoc Sacramentum & res alias? Scimus autem prodigiosas huiusmodi locutiones Bremæ & alibi causas extitisse magnorum dissidiorum & distractionum, & ex Brunsuuiga & Hamburga honestos & doctos viros aliquos, propterea in exilium pulsos, & cives opulentos ejectos esse, qui illas approbare non voluerunt. Equidem non libenter apud adolescentes & indoctos, rei istius mentionem facio: Num corpus Christi sit in omnibus locis: quum inde portentosa multa sequantur, quæ silentio obruere malo. Quomodo verò antiquitas docuerit, Dionysius, Augustinus, Canon Græcus, Nazianzenus, Ambrosius, Prosper, &c. manifestum est ex ipsorum scriptis. Præterea authores libri Vinariensis separationem realem ponunt corporis & sanguinis Christi, quam nullus vnquam Papista, ac ne Lutherus quidem posuit. Nec dubium est, multos doctos aliarum regionum contraria scripta edituros esse. Ad me quod attinet, retineo formam exhibitam Electoribus (*in Francofurtensi Recessu*) Quia verissimum est, Christum substantialiter adesse Ministerio suo, & quidem alia ratione, quàm lapidibus aut lignis conveniat. Efficaciter enim in hoc Ministerio nos consolatur, & dat nobis suum corpus & sanguinem, facit nos membra sua, secundùm expressa Pauli verba: *panis est communicatio corporis Christi.*

Philippi constans sententia de Cœna. *Sic Philippus semper vsus est iisdem verbis, quotiescunque ei necessitas quædam de Cœna Domini scribendi fuit oblata, vt in hoc Iudicio de libro Vinariensi: In responsione ad quæstionem missam VVormaciam ex Aula Principis Anspacensis, An corpus Christi descendat in ventrem? in declaratione sua sententiæ ad nonnullos Principes de Synodo, quam Flacciani petebant: in defensione Recessus Francofurtensis. In his & aliis multis scriptis ac epistolis semper vsus est Philippus vnâ eademque formulâ iisdem verbis repetitâ: Christum videlicet substantialiter & verè adesse suo Ministerio, & esse in nobis efficacem: & communicatione corporis & sanguinis sui facere nos sibi membra: ac sese & beneficia sua nobis applicare, sicut Hilarius dicit*, Hæc sumpta & hausta facere, vt Christus sit in nobis, & nos in ipso, &c. *Hæc est Calvinistarum,*

starum, quos ita vocant, sententia: Non enim de alia manducatione & notione possunt intelligi, quàm de spirituali.

Acta & Scripta Librum Confutationum Winmariensium subsecuta.

Beza primò scribit contra Westphalum.

QVia verò Calvinus post vltimam *suam* Admonitionem *ad VVestphalum, nihil amplius contra illum, tanquam hominem prafractum scribere sibi proposuerat, eodem hoc anno* Theodorus Beza *emisit* planam & perspicuam tractationem de Cœna Domini, *in qua VVestphali calumnias postremò editas solide refellit & diluit.*

Martyris defensio veteris doctrina de Eucharistia contra Gardinerum

Eodem tempore edita quoque est à Petro Martyre Defensio doctrinæ veteris & Apostolicæ de Eucharistiæ Sacramento, *adversus Stephani Gardineri Episcopi Vintoniensis librum. Nam hic ante annos complures librum virulentum & pestiferum de Eucharistia sub nomine* Marci Antonij Constantij *ediderat, in quo meris sophismatis & contortissimis fallaciis conatus est labefactare veram & orthodoxam doctrinam, quam à Christo & Apostolis atque antiquissimis Ecclesia Patribus acceptam hodie: qui Zuingliani & Calvinista vocantur, sequuntur, & profitentur. Atque ad hunc librum conscribendum complurimi Papistarum suas operas contulerunt, & Gardinero omnia sua argumenta tradiderunt, vt ille ex acervo deligeret quicquid vellet: & de hoc libro triumphabant, & gloriabantur, neminem esse qui cum hoc suo Goliatho congredi auderet. Quibus rebus commotus doctissimus juxtà ac sanctissimus vir D. Thomas Cranmerus Archiepiscopus Cantuariensis, qui ante à sape eum Vintoniensi congressus, cum victoria & summa cum laude discesserat, hanc provinciam in se susceperat. Verùm cum in carcere arctissimâ custodiâ ob Evangelicam veritatem adservaretur, & non modo librorum copia, sed ne charta quidem illi ad scribendum suppeteret, & postremò morte sanissimâ, quam in vera fidei confessione constanter tulit, sublatus est, opus quod jam habebat pra manibus, coactus est inchoatum relinquere. Quamobrem multi ex Anglis pij & vera Religionis amantes viri, Martyrem sape coràm & per literas hortati sunt, vt illi in hac provincia succederet, neque pateretur contagione venenati huius libri simpliciorum animos infici, & Pontificios adeò impudenter & arroganter nostris insultare. Itaque amicorum precibus, & rei ipsius aquitate incitatus, opus hoc aggressus est, ac superatis variis & multiplicibus impedimentis, Tiguri absoluit & in lucem edidit.*

Defensionis Mar. tyris ordo & forma.

Defendit autem primùm in hoc libro rationes nostrarum Ecclesiarum vndecunque à Gardinero collectas & confutatas. Deinde etiam *Regulas, quas ipse in sua Tractatione de Eucharistia ediderat, contra eiusdem calumnias tuetur.* Tertiò, *eas responsiones propugnat quibus adversariorum argumenta in hac disputatione dilui solent.* Postremò, *asserit justas verasque interpretationes certorum locorum, quos ex Patribus Gardinerus cum suis pro se attulit. In universo autem Opere quicquid de tota Eucharistia causa eùm in sacris Literis, tum in antiquorum Patrum Conciliorumque monumentis proditum est, tam copiosè & diligenter complexus est, & singula tam accuratè & subtiliter excussit, vt hoc opus etiam non mediocriter doctis admirationi sit.*

1559.

Dedicavit autem hunc librum Elizabetha Regina Anglia, quam hortatur, ut veram Religionem, cuius à pueritia studiosissima fuerit, propagare non desinat: & inprimis puram de Sacramentis doctrinam, quam ipse hoc libro defendat: omni favore, authoritate & pietate propugnet, quod ipsa fecit sedulò.

Martyr defensionem suam in Epitomen redigit.

Hunc librum magnum ipse author in suum privatum usum in Epitomen *redegit postea: in qua, quum tota Eucharistica causa een in tabella perspicuè ob oculos ponatur, gravibus de causis eam adscribendam judicavi.*

Epitome in Defensionem Martyris contra Gardinerum de Cœna Domini.

Primùm, in Sacramento Eucharistiæ panem & vinum, quæ diuinę Literæ, Patres ac sensus ibi verè adesse testantur: Corporis & sanguinis Domini signa esse affirmamus, non vtique prophana & vulgaria, sed quemadmodum in cæteris mysteriis assignari consueuerunt. Aduersarij nostri è diuerso corpus & sanguinem Christi propriè & verè illa esse prædicant. Rogamus, qui sciant: Quoniam, *inquiunt*, Christus dixit: *Hoc est corpus meum*. At nos dictum Servatoris nostri ea loquendi formula seu Tropi genere, interpretamur, quo in Sacramentis præsertim, signa rerum ipsarum quæ significantur vocabulis appellari solent. Nostræ huic sententiæ illi refragantur, aiuntque Christi verba non tropica sed propria omnino & simplicia esse.

1.

A nobis objicitur nullam esse certam rationem ex Evangelica historia, quæ verba illa simpliciter intelligenda evincat. Nam cùm Cœna Domini à Matthæo, Marco, Luca, & Paulo explicatur, ibi permulti deprehenduntur tropi. Calix dicitur novum Testamentum: nec ipsum tamen poculum, nec is qui in eo continetur liquor est ipsâ Testamentum.

2.

Indignè sumentes affirmantur judicium sibiipsis edere, ac bibere, at propriè judicium nec edi nec bibi potest.

3.

Est verò longè alienum à corpore Domini, vt verè comedatur, quia nefas est

ipsum

1559. ipſum omnino frangi, dentibus commoli atque diſſolui.

4. Dixit Seruator noſter, cùm eidem menſæ accubuiſſet, vehementer ſe deſideraſſe illud paſcha vnà cum diſcipulis ſuis manducare. Nemo verò ignorat non ipſum פסח id eſt, Domini tranſitum, ſed agnum, qui vt eius ſymbolum adhibebatur, in ea ſolennitate comedi ſolitum fuiſſe.

5. Quoties, inquit, in epiſtola ad Corinth. priore, Biberitis hoc *poculum*, &c. Num poculum? an-non potiùs quod in eo infuſum eſt haurimus? Paulus itaque tropo quàm vſitatiſſimo ſic eſt locutus. Quamobrem in Cœna Domini referenda, cùm Spiritus ſancti ſcribæ, permultis orationibus tropicis fuerint vſi, & id de quo agimus, nempe, *Hoc eſt corpus meum*, figurato ſermone ab eis fuiſſe dictum quid prohibet.

6. Mitto alias permultas diuinarum Literarum ſententias, quas ab omnibus præſentientibus per tropos conſtat exponi. Etenim ſi velim eas commemorare, jam non Epitome, ſed juſtus liber eſſet conſcribendus. Cùm itaque noſtram hanc ſententiam ſic interpretamur, nihil vel nouum, vel à ſanctis Scripturis alienum comminiſcimur.

7. Quòd verba, quæ apud Paulum & Lucam de calice ſcribuntur, Tropicè ſint enunciata, vt jam docuimus, neminem inficias ire meritò poſſe, quis attentus Lector non videat. Vnde quæ ſcripſerunt Matthæus & Marcus, de eadem re tropicè accipienda erunt, niſi quis neget priora ex poſterioribus eſſe exponenda, ſcripſiſſe verò Paulum & Lucam poſt Matthæum & Marcum, nemo ambigit.

8. Atqui quòd Matthæus & Marcus de ſanguine tradunt, vt ſimpliciter dictum, intelligi non poteſt. *Ita ſcribunt illi:* τοῦτο ἐστὶ τὸ αἷμα μου: jam verò quid pronomen τοῦτο aliud referre poteſt, quàm poculum? Siquidem Chriſtus illud & in manibus accepiſſe, & Apoſtolis dediſſe commemoratur, nec Lucas & Paulus aliud aſſerunt, cùm dixiſſe Chriſtum tradunt, *Hic calix nouum Teſtamentum eſt, &c.* Poculum autem quis auſit dicere ſanguinem eſſe? Expendantur ergo verba Matthæi & Marci ex vna parte, ex altera Lucæ & Pauli rectè, & negetur Tropus, ſi poſſit.

9. Ipſi aduerſarij etſi præoptant inſeruire potiùs opinioni ſuæ, quàm veritati, verba Domini tamen abſque Troporum adminiculo interpretari non poſſunt. Oſtendendo quippe Sacramento Euchariſtiæ, non licet ipſis de eo toto pronunciare, *Hoc eſt corpus meum:* pudeat ergo eos nos eius criminis reprehendere, cuius ipſi accuſari jure & meritò poſſunt.

10. Ipſa porrò Sacramenti definitio, quòd ſacræ rei ſit ſignum, & gratiæ quæ non videtur viſibilis forma, noſtram ſententiam maximè propugnat, efficitur enim ex ea publicè receptâ definitione, ea, quæ in Euchariſtia videntur corporis & ſanguinis Domini ſigna eſſe, niſi velimus ipſam Euchariſtiam ex albo Sacramentorum expungere.

11. Nec enim aliter exponi queunt formulæ dicendi, quibus diuina Scriptura vtitur, cùm de parte Sacramenti aſpectabili rem ipſam quæ ſignificatur pronunciat. Circumciſio enim qui fœdus Domini vocaretur, niſi eam ſignum ipſius eſſe diximus? Paulus huius ſententiæ eſt author, qui Circumciſionem σφραγῖδα, id eſt, ſigillum vel ſignum juſtitiæ per fidem adeptæ appellat. Baptiſmus, quoque regenerationis lavacrum dicitur: Et agnus in veteri Teſtamento; ſicuti antea demonſtravimus, פסח vocabatur.

12. Accedant & Patres, qui non ſemel diſertis verbis tradunt Chriſtum *ſui corporis ſignum dediſſe, figuram dediſſe, corpus ſuum repræſentaſſe, typum & ἀντίτυπα eſſe* illa quæ à nobis videntur corporis & ſanguinis Domini. Cyprianus, Cyrillus, Auguſtinus, Theodoretus, & Gelaſius quàm apertiſſimè docent, *iſta ſigna vocabulo rerum ſignificatarum* nuncupari. Cùm ergo diuinæ Literæ in hoc Sacramento Tropos admittant, eos ipſa natura Sacramentorum exigat, Patréſque maniſeſtiſſimè recipiant, nos quòd vtamur tropicâ interpretatione in verbis Domini exponendis accuſabimur?

Allatæ jam rationes tantùm apud nonnullos valuerunt (quæ eſt vis veritatis) aduerſariorum, vt ea quæ in hoc Sacramento ſenſibus obvia ſiunt, nimirum panem & vinum ſigna corporis & ſanguinis Chriſti eſſe fateantur, hac tamen lege, vt ſignificatas res in ſeſe præſentes habeant. Sed hoc à vero longè alieniſſimum eſſe permultis rationibus oſtenditur.

Verborum Chriſti Tropus non exigit corporis & ſanguinis eius realem & ſubſtantialem præſentiam.

Primùm diuinæ Scripturæ tradunt Chriſtum, quoad humanam naturam, hinc abiiſſe, eius in cœlum aſcenſionem, vt in articulo fidei continetur, ſtatuunt. Aſſerunt Chriſtum dixiſſe, nos eum non ſemper nobiſcum

nobiscum habituros, verùm oportere cœlum usque ad extremum diem continere, ut inde tandem ad judicandum veniat.

2. Deinde non convenit humano corpori, ut sit eodem tempore in multis locis, nec etiam concedi potest, ut præsens sit in mundo citra locum, pugnant enim hæc omnino cum definitione humani corporis. Nisi velimus ergo verum Christo adimere corpus, cavendum ne illud multis in locis vel diffusum vel præsens simul esse affirmemus.

3. Ne id quidem Angelorum, ut ita dicam, essentia, quæ mole corporis privatur, habet, ut eodem tempore simul diversis in locis esse possit.

4. Quin & ipsa Dei natura si esset corporea, haudquaquam evitare posset, quin & partitionem & definitionem admitteret. Hæc porrò cùm ita sint, quemadmodum plenissimè attestantur Patres, omnino efficitur, ut Christi corpus iis adiunctis atque proprietatibus sit obnoxium.

5. Nec ipsa postulat Sacramentorum natura, ut res significatas vel sibi cohærentes habeant, vel eas in seipsis contineant. An in Circumcisione divinum fœdus claudebatur? sanè prætererat, & cum Patribus initum fuerat antequam Abrahamo præciperetur Circumcisio: & si quid eius fœderis extabat, id totum in mente divina, & fidelium animis retinebatur. In carne verò non ipsum, sed ejus signum à Deo mandatum gestabatur. Agnus item Paschalis, transitum Domini quo ad rem in seipso non claudebat. Quis etiam diceret, carnem & sanguinem Domini vel in aqua deserti, vel in manna clausa fuisse, & in aqua Baptismi Spiritum & gratiam invisibiliter delitescere? Quòd si cæteris Sacramentis non tribuitur, & quidem ex eorum natura, ut res præsentes habeant vel sibi cohærentes, vel in seipsis clausas, nec de Eucharistia aliter statuere debemus, si nobis eius ratio & proprietas cum cæteris Sacramentis constare debet, maximè verò cùm de ea præsentia Verbum Dei nihil hujusmodi tradiderit.

6. Præterea cùm Paulus 1. ad Corinth scribat, *Veteres nobiscum eundem cibum spiritualem comedisse, & eundem spiritualem potum nobiscum bibisse*, carnem verò & sanguinem Christi haudquaquam præsentia habuerint, cùm nondum extarent, isti verò in Eucharistia præsentia hæc statuant, sequitur, planè non esse nobis eadem Sacramenta cum veteribus contra Pauli sententiam. Symbolis minimè conveniunt. Manna enim illi & aquam, nos verò panem & vinum habemus. Rebus etiam significatis sunt diversa, quia illi res significatas absentes, utpote futuras, fide percipiebant, hi verò res cum symbolis præsentes se percipere dicunt. Nullum porrò maius discrimen in his Sacramentis excogitari potest, quàm cùm signis cum rebus significatis dissidere. Quin ergo potiùs cum Paulo dicamus, rebus significatis veterum sacramenta cum nostris eadem esse, quanquam signa sint diversa, & eodem modo, nempe fide & spiritu, a nobis & illis percipi: illi enim carnem & sanguinem Christi, ut pro nobis danda erat, fide percipiebant, nos vero ut jam data, fide & spiritu complectimur.

7. Evitari quoque non posset, quin tam impii, quàm pii carnem & sanguinem Domini comederent & biberent, si aduersariorum opinio admitteretur: id quod apertè refellit Christus author Sacramentorum in Evangelio Ioannis cap. 6. ubi carnem & sanguinem suum fide edi & bibi ait. Fide ergo cùm destituantur impii & à Christo alieni, quam communionem quæso habeant cum carne & sanguine Christi? Symbola sanè tantùm ore percipere valent, & ad ipsorum quidem condemnationem, siquidem Christus neque in eis neque in Christo ipsi manent.

8. Rogandi sunt etiam isti, qui statuunt in hoc Sacramento Domini sanguinem præsentem adesse: quâ ratione quove colore sacrificium, ut vocant, suum ausint incruentum appellare? Profectò si Domini sanguinem, ut Chrysostomus hyperbolicè scripsit, è latere Domini fluentem, in suo calice volunt excipi, enitantur quantum volunt, sciunt & possunt, quia cruentum potum hauriant nunquam efficient.

9. Est verò & illa pugnantium natura, ut de eodem subjecto nunquam simul, hoc est, eodem tempore, affirmari. Quamobrem Christi corpus tùm sursum tum deorsum, visibile ac invisibile, unum & multa, mortale simul & immortale, fractum & integrum simul esse non potest. Hanc rationem nobis non finximus, sed hausimus à Christo, ab Angelis, Apostolis, Patribus, & ipsa natura. Contestantur enim hi omnes, hæc nequaquam simul esse posse. Porrò longum esset referre quot in locis & scriptis suis Patres, hanc Domini secundùm carnem absentiam asseverent.

10. Quasi verò etiam hæc ab istis lactata & propugnata præsentia carnis & sanguinis Domini in Eucharistia dum ipsa peragitur,

1559. gitur, vel majorem vel præstantiorem, vel ullam aliam nobis adferre possit utilitatem, quam non ex perceptione spirituali, quæ, uti sæpe diximus, fide ac mente peragitur, assequamur.

Illud postremò quærimus ab adversariis nostris: An corpus Domini absque sanguine in pane, & sanguinem in vino absque corpore statuant. Hoc si dicant, Christi naturam humanam per duas mysterii partes distrahunt, quod citra impietatem committi non potest, cùm sanguis & corpus in natura humana Christi, conjunctione perpetuâ sint unita. Sin verò dixerint ea simul esse, ac suas, nescio quas, Concomitantias finxerint, id saltem effugere non poterunt, quin corpus Christi congeminent, totum videlicet sub pane, totúmque sub vino, vel, quemadmodum volunt, sub eorum accidentibus constituentes.

11. Accedit postremò, verbis Christi minùs quàm sit in partibus Sacramenti de illis pronunciari, cùm de pane solùm corpus, & de vino tantummodò sanguinem prædicent.

Hæc præcipua & summa sunt capita, quæ in libro meæ Defensionis contra Gardinerum continentur, quo ad nostræ partis argumenta & confirmationes attinet. Nunc verò id reliquum est, ut nonnulla dicta, seu certas quasdam sententias candido Lectori proponam, ex quibus non tantùm argumenta nostra propemodum omnia deducuntur, verùm etiam rationes adversariorum facilè dissolui possunt, atque tota hæc disceptatio tum dilucida, tum facilis evadit.

1. Christus in sacra Cœna panem ipsum corpus suum, & vinum sanguinem suum appellavit. Quî fit, ut verba eius, *Hoc est corpus meum*, simpliciter & absque Tropo accipi nequeant, siquidem nec panis & vinum propriè & verè corpus & sanguis Christi esse possunt.

2. Hæc verba, *Hoc est corpus meum*, & *Hic est sanguis meus*, tropicæ sunt dicendi formulæ, quibus Dominus ea quæ significantur, de symbolis externis pronunciavit.

3. Edere carnem seu corpus Christi, & bibere sanguinem ejus, est credere, hæc pro nobis in pretium redemptionis fuisse data, & istis quâ pro nobis in cruce oblata fuerunt coniungi.

4. Christi natura humana ab ascensu in cœlum usque ad extremum eius adventum quo mundum judicabit, nusquam alibi est, quàm in cœlis.

5. In Eucharistiæ fideli sumptione corpori & sanguini Christi non tantùm animo seu mente per fidem copulamur, sed Spiritus, gratiæ ac virtutis Domini nostri participes evadimus, non sanè vi operis, sed ex ipsius bonitate, ac fideli promissione, cui fidelem ascensum communicando præbemus.

6. Impii homines ipsam Christi carnem & sanguinem haudquaquam comedunt & bibunt, nisi quatenus externa signa, panem inquam & vinum, quæ suo quodam modo sunt & dicuntur corpus & sanguis Christi, usurpant.

7. Christo non minùs in Baptismo iungimur, quàm in Eucharistia, quare par utrobique illius præsentia & perceptio, nimirum spiritualis ponenda est.

8. Patres in Veteri Testamento, corpus & sanguinem Christi, quod ad rem ipsam attinet, non secus ac nos edebant & bibebant.

9. In sacra Cœna fideles corpus & sanguinem Domini verè sumunt, at spiritualiter, hoc est, fide quoad mentem atque animum.

10. Corpora nostra corpore ac sanguine Christi suo quodam modo aluntur, & ad æternam vitam instaurantur.

11. Nos ipsi fideli participatione Cœnæ Domini quodam genere spiritualis nutritionis, in corpus Christi alimur, & propemodum transelementamur.

12. Per incarnationem Filii Dei, carne & sanguine cum eo communicamus, quandoquidem natura nostra verè ab eo assumpta creditur. Et vicissim dum communicandò fide amplectimur corpus eius & sanguinem, quæ pro nobis in mortem data sunt, eorum spiritualiter efficimur participes.

13. Sermo divinarum Literarum, vel auditus, vel lectus, quatenus à nobis fide recipitur, corpus Christi est & panis, quo animi nostri nutriuntur.

14. Cœtus credentium est corpus Christi, cujus ipse caput & nos membra cùm sumus, tum dicimur.

15. Pauperes & oppressi pro Christi nomine sunt ejus corpus. Hinc illa vox Pauli, Quid me persequeris?

16. Miracula interdum edita circa Eucharistiæ symbola, neque Transsubstantiationem elementorum ejus, neque præsentiam corporis realem & substantialem, ut ita dixerim, probant.

17. Corpus Christi spiritualiter adesse communicantibus non, significat invisibiliter quidem, sed tamé propriè adesse, ut Papistæ dicunt.

dicunt. Sed quòd fidei nostræ ac spiritui præsens fiat, non secus atque mors illius, quam verè credimus, & bona futuræ vitæ, quæ spe certissimâ expectamus, quarum rerum præsentia tantùm ad fidem & spiritum nostrum referri potest.

18. Aduersarii, qui de sua consecratione panis & vini tam multa loquuntur, an precibus an verbis ea perficiatur expedire non possunt.

19. In Eucharistia nullum aliud sacrificium admittimus, quàm gratiarum actionis, precum & nostri ipsorum oblationis, hæc verò non tantùm à Ministro, sed etiam à plebe communicante offerri.

20. Sacrificium item ibi esse damus, quatenus veri sacrificii commemoratio ibi fit. Et Sacramenta, id est, externa symbola, quæ proponuntur, eiusdem veri sacrificii signa sunt, & illud communicantibus ex instituto Domini referunt.

De Mutatione Religionis in Palatinatu sub Friderico III. Electore facta.

Certamē Heydelbergæ inter Hesshusium & Klebitium.

IN *Heydelbergensi Ecclesia & Academia, inter* Tilemannum Heshusium Vesaliensem, *&* Guilhelmum Klebitium *magnum & periculosum certamen hoc anno exortum fuit, de Cœna Dominica causa,* Hesshusio *Lutheri,* Klebitio *verò Zuinglii & Calvini sententiā defendente. Inerat huic juvenilis fervor, quo incitatus veritatem magnâ contentione ac studio ardenti defendebat, & contrariam sententiam Consubstantiationis: Impanationis & Suppanationis* phantasias *hujus seculi maximas esse publicè & privatim dicebat.*

Hesshusii ingenium.

Heshusius *autem ambitione, & gloria tupiditate supra quàm dici potest tumidus & inflatus, cæteros omnes præ se contemnebat, & nihil, nisi quod ipse faciebat, rectum esse putabat: Volebat generalis esse Superintendens omnium Superintendentium in Palatinatus amplissima Ditione: Volebat esse primarius Professor Theologiæ: Volebat esse Facultatis Theologicæ Decanus; Academiæ Senator; Index Consistorii Matrimonialis; In Suggestu & Altari appetebat primum locum: In Consistorio non modò Iudicis, sed Electoris quoque Sellam occupabat: Omnes examinandos solus examinabat: Summa: Omnia in omnibus esse contendebat. Accessit his magna temeritas & audacia, quâ cuncta in Ecclesia pro libidine & arbitratu suo agebat: videlicet, quòd deficientibus panibus Eucharistiæ numeratis, ipse denuò repetebat verba Institutionis: Vinum residuum in Cantharum refundere prohibebat, verba Institutionis recitans, contra pristinum morem, ac sine consilio & consensu Fratrum & Collegarum, privatam quoque unius personæ communionem in ritu Ordinationis coram cœtu fidelium, sine consilio reliquorum Ministrorum introducebat, & similia multa agebat.*

1559.

Klebitius cùm his contradiceret, Hesshusius propterea ei infestus, iam propter contrariam sententiam de Cœna, quam profitebatur & propugnabat, longè fiebat ei infensissimus, doctrinam ejus hæreticam esse dicebat: cumque Calicis administrationem, quæ Klebitio ab Ecclesia & Senatu commendata erat, eius iussu alteri tradere nollet, præcepit Collegæ suo, ut vi eriperet ei Calicem coram Ecclesia in publico cœtu & Cœnæ administratione; & fecisset hoc ille, nisi Magistratus prohibuisset. His de causis magni motus & turbæ expectabantur in dies singulos.

Palatinus scribit Philippo.

Illustrissimus itaque Princeps Fridericus III. Comes Palatinus Elector, *qui hoc anno Februarij 12. Ottoni Henrico defuncto, successerat, missis ad Philippum Melancthonem literis, cum utriusq; partis confessionibus & concionibus per Stephanum Cirlerum Secretarium, ab eo petijt, ut suum quoq; consilium & judicium de hac controversia significare vellet, quo scire posset Princeps, quomodo turbas initio statim gubernationis suæ Heydelbergæ excitatas propter hoc dogma sedaret, ne Ecclesia tenera ferali certamine concussa & divulsa, & dissidiis implicita everterentur priùs, quàm quæ sit veritas, audivissent. Rescripsit Philippus Electori, tanquam patriæ suæ Principi, mense Septembri, sibi utile videri, ne cum publico Ecclesiarum illarum discrimine Princeps permitteret dissidentes inter se rixari diutiùs: atque de certa forma verborum moderati & pii viri in Ecclesia conveniant, quâ interea utantur, donec de tota controversia in pia aliqua Synodo statuatur. Quod si ex utraque parte tranquillitatem teneræ Ecclesiæ aliqui fovere nollent, eos dimittendos esse censuit, ne vulnera recentia majoribus tumultibus exacerbarentur.*

Philippi responsio ad Palatinum Electori.

Iudicium & Consilium Philippi, de Controversia Heydelbergæ in negotio Cœnæ Dominicæ excitata.

Iudicium & consilium Philippi de controversia Heydelbergæ excitata in negotio Cœnæ Dominicæ.

MISIT *etiam unà eidem Principi sententiam & iudicium suum de hac ipsa controversia; quæ ex autographo descripta de verbo ad verbum ita habent:* Non difficile, *inquit,* sed periculosum est respondere. Dicam tamen quæ nunc de controversia illius loci monere possum, & oro Filium Dei, ut & consilia & eventus gubernet. Non dubium

1559. bium est, de controversia Cœnæ ingentia certamina & bella in toto Orbe terrarum secutura esse: quia mundus dat pœnas Idololatriæ & aliorum peccatorum. Ideo petamus, ut Filius Dei nos doceat & gubernet. Cùm autem ubique multi sint infirmi, & nondum instituti in doctrina Ecclesiæ, imò confirmati in erroribus: necesse est initio habere rationem infirmorum. Probo igitur consilium Illustrissimi Electoris, quòd rixantibus utrinque mandavit silentium, ne distractio fiat in tenera Ecclesia, & infirmi turbentur in illo loco & vicinia: & optarim rixatores in utraque parte abesse. Secundò, remotis contentiosis, prodest reliquos de una forma verborum convenire. Et in hac controversia optimum esset retinere verba Pauli: *Panis quem frangimus* κοινωνία ἐστὶ τοῦ σώματος. Et copiosè de fructu Cœnæ dicendum est, ut invitentur homines ad amorem hujus pignoris, & crebrum usum. Et vocabulum κοινωνία declarandum est. Non dicit mutari naturam panis, ut Papistæ dicunt. Non dicit, ut Bremenses, Panem esse substantiale corpus Christi. Non dicit, ut Hesshusius, Panem esse verum corpus Christi, sed esse κοινωνίαν, id est, hoc quo fit consociatio cum corpore Christi quæ fit in usu, & quidem non sine cogitatione, ut quum mures panem rodunt. Acerrimè pugnant Papistæ & eorum similes, ut dicatur corpus Christi extra sumptionem inclusum esse speciebus panis aut pani: & postulant adorationem, sicut Morlinus Brunsuigæ dixit: Du must nicht sagen / Mumm / Mumm: sonder du must sagen / Was dises ist / das der Priester in der hand hat. Sarcerius iubet delapsas particulas colligi & erasâ terrâ comburi. Cùm VVormatiæ essemus ante biennium, quæstio mittebatur ad nos ex Aula quadam: An corpus Christi descendat in ventrem. Talibus prodigiosis quæstionibus rejectis, utiliùs esset retineri formam verborum Pauli, & de fructu rectè doceri homines. Potest inspici forma verborum Cœnæ in Examine Megalpurgensi, ubi & commonefactio est de fructu Cœnæ. Adest Filius Dei in Ministerio Evangelii, & ibi certò est efficax in credentibus, ac adest non propter panem: sed propter hominem, sicut inquit, *Manete in me, & ego in vobis.* Item, *Ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis.* Et in his veris cōsolationibus facit nos sibi membra, & testatur, se corpora nostra vivificaturum esse. Sic declarant Veteres Cœnam Domini. Sed hanc veram & simplicem doctrinam de fructu, nominant quidam cothurnos; & postulant dici, An corpus sit in pane, aut speciebus panis? Quasi verò Sacramentum propter panem, & illam Papisticam adorationem institutum sit. Postea fingunt, quomodo includant pani: alii Conversionem, alii Transsubstantiationem, alii Vbiquitatem excogitârunt. Hæc portentosa omnia ignota sunt eruditæ Vetustati. Negat Hesshusius se assentiri Origeni, qui panem & vinum nominat σύμβολα τοῦ σώματος καὶ αἵματος. Reficit contumeliosè Clementem Alexandrinum. Pronuntiabit eodem modo de Augustino, Ambrosio, Prospero, Dionysio, Tertulliano, Beda, Basilio, Nazianzeno, qui nominat ἀντίτυπον σώματος, Theodoreto, qui ait de pane, φύσιν οὐ μεταβαλών. Quæ est igitur tanta authoritas Hesshusii, ut ipsi potiùs assentiamur, quàm tot probatis veteribus Scriptoribus, qui perspicuè testantur, tunc Ecclesiam non habuisse Pontificium dogma & adorationem? Quæ si nova sunt in Ecclesia cogitandum est, an Recentioribus licuerit novum dogma inuehere in Ecclesiam. Nec ego ignoro, multa citari notha Veterum titulis, de quibus eruditi iudicent. Nec verò jam institui longam disputationem, nec cum contentiosis qui idola, & parricidia stabiliunt, disputare volo, quorum sævitiam & ego experior. Sed tantùm de meo iudicio significare volui, quid in illo loco, pro infirmitate teneræ Ecclesiæ faciendum esse existimem. Ac maneo in hac sententia, contentiones utrinque prohibendas esse, & forma verborum una & simili utendum esse. Si quibus hæc non placent, nec volunt communionem accedere, his permittatur ut suo judicio utantur, modò non fiant distractiones in populo. Oro autem Filium Dei, Dominum nostrum Jesum Christum, sedentem ad dexteram æterni Patris, & colligentem Ecclesiam voce Evangelii, ut nos doceat, gubernet & protegat. Opto etiam, ut aliquando in pia Synodo de omnibus controversiis horum temporum deliberetur.

Optimum igitur in hoc suo consilio esse iudicavit Philippus, retinere verba Pauli; Panis quem frangimus, est κοινωνία corporis Christi: *& verbum* κοινωνίας *declarandum esse, ut panis sit hoc, quo fiat consociatio cum corpore Christi, in usu Sacramenti. Postea damnat Philippus in hoc suo consilio non solùm Papistas, cùm inquit; Paulum non dicere, naturam panis mutari, ut Papista dicunt: sed etiam Bremensium, Hesshusii, Morlini, Sarcerii*

Sarcerij & similium Lutheranorum.

Philippi iudicium ad Palatinum editum oppugnatur ab Heßhusio.

Hoc autem consilium & scriptum Philippi ad Electorem Palatinum, post obitum demum authoris publicatum fuit. Propter illud tamen Heßhusius mortuum Melanchthonem crudelißimè lacerauit, & tantùm non discerpsit conuitijs, in libello cui titulum fecit, Responsio ad præiudicium Philippi Melanchthonis de controuersia Cœnæ Domini.

Responsio ad criminationes Heßhusij contra Philippum.

De hoc Heßhusiano scripto aliquid etiam à nobis addendum est, præsertim cùm de reipsa, id est, de historia Cœnæ Domini pugnare voluisse Heßhusius videri velit.

In eo PRIMO, *Philippum planè in numerum hæreticorum Zuinglianorum & Caluinianorum recenset.*

Heßhusius abducit Lectorẽ à vero statu controuersiæ.

SECVNDO, *Abducit Heßhusius Lectorem à vero statu controuersiæ, cùm spiritualem communionem Christi ad Spiritum Christi, seu ad res spirituales, id est, meritum & efficaciam Christi tantùm refert: Cùm illa potiùs verè sit spiritualis communio, quæ in primis ipsius substantiæ, atq; adeò corporis & sanguinis Christi veri ac naturalis participationem complectitur, sic tamen, vt modo non corporeo, neque per sensus externos, sed per fidem, virtute & efficacia Spiritus sancti in nobis perficiatur ad vitam illam nouam, spiritualem ac æternam. E contrario corporalem communionem Heßhusius intelligit, quæ sit corporis quidem & sanguinis Christi, sed quæ corporeo modo, seu ore carnali fiat, quæq; sit credentibus & non credentibus communis. Hunc modum communionem corporis Christi, qualem & Capernaitæ fingebant, iurè ac meritò repudiat Philippus, qui tamen spiritualem κοινωνίαν apud Paulum definiens, nequaquam ab hac, corporalem seu Sacramentalem symbolorum externorum in vsu Cœnæ Domini, participationem remouet. Fatetur enim per Symbola externa, id est, per panem & vinum illud in vsu legitimo Cœnæ, offerri atq; exhiberi κοινωνίαν Christi, & omnium beneficiorum ipsius, cùm hæc sint instrumenta seu media diuinitus ordinata, quibus vtitur Christus ad excitandam & confirmandam in nobis fidem, adeoq; ad obsignandam & applicandam ad nos, communionem sui & beneficiorum suorum, quoties ad vsum Eucharistiæ, cum Institutione Christi congruentem, accedimus. Ideoq; Paulinam propositionem, in hanc sententiam exponit:* Panis quem frangimus est *κοινωνία* corporis: *hoc est, Panis in vsu est res, seu medium, quo nobis communicatur corpus Christi: Calix est κοινωνία sanguinis: hoc est, Est res seu medium, quo exhibetur nobis sanguis Christi. Hoc ergo in quæstione relinquitur tantùm:* An eodem modo à nobis ipsa *κοινωνία* corporis & sanguinis Christi apprehendatur, quo Symbola illa externa accipiuntur? *Si propriè & absque Sacramentali locutione loqui velimus: Num vt manus & os nostrum corporeum, externa symbola accipit: sic eodem perceptionis modo, eoque pijs & impijs communi, κοινωνία illa corporis Christi fiat, & corporis ipsius substantia in os nostrum ingrediatur, atque in ventrem ipsum trajiciatur? An verò fides in Cœnæ vsu legitimo κοινωνίαν illam sibi propriam faciat, adeoque Christus ipse per fidem spiritualiter, id est, virtute & efficaciâ Spiritus sui apprehensus, in nobis habitet, & nos massæ suæ, per Spiritum sanctum, vnionis illius intermedium vinculum, insertos, vnum secum efficiat, & omnium bonorum suorum participes reddat, sine vlla essentiali substantiarum confusione, aut mixtione, & corporum contactu mutuo.*

Spiritualis communio quæ. Status controuersiæ inter Heßhusium & iudicium Philippi ad Palatinum.

Explicatio Paulini loci.

Quæstio.

1559.

Status controuersiæ mutatur ab Heßhusio.

Hunc statum controuersiæ si quis accuratè considerat, ac signum & rem signatam rectè distinguere nouit, is facilè animaduertere potest, Præuaricatorem agere Heßhusium, qui propterea Philippum reprehendit, quòd panem Eucharistiæ dicat esse *κοινωνίαν* corporis, *hoc est, rem illam externam siue medium illud, in cuius vsu legitimo fiat spiritualis participatio siue consociatio cum corpore Christi. De hac enim κοινωνίᾳ spirituali cum Christo docet Paulus: Non autem de orali esu corporis Christi. Hoc euidentissimè probat totus contextus Paulinæ orationis, sicut id septem argumentis solidissimè demonstratur in Defensione Philippi Melanchthonis, oppositâ Witebergensium Refutationi Tractatus historici D. Peuceri de Sententia Philippi de Cœna Domini: in qua etiam argumenta illa Heßhusij refutantur, quibus hanc interpretationem verborum Pauli impugnat.*

Panis Cœnæ non substantiale corpus Christi.

TERTIO, *Contendit Heßhusius, Christum mendacij accusari à Philippo, negante rectè dici, quòd panis sit verum, & substantiale Christi corpus, cùm Christus dicat:* Hoc est corpus meum quod pro vobis datur. *Id verò corpus verum & substantiale fuit. Atqui Christi verba Sacramentaliter, siue secundùm modum aliquem, vt inquit Augustinus, corporis pro nobis dati appellationem pani tribuunt Quia scilic. est σύμβολον τοῦ ὄντος σώματος. Qui verò phrases istas Ecclesiæ obtrudere conantur.* Panis est verum, & substantiale corpus Christi, *propriè hoc dici & intelligi volunt: Quod Pontificiam opinionem confirmat, quâ id quòd panis erat, verum & substantiale corpus factum esse fingitur.*

Sed & Lutheri authoritatem allegat Heßhusius, qui scripserit: Panem esse ipsum communicatum corpus Christi: *Quam interpretationem & Philippus in libello visitationis Saxonicæ secutus sit. Quanquam verò ἀκυρολογία est, pro actione, id est, pro communione corporis substituere substãtiam, id est, corpus ipsum*

[1559.]

communicatum: tamen vt admittatur hæc phraſis, propter verba Chriſti : Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur. *Et quod Paul. inquit.* Hoc eſt corpus quod pro vobis frangitur: *tamen has locutiones,* Panis eſt corpus traditum, ſeu fractum pro nobis, & communicatum nobis, *ſic exponi & accipi oportet, non quia panis propriè ſit corpus, vel in pane corpus lateat, vel oraliter manducetur à pijs & impijs : ſed ſicut fractio panis eſt fractio corporis, & ſumptio ſiue μετάληψις panis, eſt communio corporis ſiue vnio fidelium cū Chriſti corpore, tanquam membrorum cum capite, hoc eſt, quia Sacramentum, ſymbolum, & organon eſt pro nobis fracti, & nobis communicati corporis, dum per Sacramentum fides excitatur, & exercetur: Per fidem autem Chriſtus ſe & ſua beneficia nobis communicat, & nos membra ſua facit. Neq; verò Apoſtoli verba de communione, Lutherus olim de interna & ſpirituali re, quæ per panem Euchariſticum obſignatur, eſt interpretatus : Quam ſcribit talem eſſe κοινωνίαν cum Chriſto*, quâ fideles ei ita vniuntur & incorporantur, vt paſſionis & vitæ, omniumque beneficiorum ipſius communionem habeant, ipſiq; inter ſe ſpiritualis & myſtici corporis ſocietate inuicem, vt membra ſinceræ dilectionis vinculo, mutuiſq; officijs ſint coniuncti. Hos enim duos eſſe Sacramenti fructus, quos Paulus his verbis voluerit explicare, *cùm ait:* Panis quem frangimus, nónne communicatio corporis Chriſti eſt? *Item:* Vnus panis, vnum corpus multi ſumus: Omnes enim de vno pane participamus. Hæc (*inquit*) ſpiritualis & interna Sacramenti ſignificatio eſt. Atque ſic Sacramentum accipere, nihil aliud eſt, quàm certum ſignum accipere huius communionis & incorporationis cum Chriſto, & omnibus eius ſanctis & fidelibus. Quemadmodum ſi Ciui alicui daretur ſignum, chirographum, ſeu ſymbolum aliquod, quo certus & perſuaſus eſſe deberet, ſe in Ciuem receptum, vt membrum Ciuitatis, omniumque eorum, quæ in iure ipſius ſunt, conſors atq; particeps ſit. Hæc ſpiritualis communio in Sacramento Cœnæ, velut in ſacro aliquo & certo ſigno nobis promittitur, donatur & addicitur. Expedit enim & eſt neceſſe quòd hæc communio cum Chriſto, omnibuſque ſanctis, in ipſomet Chriſto arcanè, inuiſibiliter, & ſpiritualiter fiat, & quòd tamen corporale, viſibile & externum ipſius ſignum nobis exhibeatur.

Hoc modo cùm Lutherus ipſe verba illa Pauli ſic enarrârit, quomodo inferre poteſt hic Philippo-maſtix falſam & nimis violentam eſſe pagellam Iudicij Philippi ad Palatinum Electorem? Quomodo in Luthero probare, in Philippo improbare poteſt interpretationem de ſpirituali κοινωνίᾳ? Quam ipſam & Lutherus nominat tum ſignificationem, *tum* fructum Sacramenti, *& Philippus cùm ait, copioſè docendos eſſe homines de fructu, intelligit. Sicut & Auguſtinus in Sermone ad infantes,* ſpiritualem fructum *appellat, vt cauillatione illâ Heßhuſianâ nihil opus fuerit, ab ipſis rebus atque adeò à ſubſtantia Cœnæ Domini abduci homines, quoties Philippus iubeat de fructu copioſè Eccleſiam doceri. Quòd ſi* ſubſtantiam Cœnæ *nominat Heßhuſius, quod alioqui* Materia Cœnæ *vocatur, quæ eſt non modò ſignum ſed etiam* Res ſignata, *quomodo dici poteſt, Philippum abducere à ſubſtantia Cœnæ homines, qui omnium maximè vult vrgeri κοινωνίαν corporis, ad quam obſignandam ordinatus eſt panis Euchariſticus?*

Extat autem iuſtißima Defenſio Philippi contra Heßhuſiana conuitia quibus in ſua inuectiua vtitur, & Philippum proſcindit, perſcripta à Paulo Ebero *in Præfatione quam Commentario Melancthonis in priorem ad Corinthios præmiſit: non ſuſcepto tamen cauſæ patrocinio, quod ſibi de ea pugnare vel contendere non tutum fore ſciret. Et quia inuectiua Heßhuſij in Philippum mortuum multorum in manibus eſt, in qua ita virum ſanctum & præceptorem ſuum deformare auſus eſt, vt nihil ſimile quicquam ex ipſis quoque Pontificijs in eum vnquam vel dixerit, vel ſcripſerit, non ingratum fore Lectori arbitror, ſi ipſius quoque Eberi qualemcunque ſignificationem iuſtißimæ indignationis contra ἀπρεγίαν & impudentiam Heßhuſianam hoc loco adponam.*

[Defenſio Philippi contra Heßhuſiana conuitia à Paulo Ebero perſcripta.]

Verba igitur hæc ſunt Eberi : Tantus hic vir (*inquit de Philippo*) quaſi parùm à ſuis alumnis & diſcipulis eſſet flagellatus: dum viueret, etiam mortuus conquieſcere non poteſt, quin ex ijs, quos in ſua menſa diu aluit, quibus cum non modò publicè doctrinam, ſed priuatim etiam, quæ habuit & potuit, conſilia & ſecreta ſua communicauit, quibus etiam cor ſuum, ſi licuiſſet, ex pectore exemptum impertiuiſſet, aliqui in exangue corpus ſepulti ſæuiant, vindictæ ſtudio tanto, & acerbitate tantâ, vt credam, ſi coram ipſis miſerum & iam putreſcens cadauer Philippi expoſitum ſit, eos dentibus, more canum irruituros, & fruſtulatim carnem eius laceraturos eſſe. Quid enim aliud cenſeas, ſi legas ſcriptum, quod recens quidam ſuæ doctrinæ & famæ tuendæ cauſâ, vt videri vult, in vulgus ſparſit? Aduersùs quam iniuriam verè ſe is defendit? Aut quæ poteſt eſſe præceptoris fidiſſimi, imò Patris ἰσοψυχοτάτου, & benigniſſimi, iniuria tam atrox, quæ tantam mereatur acerbitatem, vt eius mortui cadauer

[Heßhuſius.]

dauer propemodum ex tumulo refossum ita crudeliter laceretur? Scripsit Philippus secretò consilium rogatus à Principe Electore, sub cuius Ditione natus est, paucula de Cœna Domini, magis, vt rixas de illa Heidelbergæ ortas, & publicè de suggesto mutuis Concionatorum conuitijs cumulatas, suaderet quoquo modo sopiri & dirimi, quàm vt de ipsa controuersia pronuntiaret, indicans formam loquendi ex Paulo, quâ tutissimum esset interea vti, donec de tota controuersia in Synodo statueretur. In illa pagella ad vnum scripta, secretò scripta, non in hoc scripta, vt vulgaretur, & tamen contra voluntatem authoris, & quidem post mortem demum publicata, fit mentio D. Heshusij paulò inclementior talis, vt eius authoritas, summis in Ecclesia & antiquissimis Scriptoribus postponatur. Hæc est iniuria illa, hoc facinus Patris tam atrox, vt omnium acceptorum beneficiorum, priuatim & publicè præstitorum, omnium virtutum memoriam penitùs aboleat & extinguat, & animum cupiditate vindictæ tantâ accendat, vt ea, nisi hoc modo defensionis atrocissimæ & contumeliosissimæ, satiari non possit. Sed si non voluit habere rationem suæ existimationis, quam certum est apud intelligentes nonnihil minui hac tantâ asperitate, qua vsus est in mortuum, in optimè meritum, in præceptorem, imò in parentem: æquissimum erat parcere ipsius honestissimæ & afflictissimæ familiæ, à qua multis est affectus beneficijs: parcere huic Scholæ, versanti in acerbissimo luctu propter orbitatem: parcere miseræ iuuentuti, desiderio amissi Rectoris studiorum languenti: parcere Ecclesiæ & posteritati: parcere denique Deo, cui bona cum conscientia seruijt Philippus; ne ita deformaret & doctrinam, & mores, & actiones huius viri, quasi veteratoriè luserit in doctrina cœlesti, & blasphemias scripserit, aut dixerit in Filium Dei: néue alijs conuitijs eum proscinderet in sepulchro quiescentem, imò in sinu & complexu Filij Dei iudicis & vindicis omnium scelerum, & inprimis ingratitudinis, perfruentem læto conspectu & colloquio Dei. Sed spero omnes pietate, modestiâ, prudentiâ & virtute præstantes, literarum amantes, veritatis studiosos, posteritatis curam agentes, de conseruatione & propagatione doctrinæ incorruptæ solicitos, non moueri eiusmodi paucorum inuectiuis, vt desinant amare, magnifacere, & gratâ memoriâ prosequi hunc virum, quem tot vtilia monumenta, tanti labores exhausti publicæ vtilitatis causâ, tantus summarum virtutum concentus & constantia, tot in multos priuatim, & omnes publicè merita nobis commendarunt. Imò spero, hanc istorum acerbitatem multis causam præbituram, vt pluris eum faciant, eiusque scripta studiosiùs cognoscant, & ab hac ingrata cohorte se quàm longissimè seiungant. Spero Deum quoque ipsum veritati aliquando testimonium præbiturum, quando igne examinabit, quid ædificantium quisque extruxerit super Fundamentum solidum, quod est vnicus Dominus noster Iesus Christus, & hic crucifixus & resuscitatus, & regnans ad dexteram Patris, qui solus dat idoneos & salutares Ministros, & ipsorum labores non finit esse irritos, nec dissolui vnquam, quod ex ipso est. Super hoc fundamento scimus extruxisse Philippum, vnà cum Luthero, & post Lutherum, optima fide integrum corpus doctrinæ, bonâ & perspicua methodo, studio vitasse omnes inutiles & periculosas disputationes, & abstinuisse etiam suo consilio à non varijs flagellationibus & damnationibus aliorum, & simul illustrasse scriptis & voce omnes reliquas artes, quæ ad explicationem doctrinæ cœlestis necessariæ sunt. Hæ lucubrationes conferantur cum aliorum chartis, qui sibi videntur præ cæteris sapere, & plurimùm laborasse & effecisse in Ecclesia, nunc verò occupati sunt in eo, quomodo huius viri scripta carpant, ac suspecta & inuisa alijs reddant, & verè conspicietur discrimen longè euidentius quàm inter aurum & stipulas est, quas tamen isti super eodem fundamento, vt iactitant, extructas, æquari auro Lutheri, & longè præferri argento Philippi volunt. Sed vt dictum est, ignis arguet vniuscuiusque opus, eo die, quo Dominus iudicabit fabrorum suorum structuram, quod tempus patienter expectent homines modesti, nec temerè ac præcipitanter applaudant istorum pompofis & artificiosè pictis & mirò zelo veritatis tuendæ fucatis clamoribus. *Hactenus Eberus.*

Sed & Melanchthon ante mortem prænidit, talem in se futurum Heshusium, Sic enim ad Hardenbergium scribit: Heshusius adhuc Heidelbergæ hæret, & triumphat, quòd Antagonista discessit, qui ἀξιολογίαν taxauerat. Adiungit se τῷ βλασφημῷ συρφετῷ. Eius generis applausus vt habeat, palàm me criminatur ἀνθρώπων τῆς ἄλλης καὶ τὴν ... Sed commendo Ecclesiam, & nos in ea, Filio Dei. *Scripsit quoque Philippus alias epistolas ad Hardenbergium & alios, quæ & iudicium ipsius de Heshusio declarant,*

Philippus ante mortem Heshusiana prænidit

1559.

clarant, & perpetuum ejus consilium ostendunt, de testimonijs purioris Antiquitatis, opponendis recentibus imaginationibus de præsentia corporis ad locum panis, quas infrà sub anno 60. referemus.

Villagagno etiam ad Scriptum Philippi respondit. Villagagno quis.

Respondit etiam ad Scriptum hoc Philippi ad Electorem Palatinum Nicolaus Villagagno natione Gallus, & Eques Melitensis, scripto valde obscuro atque inepto. Fuit hic Villagagno ille ipse, qui anno 1555. prætextu Religionis liberè exercendæ ex Gallia cum aliquot fidelibus in Brasiliam nauigauit: quum autem eò venissent truculentissimè crudelissimeque in eos grassatus est.

Etsi verò Heshusius acerbissimè traduxit Philippum, quòd approbâsset Friderici Electoris Palatini consilium de silentio imposito vtrique parti rixanti: tamen non temerè, nec præcipitanter Philippum sic statuisse ex circumstantijs locorum & temporum illorum colligi potest: Et perscripserat Philippus simile iudicium, vt anno 57. ad Bremensem Senatum, sic anno hoc ad Vratislauiensem Rempublicam, petentem consilium eius in rixis de Cœna Dominica causa ibi exortis. Et quia illud in Hardenbergij causa suprà recitaui, ideo hoc certis de causis integrè nunc quoque subjiciam.

Virtute, Prudentia & Dignitate præstanti Viro, D. Iohanni Morenbergio, inclytę Vratislauiensium Reipub. Senatori, &c.

GRatia Dei per Iesum Christum, Seruatorem nostrum vnicum. Amplissime Vir, Domine colende, nondum huc allata sunt acta, quorum in literis tuæ dignitatis fit mentio. De quibus vbi sint relicta, inquiri abs T.D. velim. Quod verò ad infaustum illud certamen attinet, de eo D. Adami Curæi & aliorum literis certior factus sum. Estque vt paucis complectar, hæc summa mei consilij, quod ex animo fideli vobiscum communicandum duxi, accommodatum ad Reip. vestræ rationes.

Primùm, Vt singulis Ecclesiæ ac Scholæ Ministris seriò mandetur, ne in Ecclesia vel Schola rixas intempestiuè moueant de hac aut alia controuersia. Quòd si quis habet, de quo disceptare velit, id vt scripto comprehensum, amplissimo Senatui, aut certè ijs, quibus Ecclesiæ & Scholarum cura & inspectio commissa est, prius offerat, neque in vulgus temerè spargat. Scripta verò, quæ oblata fuerint, Domini ipsi secum perpendere & aliarum Ecclesiarum vel doctorum iudicia requirere possunt. Id quod à Repub. Noribergensi vltra annos 30. studiosè obseruatum est, eaque ratione & Osiander & alij turbulentis ingenijs præditi, sæpè repressi, multaque certamina maturè sopita sunt, sicut constat, non rarò à D. Luthero, & alijs ipsius collegis de multis controuersijs, Noribergæ motis, sententias pronunciatas esse. Hanc commonefactionem velim D.T. non aspernari, quia nec partes ipsæ dissentientes causam iustæ alicuius querelæ habebunt, si aliarum Ecclesiarum iudicia audiantur, & si neutri parti permittatur licentia proteruè & petulanter rixas mouendi ad perturbandam tranquillitatem Ecclesię.

Secundò, Intellexi ex bonorum virorum literis & relatione: Iam antè inter Concionatores vestros conuenisse de certa ac consentiente forma, qua in explicanda doctrina de Cœna Domini vti se velle testati sint, ad præcidendas alias peregrinas disputationes, quæ ad suggestum non pertinent. Quare nunc etiam seriò iniungendum illis esse iudico, ne à consensu illo discedant. Neque enim necesse est, ad vulgus omnis generis disputationes moueri & agitari. Huic mandato, si quis morem gerere recusat, is citra tumultum aliò migrare iubeatur. Ac ne procul accersitę aut ambiguæ loquendi formę quærantur. Equidem affirmo, me in forma verborum in Examine Megalopurgensi posita acquiescere. Nam & eo tempore, quo Examen illud scripsi, & antea quoque cogitaui, idemque adhuc statuo, non necesse esse pro concione docere, sicut Sarcerius scribit, Terram, si quid fortè in eam vel deciderit vel destillarit, eradendam esse. Est enim hæc immota Regula: *Nihil habet rationem Sacramenti extra vsum diuinitus institutum.* Quam Regulam & D. Lutherus magnopere probauit, licèt à crassis nonnullis & parùm sobrijs Theologis, ante annos viginti impugnata sit, ac nominatim à Domino Wenceslao Linck. Quod monendi causa breuiter subjicio, vt de grauissimo hoc negotio diligenter cogitetur. De quo, quia multæ intricatæ & perplexæ quæstiones mouentur, prudentia adhibeatur & circumspectio in vsurpandis formis verborum, & deligendis materijs, quæ cum fructu auditorum in concionibus proponi possint. Non enim afferendæ sunt in suggestum, quæuis opiniones, at auditores potiùs fideliter ac diligenter de exercitijs fidei, & de fructibus Cœnæ Dominicæ erudiri, & ad crebrum huius vsum inuitari debent. Verissimum est, Filium Dei Iesum Christum adesse ministerio suo, &

efficacem esse. Est autem præsens non propter panem, sed propter hominem, fidelem, intelligentem neque aspernantem hanc institutionem. Quanta est autem insania, quod Papistæ quærunt, quid mures comedant rodentes panem Euchatisticum? Et quod Westphalus scribit: Corpus Christi esse in omnibus locis, in quouis ligno & lapide. Hæ & similes prophanæ locutiones in suggestum admitti non debent. Quod autem Leonardus Stockel vociferatur, me ac alios cum Westphalo facere, & ipsius scriptis patrocinari debere: Id nequaquam decreui facere.

Tertiò, Si authoritate Senatus obtineri non potest, vt discedat is, qui rixas non necessarias pro concione mouet, fideliter consulo, atque etiam rogo, vt cæteri Concionatores, qui ad concordiam & consensum, de quo dixi, propensi sunt, eà quâ cœperunt modestiâ pergant, ac dissidentes adhuc à sese tolerent, neque palàm ad populum damnent, neque factionibus studeant. Inuexerunt Pontificij horribilem Idololatriam in Ecclesiam, quam stabiliunt ex Nostrisij, qui abjiciunt hanc Regulam: *Quòd nihil habeat rationem Sacramenti extra institutam actionem.* Wormatiæ cùm essemus ante biennium ex Aula Anspacensi ad nos mittebatur Quæstio: *An corpus Christi in ventrem descendat?* cui nos sententiam grauem opposuimus. Similes disputationes plurimæ passim agitatæ sunt: Ex quo facilè intelligi potest, nequaquam esse concedendum, vt quæuis opiniones & deliria in suggestum afferantur. Admonendi sunt etiam Concionatores, vt quomodo prima & orthodoxa Ecclesia de hoc articulo docuerit, PRIVS DISCANT, quàm certamina eiusmodi moueant. Quanquam enim ex recentioribus Scriptoribus aliqui minùs commodè loquuntur, vt in Theophylacto hæc verba leguntur, quòd fit μεταστοιχείωσις, id est, transelementatio: Tamen Scriptor est recens. Ac verè affirmare possum, verba illa non esse in Græco exemplari, quod adhuc in Bibliotheca Comitis ab Hassenstein asseruatur. Et alioquin demonstrari potest, multùm fraudis à Pontificiis scriptoribus commissum esse in corrumpendis Veterum scriptis. Valde metuo, Mundum horribiles pœnas daturum esse propter Idolomaniam & Missam Pontificiam, & totam illam ἀρτολατρείαν. Et pariet aliquando hæc ipsa controuersia de Sacramento magnas distractiones, persecutiones, cædes, & vastationes. Ideoque summè necessarium erit, vt serijs precibus ad Christum confugiamus, eumque oremus,

Nota de Theophylacti loco corrupto.

Philip. praesagium.

vt ipse Ecclesiæ suæ opem ferat. Debet autem & Magistratus suo loco diligentiam adhibere; & quantum omnino fieri potest, cauere ne petulantes vociferatores iniusta certamina excitent, de rebus tantis, QVAS NON INTELLIGVNT. Cæteri etiam qui plùs lucis habent, infirmiorum habeant rationem, & infirmum corpus Ecclesiæ foueant, quantum per Dei gratiam possunt. Dimicatur de hac causa acerrimè, ac multùm sanguinis propter eam funditur in Gallia & Italia. Qualis in Anglia futura sit Reformatio, fortassis etiam cognoscemus propediem. Filius Dei Dominus noster Iesus Christus, qui dixit: *Ego ero vobiscum vsque ad consummationem seculi*, nobis omnibus opituletur, Ecclesiam & Rempub. vestram & T.D. cum tota familia tueatur & protegat. Prid. Cal. Aug. 1550. *Phil. Melanthon.*

1559.

INterea verò dum hæc ab Illustrissimo Principe Friderico Palatino, fit, vt suprà diximus, geruntur, Klebitius, conscriptis Thesibus suam sententiam de Cœna Domini in publica disputatione defendit.

1. Institutoris Christi verba; *Hoc est corpus meum*, simpliciter intelligere, Fidei regula non finit.

2. Nam Cœnam Dominicam duabus rebus, iisque distinctis, constare, Terrenâ & Cœlesti, inter pios conuenit.

3. Terrena est panis & vinum: Cœlestis est, Communicatio corporis & sanguinis Christi.

4. Terrena ore corporis: cœlestis ore animæ, id est, Fide percipitur.

5. Verborum Christi partem priorem ad rem, vt dici solet, Sacramenti: posteriorem verò ad vsum seu effectum, referre, non est rectè secare, vt Apostolus monet, veritatis sermonem.

6. Vis viuificandi à communicatione corporis & sanguinis Christi separari non debet.

7. De alijs Finibus Cœnæ huius sacrosanctæ inter Ecclesias Christi, nulla videtur esse controuersia.

Theses Heidelbergæ de Cœna Dominî à Klebitio disputatæ ac defensæ.

Hæ Theses anno sequenti in lucem sunt editæ huiusmodi Titulo: Theses quæ veram de Cœna Domini sententiam, iuxta Propheticæ & Apostolica Scripta, eruditæ ac piæ Antiquitatis consensum, Augustanæque Confessionis formulam summatim continent, ad disputandum in Heidelbergensi Academia propositæ. Accessit breuis earundem ἐξήγησις, ad Censoris cuiusdam anonymi depellendam calumniam.

Quia verò tum ab Academia aberat Heshusius

Heshusius ...

sius, ideo Klebitius Theses suas ei reuerso exhibuit, rogauitque, vt se, si alicubi erraret, in silentio, sine Ecclesiæ offensione, erudiret. Id licèt promiserit ille, nullâ tamen promissionis habitâ ratione, nihil respondit Klebitio, nec cum eo de Thesibus contulit, aut in Schola disputationem contra ipsum instituit, sed eum tum doctrina excommunicauit, solus tamen, non interrogatâ vel Ecclesia vel Academiâ. Formula Excommunicationis die 6. Septemb. hoc anno 1559. *promulgata, hæc erat.* I. Nullus Minister cum Guilhelmo Klebitio Synaxin publicè administret. II. Nullus Fidelis Synaxin ab illo sumat. III. Nullus ex adultris ipsius conciones audiat. IV. Nemo suos liberos, vel seruos in eius conciones mittat. V. Nemo suum infantem ab eo baptizari sinat. VI. Nemo ægrotus consolationem ab eo petat. VII. Nemo cum ipso cibum capiat. VIII. Magistratus eum non diutiùs in Officio ferat.

1559. communicat Papaliter Klebitium.

Formula Excommunicationis Heshusianæ.

Hac formulâ Excommunicationis promulgatâ, 8. Sept. Heshusius à Casparo Nesero appellatus est propterea Sus, vastans vineam Domini. *Die 9. Sept. ob hanc Excommunicationem reprehensus fuit à tota Cancellaria, & Ministerio Ecclesiæ. Dilerus 10. Sept. publicè dixit,* Klebitium ferendum in Officio contra excommunicationem Papæ: *idemque eodem die Synaxin cum eo administrauit, & tota Ecclesia cum eo communicauit.*

Heshusij Excommunicatio irrita redditur.

His autem contentionibus & rixis vehementer turbata est Ecclesia, cumque pia media, quæ Magistratus tentabat, non haberent locum, vterque tam Heshusius quàm Klebitius, dimissus est. Et Klebitio Rector Academiæ, qui tunc etiam Senator fuit Ecclesiasticus, 2. Octob. testimonium honestæ & modestæ vitæ dedit, & publico totius Vniuersitatis Sigillo Disputationem eius obsignauit. Elector quoque ei discedenti dedit viaticum liberale, & dimidij anni Salarium. Senatores etiam Ecclesiastici Coniugi & liberis voluerunt prospicere de habitatione, donec ipse nancisceretur certam alicubi conditionem. Liberum ei quoque fuit, quandiu voluisset, Heydelbergæ proprijs sumptibus viuere.

Heshusius & Klebitius dimittuntur Heidelberga. Klebitio datur honestum testimonium.

Heshusio contrà, tanquam authori harum turbarum, denegatum fuit testimonium ab Electore, Vniuersitate, Facultate & Ministris Ecclesiæ. Et iam antea quoque duas turbauerat Ecclesias: quam ob causam Rostochiani actionem contra ipsum instituere voluerunt, sed Palatinus Elector pro ipso intercessit: Huic vt gratiam pro tanto beneficio referret, etiam Palatinatum perturbauit. Post dimissionem à Bremensibus receptus, etiam ibi motus concitauit; eam ob causam inde quoque pulsus est.

Heshusio negatur testimonium.

Post Heshusij & Klebitij discessum, Illustrissimus prudentissimusque Princeps Elector Palatinus Rheni Fridericus, controuersiam hanc diligenter ponderare, & de veritate seriò inquirere cœpit: Eam vbi comperisset, permotus sacræ Scripturæ perspicuis testimonijs, & veteris Ecclesiæ ac purioris Antiquitatis doctrina, Philippique authoritate, Veritati cessit, & instituta generali reformatione Academiæ & Ecclesiarum Palatinatus, vndiquaque orthodoxos Ministros, Doctores & Professores vocauit, ac dissentientes placide dimisit. Anno etiam sequenti tertio & quarto die Iunij in publica disputatione Orthodoxam sententiam defendit, & de mutata Religione pijs omnibus satisfecit.

Fridericus Elector in Palatinatu reformat.

E*Odem tempore numerus fidelium in Gallia vehementer crescebat, suaque fidei Confessionis libellum Regi Francisco II. exhibuerunt: in quo sententiam suam de Cœna Domini his verbis declararunt:* Affirmamus sanctam Cœnam Domini, esse nobis testimonium nostræ cum Domino nostro Iesu Christo vnitionis, quoniam non est duntaxat mortuus semel & excitatus à mortuis pro nobis, sed etiam verè nos pascit & nutrit carne suâ & sanguine, vt vnum cum ipso facti, vitam cum ipso communem habeamus. Quamuis enim nunc sit in cœlis, ibidem etiam mansurus donec veniat mundum iudicaturus, credimus tamen eum arcanâ & incomprehensibili Spiritus sui virtute per fidem apprehensâ, nos nutrire & viuificare sui corporis & sanguinis substantiâ. Dicimus autem hoc spiritualiter fieri, non vt efficaciæ & veritatis loco imaginationem aut cogitationem supponamus, sed potiùs quoniam hoc mysterium nostræ cum Christo coalitionis tam sublime est, vt omnes nostros sensus, totumque adeò ordinem naturæ superet: denique quoniam quum sit diuinum ac cœleste, non nisi fide percipi & apprehendi potest.

Fideles in Gallia Confessionem fidei suæ exhibent Francisco Regi.

Credimus tam in Cœna quàm in Baptismo, Deum nobis reipsâ, id est verè & efficaciter donare quicquid ibi sacramentaliter figurat, ac proinde cum signis coniungimus veram possessionem ac fruitionem eius rei quæ ita nobis offertur. Itaque affirmamus, eos qui ad sacram mensam Domini puram fidem, tanquam vas quoddam afferunt verè recipere quod ibi signa testificantur: nempe corpus & sanguinem Iesu Christi non minùs esse cibum ac potum animæ, quàm panis & vinum sunt corporis cibus. Dicimus itaque elementum aquæ quantumuis caducum, nobis nihilominus verè testificari interiorem animi nostri ablutionem in sanguine Iesu Christi

per

per sancti Spiritus efficaciam. Itemque panem illum & vinum illud quod nobis in Cœna datur, verè nobis spirituale alimentum fieri, quatenus videlicet velut oculis nostris spectandum præbent carnem Christi nostrum cibum esse, & eiusdem sanguinem esse potum. itaque fanaticos illos omnes rejicimus qui hæc signa & symbola repudiant, quum Christus Dominus noster pronunciarit, HOC EST CORPVS MEVM: & HOC POCVLVM EST SANGVIS MEVS. *Hac ideo adscribere placuit, vt perspicuum sit, quis iam pridem fuerit Gallicarum Ecclesiarum, in medijs primarum afflictionum tempestatibus, de Cœna articulo conformis & vnanimis consensus.*

Assertio articuli de Ascensione Christi in cœlos ex Enarrationibus Philippi in Epist. ad Coloss.

Edita sunt hoc anno Philippi Melancthonis Enarrationes in Epistolam Pauli ad Colossenses, prælecta in Academia Witebergensi anno 1556. In eius capite 3. pro assertione articuli de Ascensione Christi in Cœlos sic scribit: Primum dicamus de dicto; *Ascendit in cœlum.* Quomodo hæc congruunt? Alibi dicitur: *Filius qui est in sinu Patris.* Item, Ioh. 3. *Filius hominis, qui est in cœlo. Respondeo:* In Symbolo intelligatur dictum, vt sonat litera, & de corpore, & de corporali locatione: In cœlum, id est, in locum cœlestem, vbicunque est: quia hic non sunt fingendæ allegoriæ. Ascensio fit visibilis & corporalis & semper ita scripsit tota Antiquitas, Christum corporali locatione in aliquo loco esse, vbicunque vult. Et ascensio corporalis facta est sursum: Ideo Paulus in hoc capite locum illum nominat, *sursum:* At in propositione, *Filius, qui est in cœlo,* dictum intelligatur communicatione Idiomatum: λόγος semper est in cœlo, etiamsi corporali locatione corpus est in virgine. Hæc narratio expressa est in enarratione Symboli, quæ legitur in libris Cypriani, etsi alibi inscriptio est: *Enarratio Ruffini.* Ascendit ad cœlos, non vbi Verbum Deus antea non fuerat, quippe qui erat semper in cœlo, & manebat cum Patre: sed vbi Verbum caro factum antea non sedebat, id est, vbi corpus antea non habuerat corporalem locationem. Sic Augustinus loquitur, & citantur verba à Longobardo lib. 3. dist. 22. *Non dimisit Patrem Christus, cùm venit infirmior: vbique totus, vbique perfectus.* Deinde addidit forma sermonis: *Vbique totus est, sed non totum.* Alij concinniùs locuti sunt; Propositio vera est communicatione Idiomatum: Christus vbique est. Athanasius sic loquitur de incarnatione Verbi: *λόγος non colligatus est corpori, sed ipse corpus continet, vt & in eo sit: & extra omnia, & in sinu Patris: neque cùm sit in omnibus, fit pars aliorum, sed omnia, vitam, sustentationemque ab ipso accipiunt.* Vt autem de locali ascensione naturæ humanæ dictum est, *Ascendit ad cœlos* ita de exaltatione naturæ humanæ super omnes creaturas dictum est: *Sedet ad dexteram Patris:* vt hîc Paulus inquit: *Vbi est ad dexterum Dei sedens.* Ait, *Christum sursum esse, & quidem ad dexterum Dei,* id est, non vt beati Angeli & homines sursum sunt: sed exaltatus supra Angelos in illa arcana luce Dei: regnans cum Patre: & tamen corpus localiter alicubi est, secundùm veri corporis modum, vt Augustinus inquit. Et hæ propositiones, *Christus in vobis est: Ego in eis: Veniemus ad eum, & mansionem apud eum faciemus, &c.* intelligantur communicatione Idiomatum. Et de hac præsentia Filij in prædicatione Euangelij, & in sanctis necesse est Ecclesiam fideliter erudiri, vt agnoscamus, D. nostrum Iesum Christum adesse Ecclesiæ, & esse caput omnia in omnibus perficiens.

Luculenta explicatio doctrinæ de persona Christi, & humanæ naturæ veritate in responsione Philippi ad Bauaricos articulos

In responsione etiam ad impios Articulos Bauaricæ Inquisitionis, hoc anno à Philippo scripta, continetur luculenta & orthodoxa explicatio doctrinæ de persona Christi, & humanæ naturæ veritate. Præcipuè, *inquit*, opponitur doctrinæ de natura diuina in Christo argumentum de morte. Christus mortuus est: Non est igitur Deus. Ad id argumentum vera & necessaria responsio est. Cùm in Christo duæ sint naturæ, quædam propria vni naturæ non impediunt, quò minùs adsit altera natura. Propria sunt hæc humanæ naturæ, lacerari membra, pati, mori. Ideo Petrus disertè dixit: *Christum passum esse carne.* Et Irenæus inquit, *Christum crucifixum & mortuum esse quiescente verbo, ἡσυχάζοντος τοῦ λόγου,* id est, diuina natura non est lacerata aut mortua, sed non est vsa potentiâ suâ, non exeruit suas vires. Citat hoc dictum & alia multa Theodoretus in Dialog. 3. Et inter decreta in Synodo Damasi, Theodosij primi tempore, facta legitur: *Si quis dicit, quòd in passione crucis dolorem sustinuerit Filius Dei Diuinitate, & non carne & animâ rationali, quam assumpsit in forma serui, anathema sit.* Hieronymi verba sunt hæc in Confessione scripta ad Damasum: *Secundùm illud passus est, quod pati poterat,* id est, non secundùm illam substantiam, quæ assumpsit, sed secundùm illam, quæ assumpta est. Ipse enim Filius secundùm suam Deitatem non potest mori. Et Athanas. in lib. de incarnatione Verbi, pag. 28. *Cùm non esset possibile ipsum mori Verbum*

1559. *Verbum, quippe immortalem Patris filium, corpus sibi, quod mori posset assumsit.* Castè & reuerenter vsitatæ formæ loquendi in Ecclesia retinendæ sunt. Nemo sic locutus est: *Christus mortuus est secundùm vtramque naturam*; Imò particula κατὰ expressè distinctiua est, Ro. 1. *De Filio nato ex semine Dauid secundùm carnem*, κατὰ σάρκα. Et in Actis cap. 2. *Secundùm carnem resurrecturum esse Christum.* Inde & alij particulam κατὰ sumserunt, vt Hieronymus: *Passus est secundùm naturam assumtam.* Et Theodoret. Dialogo 2. pag. 42. κατὰ τὴν προσληφθεῖσαν σαρκὸς ἐσταύρωται. Et considerandum est, quas formas loquendi vetus & purior Ecclesia receperit.

Nequaquam dicitur in Abstracto, *Natura diuina est humana.* Sed in Concreto dicitur, *Deus est homo*; cùm de Christo nato ex virgine loquimur. Item, *Deus est natus ex virgine: Deus est passus.* Et nominatur hæc forma loquendi *Communicatio Idiomatum*, quæ est prædicatio in qua proprietas vnius naturæ dicitur de persona in concreto, & significatur in Christo duas esse naturas, non tantùm ita, vt altera sit socia & separabilis, sicut in Elia & alijs Sanctis adest Deus societate, vt auxiliator, & separabiliter. Sed sic, quòd λόγος assumserit humanam naturam mirandâ vnione inseparabili & personali. De hoc modo loquendi inquit Theod. pag. 67. κοινὰ τοῦ προσώπου γέγονε τὰ τῶν φύσεων ἴδια, id est, propria naturarum communia sunt personæ. Item pag. 68. ἡ σύγχυσιν εἰργάσατο τῶν φύσεων, ἡ κοινότης τῶν ὀνομάτων, id est, Communio nominum non operata est confusionem naturarum.

Communicatio Idiomatum quid.

In controuersijs Nestorij & Eutychis necessaria fuit diligentia discernendi modos loquendi. Nestorius enim vociferabatur. *Noli gloriare Iudæe, non enim Deum, sed hominem crucifixisti.* In his verbis insidias non cernebat populus. Quare magna multitudo Nestorium defendit. Aduersabantur autem ei saniores qui intelligebant, quò tenderet Nestorius. Reipsâ enim hoc sentiebat, sicut in Elia fuit diuinitas tanquam socia & auxiliatrix, & separabiliter, sic in Christo λόγον adesse vt socium, nec volebat duas esse naturas in Christo, vnitas vnione hypostaticâ. Existimo autem Nestorium Samosateni & similium blasphemiam astutè renouasse, sed fucatam artificiosiùs. Non igitur λογομαχία erat certamen Orthodoxorum aduersantium Nestorio, sicut tunc quoq; multi vociferabantur, sed de re maxima pugnabatur. Necesse fuit retineri hâc sententiam, infinitum discrimen inter Christum & Eliam esse, & in Christo nato ex virgine sic esse duas naturas, λόγον & hu-

Nestorij doctrina de Naturis in Christo.

manam, vt λόγος sit missus in assumpta humana natura, sit Saluator, atque ita semen mulieris conterat caput serpentis. Ac vt aliquo modo indicari posset vnio personalis, Vetustas vsa est similitudine copulationis corporis & animæ in homine. Hæc similitudo sæpe repetita est ab Athanasio & Cyrillo, & hæc verba apud Iustinum leguntur digna memoriâ τινὲς μὲν τὴν ἕνωσιν ὡς ψυχῆς πρὸς σῶμα νοήσαντες, οὕτως ἐκδεδώκασιν, καὶ ἁρμόδιον γε τὸ παράδειγμα, εἰ καὶ μὴ κατὰ πάντα, κατὰ τί γοῦν, id est, Quidam vnionem, vt animæ cum corpore, attendentes, ita tradidêre, & congrua est similitudo, si non secundùm omnia, tamen secundùm quid.

Vt igitur non dicimus, Anima est corpus, & tamen de integro homine dicimus: Homo videt, numerat; Ita dicitur, Christus dormit, patitur, etiamsi non dicimus, natura diuina dormit aut patitur. Inde distinctio tradita est inter propositiones in abstracto & concreto. Non dicitur, Natura diuina est passa; sed Christus est passus, qui est Deus & homo. Estque vtilis hæc distinctio ad explicanda multa Scripturæ dicta. *Antequam Abraham natus est, ego sum, Aspicient me, quem confixerunt.* Tales propositiones intelligantur dici communicatione Idiomatum. Reuerenter autem cogitemus & loquamur, & fontes consideremus, ac sæpe intueamur testimonia, fidem confirmantia de vtraque natura, vt gloriam Filij Dei agnoscamus, & potentiæ ipsius ac præsentiæ cogitatione nos confirmemus: non sauciemus mentes inextricabilibus cauillationibus.

Eutyches post Nestorium confusionem naturarum finxit, quasi conuersa esset humana in diuinam τοῦ λόγου & retinuit has propositiones. *Natura diuina est passa & mortua*, & interpretatus est dictum, *Verbum caro factum est*, hoc modo, *Verbum factum est carneum.* Existimo autem hunc quoque rectè renouasse Samosateni blasphemiam. Latè autem vagata est hæc pestis, & diu hæsit, videlicet à fine Theodosij secundi vsque ad Iustinianum. Cumque Theodosius secundam Ephesinam Synodum indixisset propter eam controuersiam, tanta fuit rabies in defensoribus Eutychis, vt Flauianus Constantinop. Episcopus verberibus expulsus ex consessu postea mortuus sit. Propter eos tumultus Synodus illa dicta est λῃστρική. Quadriennio pòst Martianus Synodum Chalcedonensem indixit, quæ decreta fecit pia contra confusionem naturarum in Christo; nec tamen extinctum est illud incendium, sed multi Episcopi etiam postea

Eutychis doctrina de naturis in Christo.

ſtea magnis contentionibus Synodo Chalcedonenſi aduerſati ſunt. Accuratè autem refutârunt Eutychen Theodoretus & Vigilius Martyr.

Hæc breuiter adieci, vt pij commonefiant de veteribus Eccleſiæ certaminibus & iudicijs, & cogitent de fontibus. Suprà recitaui dictum Petri, qui ait, *Chriſtum paſſum carne*; addidi alia quædam vetera dicta, quæ ſint in conſpectu, & opponantur Stenckfeldij & aliorum *(Brentij)* clamoribus, qui audacter ſimilia ſpargunt Eutychianis, & delent doctrinam de communicatione Idiomatum. In his quorundam tanta eſt petulantia, vt duplicem fingant communicationem Idiomatum, aliam Dialecticam, aliam Phyſicam: quæ eſt confuſio naturarum. *Hæc Philippus in Reſponſione ad Bauaricos articulos, anno proximo ante mortem.*

ANNVS M. D. LX.

Iohannes à Laſco moritur. Iohannis à Laſco vita.

A*Nna* 1560. Iohannes à Laſco *Polanus Idibus Ianuarij ex hac vita migrauit in Polonia. Fuit hic vir ex illuſtri natus familia, & propter ingenij dexteritatem, Regi quoque charus, qui in arduis negotijs eius opera non ſemel vſus eſt. A Zuinglio primùm, quum per Tigurum in Galliam iter faceret, ad ſacrarum literarum lectionem inductus fuit. Abijt ex patria, religionis cauſa; ſciente & permittente Rege, in Friſiam, vbi totum decennium vixit. Poſtea hortatu Cantuarienſis Archiepiſcopi, à Rege Eduuardo in Angliam fuit vocatus, & Eccleſiam peregrinorum Regis beneficio Londini collectam & inſtitutam rexit & gubernauit. Tigurina Eccleſiæ doctrinam de Sacramentis & alijs articulis, conſtanter retinuit, & varia tentauit vt hoc diſsidium tolleretur. Tandem in patriam reuocatus, veram doctrinam cùm de alijs capitibus, tum de Cœna Domini promouit.*

Mors Philippi Melancthonis, eiuſque vindicatio à crimine leuitatis & inconſtantiæ, quòd ſententiam ſuam de Cœna mutauit, & agnitæ veritati ceſſit.

Philippus ab inita concordia Vitebergenſi quam in controuerſia de Cœna pro vera doctrina agnouerit.

S*Vbſequutus eſt Ioannem à Laſco eodem anno menſe Aprili magno omnium Orthodoxorum dolore, in omni doctrinarum genere eruditiſsimus*, Philippus Melancthon, *laboribus aſsiduis & curis exhauſtus.*

Quam autem ſanctiſsimus hic vir pro vera & orthodoxa tenuerit ſententiam in controuerſia illa de Cœna Dominica, ex ſcriptis eius omnibus, poſt initam concordiam inter Lutherum & Helueticas Eccleſias, à ſe editis facilè à pijs & veritatis amantibus viris intelligi poteſt. In poſtremis tamen Colloquijs ad amicos, quod D. Pezelius ſcribit, præter cætera ſcripta, in quibus de ſua ſententia ſatis clarè, eodemq́; ſemper modo ac iiſdem propemodum verbis teſtatus eſt: Reſponſionis ad articulos Bauaricæ Inquiſitionis: & duarum epiſtolarum ad Cratonem Palatinum Electorem ſcriptarum, mentionem expreſſam ipſe Philippus fecit, quum pridie quàm moreretur, veritatem in hac cauſa accuratè, ac ſerio motu pectoris domeſticis ſuis commendaret, eoſq́; in vera ſententia confirmeret. Quo die ſcriptionem teſtamenti ſui inchoauit; Si me vites, *dixit*, non defecerint, relinquam etiam in teſtamento repetitam atq; explicatam ſententiam meam. Quòd ſi priùs defecero, quàm teſtamentum abſoluero, ſufficiant vobis ſcripta mea, & hæ duæ Epiſtolæ, præter ea, quæ ſæpe viuâ voce priuatim & publicè tradidi. Ea certò ſcio, quæcunque diſputentur ab alijs, vera & certa eſſe, nec euerti vnquam poſſe: etſi non dubito, grauiſſima hac de re certamina paulò pòſt exoritura eſſe.

Teſtantur hoc etiam literæ hac de re ſcriptæ ad Albertum Hardenbergium, Caluinum, Bullingerum, Brentium, Crucigerum, Georgium Maiorem, Vitum Theodorum, Milychium Medicum & alios plures. Teſtatur idem luculentiſsimè, quòd ab inita Concordia vſq; ad mortem cum doctis Zuinglianis, vt vocantur, non vulgarem amicitiam & charitatem coluit. Quòd Gallicas Legatos pro Eccleſiarum ſuarum ſalute intercedentes apud Germaniæ Principes, humaniſsimè excepit & liberaliter commendauit. Quòd Ioannem Criſpinum Typographum Wormatiæ hortatus eſt, vt cùm alia Opuſcula Oecolampadij, tum præcipuè quæ in Prophetas ſcripſerit, in lucem ederet. Quòd Ioannem à Laſco in Poloniam redeuntem honorificè tractauit. Quòd ad Bullingerum, Caluinum, & alios de ſuis rebus amicè & familiariter ſæpe ſcripſit. Quòd multis Theologiæ ſtudioſis author fuit, vt Tigurum & Geneuam ſe conferrent, quo ſententiam doctorum de Sacramentis liquidò cognoſcerent. Sed propterea ab alumnis & diſcipulis ſuis, non modò dum viueret, ſed poſt obitum inprimis multis conuitijs laceratus fuit: & quidam ſcribere auſi fuerunt, Non habuiſſe Melancthonem, vbi in hac cauſa tranquilla cum conſcientia acquieſceret.

Philippus mutatione ſententiæ de Cœna non defecit à veritate ad errores.

Quòd autem deflexiſſe Philippum propterea à recta fidei tramite, & contra conſcientiam in caſtra Caluiniſtarum tranſijſſe clamant ipſius aduerſarij, atq; adeò defectionis à veritate & magna leuitatis ſeu inconſtantiæ eum accuſant, mera eſt calumnia, inſcitia & malitia. Primùm

1560.

Nemini mutatio sententiæ in religione vitiosa

enim hoc ipsis concesserimus, si probauerint, doctrinam & sententiam, quam tandem est amplexus, erroneam & falsam esse. Deinde si censent omnẽ sententiæ mutationem in rebus fidei impiam aut vitiosam esse, adeò vt si quis se hallucinatum in aliquo dogmate senserit, non liberũ sit illi à priore sententia erronea discedere, & veriorem sanioremq́ amplecti, sanè pro constantia & firmitate fidei, nihil aliud quàm obstinationem nobis inducent. Ideoq́ nec ipsi Luthero licuit à Papatu deficere & Euangelicam doctrinam amplecti: non alij licuit Transsubstãtiationis dogma, aut aliud eiusmodi eiurare, & rectã de præsentia Christi in Cœna; deque signorum cum re signata, Sacramentali vnione sententiam profiteri. Si verò nemini semel receptam & confessam in aliquo dogmate sententiam abjicere aut mutare sine crimine licet, laudetur obstinatio, & pernicacia hæreticorum omnium, qui & se, & Ecclesias perdere maluerunt, quàm imbutam, seu imbibitam semel opinionem deserere, & Catholicam fidem amplecti: contrà damnentur indiscriminatim inconstantiæ, leuitatis & malæ fidei, quotquot ab erroribus suis resipuerunt, & malè à se credita, vel defensa publicis scriptis retractarunt, atque emendarunt. Si ita sentiunt, quid est quòd Sacramentarios ita insectantur? quòd illorum persuasionibus non cedant? quòd in eorum sententiam, suâ deserta & abiurata, non protinus pedibus eant? Discant igitur, quid ferat ista temeraria in Philippum criminatio. Si enim à falsa ad veram de Sacramento sententiam deflexit, propria conscientiæ testimonio, & non modò Patrum, sed & Scripturæ authoritate victus, quid illum ineptè & impiè criminantur? An hoc noui est damnati exempli? Audiant Augustinum de suis Retractationibus gloriantem. Neque enim quisquam (*inquit*) nisi imprudens, ideo quia mea errata reprehendo, me reprehendere audebit. Sed si dicit non debuisse illa à me dici, quę postea mihi displicerent: verum dicit & mecum facit: eorum quippe reprehensor est quorum & ego: neque enim ea reprehendere deberem, si dicere debuissem. Sed quia primas non potuit habere sapientiæ, secundas habeat partes modestiæ: & qui non valet omnia impœnitenda dicere, saltem pœniteat quæ cognouerit dicenda non fuisse. Sed vt volet quisque accipiat hoc quod facio, me tamen Apostolicam illam sententiam, & in hac te oportuit intueri, vbi ait, Si nos ipsos iudicaremus, à Domino non iudicaremur. *Hac ille. Ex quibus apparet sanctissimum virum non modò non erubuisse publica sua errata scripto publico mutatâ sententiâ notare & reprehendere: sed id etiam summæ modestiæ tribuisse. Tantumque abest vt retractationem eiusmodi, reprehensione prudentium virorum dignam existimârit, vt singulis etiam Christianis eam esse necessariam, nisi in condemnationem Dei ipsius venire malint, profiteatur. Itaq́ suam illam Præfationem non dubitauit hac admonitione claudere.* Quapropter quicunque ista lecturi sunt, non me imitentur errantem, sed in melius proficientem. Inueniet enim fortasse, quomodo scribendo profecerim, quisquis Opuscula mea ordine quo scripta sunt, legerit, *&c. Epistola 7. autem ad Marcellinum idem Augustinus pluribus ostendit, non modò mirandum non esse, aut dolendum, sed potiùs ignoscendum atq́ gratulãdum, si quis proficiendo in doctrina, suorum ipse sit tandem reprehensor errorum.* Nimis peruersè, *inquit*, seipsum amat, qui & alios vult errare, vt error suus lateat. Quantò enim meliùs & vtiliùs, vt vbi ipse errauit, alij non errent, quorum admonitu errore careat: quòd si noluerit, saltem comites erroris non habeat? *Et epistola 48. ad Vincentium eos damnat apertè, qui ne ab errore discederent, erubescentiâ quadam contra conscientiam retinebantur.* Quid, *inquit*, adhuc dubitas tenere quod sentis, nisi quia id quod non sentis, vel aliquando sensisse, vel illud defendisse, confunderis: & dum erubescis corrigere errorem, non erubescis permanere in errore? quod vtique potiùs erubescẽdum fuit. Hoc est illud quod Scriptura non tacuit. Est confusio adducens peccatum, & est confusio adducens gratiam & gloriam. Confusio adducit peccatum cùm erubescit quisquam mutare sententiam, ne aut inconstans putetur, aut ne diu errasse seipso iudice teneatur. Ita descendunt in infernum viuentes, id est, suam perniciem sentientes, quos Datham & Abiron & Chore hiatu terræ absorpti, tantò antè futuros figurauerunt. Confusio autem adducit gratiam & gloriam, cùm erubescit quisque de propria iniquitate, & pœnitendo in melius conuertitur: *& quæ sequuntur ibidem reliqua. Hanc Augustini admonitionem animaduertere debebant, quotquot tam proteruè Melanchthoni exprobrant, quòd sententiam priorem de Cœna Dni. mutauerit: neq́ tamen eam, quam amplexus est refellere tanquam impiam possunt. Accidit pleriq́ horum, quod Augustinus de Donatistis quibusdam in eadem illa epistola testatur, nẽpe:* Quòd multi eorum manifestâ veritate commoti, vellent quidem fieri Catholici: sed id quotidie, reuerendo suorum offensionem, differebant. *Hoc certè accidisse aliquandiu Philippo, ipsius scripta testantur: sed vicit veritas, qua tandem ad liberiorem sententiæ suæ declarationem permotus est. Hinc aduersariorum in illum simultates, odia, calumniæ & criminationes,*

Eccle. 4.

nes, quòd à priore sententia discesserit, & od Calainistarum sententiam de Sacramento, id est, ad veritatem deflexerit. Graue scilicet crimen, si istis creditur: ot summum syncera conscientia ipsius testimonium, si res ipsa spectetur: quâ ille multos istorum turbulentorum Theologorum superauit, qui veritatem in iniustitia contro conscientiom retinent, ne apud eos incurrant leuitatis aut inconstantia notom. Sed & alios, qui iurârunt in verba Lutheri, vona occasiones eiusmodi remorantur, ne veritatem aut agnoscere, aut profiteri vel audeant vel velint. Quibus illud Augustini rectissimè conuenit: Quàm multos, *inquit*, non veritas, sed obduratæ consuetudinis vinculum colligabat? vt in eis compleretur diuina illa sententia: Verbis non emendabitur seruus durus, si enim & intellexerit non obediet. *Prou.* 29. *Item*: Quàm multi propterea putabant, veram Ecclesiam esse partem Donati, quia eos ad cognoscendam Catholicam veritatem securitas torpidos, fastidiosos, pigrosque faciebat. *Rursus de alijs*: Quàm multis aditum intrandi obserabant, rumores maledicorum, qui nescio quid aliud nos in altari Dei ponere iactitabant? *Et iterum*: Quàm multi nihil interesse credentes, in qua quisque parte Christianus sit, ideo permanebant in parte Donati, quia ibi nati erant, & eos inde discedere nemo cogebat? *His quatuor de causis multi ex aduersa parte retinentur, ne veram & catholicam de sacro Domini Cœna sententiam omplexentur: Nempe obdurotâ iam inde ob initio reformotionis Euangelica consuetudo. Alios autem nimiâ socordiô retineri, illi certò affirmare possunt, qui multos in Germania nouerunt, qui ne legere quidem olterius partis scripta dignantur, sed ea fastidiunt: partim quòd à suis Magistris ea legere prohibeantur, partim quòd naturô suâ pigri torpidiq́; nō multū de ognoscendo veritate laborent. Alij nimio credulitate falsis & maledicis rumoribus decepti & persuasi, Coluinistas aliter de Cœna sentire, quàm reuera sentiont, ab ipsis abalienentur. Qui autem in Lutheri sententia sibi persistendum putant, quia in ea nati & educati sunt à pueritia, nec aliam audiuerunt, multi quoq́; reperiuntur in Germania. Hi ergo omnes neque errorem agnoscere, nec à semel imbuto illo sententia diuelli, vt saniorem amplexentur, possant. At non talis fuit Melancthon, nec plerique alij ipsius magis dociles discipuli. Nam neque vllius hominis autboritate, neque consuetudine vlla, out temporis præscriptione, neque socordia, neque incertis rumoribus vllisue maledicentiis, aut quocunque alio protextu impediri potuit, quin de veritate controuersi dogmatis de præsentia corporis & sanguinis Christi, eiusq́; vero manducotione in Cœno, diligenter inquireret. Vtrorumq́; autem rotionibus penitiùs expensis, & cum Orthodoxorum Patrum veteris Ecclesia sententijs collatis ognita inde veritate, illi cessit, priora sua scripta emendauit, atq; publicom cum alterius portis Theologis amicitiam & fraternitatem colere instituit, maximè post initam illam inter Germanicas & Helueticas Ecclesias in Conuentu tum Witenbergico, tum Smalcaldico Concordiam. Hoc qui non probont, & hanc mutationem Philippo vitio dant, cur non & Paulum reprehendunt, qui à præpostero legis zelo, ad Euangelij prædicationem, mutata, imò damnata priore sua sententia, Deo vocante transijt. Hinc iam constare puto, quàm non sit à Christiano Theologo alienum, à priore sua sententia, veritate meliùs cognita & perspecta, discedere: quin imò peruersa esse obstinationis, & nimia orrogantia in semel recepto errore ita persistere, vt neque de veritate vlteriùs inquirere, neq; agnitom illom amplecti velimus.*

His illud etiam addam. Si Philippus à veritate doctrina humanô infirmitate descuit: qua fuit istorum pietas? quis zelus? qua charitas vel in Deum eiusq́; veritatem, vel in præceptorem, quòd tandiu illum errare cum manifesto damnotionis periculo (si verum est quod aiunt isti) immori passi sunt? Neque enim ignorarunt, quid ille vel sentiret, vel in doctrina immutásset, vt ex illis actis & testimonijs opparet, quibus ipsum probore volunt Caluinismum amplexum fuisse. Ostendant ergo quibus eum rotionibus vel erroris conuicerint, vel saltem ab eo reuocore tentauerint: qua Colloquia publica, quas disputationes, quas Synodos cum eo instituerint, vt si non in viam illum veritatis reducere quiuerunt, saltē veritatem ipsam sartā tectam in suis Ecclesijs retinere conarentur: nec vnius hominis authoritate Ecclesias corrumpi, totque animas seduci ob eo paterentur. Quaro enim ab ipsis, an existiment reuera ipsum à fundamētis fidei excidisse, dum de Cœna Domini aliter tum scripsit, tum docuit, quàm vel Lutherus, vel ipsemet priùs sensisset? Si id affirment, certè deplorata erat iam tunc, non illius modò, sed & eorum omnium salus, qui vel cum ipso sentiebant, vel ab eo in ipsius partes trahebantur. Cur igitur isti tam diuturno silentio, tantâ suâ conniuentiâ, tādiu illum cum tota Ecclesio & Scholo, cui præerat, de salute aterna periclitari, ac tandem etiā ab illa prorsus excidere siuerunt? Nonne leges ipsa dictant, eum non minùs in culpa esse, qui perire passus est quem seruare potuit, quàm eum ipsum qui peremit? At prohibait pudor: prohibuit viri authoritas, modestia, otq; insignis eruditio. Sed cur non hac eadem prohibent, quo minus optimum & de Republica Christiana bene meritum virum post mortem demum eius ferorū instar dilanient, & suis exprobrotionibus

1562.

Causa ob quas multi impediri veram sententiam de Cœna non recipiunt.

Vbiquistæ Philippum non quam ad priorem suam sententiam reuocare tentarunt.

1560. atque acerrimis accusationibus discerpant, aduersus quem viuum ne hiscere quidem ausi fuerunt? Sed Leo mortuus non mordet.

Philippus defecisse à Lutheri sententia non à veritate defecit. Lutheri variæ sententiæ de Cœna.

Denique longè falluntur, qui dicunt, Philippum à veritate defecisse, eò quòd à Lutheri sententia descinerit. Nam vt ab initio indicauimus, non est Lutheri sententia vna & eadem de Cœna Domini: sed ad minimùm quatuor, δὶς διὰ πασῶν discrepantes opiniones ac sententiæ in scriptis eius extant. Pontificia vna sine Papistica, de Transsubstantiatione: altera Cameracensis Cardinalis de Consubstantiatione, siue occultatione substantiæ corporis Christi, sub pane non transsubstantiato: tertia, de Vbiquitate naturæ humanæ in Christo, quam fundamentum ponit præsentiæ corporalis in omnibus creaturis, atq; ita etiam in pane & vino Eucharistico: Quarta denique de Communiane corporis Christi, cuius in homine credente σφραγὶς & sigillum sit sumptio externa Symbolorum. Cùm autem plus vno verum esse non possit, & inter plures diuersas sententias, ea sit haud dubiè cæteris præferenda, quæ ad Scripturam congruit: Philippus neq; à veritate, neq; ab ipso Luthero defecit, quum postremam hanc eius sententiam secutus est, reiectis & repudiatis prioribus opinionibus, quæ nullo vero ac solido fundamento, quod quidem ad causam rectè sit accommodatum, nituntur, sed partim ex Pontificijs lacunis haustæ sunt, partim analogiæ fidei ex diametro repugnant, cuius fidei non euersiones, sed confirmationes sunt Sacramēta à Christo instituta.

Potest & illud responderi Philippi calumniatoribus, quod rem causamq; maximè continet, Philippum ὁμόψηφον Luthero mansisse: Nimirum, iuxta declarationes factas in tractatione Concordiæ: Non probasse autem, quòd instauraret Lutherus certamen iampridem compositum, & quòd pergeret vrgere phrases quasdam duriores, quæ nisi commodè accipiantur, non tam ad euertendam, quàm stabiliēdam ἀρτολατρείαν Pontificiam accommodari possent. Sic autem se in tota hac causa gessit Philippus, vt scopum principalem veræ & orthodoxæ doctrinæ de Cœna constanter retinens de vera præsentia & communione corporis ac sanguinis Christi, non ad panem, sed ad sumentes pertinente, reiecerit illa perpetuò, quæ in formula Concordiæ reiecta erant, de Transsubstantiatione, & Inclusione locali, & durabili cum pane copulatione extra vsum, quæ est coëxistentia ad locum panis, siue occultatio atque delitescentia corporis sub pane, vel sub specie panis: & de opere operato, quo impijs quoque, id est, pœnitentiâ & fide omni in vniuersum destitutis communio corporis & sanguinis Christi in externo vsu ceremonia tribuitur.

Sicut autem adduci nunquam potuit Philippus, vt consentientes cum Concordia inita, hostes deinceps iudicaret: Sic in actionibus Lutheri tolerauit quædam, quæ corrigere non potuit, & moderatè tamen sententiam suam voce & scriptis ante & post Lutheri abitum ostendit, non tam in personam Lutheri inuectus, aut ei tribuens ea, quæ alij ex durioribus eius locutionibus colligebant, sed fontes totius negotij demonstrans, & Papistarum idola refutans, quæ stabiliri à multis videbat prætextu opinionis de præsentia corporali ad locum panis, qualem nec Scriptura docet, neque articuli fidei, & vera Sacramentarum ratio admittunt, neque vetus Ecclesia agnouit ante tempora Papatus.

Secundò, quod ad crimen leuitatis, & inconstantiæ attinet, de ea ab Vbiquistis Philippus hodie accusatur immeritò. Concardiā enim inter Lutherum, Saxonicasq; Ecclesias, & Helvetios initam constantissimè fouit, & coluit ad finem vitæ usque. Quis autem non probet, in semel adeò graui deliberatione sancita, & magna cum diuini nominis obtestatione à Luthero, eiusque socijs confirmata concordia, dignam bono, & ingenuo viro hanc constantiam? Rectè etiam Philippus, quum videret Lutherum à flabellis suis, hominibus inquietis, Amsdorfio, & Stephano, Cygneo Medico, rursus contra Helvetios, sine omni causa, & ratione (tantùm quòd ipsi ignominiosum apud omnes esse clamitârunt, cum Zuinglianis pacem & concordiā seruare, & fouere, inde enim doctrinam ipsius multis suspectam fore) vehementer irritari, & transacta rescindi, ne, quoniam priuato solius Lutheri consilio, parua Confessionis suæ, seu potiùs magna inuectiuæ editio in Helnetios esset publicata, aliqua etiam inde ad ipsum infractæ pacis, & concordiæ, non seruataque fidei infamia redundaret, se Bullingero, & alijs suis literis purgare voluit. Neque enim ipse fidem in Concordia tractatu datam fallere, & perpetuum in Ecclesijs bellum alere, neque re meliùs intellectā contra conscientiam sentire, & ambitiosis quorundam ingenijs, in causa non bona patrocinari voluit. Lutherus potiùs quàm Philippus inconstantiæ, ne quid grauius dicam, accusandus est, quòd sanctè, & magna cum diuini nominis obtestatione confirmauit Concordiam Witebergensem Sueuicarum item Ecclesiarum Ministros, addo etiam ipsos Helvetios in sua sententia quam de Witebergensis concordiæ articulis ex Buceri explicatiane, conceptam habuerunt, absque ulla contradictione corroborauit; sæpius etiam Bucerum ab exploratè cognita diligentia & fidelitate sua Heluetiis commendauit, & acta per ipsum rata, grataque habuit. Et tamen hanc ipsam concordiam paulò pòst rupit; contra Tigurinos paruam Confessionem, & similes libros, ac literas, adeò cru-

crudeliter, & insolenter scripsit, vt hominem Christianum pudere eius meritò deberet; Heluetios etiam anno 44. in sua ad quosdam Italos Epistola contumeliosè admodum traduxit, eosque omnino fugiendos esse monuit: præcipuè verò cauendum esse istis Italis suasit à Bucero, quia verendum sit, ne eos decipiat, & seducat: scripsisse etiam multa esse de Cœna Dominica, in sermone Latino, qua tamen ipse non videre, &c.

Præsagium Philippi de calumniatoribus suis, & contra virulentias eorum calumnias consolatio.

Præuidit has & alias multas sceleratorum & ingratissimorum hominum calumnias Philippus, ideoque contra illos die 63. ante felicem migrationem eius tale scriptum exarauit, in quo calumniatores suos viuis coloribus depinxit: Scio, *inquit*, cùm in alijs omnibus, quibus honesti labores mandati sunt, tum verò præcipuè in docentibus, rectæ voluntatis conscientiam & mediocrem diligentiam esse oportere: Sicut Paulus inquit: *Hoc requiritur vt fideles simus:* Deinde oportere eos aliquorum piorum & rectè iudicantium testimonia habere, nec defugere legitima iudicia.

Studium autem rectè docendi, & piam voluntatem me habere affirmo, & spero meos labores, & sententias multis pijs & doctis probari: & semper meipsum, measque sententias & actiones omnes subieci, & adhuc subiicio iudicijs omnium piorum, & eruditorum, quos tamen oro, vt in iudicando candorem adhibeant, conuenientem sapientibus viris. Scio enim me non esse ἀναμάρτητον: Et sicubi desideratur explicatio me ad eam offero.

Cùmque recens meum scriptum de Bauarica Inquisitione, de multis controuersijs huius temporis perspicuè meas sententias ostendat, volo id prioribus scriptis adiungi. Staphylus & Stancarus, eorumque socij meras calumnias consuunt, & vt dicitur, actum agentes, sicut anus saltantes strepitum & puluerem excitant. Flacij συναγωγὴ & cohors Galli tanquam de necessarijs rebus certantes, non desinunt calumnias texere, & quidquid possunt carpere ex meis scriptis, id exagitant, peruertentes aut calumniantes, de quibus non sum malè meritus. Sed cùm statuerint illi aduersùm me facere & struere omnia, nihil posthac etiam debeo expectare aliud, quàm tentaturos eos & aggressuros esse, quidquid putauerint nomini meo ignominiam afferre posse. Quorum tamen rixæ, quid sibi velint, & quò euasuræ sint, non video, neque vllos alios ignaros consilij ipsorum, videre existimo. Notum est autem Ecclesiæ militiam omnibus temporibus in hac mortali vita ærumnosam esse, & multos esse rectè docentium hostes, ac varios esse hostium exercitus: omnes atheos & hypocritas fascinaros consuetudine, item scurras aulicos, & homines fanaticos. Hæc communis Ecclesiæ calamitas, cùm me quoque satis duriter exerceat, non fiat iudicium de doctrina ex meis miserijs, & inimicorum multitudine. Ostendit enim vitæ confusio, nimis verum esse quod dicitur, ὄχλος σὺν ἀμαθίᾳ δεινὸν κακόν.

1560.

Oro autem Filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum sedentem ad dexteram æterni Patris, ac dona largiẽtem hominibus, vt semper in his regionibus colligat Ecclesiam, & me clementer gubernet, & faciat vt quàm plurimi vnũ simus in Deo.

Sæpe etiam de stultitia inimicorum cogitans illud Tertulliani mihi & alijs recito: si apud Deum deposueris iniuriam, ipse vltor est: si damnum, restitutor est: si dolorem, medicus est: si mortem, resuscitator est. Hoc dictum congruere cum diuinis consolationibus pij norunt, quas in suis quisque ærumnis cogitat. Bene vale Lector. Anno 1560. die 16. Febru. quo die annum 64. ingrediebar, qui vt sit mihi faustus & felix faciat Filius Dei.

Camerarius de Philippi flagellatoribus.

De tota autem colluuie Philippo-mastigum, non diu post felicem Philippi obitum, hac scripsit in vita eius Ioachimus Camerarius pagina quadringentesima nona. Quorum acerbitas odij in mortuum Philippum Melancthonem nunc incitatur: quàm nihil non exquirunt atque scrutantur, quo lædi fama noménque ipsius posse uideatur? Si illum se cæde, si sacrilegio, si perfidià contaminasse vel mentiri auderent quanta alacritate & lætitià facerent? Sed non habent scelerati discipuli, quod optimi innocentissimique & integerrimi præceptoris vitæ ac moribus probrosum crimen inferant, & doctrina Philippi Melancthonis non modò cõtra istorum maleuolentiæ impressionem, sed aduersus omnem omnium oppugnationem satis est munita, seq; tuetur ipsa atq; defendit.

Boni quidem certè & pij, venerantesque Deum æternum, & honesta studia amantes, quibus inuisa est non modò superstitio, sed etiam barbaries, qui amant veritatem, & mendacia oderunt: Hi igitur nihilominus, vel studiosiùs quoque colent memoriam, & celebrabunt laudibus Philippi Melancthonis nomen: Detestantes, tanquam Furiarum instinctus, latratus istorum, de quibus nunc potissimùm loquimur, & his similes aliorum.

Neque sanè illius caussà grauiter molestè-

1560. quæ ferent maledicta, quæ in ipsum conjicere isti non cessant, sed hoc dolebit: Tantùm licere improbitati, inuidiæ, & odij acerbitati, vt prætextus hic aut ille veritatis cœlestis patrocinium, tam grauia vulnera, prohibente nemine, infligat Ecclesiæ Christi: adeò hostiliter in nomen Philippi Melanchthonis invehendo: Quem profectò, quorum furor ad insectandum arripit, in eo, vt arietes cornua statuæ æreæ inferentes, sic ipsi sese incurrendo comminuunt atque frangunt.

Neque ab his iam mali quidpiam Philippo Melanchthoni accidit: sed ipsi planè stimulum, quod dici solet, calcibus feriunt. Cum illo verò & est actum & agitur optimè. Omnia quæ ad præclarissimam existimationem & summam laudem pertinentia optari ab homine fas est, ei contigerunt. Puer infantiæ opinionem atque spem: Pueritiæ adolescens: Adolescentiæ vir superauit, admiratione omnium, quam ipsam vicit senescentis ætatis quasi viriditas mirabiliter operosa, neque industriæ expers, neque fugiens laboris, & nullo in munere exequendo languida, & in occupationibus consuetis perseuerans.

Nunquam ille affectauit titulos, neque ambijt honores, & summos atque amplissimos iudicio consentiente, & vno omnium ore est adeptus.

Qui confusa atque disiecta in doctrina tam cætera, quàm Ecclesiæ collocando atque disponendo, & implicata quasi enucleando, & expediendo hærentia, & confirmando dubia, & indiserta explanando: non modò plurima in quibus priores errauerant, correxit, & perfecit, vt nostrâ ætate esset doctrina spectata atque illustris: sed ea reliquit elaborata opera studij & gentibus nobis fata nostra, certè differri posse videatur.

Fuerit in ipso vitij aliquid. Quædam nesciertr. Lapsus deceptusque alicubi sit. Fuit enim homo, & solius Dei esse scimus, vt omni labe ignorantiæ, & maculâ turpitudinis careat: Confirmare tamen hoc, vt opinor, liceat: Inter nostros homines sanctitate religionis, ingenij excellentiâ, sapientiæ virtutisque splendore, pietate, humanitate, beneficentiâ, omnis officij munere, eâ quidem conditione, quâ ille fuit, & tali loco, parem ei hac ætate fuisse neminem futurus-ne aliquis sit posthac incertum est.

Et post pauca. His quæ dicta sunt, hoc saltem effici confido, vt omnium iudicio statuatur: Meliùs honestiùsque sentiendum esse de Philippo Melanchthone mortuo, quàm inter viuos nunc quoque obseruantibus inuidis, maleuolisque & obtrectatoribus ipsius. Qui, quid hominum sint non dicam. Neque eam iniuriam viro optimo & sanctissimo faciam, vt cum istis illum comparare voluisse videar. Quid igitur est? optimus & sanctiss. vir Philippus Melanchthon, cùm ita vixisset, quemadmodum verè commemorasse me, etiam inimici fateri cogentur, piè & religiosè morte obitâ, tot commoditatum author, tot bonorum conciliator: cuius omnibus pietatis, virtutisque amatoribus memoria veneranda & ad posteritatem etiam gloriosior futura est. Hic igitur talis & tantus vir mortuus conuitijs laceratur & ignominijs improrum probrorum appetitur.

Quem doctiores quoque & saniores ex aduersarijs, cùm vix diligere possent, propter constantiam tamen & fidem, & admirabiles virtutes plurimas odisse non vellent.

Quo quidem ille animo, consilio, proposito, studio ad cognitionem professionemque ac doctrinam sacrarum Literarum accesserit, scit Deus æternus, & est ingenio hoc ipsum, laboribusque eius, & operum bonitate, omnibus mortalibus, non maleuolentiâ atque odio cæcis, declaratum.

Atque idem Deus istorum quoque attodentium nomen, & probitum sanctitati, labemque integritati Philippi Melanchthonis inferre conantium, siue in calcaria seu carbonaria, vt dicitur, obscurorum opificum, pectora voluntatemque perspicit. Quæ quidem ab eis prodita, inque lucem prolata sunt: eiusmodi specimen dant, vt quid cogitent, velintque agendo demonstretur.

Ex quibus hoc non est postremum: Quòd, cùm inter viuos inuidia soleat vigere, mortuos autem inimici quoque odisse desinant: tanta istorum non inhumanitas est, sed immanitas, vt in Philippum Melanchthonem mortuum, suos demum stringant gladios, & tela intendant. Qui, quoad vixit & negotijs maximis grauissimisque Reipublicæ & Ecclesiæ Christi est adhibitus, propositâ cunctis in medio quasi palmâ, studio salutis & incolumitatis publicæ, eum conseruata veritate coniunctæ, vicit omnes, & religione pietatis, & industriâ atque studio ac laborum defatigatione, & constantiâ atque fide, & tempestiuâ moderatione: quamuis hanc culpare aliqui audeant, non modò nomini Philippi Melanchthonis, sed paci & quieti inimici, &c.

Hæc Camerarius, non modo Heshusium notans, qui à Flaccio Illyrico primus, post Philippi

lippi Melanchthonis obitum, nomen ejus infamare, & quod ex Pontificiis nemo unquam tentavit, VETERATOREM *nuncupare ausus est: sed etiā* Flaccio-Brentianam *synagogam, qualis ea futura esset animo præsagiens, literarum monumentis tradidit.*

Ne miretur autem Lector, quòd plura, quàm fortasse ad institutum nostrum pertineant, de Philippo Melanchthone hucusque in Opere hoc diximus: id enim eò factum est, quòd in sanctissimo hoc viro, & de Ecclesia totaque Republica literaria optimè merito, vera doctrina & sententia de Cœna Domini, ut olim à Flaccianis, sic hodie à Flaccio-Brentianis & Vbiquistis potissimùm oppugnatur. Ne enim pij & boni Philippi authoritate, quæ summa in Ecclesia & Scholis est, permoveantur, ut veram de sacra Cœna sententiam amplectantur, ideo virum hunc modis omnibus deformare, & scripta ejus orthodoxa variarum corruptelarum nomine accusare non verentur.

Acta & Scripta Philippi Melanchthonis mortem subsecuta.

Flaciani petunt Synodum, ut omnes à se dissentientes in ea damnent.

POst Philippi verò obitum; *Flacciana factio altiùs cristas erigens, omnes à se dissidentes publico judicio damnare conata est. Ideo hujus factionis Coriphæi, editā publicè Supplicatione, ad Ioannem Fridericum II. Ducem Saxoniæ, ejusque fratres, ac alios Principes & Status, Confessionem Augustanam amplectentes, vehementiùs quàm antea petiverunt Synodum, contra Adiaphoristas, Synergistas, Osiandristas, inprimis autem illos, qui non vellent stabilire τὴν ἀρτολατρείαν, quos inter Philippus præcipuus fuit hactenus, ideoque præcipuè ab ipsis post mortem etiam petebatur.*

Conditiones Synodi.

Fuisset autem hoc ipsorum institutum pium & laudabile, si ex animo concordiam Ecclesiarum, & sanctam ac liberam Synodum flagitâssent: Verùm nolebant in hanc Synodum admitti Zuinglianos, quos Sacramentarios vocant, quosque iampridem damnârant: sed tantùm audiri volebant eos, qui sunt Augustanæ Confessionis, & de eorum controversiis pronunciari, atque anathemate ferirentur Zuingliani aliique, quos Synodus improbaverit, etsi non auditi fuissent.

Landgravius Bullingeri iudicium de hac Supplicatione Flaccianorum petit.

Hanc illorum supplicationem, aliaque publica & privata scripta de eadem re, Illustrissimus Princeps Hassiæ Landgravius Bullingero Tigurum misit, ejus iudicium de his requirens. Respondit Bullingerus copiosè, & primum omnium quod ad nostras Ecclesias attinet, ostendit, nobis fieri insignem iniuriam, si à Synodo nostræ Ecclesiæ excludantur, tanquam dudum damnatæ, quum nunquam causâ legitimo judicio cognitā damnatæ sint: nam damnationes illas paucorum hominum non debere valere: posse enim nos similiter obiicere, Saxonicas Ecclesias à nostris damnatas esse, quæ non pauciores atque ignobiliores sint Germanicis Ecclesiis: ipsorum quoque Ienensium doctrinam dudum confutatam esse à viris pietate & doctrina clarissimis. Obiici ab ipsis Buceri Retractationes: nos contrà ejus exemplum adducere, qui post Retractationem hanc nunquam se opposuit in Anglia, vel R. D. Cranmero Cantuariensi Archiepiscopo, vel Petro Martyri amicissimis suis, qui disertè & constanter nostram doctrinam tradebant. Adhæc illorum colloquiis nos opponere frequentissimam Synodum totius Angliæ, quæ Londini anno 1552. celebrata est, & nostram doctrinam de Cœna disertè recepit atque professa est: contrà autem, realem corporalémque præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna reprobavit. In Germania verò nunquam hactenus de re sacramentaria in publica & legitima aliqua Synodo actum esse, sed tantùm Colloquia quædam paucorum hominum instituta fuisse. Quòd verò objiciant judicium Comitiorum Imperialium, id nobis mirum videri, quum sciant suam ipsorum quoque doctrinam sæpe in Comitiis damnatam fuisse: quòd si omnino audiendi non sunt, quos semel Lutherus dānavit, cur Illustrissimus Princeps Hassorum Colloquium de hac causa Marpurgi instituit, ad quod etiam ipse Lutherus venit? Adhæc ut maximè fuissemus damnati, non tamen sequitur, nos eo loco nunc esse, ut in Conventibus Christianis nihil amplius nobiscum agi possit. Novatianos enim fuisse damnatos, & tamen postea eorum Episcopum Agelium in Concilium admissum: Arrium damnatum fuisse in Synodo Nicæna, & tamen causam Arrianismi disceptatam esse Sardicæ, in quo Conventu quum Orientales adesse nollent, nisi excluso Athanasio & Paulo, quos antè damnatos dicebant, eorum petitionem ut iniustam Occidentales rejecerunt: Donatistas quoque olim damnatos fuisse, & tamen nihilominus in iudiciis & Conventibus ter postea auditos esse, multaque alia huius generis illustria exempla commemorat.

Bullingerus & Tigurini respondent Landgravio de Supplicatione Flacciana. Zuingliani nunquam in legitima Synodo damnati.

Ienensium Synodum differre à Papistico Concilio.

Deinde ostendit Ienensium Synodum parum differre à Papistico Concilio, ubi Protestantium Legati nuper Tridenti quoque neque auditi, neque ad controversias tra-

1560. tractandas unquam sunt admissi, nimirum quòd viderentur antea in habitis Conciliis sæpe damnati: Item ecos Donaristarum more tantùm eos pro Fratribus agnoscere, qui unà cum ipsis consentiant, Ecclesiamque valde in angustum detrudere, & ad numerum hominum bene paruum contrahere.

Porro quòd dicant Ienenses, se in illa sua Synodo solùm velle agere de Synergismo, Majorismo & Adiaphorismo: se mirari, *ait*, cur hos admirtant, cùm, si illis credendum sit, & tres isti errores dudum sint damnati, & ideo non minùs quàm Zuinglianismus, juxta ipsorum hypothesin, excludendi essent: sed non obscurum esse, *inquit*, quid istos potiùs incitet ad hos errores discutiendos, & à causæ nostræ cognitione contrà arceat: Primùm quòd arbitrentur, se non posse tam facilè in nostra causa consistere, atque in altera, aut brevi tempore ipsam posse expedire. Deinde quòd animi ipsorum D. Philippo Melanthoni piæ memoriæ parùm sint propitii, quem ut vivum vexarunt, ita mortuum iam non patiuntur quiescere in Domino, virum alioquin de illis ipsis, utpote discipulis suis, & de bonis studiis, studiosisque omnibus optimè meritum, qui dum vixit, laboriosissimus fidelissimusque in docendo fuit, præterea mitis, benignus, pacis amans, & variâ sanctâque eruditione, moribusque integerrimis, non tantùm Witebergensi Scholæ, sed universæ Germaniæ præluxit. Esto autem illi quoque, ut omnibus etiam sanctissimis hominibus sua vitia fuerint, longè aliud tamen præmium ab omnibus bonis prometuit, quàm quod feliciter mortuo iam ab ingratis discipulis rependitur, Sanctissimi Patres veteris Ecclesiæ & Martyres Christi, suos quoque nævos habuerunt, nemo tamen unquam ita in eos debacchatus est, ut Ienenses in omnes eos debacchari solent, qui vel modicum à semel conceptis ipsorum opinionibus dissentiunt: Videri igitur bonos istos fratres modestiâ & charitate Christiana destitui, & nimiâ quadam ambitione laborare, quâ cupiunt sibi asserere hanc gloriam, quòd cæteris deficientibus soli purum Lutheranismum retinuerint. Majorismi nomen in nostris Ecclesiis ignotum esse, de libero Arbitrio & de adiaphoris non obscurum esse quid Nostri sentiant: Ienenses verò, qui Adiaphorismum oppugnant, multa Papistica in suis Ecclesiis retinere, vestes Pontificias, Lucernas, Imagines, privatam quandam Confessionem & absolutionem parùm à Papistica differentem: Cur igitur hæc ferunt, si nolunt cum Papa colludere? cur ista tollentes persequuntur? negare ipsos Vbiquitatem corporis à se doceri & affirmari, (*etenim ab hac sententia tum alienissimi videri volebant, in quam tamen postea plerique ipsorum concessêre*) sed nos mirari quomodo congruant per omnia, sicut se consentire affirmant, cum Lutheri & Brentii scriptis, qui Vbiquitatem disertis verbis defendunt, sicut & plerique alii Theologi Saxonici, si modò fides Farragini Timanni habenda sit, nos itaque magis optare quàm credere eos à portentosa hac doctrina Vbiquitatis, & curiosis disputationibus, quæ ipsam consequuntur, alienos esse.

Ienenses sua Synodo nimium tribuunt. Videri præterea Ienenses nimiùm tribuere suæ Synodo, dum ex illa pollicentur Illustrissimis Principibus omnia fore tuta & integra, pacem Ecclesiis reddendam, & veritatem puram omnino restituendam. Nam ex historiis constat, nunquam fuisse eam Synodorum vim, ut prorsus lites tollerent, & Ecclesiis restituerent integram pacem tranquillitatemque: Vnde etiam sui temporis exemplis commotus Nazianzenus scripserit, *se hactenus non vidisse ullius Synodi utilem finem, aut in qua res malè se habentes non magis exacerbatæ quàm curatæ fuerint.* *Nazianzeni sententia de Synodis.* Non tamen propterea nos dicere, nullam omnino Synodorum utilitatem esse, conducunt enim, si legitimè celebrentur, cognoscendis controversiis, quæ multos interdum latent. Id quod inprimis optandum esset de controversia Sacramentaria, quæ natura sua facilis & aperta, longâ altercatione, & intertextis spinosis quæstionibus, apud multos inuoluta, in tenebris iacet: sed hanc commoditatem è Synodo sua isti auferunt, dum de hac causa nihil penitus cognosci, discuti aut disputari volunt. Optare quidem eos, sibi dari pacatam & tranquillam Synodum, sed talem ipsis præsentibus sperari non posse, si modò iudicium faciendum sit ex prioribus ipsorum actis, & rebus VVormatiæ gestis, & scriptis atque vociferationibus eorum contra Pacificationem Francofurti à Principibus institutam. Ipsos enim velle omnibus præjudicare, neque aliorum sententias, quæ vel minimùm ab ipsorum opinionibus dissentiant, audire vel ferre posse, ideoque etiam ubi de Iudicibus Concilio præficiendis agunt, non se explicare, sed solùm concludere, postquam multùm se torserunt, inuocato nomine Dei, facilè posse fieri ut idonei homines deligantur. Videntur autem, *inquiunt*, omnino existimare se, qui iam formam Synodi celebrandæ præscripserint, absque dubio in numerum Iudicum cooptandos esse, ut de

cætero

cætero reliquos omnes ex alto despicere, & quoscunque visum fuerit anathemate ferire possint.

Helvetiæ Ecclesiæ ut nō in universum rejiciunt Augustanam Confessionē, sic non omnia illius simpliciter approbāt

Quoniam verò adversarii ita atrociter in nos debacchabantur, ut plerisque iam persuasum esset, nos non tantùm in re Sacramentaria ab ipsis dissentire, sed de reliquis quoque dogmatibus brevem summam doctrinæ Helveticarum Ecclesiarum his subjicit Bullingerus, & postea adjicit; Ex hac facilè colligi posse, nos non contemnere aut reiicere in universum Confessionem Augustanam; non tamen omnia illius simpliciter approbare, neque illi tribuere eandem cum Scripturis authoritatem, ut huic contradicere non liceat. Ac nominatim *ait*, à nobis non recipi decimum Confessionis articulum: etsi enim quidam viri boni & pacis amantes, huius duritiem commodâ interpretatione lenire voluerunt, alios tamen nolle admittere hanc interpretationem, sed ex Apologia Confessionis velle iudicium de sensu fieri: Ibi autem sic scribitur, *Decimus articulus à Cæsarea Majestate approbatus est: Nos defendimus receptam in tota Ecclesia etiam Romana sententiam.* Vnde apparet, eo contineri Papisticam opinionem cum Scripturis sanctis & fide pugnantem. Cùm autem hujusmodi Papisticam doctrinam, annis aliquot priusquam ederetur Augustana Confessio, per Dei gratiam abiecerimus, non posse nos ipsam iterum recipere, ideoque studio puræ Religionis & syncerae confessionis coram Deo & sancta ejus Ecclesia, nullo privato odio aut affectu sinistro, decimum articulum hactenus non agnosci à nobis, quatenus ex adversariorum interpretatione Papisticam doctrinam de Eucharistia continet.

Secundò, Quum Missa per omnes Evangelicas Ecclesias Helveticas abrogata sit, ita ut nullum ejus vestigium usquam appareat, non possumus, *inquit*, subscribere verbis Confessionis de Missa, quæ ita habent: *Falsò accusantur nostræ Ecclesiæ, quòd Missam aboleant; retinetur enim Missa apud nos, & summâ reverentiâ celebratur, servantur & usitatæ ceremoniæ ferè omnes, præter quàm quòd Latinis cantionibus admiscentur alicubi Germanicæ.* Vbi hoc quoque approbare non possumus, *retineri in sacris publicis linguam plebi non intellectam.* Notum enim est, quid ea de re iudicet Apostolus 1. Corinth. 14.

Tertiò, Non possumus agnoscere in Confessione verba ista, *Confessio in Ecclesiis apud nos non est abolita.* Confessio enim auricularis cum privata sacerdotali absolutione, justissimas ob causas à nobis rejecta est, neque ulla necessitas aut mandatum Dei vrget nos ad ejus restitutionem.

Quarto loco, Potestas, inquiunt, in Ecclesias & Ministros Ecclesiasticos apud nos erepta est Episcopis Papisticis: sed sub finem Augustanæ Confessionis huius rei aliquid adhuc Episcopis concedi videtur. Quare hac etiam in re ab illa declinare cogimur. Cùm autem Papistæ plurimùm in his rebus spei collocent, & per hæc existiment, se aliquando in integrum restitui posse, cur Ienenses, quibus est religio cum Papistis colludere, hæc ferunt? aut dissimulant? & potiùs in nobis vexandis laborant? Etsi igitur, *ait*, in his rebus dissenrimus ab Augustana Confessione, tamen modestè semper sententiam nostram proposuimus, & interim quantùm fieri potuit pacem coluimus, ac nisi Lutherus, rejectis omnibus pacis conditionibus, publicum scriptum tale proposuisset, quod dissimulare non potuimus, nisi Ecclesias nostras & veritatem prodere voluissemus, nunquam pervenissemus ad pugnam publicam, & nunc quoque libenter nos contineremus, si liceret per adversarios, ipsorúmque conatus & libellos aculeatos varios. Non abhorremus à publicis conventibus, modò ad eos accedant talibus animis ex quibus spes aliqua consensionis appareat, neque metuendum sit rebus magis turbatis à colloquio discedendum esse, ingenti cum exultatione communium hostium & offendiculo infirmorum. Parati sumus ad reddendam rationem fidei nostræ iuxta præceptum Apostolicum, & ideo Synodos & collationes æquas ac Christianas non refugimus, sed quum Dominus nos liberârit à iugo Papæ & Romana tyrannide, non patiemur, adjuvante Domino, nos premi novâ tyrannide eorum, qui sub prætextu Evangelii ad primatum & Dictaturam in Ecclesia aspirant. Nolumus ergo excludi à cœtibus sanctorum, pro Ienensium libidine & arbitrio, nolumus vocari ab eis tanquam Rei: indictâ die, & quidem ad ipsos tanquam Iudices & actores. Nolumus ipsos agnoscere in Ecclesia Christi libera, Dominos, Pontifices, censoresque, & Dictatores, qui omnibus præscribant, dictent, ac præcipiant quodlibet. Si ideo tantopere se efferunt, quòd se Ecclesiam Christi esse credunt, nos quoque Ecclesia Christi sumus: si existimant se habere singulares Ecclesias & dona præcellentia, habemus eadem (absit hîc jactantia) & nos. Nos quoque Ministri Christi sumus per Dei gratiam, sigillaque nostri legitimi Mini-

1560. Ministerii dubitantibus ostendere possumus. Cur itaque ferremus insolens istorum imperium? Quòd si Synodus aliqua videtur cum fructu conscribi posse, consultent priùs ea de re, non pauci aliquot homines, odiis & altercationibus dediti, sed omnium Ordinum præstantissimi quique, viri prudentes, pii, constantes, synceri, pacifici, ex Principibus, Rebuspublicis, ex doctis atque plebe etiam delecti, hi consilia conferant, & statuant de loco, tempore, modo agendi, atque aliis huiusmodi, ut Synodus legitima atque pacifica haberi possit. *Et hac quidem tum Bullingerus Principi illi cùm sua, tum publico totius Ecclesiæ Tigurinæ nomine respondit, quæ paulò copiosiùs commemorare volui, quoniam Synodi nomen ferè semper iactatur in Ecclesia, & omnes boni Synodum exoptant ad componendas controversias: ut illi admoneantur, ne sibi inani nomine fucum fieri patiantur: quoniam sæpe insolentes homines, qui sibi imperium in Ecclesias vendicare conantur, sua conventicula, in quibus alios inauditos damnant, pro vera Synodo venditant. Diligenter itaque expendendum est, qui homines ad publicum conventum, convocentur, & à quibus, quis locus, & quod tempus sit idoneum Synodo habendæ: Potissimùm verò, quo ordine & ratione procedatur in controversiis cognoscendis & sententia pronuncianda.*

Iudicium Landgravii Hassiæ de Supplicatione Ienensium Theologorum pro Synodo.

Extat etiam de hac Flaccianorum Theologorum Supplicatione gravissimum iudicium Illustrissimi Philippi Landgravii Hassiæ *ad* Christophorum *Ducem Wirtebergensem. Sic enim scripsit ad eum:* Literas C. T. ad 21. Maij mensis diem, Wilpaden oppido datas unà cum Ienensium Theologorum missis ad te scriptis accepimus: ex iisque cognovimus, eos ipsos apud te, de erroribus nostra ætate in Ecclesia grassantibus conqueri, & ut aliqua de Synodo, quâ morbus hic ceu remedio curetur, ut consilium ineas, atque ipse animum aduertas, supplices orare. Ad nos quidem hisce de rebus nihil scripserunt hactenus, sin quid sint in posterum scripturi, me, scito, eis in hanc sententiam responsurum.

Synodus hoc tempore necessaria.

Primùm mihi quoque rem istam reputanti, videri, piam atque æquam eorum postulationem, meque idem ipsum, quod petunt illi, perinde ac communibus cum ipsis votis optare. Et certè Deum Patrem cœlestem precor, ut pro sua clementia, suæ Ecclesiæ ea tempora, eamque pacem & tranquillitatem concedat, quibus piis, doctis, pacis amantibus viris unum aliquem in locum convenire liceat, & eas res, quæ & ad explicationem puræ doctrinæ, ipsiusque Ecclesiæ reformationem requirunt, & ex illo Scripturæ sacræ thesauro diuite commoda tollendis & curandis moribus, ædificandæque Ecclesiæ remedia præberent, amanter & concorditer inter se conferre & tractare possent. Neque enim tam imprudens aut securus ipse sum, quin etiam, quibus quasi circumsepta sit & obsessa malis ac periculis Ecclesia, non sentiam atque intelligam. Equidem multò me angit magis, quàm ausim profiteri, quòd audire necesse habeam, tot Christianorum hominum afflictiones atque interitus, eorum videlicet, qui in Hispania, Gallia, inferiore Germania cruciantur. Neque parùm me moverunt, quæ de vicinissimis nobis Papistis recens cognovimus: Sed ex dissensione & rixis nostrorum Doctorum dolorem omnium maximum capio, easque inprimis sedandas puto: ita ur nostrûm quisque positis negotiis aliis omnibus huc accurrat, & ad hæc mala profliganda quicquid noverit aptum esse, id ostendere studeat. Ac quantum ego video, Synodus eam ad rem remedium maximè necessarium atque optimum erit.

Synodum convocare Principum non Theologorum est.

Quâ ratione verò Synodus indici queat, Electorum, Principum & cæterorum Imperii Ordinum eorum, qui Religionem nostram profitentur, summâ fide & diligentiâ providere, potissimùm intererit. Etsi enim propositæ sint quædam à Ienensibus Theologis, eam ad rem, spectantes conditiones: timendum est tamen, ne pii & docti viri, qui loca alia incolunt, ac Dei gloriam haud minore quàm Ienenses studio quærunt atque promovent, eas ipsas minimè sint probaturi, eoque illæ sint ad obtinendam concordiam momenti perparum allaturæ.

Iudices Synodorum qui esse debeant.

Nobis autem ante omnia videtur in eam curam atque cognitionem incumbendum, ut aliquo modo commodi, & qui neutrarum forent partium iudices eligerentur, qui Synodo præessent, & auditis partibus, & ponderatis argumentis ac rationibus, secundùm Dei Verbum sententiam prudenter & rectè ferrent quemadmodum Actor. 15. cap. legimus, eos qui Antiochiæ dissentiebant abs sese fratres, in hoc tandem omnes consensisse, ut iis qui Hierosolymis essent Apostolis & Senioribus suam causam iudicandam permitterent.

Ienenses Theologi in sua Synodo volunt esse accusatores & iudices.

Sed Ienenses Theologi, quorum eadem de re ad Saxoniæ Ducem scriptum prolixum ad nos nondum est allatum, hac sua ad re scriptione, de Iudicibus, inprimisque iis, qui possunt aliis ex terris eligi, ne verbum quidem faciunt unum. Quod indicio

dicio fuerit, Iudicis officium eos ipsos sibi arrogare: quando reliquarum regionum Doctores ipsi proscribunt ac damnant: alios quasi à Christo ad Antichristum defecissent: alios rursum ceu erroribus & hæresibus infectos. Ex quo facilè colligi potest, eos hoc nunquam concessuros, ut iis ex locis quisquam in Iudicum numerum referatur.

Video verò eos in hoc quidem scripto Ditionis tuæ Ecclesias & Doctores præterire, minimeque condemnare: quâ autem arte id faciant, non obscurum est mihi qui itidem, quibus artibus iam antea doctores tui adorti fuerint, recenti memoriâ teneo. Quin etiam, quid ad nostros pariter atque vestros, condemnandum Wormaciæ tentatum sit, memini. Qua de causâ mihi persuasum babeo, eos etiam tuis ius ferendarum sententiarum, id est, decidendi potestatem non esse concessuros. Equidem vereor ne Ienenses, quod non sine dolore & gemitu scribo, maximum sint Ecclesiæ Dei damnum, eo ipso daturi, quòd ipsam Ecclesiam tam angustis limitibus circumscribunt, eiusque nomen & existimationem sibi solis arrogant, seque solos esse veram Ecclesiam persuasum esse omnibus volunt. Ego verò existimo, eos nec Heliâ sanctiores, nec ampliora quàm is habuit Spiritus sancti dona accepisse, qui tamen ipse suâ non ita malâ opinione falsus, ab ipso Deo ob hoc reprehensus est, quòd solum se religionis veræ Confessorem, quique nullum Baali honorem habuerit, superesse putaverit. Sed & Novatiani quondam ejus arrogantiæ atque temeritatis erant accusati, quòd, quemadmodum scriptum est apud Eusebium, ipse non sine reliquarum Ecclesiarum magno detrimento & dedecore, solos sese speciosa illa τῶν καθαρῶν appellatione celebrabant. Cumque Donatus vehementer contenderet, & in Africa sola, & in iis, qui ipsum sequerentur cœtibus, veram esse Ecclesiam: D. Augustinus dicebat, *Eam ipsam conviciis Christum incessere, suaque hæreditate, quam sanguine suo acquisivit, exuere.*

Sint sanè sive nostrarium, sive aliorum excellentiorum Doctorum aliqui in errores lapsi: quando nulla Ecclesia, utut celebris fuerit, unquam extitit, in qua non aliqui imbecilles essent, & hypocritæ reperti, non æquum certè erit, & videbitur omnes homines ita ad eum modum proscribere & condemnare. Paulus Apostolus non nesciebat apud Corinthios multis & variis modis depravatam esse doctrinam, nec paucos aliis atque aliis sceleribus infectos: nec tamen eam ob rem pariter omnes condemnavit: sed potiùs eis Ecclesiæ Christi nomen atque laudem attribuit, eosque ut per Christum sanctificatos, & vocatos sanctos salute Apostolicâ dignos ducit, pacem eis & divinam gratiam imprecatur, agnoscit data illis divinitus dona, deque iis Deo gratias agit.

1566.

Iam verò, si Ienenses, quemadmodum ceperunt, se solos Ecclesiæ veræ nomine jactare, aliosque Ecclesiæ loco ac finibus ejicere, eoque sibi nullos alios Iudices eligi concedere voluerint: credi vix poterit, aliis ex terris ad eiusmodi Synodum quemquam adventurum eorum, qui cum illis errores tollant & Ecclesiæ opem ferant.

Deinceps erit etiam iis de rebus, quæ videbuntur ad Actores ipsos, sive partes litigantes pertinere, ineundum consilium; nempe, ut constituatur, quinam sint audiendi, quoquo modo suam quique doctrinam proponere debeant: tum, an quemadmodum Theodosius primus olim existimavit, præstet scriptis agere, sive disputando res tentanda videatur: quas denique charitatis & concordiæ leges, seu durante, seu cessante & finitâ Synodo partes erga sese mutuò servare debeant. Atque his ipsis, & nonnullis generis ejusdem aliis, ut Electores, Principes, & Imperii nostræ Religionis Ordines deliberent, ac priusquam conveniatur, certa capita constituant, ac præscribant Ecclesiis, inprimis est necessarium.

Neque enim satis expressis verbis edocent Ienenses Theologi, quas disceptationis vias ac rationes tenendas putent: ac cùm multas condemnationes priùs edant, quàm ipsa sit audita atque cognita causa: qui sunt accusati, in ea necesse est sint sententia, à Theologis Ienensibus omnem ipsis ad rectam rerum tractationem aditum præcisum esse. Quo enim, inquient, animo ad eam Synodum veniemus? quâ spe & fiduciâ cum hoc hominum genere conferemus consilia? quæ spes esse potest, ab ijs nos benignè auditum iri, qui nos iniquis præiudiciis iam antea condemnârunt, & acerbis atque odiosis invectivis suis toto orbe infamârunt? Estque maximè mirandum, Ienenses adeò strenuos & proclives esse ad condemnationem hominum aliorum, cùm id in Ecclesia perpauci boni antehac consueverint facere. Et Ienenses ipsi non solùm priùs sententiam ferunt, quàm vel ab aliis, vel ab illis ipsis sit cognita causa. Verùm etiam earum, quibus adducti condemnârint, causarum numero incertas

pro

1560. pro certis rationes comprehendunt. Cuius generis est, quod scribunt Postillam Pfortzhemii impressam, Francfordiæ publicè & liberè distractam ac venditam; cùm multis fide dignis viris certò constet, Senatum eum, ubi de libro certior factus esset, ne deinceps ullum ejus libri exemplum venderetur, graviter edixisse. Ex quo perspici potest, eos rumoribus plerumque niti, quos cùm aliqui suis affectibus nimiùm indulgentes alicubi audiverint, deinceps vel scripto vel sermone sparserint latiùs, ipsi libris suis insertos longiùs disseminent. Eorum autem ipsorum, qui vel in rebus Religionis versantur, vel qui aliquid de quocunque homine publicè scribunt, aut loquuntur, interest, prudentiùs id agere, & quanti sit periculi cuiusvis verbis citò fidem habere, considerare.

Scimus D. Paulum interdum commemorare solitum, quæ ex fide dignis hominibus audisset, eosque etiam publicè quandoque nominasse: non autem cuivis omnia credidisse referenti. *Indicatum mihi est*, inquit, *à familiaribus, lites, contentiones inter vos esse.* Et alibi: *Quando convenitis in côcionem audio côtentiones inter vos esse.* Quæ profectò Apostolica prudentia atque modestia, cùm laude est dignissima, tum verò fratribus admonendis aptissima. Nos autem quid dicamus de Ienensibus: Ipsi refricant atque torquent vulnera, idque agunt, ut quæ videbantur iam consanescere denuò recrudescant, ac renoventur magis, fiantque maiora & magis cruenta. Quod qui faciunt, satis apertè significant, omnium charitatis legum se oblitos esse, seque lædere, quàm sanare malle. Petro quidem apertè resistebat Paulus erranti: Non autem legitur usquam id ei deinceps unquam exprobrasse, aut sedatam contentionem resuscitasse.

Agelium Novatianorum Episcopum Nectarius Archiepiscopus Constantin. non modò non convitiis irritavit, verùm etiam ad profligandos hostes communes Arrianos, illum ipsum in consilia sua adhibuit, atque in societatem pugnæ vocavit. Quantâ quoque pietate & benevolentiâ Cyprianum vitâ defunctum, excusavit & defendit D. Augustinus, quando hoc ei testimonium perhibet, ipsum, etsi dum viveret erraverit, tamen ab Ecclesiæ societatis coniunctione, quâ nihil carius habuerit unquam secessionem fecisse. Cùm etiam Epiphanius multùm iam laborasset, noluit tamen Chrysostomus Origenis condemnationi subscribere, licèt eum iam dudum mortuum Epiphanius minimè vellet ipsum condemnare, sed tamen de eius ipsius scriptis, quæ multis essent repleta erroribus, sententiam ferre.

Ienenses contrà volunt ac cupiunt etiam eos qui iam olim sunt mortui, perinde ac si causas eorum omnes testimoniis superassent, prorsus condemnare. In quo certè & charitatis legem & illam benignam ac facilem, quâ reduci in viam errantes debebant, admonendi rationem, an-non iure desideres? Credibile est equidem usu venire quandoque solere, ut aliqui magno studio, magnoque pietatis fervore, in Ecclesia restaurarum aliquid velint: ac rursus evenire, ut ii ipsi non omnia prudenter & modestè agant: eoque fieri, ut qui res in optimum finem dirigere conati sint, ne iis ipsis dirigendis ac moderandis errent. Atque utinam non extarent exempla multa. Quamobrem cùm videam ab illis multa fieri, quæ eorum mentes turbulentas ac quarundam Ecclesiarum & Scholarum atque etiam primariorum quorundam & optimorum virorum odio incredibili flagrantes produnt atque indicant: cùmque animadvertam, eos ipsos eandem subinde cantilenam canere, & præter acerbas invectivas, & continuatas condemnationes, & Anathemata propè in omnium hominum genus detorta promulgare, nescio profectò, & planè dubio sum animo, an quæ possit ex his initiis ad Synodum atque ad concordiam inveniri via.

Postremò foret operæ pretium etiam in illa Imperii Ordinum deliberatione, quæ qualisque Iudicii forma adhiberi in illam Synodum posset, quamque potissimùm cavendam esse videretur, inquirere: nimirum, ut ratum habeatur id demum, quod isthic conclusum & probatum esset. Vbi Ienenses aiunt, nullis novis opus esse formulis, sed ut pristinæ piæ sententiæ ratæ habeantur. Vnum etiam statuunt tantum opus esse, iudiciariâ quadam condemnatione errorum, eiusque exemplum id esse volunt, quod iam antea à Ioanne Friderico Saxoniæ Duce Edictum est in lucem emissum. Nos autem in ea sententia sumus, posse etiam præter hanc ipsam alias quoque ab Imperii Ordinibus, ad tuendam Iudiciorum dignitatem, & hanc ipsam causam meliores excogitari & suscipi.

Quantas autem vtilitates ex eorum condemnationibus & Edictis Saxoniæ Principum regio perceperit, nobis quidem nondum est cognitum: illud autem, observantibus & considerantibus ea Ienensium consilia, quibus conati sunt turbatam ac confectam vulneribus Ecclesiam reficere, & in

in integrum restituere, emissis & in lucem editis, usus atque exitus comprobârunt, his ipsis incommoda atque dissidia Ecclesiæ non modò non sedata atque curata, verùm multò magis increvisse, & facta esse acerbiora.

Minimè verò libet in memoriam revocare, quid in VVormaciensi Colloquio conati sint & laboraverint, & fecerint, nec libenter quę domi deinceps adversum Erbardum Schneppium & Victorinum Strigelium viros egregios, atque alios etiam egerunt, attingimus: nolumus etiam, quas quantasque in multorum cùm nostrorum, tum Papistarum animis minimè malè affectis offensas atque remoras suscitarint, recolere. Quanto verò dolore cùm multos egregios, tum optimum Melanchthonem beatæ memoriæ virum, affecerunt? Quas contrà voluptates, quæque gaudia nostris adversariis illorum contentiones & condemnationes eæ, quibus illi, ut desisterent, nunquam persuaderi potuerunt, pepererunt? Sanè hæc tam misera tamque deperdita tempora, in quibus unà cum Ecclesia, nos quoque sumus ac vivimus hostium satis daret, quibus cum pugnari posset, etsi corda animosque summà fide & benevolentia conjungeremus.

Quæ cùm ita sese habeant, dubium nobis non est certissimè, an-ne in hoc rerum atque temporum adeò perturbato statu, certi quid de Synodo concludi queat. Sin T. C. vnà cum aliis Ordinibus Imperii iis, qui Religionem nostram amplectuntur, constituerit in hoc negotio seriò quid agendum, & ut hæc Synodus vel in tuis ipsius, vel in Electoris Saxoniæ, vel in Electoris Palatini terris celebretur, ubi locus pariter omnibus aditu facilis ac tutus esset, quoque etiam Helvetiorum Doctores, Bullingerus, Petrus Martyr, Musculus, & ex superiore Germania alii vocari possent: nos certè conatibus & consiliis illis minimè defuturos pollicemur, ac volumus quicquid ac possumus perlibenter facere. Quò tum pertineret, ut de tribus illis, quæ diximus, capitibus, quid statuendum videretur, paulò altiùs repeteremus, atque inter nos deliberaremus, nempe ut aliquid laude & pretio dignum efficeretur. Quo ipso deinceps Ordinibus alijs proposito atque probato, via ad eam Synodum, quâ Dei inprimis nomen sanctificaretur, & Ecclesiæ communis incolumitas proveheretur, & contentiones illæ componerentur, omniaque pacata forent, via sterni posset. Qua ipsâ quoque nemo se gravari iure posset conqueri: cùm tantas tamque arduas res suscipere non sit in paucorum hominum viribus & consiliis positum. Quamobrem hoc quidem tempore, quâ ratione optimâ atque utilissimâ Synodus hæc celebrari possit, pluribus verbis ipse tibi scribere nolui. Opto tamen & precor Omnipotentem Patrem Domini nostri Jesu Christi, ut ad hoc negotium tuum ipsius aliorumque Electorum, Principum atque Ordinum Imperii animos suscitet, ut quæ summo studio gravia atque commoda rebus illis consilia ineatis, ipse suo Spiritu gubernet ac ducat, ac pro sua gratia fœlicia ac fausta faxit: ut optimum omnium habeant finem, & Ecclesia vulnerata ac turbata in concordiam, & veram Christianam pacem coëat. Quòd autem qui in nostris terris degunt Concionatores Suenkfeldianismi accusantur, id illis crimen impingitur injuriâ. Neque enim eorum quenquam scimus eâ lue infectum esse.

Eodem etiam modo accipiendum est, quòd seu Sacramentarii accusantur, qua de re nobis, nisi quòd concordes sint, nihil est aliud cognitum. Ac quanquam tantis de rebus non ita crassè loqui solent: stant tamen eius, quæ anno 36. inter Lutherum, Bucerum & Germaniæ superioris Civitates est facta, concordiæ legibus.

Minimèque dubium est, quin si Helvetiorum, & superioris Germaniæ, Nostrique, & alii Theologi, qui quidem accusantur, unum aliquem in locum omnibus communem accersantur: ibique ipsi pariter ac Ienenses audiantur, facile cognitu fore, minimè sic sentire eos, quemadmodum vulgò feruntur, ac potiùs eos optimè, & planè Christianè responsuros, & fortasse rationes concordiæ, Dei beneficio inventum iri.

Hoc nos T. C. ad tuas literas respondendum duximus, & ad officia mutuæ benevolentiæ promtos esse pollicemur. Datæ die decimo nono Iunii. Anno 1560.

Philippus D. G. Landgravius Hassiæ.

Postulaverant hanc Synodum Flacciani superiori quoque anno, non tamen per Principes suos, nec tanto conatu ut nunc, sed tantum in privatis colloquiis, pulpitis Scholarum, & literis hinc inde ad amicos missis. Vt igitur molitionibus eorū obuiam aliquo modo tum quoq; iretur, & Ecclesia Evangelica per Germaniam novis illorum rixis distracta contungerentur iterum, flagitârunt à Philippo Principes, quorum præcipua erat autoritas, ut sententiam suam de singulis

1560. *gulis controversiis scripto complecteretur. Quod & fecit ille jussus, & quomodo veritati ac paci consuli possit, ingenuè ostendit 4. May scripto exhibito. Ex eo saltem ea recitabo, quæ ad controversiam Dipniacam pertinent. Sic igitur in scripto de Synodo, qualem Flacciani postulabant.*

Philippus de Synodo Flacciano, & controversiis excitatis, præcipuè de ubiquitate.

Etsi ex vetustis Scriptoribus præcipuis controversia Sacramentaria Iudicari facilè possit: Tamen tot & tam manifesti errores per Pontifices & Monachos invecti sunt, & longâ annorum consuetudine confirmati, ut mundus consuetudine illâ inveteratâ protsus captivus teneatur: adeoque vix tutum sit de hac controversia dicere. Primùm enim constat, multis seculis hanc doctrinam usitatam fuisse, Panem mutari conversione. Postea crassior error additus est, non solùm conversionem, sed etiam Transsubstantiationem esse, quâ substantia panis pereat. Interea panem ipsum in capsulas incluserunt, & circumgestârunt, adorationis causâ. Hæc autem est manifesta Idololatria, dicere, Hoc Deum esse, quod Deus non est. Præterea quærunt isti, quid mures comedant rodentes panem istum. Et tamen multi ex Nostris sunt, qui errores ejusmodi stabiliunt, ut nuper asinus quidam Erdfurdensis de particulis in terram decidentibus scripsit, eas esse corpus Christi, cui adoratio debeatur. Sunt & alia multa similia, de quibus non immeritò conqueri possem. Nuper etiam Bremenses (*videlicet adversarii Doctoris Hardenbergii*) articulum posuerunt: Quod panis sit essentiale corpus Christi, & vinum essentialis sanguis Christi. Adhæc Westphalus, qui Hamburgæ est, librum edidit, collectis suffragiis multarum subscriptionum, in quo hoc, fundamenti instar ponit: *Christi corpus esse in omnibus locis, in lapidibus & lignis.* Hæ locutiones novæ sunt in Ecclesia Christiana inde usque ab initio. Nec dubium est, etiam Papistas ipsos condemnaturos esse illas, etiamsi in Sorbona Parisiensi sententia ferenda sit. Etsi enim hæc propositio vera est: *Christus est ubique*, videlicet communicatione Idiomatum, sicut inquit: *Ego in eis*, Item, *In medio eorum sum:* Tamen longè alia ratio est propositionis istius: *Corpus Christi est ubique.* Ac si res ad certamen veniret, declaratione nostrorum opus esset, quid de Elevatione & de adoratione sentiant; An quia panis adorandus non est, hac formâ adorationis utendum sit: *O Christe qui es panis* (secundùm Bremenses) *vel in hoc pane, Miserere mei.* Quòd si etiam Christus aliter in Cœna non est, quàm in lapidibus, aut lignis, cur non eadem adorationis forma usurpatur coram omni ligno & lapide? Ab his portentis toto pectore abhorreo. Ac multos pios ac doctos viros audivi magno cum dolore conquerentes de istorum hominum audacia & insolentia. Nec dubium est in Mundo gravissimas turbas de hoc certamine extitutas esse. Petent etiam Helveticæ & Gallicæ Ecclesiæ, ut audiantur priùs quàm condemnentur.

Mihi sanè controversia ista ita curæ fuit, ut quantâ potuerim diligentiâ, quæsiverim testimonia, quæ in utramque partem allegari possent. Quamobrem si ad disputationem res deduceretur in Synodo ejusmodi, qualem Flacciani postulant, metuendum esset, ne gravissimum dissidium exoriatur. Itaque eâ quâ par est, fide moneo & obsecro, ut magnitudo hujus negotii diligenter consideretur: An ad disputationem in Synodo, qualem isti flagitant, res deducenda sit.

Cùm autem jubear ostendere, quomodo docendum sit, de hoc articulo, etiamsi cum piis & doctis, non cum vociferatoribus istis colloqui ea de re mallem, quàm sententiam solus ferre & articulos ponere: Tamen nunc etiam repetam, quod sæpe alias scripsi & Ratisbonæ contra Eccium disserui. Ex quo multæ disputationes otiosæ præcidi possunt.

Duæ utilissimæ Regulæ observandæ in controversia Eucharistica.

Prima igitur regula sit: Certissimè constat, *Quòd nihil Sacramentum sit neque esse possit extra usum institutum: sed ut aspersio aquæ & verbum, cui obedientia debetur & fides:* Sic manducatio instituta est in Cœna: Et extra manducationem & sumptionem, panis & vinum non sunt Sacramenta, quemadmodum Papistæ panem circumgestant, adorant, offerunt. Nulla enim creatura potest facere aut instituere Sacramentum.

Hæc regula præcidit & removet multas prodigiosas disputationes de conversione, Transsubstantiatione & oblatione Pontificia. Quamdiu enim panis iste putatur esse Christus ipse, non ita facile est oblationem Pontificiam oppugnare, ut cùm dicunt: *Deus, offero tibi Filium tuum, teque invoco, aut tibi gratias ago propter hunc Filium tuum, quem in manu mea teneo:* sicut apud Veteres mos fuit supplicum, filios eorum, quibus supplicabant, manibus suis comprehensos offerre iratis.

Ac memini, cùm Ratisbonæ Eccius & Granvellanus hanc Regulam audirent: *Quòd nihil Sacramenti rationem habeat extra institutum usum*: Adeò Eccium fremere, ut præ indignatione eo vesperi longiùs bibens in morbum inciderit, neque postea ad collocutionem redire potuerit. Granvellanus

lanus etiam tum exclamabat: *Magnam esse hanc causam, quæ vel sola digna esset, de qua ageretur in legitimo Concilio.* In quo rectè sanè iudicavit. Meminerunt etiam multi honesti viri, hanc Regulam placuisse etiam D. Luthero. Et scit Illustrissimus Princeps Landgravius Hassiæ, de hac Regula Ratisbonæ multùm & diligenter tractatum fuisse.

Secunda Regula. Præter hanc, quam dixi, Regulam, etiam altera illa est certissima: *Filius Dei verè & certò præsens est in Ministerio, quod instituit.* Est enim ea persona Divinitatis, quæ missa est ad colligendam æternam Ecclesiam. Et hæc persona primam promissionem revelavit, & postea semper conservavit Ministerium, & per hoc est efficax, sicut inquit: *Ego sum vitis, vos palmites.* Ac valde necessarium & utile esset, perspicuè ac sæpe doceri homines de hac præsentia & efficacia & usu Ministerii. Sic autem adest Filius Dei in hac Cœnæ suæ ordinatione verè ac substantialiter præsens, ut nobis in hac sumptione cum pane & vino det corpus & suum sanguinem, applicet se nobis ipsum & promissionem gratiæ, & faciat nos membra sui corporis & efficiat seu operetur in nobis consolationem. Hæc enim operatio & efficacia fit per hanc personam, quæ naturam humanam assumpsit, & in ea est efficax, & propter eam in nobis quoque est & nos vivificat. Sic Hilarius dicit: *Hæc sumpta & hausta faciunt, ut Christus sit in nobis, & nos in eo.* Hæc verba clarè loquuntur de sumptione, sicut & Paulus de eadem sumptione expressè ait: *Panis, quem frangimus, est communio cum corpore Christi.* Hæc enim communio, extra sumptionem intelligi non potest: Est igitur hæc verborum Pauli sententia: *Panis est res, quæ communicatur nobis communio corporis Christi.*

De his Regulis & de forma illa verborum: *Cum pane sumitur corpus Christi*, poterunt Electores & Principes piorum & eruditorum iudicia audire: Et ut Theodoretus mandavit, veterum & orthodoxorum Scriptorum testimonia & Confessiones in Concilio investigari: id in hac etiam controversia magnopere necessarium esset. Verùm discerni oportet inter veteres & novos Scriptores, & inter scripta, de quorum authoribus constat, & alia notha, ut sub Ambrosii nomine videmus sententias contrarias consarcinatas esse. Quòd si Zuinglius aut alii dicant, tantùm externum signum esse, & Christum non adesse substantialiter, & notam Christianæ professionis solummodò esse: Hæ & similes locutiones non sunt probandæ.

Hæc declaratio Electorum ac Principum nomine, penè ad verbum descripta est ex articula Francofurtensis Recessus, qui & Naumburgensi Recessui iisdem verbis insertus, & unanimiter approbatus est à Statibus Protestantibus, qui Augustanam Confessionem profitentur. Et tamen hodierni Philippo-mastiges ac Vbiquistæ hanc explicationem veram ac certam, defectionem ab Augustana Confessione nominant.

Etsi verò Flaccius Illyricus, deprehensis demum his aliisque ejus artibus, dolis & imposturis, ex Vniversitate Ienensi in exilium eiiceretur, & condemnationes ejus sponte tum intercider ent, tamen horribilem fœtorem post se reliquit, cui nisi maturè Elector Augustus obviam iisset, mala quàm plurima inde exorta fuissent. Sed ecce, diffamatur propterea à Flaccio & complicibus optimus quoque Elector, quòd à puriore doctrina defecerit, Iesuitas in Scholas suas evocârit, cum hostibus veræ religionis coniurârit, & tyrannidem immanem erga fidos Dei Verbi Ministros, & Confessores veritatis exercuerit, &c.

Ioannis Iuelli Episcopi cõcio Londini habita de præcipuis articulis ad controversiam Sacramentariam pertinentibus.

Hoc ipso quoque anno Dominica altera ante Pascha, Ioannes Iuellus *Episcopus Sarisburiensis in Anglia, è suggestu Paulino ad populum Londinensem in Comitiis Regni concionem habuit, quæ postea multis & variis libris, à Pontificiorum & Calvinistarum partibus, editis, materiam & occasionem præbuit. Locum illum Pauli tractavit, 1. Cor. 11. cap.* Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis, &c. *In ea autem pro temporis ratione quadam Missæ horrenda flagitia proposuit, in quibus exagitandis atque refutandis maximam sermonis partem consumpsit. Nam & factas incognitâ linguâ preces, & communionem sub una tantùm specie, & Sacramenti adorationem, & Missam privatam reprehendit. Neque modò Scripturarum sententias adhibuit, licèt ea perpetuam & certissimam fidei regulam ostendant, sed veterum quoque Patrum & Conciliorum monumenta profert, atque hæc Pontificia religionis portenta Antiquitatis testimonio convicit. In extrema autem concionis parte acriùs institit, & Papistas ad certamen provocavit, hujusmodi denunciatione factâ,* Vt quisquam ex Pontificiis, vel ex Scripturis ipsis, vel ex ullo antiquo Concilio, vel vetusto Patre, vel omnino exemplo aliquo putioris Ecclesiæ, quæ sexcentis à Christo nato annis fuit, probare possit.

Vel aliquam in toto orbe Christiano privatam Missam fuisse.

Vel communionem alterâ duntaxat specie administratam fuisse:

1560.

3. Vel preces publicas linguâ populo incognitâ recitatas fuisse:

4. Vel Romanum Pontificem universalem Episcopum, aut Ecclesiæ universalis caput appellatum fuisse:

5. Vel edoctum fuisse populum, ut Christi corpus realiter, substantialiter, corporaliter, carnaliter, aut naturaliter inesse crederet:

6. Vel Christi corpus in locis infinitis simul esse:

7. Vel sacerdoti in more positum fuisse, ut Sacramentum supra caput sustolleret:

8. Vel plebem provolutam Sacramentum divino honore affecisse:

9. Vel fuisse Sacramentum in Conopeo suspensum:

10. Vel in Sacramento post verba consecrationis accidentia sola, formasque à panis & vini substantia secretas remanere:

11. Vel sacerdotem distribuisse sacramentum in tres partes, ipsumque unum omnes accepisse:

12. Vel qui Sacramentum figuram, pignus, symbolum seu memoriam corporis Christi appellasset eum damnatum pro hæretico fuisse:

13. Vel licuisse Missas quinque, 20. 15. 20. 25. aut 30. in uno Templo eodem die celebrare:

14. Vel constitutas fuisse in Templis Imagines, ut à populo adorarentur:

15. Vel hominibus plebeiis interdictum fuisse Scripturarum vernaculâ lectione:

16. Vel Sacerdoti licuisse, ut verba consecrationis tacitè & silentio sibi recitaret:

17. Vel Sacerdoti Christi Deo Patri in sacrificium offerendi potestatem habuisse:

18. Vel Sacerdoti legitimum fuisse, ut Sacramentum pro aliis sumeret:

19. Vel tum Sacerdotem potuisse mortis Christi vim cuiquam in Missa applicare:

20. Vel doctrinæ genus sanum fuisse habitum, Missam ex opere operato peccatorum nostrorum partem aliquam tollere posse:

21. Vel Christianum quenquam hominem Sacramentum Dominum, Deumque suum appellasse:

22. Vel informatum fuisse populum, ut corpus Christi tantisper in Sacramento remanere crederet, dum panis accidentia integra permanerent:

23. Vel murem, aliumve vermiculum posse Christi corpus comedere:

24. Vel quando Christus dixit, *Hoc est corpus meum*, Pronomen *Hoc* non panem, sed individuum vagum demonstrare:

25. Vel accidentia, seu formas, seu species panis & vini esse corporis & sanguinis Christi sacramenta: nec ipsum potius panem & vinum:

26. Vel Sacramentum esse signum corporis Christi in eo latentis:

27. Vel ignorantiam esse veræ pietatis atque obedientiæ parentem & causam:

Si quisquam (*inquit*) horum aliquid evincere atque confirmare vel unâ luculentâ sententiâ atque testimonio posset, tum se cessurum atque ad Papistas transiturum, atque in illorum potestate futurum spopondit. *Hac tam inaudita tamque libera oratio Papistis, præsertim doctioribus, ingentem dolorem atque iram iniecit, maximè verò* D. Henricum Colum, *qui temporibus Marianis Decanus Paulinus fuerat, concitat atque incendit. Is cum Episcopo Iuello per literas agit, & expostulat: hujus mirifica provocationis causas quærit, se daturum manus, si doceretur, simulat, nihil se fictè cogitare profitetur. Episcopus ad literas Coli humanissimè respondet, eandem illi sponsionem, quam in Paulino Templa fecerat, obtulit, si quid habeat, ut edat monet. Atque hoc modo scripta quadam inter Episcapum atque Colum ultrò citroque commeârunt, qua & lecta à multis privatim, & ut quisque studio perpendebat, probata fuerunt, ac tandem in lucem typis mandata prodierunt. Sed hac umbratili tantùm pugna, & levis armatura prima quodammodo excursio fuit.*

Hardingus in lucem edit refutationem provocationis Iuelli. Thomas Dormannus contra Iuellum scribit.

Quatuor pòst annis Thomas Hardingus, *qui initio regni Elisabetha Lovanium transfugerat, magnamque doctrina & multiplicis lectionis opinionem habuerat, iustam emisit hujus publica, quam diximus, denunciationis refutationem, atque Iuellum acri quodam orationis genere aggreditur, & sigillatim ad omnes partes, seu articulos respondit. Huic etiam tanquam laboris particeps atque amulus accessit* Thomas Dormannus, *qui quatuor quæstiones ex eo numera, quem Hardingus integrum edidit, quas ipse voluit, selegit, in eisque refellendis elaboravit. Effudit etiam* Martialis *quidam cantra Iuellum defensionem, libris* 10. *absolutam, multis erroribus, fabulis, mendaciisq; refertam: & quisque ferè fugitivus esset Anglus Lovanij aliquid contra Iuellum scriptitavit, vel suum ipse cantexuit, vel alienum transtulit in Anglicum, vel scriptis aliorum suum nomen prætendit, nullus otiosus fuit. Volitabant ubique Papistarum libri: Iuellus unus omnium mortalium desperatissimus videbatur, suum Papista Hardingum, suum Dormannum, suos cateros vendicant, prædicant, in cœlum efferunt, nullum insolentia modum statuunt, actum deniq; de Evangelicis esse iudicant.*

Martialis quidam Iuellum aggreditur.

Verùm hic insolens ante victoriam triumphus non fuit ipsis aut fortunatus aut diuturnus,

Nam

Alexãder Novellus Iuellum defendit. Iuellus prose adversariis respondit

Nam Dormannum primò Alexãder Nouvellus *D. Pauli Decanus repreßit, & primus contra Papistas Lovanienses librum edidit:* Iuellus *Nauvellũ brevi intervallo subsequitur, eodemque anno, videlicet* 1565. *Non. Aug. integrom ad omnem Hardingianum librum responsionem evulgavit, industriâ singulari, doctrinâ incredibili, arte mirabili elaboratam, quam ille* Refutationem, *seu* Replicationem *forensi nomine inscripsit. Habet liber ille novam quandam, & autea inauditam rerum tractationem.*

Iuellus nõ solùm Scripturis, sed Conciliis & patribus refutat adversarios.

Cùm enim plerique, qui contra Papistas aliquid scripserunt, rerum omnium, quæ in controversiam vocantür, disceptotianem solis Scripturis desiniant, atque circumscribant, Concilia verò antiqua, & veteres Patres parciùs od hanc dijudicationem adhiberi oportere censeant, Iuellus, quò Papistarum impudentiam convinceret, qui non modò Scripturas contaminãrunt, sed ab omni etsam puriore Antiquitate desciverunt, non tantùm ad ipsas Scripturas provocauit, sed Conciliorum etiam omnium authoritote, atque Patrum iudiciis discerni causarum maximarum magnam multitudinem voluit. Neque verò breve spatium, out exiguum temporis & annorum decursum præfiniuit, sed ut diximus, totos illos, qui Christi memoriam proximè consecuti sunt: sexcentos annos proposuit, in quibus & illa generalia celeberrima Concilia habita fuerunt: & omnes Ecclesiæ illi insignes Doctores floruerunt: usq; adeò amplum Papistis campum concessit, in quo evagari atq; excurrere possent. Anglico autem Idiomate hunc librum evulgovit, eaetenim sermonis genere utendum fuit, quâ adversarius prior usus fuerat, ne causam popularem, & ad vulgi rationes accommodatam, à populari sensu ac notitia removere videretur. Eum verò anno 1578. Guilielmus Whitakerus, *Collegij Sanctæ Trinitatis apud Cantabrigienses tum socio, in Latinum sermonem transtulit, & ad communem Ecclesiæ utilitatem diuulgavit, hoc titulo:* Ioannis Iuelli Sarisburiensis in Anglia Episcopi, adversus Thomam Hardingum Volumen: In quo 27. quæstiones & Scripturis, & omnium Conciliorum ac Patrum monumentis, quæcunque sexcentis à nato Christo annis antiquiora sunt, disceptantur atque explicantur. *Martiali verò Iacobus Calfhillus respondit.*

Hardingus respõdet, sed truncatim.

Post annum outem Hardingus rescripsit, alterumque σύνταγμα Lovanio remisit, in quo ad unicum articulum de Missa privata, cumq; non integrum ac continuatum, sed truncatum, atq; à reliquis partibus divulsum respondit: longaque deinde intervalla etiam opusculum pertexit, in quo illam de Sacrificio quæstionem, quæ Articulo 17. *continetur, tractavit.*

Rastallus contra Iuellum

Interim olii emergunt Lovanienses, Rastallus, Stapletonus, Sanderus, *qui suas od sublevandum Hardingum operas contulerunt.* Rastallus *libellum composuit, quem hoc mirabili inscripsit titulo,* Cave ab Iuello. Stapletonus, *cùm librum ipsum Iuelli attingere non auderet, marginales quasdam quatuor dumaxat articulorum notas consectatus est.* Sanderus *illam de Sacramento causam sibi propugnandam esse duxit, quandoquidem eam ab Hardingo parùm luculentè defensam esse cerneret. Quare grande volumen de Cœna Dominica confecit, illudque singulari consilio atq; exemplo* Corpori & Sanguini Christi sub panis ac vini formis latenti *inscripsit. In eo autem Sanderus & Hardingum ab Iuello, & Dormannũ à Nouello defendit. Quintum enim Iuelli articulum perstringit, qui Realem præsentiam exagitat, & Nauvellum in certamen provocat, quòd is in sua ad Dormannum responsione dixisset, nullam omnino causam afferri posse, quamobrem his potiùs Christi verbis,* Hoc est corpus meum, *Transsubstantiationem Papista effici defendant, quàm his ejusdem Christi,* Ego sum vitis. *Hanc Sanderus orationem reprehendit; & multas causas ostendit, quibus tamen quod voluit concludere nunquam potuit. Nam quum has inter se duas Christi sententias confert, ita semper argumentatur, ut quando fieri non potest, ut ulla sit in altera natura mutatio, ideo in altera fieri colligat, quod & sophisticum est, & ineptum.*

Scriptis similiter Stapletonus & Sãderus.

Nouvellus cõtrà Sãderum

Sed has Sanderi captiones Nouellus, edito ad illas causas doctißimo & diligentißimo responso, refutovit, quod postea Sanderus intactum reliquit.

Disputatio Heydelbergensis de Cœna Domini, eiusque Acta.

MEnse Iunio huius Anni Ioannes Fridericus 2. *Saxoniæ Dux ad* Fridericum Palatinum Electorem *socerum, Heydelbergam profectus fuit, si fortè eum à sententia Calviniana, ut vocant, in negotio Cœnæ, & reformatione Ecclesiarum Palatinotus abducere, & ad priorem sententiam revocare posset. Eam ob causam duos Theologos suos,* Maximilianum Morlinum, & Ioannem Stoffelium *sibi adiunxit: qui præter conciones & collocutiones Heydelbergæ, non solùm cum viris doctis Calvinianis, sed etiam cum Electore ipso habitas, publicam Disputationem, palàm excusis atque affixis Thesibus, in Academia Heydelbergensi instituerunt. Theses Morlini & Stoffelii ad disputandum propositæ hæ fuerunt.*

Theses à Morlino & Stoffelio Heydelbergæ ad disputandum propositæ.

1. Firmiter credimus, confitemur, & afferimus, quòd in Cœna Domini, cum, in, vel sub pane & vino, vi & efficaciâ verbi seu institutionis Christi, verum cor-

1560. pus, & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi, verè & substantialiter adsit, dispensetur & exhibeatur.

2. E contrà verò Improbamus non tantùm eos, qui per corpus & sanguinem nuda signa, vel symbola absentis corporis & sanguinis Christi intelligunt, sed eos etiam, qui Cœnam Domini magis ἐνεργείᾳ, id est, virtute, quàm οὐσίᾳ, id est, substantiâ definiunt, Vtrique enim revera, quantum in ipsis est, substantiam corporis & sanguinis Christi è Cœna tollunt, etsi vocabulum substantialiter, insidiosè, & ambiguè interdum etiam usurpent.

3. Vt igitur docemus, substantiam panis & vini in Cœna Domini præsentem adesse, nec transmutari: sic & hoc firmiter asserimus, substantiam corporis & sanguinis Christi non tantùm verè, & realiter adesse, sed unà cum symbolis panis & vini, vescentibus distribui, & ab illis etiam accipi.

4. Docemus etiam & firmiter credimus, quòd, sicut in Cœna Domini, manu Ministri, cum pane & vino porrigatur verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi: Ita etiam non tantùm fide spiritualiter, sed ore etiam corporaliter accipiatur, idque propter unionem sacramentalem corporis & sanguinis cum pane & vino: respectu etiam non rationis, sed verborum Christi institutione huius Novi Testamenti: *Hoc est corpus meum*, Item: *manducate & bibite*.

5. Quia verò hunc corporalem vel sacramentalem manducationis modum, ratio humana nequaquam assequitur, imò tanquam extremè absurdum aversatur, ideo docemus ad hoc mysterium, sicut ad reliquos doctrinæ Christianæ articulos comprehendendum non rationem, sed fidem adhibendam esse.

6. In divinis etiam mysteriis cùm cæcum sit rationis iudicium, sola fides dominari debet, ac omnibus hominum commentis, & speciosis obiectionibus, unicum illud opponi, IPSE DIXIT. Id Verbum enim quod condidit omnia, si ad creaturas conferatur, omnia rationis argumenta diluit atque refellit.

7. Credimus etiam & profitemur, quòd in Cœna Domini, ubi servantur verba & institutio Christi, non tantùm à piis & dignis, sed etiá ab impiis, hypocritis, & infidelibus accipiatur. Hoc tamen discrimine, quòd ab impiis ore tantùm, à piis verò ore, fide, & corde sumatur, quòdque piis sit manducatio salutaris, impiis verò in maiorem condemnationem & iudicium cedat.

8. Hanc promiscuam & indifferentem manducationem piorum & impiorum confirmant ipsa Sacramenti substantialia, quæ sunt visibilia, panis & vinum: Invisibilia corpus & sanguis Christi; & externus Sacramenti usus. Suntque hæc substantialia non aliunde ab hominibus importata, sed per verbum Christi in institutione hujus Testamenti clarè & disertè expressa.

9. Accedit huc Pauli dictum 1. Cor. 11. *Indignè sumentes reos fieri corporis & sanguinis Christi*: & quòd ab hominis dignitate non pendeat Christi institutio, sed in ipso fundata sit, qui est veritas. Et innitatur ejus Verbo firmo & veraci. Item, Augustana Confessio, quæ in genere dicit: *Distribui corpus & sanguinem* vescentibus.

10. Hæc de Cœna Domini confessio non ex hominum commentis, sed ex institutione Sacramenti & verbis Christi ac Apostoli extructa est. Simul enim testatur distribui verum corpus & sanguinem in Cœna.

11. Verba Christi plana sunt & perspicua: *Accipite & comedite, hoc est corpus meum*. Ac ne quis tropum non necessarium affingeret, additur interpretatio, *Quod pro vobis datur*. Sic & de poculo, *Hic est sanguis meus*, ubi similiter tropus excluditur, adhibitâ interpretatione, *Qui pro vobis effunditur*.

12. Sic Paulus comedentem indignè, reum judicii pronunciat, quia non discernat inter corpus Domini, & alios communes cibos. Sensit igitur verè etiam corpus & sanguinem Christi accipi, non tantùm à fidelibus, sed etiam ab hypocritis.

13. Neque tamen inde sequitur, impios hac corporali manducatione vivificari, & æternæ vitæ consortes fieri; ut enim eos tantùm Christus vivificat, qui non ore tantùm hoc Sacramentum accipiunt, sed promissionem simul verâ fide amplectuntur: in qua remissio peccatorum & vita æterna offeruntur: Ita justo judicio punit & plectit impios & incredulos, atque acerrimis pœnis profanationem & abusum huius Cœnæ vindicat.

14. In particulis In, Sub & Cum, promiscuè usurpandis, & in Ecclesia retinendis, non ferimus λογομαχίας, sed illis opponimus, qui vero Christi corpore, imaginarium nobis substituunt, & unionem sacramentalem removent, & cothurnos in particula, *Cum*, faciunt.

15. Repudiamus etiam crassas illas & portentosas opiniones, quas falsò nobis quidam Imputant, videlicet Transsubstantiationem Papisticam, localem inclusionem, distractionem, seu expansionem corporis Christi, com-

commixtione panis & vini cum corpore & sanguine Christi.

16. Ingenuè etiam fatemur, Sacramenta extra vsum non ampliùs habere rationem Sacramentorum, ideoque durabilem aliquam coniunctionem extra vsum, prorsus rejicimus, &c.

17. Hanc esse natiuam sententiam Augustanæ Confessionis, quia vno consensu Saxonicæ, Thuringicæ, & Wirtenbergenses Ecclesiæ profitentur, imò etiam Palatinatus Agenda, nobiscum id apertè docet. Perspicuum est quo loco habendi sint qui Augustanam Confessionem violenter ad contrariam opinionem detorquent.

18. Etsi autem in eludendis Christi verbis & deprauandâ Augustanâ Confessione, homines ingeniosi multùm se torquent, ac rationibus concinnis & plausibilibus plurimos in suam sententiam pertrahunt: tamen multò tutiùs est, repudiatis ipsorum præstigijs, sequi claram Verbi lucem, & acquiescere in simplici, propria & perspicua Christi institutione, eique tribuere laudem omnipotentiæ & veritatis: quàm rationis deliria, & hominum imaginationes, quæ & detrahunt gloriæ Christi, eumque mendacij insimulant, & conscientiarum πληροφορίαν seu certitudinem labefactant, expresso Dei Verbo anteponere.

19. Quòd verò sextum caput Ioannis, tanquam clypeum Aiacis nobis objiciunt, & in eo præcipuam victoriæ partem collocant, friuolum est: siquidem & ratione temporis, & serie narrationis conuinci possunt, quòd violenter id caput ad Cœnam Domini detorquent.

20. Semper etiam illud Pauli nobis in conspectu sit, vbi monet, *ne simus pueri in agnitione veritatis fluctuantes, ne circumferamur omni vento doctrinæ, &c.* Item illud Petri: *Qui loquitur, loquatur sermones Dei.*

21. Tenenda sunt hic etiam axiomata quædam, vt contra Sacramentariorum speciosas corruptelas, & plausibiles deprauationes Testamenti Christi, tectiùs nos munire & confirmare possimus.

Axiomata.

1. Quòd verbum Christi non sit, vt aliarum creaturarum, mox euanescens sonitus, sed quòd statim effectum vnà producat: Christi enim dicere, est facere.

2. Quòd in diuinis mysterijs cognoscendis summa sapientia Christianorum sit, non ludere fingẽdis opinionibus extra Verbum Dei, sed rationis iudicium frænare, & solâ fide omnia obstacula & absurditates physicas transcendere.

3. Scripturam non ad nostras imaginationes inflectendam esse, sed potiùs summo studio in id incumbendum, vt maneamus discipuli, auditores, & fideles custodes verborum Christi.

1560.

4. Locorum Scripturæ citationes, quæ ad probationem seu explicationem afferuntur, non debere alienas esse ab ea materia, ad quam illustrandam adducuntur.

5. Ascensionem Christi in cœlos, non impedire præsentiam Christi in Cœna, sed potiùs eam confirmare, cùm sit expressum testimonium omnipotentiæ in Christo.

6. In Cœna Domini semper magis ad verba Christi, quàm ad externa elementa respiciendum esse.

22. Meminerimus etiam illud Christi: ex fructibus eorum cognoscetis eos: Egregios autem fructus quos gignit hæc Sacramentariorum secta, omnes pij vbique locorum, non sine lachrymis agnoscunt & deplorant: Siquidem.

Fructus Sacramentariorum describuntur per calumniam.

I. Rumpit consensum Augustanæ Confessionis, & eam aduersarijs exagitandam turpiter prostituit.

II. Perturbat Ecclesias abrogando & conuellendo pias de Cœna Domini institutiones, & inflectendo ad sensum & opinionem Zuinglianorum.

III. Abducit homines ab vsu & reuerentia non tantùm Cœnæ Dominicæ & totius ministerij, sed præcipuam etiam turbatis conscientijs consolationem eripit.

IV. Fax est Ecclesiasticorum & ciuilium motuum.

V. Detrahit Christo laudem veritatis & omnipotentiæ.

VI. Exemplum inducit, simili petulantiâ, & audaciâ ludendi in alijs etiam doctrinæ Articulis.

VII. Denique ex Augustana Confessione, doctrinæ veræ cum sectis confusionem, & metus cothurnos efficit.

23. Vt igitur ab vna parte fugienda sunt crassa Papistarum deliria, quibus Cœnam Domini in horribilem ἀρτολατρείαν conuerterunt: vt verbi causâ, Transsubstantiatio, Sacrificium Missæ, prohibitio calicis, vbi scilicet alterâ parte priuantur laici, adoratio frustuli panis loco Filij Dei, circumgestatio ad conseruandas fruges, & similia: ita ex altera parte non minori studio vitandæ sunt subtilissimæ & plausibiles Sacramentariorum corruptelæ, quibus & Cœnam Domini eneruant, & institutionem Christi temerè corrumpunt ac violant.

24. Hanc nostram admonitionem maximo-

1560. ximoperè necessariam, quæ ab vtrisque extremis ad mediam viam pios reuocat, præter August. Confessionem & Smalcaldicos Articulos, inculcat etiam doctoribus Ecclesiæ Agenda Palatinatus, quæ ab illis contexta est, qui Aug. Confessionis hac ætate præcipui sunt patroni ac propugnatores.

Disputata sunt hæ Theses in publico Auditorio, tertio & quarto die Iunij. Inter disputandum, cùm Petro Boquino Theologo, cui partes istas theses oppugnandi data erant, Thomas Erastus *professione Medicus, simul autem insignis Theologus & in Eucharistica controuersia optimè versatus in eadem vna cum alijs mensa assident, aliquottes argumenta, instantias, responsiones & solutiones commodas suggereret: Vel ipse ad solutiones* Stoffelij *interdum responderet:* Stoffelius, *qui ab eo vrgeretur ex firmissimis sacra Scriptura testimonijs & rationibus non minus solidè & accuratè, quàm perspicuè & planè, nec ferè haberet quod ei responderet, vt risum in auditorio concitaret, eoque se constrictum paulalum liberaret, in hac verba erupit*: Video causam vestram esse morbidam, & indigere Medico. *Cùm etiam post meridiem amborum Principum voluntate & concessione, Erastus solus cum Stoffelio congredi vellet, ipse tamen in arenam cum eo descendere noluit, hanc vnam causam prætexens*, Medicum eum esse non Theologum: *& quamuis responderet*, Se tamen Christianum esse, *disputare tamen cum ipso noluit.*

Post hanc autem disputationem Stoffelius paulatim in castra Caluinianorum transijt.

Magdeburgenses edunt 4. centuriam eamque Reginæ Angliæ dedicant.

Flaccius Illyricus *quoque, eiusque collega hoc tempore quartam Centuriam Ecclesiasticæ historiæ ediderunt, eamque Reginæ Angliæ Elizabethæ dedicantes, inter alia eam hortantur, vt quum tam variæ passim grassentur quasi factiones opinionum, inter quas aliqui etiam Testamentum Domini philosophicis planè rationibus ita euacuent, vt corpus & sanguinem Christi, quoad præsentiam & communicationem, iuxta clarissima, euidentissima & potentissima verba ipsius Christi, prorsus remoueant, miraque verborum perplexitate fucum faciant: in primis videndum ipsi esse, vt & capita fidei sine Pharisaico fermento, & Sacramenta à Christo instituta, citra omnem corruptelam instaurentur: quod ipsam facturam esse, omnes pij sperent, summuque votu* [illegible] *ipsa contendant. Vetustos quoque Patres, in causa Cœnæ, sibi in hac sua historia vendicabant, & aduersarios faciebant Zuinglianis.*

Ioannes à Lasco respon-

Basilea editus est liber Ioannis à Lasco, cui hanc inscriptionem præfixerat: Responsio ad virulentam calumnijsque ac mendacijs consarcinatam Ioachimi Westphali epistolam quandam, quâ purgationem Ecclesiarum peregrinarum Francofurti conuellere conatur: per Ioannem à Lasco, eius ipsius purgationis authorem, sic vt paragraphi paragraphis respondeant, quo magis faciliusque appareat, vtrinam causam æquiorem habeant in hac controuersia, & de Confessione Augustana.

det ad Epistolam Westphali.

Tilemannus Heshusius à rixis, superiore anno inter ipsum & Clebitium Heydelbergæ exortis, abstinere nolens, ac propterea ab Electore Palatino dimissus libellum Iena edidit, de præsentia corporis Christi in Cœna contra Sacramentarios. In Præfatione queritur, Zuinglij & Caluini errorem de Cœna Domini, latè per orbem Christianum diffusum esse, eique non solùm imperitam plebem, sed etiam Gubernatores potentes applaudere, ac patrocinio multorum, qui doctrinâ & authoritate clarent in Ecclesia, defendi: se verò sperare, quòd labor sese opponentium illis erroribus, non sit periturus. *Quatuor autem explicare constituit in eo libro;* Primò, *quid sit Cœna Domini & quomodo instituta: quæque vera & sana sit sententia de corporis & sanguinis Christi in Eucharistia præsentia.* Secundò, *veram sententiam ex Scripturis & Patribus explicare conatur.* Tertiò, *contrarias obiectiones Zuinglij & Caluini refutat.* Quartò, *agit de vsu & efficacia Eucharistiæ.*

Heshusius libellum edit contra Sacramentarios.

Summa libri.

Decembris 23. die huius anni, Clarissimus Iurisconsultus Annas Burgensis, *Parlamenti Parisini Assessor, post longam captiuitatem, à Iudicibus damnatus, & ab armatis amplius quadringentis in locum supplicij deductus & concrematus est in vera agnitione Filij Dei. Eius pia & orthodoxa Confessio, cùm de alijs doctrina Christianæ capitibus, tum de Cœna Domini publicè extat.*

Annas Burgensis, eiusque mar tyrium.

ANNVS M. D. LXI.

ANno 1561. *Ioannes Caluinus edidit* dilucidam explicationem sanæ doctrinæ de vera participatione carnis & sanguinis Christi in sacra Cœna, ad discutiendas Heshusij nebulas, quas in postremo suo libello offudit. *Cumque in hoc argumento in hoc cardine tota vertatur quæstio,* Tollat-ne corporis Christi substantiam è sacra Cœna, qui negat corpus ipsum ore comedi: *& Heshusius in suo libello neget, substantia carnis Christi nos fieri participes, nisi eum ore comedamus: Sic enim loquitur,* Ipsam quoque substantiam carnis & sanguinis ore hauriendam: *Caluinus contrà in hoc libello com-*

Caluinus edit dilucidam explicationem de vera participatione corporis Christi in Cœna contra Westphalum.

municationis illius modum sic definit: Christum videlicet pro immensa & admirabili sua potentia efficere, vt secum in eandem vitam coalescamus, nec tantùm applicare nobis passionis suæ fructus, sed verè nostrum fieri, vt bona sua nobiscum communicet, ideoque nos sibi coniungere, sicut membra & caput corpus vnum efficiunt. Hanc autem vnitatem non ad essentiam diuinam restringit, sed pertinere affirmat ad carnem & sanguinem: quia non simpliciter dictum sit, Spiritus meus verè est cibus: sed caro mea: nec simpliciter etiam dictum sit, Diuinitas mea verè est potus: sed, Sanguis. Adhæc carnis & sanguinis communicationem non tantùm interpretatur de communi natura, quòd Christus homo factus iure fraterna societatis nos Dei filios secum fecerit: sed distinctè affirmat, quam à nobis sumsit carnem, eam nobis esse viuificam, vt nobis sit materia spiritualis vitæ. Etsi autem signum discernit à re signata, non tamen docet nudam aut vmbratilem figuram esse, sed articulatè pronunciat, panem esse certum pignus communicationis cum carne & sanguine Christi quam figurat: quia Christus non inani tantùm obiectâ imagine oculos pascat, sed verè & reipsa præstet quod externo symbolo promittit. Indeque constituit, panem quem frangimus verè communicationem esse corporis Christi.

Calvinus de optima concordiæ ineundæ ratione in sacramentaria controversia.

Huic libello adiecit Caluinus in fine, Optimam ineundæ concordiæ rationem in Sacramentaria controuersia, si extra contentionem quæratur veritas. Ac primo loco definit, de quibus in hac controuersia conueniat inter partes. Nam quæ initio certaminis maximè exasperarunt vtrinque animos; hodie sunt extra controuersiam. Odiosissimum erat ab vna parte iactari, alligari Spiritus gratiam externis elementis, ab altera modò nudas & inanes figuras & theatricis pompis similes relinqui. Hæc contentio nunc sublata est, quia vtrinque fatemur, inquit Caluinus;

Sacramenta quid, & quis eorum vsus.

Primò, Sacramenta esse non solùm externæ professionis notas coram hominibus, sed testimonia ac tesseras gratiæ Dei, & promissionum sigilla, quæ fidem nostram meliùs confirment.

Itaque duplicem esse eorum vsum: vt coram Deo sustineant conscientias, deinde coram mundo pietatem testentur.

Adhæc Deum, sicuti verax est & fidelis, arcanâ Spiritus sui virtute præstare quod externis signis figurat: ideoque ex parte ipsius Dei non proponi vacua signa, sed veritatem & efficaciam simul coniunctam esse.

Rursus non esse inclusam Spiritus gratiam aut virtutem externis signis: quia nec æqualiter, nec promiscuè omnibus prosunt, nec effectus etiam eodem momento apparet: sed Deum liberè, prout visum est, Sacramentis vti, vt electis adminicula sint in salutem, aliis nihil conferant, adeoque cedant in exitium.

Denique Sacramenta nihil prodesse, nisi fide recipiantur, quæ singulare est donum Spiritus, nec à terrenis elementis pendet, sed à cœlesti eiusdem Spiritus operatione. Tantùm externa adminicula pro infirmitate captus nostri adiungi.

In S. Cœna quid proponatur nobis.

Quod ad sacram Christi Cœnam peculiariter spectat, conuenit sub symbolis panis & vini proponi corporis & sanguinis Christi commendationem, neque simpliciter nobis in memoriam reuocari Christum semel pro nobis fuisse in cruce oblatum, sed sacram illam vnitatem nobis sanciri, quâ fit, vt mors eius nobis sit vita, nempe dum insiti in eius corpus verè ab ipso alimur, non secus ac cibus & potus corpora nostra vegetant.

Conuenit etiam Christum reipsa & efficaciter implere, quicquid analogia signi & rei signatæ postulat: ideoque verè nobis in Cœna offerri communicationem cum eius corpore & sanguine, vel (quod idem valet) nobis arrham sub pane & vino proponi, quæ nos faciat corporis & sanguinis Christi participes.

Restant capita de quibus vel quid sentiendum sit, vel quomodo loquendum, nondum planè liquet.

Quomodo corpus Christi edatur.

Quisquis autem sano rectoque iudicio præditus, simul compositum affectum & sedatum afferet, fatebitur solùm de modo edendi esse certamen: quia palàm & ingenuè asserimus, Christum fieri nostrum, vt quæ possidet bona nobiscum deinde communicet: eius quoque corpus non modò semel fuisse datum in salutem nostram, dum ad expianda peccata immolatum in cruce fuit, sed quotidie nobis in alimentum porrigi: vt dum ipse habitat in nobis, bonorum etiam eius omnium societate fruamur. Viuificum denique esse tradimus, quia vitam suam nobis inspirat, non secus atque ex panis succo vigorem trahimus. Ergo prout diuersa edendi ratio statuitur, ex hoc fonte oriuntur lites. Nostra autem definitio est corpus Christi comedi, quia spirituale est animæ alimentum. Rursus alimentum à nobis vocatur hoc sensu, quia incomprehensibili Spiritus virtute nobis vitam suam inspirat, vt sit nobis communis, non secus atque à radice arboris vitalis succus in ramos se diffundit: vel à capite in singula membra manat vigor. In hac definitione nihil captiosum, nihil obscurum

1561. curum, nihil ambiguùm vel flexiloquum.

Corpus Christi non ore deglutiri. Quòd autem quidam hac dilucidâ simplicitate non contenti, volunt Christi corpus degluriri, nec Scripturæ autoritate, nec veteris Ecclesiæ testimonio nititur: vt mirum sit, homines mediocri iudicio & eruditione præditos tam pertinaciter de nouo commento certare. Quod docet Scriptura, in controuersiam à nobis minimè vocatur, Christi carnem verè esse cibum, & sanguinem verè esse potum: quia & verè à nobis percipiuntur & in solidam vitam sufficiunt. Hanc quoque communicationem in sacra Cœna exhiberi profitemur. Quisquis vltrà vrget, metas certè transilit.

Quomodo verba Cœnæ intelligenda. In verbo quoque essentiali insistere, non est rationi consentaneum, quando de Sacramentis agitur, quibus peculiarem loquendi formam Scriptura assignat. Vnde sequitur, sacramentali modo debere hæc verba exponi, *Hoc est corpus meum.* Item: *Panis, quem frangimus, communicatio est corporis Christi.* Porrò quod suspicantur quidam subesse aliquid periculi, facile est huic timori obuiam ire. Quia sacramentalis locutio esse dicitur, figurâ veritatem euerti putant. Atqui tenendum est, figuram non pro inani spectro poni, sed Grammaticè sumi ad notandam Metonymiam, ne quis putet ita simpliciter panem vocari corpus Christi, vt Christus ipse vocatur Dei Filius. Nomen ergo Corporis figuratè ad panem transfertur: neque tamen figuratiuè, ac si nudam & vanam corporis sui imaginem oculis nostris objiceret Christus, quia veritas à figura non excluditur, sed tantùm notatur discrimen inter signum & rem signatam: quod coniunctioni non repugnat. Si modò facessant cauillationes, vt in concordia quærenda fieri decet, nihil est in hac docendi ratione odiosum, vel quod in sinistram partem trahi debeat: & tam sensu quàm vsu communi semper approbata fuit.

Figura in verbis Cœnæ vt intelligenda.

De Vbiquitate corporis Christi. In primis obstaculum de corporis immensitate submouere necesse est. Nisi enim constet finitum esse, eoque comprehendi, nulla erit dissidij conciliandi ratio. Nam quod absurdum quibusdam esse videtur non vbique esse, ex quo Diuinitati vnitum est, facilè diluitur. Etsi enim naturæ duæ vnam Mediatoris personam efficiunt, vtrique tamen manet sua proprietas distincta: quandoquidem aliud est vnio quàm vnitas. Nec de ea re olim disceptatum fuit, quia vno omnium cõsensu receptum erat, Christum Filium Dei Mediatorem & caput nostrum, sicuti in gloriam cœlestem semel est receptus, ita locorum interuallo, quoad carnem, esse à nobis dissitum: Diuinâ autem essentiâ & virtute, gratiâ etiam spirituali cœlum & terram implere.

Vnio aliud, quàm vnitas.

Corpus Christi vt in pane & sub pane detur. Hoc constituto, licebit admittere loquendi formas, in quibus nonnulli ob ambiguitatem sunt perplexi. Sub pane vel cum pane nobis dari Christi corpus: quia non substantialis vnio corruptibilis cibi cum Christi carne, sed sacramentalis notatur coniunctio. Hoc autem controuersiâ caret apud omnes pios, inseparabile esse vinculum signi & rei signatæ in promissione ipsa, quâ Deus nihil fallaciter ostentat, sed figurat quod verè & reipsa præstat.

De corpore duplici Christi. Porrò frustra litigatur de corpore duplici. Mutata quidem fuit conditio in Christi carne, vbi in cœlestem gloriam recepta, quicquid terrenum, mortale vel caducum erat, exuit. Interea tamen statuere oportet, non aliud corpus viuificum nobis esse aut verè cibum posse censeri, nisi quod pro expiandis peccatis crucifixum est: sicuti & verba sonant. Idem ergo corpus quod semel Filius Dei Patri in sacrificium obtulit, quotidie nobis in Cœna offert, vt sit in spirituale alimentum. Tantùm de modo tenendum est, quod nuper attigi, non opus esse descendere carnis essentiam è cœlo vt ea pascamur, sed ad penetranda impedimenta & superandam locorum distantiam sufficere Spiritus virtutem. Interea non negamus, quin modus hic humanæ menti sit incomprehensibilis, quia neque naturaliter caro esset vita animæ, neque è cœlis vim suam ad nos exereret, neque frustra Communicatio, quæ nos facit carnem è carne Christi, & ossa ex ossibus eius, vocatur à Paulo magnum mysterium: Ergo in sacra Cœna miraculum agnoscimus, quod & naturæ fines, & sensus nostri modum exuperat, dum vita Christi nobis fit communis, & eius caro nobis in alimentum datur. Modò quæcunque definitioni nuper positæ repugnant commenta procul facessant: qualia sunt de corporis Vbiquitate, vel de occulta sub panis symbolo inclusione, vel de substantiali in terris præsentia.

De voce Substantiæ. Hæc vbi transacta fuerint, emergit adhue dubitatio de voce SVBSTANTIÆ. cuius sedandæ hoc videtur esse expedita ratio, vt crassa imaginatio tollatur de manducatione carnis, ac si corporalibus cibis esset similis, qui ore sumpti in ventrem descendunt. Nam vbi hæc absurditas remota fuerit, non est cur negemus substantialiter nos pasci Christi carne, quia verè coalescimus cum ipso in vnum corpus per fidem, & ita vnum cum ipso efficimur. Vnde sequitur substantiali societate nos cum

ipso

ipso coniungi, non secus ac substantialis vigor à capite in membra defluit. Definitio igitur statuenda erit, Substantialiter nos fieri carnis Christi participes, non quòd fiat carnalis quædam mixtura, vel quòd caro Christi è cœlis elicita in nos penetret, vel quòd ore deglutiatur: sed quia non secus animas nostras viuificet Christi caro, quoad vim & efficaciam, ac panis viuique substantiâ corpora aluntur.

De voce Spiritualiter in controuersia Cœnæ.

Aliud præterea caput controuersum est, de voce SPIRITVALITER, à qua multi abhorrent, quòd putant, imaginarium aliquid vel inane notari. Ergo hîc etiam succurrat definitio necesse est. Spiritualis ergo manducatio carnali opponitur. Carnalis autem vocatur, quâ putant quidam substantiam ipsam Christi in nos transfundi, sicut panis comeditur. Ex opposito autem dicitur, Spiritualiter nobis Christi corpus dari in Cœna, quia facit arcana Spiritus sancti virtus, vt quæ locorum spatio distant, inter se vniantur: ac proinde vt è cœlo ad nos penetret vita ex carne Christi, quæ vis & facultas viuificandi non incommodè abstractum aliquid à substantia dici possit, modò sanè hoc & dextrè intelligatur, manere scilicet in cœlo Christi corpus, & tamen ad nos, qui in terra peregrinamur, vitam ex eius substantia manare ac peruenire.

Duplex manducatio non in Cœna confunditur.

Quòd quidam à nobis duplicem manducationem inscitè confundi iactant: negamus inscitiâ nos prætermittere quod sibi fabricârunt ipsi de sacramentali esu, quem volunt esse substantiæ carnis absque effectu vel gratia. Nihil autem tale vel Scripturis proditum, vel Ecclesiæ veteris testimonio suffultum est. Nam certè veritas & res Sacramenti, non tantùm est applicatio beneficiorum Christi, sed Christus ipse cum morte & resurrectione sua. Quare non dextri sunt interpretes, qui ab vna parte Christum statuunt vacuum omnibus Spiritus sui donis, omnique virtute: ab altera coniungunt eum cum spiritualibus donis & manducationis fructu: quia non potest sine contumelia separari à Spiritu suo, non magis quàm à seipso diuelli. Nec verò illis suffragantur Pauli verba, *reos esse corporis Christi, qui indignè comedunt panem Cœnæ*, quando reatus non adscribitur receptioni, nec vsquam legitur, nec rationi consentaneum est cuiquam cedere, quod Christum recipiat: sed damnantur qui eum respuunt. Conueniat igitur de hoc quoque capite, Sacramentaliter Christi corpus comedi ab impijs, non verè nec reipsa, sed signo tenus.

1561. Quid sit in Cœna per fidem edere corpus Christi.

Hæc definitio explicat quæstionem, *Quid sit in Cœna per fidem recipere Christi corpus.* Quibusdam suspiciosum est nomen *Fidei*, ac si veritatem & effectum euerteret. Atqui longè secus accipere conuenit, quia scilicet non aliter Christo coniungimur, quàm si mentes nostræ mundum transcendant. Nostræ itaque cum Christo coniunctionis vinculum est fides, quæ sursum nos attollit, & anchoram suam facit in cœlo, vt in sua gloria potiùs quæratur à nobis Christus, quàm vt rationis nostræ figmentis subiaceat.

Soli-ne fideles Christum, an omnes, nec sine exceptione.

Atque hac ratione sedatur optimè illud quod attigi certamen, Soli-ne fideles Christum recipiant, an omnes sine exceptione, quibus porriguntur panis & vini symbola. Recta enim & clara est solutio quam posui, Christũ omnibus generaliter corpus suum & sanguinem offerre: sed quia infideles ianuam claudunt eius liberalitati, non recipere quod offertur. Neque tamen inde colligere licet illos, dum respuunt quod datur, vel exinanire Christi gratiam, vel quicquam ex sacramenti efficacia detrahere: quia eorum ingratitudine naturam suam non mutat Cœna, nec panis, quatenus proponitur à Christo in arrham vel pignus, profanescit vt à communi pane nihil differat, sed verè restatur communicationem cum Christi carne & sanguine.

Theod. Beza edit dialogos duos contra Heßhusium.

Theodorus Beza *huic Caluini libello mox submisit dialogos duos, de vera communicatione corporis & sanguinis Domini, aduersus Tilemanni Heßhusij somnia: quorum prior,* κρεωφαγία *siue* Cyclops, *posterior,* ὄνος συλλογιζόμενος, *siue* Sophista *inscribitur. Adiecit etiam abstersionem aliarum calumniarum, quibus idem Heßhusius Ioannem Caluinum asperserat. Perspicuam item explicationem controuersiæ de Cœna Domini.*

Boquinus edit Examen libri Heßhusiani.

Accessit etiam Boquinus *sacræ Theologiæ in Schola Heydelbergensi Professor, qui edidit Examen libri quem Heßhusius scripserat. In eo diligenter expensa, & pulchrè expedita sunt, quæcunque in controuersia de Cœna Domini hodie* ἄνω κ. κάτω *voluuntur. Tota enim tractatio partibus quatuor constat.* Prima, *controuersiæ capita continet, quæ hæc ferè sunt: de dicendi genere in re sacramentaria, tum Literis sacris, tum veteribus Scriptoribus familiari. Deinde, qualis sit præsentia corporis in Cœna Domini. Tertia, eius edendi modus. Quarta, à quibus sumatur: hoc est, de impiorum manducatione. Vbi Heßhusij soluuntur etiam rationes, & ipsius sententia solidis argumentis refutatur. Multa quoque veterum Patrum testimonia à deprauatione vindicantur, & quæ ipsorum germana sit sententia ostenditur.* Altera pars, *libri*

Summa libelli.

1561. *libri Heßhusij ἀνασκευὴν ex multis pauca indicat, & refutat. Inprimis autem tractat grauem quæstionem, Quomodo λόγος sit in suo templo, hoc est, corpore.* Tertia *demonstrat, ad controuersiam de Cœna Domini non pertinere disputationem de potentia Dei, eiusque Verbi veritate: deque isto non admetiendo ad rationis regulam, vbi notat etiam obiter ἀταξίαν quam Heßhusius suo exemplo in Ecclesiam inducat. In* quarta *parte, recitantur & refutantur illustres calumniæ, quibus Heßhusius innocentes viros grauat, & ipsarum sententiam hoc modo adiasam reddere conatur. Addita est etiam Coronis, continens orationis seu libelli Heßhusij canitia, quibus eum velut gemmis ornat & flosculis variat.*

Sturmius de eodem Heßhusij libello

De eodem Heßhusij libro Ioannes Sturmius Academiæ Argentinensis Rector ita scripsit ad Fridericum Electorem Palatinum: Legi, inquit, Heßhusij librum, qui vt ne inter Theologos solùm hoc dissidium exardescat, etiam Principes prouocat. Ponit in definitione Cœnæ Dominicæ, id quod controuersum est. Pauli definitionem præterit, & suam nouam atque inauditam adfert: & propter suam tacitè Pauli condemnat. Authoritates adfert, quæ pro se non faciunt, sed pro aduersarijs. Scribit non vt doceat, sed vt iudicet atque condemnet. Satis enim condemnat, qui sua vti mauult quàm Apostoli. Qua in re tamen excuso ipsum: non enim videtur intelligere vim verbi Græci *κοινωνία*: illud enim verbum non ad distributionem singularem nos deijcit, sed ad communem & cœlestem nos reuocat: non enim *κοινώνημα* vocat, sed *κοινωνίαν*: quâ fit vt *κοινωνοὶ* efficiamur mensæ, id est, corporis & sanguinis, vitæ & mortis participes, sed fideles. Fide enim sursum vsque in cœlestem societatem ascendimus, quam singuli pro se homines, tum omnis Ecclesia & sese cum suo Sponso coniungit IESV CHRISTO: vt hic in terra & ille in nobis & nos in illo viuamus, Qui credat verum Iesum Christum dicere: & verum dare, qui dicit, Comedite, hoc est corpus meum: bibite, hoc est sanguis meus: præsertim quum addat ad verbum Domini, verum corpus sese sumere: item qui approbat Pauli definitionem, quòd sit *κοινωνία τοῦ σώματος καὶ αἵματος*: Et sequitur Augustini interpretationem, qui scribit, manducare carnem Christi, esse participem corporis eius fieri: denique qui confitetur sese viuificatione Spiritus sancti in Christi corpore & sanguine Immortaliter viuificari, Christumque in sese viuere, & sese in Christo: qui hæc omnia, inquam, confitetur & docet: quo exemplo & authoritate aut Prophetarum, aut Euangelistarum, aut Apostolorum, aut Patrum, hunc hominem hæreticum esse, & priuatâ authoritate excommunicatum condemnare possunt: præsertim cùm ab ipsis huiusmodi multa absurda dicantur? Christi corpus naturale, quod scilicet carne & ossibus præditum est, vbique non esse: & tamen vbique vnà cum carnibus & ossibus eius sumi & verè manducari: & id propriè dici, hoc est, natiuo verbi vsu: item panem non transsubstantiari, tamen panem esse corpus: & in eo hoc vtuntur πλεονασμῷ, & corporaliter corpus (quod idem est quod corporale) nominant: item corpus Christi non esse localiter, sed tamen in pane dari & manducari, idipsum scilicet cum carne & ossibus. Et quum eò descendunt, vt ad imperitam plebem dicant, quemadmodum in cunis iacuit cum fascijs Christum sumi, id est, manducari, quis aut plebeiorum aut eruditorum loquendi farraginem & licentiam, & impudentiam intelligat? Vnde hæc noua Theologia, nouæ Scholæ, noua Stoicorum παράδοξα δόγματα?

Pincieri & Weissenburgij libelli de Cœna.

Eodem tempore Ioannis Pincieri Veterani in Hassia liber eruditus de Cœna Domini Basileæ editus fuit: & Wolfgangi *Weissenburgij, Ecclesiæ Basiliensis Ministri, Germanicus liber, eiusdem argumenti: In qua præcipuas veterum Patrum sententias hoc consilio collegit, & interpretatus est, vt hominum simplicium animos ad pacem flecteret, si intelligerent, quid Doctores in Primæua Ecclesia, de Cœna Domini senserint: & quomodo verba Cœnæ ab ijsdem sint exposita.*

Klebitij victoria veritatis.

Guilielmus quoque Klebitius librum euulgauit Friburgi cui titulum fecit: Victoria veritatis, & ruina Papatus Saxonici: *In quo scribit, se primò respondere ad argumenta Heßhusij pro defensione iniustæ causæ Christiana & vera: deinde, Illustrißimi Electoris Principis Palatini: tertiò, Philippi Melanchthonis: quartò, Senatus Ecclesiastici Heydelbergæ.*

De Conuentu Protestantium Principum Numburgi in Turingia, eiusque Actis.

Qui Numburgico conuentui interfuerint.

Mense Ianuario Euangelici nominis Principum Conuentus fuit Naumburgi *in Turingia. Conuenêre Fridericus Palatinus & Augustus Saxoniæ Dux, Electores, Philippus Landgrauius: Ioannes Fridericus 2. Dux Saxoniæ: Carolus Marchio Badensis: Ioannes Casimirus Electoris Palatini filius: Ernestus & Philippus Duces Brunsuicenses: Witebergensis Ducis filius*

1561.

filius: Dux Mechelburgicus: Georgius Comes Hennebergensis: Legati Electoris Brandenburgici, qui propter quartanam febrim adesse non potuit: Adolfi Holstenij & Principis Anhaltini.

Numburgici Conventus causa.

Causa huius Conuentus hæc fuit: quòd in vltimis Imperij Comitijs, alijsque conuentibus accusati sunt Protestantes, quòd in Augustana Confessione non consentiant: sed varijs opinionibus distracti, ab ea desciuerint. Multa quoque à multis scripta edita & divulgata erant, quibus passim affirmabatur, prætextu illius Confessionis, multas hæreses in Ecclesiam irrepere. Quidam hanc Confessionem Pandoræ pixidi comparabant, quidam pomum Eridos vocabant, quidam cothurnum & pallium, sub quo Deus & Satan latere posset. Conuenerunt itaque Principes, vt inter se colloquerentur & conferrent, quam quisque de Religione sententiam tueri & retinere constituisset.

Iussi sunt primò Theologi apertè sententiam suam de Cœna Domini exponere, quod etiam simpliciter sine omnibus condemnationibus aliorum secus sentientium fecerunt, eamque Ecclesiæ iudicio subiecerunt. Decretum inde est: Primò, *dent operam Principes, ne polemica & maledica scripta in hac causa deinceps in vulgus spargantur, quemadmodum hucusque factum esset.* Deinde *sancitum, in quæstione de hypostatica vnione: non discedendum à doctrina Patrum, nec ab Ecclesia Romana quæ etiam non ex hypostatica vnione transsubstantiationem confirmat.*

Tertiò, *diu multumque deliberatum fuit, vtrum subscribendum sit Augustanæ Confessioni primæ Cæsari in Comitiis exhibitæ, &* Witebergæ *eodem anno inscijs Principibus excusæ (quæ tamen in nullis receptis Actis publicis IMMVTATA nominantur) an secundæ, quæ cum consensu Principum sequenti anno 1531. emendata, & locupletata* Witebergæ *in lucem demum prodiit. Qua de re diversæ in senatu Principum sententiæ fuerunt. Tandē placuit conferre Exemplaria; quod hoc modo factum est. Electoralis Palatinatûs Cancellarius ex emendato & anno 1531. excuso; Electoralis autem Saxoniæ Consiliarius, ex locupletato anno Domini 1542. Exemplari confessionis singulos articulos per vices alta voce legerunt. Simul autem Fridericus Elector Palatinus in anno 1540. Protestantium Principum, ac Ordinum communi consensu emendato & confirmato. Christophorus autem Dux* Wirtebergensis *in anna 1530. manu propriâ Brentij, durantibus Augustanis comitiis, scripto; Winmariensium denique Principum Cancellarius in Vetusto Originali, & anno 1530. Carolo Imperatori exhibito exemplari, auscultarunt, & re ipsa magnam exemplarium omnium discrepantiam, & diversitatem campererunt. Post longam verò & accuratam deliberationem, maioribus votis decretum est, vt anno Domini 1531. emendato & excuso Exemplari subscriberent omnes: quod etiam singuli fecerunt, præter Ioh. Fridericum Saxonem, qui subscribere prius noluit, quàm Sacramentarii palàm & solenniter in hoc conventu essent damnati. Cùm verò nonnulli Principum hanc ejus sententiam non probarent, & palàm ei magnis de causis resisterent, ille ante solutum Conventum inde discessit.*

Principes in Numburgensi conuentu Augustanam Confessionem locupletatam & emendatam non reiecerunt.

His verò nonis subscriptionibus Augustanæ Confessionis anno XXX. *exhibitæ, & anno* XXXI. *excusæ Ordines & Principes cum suis Theologis, Confessionem, in posteriori editione mutatam & locupletatam, in hoc Conventu Naumburgensi non reiecerunt, sed omnes eam comprobarunt, & confirmarunt vnanimi consensu, tanquam fidei suæ symbolum. A quo etiam tempore editio hæc mutata, locupletata & confirmata, non minus quàm antehac passim obtinuit, ita vt in Corpore doctrinæ Philippi præcipuè poneretur, & vnà cum corpore illo tacito omnium consensu reciperetur: in omnibus quoque Synodis & colloquiis aduersus Pontificios constanter defenderetur.*

Ab his verò authoribus Augustanam Confessionem hanc mutatam & locupletatam, sic esse constitutam, confirmatam & approbatam, ex Præfatione intelligitur, quam Confessioni, anno XXX. *Carolo Imperatori exhibitæ, & anno* XXXI. *excusæ, ad Ferdinandum Imperatorem Electores & Ordines Imperij præfixerunt, in qua testantur, primam hanc, anno* XL. *&* XLII. *repetitam, & ex Verbo Dei declaratam locupletatam, ac VVitembergæ excusam, adeoque veritatem collationibus magis patefactam in emendatis editionibus propositam dilucidius esse.*

Sic enim scribunt: Wiewol Anno 1540. und *Anno* 1542. die Augspurgische Confession etwas stattlicher und außführlicher widerholet/ auß grundheiliger Schrifft erkläret / und vermehret / auch zu Wittenberg in truck gegeben worden. Dieselbige auch auf dem angestellten Colloquio zu Wurms von den Ständen solcher Confession verwandten den Verordneten Keyserlichen præsidenten, und Collocutoren widerumb übergeben/ angenommen/ und darüber colloquirt wor-

1561. den. So haben wir doch dißmahls / die obberührte publicirte Augspurgische Confession ietzund fürnehmlich an die hand nehmen wollen.

Dann Ew: Keys: Maiest. auch ieder männiglich im werck daraus zu spüren / und zu befinden / das unser gemüth / und meinung nicht sey / einige / oder newe ungegründte Lehr zu verthädigen. *quibus hæc verba subjiciunt:* Es ist unser gemüt und meinung gar nicht / das wir durch diße widerholunge und Subscription obgemeltter ersten abgetrukten Confession, von obberührter ander / anno 40. übergäbenen und erklerten Confession, mit dem wenigisten wolten abweichen / oder uns davon führen laßen: dan weil die selbige auff mehrmals gehabter underrede / und mit dem gegen theil gehaltener Disputation, in etlichen artickeln derhalben desto außführlicher gestellet / damitt die Göttliche warheitt umm so vil desto mehr an tag kommen / und der glaub und vertrawen auff die gnugthünge und verdienst unßers einigen mittlers und erlösers Iesu Christi, mit hindansetzung aller menschlichen Tradition und satzungen / rein / lauter und unverfelscht bleiben / und auff die nachkommen gebracht werden möchte. So können wir von derselben eben so wenig / als von der erst unser vorfahren / und zum theil unßer ubergegebenen Confession, abweichen / da zu wir dann destomehr bewogen / weil solche erklerte Confession Anno 40. und 42. in druk geben / ietz und den mehre ten theil bei unsern Kyrchen und Schülen in gebrauch ꝛc. *Hoc est:* Non est hic animus aut intentio nostra, quòd per repetitam subscriptionem primæ Confessionis Augustanæ ab ea quæ anno 40. recognita, & deinceps sæpe exhibita est Confessione, ulla in parte vel minima discedere, aut abduci nos per alios velimus. Nam quia recognita Confessio in plurimis Colloquijs & disputationibus, quæ cum aduersarijs institutæ fuerunt, oblata fuit, & in quibusdam articulis ob eam causam copiosiùs explicata est, vt veritas diuina in lucem magis proferretur, in primisque fides atque fiducia vnius meriti & satisfactionis Domini nostri Iesu Christi, Mediatoris & Redemptoris nostri vnici, explosis omnibus traditionibus humanis, pura & incorrupta ad posteritatem transmitteretur: tam non possumus à recognita ista, quàm à prima illa (partim à Maioribus nostris, partim à nobis ipsis quoq; exhibita Confessione) recedere, præsertim cùm hanc recognitam Confessionem, sicut anno 40. & 42. typis edita est, hoc ipso tempore, constet, in Ecclesijs & Scholis nostrarum Ditionum potissimùm in vsu esse, & in manibus omnium versari.

De Apologia quoque ibidem ita scribunt: Similiter & Apologiam (quæ partim per Maiores nostros, partim per nos in Comitijs illis Augustanis oblata, nec tamen ab aduersarijs acceptata, Witebergæ verò postea typis impressa fuit, & in Colloquio VVormatiensi anno 40. vnà cum recognita Confessione Augustana exhibita) disertè etiamnum approbamus, & pro repetita haberi volumus.

Sed neque illa nostra mens, aut animus nobis est, vt cætera nostrorum pia scripta, & Confessiones subinde repetitas (quæ Cæsareæ Maiestati in Comitijs & Colloquijs per status Religioni nostræ addictos, ad copiosiorem declarationem atque illustrationem firmæ atque immotæ veritatis: & ad refutationem iampridem in Ecclesias inuectorum errorum & abusuum, oblatæ atque exhibitæ, quædam etiam ex ijs publicatæ sunt) pro reiectis & repudiatis haberi velimus. Imò potiùs illa omnia, quatenus cum sententia Scripturæ sacræ, & iam renouata nostra Apologia congruunt, pro etiamnum à nobis approbatis & receptis haberi volumus. Quòd si aduersarij: vel articulos quosdam, vel verba aliqua in Augustana Confessione & Apologia (quæ inter Emendationis doctrinæ, necessarijs atque ineuitabilibus de causis susceptæ, prima initia, & quidem secundùm phrases Teutonicæ linguæ vulgò tum vsitatas, MOLLISSIME scripta fuit, præsertim vbi de Sacramentis, & Missa, & de Romana Ecclesia agitur) pro se, & in nostrum præiudicium eò derorquere velint, quasi cum ipsis in erroribus & ceremonijs Idololatricis, (quarum multæ postea apud nos pijs de causis mutatæ sunt) & in approbatione Ecclesiæ Pontificiæ: inprimisque in abominabili portento Transsubstantiationis: & Missæ Papisticæ, & cæteris, quæ cum hac cohærent, consentiamus. Nos quidem expressè atque disertè testamur, quòd nequaquam in eo consentire aut suffragari illis possimus, sed quòd in his atque alijs necessarijs ijsdemq; ad salutem animarum pertinentibus capitibus, id tantùm quod Verbo diuino (cui ne portæ inferorum præualere possunt.)

&

& veræ ſententiæ Auguſtanæ Confeſſionis, præſertim in doctrina de merito & fide in Chriſtum, & de Sacramentorum iuxta inſtitutionem Chriſti adminiſtratione conſentaneum eſt: firmiter ſequi, in eoque Deo adiutore conſtanter perſeuerare decreuerimus, neque inde recedere, aut perſuaderi nobis aliquid quidpiam velimus.

Neque verò hæc noſtra mens atque Intentio eſt, quòd in Ditionum noſtrarum Eccleſijs & Scholis aliud doctrinæ genus, quàm quod in ſacra Scriptura fundatum, & Auguſtanæ Confeſſioni & Apologiæ, iuxta verum eius intellectum, conſentaneum ſit tolerare aut defendere velimus: ſed vnicam illam veritatem agnitam profiteri, neque contrarium aut repugnans aliquid admittere vnquam conſtituimus.

Ac ne quis ſuſpicetur de nobis, nos iam commemoratâ Tranſſubſtantiationis reiectione, veram corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna præſentiam negare: Teſtamur, nos hanc & non aliam ſententiam amplecti: Quòd in Cœna Domini diſtribuatur & accipiatur verum corpus & verus ſanguis Chriſti, iuxta hæc verba in Euangelio expreſſa: *Accipite, Comedite, Hoc eſt corpus meum, &c.* Et quòd Chriſtus in inſtituto Cœnæ ſuæ vſu, verè, viuificè & ſubſtantialiter præſens ſit, & cum pane ac vino ſic ab ipſo ordinatis, Corpus ſuum & ſanguinem nobis Chriſtianis manducandum & bibendum præbeat. Et ſicuti nihil rationem habet Sacramenti extra vſum & ſumptionem à Chriſto inſtitutam: Sic malè docere nos iudicamus, qui negant Chriſtum in ſumtione Cœnæ ſubſtantialiter præſentem eſſe, quique hoc Sacramentum putant tantùm externum ſignum eſſe, & notam ac teſſeram externæ profeſſionis.

Simul etiam nos offerimus ad vberiorem declarationem ex fundamentis verbi diuini faciendam, ſi quis in vno aut pluribus articulis Confeſſionem noſtram oppugnet, aut alioqui legitima ratione, & ſine præiudicio, veritatis declarationem copioſiorem deſideret.

Repetita & emendata Confeſſio Auguſtana pro Caluiniſtis facta.

Hæ autem editiones Auguſtanæ Confeſſionis mutatæ & locupletatæ atque in hoc Principum Conuentu celeberrimo confirmatæ ita comparatæ ſunt, vt Caluiniſtarum, quos ita falsò vocant, ſententiam & doctrinam apertiſſimè confirment: Nihil enim in ijs deeſt, niſi quòd non expreſſè dicatur: Corpus Chriſti ore corporis non editur: *Alias præmiſſas omnes, quibus ad hanc concluſionem nobis opus eſt, diſertiſſimè habent, nobiſque tantùm addendum relinquũt concluſionẽ neceſſariò ex illis ſequentẽ.*

Expendamus ſaltem poſtrema verba Principum Præfationis paulò antè citata. Aiunt enim Chriſtum præſentem eſſe IN VSV COENÆ A SE INSTITVTO. *Ergo ſenſerunt & docuerunt, præſentiam Chriſti in Cœna pendere* ab vſu *ſeu* à perceptione, *&* in vſu, *ſeu* in ipſa perceptione *poſitam eſſe: ac proinde Chriſtum eatenus eſſe præſentem, quatenus eo vtimur, hoc eſt, illum percipimus: percipimus autem non ore corporis, ſed fide: hic eſt enim vſus Cœnæ inſtitutus à Chriſto, vt ſcilicet cùm accedimus ad menſam, non ſolùm panem manu accipiamus: ſed ſimul etiam fide verâ credamus corpus Chriſti traditum eſſe pro nobis, & ſanguinem fuſum in remiſſionem peccatorum: & illud corpus, illumq́ue ſanguinem nobis fruendum offerri & exhiberi: iuxta verba,* Accipite, comedite: *& hoc credentes, ipſum corpus & ipſum ſanguinem Chriſti fide percipiamus & nobis incorporemus, noſq́ue viciſſim illi: nam qui accedunt ſine vera fide ad Cœnam, non ea iuxta inſtitutionem Chriſti vtuntur, ſed abutuntur. Si autem eſt præſens in vſu Cœnæ ſuæ à ſe inſtituto, & non in abuſu: non eſt igitur ijs verè præſens, qui etſi ad menſam accedunt, & panem accipiunt, fide tamen vera præditi non ſunt, ideoq́ue corpus Chriſti non recipiunt. Idcirco prudenter in articulis Concordiæ dicitur:* Patres illos non ſentire quòd extra vſum adſit corpus Chriſti. *Qui ergo Cœna abutuntur, non habent propriè corpus Chriſti præſens. Ac certè videntur Illuſtriſſimi Principes illâ ſuâ explicatione ita ſentire: eatenus nobis præſens eſſe corpus Chriſti in Cœna, quatenus nos Chriſti Cœnâ vtimur, non abutimur: hoc eſt, quatenus non tantùm panem accipimus, ſed etiam iuxta inſtitutionem Chriſti, corpus ipſum Chriſti, & ſanguinem, pro nobis mortuum & effuſum, fide apprehendimus & nobis applicamus.*

Dicunt ibidem, Quòd Chriſtus cum pane & vino iuxta inſtitutionem ſuam NOBIS CHRISTIANIS ſuum corpus & ſanguinem exhibeat. *Non aiunt* OMNIBVS, *indignis pariter & dignis, aut etiam planè impijs: ſed,* Nobis Chriſtianis corpus Chriſti exhiberi. *Quatenus ergo Chriſtiani ſumus, verè exhibetur, & nos verè percipimus ac manducamus: ſi non veri, non verè (hoc eſt, efficaciter) aut ille exhibet, aut nos recipimus.*

Flaccius Electori Palatino excluſionem à Pace Imperij parare ſtuduit.

Sed Flaccius cum ſuis aliquot huic Illuſtriſſimorum Principum Deciſioni reſiſtere, ſuaſq́ue cõdemnationes promouere: & Friderico Electori Palatino, Excluſionem à Pace Imperij, niſi ſuis loquendi formis de Cœna ſubſcriberet, parare ſtuduit. Verùm Principes vaniſſimi hominis poſtulatũ repudiarunt, oſtendentes, iam ante ab Electoribus & Principibus conſtitutum eſſe,

ne vlla condemnationes concedantur.

1561.
Ioan. Sturmius scribit Friderico Electori Palatino de Synodo Flacianorum.

Durante hoc Principum Conuentu ad Fridericum Electorem Palatinum ita Ioan. Sturmius Academia Argentinensis Rector scribit: Quòd, *inquit*, ad I. C. V. scribo, hæc causa est ista. Magna in spe sunt isti post hunc Cōuentum Principum, Theologorum fore Synodum: & eò spectare aliqui videntur & id agere, vt illius Synodi authoritate Helueticæ & Gallicæ Ecclesiæ condemnentur, ob hoc caput de Cœna Domini. Quòd si id fiet indictâ causâ, re inter vtramque partem non disceptatâ, neque cognitis rationibus vtriusque partis, ab arbitris viris prudentibus, doctis, non socijs horum dissidiorum, quot & quanta inde incommoda? Licebit idem facere Papistis & à Concilio generali nos excludere, nostram omnem doctrinam & religionem condemnare. Offendentur maximæ & potentissimæ nationes Italicæ, Hispanicæ, Gallicæ, Anglicæ, Helueticæ, apud quos populos propè omnes docti nolunt ad nouas has verborum formulas astringi: Patrum tamen verba libenter admitterent, si ipsi, vt Patres, verecundè & sentirent & loquerentur. Ægerrimè ferret Nauarræ Rex sese & suos à Saxonicis Ecclesijs excommunicari: dolebit etiam Angliæ Regina, quæ has carnales verborum formulas recipere non potest. Prætereunt Martini Lutheri puram de hoc Sacramento doctrinam, & illius hyperbolas arripiunt & obtrudunt populo. Philippum Melancthonem pars delirasse dicit in senectute, pars inconstantem in dogmatibus, pars id non sensisse quod Vestræ Celsitudini scripsit. Quasi verò illud scriptum deliri senis sit, aut quasi sententiam suam non communicarit, primùm per annos iam viginti inde à Wormatiensi priore Colloquio: post Haganoica Comitia cum Ioanne Caluino: deinde cum Petro Martyre: cum amicis etiam alijs multis, cumque illis perpetuam amicitiam coluerit: aut quasi nesciamus quid senserit de Westphali scriptis: aut ego ignorem, quid mecum locutus sit, & quid ad me scripserit. Quos viros ille vir amauit, ad quos amanter scripsit, cum quibus amicitiam coluit, eos isti maledictis lacessere, & de Ecclesia deturbare audent. *Scripta est 19. Ianuarij.*

Ioannes Sturmius quædam Eucharistica scripta Buceri in lucem edit, &c.

Eodem tempore idem Sturmius quædam Eucharistica scripta Martini Buceri diuulgauit, cum Præfatione ad generosum virū Antonium Coccum Equitem Anglum, in qua de Lutheranis illis, & iustè quidem, queritur, qui suâ importunitate & iniustitiâ, cum magna Ecclesiarum calamitate cursum Euangelij valde impediant. Ac primùm in eis reprehendit, quòd non cogitent, quantum mali insit in dissidio: & quantum in Concordia insit boni. *Deinde*, quòd neque Marpurgensis collocutionis, neque Witebergensis pacificationis recordentur, quæ ambæ magnis de causis susceptæ sint: *Tum etiam*, quòd plura ab illis postulent, contra quos pugnent, quàm vel in Augustana Confessione Principes confessi sint, vel posita sint in Pacificationis à Luthero & Bucero capitibus. *Præterea*, quòd seditiosorum hominum crudelia instituta sequi malint, quàm Philippi Melancthonis & Buceri imitari prudentiam: quorum vterque hos, quos isti condemnent, in summorum amicorum habuerint numero. *Adhæc*, quòd antequam eorum, quorum volunt esse inimici, existimationem, fortunas ac vitam oppugnent, non priuatim moneant, non per literas communicent: quodque nullam rationem habeant cæterarum virtutum, quæ in illis elucent, quibus ipsi aduersentur. Quòd sæpe etiam falsa crimina afferant, vt magis fraude & calumniâ, quàm candore ac veritate niti videantur. Quòd nullam rationem eorum gerant, qui suo sanguine suam doctrinam comprobarint, quorum ignes & incendia in Italia & Gallia, apud Belgas & Anglos, in conspectu Dei adhuc lucidissimas flāmas emittant. Quòd non animaduertant, quum hos Scriptores hæreticos & atheos nominent, multas se alias condemnare Ecclesias, quæ quàm plurimos Martyres dederint. Quòd sine metu cruciatus frigore in hypocaustis caliduli: æstu in vmbra frigiduli, quos velint, & quæ velint probent: rursum, quæ velint, & quos velint improbent, vexent, condemnent, proscribant, palo propè & cruci affigant, in ipsas propè vitrinas & rogos impellant. *Postremò dicit*, si Magistratus illis hominibus per triduum gladium suum concederet, crudelissima statim sequutura condemnationum tonitrua, fulgura, fulmina, quæ ne in nepotum quidem acquiescerent supplicijs, *&c. Promittit etiam librum argumentosum de causa Eucharistia.*

In præfatione ijs præfixa de Lutheranis grauiter queritur.

Kemnitij repetitio doctrinæ de præsentia corporis Christi in Cœna.

Lipsiæ quoque editus est libellus Martini Kemnitij *Ministri Ecclesiæ Brunsuicensis, quem inscripsit Repetitionem sanæ doctrinæ de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna.*

1561?

Renouatio & Progressus Controuersiæ de Vbiquitate seu modo repletiuo corporis Christi, paulò ante & post mortem Philippi Melanchthonis.

Doctrina de Vbiquitate seu modo repletiuo corporis Christi à Luthero primùm in reformatas Ecclesias introducta, ipso adhuc viuente rursus sopita fuit, vt suprà indicauimus: sed iterum à Lutheri discipulis erui ac propagari, certaminique Eucharistico imprudenter misceri cœpit paulo ante mortem Melanchthonis, ad stabiliendam & propagandam opinionem de reali corporis Christi existentia ad locum panis. Atque exstat etiamnum Fattago Ioan. Timanni Amsterodami, Bremensis Ecclesiæ Ministri, anno 56. edita, qua multoties hanc infaustam propositionem repetit: Caro Christi vbique est. Mortuo etiam Amsterodamo, Iacobus Præpositus in eadem Ecclesia, multoties pro concione publicè dixit, Corpus Christi vbique est, illudque verè in Eucharistia, omnibus illis in locis, vbi ea hîc in terris iuxta institutionem celebratur, distribuit Christus. His quum Albertus Hardenbergius, cathedralis Ecclesiæ Bremæ Pastor, contradiceret & prodigioso huic dogmati pro viribus resisteret, aduersarij eius non quieuerunt priùs dolis & fraudibus agere, quàm Bremâ expelleretur, vt paulò infrà à nobis indicabitur. Conquestus est grauiter de Bremensium illius temporis Theologorum audacia Melanchthon in literis ad Hardenbergium: Disputant inquit, Nestorianos esse, qui non fatentur τὸ σῶμα πανταχοῦ εἶναι. Hoc ne Papistæ quidem vnquam dixerunt. Vtinam docti aliqui colloqui possent: Sed omnem colloquendi facultatem sustulerunt illi, qui libertatis vindices se esse gloriantur.

Fouit hoc portentosum dogma Vbiquitatis eodem tempore etiam Ioannes Brentius, illudque, sed clàm, inter amicos plantauit & propagauit initio. Post mortem autem Philippi Melanchthonis, quum nemo ampliùs esset, qui & authoritate & eruditione illi resistere posset, cum hac sua Vbiquistica doctrina in vulgus prorupit. Ei deinde succenturiati accesserunt Iacobus Schmidelinus, Nicolaus Seineccerus, & Martinus Kemnitius. Ac licèt hi non solùm à Luthero, sed etiam inter se ipsos multùm dissentirent, cùm in exponendis verbis Christi, Hoc est corpus meum, tum in adoranda & commendanda Vbiquistica sua Venere, tamen hanc doctrinam longè latèque propagârunt in Germania; ac demum exteras Ecclesias, eam non approbantes & recipientes, tanquam hæreticas condemnârunt. Non ingratum autem Lectori fore arbitror, si, vt quisque eorum in peruertendis & detorquendis verbis Christi ad exornandam & obtrudendam Vbiquitatem operam suam nauârit, studiumque indefessum collocârit, paulò fusiùs exponam.

Vbiqvistæ, ex spuria ac degenere Lutheri posteritate, etsi Lutheri nomen in controuersia Sacramentaria subinde in ore habeant, & tanquam Gorgonis caput adversarijs objiciant, tamen vt dogma suum de carnali corporis Christi in Cœna præsentia obtinere possint, non Lutheri tantùm, sed reliquorum omnium, præsentiam carnalem in pane statuentium fundamenta conuellunt, & hactenus Ecclesiæ inauditâ blasphemia inuadunt in personam Filij Dei, euertuntque totius περὶ ἐνσαρκώσεως τοῦ λόγου articulum Fidei: vtramque doctrinam de persona Filij Dei & Hominis, & de sacra Cœna conuertunt verbis in hyperphysicum somnium, imò reipsa in magicas præstigias. Non vrgent illi Pontificiam hypothesin, verba oportere intelligi sicut sonant: Hanc enim & illi suffragantem Transsubstantiationi execrantur: sed Corporis vocabulum vrgent, idque in simplici & proprio significatu accipi oportere contendunt. A Synusiastis igitur seu Consubstantiatoribus & Luthero hoc mutuantur, cùm à Christo dicatur, Accipite, Comedite; Hoc est corpus meum, oportere statui & credi præsentiam corporis in pane, & sipræsentiam, etiam manducationem cum pane, quæ ore fit. Vt verba autem figmento huic congruant, interpretantur ea cum ijsdem authoribus per Synecdochen, adscitis particulis In, Cum & Sub: sed ad sensum suum Synecdochen longè, quàm illi, aliter trahunt atque accommodant. Præsentiæ modum (in quo, qualiscunque fingatur, omnes omni specie veri ex Scripturæ & naturæ præsidijs destituuntur) non ex verbis (vnde non possunt) non ex Transsubstantiatione, quam rectè condemnant, non ex Consubstantiatione, quam ab antè fabulosa Pontificia longè diuersam fabulantur, sed nouo magisque monstroso figmento & blasphema detexunt, ex Oeconomia seu dispensatione Vnionis hypostaticæ duarum naturarum in Christo, euersâ totâ doctrinâ veteri purâ, per reuocatas, interque sese confusas in Chaos vnum monstrosum hæreses antiquas omnes de Filio.

Ioannes Brentius & Jacobus Schmidelinus, verba hæc, Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum, statuunt esse verba dispensationis, significantia distributionem corporis & sanguinis iam antè præsentis ex alia causa, quâ fiat in sumtione perceptio illius & applicatio, eodem quidem per os manſu & haustu, actu tamen effectuque dissimili, alia in pijs, & alio in impijs: coniunctim verò simul &

Vbiquistæ veram doctrinam de persona Christi corrumpunt. Vbiquistæ non vrgent verba Christi vt sonant sed vocabulum corporis. Vbiquistæ Synecdochen in verbis Cœnæ admittunt, sed cum alio sensu accipiunt, quàm Synusiastæ. Vbiquistæ præsentiæ corporis Christi modum ex oeconomia vnionis hypostaticæ duarum naturarum detexunt.

1561. *& semel offerri atque exhiberi cum pane corpus, cum vino sanguinem, nempe & id quod datur, & alterum Cum, In, vel quo Sub datur: Vtq́; ostendatur coniunctio horum inter se vera ac realis, Synecdochicè per particulas easdem, verba,* Hoc est corpus meum, *declarari.*

Vbiquistarum interpretatio verborum Cœnæ.

Dißimilitudinis autem verborum in Institutione, quâ quæ porriguntur, panis nominantur initio, qui frangitur, & calix, cui benedicitur: deinceps autem corpus & sanguis vocantur, denominatione sumptâ à parte potiore, cuius causâ institutio facta est: causam esse vt excludat omne somnium de mutatione panis, & mentes auersas ab eo, quod oculi aspiciunt conuertat ac dirigat ad corpus ipsum, ne quis imaginetur panem & vinum nuda & inania symbola esse. Idcirco eundem horum verborum, Accipite, Comedite, Hoc est corpus meum, *sensum esse & rationem eandem, quæ istorum, Si quis in canthauro porrigens vinum dicat, Accipite, hoc est vinum quod miscui vobis: vtrumq; quidem demonstrans cantharum & vinum, sed illud solùm nominans quod datur: id est, vinum, non hoc quo datur, id est, cantharum. Sic Christum dicẽtem,* Hoc est corpus meum, *vtrumq; coniunctim demonstrasse, vt verè & realiter præsens vtrumq; sed illud solùm nomine expreßisse, quod principale est ac præcipuum. Nec corpus simpliciter prædicari de particula & subiecta, HOC, sed subiectum dici & intelligi esse prædicatũ ipsum. Nec verba,* Hoc est corpus meum, *hoc sensu à Christo dicta esse, Hic panis, quem fregi & dedi vobis, est corpus meum. Admissa enim hoc sensu, Transsubstantiationem Pontificiam non posse refutari aut caueri. Nec idem significare aut valere has propositiones,* Hoc est corpus meum: *Et,* Hic est corpus meum. *Deniq; si per Pronomen, HOC, fractus in Cœna panis corpus Christi esse asseueretur, perinde hoc futurum, ac si quis loculos pecuniâ vacuos alicui offerens, dicat, Accipe pecuniam. At Christum in re omnium maxima neutiquam sic ludere voluisse, eoq; per Pronomen HOC, non principaliter panem, sed corpus sub pane realiter præsens & vnà cum pane exhibitum demonstrari. Hæc ergo de illorum verborum interpretatione sententia est, plena profana & nefaria petulantia.*

Vbiquisfica interpretatio verborum Cœnæ multis modis erronea.

Primùm enim præsentiam in pane carnalem pro confessa assumit, contra ordinem præsentiæ diuinæ in ministerio, contra expressa Christi & Pauli verba. Pari ratione pro concesso assumit modum præsentiæ illum ipsum per Consubstantiationem, quam, vt verbis repugnantem, nisi impanatio statuatur corporis, aut sine hac etiam, propter assutas particulas minimè ferendam, Pontificij ipsi eandemnarunt. Ad hanc verò indifferenter sineq; vllo discrimine trahit verba eodem sensu, vt sonant, Hoc est corpus meum, *& particulis determinata In, Cum & Sub hoc pane est corpus meum, quasi ad modum & proprietatem prædicationis, & rerum veritatem explicandam nihil intersit inter propositiones, in quarum vna prædicatum de subiecta ita dicitur per copulam, vt in propria significatione illi affirmatiuè tribuatur. In altera verò subiectum & prædicatum in ratione prædicandi coniunguntur, seu copula de duabus rebus, vt simul coniunctis, neutra verò de altera affirmatur, quod nemo, nisi amens sit, dixerit.*

Vbiquistarum similitudines quibus ostendere volunt diuersum se sentire à Papistis & Luthero. Inclusio Corporis Christi in panem Vbiquistis est Consubstantiatio & Vnio Sacramentalis.

Vt se autem à Pontificiis sentire diuersum ostendant, ab Aliaco nimirum, Gersone & aliis, à Luthero etiam ipso, nec putentur idem Consubstantiationis genus vsurpare, modũ suæ Consubstantiationis pingunt oculis, similitudinibus à canthauro & vino, à loculis & pecunia sumptis. Addidissent etiam imaginem straminis infarcti in saccum, nisi veriti fuissent hæc, mendacij belle compti, vanitatem prodi, quòd ea Lutherus inclusionem in panem redarguit, negans se talem imaginari. Ipsi verò, & Schmidlinus inprimis, audacter contra Lutherum asseuerant. Hæc scilicet inclusio tam olim explosa, ipsis est Cõsubstantiatio, & Sacramentalis illa vnio realis & vera, quacum pane corpus inclusum porrigitur. Hanc vult Schmidlinus singulari & nouo commento per Pronomen HOC, ita designari complexu vno continentis & contenti, vt cùm vinum in canthauro porrigens, vtrumq; quidem demonstrat ac tradit, vinum & cantharum, vinum tamen vt principale tantùm nominat: Sic per Pronomen HOC, vtrumque panem & corpus demonstrari coniunctim exhiberiq; affirmat, vt continens ac contentum, sed corpus pani inclusum solùm nominari. Vtq; fidem commento faciat, cum Methusiastis conuellit contextum: negat particulam HOC, relatiuam esse ad panem fractum. Negat enim propositionem, Hoc est corpus meum, *hoc sensu dictam esse, Hic panis, quem fregi, & dedi, est corpus meum, ne in μετουσίαν cum Pontificijs incurrat: Et affirmat contrà audacissimè & impudentissimè in priore, particulam HOC, demonstratiuam esse & δεικτικὸν vtrinq; etsi vnum nominetur: In altera panem nudum & inanem, seu continens contenti vacuum demonstrari, vt si de loculis vacuis dicat quis,* Hoc, *id est, saccus hic est pecunia. Imò particulam HOC, ne in priore quidem Propositione panem principaliter, sed corpus in pane realiter præsens, & vnà cum ea datum notare.*

Vbiquista cum Metusiastis conuellunt textum verborum Cœnæ.

Atque hoc vsitatum vulgò genus loquendi de continente & contento, tanquam vno, deque principali, quod significatur, vtrobique in subiecta & prædicata, quod vt ταυτολογίαν Scholastici repudiant, eò faciliùs ab Apostolis fuisse intellectum, quòd iam antè didicissent à Christo quomodo caro ipsius verè sit cibus, & sanguis verè sit potus. Hæc enim Schmidlini verba sunt. Nec satis erat illi discerpsisse textũ, & deprauasse de-

1561.

detorsione ad commentum mendax carnalis & localis præsentia in pane, violentâ prorsusque alienâ, nisi etiam aperto mendacio alio id cumularet, Apostolos Capernaiticam manducationem, qua ore fit mansu potuque, & effectu carnali, quanquam à Christo damnatam, ab illo tamen accepisse.

Cardo dispensationum Vbiquistis.

In his quanquam multò plùs est profana petulantia, & malitiosæ impietatis, quàm in Pontificiorum dogmate, quod cuivis sano iudicare promptum & facile est, tamen ultimo fine ne hic quidem quicquam aliud spectatur, aut quæritur, quàm ut modus præsentiæ corporis in pane κατὰ συνουσίαν, *quàm à Pontificiis, aliter definiatur. Quod verò caput est, nimirum, Vtrum veri corporis præsentia in pane vel homine, per oralem manducationem, novo, singulari, à reliquis ministerii partibus diverso ac miraculoso modo, claro verbo, & testimoniis Scripturæ liquidis doceatur? Et si doceatur, Quomodo ad panem adducendum, adductumque corpus sit introducendum? non explicatur. Horum illud nusquam uno verbulo attingitur, neque à Pontificiis, neque ab Vbiquistis: quia nullum in hunc usum iota ex Scriptura suppetit, quum tamen cardo totius controversiæ in hoc uno præcipuè versetur. In altero verò, quomodo pani corpus copulent, occupantur utrique, sed dissimillimè.*

Brentius & Schmidlinus copulant pani corpus Christi per Vbiquitatem. Vbiquistis Christus à conceptionis momento etiam in utero matris ubique fuit. Vbiquistæ quid per dispensationem intelligant. Vbiquistæ sunt Eutychiani & Schuenckfeldiani. Dispensatio Vbiquistarū prima, quâ corpus Christi est in omni ligno, &c.

Ex iis, qui à novo commento πανταχουσιάσται *& Vbiquitarii appellantur, aliqui, videlicet* Brentius, Schmidlinus *& alii, ne Pontificiis largiantur, Sacerdotis & verborum vi atque efficaciâ corpus aut cœlo deduci in panem, aut in pane creari novum; finxerunt primi omnium, Christum inde ab exortu usque humana natura in utero virginis Mariæ, tam corpore, quàm Deitate extitisse ubique, ex œconomia seu dispensatione Vnionis hypostaticæ, eoque, sicut in aliis rebus creatis, sic & in pane, corpore præsentem esse, non ante consecrationem tantùm, sed etiam ante formationem panis, & coctionem in farina ipsa. Differre autem præsentiam in pane ab alia quavis in omnibus aliis, quòd in pane solo sit dispensatione. Aut ergo per dispensationem intelligunt rationem Vnionis hypostaticæ panis cum Deitate & carne Christi: Aut constituunt dispensationem duplicem. Vnam, quâ corpus Christi est in omni ligno, lapide, angulo: alteram, quæ est in pane sacræ Cœnæ. Illam mutuantur ab Eutyche & Schuenkfeldio, deliro blasphemoque somnio fabulantes, tum mox ab initio ratione Vnionis hypostaticæ, per communicationem Idiomatum omnium essentialium realem Divinæ Naturæ cum humana, seu effusionem ex illa in hanc Idiomatum, humanam naturam reipsa effectam esse infinitam, immensam, omnipotentem, ubique præsentem & omnisciam: tum exaltatione deinceps ac sessione ad dexteram Patris divina per omnia esse exæquatam actu atque affectu, quod erat antea solâ potentiâ. Inde cùm consequatur irrefragabiliter, humanam effusione tali converti & absorberi in Divinam, penitusque extingui, & in sacrosanctam Trinitatem quartam personam introduci, Eutychianum tamen & Schuenkfeldianum hoc esse pertinacissimè negant. Alii dubitant, utrum aliquid, vel omnia effusa sint. Sed dubii hic nihil est. Essentialia omnia in Deitate sunt* ἀμέριστα καὶ ἀδιάσπαστα, *quæ nec in partes dividi, nec divelli à se invicem possunt. Si aliqua, tunc omnia sunt effusa, & humana in Deitatem evanuit, relicto sui spectro, quod in Synodo Chalcedonensi damnatum est. Sed & illa, quæ cœpit in utero Mariæ virginis, Deitas, cum humana natura per effusionem confusa, non erit æterna, sed creata, quod Arianum est, & in Nicena Synodo damnatum. Si effusionem divinorum Idiomatum in humanam naturam de hyperphysicis dotibus intelligunt, Nestorianum est, quia Christus* θεάνθρωπος *non erit, sed* θεοφόρος, ἢ ἔνθεος. *Id verò falsum & hæreticum esse decrevit Ephesina Synodus. Præter hæc & alia invehunt isti, de quibus paulò pòst. Ariana igitur, Eutychiana, Monophysica, Monotheletica & Nestoriana, Commento suo convoluunt & complicant Vbiquitarii, velut in unum fasciculum.*

Dispensatio Vbiquistarū altera corporis Christi, quæ est in pane Cœnæ.

Alteram, quam in sacro pane statuunt dispensationem, quomodo intelligi velint, non satis explicant: nimirum, quomodo corpus κατὰ πανταχουσίαν *seu Omnipræsentiam ipsorum, iam antè in pane præsens, communicetur sumenti. Si per dispensationem Ordinem Institutionis intelligunt, redarguuntur in figmento suo apertè de illo consensu Scripturæ. Si distributionem; quæ fiet distributio ejus, cùm quod antè inest homini, tum quòd dividi ac distribui non potest, quia infinitum est & immensum? Si applicationem; quid confert ad hanc oralis manducatio, & quomodo illud infinitum & immensum ore capietur? Quomodo fides fieri id, aut esse credat, sine verbo? Aut, quomodo percipiet, & amplectetur id, quod Scriptura esse & fieri pernegat? Vt summatim dicam, Quis erit coalitus corporum nostrorum cum illo, non dicam, umbratili & inani (nam ne tale quidem est) sed imaginario spectro, quod nullum & nihil est penitus? Sed hyperphysica esse omnia, & hyperphysicè geri ac fieri dicunt: de quo postea.*

Suevorū Vbiquitatum damnant Saxones.

Atque hoc est Suevicum delirium Vbiquisticum, hæcque sunt ejus fundamenta & argumenta: quæ, ut manifestè nimis absurda, falsa, Eutychiana & Schuenckfeldiana detestati socii & sectatores Saxones, Kemnitius, Selneccerus, Chytræus, Heßhusius & alii, Pontificio commento fulcra substruxerunt, reipsa

1561.

ab illis nihil discrepantia, sed fuco tamen ac specie præstigiatricis Sophistices, & ab illo Suevico, & inter se quoque contradictionem implicatione perpetuâ multiplicium diversa.

Kemnit. fingit novam Sacramentorum naturā.

Kemnitius enim satis intelligens nullam posse defendi verborum proprietatum ex habitudine prædicati ad subiectum, comminiscitur novam quandam & peculiarem Sacramentorum naturam, & de hac illi convenientem in Scriptura loquendi morem; talem nimirum, quòd, quando duæ res vel substantiæ divinâ ordinatione singulari modo uniuntur, tunc una de alia prædicetur, ut hinc intelligatur unam cum alia adesse & exhiberi. Quod commentum in Consubstantiatione, seu connexu, & coëxistentia reali corporis cum pane, quæ nulla est, nec physica, nec hyperphysica, nec magica, cum Vbiquitate Brentiana consentiens, discrepat in verborum interpretatione, in qua Brentio Schmidlinus alterum de altero, id est, panem de corpore, & è converso prædicari posse negat. Kemnitius autem admittit, prædicari posse secundùm singularem illum & Sacramentalem unionis modum, quem sibi fingit: sed qualis tamen sit, non explicat, nec modum prædicationis distinguit, nimirum, si novus est à re nova, utrum ad usitatum an inusitatum genus prædicationis referri debeat? Et si ad inusitatum, Vtrum idem sit cum prædicationibus in propositionibus de Filio Dei, an verò novum prorsus & nulli unquam observatum antè in Ecclesia hucusque, sed ipsi soli patefactum primò.

Selneccerus in verbis Cœnæ inusitatam statuit prædicationem. Saxones de modo præsentiæ cum Suevis consentiunt. Saxones cum Suevis de modo præsentiæ ipso non conveniunt inter se.

Selneccerus in omnibus aliis Kemnitii Simiolus, & in hoc solo plùs videns quàm præceptor, audacter & impudenter pronunciat, in propositione illa, Hoc est corpus meũ, *nec identicam, nec synecdochicam, nec Metonymicam, nec usitatam & regularem, nec figuratam ullam aliam, sed inusitatam esse prædicationem, talem nimirum, qualis in hac propositione de Filio Dei,* Verbum caro factum est. *Retinet is tamen cum aliis explosam dudum Synecdochicam interpretationem per particulas In, Cum & Sub, tantùm ne à Luthero dissentire videatur. Alii aliter nugantur.*

De modo verò præsentiæ non ex verbis, sed ex Oeconomia unionis hypostaticæ detexendo cum Brentio & Schmidelino conveniunt.

Andreas Musculus.

Sed nec de modo ipso congruunt inter se, nec illum eadem ratione ex unione detexunt. Andreas Musculus censet, Ascensionem Christi in cælos factam esse κατ' ἀφανισμὸν in nubibus, ubi adhuc versetur & fluctuet, sed non visibili modo, aut formâ, nec eodem conversationis modo, quo ante mortem & ascensionem conversatus est cum discipulis: fortasse, qui Cælum, Dei & beatorum sedem nullum novit Musculus.

Kemnitii Immeatio.

Kemnitius autem Effusionem Brentianam, ut blasphemam abhorrens, & ut hæreticam damnans, molliore vocabulo & sophismate, imperitis minùs obuio, idem statuit. Pro Effusione enim Communicationem realem omnium Deitatis τοῦ λόγου essentialium proprietatum nomine, non re differentem invehit, quâ tota plenitudo Deitatis sit deposita in humanam naturam. Hanc περιχώρησιν veteri vocabulo, id est, ut ipse interpretatur, Immeationem *&* Immanentiam *inter se naturarum nominat. Confundens cæco errore περιχώρησιν divinæ essentiæ in tribus Personis Divinitatis, cum ea quam in Vnione hypostatica ἀντίδοσιν, & κοινωνίαν, & ἐπίζευξιν ὀνομάτων vocant. Hac suâ περιχωρήσει fingit Deitatem τοῦ λόγου cũ omnib. Idiomatis & operationibus esse in tota natura humana, & singulis ejus partibus, tam minimis, quàm maximis: Humanam verò naturam, realiter & reipsa earundem κοινωνὸν & μέτοχον seu participem, simulque συνεργὸν & συναίτιον factam esse virtutum omnium atque operationum, quæ Deitatis propria sunt, non quidem essentialiter, non accidentaliter, non physicè & ordine naturæ, non formaliter, non subiectivè, non inhærenter, sed hyperphysicè, verè tamen eâ lege, ut unâ eademque vita, quæ essentialis est τοῦ λόγου, & Deitas, & caro Christi sit vivifica, eadem potentiâ potens & efficax, eodem modo, quo Deitas realiter & essentialiter præsens. Non quidem* VBIQVE, *ut Brentius & Schmidelinus loquuntur, sed ubicunque & quandocunque vult: & quòd hoc modo præsentia sit In, Cum & Sub pane sacræ Cœnæ. Inde pro* VBIQVITATE *Brentiana hic modus* Multivolipræsentia *vocari cœpit. Plenitudinem autem omnem Deitatis cùm realiter in assumptam naturam depositam esse, & reipsa in ea habitare affirmat, quid aliud aut diversum ab Eutyche & Brentio statuit? Quomodo plenitudo Deitatis, quæ est essentia ipsa, inerit, ut non essentia, nec essentialiter & essentiali modo insit?*

Nota discrimẽ inter Brentii ac Smidlini & Kemnitii sententiam.

Kemnitius sua περιχωρήσει duplicem Deitatem facit.

Kemnitius igitur hoc suo figmento primùm facit duplicem Deitatem: Vnam communicantem: *alteram* communicatam *humanæ naturæ in utero Virginis concepta. Quia enim nec communicantem Deitatem essentiâ & essentialiter humana natura vult communicatam esse, nec essentiales proprietates illius egredi subjectum suum, communicata ergo Deitas, quam cum plenitudine omni Deitatis, & omnibus essentialibus proprietatibus in humanam naturam κατὰ περιχώρησιν, per immeationem & immanentiam suam, realiter deponit ac reipsa, non erit ipsa Deitas æterna, & quæ absq; essen-*

cia

tia illa æterna communicata vult, ut vita, potentia, virtus, majestas, non erunt essentialia æterna illius Deitatis, sed utraque, ut essentia, sic numero ac specie alia erunt & creata, qualia facit revera, abusu vocabuli communicationis pro creatione tantùm ludens: quo etsi Arianus est, (Arii enim sunt illa, ἦν ποτὲ, ὅτε οὐκ ἦν, ϗ πρὶν γεννηθῆναι οὐκ ἦν) hac tamen ab illo differt, quòd hic cœpisse λόγον ait ἐκ τῶν μὴ ὄντων, & creatum esse ante omnia: Kemnitius autem communicatam suam Deitatem exorditur cum humana natura in utero Virginis, quam quia in & cum ea, perque illam tanquam organum perpetuum ἐνεργητικὸν esse affirmat omnium divinarum virtutum & operationum, æternam illam communicantem otiosam prorsus reliquit.

Kemnitius confundit naturas more Eutychis imò humanam naturam Christi prorsus abolet ac evertit.

Rursus cùm affirmat, carnem haurire totam virtutem Verbi, assumptam naturam capere totum λόγον, omnem plenitudinem Deitatis & essentialia omnia in humanam naturam realiter ac reipsa deposita esse per talem περιχώρησιν communicata Deitatis, quæ divina essentia in personis tribus soli propria est, & quidem tanquam thesaurum, ut ex ea grotla, veritas, vita & salus sit nobis derivanda & accipienda: si hæc, ut essentialia, humanæ naturæ communicata esse vult, sicut vult, quia plenitudo Deitatis ipsa est essentia, confundit naturas, & humanam necessariò convertit in Deitatem cum Eutyche. Non possunt enim essentia & essentialia Deitatis realiter, & reipsa cuiquam tanquam essentiale communicari, quin id fiat Deus: Si, ut non essentiale, ex utraque natura conflat quiddam tertii generis in unam naturam compositam ex Deitate & Humanitate. In infinitum verò differunt hyperphysica illa virtutes & operationes, δῶρα ϗ χάριτες, & quæ ex Unionis gratia accesserunt humanæ naturæ, in maiestate, honore, beatitudine & gloria: Paraphysica itidem in eadem ab antiphysicis. Hyperphysica enim virtutes & operationes in humana natura sunt creata dona, & gratiæ à divina τοῦ λόγου communicata humanæ, sic, ut illi realiter ac reipsa, tanquam subiecto, insideant. Sed non sunt proprietates, non essentialia idiomata divinæ naturæ, verùm qualitates ab illa in humana creatæ, tantæ, quantas capere nulla creatura potest. Æternum autem, immortale, infinitum, immensum, omnipotens, ubique præsens, omniscium & similia idiomata sunt essentialia Deitati soli propria, quæ nulli creaturæ finitæ communicari realiter & reipsa possunt, salvis illius naturalibus proprietatibus. Nulla enim natura capax est illius contrariæ essentiæ, aut essentialium, multò minùs finita infinita & immensa, ut simul sit finita & infinita, mortalis & immortalis, ubique & in uno loco. Non igitur hyperphysica hæc sunt, ut somniat Kemnitius, sed antiphysica, quæ communicari assumptæ naturæ non possunt realiter & reipsa, nisi cum ipsius destructiane. Plenitudo Deitatis non est gratia, aut qualitas, sed essentia ipsa, quæ si realiter est & reipsa in carne Christi, caro esse & manere in suis proprietatibus non potest. Amissis proprietatibus, desinit esse, quod est, Fieri enim non potest, ut natura aliqua consistat absque suis praprietatibus essentialibus. Sic erga humanam naturam in Christo penitus evertit & abolet cum Eutyche & Monophysitis. Adhæc communicatam Deitatem & proprietates essentiales vult realiter quidem humanæ naturæ inesse, non subjectivè tamen, nec sarmaliter, nec habitualiter, nec inhærenter, quia cammunicatas facit praprietates; humanam ergo naturam constituit hyphistamenon suscipiens ac per se subsisteas, quod inverso ordine Scriptura assumit, sustentat & gestat Deitatem, à qua in persona τοῦ λόγου humana traditur assumpta. Sed quia nec separat ab essentia sua proprietates, nec subiectivè aut inhærenter assumptas esse vult, duas ergo in Christo ut naturas, sic personas statuit, unam Deitatis communicata atque assumpta, alteram humanæ naturæ assumentis & gestantis, quod prorsus Nestorianum est. Denique dum per cammunicationem operationum, ut vocat, carnem Christi in efficacitate & operatione propriarum etiam ipsius Divinæ Naturæ virtutum & actionum facit eiusdem cū Divina Natura virtutis & potentiæ realiter oc reipsa participem, ac perpetuum quoddam inseparabile συναίτιον ϗ συνεργὸν, simul agens & cooperans organum, abolet duas voluntates naturales distinctas in Christo, actionem theandricam, quæ composita est ex duabus distinctis actianibus naturæ utriusque, utraque agente quod suum ac proprium est, non quod alterius, unitè tamen, non separatim aut seorsim. Illam ergo confundit in unam, in qua quod unius est proprium, commune sit utrique, & unum non effectu tantùm vel apotelesmate, sed actione ipsâ, quod non esse potest, vel si caro organum Deitatis in Divinis omnibus efficiendis esse admittatur. Alia enim organi, alia organum moventis virtus, actio & operatio est. Nec quisquam unquam sensit, dixit vel audivit, humanam noturam à Christo ascitam esse in societatem & participationem vel effectionis & aperationis aperam verè divinorum, vel illi saciam ϗ συνεργὸν esse in iisdem adjunctam, nisi hæreticus, & condemnatum hoc est in Synodo sexta Constantinopolitana, quæ cum consentit Lateranense Concilium anno 643. habitum. Et manet in æternum vera regula Damasceni, ὧν ἡ οὐσία ἡ αὐτὴ τούτων ϗ ἐνέργεια ἡ αὐτή. ὧν δὲ φύσεις διάφοροι, τούτων ϗ ἐνέργεια διάφορος: & è converso.

Kemnitius duas in Christo personas statuit. Kemnitius in Christo abolet duas voluntates naturales distinctas.

Hæc

1561.

Brevior narratio de instaurata Vbiquitate.

Hac omnia, quia sunt de Progressu Vbiquitatis prolixiùs à nobis exposita, ut vel mediocris iudicii Lector meliùs intelligat, & discordem Concordiam fratrum istorum Cadmeorum penitius cognoscat, in brevem summam contraham, sic tamen, ut in instituta nostra historica narratione simul etiam pergam.

Brentius qua occasione Vbiquitatem arripuerit.

Brentij ad Peucerum petitio de Vbiquitate.

Iohannes Brentius, quum intelligeret, carnalem præsentiam corporis Christi in Cæna, verbis Institutionis non posse defendi ac propugnari, ad Vbiquitatem, tanquam ad sacram anchoram confugit. Nunquam tamen, Melancthone vivo, hoc portentum publicum fecit: & in Conventu Wormatiensi ad Peucerum id etiam dissimulavit: cùm ipsum multis rogaret & obtestaretur verbis, Melancthoni ut persuaderet, de hoc articulo Sessionis Filii Dei ad dexteram Patris, *ut suam ederet ac proponeret confessionem, iis, qui Colloquii causâ ex Protestantium Ecclesiis congregati erant; Se daturum operam, ut de ea efficeretur consensus.*

Philippi responsiō ad petitionem Brētii de Vbiquitate.

Prophetia Melancthon.

De hac Brentii petitione cùm retulisset ad Melancthonem Peucerus, recusabat quicquam præscribere aliis de re, quæ in communem deliberationem non adducta priùs esset, & de qua reliquorum nondum cognovisset sententias. Addebat, se non ignorare diversam à sua esse Brentii sententiam, de qua cessurum illum non esse, aut pertinaciter etiam pugnaturum esse sciret. Vidisse enim se gustum jam illius, quo faceret Idiomatum communicationem geminam, Dialecticam unam, physicam alteram, quæ sit reipsa naturarum confusio Eutychiana. Huic se adversaturum esse & repugnaturum quoad vixerit. Si sponte suâ quid faceret, aut sine mandato, aut sine communi decreto; reliquos in eam id accepturos partem, ac si tanquam Dictator conaretur leges, & condere dogmata, quæ illi cogerentur amplecti: Inde exoritura esse majora incendia, quibus causam præbere non velit: satis esse discordiatum in Ecclesia, ante oculos, & in conspectu esse recens vulnus quod discessu suo inflixerint Ecclesiis Evangelicis Thuringici. Talia vulnera cùm sanare, non lacerare, aut exacerbare cupiat, quantum in se sit, multò minùs se nova illaturum, aut his inferendis causam præbiturum esse. Quid, *inquit*, profecero, si quid composuero? an plus, quàm ea formula, quæ testimonium confessionis nostræ esse debuit? quam propter solam Osiandri mentionem Wittenbergici repudiârunt. An existimas, æquiori judicio & animo accepturos, si quid ab ipsorum opinionibus dissonum ac discrepans scripsero? *Ita nihil tum effectum est: & paulò pòst, congressu Theologorum dissoluto, incendium illud novo Vbiquitatis partu excitatum, magis magisque exarsit, ut cogeretur tandem Melancthon testimonium de eo suum posteritati relinquere, quod in calce libelli oppositi impia Inquisitioni Bavarica exstat.*

Causa ob quas Philippus restiterit Brētiana Vbiquitati.

Intercedebat biennium & paulò ampliùs inter Melancthonis ex Wormatia reditum, & mortem eius. Hoc biennio aduersa multa pertulit, Brentiano Commento indies vires acquirente, cui, etsi adhuc occultè serpebat, tamen Melancthon facere se aliter non posse ajebat, quin si vita suppeteret, & Ipse ita pergeret, acerrimè quantumuis invitus, sese opponeret: eò quòd Evangelicæ veritati, & toti puriori Antiquitati contrarium penitus, destrueret fundamentum salutis humanæ unicum, doctrinam nimirum de unione hypostatica duarum naturarum in Christo: & totam alteram partem Symboli Apostolici de veritate naturæ Christi humanæ, & officio Mediatoris; denique de omnibus beneficiis Christi, quæ ut verus Deus & homo in una persona & confecit & præstitit, secundùm utramque naturam in opere Redemptionis; & præstat adhuc quotidie, regnans ad dexteram Patris, *intercedens pro nobis*, colligens, protegens, saluans & servans Ecclesiam, & depellens Diabolos. *Sed & quantis alioquin arderent dissidiis Ecclesia Germanica, considerabat: Melancthon, & cum veteri amico sene Brentio, ipse senior digladiari, cum Ecclesia discrimine grave ducebat. Periculo tamen rei motus, testimonium sententia sua reliquit posteritati, quod extat, ut diximus, in calce libelli oppositi impia Inquisitioni Bavarica contra communicationem Idiomatum physicam, quam ait esse ipsarum naturarum confusionem. De quo etiam in Epistola quadam ad Hardenbergium,* Audi, *inquit*, aliud sophisma impudentiùs scriptum. Quidam, ut τὸ πανταχοῦ defendant, iam fingunt duplicem Idiomatum communicationem: alteram Physicam, alteram Dialecticam. Has ineptias in responsionis editione de Bavaricis articulis, quæ iam integra prodibit, taxabo. Profectò nisi Deus petulantiam Sophistarum compescat, secutura est horribilis confusio doctrinarum, &c.

Philippi iudicium de duplici communicatione Idiomatum.

Brentius offēditur parrhesiâ Philippi de Vbiquitate.

Offensus autem hac Melancthonis παῤῥησίᾳ Brentius, incitavit Generosum Dominum Iohannem ab Vngnadt, Baronem, ut per literas cum eo acerbè & acriter expostularet de Brentio, iniustè, ut ajebat, perstricto. Cui ita respondit Melancthon, ut non obscurè ostenderet, se, si perrexerit sua Brentius tueri, totis ei viribus adversaturum. Quin & Princeps ipse Wirtenbergensis ad Philippum duriter admodum scripsit,

cui

cui quid responderit, ex his eius verbis in Epistola ad Hardenbergium, anno 60. die 12. Iannar. scripta apparet: Scripsi, *inquit*, nuper quid de theatrica disputatione mihi videatur. Simul etiam significavi, veteris & purioris Ecclesiæ testimonia colligenda esse. Ad quæ & ego provocavi in literis scriptis ad Ducem Wirtenbergicum, qui me artociter accusat, quòd naturas in Christo dirimam. Petivi non solùm ut me priùs audiat, quàm condemnet: Sed ut simul veterem & puriorem Ecclesiam audiat, &c.

Philippus ad Wirtenbergicum Principē.

Sed ab hoc tempore Princeps Wirtenbergicus Theologorum suorum scripta quædam in Aulas multorum Principum misit, ut suffragia colligerentur. De quo Philippus ad Hardenbergium, eo ipso quo mortuus est anno 60. Febr. 9. in hunc modum scripsit: Dux Wirtenbergensis misit formulam περὶ μυστηρίων ad nostrum Principem, in qua retinet & pingit τὸ πανταχοῦ, petivit ut exhiberetur in Academiis. Sed nondum est exhibita. Recens editæ sunt veteris scriptoris Macarii conciones, in quibus pag. 382. hæc sunt verba: καὶ ὅτι ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ προσφέρεται ἄρτος καὶ οἶνος, ἀντίτυπον τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ αἵματος: καὶ οἱ μεταλαμβάνοντες ἐκ τοῦ φαινομένου ἄρτου πνευματικῶς τὴν σάρκα τοῦ κυρίου ἐσθίουσιν: *id est*, Quando in Ecclesia offertur panis & vinum, antitypum carnis ipsius & sanguinis: & accipientes de pane visibili SPIRITVALITER comedunt carnem Domini. Scio te libenter tam vetus testimonium lecturum esse.

Wirtenbergicus Dux Vbiquistica scripta in aulas Principū mittit & suffragia colligit.

Et rursus anno eodem Febr. die 28. Etsi *inquit*, non existimo Senatum permissurum esse, ut theatrica disputatio instituatur: tamen quicquid erit, velim te in promptu habere Antiquitatis eruditioris illustria testimonia, & inprimis hoc urgere: Cùm novum sit Pontificium dogma, pugnans cum puriori Antiquitati, cogitandum esse quid sentiendum sit. Nuper Dux VVirtenbergensis ad Electorem Saxonicum misit decretum, in quo defenditur τὸ πανταχοῦ εἶναι σῶμα. Et subscripserunt multi Abbates. Hi nunc sunt dogmatum architecti.

Factum est autem ut consiliis & scriptionibus VVirtenbergicis Aula quoque Saxonica incitata, durior & iniquior esse Melanchthoni cœperit. Quod non multis ante mortem septimanis ardentes ei lachrymas expressit, deplorantis non tantùm voluntatum humanarum instabilitatem, sed etiam Ecclesiæ calamitatem, quòd videret de controversiis tanti momenti, non ex veris causarum fundamentis, sed ex consuetudine quadam anteceptarum opinionum judicari, & in Aulis præsidia quæri ad defensionem violentam falsorum dogmatum.

Saxonica etiā aula propter Vbiquitatis impugnationem fit iniquior Philippo.

Electori verò quid responderit Philippus ex Epistola ad D. Cracoviū, eodem anno scripta, intelligi potest: Illustrissimo, *inquit*, Principi respondi breviter. Ac ne quid novi moliri videar, affirmo me prorsus retinere formam verborum ante multos annos editam in Examine Ordinandorum, quod in multis gentibus legitur: Papisticos verò & Methonæos, & Abbatum Virtenbergicorum, & VVestphali, Sarcerii & similium articulos in hac causa manifestè pugnare, cum vetere puriore Ecclesia: neque offero ad declarationem & de hac causa, & de aliis propter quas crudeliter laceror à multis hostilibus exercitibus.

Saxoniæ Electori quid responderit Philippus de Vbiquitate.

Post mortem autem Philippi Melanchthonis Iohannes Brentius audentior factus, cum hac sua doctrina de Vbiquitate corporis Christi prorupit, & controversiam hanc multùm etiam auxit. Cùm enim de præsentia corporis Christi in Cœna ex verbis institutionis & modo definitivo ab aliis disputaretur, & ex modo definitivo præsentia corporis in Cœna defenderetur: ipse de Vbiquitate corporis Christi iterum disputare, eamque novis argumentis fulcire & novis accessionibus augere cœpit in his præcipuè libris: Primò, in libro de Personali unione duarum naturarum in Christo, & ascensu Christi in cœlum, & sessione ejus ad dexteram Patris. *Deinde, in* Responsione ad libellum Bullingeri, *cui titulus est*, *Tractatio verborum Domini, In domo Patris mei, &c. Tertiò, in libro de* Majestate Domini nostri Iesu Christi contra Martyrem & Bullingerum. *Quartò, in* Recognitione Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ de vera maiestate Domini nostri Iesu Christi, *contra librum Bullingeri, cuius titulus est, Fundamentum firmum, &c. In his libris per se quidem approbat modum definitivum, eumq; confirmat: sed modum repletivum, hoc est, Vbiquitatem corporis Christi ad præsentiam in Cœna Domini omnino necessariam esse, imò sine illa hanc non posse stare contendit: ideoque ut eam confirmet & Ecclesiæ obtrudat, summa imis miscet, & cum Eutychete hæretico Humanitatem Christi in Deitatem commutat, cœlum, in quo Christi corpus est, ubique, atque etiam in inferno esse docet, ut paulò pòst indicabitur.*

Post mortem Philippi Brentius cum sua Vbiquitate prorupit.

Brentius Vbiquitatem novis argumentis fulcit.

Brentius igitur hoc dogmate non solùm cœpit doctrinæ Philippi, ante & post mortem ejus, adversari, sed etiam à sua ipsius doctrina deficere, postea quam sensit sese verbis Cœnæ Dominicæ non posse consistere. Si enim Syngramma Suevicarum Civitatum, cuius ipse conscriptor fuit: Si Exegesin illius in Iohannem, in memoriam revoces: Si tempus consideres, quo illud Syngramma scriptum, & Exegesis in lucem edita fuit;

Brentius nō solum Philippo, sed sibimet ipsi etiā contrarius.

1561. fuit; intelliges Brentium longè aliter tunc, atq; postea, sensisse & docuisse. Nihil enim in Syngrammate de Vbiquitate: nihil de effusione omnium essentialium proprietatum Deitatis in Humanitatem: nihil de cæteris portentosis sententiis & opinionibus, quæ postea à Brentio sunt excogitata & in scenam producta in libris contra Martyrem & Bullingerum, quæ suo loco referentur.

Smidlinus maiori studio Vbiquitatem fovit & auxit quàm Brentius

Majore autem quàm Brentius studio, contentione, molitione, emolumento etiam Iacobus Andreas Schmidlinus, Iacobus Faber Stapulensis alter, & ut nominis, ita & professionis eius consors tantus, ut nomen Apostoli Vbiquitatis ei inditum fuerit, Vbiquitatem & fovit, & auxit, & quibuscunque potuit venditavit: Novo etiam argumento illam confirmans, id est, novo illam pigmento fucans, ne ipse homo exigui ingenii videretur, si sui Præceptoris sectam amplificare non posset. Nam ad Brentianam illam omnium essentialium Deitatis λόγου proprietatum in humanam naturam assumptam Effusionem, addidit ipse, Majestaticum corpus Christi, hoc est, tertium quoddam corporis genus, quod neque naturale, neque gloriosum, ut ait ipse; sed ubique diffusum, & ubique cum ipsa Deitate λόγῳ realiter præsens, adeoque divinum planè, ratione unionis hypostaticæ & Sessionis ad dexteram Dei.

Qui sese Smidlino ejusque Vbiquitati opposuerint.

Ei sese opposuerunt Theodorus Beza, Henricus Bullingerus, Iosias Simlerus, Theologi Heydelbergenses, & Witebergenses: atque etiam Pontificii Ingolstadienses. Cassander, & alii multi. Ex Lutheri quoque discipulis, Heshusius, Selneccerus, Wigandus, & alii. Scripsit etiam orthodoxè contra Schmidlinum, ejusque Vbiquitatem, Busæus Iesuita Moguntinus anno 1579.

Andreas Musculus succenturiatur Smidlino

Quum verò corpus Christi Majestaticum, quod Iacobum Andreæ confinxisse, eoque Brentii Commentum auxisse diximus, quodque postea à multis defensum fuit, ad dogma de Vbiquitate seu omnipræsentia corporis Christi stabiliendum, absurdissimum sit, multorum Lutheranorum quoque iudicio, & Eutychianum, & Monophysiticum, refuteturque manifestè ex illo Apostolici Symboli articulo, ubi dicitur Christus ascendisse ad cœlos: idcirco Iacobo Andreæ succenturiatus est in gravi isto periculo Andreas Musculus, qui ascensionem Christi in cælos dixit esse disparentiam, & evanescentiam duntaxat carnis Christi in his nubibus, ubi adhuc sit, & versetur, sed non visibili modo, forma, & eo conversationis genere, quo ante ascensionem & mortem conversatus est cum suis Apostolis. Sic enim Sectione 3. Articulorum Marchiticorum, Articulo 6. scribit; Constare ex Spiritus sancti Grammatica, & vocabuli Descendere vel Ascendere proprietate, Filii hominis ascensionem in cœlum nihil aliud esse, quàm visibilem disparentiam, ac vt propriissimè loquitur Lucas Actor. 1. Subductionem per nubem ex oculis Apostolorum, discessionem ex hac mortali hominum vita, transmigrationem ex visibili conversatione hominum, evanescentiam ex oculis hominum palpabilis & visibilis huius vitæ conversationis, ingressum in cœlum, regnum Dei Patris gloriosum. Et Artic. 7. Hanc, dicit, ascensionem non factam esse motione Physicâ de loco in locum, &c.

Andreæ Musculi figmentis de Christi Ascensione

Marbachius porrò de Ascensione Christi.

Et Marbachius in libro de Cœna Domini folio 150. & sequentibus, & in Concionibus tribus de Ascensione habitis, docet, Christum non quadragesimâ demum die à resurrectione in cœlum ascendisse, & ad dexteram Patris consedisse; sed id longè ante istam Ascensionem factum esse: idque duobus modis. Primùm in Conceptione cùm in utero materno humana natura divinæ unita est. Secundò, cùm formam Servi deposuit, in cruce efflatâ animâ & emisso spiritu. Tertiam verò & visibilem ascensionem tantùm Dispensationem fuisse, de qua Musculus.

Kemnitius effusionem Brentianam damnavit, & ejus loco realem communicationē essentialium Deitatis λόγου proprietatum in humanā naturā assumptā substituit

Martinus verò Kemnitius, quum illam Brentianam & Iacobandræanam Effusionem omnium proprietatum essentialium Divinæ Naturæ in humanam planè blasphemam esse judicaret, candidè & sine circuitione eam, velut hæreticam, damnavit: Ipse verò illius Effusionis loco, realem communicationem essentialium Deitatis λόγου proprietatum in humanam naturam assumptam substituit, adeò ut una, eademque vita, quæ essentialis λόγου est, & Deitas, & caro Christi sit vivifica, eadem potentiâ potens; quam Communicationem περιχώρησιν dici posse seu Immeationem existimavit. Sic enim in libro De duabus naturis, hypostatica earum unione, & Communicatione Idiomatum pag. 56. & 58. scribit, Ex hac unione consequitur quædam inter unitas naturas, & inter earum idiomata communio & participatio: non communio confusionis, transmutationis, aut exæquationis: sed quæ unioni veræ & reali correspondet, qualis est animæ cum corpore, & ignis cum ferro ignito.

Vult igitur Kemnitius, ipsam plenitudinem Deitatis λόγου, illiusque essentialia idiomata in carnem & massam humanæ naturæ ab ea assumpta, realiter esse communicata: ideoq; eandem Christi carnem in ἐνεργήσει & ἐνεργείᾳ sive efficacitate & operatione, etiam propriarum ipsius Divinæ Naturæ virtutum ac operationum eandem cum Divina natura virtutem & potentiam reipsa participare, deniq; illi συνεργὸν esse,

velut

velut perpetuum & inseparabile, etiam in in ipsis actionibus divinis efficiendis, illius instrumentum. Quæ sententia reuera nihil aliud vult, quàm Brentij & Smidlini voluit (quam tamen Kemnitius manifestè, & meritò quidem, tanquam Eutychianam in Smidlino damnavit) reipsa nimirum effundi in naturam assumptam omnes Deitatis proprietates.

Brentius Smidlinus & Kemnitius verbis quidem discrepant, reipsa verò consentiunt.

Sed vocabulum Effundendi*, tanquam nimis crassum & jam omnibus inuidiosum, ab omnibusque explosum, vitat Kemnitius: voces autem* realis communicationis *& περιχωρήσεως astutè substituit, quâ illam à seipsa jam damnatam Smidlini hæresin interpolat; ut, licèt verborum sono inter se discrepare videantur, in re tamen ipsa & doctrinæ summa planè consentiant: uterque enim humanitatem Christi in immensum extendit, gratiam habitualem cum gratia vnionis confundit, & omnia diuinæ λόγου naturæ propria & essentialia idiomata realiter assumptæ naturæ communicat, atque ita humanam naturam Deum facit. Vnde etiam in novo illo corpore doctrinæ Bergensi, pulchrè istis duobus convenit, & uterque idem in hoc capite se sentire publicè testatus est. Quia tamen imperitioribus sententia Kemnitij alia, & quidem plausibilior visa est, & in speciem apertiori Patrum authoritate niti, ideo eam hodie, explosâ Smidlini & Brentij, certatim omnes Vbiquitarij amplectuntur, & in ea acquiescunt, ut meritò inde* Kemnitiani *jam dici possent.*

Brentij, Smidlini & Kemnitij sententia & doctrina de Cœna quò tendat.

Eò tendit autem Kemnitij sententia, sicut etiam Brentij, Smidlini & similium, ut probet carnem Christi adesse reali & essentiali præsentiæ modo In, Sub, Cum signis sacræ Cœnæ, quoniam περιχωρήσει, id est, Immanentiâ, & immeatione inter se realiter communicet Deitas λόγου naturæ humanæ assumptæ omnia essentialia sua Idiomata, & operationes. Illud solùm interest, quòd Kemnitius ait contra Brentium & Smidlinum, Christi carnem illo modo realis præsentiæ præsentem esse, non quidem vbiquè, juxta Brentij sententiam, sed vbicunque & quandocunque velit Christus; quam quidam Multiuolipræsentiam *appellant. Nam in libro de Duabus in Christo naturis, &c. capite 30. præsertim pagina 479. contendit primùm,* generaliter Christum etiam post ascensionem, & ante judicium corpore suo adesse, & præsentiam corporis sui exhibere posse in terris, quandocunque, ubicunque, & quomodocunque vult, etiam in visibili forma. *Deinde Pag. 481. ait:* Quòd Christus in actione Cœnæ suæ, quæ in conventu Ecclesiæ in his terris juxta institutionem celebratur, velit corpore suo & sanguine suo adesse: Nempe In, Sub, Cum signis Cœnæ, essentiali & reali corporis, & sanguinis sui præsentia, sine Tropo, *ut ipse subjicit,* non autem fidei tantùm præsentiâ, id est Sacramentali.

Discrimen inter Kemnitij & Brentij & Smidlini sententiam.

1561.

Brevissima narratio de instauratione Vbiquitatis.

Dicam hæc adhuc breuius: Cùm nouum hoc fundamentum præsentiæ corporis Christi in Cœna (Vbiquitas videlicet, à Luthero ex lacunis Scholasticorum nonnullorum eruta) non parùm ruinosum videretur, eò progressi sunt Brentius & Schmidlinus, ut id, quasicui oralis manducatio firmissimè inniteretur, Exæquatione humanitatis cum diuinitate, quod ad omnes diuinas proprietates, confirmarent & fulcirent, ut sic infinitatem etiam corporis Christi introducere possent. Porrò hanc naturarum æqualitatem principiò Sessione *siue* Maiestate Christi ad dexteram Patris *probare valebant, quod idem esse contendebant, ac corpore ubique præsentem esse, quandoquidem Dextera Dei ubique esset. Postquam verò ex sacris Literis eis demonstratum est, Christum humanitate suâ sese ad Dexteram Patris collocasse, non ubique, sed in cœlo; Ibi tum etiam hoc urgere cœperunt, In cœlum ascendere, idem significare, quod in omnibus locis præsentem fieri: Ac quia ad eiusmodi in cœlum ascensionem, Cœlum illud, de quo Scriptura loquitur, angustum nimis videbatur, novum sibiipsi cœlum, quod ubique esset, fabricati sunt: Donec ad extremum eò redacti sunt, ut Deum ipsum, qui in cœlo; tanquam in suo domicilio est, Cœlum illud esse dicerent. Cæterùm, quum eis non modò hoc Cœlum, & hæc in Cœlum Ascensio, & Sessio ad Dexteram Dei, sine huiusmodi Maiestas non concederetur, nisi hæc ex Scriptura probarent, sed alia etiam calamitas accederet, quòd nimirum primæ illius Cœnæ obliti sunt; in qua Christus nondum in Cœlum ascenderat, neque Maiestatem suam ingressus fuerat, aut se ad Dexteram Dei collocauerat: Ibi cœptum est disputari, Christum jam in utero materno, cùm primùm conciperetur, inuisibiliter in cœlum ascendisse, seque ad Dexteram Dei collocasse, omnemque Maiestatem suam habuisse, ita ut in resurrectione & ascensione nihil noui adeptus sit. Et quo color aliquis arcana huic Ascensioni quæreretur, Vnionem personalem humanitatis cum diuinitate, aut Incarnationem Verbi, huc detorserunt, ut eam nihil aliud esse contenderent, quàm humanitatis cum diuinitate Exæquationem. Atque ita Incarnationem, Ascensionem & Sessionem ad Dexteram Dei unum idemque esse fingunt: Quod figmentum ut confirmarent, hanc recens creatam Omnipatentiam, & creatam diuinitatem hominis Christi excogitarunt, qua non concessa, nullum inter Petrum & Christum superesse discrimen clamitant. Hoc reipsa nihil est aliud, quàm loco unici illius & veri Mediatoris Christi, qui*

Brentius & Smidlinus quibus argumentis Vbiquitatem suam probare conati sint.

1561. *ſimul verus æternuſq. Deus, & verus ex Maria natus homo eſt, duos Chriſtos, vnum quidem, æternum, verbum Patris, quod ſibiipſi hominem Ieſum, omnibus proprietatibus exæquauerit, alterum verò, hominem Ieſum, qui neque verus & naturalis Deus, neque verus & naturalis homo, ſed Deificatus homo, & recens creatus Deus, novuſque Chriſtus ſit, de quo neque pij Maiores noſtri aliquid nouerunt, neque Apoſtoli quicquam docuerunt, conſtituere. Quid quæſo eſt, ſi hoc non eſt, veteri Proverbio fidem facere, quo dicitur*, Vni mendacio aſtruendo ſeptem aliis opus eſſe? *Cumque hoc modo ad ſummum peruentum eſt, tum ſi quis ex eis quærat, Vtrum Chriſtus ſecundùm hanc creatam Divinitatem & maieſtatem carnis ſuæ in utero matris, in cruce, in ſepulchro, ubique fuerit; hic ſublimis illa ſtructura, quæ tanta labore conſtiterat, vno momento collabitur, & pudore coacti fatentur, tum temporis Chriſtum ea maieſtate uſum non fuiſſe, & non niſi in uno loco, neque viſibili neque inviſibili modo, fuiſſe. Si inſtes, unde didicerint, Chriſtum in Cœna Vbiquitatem uſurpaſſe, aut etiam nunc uſurpare velle, tunc de integro hanc telam exorſi, hæc verba occinunt*, Hoc eſt corpus meum, &c. *atque eadem ſemper tramite decurrunt. Atque hæc omnia ex aliquibus Vbiquiſtarum libris in ſequentibus ad oculum demonſtrabimus.*

Bellarminus Ieſuita de origine, progreſſu & abſurditate Vbiquitatis.

Hæc omnia probè quoque obſeruauit Bellarminus Ieſuita, qui non ſolùm originem & progreſſum, ſed etiam portentoſam abſurditatem Vbiquitatis in Declamatione quadam Romæ habita, his verbis politè deſcripſit: Lutherani, *inquit*, aliud monſtrum longè etiam teterius Eccleſiæ pepererunt. Nam vt facilè eis eſſet veram CHRISTI carnem in Sacramento habere præſentem, eandem carnem ab ipſa ſua conceptione vbique fuiſſe; ac ſemper, omniaque omnino loca, eo modo quo DEVS facit, replere docuerunt. Quod portentum (neque enim dogma, vel ſententia, vel opinio, vel ſimplex etiam hæreſis nominari debet) Scripturis repugnat, aduerſatur Patribus, euertit Symbolum, Chriſti naturas cum Eutychete confundit; & ipſum denique quod mirandum videtur, Sacramentum deſtruit, pro quo aſtruendo fabricatum eſt. Nam ſi Chriſti corpus ab ipſa ſua conceptione ſemper ubique fuit, mentitur certè, qui illud alicubi aliquando non fuiſſe affirmat: ergo Angelus mentitur, cùm apud Marcum ait: SVRREXIT NON EST HIC: quomodo enim hic non eſt, qui vbique eſt? Dominus ipſe mentitur, cùm ait: *Lazarus mortuus eſt, & gaudea propter vos, vt credatis quia non eram ibi*: Quomodo enim Domine ibi non eras, qui vbique eras? Porrò S. Auguſtinus, ut de cæteris taceam, in Epiſtola ad Dardanum ex propoſito hoc tractans, copiosè docet eſſe Chriſtum, vt ipſe loquitur, per id quod Deus eſt, ubique, per id quod homo eſt, non vbique.

Vbiquitas adverſatur Verbo Dei.

Vbiquitas adverſatur Symbolo fidei.

Iam verò Symbolum fidei monſtroſa iſta Vbiquitas (hoc enim barbaro vocabulo barbarus error nominari meruit) ita corrumpit, atque deprauat, vt Chriſti conceptionem, ortum, paſſionem, obitum, ſepulturam, deſcenſionem ad inferos, reuerſionem ab Inferis, Aſcenſionem in cœlum, reuerſionem à cœlo, non vera & propria, ſed Metaphorica, ac penè phantaſtica cum Marcione, & Manichæo nobis efficiat. Id enim habet de Chriſti conceptione Symbolum rectæ fidei, in ſolius beatiſſimæ virginis utero Chriſti corpus novem illis menſibus fuiſſe. Atqui idem illud corpus in uteris omnium fœminarum, imò etiam & virorum fuit, ſi ubique ſemper fuit. De ortu verò id Symbolum docet, Chriſti corpus nono exacto menſe verè & propriè ex vtero prodiiſſe: & eo modo verè & propriè natum eſſe. At ſi vera ſomniant Vbiquiſtæ, ante nouum menſem, erat extra uterum, & poſt nonum menſem adhuc erat in utero, neque inde unquam verè prodiit, aut prodire poteſt, cùm id quod verè vbique eſt, nulla ratione verè moveri queat. Quemadmodum igitur Deus cùm apparet alicubi, non eò veniſſe propriè, ſed Metaphoricè dicitur, quia vbique cùm ſit, non venit vbi non erat, ſed apparet vbi non videbatur: ſic etiam Chriſti ortus non verus, ac proprius, ſed apparens, ac Metaphoticus dicendus erit, cùm non venerit illa caro ubi non erat, nec locum deſeruerit, ubi erat, ſed cerni tantùm cœperit, ubi antea minimè cernebatur. Quod idem de Paſſione, de Morte, de Sepultura, de cæteris fidei capitibus intelligi debet. Qui enim ſemper ubique fuit, non verè & propriè, ſed Metaphoricè ſolùm tranſiit de Cœnaculo ad hortum, de horto ad Concilium Iudæorum, de Concilio ad Prætorium, de Prætorio ad Caluariam, de Caluaria ad Crucem, de Cruce ad Sepulchrum, de Sepulchro ad Montem, de Monte ad Cœlum.

Nec potuit verè in morte corpus ab anima ſeparari; & cùm utrumque ubique fuerit, id efficitur, quod eſt abſurdiſſimum, ut fuerit Chriſto mortuo, corpus cum anima in inferno, & anima cum corpore in ſepulchro.

Vbiquitas veri

Quid jam de ipſa humana Chriſti natura, deque illo ſummo atque Angelis ado-

rando

rando mysterio dicam? Nam si humana Christi natura non modò ubique est, sed (vt aduersarij docent) illam ipsam habet diuinam immensitatem, quam Deus habet, ut infinita spatia replere queat, erit ipsa verè, & absolutè immensa & infinita: & cùm mole corporea non sit infinita, quippe quæ tota vbique est, erit sine dubio infinita virtute; virtus autem infinita naturam sequitur infinitam: igitur Christi caro naturâ est infinita: quare vel duæ jam erunt infinitæ naturæ, quod fieri nequit, vel quod solum restat humana in divinam transeunte naturâ, & naturarum confusio, & totius mysterij labefactatio consequitur. En nobis quàm facilè hæresis hæresim parit, & eò tandem errando venitur, vt ipsa prima fidei fundamenta radicitus euertantur.

tatem humanæ naturæ destruit.

Quid, quòd portentosa ista Vbiquitas, Sacramentum ipsum, vt dicebam, tollit, pro quo afferendo fabricata est? Nam si in ipsa priuata domo in pane, in vino, in pomis, in piscibus, in oleribus, in omni ciborum genere, in ipso aëre quem attrahimus, Christi carnem verè sumimus; quid necesse est in Ecclesiam convenire? quid panem frangere & vinum miscere? quid verba illa sacra pronunciare? quid habet sacra Cœna præ vulgari prandio? quid panis Eucharistiæ præ pane pistorio? quid altare præ mensa?

Vbiquitas Sacramentum Cœnæ tollit.

Atque vt magis adhuc Lutheranorum sapientiam admiremini, novum hoc monstrum intra paucos annos, in vna eademque Provincia, iisdem authoribus Lutheranis prodiit, periit, revixit; siquidem ab ipso Luthero, vt ex multis eius testimoniis Brentius probat, excogitatum, eodem regnante Luthero feliciter in Saxonia floruit: Luthero deinde mortuo, ac rerum potiente Melanchthone, paulatim languescere ac deficere cœpit; donec tandem in ipsa Saxonia in Dresdensi Lutheranorum Concilio, quod ante annos tredecim habitum est, publico decreto damnatum, explosum, exterminatum est: sed his proximis annis Melanchthonico euerso imperio, atque imperante in Saxonia Schmidlino, rursus ab inferis reuocata & in suam sedem restituta magno cum honore Vbiquitas est. Ista videlicet est Constantia fidei Lutheranæ, ut nunc sacrosancta fidei dogmata esse debeant, quæ ante annos tredecim pestilentissimæ hæreses erant.

PARS II.

LIBRI ET SCRIPTA
In & post renovatam Vbiquitatem in Causa Sacramentaria edita.

Librum hoc anno Bullingerus *edidit, cuius occasione in contentionem & certamen cum Iohanne Brentio, nullâ suâ culpâ, & prater opinionem incidit. Cùm enim in publica enarratione Evangelij Iohannis absoluisset caput 14. multorum rogatu in lucem edidit tractationem verborum Domini*, In domo Patris mei mansiones multæ sunt, &c. *quâ demonstrat spem salutemque fidelium certissimam esse, & cælum in quod ascendit Christus, & in quod suscipiuntur electi omnes, locum esse in excelsis certum. Agit etiam de dextera Dei, & de Vbiquitate, ut vocant corporis Christi.*

Bullingerus edit tractationem verborum, in domo Patris.

Eodem etiam tempore prodiit Iohannis Brentij Theologi Wirtenbergici Liber, de personali vnione duarum naturarum in Christo, de Ascensione eius in cœlos, & Sessione ad dexteram Patris.

Brentius edit librum de personali vnione duarum naturarum in Christo, &c.

In isto libro vt probetur vera & substantialis præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, sequentia dogmata prodigiosa 1. de VBIQUITATE *continentur. Pag 4.* An non perspicuum est, quòd cùm Deitas & humanitas in vna persona Christi personaliter, inseparabiliter, & indivisè coniungantur, necessarium sit, vt VBICVNQVE EST DEITAS, IBI ETIAM SIT HUMANITAS CHRISTI. *At verò ex vnione personali & inseparabili, non sequitur humanitatem simul & semel esse in omnibus locis extra omnia loca. Pag. 5.* HVMANITAS Christi nunc post vnionem est VBICVNQVE fuerit Deitas eius: tamen non idcirco caret initio sicut Deitas, Ideóque non est hac in parte infinita. *His verbis docet, humanitatem infinitam dici posse, non quidem ratione æternitatis, sed respectu omnipræsentiæ. Pag. 7. b.* Etsi Christus suscepit tempore ministerij & conuersationis suæ in hoc mundo humanas (præter peccatum) imbecillitates: ac fuit CORPORE SVO pro conditione huius mundi in loco circumscriptivè: tamen interea hypostatica unio non fuit dissoluta: ut VBICVNQVE fuit Deitas Christi, ibi non secum habuerit etiam humanitatem suam, Idque NON LOCALITER; sed vt ex illo Prophetæ dicto (*Ego cælum & terram repleo*) Veteres locuti sunt REPLETIVE. *Hæc verò contradictoria sunt. Idem corpus Christi in loco esse circumscriptivè: Et in omnibus locis seu vbique esse repletivè & illocaliter.*

Errores multiplices Brentiani libri de personali vnione. 1 stabilitur Vbiquitatis prodigiosa doctrina.

1561. *Illud enim vero corpori : hoc Spiritui infinito congruit. Ibidem paulò post :* Non habuit duo vel tria vel quatuor, vel plura corpora: aliud quidem in Hierusalem, cùm in templo concionaretur, aut in cruce penderet: aliud in vrbe Roma : aliud Athenis : aliud in Cœlo: sed vnum idémque corpus, quod erat in Hierusalem visibiliter & localiter, erat cum Deitate, vbicunque ea esset EXTRA omnia loca inuisibiliter & illocaliter. *Hinc autem sequitur, corpus Christi simul in templo fuisse, & extra templum: Pependisse in Cruce Hierosolymis; & eodem momento fuisse extra crucem Romæ, Athenis : denique in cælo ipso. Pag. 11. a.* Etsi solius naturæ Diuinæ in Christo proprietas est, vbique esse & omnia implere : tamen HABET hanc proprietatem COMMVNEM cum sua humanitate, quam in eandem personam assumpsit. *Hic vocat Personalem Vbiquitatem, quam corpus Christi habeat ex vi Vnionis Personalis. Sed est petitio principij. De hoc enim quæritur, An sit carni tribuenda Vbiquitas ex vi Vnionis? Et mox :* Humanitas eam maiestatem habet ex personali cum Deitate vnione vt IMPLEAT omnia, non ex natura humanitatis, sed ex natura Diuinitatis. Itaque etsi humanitas Christi non habet hanc maiestatem ex se, & sua natura : HABET tamen eam verè propter hypostaticam personæ vnitatem. *Pag. 11. b.* Ponamus docendi gratiâ triplicem Vbiquitatem (sic libet illis absque vllo discrimine rem vetustissimam & verissimam nouo & portentoso vocabulo infamare) videlicet Localem; Repletivam, & Personalem. Ac nulla quidem res est nec spiritualis nec corporalis, quæ sit vbique locali Vbiquitate : solus autem Deus NATVRA SVA est vbique Vbiquitate repletivâ. Et postquam Filius Dei univit sibi humanitatem, necessariò sequitur, quòd ea HVMANITAS, in vnitatem personæ à Filio Dei assumpta; sit vbique VBIQVITATE PERSONALI. *At nasse debuit Brentius, frustra quæri de modo Vbiquitatis, & unde corpus Vbiquitatem habeat : Priusquam demonstretur ex Sacris literis, Vbiquitatem corpori Christi tribuendam esse.*

2. Horribilis depravatio doctrinæ veterum de communicatione Idiomatum.

2. *Continetur etiam in libro ista horribilis depravatio doctrinæ Veterum de Communicatione Idiomatum, quæ est modus seu forma prædicationis, quâ unius naturæ proprietas tribuitur personæ in concreto, propter vnionem Personalem duarum naturarum in Christo. Sic enim legitur Pag. 8.* Scholastici & recentiores nonnulli cùm dicunt personam Christi non habere vbique secum vnitam humanitatem, videntur affirmare in Christo esse tantùm communicationem verbalem non realem, vt Christus dicatur quidem verbis Deus, non autem fit revera Deus, hoc est, diuinitas & humanitas non sint vbique realiter & personaliter in Christo vnitæ. His fiet tandem Christus homo, non verus Deus, sed tantùm nuncupativus. Et patietur pro peccatis nostris Deus Christus, non verè sed tantùm sermone. Nos autem intelligimus in hac materia per Idiomata, non tantùm vocabulorum, sed etiam rerum proprietates, vt cùm per Communicationem Idiomatum de Christo dicimus, Deum esse passum & mortuum, non sit sententia, quòd Deus Verbum dicatur tantùm sermone vocabuli pati & mori, res autem ipsa nihil prorsus ad Deum pertineat, sed quòd Deus etsi naturâ suâ nec patitur, nec moritur, tamen passionem & mortem Christi ita sibi communem faciat, vt propter hypostaticam vnionem passioni & morti personaliter adsit, & non aliter, vt sic dicam, afficiatur, quàm si ipse pateretur & moreretur. Itaque ὁ λόγος seu Deus Verbum patitur & moritur, vt Cyrillus ait, impassibiliter & immortaliter, vt non dicatur vano tantùm sermone, pati & mori : sed etiam verè & reipsa patiatur & moriatur, non quidem ex natura Deitatis, sed natura humanitatis, cui ὁ λόγος hypostaticè, personaliter & inseparabiliter est vnitus. *Hæc noua verborum monstra sunt, Prædicatio verbalis & realis: Dialectici rectiùs dicunt, Omnem prædicationem aut veram, aut falsam esse. Cætera quæ adduntur à Brentio, de Deo nuncupativo, vt passo sermone tantùm, mera sunt calumnia: Et caueat ipse, ne diuinitatem ipsam passibilem faciat, ex communicatâ realiter proprietate humanæ naturæ.*

Prodigiosum Brentij dogma de reali communicatione Idiomatum.

3. *Continet præterea liber hic, prodigiosum dogma de reali Communicatione Idiomatum: quam in ipsis naturis fieri fingit Vbiquista. Sic enim scribit pag. 5.* Quid obsecro prohibet, quò minùs id, quod conuenit VNI substantiæ PER SE, hoc conueniat ALTERI PER ACCIDENS, vt Dialectici loquuntur? *Quid verò hoc aliud est, quàm fingere carnem factam esse Deum per accidens? Et mox :* Vetus & verus sermo est de Christo, quòd quicquid conuenit Filio Dei per naturam, hoc conueniat Filio hominis per gratiam. An-non solus Deus est infinitæ potentiæ, infinitæ sapientiæ, infinitæ bonitatis, infinitæ justitiæ? Et tamen cùm Verbum caro factum sit, Verbum carni ita vnitum est, vt in eam effunderet omnem Deitatis suæ maiestatem? *Filium hominis intelligunt Veteres in hoc dicto de Persona, non de humanitate ipsa. Et* Gratiam *intelligunt Veteres de gratia vnionis,*

vnionis, non autem de effusione gratuita proprietatum naturæ diuinæ in humanam. Et paulò pòst: Quid igitur? Dicemus ne duo esse infinita, potentiâ, sapientiâ, bonitate & justitiâ? Siquidem sermo est de natura: *Id est, de eo quod utraque substantia in Christo ex vi sua natura habeat. Sic verò duæ naturæ in Christo erunt omnipotentes: altera ex natura sua, altera per gratiam ex accidenti. Item:* Vnum certè est tantùm infinitè potens, sapiens, bonum & justum, quod est Deus ipse. Si autem est sermo de gratia, profectò fieri non potest, quin Filius Dei effundat omnem suam maiestatem in Filium illum hominis, quem in vnitate personæ vnione hypostatica ex imperscrutabili suo consilio, & gratuita clementia assumpsit, vt quod ille est PER SE & NATVRA, hoc iste fit PER ACCIDENS (*hoc est*) alieno beneficio & gratiâ propter hypostaticam vnionem. *Hic Brentius Filium hominis intelligit de ipsa humanitate, secundùm quam Christus erit Deus per accidens.*

4 Falsa interpretatio articuli de ascensione Christi.

4. *Habet denique liber hic falsam interpretationem articuli de Ascensione Christi ad Cœlos. Sic enim legitur pag.* 14. Illud in præsentia quæritur, num Christus in cœlum ITA ascenderit, vt nec antea, nisi juxta diuinitatem fuerit in Cœlo, & nunc in Cœlo localiter & circumscriptivè sic commoretur, vt non sit etiam (sed cœlesti & inenarrabili modo) in terra. *Vult igitur Brentius humanitatem in Cœlo fuisse etiam ante Ascensionem visibilem. Et paulo pòst:* Non negamus, quin Christus possit etiam localiter atque circumscriptivè se patefacere. Sed illud nunc agitur, num quemadmodum loca cœlestia & terrestria distant inter se in oculis humanis: ita etiam distent corpori Christi, quod est cum Deitate personaliter & inseparabiliter vnitum? *Pag.* 16. Manifestum est, quod Christus quadragesimo à Resurrectione die, in Cœlum ascenderit, & in conspectu discipulorum suorum sublatus sit visibiliter, vt sederet ad dextram Patris sui, & impleret omnia. Nunquid autem aliàs non ascendit inuisibiliter? An jam primùm ascendit in Cœlum, & consedit ad dextram Patris, cùm sublatus est in monte Oliueti, ab oculis discipulorum? Tum quidem primùm ascendebat visibiliter, sed ascenderat etiam jam antea, & consederat ad dextram Dei inuisibiliter, in sua à mortis resurrectione. Est enim ascensus visibilis, qui factus est in monte Oliueti. Est & ascensus inuisibilis, qui est factus in resurrectione. *Triplex ergo est Ascensio humanitatis Christi secundùm Brentium. Et pag.* 18. Quid autem opus est, de tempore tantum resurrectionis & ascensionis dicere, cùm jam inde ab initio, in momento Incarnationis suæ ascenderit inuisibiliter in cœlum, & ad dextram Dei Patris sui sederit? Miraberis fortasse quid hoc sibi velit, sed mirari desines, si rectè consideraueris hypostaticam vnionem duarum naturarum in Christo, quæ ab initio Incarnationis facta est. *Aliud autem est uniri cum λόγῳ: aliud collocari ad Dexteram Dei. Et postea:* Nemo (*ait*) ascendit in Cœlum, nisi qui descendit de Cœlo, filius hominis qui est in Cœlo. Qui descendit (*inquit*) de Cœlo. Et quando hoc factum est? Quando assumpsit in vtero matris filium hominis in eandem personam. Ita & tum ascendit filius hominis in cœlum, & est deinceps in cœlo, etiamsi in terra omni contumeliarum genere afficiatur. *Hic Brentius dicit, humanitatem in cœlo & terra simul etiam fuisse tempore passionis.*

Sic etiam ascensionem Christi interpretatur Brentius Homilia 3. *in Acta Apostolorum:* Postquam, *inquit*, venit quadragesimus dies sublatus est in altum, videntibus discipulis, & nubes subduxit illum ab oculis eorum: hoc est, quemadmodum antea per resurrectionem deposuit omnes carnis infirmitates, corruptionem & mortem, quas propter peccata nostra assumpserat, ita nunc per ascensum suum in altum deponit visibilem suam conuersationem in terris, quam quadraginta diebus ad testificandam resurrectionem suam assumpserat. Ascensus igitur Christi in altum, de quo hic sermo est, nihil aliud est quàm depositio visibilis conuersationis in terra, & subductio eius ab oculis hominum, vt non ampliùs conspiciatur ab hominibus in terra conuersans.

Augustus Elector Saxoniæ petit iudicium Academiæ Witebergensis de Brentij libro de persona Christi.

Augustus Elector Saxoniæ hunc Brentij librum Academiæ Vitebergensis Theologis misit, eorumque de illo judicium petiit. Respondent illi Principi, ac primò, certamina cum Sacramentariis ineunda dissuadent: *deinde* fatentur, Lutherum in polemicis scriptis scholasticorum veterum doctrinam sequutum, & proinde non in omnibus probanda: *tertiò docent*, vnum tantùm genus Communicationis Idiomatum esse, in quo vtriusque naturæ proprietates personæ Christi tribuantur: *ac ingenuè fatentur*, falsum & contra Dei verbum esse, si quis humanam naturam in Christo omnipotentem esse doceat, rogantque Electorem, ne ad certamen cum Sacramentariis eos cogat.

Ioannis Parsimonij concio de vera præsentia.

Prodiit eiusdem ferè argumẽti concio Ioannis Parsimonij *concionatoris aulici Stutgardia, quâ veram præsentiam corporis & sanguinis Christi ex fontibus capitum symboli Apostolici & pro alijs firmis, vt ipse dicit, argumentis demonstrat.*

1561.

sensia corporis Christi in Cœna. Libellus contra Suermeromastigas. Abrahamus Musculus refutat libellum Parsimonij. Petri Martyris Dialogus editur, in quo respondet ad librum Brentij de personali unione.

Edidit etiam quidam circa hoc tempus libellum, quo illos qui de Sacramentis rectè sentiunt, hortatur, ne indignè ferant, si Suermeri, *hoc est, fanatici vel mente capti vocentur: neque maledicta maledictis rependant, sed æquo & placido animo omnes iniurias perferant. Nam Christum, Dauidem, Prophetas & Apostolos pro fanaticis habitos esse. Ostendit Germanos* Suermeri *appellationem ab apibus accepisse, quæ statis temporibus ex aduersariis suis non sine fremitu prouolant. Sint ergo ipsi apes, istos esse sinant crabrones. Refutationem argumentorum Parsimonij, scripsit Abrahamus Musculus,* Wolfgangi *F.*

Ad librum verò Brentij, Petrus Martyr, *rogatu amicorum, per Dialogum respondit: attamen tacito Brentij nomine, vt qui non cum homine, sed cum causa dissideret. Agit autem in hoc Dialogo de vtraque in Christo natura, earumq; in vnam personam inseparabilem coniunctione seu vnione: quæ quum fiat saluis naturarum proprietatibus, ostendit humanam Christi naturam propter vnionem personalem non esse vbique. Respondet etiam ad Brentij & aliorum argumenta, quæ in hac controuersia objiciuntur: illustratur & Cœna Dominica negatium: ac orthodoxa sententia perspicuis Scripturæ & Patrum testimoniis confirmatur.*

Brentius scribit contra Bullingerum.

Cæterùm antequam Dialogus Martyris *in manus hominum perueniret, editus est alter libellus à* Brentio, *Latinâ & Germanicâ Linguâ, in quo suam sententiam profert de Bullingeri libro, cui titulus est:* Tractatio verborum Domini, in domo Patris mei multæ sunt mansiones, *&c. idque ut ipse asserit, mandato Principis sui Christophori VVirtenbergici; & propter conscientiam suam, multasque offensiones, se, inquit, dissimulare non potuisse, quin Bullingeri sententiam de cœlo confutaret. In hoc autem libello eadem ferè habet, quæ & in altero illo priore: Nempe, ubicunque Christus sit secundùm diuinam naturam, ibidem etiam esse humanam eius naturam, propter personalem unionem.*

Errores Brentiani libelli contra Bullingerum. 1 De Vbiquitate.

Nam de Vbiquitate ita scribit pag. 10. Ex hoc certissimè sequitur, quòd VBICVNQVE est substantia Deitatis Christi: ibi etiam sit substantia humanitatis eius. Quare cùm manifestum & confessum sit, quòd diuina substantia Christi omnia impleat: fieri non potest, quin omnes sanâ & Christianâ mente præditi fateantur, HVMANAM etiam SVBSTANTIAM Christi omnia implere. *Sed probare prius debuit Brentius, substantiam humanitatis æquè immensam esse, vt est Diuinitatis substantia. Et pag.* 12. Christus verus Deus & homo omnia TAM diuinitate QVAM HVMANITATE suâ implet.

2 Deprauat Brentius doctrinam veterem de personali unione.

Exemplum etiam euidens deprauationis doctrinæ veteris & orthodoxæ Ecclesiæ de personali unione extat in eodem libro pag. 11. *ubi hæc verba leguntur:* Magnum est discrimen inter substantias duarum naturarum in Christo, & inter proprietates seu actiones earum. Substantiæ enim manent perpetuò in suo statu inuiolatæ, nec altera mutatur in alteram, quippe quòd Deitas sit substantia seu essentia spiritualis, quæ non sit creata, sed fuerit ab æterno: humanitas autem sit essentia corporalis, constans ex anima & corpore, nec fuerit ab æterno, sed suo tempore à Deo creata. Hæ substantiæ manent inviolatæ, & immutabiliter vnitæ in vna persona Christi. Proprietates autem & actiones harum naturarum, ea sunt conditione, vt ALTERA ALTERI suas proprietates seu actiones communicet, quòd communicationem Idiomatum vocant. Et quanquam aliquot proprietates mutantur, manent tamen substantiæ immutatæ. *Lutherus autem multò rectiùs:* Tolle, *inquit*, proprietates, & sustulisti naturam. *Et Theodoretus:* Deletio proprietatum, est vtriusque naturæ negatio.

Communicatio Idiomatum in naturis.

3. Sinistrè Brentius in hoc libro interpretatur propositionem hanc, Deus est passus & mortuus.

Sinistrè quoque in hoc libro interpretatur hanc propositionem: Deus est passus & mortuus. *Nam cùm dixisset,* proprietates & actiones duarum naturarum eâ esse conditione, vt altera alteri suas proprietates seu actiones communicet: *postea pag.* 11. *b. hæc subjicis:* Num divina natura in Christo non est facta passionis & mortis Christi particeps, propterea quòd ipsa sit immortalis? Negari non potest, quin facta sit suo modo particeps. Etsi enim divina natura per se est immortalis, tamen quia est in Christo cum humana natura in individuam personam vnita, non fuit tantùm cum ea præsens in passione & morte, sicut cum aliis sanctis, verùm etiam facta est earum tam personaliter particeps, ut verè dici potuerit, Deus ipse passus est & mortuus. *Filius quidem Dei verè dicitur natus, passus & mortuus: quia illa persona quæ est passa, non est homo nudus: sed homo & Deus. Neque tamen in Divinitate, sed carne passus est Christus. Non igitur passio ad naturam diuinitatis pertingit, neque passiones humanæ naturæ, ipsi diuinitati realiter communicantur. Neque ideo nomine tantùm Deus natus, passus & mortuus est: nisi fortè Christus nomine fingatur tantùm Deus, & Filius Dei esse: quòd humanitas eius non est realiter Deus, neque nata est ex substantia Patris. Et mox:* Eodem modo dicendum est de proprietate, quæ est, vbique esse, aut omnia implere. Hæc enim proprietas conuenit tantùm diuinæ naturæ, sed quia divina

natura in Christo assumpsit humanam in vnam individuam personam, non est dubium, (nisi apud homines ψυχικοὺς, qui non accipiunt ea quæ sunt Spiritus Dei) quin hanc proprietatem quæ est omnia implere, cum humana natura ita communem habeat, vt in nullo loco, ab ea fit separata, & vbicunque dici potest; Hic est Christus Deus vnà cum sua maiestate & omnipotentia, ibi etiam verè dicatur; hic quoque necessariò est Christus homo vnà cum corpore & anima sua. *His verbis confert inter se Brentius has duas propositiones:* Deus est passus: *&*, Homo est vbique. *Atque inde euincere conatur, vtrique natura communes esse & passiones, & omnipræsentiam omnia implentem.*

Brentij portenta de Ascensione Christi pie & Calo.

Pagina 27. eiusdem libelli sic portentosè de Ascensione Christi scribit: Cœlum in quod Christus ascendit, & in quo commoratur, non est certus locus spatiis localibus definitus, sed est regnum Dei Patris cœlestis tam in cœlo quàm in terra, vbicunque Deus omnipotentiâ & clementiâ suâ regnat, nec est ad vllum certum locum alligatum, sed VBIQUE diffusum. *Deinde altitudinem cœli à terra metitur, adductâ ad hanc rem Mathematicorum supputatione, qua ascendat ad multa millia miliaria Germanica. Demittit etiam è cœlis molam quandam plumbeam, qua vix intra annos quingentos terram attingere possit, Ex quibus mox colligit*, quando tanta sit altitudo cœli à terra, periculum esse, dum Dominus tantâ passuum tarditate à nubibus in cœlum ascendit empyreum, quantâ in montem oliuarum contendit, ne adhuc vero illo suo locabili corpore ad thronum illum suum, tardo illo motu suo, in cœlum usque empyreum peruenerit. *Item, concedit*, statum futuri seculi locum dici posse: *sed mox adjicit*, Non quòd circumscriptus sit locus, sed vnus perpetuus locus, imò nullus locus. *Affirmat etiam*, quòd postquam Christus in cœlum ascendit, vnà cum corpore suo in regno cœlorum fit. *Subsumit postea*, Cùm regnum Dei non sit cibus & potus, sed justitia, pax & gaudium in Spiritu sancto, hæc autem nullo vel loco vel tempore indigeant, regnum utique cœlorum nullo vel loco vel tempore indigere, sed vbicunque Deus clemens & propitius est, ibi etiam regnum cœlorum esse, & proinde Christum, qui in hoc regno cœlorum sit, corpore suo vbique esse. *Quinetiam dicit*, Quòd nonnulli Veterum & Recentiorum corpori Christi in cœlo tribuunt spatium locale, tantum valeat, quantum rationes eorum valent. *Quibus mox adiungit*, Nisi huiusmodi expositio Patrum sibi concedatur, quà Christus Cœlo non ita captivus includatur, ne possit & velit verè & substantialiter in terra & in Cœna præsens esse, item à dignis & indignis manducari, se planè suam malle sequi sententiam de Personali vnione naturarum Christi, *&c.*

Brentius negat Dexteram Dei esse certum locum.

Negat etiam Dexteram Dei certum locum designare, *sed ait* hanc, & proinde etiam corpus Christi, quod ad eam sedeat vbique esse. *Docet etiam*, quòd maiestas & gloria divina, non tum primùm Christo contigerit, quando ex mortuis resurrexit, sed protinus simul ac in vtero matris conceptus, filius Dei hominem in vnam personam assumpsit. Statim enim eum, *ait*, secum supra omnes creaturas ita extulit, vt vbicunque est Deitas illius, ibi etiam eius humanitas sit. Ergo residentem in cœlis Christum *ait* etiam secundùm humanitatem suam omnia implere, & corpus eius nullo contineri loco, sed per omnia diffundi. *Affirmat etiam*, propter personalem creaturarum vnionem dubium non est, quin rectè dicatur, vbicunque est Christus Deus cum sua maiestate, ibi etiam necessariò est Christus homo vnà cum corpore & anima sua. *Item*; Qui concedere & fateri non vult, corpus Christi esse vbique, manifestè per hoc declarat, etsi multa verbis jactet, de vera præsentia Christi, & vsu Cœnæ Dominicæ, donis item & beneficiis, quæ nobis in ea offeruntur, quòd tamen in intimo corde Zuinglianus sit.

Brentio maiestas & gloria Christo contigit in utero matris.

Mirabantur autem multi Brentium, qui eruditas eius lucubrationes legerant, virum tam multæ lectionis, & annis grauem, præsertim cùm non provocatus esset, contra Bullingerum, in tam absurdi de Vbiquitate corporis Christi dogmatis defensionem descendere, quod tum plerique in ipsa quoque Saxonia oppugnabant.

Selneccerì libellus de Cœna.

Argentorati editus est breuis libellus de Cœna Domini, Nicolai Selneceri: *in quo tria tractat, in quibus potissimùm sententiarum varietas & distractio consistit. Primum est, de intellectu verborum institutionis: alterum, de præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna: tertium, de manducatione. Defendit autem dogma Lutheri, & meliùs quidem, vt multis tum videbatur, quàm alij quidam prolixis libris.*

Ochini liber de præsentia corporis Christi in Cœna.

Basilea item editus est Bernardini Ochini *Senensis Itali liber de corporis Christi præsentia in Cœna Sacramento. In eo tractat de Missæ origine atque erroribus: Item de Conciliatione controversia inter reformatas Ecclesias. Hunc librum illustri & pia fœmina Isabella Manricha Brasegna, qua propter purioris doctrinæ professionem se ex Italia in Germaniam, mox Tigurum, tandem Clauennam in Rhetia contulerat, dedicauit.*

1561.

Witebergensium & Lipsensium Theologorum orthodoxa Confessio de Cœna Domini in Dresdensi Conventu Electori Saxoniæ exhibita.

CVm autem Theologi Vniversitatis Witebergensis *& Lipsensis apud suum Principem Augustum Electorem Saxoniæ à Flaccianis accusarentur, quòd de quibusdam articulis non rectè docerent ac sentirent, ideoque* Dresdam *in Misnia vocarentur,* Paulus Eberus *Pastor VVitebergensis Ecclesiæ suo & Collegarum nomine scriptum obtulit Electori 28. Decemb. huius anni Dresdæ. In eo & summa doctrinæ Melancthonis fideliter repetitur: & remotis calumniis, quæ multos à cognitione huius causæ absterrent, quid in controuersia propriè hæreat, luculentè exponitur. Quæ quidem etiam postea doctrina fuit, quod ad summam sententiæ attinet, eorum, qui magistro duce atque interprete Melancthone, viam veritatis ingressi, eandem Confessionem fide & bonâ conscientiâ coram Deo & Ecclesia docuerunt, & inter probra conuitiorum, & persecutiones falsorum fratrum viuâ voce & scriptis professi sunt, & ad posteritatem, cuius aliquando iudicium, quàm præsentis seculi, melius de hac controuersia erit, pro more vocationis suæ propagare studuerunt. In posteritatis igitur gratiam id hoc loco inserere placet.*

Principale caput doctrinæ de Cœna est retinere veram corporis & sanguinis Christi in legitimo Cœnæ vsu.

Sic autem de verbo ad verbum habet ex Germanico conuersum & Heydelbergæ editum anno 75. De Cœna Domini, propter quam primò in crimen vocamur, profitemur, certò credere nos & docere juxta articulorum nostrorum confessionem, quòd in hoc ritu sumpto pane & vino non perdente suam substantiam, sumatur verum & substantiale corpus, & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi, & quidem illud vivum & viuificum corpus & ille sanguis, cui assumpto de nostra carne & sanguine, fœdere inseparabili, quod nominatur vnio personalis, vnitus est λόγος æternus vnigenitus Filius Dei, sicut in verbis Evangelij communicatio illa corporis & sanguinis veri, non imaginarij aut significati, instituta est. Nec dubitamus adesse præsentem in sumptione illa Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, verè & substantialiter: & ipsum Christum sicut in prima Cœna, quâ ritum hunc instituit, verum corpus suum, quod pro nobis tradidit, & verum sanguinem suum, quem in remissionem peccatorum nostrorum effudit, cum pane & vino nobis exhibere: & testari, se applicare credentibus sua beneficia, & communicatione sui corporis & sanguinis, membra nos sua efficere, & velle in nobis efficacem esse, vt qui propter nos humanam naturam assumpserit, vt hanc sibi insertam seruaret, viuificaret & sanguine suo mundaret & ablueret.

Hanc Confessionem nostram, non nunc primùm sonamus, sed inde vsque ab instaurati Evangelij doctrina in Ecclesiis nostris sonantem didicimus, & Deo juuante constanter retinebimus. Nec existimamus istos, quantumvis iniustos & acerbos censores, hanc verè & sine calumnia reprehendere posse. Nunc hoc scimus, in calumniam & crimen nos vocari, quòd non assentiamur affirmantibus panem & vinum in Cœna hac, essentiale esse corpus & sanguinem Christi (videlicet propriè & sine figura loquendo) & accipi hæc & manducari corporaliter, ore carnali, &c. Item non probamus clamores eorum, qui vt corporis & sanguinis essentialis in pane & vino præsentiam defendant, fingunt in Filio Dei Domino nostro Iesu Christo, assumptæ humanæ naturæ ex fœdere illo admirabilissimo contra veri corporis rationem, accessisse illam soli naturæ omnipotenti competentem proprietatem, vt corpus & sanguis sit vbique.

Singula quæ ab aliis nobis contra negotio Cœnæ. Hac vsquam habent publicæ Confessiones vidi. Protestantium nomine ... exhibita.

Hæc & nonnulla alia his connexa, quòd non pari tumultu cum ipsis asseueramus & propugnamus, solæ veræ causæ sunt, propter quas in hac causa accusamur.

Ergo controuersia est de Vbiquitate, præsentia corporis ad locum panis, & orali manducatione, si absque sacramentali figura loquendi accipiatur.

Fatemur omnino abhorrere nos à prodigiosa illa vbiquitate corporis Christi, quæ nec necessaria est ad retinendam aut propugnandam veri corporis & sanguinis Christi κοινωνίαν & participationem, nec congruit testimoniis vllis, quæ affirmant assumptum esse à Filio Dei corpus hominis verum, & id tale mansisse etiam postquam resurrexit, & gloriosè ad cœlos ascendit. Non enim illius fœderis in assumptione ea ratio est, vt in divinam naturam Filij Dei, propria hominis transfusa vel commixta sint: vel contrà, divinæ naturæ propria in humanam. Vnio est admirabilissima duarum naturarum in personam vnam, inseparabiliter manentibus vtriusque naturæ proprietatibus. Itaque etsi necesse est, esse hunc Iesum Christum vbique tamen prodigiosa oratio est de humana natura, seorsim considerata, dicere: corpus esse vbique.

Vera præsentia est ipsa communicatio corporis Christi: non localis coexistentia ad locum seu speciem panis.

Nec vbiquitas illa commentitia, veritatem verborum Cœnæ defendere vllo modo potest: sed & tollere & evertere eam nequit, etiamsi non fingatur: alius enim est verior & certior defensionis nervus, Christi

Domini

Fundamentum veræ præsentiæ est ipsa institutio.

Domini nostri veracis & omnipotentis institutio & asseueratio, quâ affirmat, cum pane & vino corpus & sanguinem suum se nobis exhibere, adeò certò, vt propter hanc euidentiam & certitudinem participationis ipsum panem visibile suum corpus, vinum, sanguinem suum appellauerit, non quòd fiat abolitio aut annihilatiò substantiæ panis & vini (sicut Papistæ contra Pauli clarissima verba, & contra vniuersæ Antiquitatis sententiam impiè finxerunt) sed vt eò firmiùs credamus, nos sumpto pane & vino verissimè participes fieri veri & substantialis corporis & sanguinis sui, eoque confirmati pretiosissimo pignore sine ulla dubitatione singuli statuamus pro nobis illud diuinum corpus (rectè enim sic nominatur, propter illam, de qua diximus ἕνωσιν ὑποστατικὴν) datum esse: pro nobis pretiosum illum & immaculatum sanguinem effusum esse in remissionem peccatorum nostrorum. Qualis autem sit exhibitionis & præsentiæ modus, cùm sit reuera imperuestigabilis, inquirere & peruestigare nolumus, sed affirmanti & verè exhibenti, veraci & omnipotenti Domino reuerenter credimus.

Causa sacramentalium locutionum.

De modo præsentiæ corporis Christi in Cœna.

Hæc cùm profiteamur & doceamus, miramur illos litigiosos, per vim extorquere nobis velle ἀκυρολογίας illas insulsas, & mysterio huic sacrosancto minimè conuenientes formas: Panis est essentiale corpus, sumiturque ore corporali, corporaliter & carnaliter: præsertim si sine omni interpretatione, illa simpliciter, ut verba sonant, accipi volunt. Iam si corpus verum ac substantiale exhiberi nobis affirmamus: cur φάντασμα aut imaginarium corpus illi intelligunt? Cur nos volunt cogere, ut dicamus panem esse essentialiter corpus Christi, accipi id carnaliter & corporaliter? An igitur cibus est ventris aut corporis? An coqui & digeri Cœnæ huius escam putant, perinde vt reliqui corporis cibi coquuntur & digeruntur? Hæc si non statuunt, ut libenter de ipsis persuademus nobis, etiam desinant ἀμφίβολα illa à nobis & aliis flagitare (sumitur carnaliter & corporaliter) quæ sciunt crassè intelligi, non solùm ab eruditis iis, qui causam hanc primùm disputaro cœperunt: sed etiam à maxima multitudine, quæ cùm longa temporis consuetudine sub Papatu & Monachis ad hanc carnalem opinionem assuefacta sit, hoc ceu fascino quodam capta nunc tenetur, vt abiicere eam nequeat. Scimus totum mysterium & institutum esse admirabilissimum in quo etsi sumptio est visibilis & corporalis, rerum quas voluit Christus ad exhibitionem corporis & sanguinis sui destinare, tamen os & dentes corpus Christi non accipiunt corporaliter, vt isti loquuntur, nec comminuunt. Homini exhibetur, non corpori aut ventri. Ab homine igitur verè sumi statuamus, quod verba promissionis sonant: ac ut fides, teste Apostolo ad Hebræos, ὑπόστασις est seu expectatio rerum sperandarum, & ἔλεγχος, id est, certum argumentum non apparentium: ita hæc in illa sumptione & exhibitione præluceat, vt innixa verbis Christi veracis, & certò promittentis, velut ὄργανον sit, accipiens res inuisibiliter quidem, verissimè tamen exhibitas.

Coexistentia corporis ad locum panis reiecta.

Noua est illa in Ecclesia, & Vetustati ignota Monachorum conuersio & transsubstantiatio panis & vini in corpus & sanguinem Domini, & huic vicina à Scholasticis similiter excogitata, ad panem & vinum associatio seu alligatio essentialis, & quasi localis & carnalis corporis & sanguinis Christi, quam Westphalus & Flaccius defendunt. Ac miramur, cur disputetur tantopere à talibus, quid pani adsit, quum magis necesse sit & prosit scire, quid in homine sit & fiat, Cœnam hanc manducante, quidque huic exhibeatur. Adest enim Filius Dei in hac Cœna non propter panem, sed propter hominem. Huius & beneficiorum ipsius, quâ ratione in sumptione tali quisque fiat particeps, potissimùm ac primò inquirendum & elaborandum fuerat.

Scopus principaliter spectandus in usu Cœnæ.

Nec ignorant illi disputatores, quantam in multis Regnis sæuitiam ac crudelitatem in innocentes & pios plurimos his certaminibus arment & acuant. Horum saltem misereri debebant, etiamsi nobis parcere non vellent, vt velut syncretismo inter nos facto, & collatis in commune viribus oppugnare idolum horribile possemus, quod stans in loco sancto, & subnixum hac solà corporali & carnali opinione, desolationem tristissimam facit. (*Philippus sæpe dixit: Nòs nondum satis refutauimus Missam, videlicet intelligens positâ præsentia corporali ad species seu locum panis semper habere Papistas, quo contra nos pugnent.*) Nam quod prædixit Daniel duodecimo capite: *Colent Deum Maozim argento & auro*, eo significari Missam Pontificiam non ambigimus. Nam etsi regulam allegabunt: Nihil habet rationem Sacramenti extra vsum institutum, eaque oblationem, adorationem, circumgestationem panis refutare conabuntur: tamen quandiu asseuerationem hanc retinent, quòd

1561. quòd hic panis fit essentiale corpus Christi viuentis & regnantis, expedita Monachis responsio est ex verbis institutionis, ut affirment adorationem talem præceptam esse, qualem illi aliquot seculis retinuerunt; precantes, ut per Filium, quem æterno Patri in hoc ritu sistunt, exaudiat eos & benefaciat invocantibus. Cùm enim Dominus jubeat, Cœnam hanc in Ecclesia celebrari in memoriam sui, dicent Monachi, qualis sumptio, aut in sumptione recordatio esse possit sine fide & invocatione, & velut compellatione corporaliter & palpabiliter præsentis, ac semet ipsum in manibus sacrificii post recitationem verborum sistentis? Et vetus supplicum ritus fuit, petere per & propter eorum filios manibus gestatos, quorum opem implorabant. Estque apud gentes hic mos petendi, monstrato præsenti filio, habitus sanctissimus, & ad impetrandam opem efficacissimus. Et quidem cùm præsentem se habere Christum Monachi dicant in Transsubstantiatione illa suæ Missæ, expeditiore compendio utuntur quàm hi, qui verbis quidem illam Transsubstantiationem rejiciunt, ut verè falsam: & tamen panem esse essentiale corpus Christi asseuerant.

Monachis non est opus Vbiquitate ad suam Transsubstantiationem. Monachi scribunt, omnipotentiam Christi viuentis & regnantis talem esse, vt quoties opus est & vsus postulat, & sacrificus verba Cœnæ super pane & vino recitauit, mutare substantiam panis & vini possit in sui corporis & sanguinis (quæ in cœlo sunt & manent, ut Damascenus docet) substantiam, manentibus tamen, vt loquuntur, panis & vini accidentibus. Nec illis est opus tam mirifico & operoso commento de Vbiquitate naturæ humanæ in Christo, quàm hi nostri censores tanto conatu & acumine afferunt, Monachi verò ipsi non obscurè repudiant. Sed sunt utrobique adeò prodigiosa omnia, vt non possimus non cohorrescere cogitando hæc intuentes.

Vtiquista armant crudelitatem Papistarum. Armati autem his crudelitatem horribilem, historiæ nostræ ætatis tristissimæ in Gallia, Hispania, Belgio & alibi nimis verè testantur. Memini à viro fide digno audire hanc historiam: Quum quidans sapiens & doctus vir (cuius nomen *Nota hanc historiam.* studio reticemus) Legatus ex Germania à Principe adiuncto Augustanæ Confessioni, missus ad Regem Galliarum Franciscum, fortuito interventu, magna cum animi consternatione fuisset spectator horribilium suppliciorum, quibus afficiebantur aliquot ciues Parisienses & Scholastici, amplexi puram Evangelij doctrinam, quibus in publica recitatione causarum supplicij, nulla fanatica dogmata audiebat objici, sed sola ea omnia, quæ nostris Ecclesiis, ut impia, & à sede Romana damnata objiciuntur, quòd docuissent, Pontificem esse Antichristum: Opera nostra non mereri remissionem peccatorum & vitam æternam: Sanctos mortuos non esse innocandos: Purgatorium, Aquam lustralem, & similia esse nugas excogitatas quæstus gratiâ: Inter quæ tamen & hoc fuisse eis Imputatum (quo vno se offensum fuisse Legatus dixerat) quòd sequentes veræ Scripturæ testimonia, crederent corpus Christi esse in cœlo essentialiter & corporaliter: nec post verborum Cœnæ recitationem in pane, atque ita vbique esse: ideoque damnarent Missam Papisticam, vt idololatricam, & panis circumgestationem &c. adorationem, vt implam.

Etsi autem tunc, cum Sacramentariis, vt nunc vocantur, errare putârit, negantes præsentiam corporis & sanguinis in pane & vino corporalem & physicam: tamen commiseratione calamitosorum hominum motum, quòd in cæteris piè sentientes nimis inclementer ob hoc unum, ut putabat, erratum interficerentur: quum alia mitiori pœnâ, ut exilij vel qualicunque plecti possent: & fretum gratiâ & humanitate Regis aliquando captatâ occasione, præfatum humiliter dictis veniam, suasisse & rogâsse simpliciter, vt Rex, aliàs clementiæ laude eminentissimus, hanc acerbitatem suppliciorum, quibus Inquisitores in miseros vterentur, suâ interpositâ authoritate mitigaret: saltem tamdiu, donec in universali Concilio controversiæ per Lutherum motæ, semel omnes dijudicarentur; & falsæ damnarentur. Ibi Regem, aliàs mitissimum, & erga hunc Legatum præsertim clementer affectum, cum significatione stomachi erupisse in hæc verba: tamen vos Lutherani eos, qui ita de Cœna Domini sentiunt, ut hæreticos damnatis, & supplicio quovis dignos judicatis. Vobis ergo ita sentire de sacrosancta Cœna hæresim esse, & blasphemiam in Filium Dei summo supplicio dignam à vobis edoctus sum. Quibus igitur Magistratus vestri non parcerent, si quos palàm disputare aut dicere contra realem & corporalem præsentiam corporis in pane benedicto rescirent: Cur mibi & meis vitio vertitis, si eandem in regno meo publicè doceri & disputari adhibitâ justâ seueritate prohibemus? Hoc Regis acri dicto, Legatus domum reuersus, confessus est, se planè obmutuisse, nec aliquid Regi allegantl

ganti nostrorum exemplum respondere verisimiliter potuisset: ab eo tempore de tota hac controversia studiosiùs inquisivisse eruditorum ac piorum virorum sententias, & totius Antiquitatis consensum, quo perspecto, incredibilè se postea percepisse dolorè, quotiescunque viderit aliquos ex suggestu declamitare ad populum, de illa physica & carnali præsentia corporis Christi in Cœna, & ab illa Papistica Transsubstantiatione non multùm discrepante, & altà voce, & conquisitis conuitiorum formis damnare eos summæ & certissimæ hæreseos, qui verum non affirmarent, panêm consecratum esse illud ipsum reale, naturale & essentiale corpus Christi, quod in cruce pependit, idque manducari corporaliter & carnaliter. Ideoque istos clamores, præterquam quòd à veritate alieni essét, sibi auditu acerbiores esse, quòd intelligeret & comperisset reipsa, eiusmodi incommodè dictis & Antiquitati ignotis, confirmari illam horribilem suppliciorum acerbitatem, quorum recordatione penè exanimaretur, quoties eorum memoria quacunque occasione in animum recurreret. Sed ad propositum redeamus.

Apostolorum & Patrum puriorum formulæ loquendi de Cœna retinendæ.

Antiquissimi scriptores Apostoli, & hos secuti puriores, reuerenter & circumspectè valde de Sacro-sancta Eucharistia loquuntur. Horum nos formas libenter retinemus. Cùm Paulus dicit: Panem quem frangimus, communicatio seu participatio est corporis Christi, nos quoque dicimus: Sumpto pane & vino verè exhiberi & sumi corpus & sanguinem Christi: ac vt antea diximus, fidem accipere oportere, vt sit salutaris & vivifica participatio, seu cum Christo consociatio: Nec miscemus hic disputationem de sumptione infidelium. Nam cur de his, qui foris sunt judicemus? Retinemus tamen quod Paulus de talib. inquit: *Qui sumpserit indignè*, &c. Sic de Cœna Irenæus inquit, *cõstare eam duabus rebus, cœlesti & terrenâ*. Nec dubium est, quin terrenâ vocet panem. Huic adiungit cœlestem, verum corpus Christi. Sic Synodus Nicæna inquit: *Non accedamus ad panem & poculum in divina mensa propositum: sed mentem attollentes fide cogitemus, jacere in mensa agnum Dei.* Coniungit igitur panem & corpus Domini. Et huic mẽtem & fidem aptans, tollit attentionem sensuum exteriorum. Sic Hilarius inquit: *Si verè carnem corporis nostri Christus assumpsit, & verè homo ille Christus est, nosque verè sub mysterio carnem corporis sui sumimus: & per hoc vnum erimus, quòd Pater in eo, & ille in nobis.* Et deinde: *De naturali enim Christi in nobis veritate, quòd dicimus, nisi ab ipso didicerimus, stultè atque ineptè dicemus. Ipse enim Christus ait: Caro mea verè est esca & sanguis meus verè est potus: qui edit carnem meam & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Non enim in Christo erit, nisi in quo fuerit ipse, id est, nisi prius sit factus membrum Christi.* Hæc omnia testantur, sensisse Hilarium, quòd his rebus, pane & vino sumptis, sumatur in mysterio verum corpus & verus sanguis: atq; ita verè adsit Christus & sit efficax. Et similes sunt sententiæ multorum. Sic enim & Cyrillus inquit: *Vnde considerandum est, non habitudine solùm, (id est, nostri affectus similitudine) qua per charitatem intelligunt, Christum in nobis esse, verùm etiam participatione naturali.* Quibus verbis significat, verè adesse Christum atque efficacem esse. Nam expressè de Sacramento loquitur. Epiphanius diligenter describens & dogmata Ecclesię, & deinde Sacramenta, inquit: *Cibus quidem panis est, sed in eo corpus Christi, quod vivificat.* Disertè inquit in Eo. Nondum enim orbis terrarum vanitatem illius disputatricis Theologiæ in hac disputatione notat, qualis postea secuta est de Transsubstantiatione, Vbiquitate & similibus Cyprianus inquit. *Nec potest videri sanguis eius, quo redempti & vivificati sumus, esse in calice, quando vinum desit calici, quo sanguis Christi ostenditur.* Augustinus satis clarè in pluribus locis, si dextrè intelligatur, panem & corpus Christi coniungit. *Quod videtur, panis est, quod fides postulat instruenda, panis est corpus Christi.* Et perspicuum est Gelasij Pontificis Romani testimonium, qui inquit: *Certè Sacramenta, quæ sumimus, corporis & sanguinis Christi, diuina res sunt, propter quod & per eadem efficimur consortes diuinæ naturæ, & tamen non desinit esse substantia vel natura panis & vini.* Cum his igitur doctoribus vniuersæ Ecclesię in hac causa, loquimur, ac de modo præsentiæ & exhibitionis non curiosè disputamus. Testamur nos eos improbare, qui negant adesse & sumi in Cœna verum & substantiale corpus Christi. Abhortemus enim à profanis judiciis, pro suo arbitrio hanc sacro-sanctam Cœnam reformantibus.

In vsu Cœnæ Dominicæ.

Ac vt de vsu eius, qui est dulcissimus, rectè Ecclesia erudiri possit, hanc quam recitavi sententiam, retineri in Ecclesia oportere omnino statuimus: nec quid de vsu statuamus & doceamus, prolixè hoc loco ostendemus, cùm extent libri, quos confessionem nostram esse volumus. Affirmamus, Cœnam hanc testimonium esse applicationis, quod non intelligi volumus, vt Monachi loquuntur, ex opere operato, sed cùm fide accipitur. Nam cùm colligat Deus Ecclesiam, editâ promissione, tantùm illi fiunt hæredes vitæ æternæ, qui promissioni credunt,

1561. credunt. Voluit enim illustri testimonio visibili omnibus ostendere, se promissionem eis applicare, qui eam fide amplectuntur, & testificari quòd promissio ad eos pertineat. Fructus igitur & usus Cœnæ principalis est hoc testimonio fidem confirmare & statuere quòd hoc tanquam pignore seu sigillo communicationem corporis & sanguinis sui & omnia sua beneficia Filius Dei applicare se testatur. Simul etiam ostendit, se velle deinceps esse in eo, quem in hac sumptione membrum suum fecerit, hunc velle deinceps docere, tegere, seruare, & in nouissimo die resuscitare, & in corpore eius quod antea fragile, mortale, peccato obnoxium fuerat, in tota æternitate, sapientiâ, iustitiâ, lætitiâ, & vitæ æternitate complere, & suæ massæ corpus assimulare, quam propterea assumpsit, ut nos qui in tota æternitate perituri fuissemus, sibi insertos tanquam surculos servaret & vivificaret. Hæc omnia primò & principaliter Filius Dei in hac actione testatur. Et prodest sumptio, cùm fides hæc intuetur. Postea accedunt alij fines. Est igitur hæc Confessionis nostræ summa: quæ si displicet nostris Censoribus, judicet Synodus, utrius partis sententia magis sit fidei analoga. Nos Filium Dei volumus de nostris voluntatibus esse testem & judicem, simplici studio nos veritatem quærere & tueri, & hunc ut veritate nos sanctificet, toto pectore oramus.

Pauli Eberi inconstantia & levitas. *Cùm autem Brentius & Flacciani non quiescerent, sed, missis ad Electoris aulam Saxonicam crebris litteris, vehementer Theologos* Witebergenses *& Lipsenses oppugnarent, & in suspicionem adducerent, ac si de sacra Cœna non id sentirent, quod Lutherus: Aula furore & irâ percita, Academia utriusque Theologos Dresdam accersitos, denuò voluit re deliberatò scriptum componere, quo suspicio hæc dilueretur, & à terra Saxonica prorsus depelleretur. Eo res Paulum Eberum valde perturbabat & angebat. Idcirco etiam nunc hos nunc illos accersebat, consilium expetens, quid faciundum foret, si juberetur contrarium scribere, aut profiteri priori scripto, eique sententiæ, quam certò & indubitatò veram esse cognouisset, & cuius Confessionem sine vulnere conscientiæ abiecturus non esset. Vocabat & D. Peucerum pridie eius diei, quàm iter ingrederetur, & quid consuleret rogabat.* Teipsum, *inquiebat*, & conscientiam tuam, cum vera & ardenti Dei invocatione, ut consulas necesse est: Constituas tecum certò ante omnia, utrius censeas sententiæ fundamenta veriora esse ac solidiora: & in ea te regi atque confirmari petas à Spiritu Sancto: aliud, quod consulam, non habeo. *Respondit ille*: At verò jam mecum indubitatò constitui, alteram illam Helvetiorum sententiam, quàm Lutheri firmiorem esse, & firmioribus niti argumentis, propterea in hac persistere decreui, quæcunque etiam euenerint. Delegi jam locum exilij: neque ad exilium tantùm paratus sum, sed etiam ad rogum, si sit opus. Hæc mihi, *inquit Peucerus in Narratione historica sententia Philippi de Cœna Domini*, verba Eberum dixisse pridie antequam iret ingrederetur, Dresdam profectutus ad eam deliberationem, in qua subito sententiam mutavit, Deus nouit, nihil mentior, nihil fingo.

Georgij Maioris inconstantia. *Eodem tempore D. Georgius Maior, de suo, quam Dresda editurus esset, Cõfessione, requirebat etiam judicium Peuceri, Eam cùm legisset ille, subjiciebat:* Si animo ad exilium perferendum parato es, nihil obstat quin mox exhibeas eam: Sin exilium refugis, cogites priùs quid facias. *Vbi verò exilij ab eo facta esset mentio, etiam ille mox resiliens*: Neutiquam, *inquit*, eam in manus cuiusquam pervenire sinam. *Pauli Crellij sententia Eberi & Maioris non fuit dissimilis sermonibus & consiliis.*

Hi tres itaque profecti Dresdam, cùm ante iter illud rectè & constanter sentire de Cœna Domini, & nulla pericula extimescere, fortes ante pralium, nulla reformidare odia vel exilia videri vellent: mox uno momento mutati: repudiato eo, quod pro vero & certo habuerant, amplexi sunt contrarium: non oliis, ut ferebant, impulsi causis, quàm metu exaggeratorum periculorum, ne odia conflarent noua, aut bellum aliquod Saxoniæ attraherent. Liberarunt ergo suspicione Academiam, sed cum jactura abnegata veritatis, contra conscientiam.

M. Stutionem affligit apostasia P. Eberi moritur. *Defectio hæc sui Pastoris insperata prorsus & inopinata, Diaconum illius* M. Stutionem *adeò excruciauit, ut mœrore confectus non multò pòst moreretur, nec ad Pastorem morbi & mortis suæ causam esse dissimularit, hanc ipsam defectionem ob ea sententia, in quam primus ille ipsum induxerat sua voce & authoritate.*

Liber Eberi post apostasiam contra conscient. *Ex hac mutatione liber Eberi natus est de Cœna Domini Latinè & Germanicè editus postea* Witeberga *anno* 63. *quem ille contra conscientiam, temerè consutis undique malè cohærentibus laciniis consarsit in eam sententiam, ut nec Flaccianis satisfecerit, & in* Wittenbergicos *impegerit: sed ab Helvetiis dissentire præcipuè videri voluit.*

In Proœmio longâ oratione reddit rationem sui consilij: nec vult videri hanc Camerinam alieno tempore mouisse, aut hac suâ testificatione, aut condemnatione creare periculum multis fidelibus, in Ecclesiis aliarum gentium.

Deinde recitat historiam horum motuum: testatur

flatur seriò, sese reiicere Transsubstantiationem eamque esse fundamentum regni Pontificii. Sed neque se probare posse audaciam Carolostadii, Zuinglii & sociorum, qui propter absurda physica, & ex curiositate, discesserint à proprietate verborum, ad interpretationes tropicas.

Tertiò proponit, ut ipse ait, præcipua argumenta adversariorum: & initio fatetur, non se posse ad omnia respondere, neque tamen hoc referre. Deo enim mandanti credendum, etiamsi multa contrà disputet ratio, quæ sint inextricabilia homini.

Recenset autem primo loco tale Nostrorum argumentum: Vbi dictum aliquod Scripturæ pugnat cum alio articulo fidei, oportet decurrere ad interpretationem tropicam. Hæc propositio: Panis est corpus Christi, pugnat cum articulo fidei, Ascendit in cœlum: Ergo mitiganda est interpretatione figuratâ. *Respondet Eberus ad regulam de absurda*, non habere eam locum in articulis fidei: propterea, quòd hi expositi sint sermone simplici, sine ulla ambiguitate. Deinde cùm neque Christus ullo alio in loco, quod aliàs solet, hanc propositionem tanquam figuratam, exposuerit: neque Paulus redarguerit falsum intellectum huius propositionis, sed simpliciter verba Evangelistarum repetiverit, nullum esse locum tropo. *Si verò dixerit quis*, esse absurdum physicum, sciri debere, Deo nihil esse impossibile. Præterea frustra allegari absurditatem Theologicam, quæ hoc loco nulla sit. Adhæc articulum fidei, *inquit*, non labefactamus. Natura humana Christi non est ubiq;. Retinemus etiam regulam, Negans proprietates, negat naturá, interim modus præsentiæ corporis in Cœna verus est, sed investigabilis: Quia Deo omnia possibilia: Dicta verò Scripturæ, quæ testantur abductam esse à nobis naturam humanam Christi, loquuntur de præsentia eius corporali, visibili, nobis erepta.

Ad testimonia Antiquitatis, quæ allegantur pro confirmatione nostræ expositionis verborum Cœnæ respondet Eberus: Veteres, ut Augustinum, Ambrosium & alios, parùm sibi constare. Loqui enim eos hac de causa dissimiliter: sicut usitatum sit, aliter disserere inter doctos, aliter in popularibus concionibus.

Postea copiosa ratione exponit, quomodo nostri conquerantur, illa opinione præsentiæ corporalis cum symbolis, confirmati idololatriam Pontificiam, adorationem, oblationem, & similes prophanationes horrendas. Ibi respondet, injuriam ipsis fieri.

Pergit deinde, & recitat, quosdam opinari, hoc certamen de corporali præsentia, esse inutile. Nullam enim posse monstrari utilitatem præsentiæ. *Valde hos obiurgat. Inquit*, hoc modo colligi posse, totam Cœnam inutilem esse, cùm tamen universa vetus Ecclesia, hoc ingens mysterium celebraverit: nunc verò exortos esse istos recentes, qui audeant cum Deo litigare: ac ita hominum animis instillare opiniones prophanas, & contemptum Religionis.

1561.

Quartò, incipit exponere & munire suam sententiam. Inquit, se pugnare de substantia Cœnæ, & ingredi se mediâ viâ inter Pontificios & Zuinglianos.

* *Primum ejus argumentum hoc est*: In universa institutione servandum est τὸ ῥητὸν, & omnia vocabula propriè vel simpliciter intelligenda sunt. Dat in manus, iubet comedere: Ergo dat substantiam, non sola accidentia. Dat corpus: Ergo non figuram, sed verum corpus modo arcano, non aliquâ durabili alligatione. *Demonstrat hoc ex circumstantiis: Primùm*, loquitur ipse Filius Dei, qui omnia potest, & loquitur hoc proximè ante agonem: Ergo sine tropo. Loquitur hoc in mensa: Ergo edere, bibere, simpliciter. De manducatione spirituali disertè postea dicitur: Hoc facite in mei commemorationem. *Secundò*, Hoc corpus quod pro vobis traditur: Ergo corpus verum. *Tertiò*, loquitur ad Apostolos, quibus aliàs solet declarare parabolas: hîc non declaravit, neque post resurrectionem aliter exposuit. In tota narratione tantùm unicus est tropus, Calix pro haustu.

Secundum argumentum Eberi propugnantis συνουσίαν, est à consensu Evangelistarum, Pauli, & ab expositione Paulina. Ponderat verba: panis est κοινωνία corporis. Dicit κοινωνία, ut reiiciat prædicationem identicam, & ostendat esse unionem sacramentalem. Deinde postulat reverentiam. Ergo adest ibi verum corpus. Non discernunt corpus Domini. Ergo non solùm loquitur de symbolo.

Postea præ se fert secum stare universam Antiquitatem, etsi nulla citet testimonia, sed in genere perpetuam mentem Veterum proponat. Loquuntur, *inquit*, eum singulari reverentia de hoc Sacramento, & Symbola plerunque nominant non appellatione panis & vini, sed corporis & sanguinis Domini: prædicant hoc sacro-sanctum mysterium, quòd datur nobis comedenda caro Domini, & quòd Christus in nobis vult esse etiam participatione naturali: petunt inde argumenta contra Arrianos de unione duarum naturarum in Christo. Hostes Ecclesiæ ex occasione huius Cœnæ accusârunt Christia-

1561. nos apud Imperatores, quòd vorarent carnem humanam. *Hanc doctrinam mansisse vult Eberus usque ad Carolum M. sub quo cæperit dogma de Transsubstantiatione, eam eversam esse scriptis Lutheri, Confeßione Augustana & Apologia.*

Præterea, domestico quodam encomio prædicat sententia suæ bonitatem: ais eam esse simplicissimam, nullis involutam ambiguitatibus, facilè intelligibilem, & mentem piam in simplici intellectu vocabulorum facillimè acquiescere: adversarios verò subinde titubare, dubitare, modò in hoc, modò in aliud abripi diverticulum: & in tentatione dubitanti conscientiæ non posse satisfieri, cùm discedat à simplici sensu verborum Christi.

Insuper, oratione penè atroci accusat Zuinglianos, quòd authores sint duorum maximorum malorum. *Primùm*, extenuari ab ipsis dignitatem huius Sacramenti: eripi inde anxiæ menti suam necessariam consolationem: & contrà stabiliri in plurimorum animis profanitatem & contemptum sanctissimæ Cœnæ. *Secundò dicit*, ex ista opinione adimi nobis dulcissimam consolationem de corporali communicatione & inhabitatione Christi in piis, contra testimonia Scripturæ, & doctrinam Veterum. *Denique subinde Confeßionem & Apologiam Augustanam, authoritatem Lutheri & Philippi obiicit.*

Quintò, agit de duplici manducatione. Ibi primum prolixè fatetur, de spirituali manducatione congruere inter sese omnium sententias: præliatur tamen acriter sextum caput Ioannis non esse accommodandum ad causam Cœnæ. Nullam enim ibi fieri mentionem ritus sacramentalis, verùm solùm spiritualis manducationis, quæ fit in omni conversione. *Postea, ubi manducationem sacramentalem vel corporalem constituit, ne videatur ludere cothurnis, satis crasse sese explicat.* Neque enim illud Mum Mum sonat, sed apertè *inquit*, ex manu sacerdotis, ore accipi verum Christi corpus. *His peractis, loquitur de dignis & indignis: & urget primùm hoc:* Reus est corporis: Ergo præsentis. Nam de absente esset impossibile. *Tandem planè novam, & quidē mirabiliter mõstrosam Chimaram, de triplici genere hominum percipientium Sacramentum, adfert. Dividit enim sumentes* in infirmos, indignos & impios. *Ad infirmos quidem dicit non pertinere Paulinam communicationem*, sed propter illos præcipuè esse institutam Cœnam. Indignos *nominat* Hypocritas, qui sunt sine pœnitentia, etsi sunt in cœtu Ecclesiæ, & cum Ecclesia in externa professione doctrinæ coniuncti: tales manducare quidem corporali modo verum Christi corpus, sed ad iudicium. Hoc iudicium verò intelligendum de pœnis corporalibus: sicut dicitur: Cùm iudicamur à Domino corripimur. Impios *vocat* illos, qui sunt alieni à doctrina & cœtu Ecclesiæ: tales, *inquit*, non manducare corpus Christi, quia illis nihil est institutum.

In Epilogo mirè pictâ concione hortatur Zuinglianos, ut abiiciant rationes philosophicas, nec acumen ingeniorum anteferant voci Divinæ: libentiùs etiam sequantur in hac causa Lutherum, quàm Carolostadium: *Et hanc viam Concordiæ ipse proponit: eam tamen si quis accipere nolit, hunc orat*, ne sua placita spargat in populum, sed sibi sapiat. *Postremò, omnibus & qualibuscunque rationibus, quæ contra se in aciem producentur, ait se oppositurum unicum clypeum* αὐτος ἔφα.

Intelligimus ergo, quantùm Eberus post suam Apostasiam in hoc scripto mutatus fuerit, ab eo, qui fuit in scripto Augusto Electori anno 61. Dresdæ vicesimo octavo die Decembris exhibito.

Ioachimus Cureus respondet Ebero.

Opposuit autem huic Eberi scripto Ioachimus Cureus Freistadianus *aliud, in quo doctè & solidè ad omnia & singula ejus argumenta respondet: cui titulum fecit:* SPONGIA exigua & mollis, comparata ad eluendos colores, quos illevit controversiæ de sacra Cœna D. Paulus Eberus Pastor Ecclesiæ Witebergensis. *Ei adjunxit scripta & literas aliquot Philippi Melancthonis & aliorum de eodem controversia: editum Heidelbergæ anno 75.*

Eberus à mutatione suæ sententiæ odit constantes viros.

Cæpit etiam ab hac sua mutatione Eberus D. Pencerum & alios quosdam pios & doctos viros odisse, nullâ tamen laceßitus culpâ eorum, & à Pencero præsertim multos bonos viros abalienavit. Imò ne apud Principes quidem ei pepercit, sed quos potuit in ipsum concitavit. De qua re cùm eum, adhibito teste Georgio Maiore, compellâsset & ostendisset, se non posse ea facilitate agnitam veritatem abjicere, quâ ipse abjecisset; tacuit prorsus, ita consternatus, ut exanimi similis videretur. Sed nullum deinceps verbum ampliùs inter eos de hac controversia intercessit, Pencero omnia dißimulante, & ipsum, ut Pastorem, colente.

Pridie tamen antequam moreretur Eberus, & nocte, qua intercessit, & tota illa die Pencerum aliquoties ad se vocare iußit. Cùm accessisset tandem, cupere se quadam cum eo loqui ostendebat. Iubebat, ut se colligeret, quòd vires eius admodum tum defecissent: aliquoties autem conantem ordiri sermonem, vires destituerunt. Ita quid fuerit illud de quo Eberus compellare cupivit Pencerum, cognoscere non potuit: ut Pencerus ipse

refert

refert in Narratione sua historica de Cœna Domini.

De hac Apostasia Pauli Eberi & sociorum, tale epigramma Ioannes Maior eodem tempore perscripsit:

Vere novo nox una fuit, quæ vertere in aula
Tres potuit missos Leucoris urbe viros,
Aula Scholam vicit studiis: quid amicè requiris?
Ver varium est: lucem nox fugit: aula crucem.

Quòd autem in scripti sui prioris sententia vera & orthodoxa, Eberus & qui tunc eius collegæ fuerunt, non perseverârunt postea, sive metu periculorum fracti, sive hominum gratia aucupandæ studio impulsi: id tamen neque veritatem, quam illi ipsi antehac professi fuerunt, evertere potest: neque afferre præiudicium iis debet, qui doctrinam consentaneam sacræ Scripturæ & analogiæ fidei, firmiter retinendam; & alterum incommodis opinionibus (magis ex vulgi consuetudine & superstitione Papatus, quàm ex veris fundamentis & rationibus depromptis, atque adeò in priori scripto Eberi rejectis) propter conscientiæ suæ testimonium anteferendam esse statuerunt.

De Persecutione Alberti Hardenbergii propter orthodoxam sententiam de Cœna Domini, & Vbiquitatis improbationem.

HOc etiam anno Albertus Hardenbergius, *Cathedralis Ecclesiæ in urbe Bremensi Concionator, propter certamen inter ipsum & reliquos ejus urbis Ministros de Cœna Domini & Vbiquitate corporis Christi excitatum, magnaque contentione agitatum, discedere inde iussus est. Venerat is superioribus annis Tigurum, ibique veram & orthodoxam de Cœna Dominica sententiam ex Bullingero melius pleniusque didicerat, quam deinde, Bremæ ob singularē doctrinam & eruditionem summi Templi Concionator creatus, publicè docere cœpit, sic tamen, ut etiam illi, qui diversum sentiebant, offendi meritò non potuissent, sicut ipsemet ad Bucerum in Angliam scripsit. Cùm autem Ioannes Timannus Amsterodamus Pastor Bremensis in Martiniano Templo in libello à se edito hæc verbo singulis ferè paginis repetiisset;* Corpus Christi est ubique, *eoque monstrosum & novum illud Vbiquitatis dogma ab inferis revocare & animis hominum instillare conatus esset, ad stabiliendam opinionem de existentia corporis Christi ad locum panis, palàm illi Hardenbergius restitit, & inauditam hanc in Ecclesia doctrinam publicè privatimque ex Verbo Dei & veterum Patrum scriptis taxavit. Quo factum est, ut multi non solùm ex promiscua plebe, sed etiam ex Senatoribus, inprimisque* Daniel Burenius *Consul doctrinam & sententiam ejus de Cœna amplecterentur, & Vbiquitatem damnarent. Adversarii eius animadvertientes se causâ impares esse, astutè hoc egerunt, ut relictâ ubiquitate, causam de Cœna arriperent, in qua illum ad Senatum violati nuper promulgati decreti de vitanda Sacramentariorum doctrina, ad vulgus autem mutata de Cœna doctrina usitata, & defectionis à Lutheri sententia, accusârunt. Senatus Hardenbergium ad se accersitum, ut clarè ac perspicuè suam sententiam exponeret & declararet, cohortatus fuit. Ipse verò, re priùs cum Capitulo communicatâ, respondit, se à iurisdictione Senatus exemptum esse, nec hoc sibi per Capitulum licere. Senatus denuò per* Danielem Burenium *Patronum, &* Arnoldum Bobertum *adversarium ejus cum ipso egit. Sed idem quod priùs respondit. Bobertus tamen impudentissimè coram Senatu ausus est dicere,* D. Albertum in hanc se declarasse sententiam: Se cum reliquis Concionatoribus consentire, eandemque cum ipsis de sacra Domini Cœna doctrinam profiteri: *Nempe,* quòd nobis mensam Domini accedentibus, credendum nec aliter statuendum sit, quàm si sub cruce considentes, sanguinem Christi ex vulneribus ipsius exugeremus. *Item,* Credendum esse, quòd corpus Christi in omnibus totius mundi locis, in quibus Cœna Dominica celebratur, præsens sit. *Consul igitur Burenius sermonem Arnoldi interrumpens, non hæc Albertum loquutum esse affirmavit, non enim hoc ipsum credere, si quidem corpus Christi circumscriptum sit, & non nisi uno in loco simul & semel.*

Senatus igitur motum aliquem metuens, VVitebergensem Academiam hac de controversia consuluit Anno 56. Decemb. die 22. Respondet autem Bremensibus Philippus suo, suorumque Collegarum nomine, & perspicuè exponit, quid sentiat Academia de Propositione, quam Concionatores Bremenses contra Hardenbergium defendere conabantur: nimirum, Panis est verum & essentiale corpus Christi. Verba ejus hæc sunt.

1561.

Gratia Dei per Filium eius unigenitum Iesum Christum, unicum nostrum & verum Salvatorem, unà cum gratulatione de felici novi anni auspicio.

Philippi literæ ad Bremenses, in quibus declarat, quod sit sententiam de propositione hac: Panis est verum & essentiale corpus Christi.

HOnestissimi ac prudentissimi viri, Domini colendi, Legatum Prudentiæ vestræ audivimus, & scripta ac Confessiones nobis exhibitas diligenter perlegimus. Intelligimus autem prudentias vestras; quod bonorum gubernatorum officium laude dignum est, cupere, ut dissidia Ecclesiarum in regionibus his avertantur. Itaque significamus vobis, etiam in hac nostra Ecclesia, & tota Ditione subjecta Magistratui nostro, Articulum de Cœna Domini unanimiter juxta Confessionem publicam Ecclesiarum in his regionibus anno 1530. Augustæ exhibitam proponi ac retineri. Neque enim animus nobis est dissidia excitare, sed in Confessione, quam nominavimus, manere constituimus, ac maximè optamus, ut in Deo unum simus perpetuò, & ut Ecclesiæ totius Saxoniæ, Templa Dei sint ac maneant.

Vt autem consensus retineatur, iudicamus utile esse, ne peregrinæ disputationes huic articulo misceantur, & ut usitatæ formæ loquendi modestè retineantur. Nec verò scimus à doctis & eruditis in Ecclesiis Saxonicis hanc propositionem usurpatam hactenus esse: *Panis & vinum est essentiale corpus ac sanguis Christi*: sed illa forma, quâ dicitur: *Cum pane sumitur corpus*, usitata semper fuit, eaque congruit cum illa Paulina: *Panis est communicatio corporis.* Ac ad cavendos multos horribiles abusus, & idola, necesse est expressè hoc addi: *Quòd nulla res neque ritus ullus extra usum à Deo institutum possit esse Sacramentum.*

Cùm igitur valde necessarium sit, probatas & consentientes formas loquendi retinere, etiam propter posteros, iampridem nos & alii summorum & Inferiorum Ordinum multi, optavimus & adhuc optamus, ut ex omnibus Ecclesiis, quæ veram doctrinam Evangelii amplexæ sunt, pii & eruditi viri conveniant publicâ authoritate ad colloquium de multis rebus necessariis. Ad talem conventum nos semper obtulimus. Ac Deum oramus, ut ipse per gratiam suam negotium hoc promoveat.

Hæc ad scripta P. V. iudicavimus nunc respondenda esse, ut ostenderemus, nos etiam cupidos esse conservandæ piæ, Deo iuvante, Concordiæ. Filius Dei Dominus noster Jesus Christus, Rempub. & Ecclesiam vestram, & P. V. cum omnibus suis semper tueatur & gubernet, &c. 11. Ianuarii Anno 57.

Subscripserunt:
Ioannes Pomeranus.
Paulus Eberus.
M. Lucas Hezerus.
Philippus Melanchthon.
Sebastianus Froschel.
M. Ioannes Sturio.

De hac Philippi Responsione scripsit Selneccerus & alii, ipsum Bremensibus respondisse verbis non satis dilucidis: *Quia scilicet non damnavit veritatem, non diris devovit Sacramentarios, ideo Selneccero obscura visa fuerunt.*

Decretum Bremensium de causa Eucharistica.

Hac responsione allatâ, & Bremæ in Curia coram tota multitudine perlectâ, dictisque in utramque partem sententiis, decretum tandem est, in hoc Eucharistia certamine à verbis Augustanæ Confessionis & Apologiæ (quæ ob hanc causam è vestigio multitudini bis prælecta fuit) minimè recedendum esse: In eis si etiam Hardenbergius persistere, & iuxta illius præscriptum docere porrò vellet, in sua functione, citra ullam remoram, ipsum relinqui debere. Id verò facere recusavit Albertus, & scripto exhibito, primò declaravit, se iuxta Verbum Dei Cœna Domini docturum: Deinde ostendit, multa esse Augustanæ Confessionis exemplaria, non in verbis solùm sed in ipso etiam sensu inter se discrepantia: eamque esse Augustanæ Confessionis rationem, ut pro temporis & circumstantiarum ratione, metu inprimis potentia Pontificis Rom. & Caroli Imperatoris conscripta fuerit: Multa etiam adhuc in ea Confessione esse, quæ Papistarum sententiam confirment: Illos ipsos denique, qui Confessionem illam conscripserint & exhibuerint, multis Papatus erroribus contaminatos fuisse. Nihilominus tamen promisit, se Augustanam Confessionem in illo sensu, quo Philippus eam intelligi vellet, admissurum esse. Hac responsione ab Alberto datâ, propter bellum tunc temporis contra VVersatos à VVisbergio motum, cui Bremensis etiam Respub. implicabatur, negotium eius aliquantisper dilatum fuit. Rex autem Daniæ Christianus, apud Senatum Bremensem institit, ne Alberti negotium procrastinarent, & si usus ita exposceret, se operâ suâ ipsis præstò futurum esse.

Hardenbergii protestatio.

Episcopus Bremensis Hardenbergium ab instituto dehortatur.

Finito bello, Archiepiscopus Bremensis etiam, Confessione Hardenbergii lectâ, eum, ut ab instituto suo desisteret, adhortatus est: Eum enim, quam tueretur sententiam, damnatum olim Berengarii errorem esse: Formulam etiam

revoca-

revocationis valde insidiosam ipsi præscribi curavit. Cùm autem ipse nihilominus in instituto pergeret, Archiepiscopus totam causam ad inferioris Saxoniæ Principes atque Ordines omnes devoluit. Illi Bremam Legatos & Consiliarios suos amendârunt: qui, ut rem cum omnibus circumstantiis eò melius cognoscere, & rectius expeditiusque, procedere atque decernere in toto negotio possent; utriusque partis de Cœna Dominica Confessionem scripto comprehensam, sibi exhiberi iusserunt. Bremenses Concionatores Confessionem suam illis obtulerunt: Hardenbergius quoque scripta sua, & quæcunque in tota causa ad illud usque tempus gesta erant Ordinibus exhibuit; Simul autem ad iudicium trium Academiarum, Heydelbergensis, Lipsensis & Witebergensis provocavit: Tubingensem autem Francofurtensem O adderam, Rostochianam & Ienensem nominatim, tanquam suspectas, excepit.

Hardenbergis causa Principibus ac Ordinibus inferioris Saxoniæ demandatur.

De his rebus cùm aliquot Conventus inferioris Saxoniæ Ordines instituissent & habuissent, tandem February tertium diem anni 1561. *Conventui in urbe Brunsuiga habendo dixerunt: ad quem aliquot Theologi & Pastores, cùm Principum tum etiam Civitatum inferioris Saxoniæ Augustanam Confessionem profitentium, unà cum Politicis Consiliariis accersiti fuerunt. Coram his omnibus Hardenbergius scripto publicè exhibito ostendit, tribus capitibus totam controversiam contineri.*

Hardenbergii causa tribus capitibus continetur.

Primò, non se assentiri Concionatoribus Bremensibus in eo, quòd doceant, Christi verba in Cœna, sicuti sonant, absque omni tropo intelligenda esse.

Secundò, quòd dicant, Panem benedictum in Eucharistia esse substantiale corpus Christi.

Tertiò, quòd affirment, corpus Christi substantiale præsens esse in Cœna Dominica, omnibus illis in locis ubi ea celebratur.

Cùm in hoc scripto rotundè se Hardenbergius sic declarâsset, Consiliarii & Theologi, & D. Alberti, & Bremensium etiam Ministrorum Confessionibus, quas in certas propositiones sive articulos redactas utrique obtulerant, perlustratis, consultum iudicârunt, ut utraque pars, quidnam in alterius propositionibus desideraret, scripto exponeret.

Bremēses igitur in suo scripto Christi verba in sacra Cœna recitarunt, & ad decimum Augustanæ Confessionis Articulum, ad eiusdem Apologiam, Articulos Smalcaldicos & Lutheri Catechismos provocarunt: Hoc etiam addentes, D. Albertum docere, essentiale Christi corpus in uno tantùm & certo cœli loco circumscriptum, in Cœna Dominica hìc in terris non substantialiter, corporaliter & essentialiter, sed tantùm virtute & efficaciâ suâ præsens esse: quemadmodum Sol uno & certo cœli loco affixus, nihilominus calore suo ubique operetur: *Item*, Solos credentes, non etiam impios corpus Christi accipere.

Bremēses in Hardēbergii doctrina ac propositionibus quid desiderarint. Doctrina Hardenbergii de Cœna.

Utriusque partis scriptis ad hunc modum, ut diximus, ponderatis, Hardenbergio indicarunt, Ordines certum aliquem ex præsentibus Theologis designare velle, qui ipsorum omnium præsentia, de singulis articulis controversis, cum eo conferat, si eâ fortè ratione dissidium componi queat. Hardenbergius autem recusavit tale colloquium, quòd omnes Theologi præsentes sibi suspecti essent: Nam Paulum ab Eizen infensissimum ipsius hostem esse: Davidem Chytræum, discipulum quendam suum de Cœna Dominica examinatum, ob editam veritatis Confessionem hæreticum pronunciâsse. Reliquos Theologos sibi ignotos quidem esse: sed quia adversariis & hostibus suis assiderent, facile se colligere posse quid pronunciaturi essent: Ad publicam igitur se provocare Disputationem, quam cum quovis ipsorum, in aliqua illarum Academiarum: quas antè nominârit, coram aquis Iudicibus, habere minimè detrectet.

Hardenbergius cursecusaris Colloquium cum Theologis.

Deputati Principes atque Ordines cum Theologis Saxoniæ inferioris ad finem causæ, citra longas Disputationum ambages accelerantes, speciales quæstiones conscripserunt, ad quas D. Hardenbergium coram Consiliariis atque Legatis suis rotundè ac perspicuè respondere voluerunt, quæ de verbo ad verbum sic habent.

Quæstiones ad quas Hardenbergius simpliciter respondere debuit.

1. An verè credat & sentiat, verum & essentiale corpus Christi pro nobis traditum, non solùm instar Solis, certo cœli loco, sed simul etiam pluribus in locis, in Cœna Dominica, non tantùm virtute & efficaciâ, sed suâ etiam substantiâ atque essentiâ verè hìc in terris præsens esse.

2. An verè sentiat hæc verba Smalcaldicorum Articulorum, (*Panis & vinum in Cœna est verum corpus & verus sanguis Domini nostri Iesu Christi: nec solùm datur ac sumitur à piis, sed ab impiis etiam Christianis*) vera esse, & cum verbis Christi & Pauli consentire?

3. An verè sentiat, Augustanam Confessionem, sicuti anno 1530. exhibita fuit, Verbo Dei consentaneam & in omnibus capitibus veram esse?

4. An verè credat & sentiat, hæc Augustanæ Confessionis & Catechismi Lutheri verba vera esse: sub speciebus panis & vini verum corpus & sanguinem Christi præsentem esse, & sumi, manducari & bibi?

1561. 5. An verè credat & sentiat, Corpus Christi nō solùm fide spiritualiter à piis, sed simul etiā ore à malis & impiis Christianis accipi?

Ad hos articulos D. Albertus respondit, Verum Christi corpus in cœlis esse & tamen per sacra symbola in Eucharistia etiam præsens esse ac dari, quemadmodum antea similitudine Solis sese explicuerit, &c. *Hac enim ferè summa est responsionis ejus.*

Hardenbergii responsum.

Ordines 11. Febr. sententiis inter se collatis, decreverunt, quia Hardenbergius amicam collationem recusârit, & cum reliquis Theologis Bremensibus in doctrina Augustanæ Confessionis, neque conciliari potuerit, neque assentiri ipsis voluerit: & præterea nullum Theologorum inferioris Saxoniæ se indicem in hac causa admittere velle affirmârit: ut Capitulum Bremense dictū D. Albertum Hardenbergiū, intra 14. dies, cùm à docēdi munere, tū ex urbe Bremēsi removeat, nec ullas eū ampliùs ad populū conciones, vel nunc, vel postea habere permittat. Neq; tātùm è civitate Bremēsi, sed ex toto inferioris Saxoniç orbe relegatū esse voluerunt eū, CITRA TAMEN CONDEMNATIONEM ET POLITICAM ALIQUAM INFAMIAM: Hanc solùm ob causam, ne dissidium ipso authore exortum, augesceret, & ut turbæ atque motus excitati conticescerent. *Huic enim Ordinum decreto hac clausula expressè inserta fuit. Eâ verò Statuum Provincialium sententiâ D. Alberto Hardenbergio denunciatâ, Bremâ Embdam, quæ Frisiæ Orientalis urbs est, sese contulit ibiq; humanissimè exceptus atq; tractatus, adfelicem usq; ex hac mortali vita migrationē, fuit.*

Decretū de Hardenbergio urbe Bremensi & circulo inferioris Saxoniæ pellendo.

In hoc rerum statu Philippus Melanchthon varias ad Hardenbergium scripsit literas. Et quia multa in eis sunt, quæ præsentem causam illustrant, ac præsertim causas indicant, cur, Hardenbergius remoras disputationum subinde quæsierit, operæ pretium me facturum arbitror, si aliquas illarum adscribam. Sic igitur anno 56. scripsit ad eum: Prudenter fecisti, quòd tantùm instituisti disputationem de propositione: An caro Christi sit ubique: de qua universæ Antiquitatis sententiam defendis. Meum consilium scripsi D. Consuli. Ac profectò optârim & Lutetiæ, & plurimarum Academiarum iudicia flagitari. Properari eò miuùs velim, quia in Polonia & Germania conventum eruditorum fore arbitror. Ioannes à Lasco hac iter fecit proficiscens in Poloniam: qui sperat nobilitatem Polonicam postulaturam esse, ut ex Germānia etiam aliqui ad Synodum Polonicam veniant, præcipuè ut περὶ τῆς ἀρτολατρείας pium decretum condatur. Commoratus est hîc integrum diem & de te multa honorificè loquutus est. Adhuc etiam in Germanico conventu colloquium Theologorum expectatur. Nam Ratisbonæ nuper decretum est, ut sint collocutores Canisius, Staphylus & Velsius, Brentius, Schnepfius ac Philippus. Si veritas quæreretur, optandum esset, ut procedat colloquium. Sed quas voluntates, quæ præiudicia singuli afferant, non ignoras. Quicquid autem erit, tibi significabo. Te oro, ut de negotio omnium maximo cunctanter agas, præsertim quū Polonicas deliberationes expectemus.

Philippi literæ ad Hardenbergium consolatoriæ & admonitoriæ.

Et in alia, anno 1557. ad Camerarium scripta, Audio, *inquit*, Danicum Regem, Ducem Megalopolitanum, urbes Saxonicas, missuros legatos ad Senatum Bremensem ac postulaturos, ut Albertus Hardenbergius pellatur. Deinde Synodum indicturos, & nova decreta facturos esse. Vides exempla veterum temporum & Synodorum. Pellitur è medio sapientia, vi geritur res. Sed precemur Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christum, ut nos gubernet. Impendent enim horrendæ confusiones, & tetri furores. Non tantùm temporis brevitas, sed etiam dolor vetat plura adiicere.

Rursus in alia ad Hardenbergium: Reverende vir, & charissime frater, crescit, ut vides, non modò certamen, sed etiam rabies in scriptoribus, qui ἀρτολατρείαν stabiliunt. Itaque confugiamus ad Filium Dei, Dominum nostrum Iesum Christū, & petamus, ut ipse sit βραβευτὴς huius certaminis. Incitatur aulæ & gynæcea. Quare de literis ad Regem scribendis hoc primùm consulo, ut reverenter scribas, te orare, ne Rex credat calumniis, sed tibi alteram aurem servet. Ac petas, ut, cùm tanta sit ipsius authoritas, ut piam Synodum indici curet, in qua & explicetur tanta controversia & non tantùm inimici tui audiantur, sed etiam alii docti viri. Aut, si ad colloquium Wormatiense alioqui conventuri sunt multorum Principum legati, seu delecti ad colloquendum, mittat Rex suos aliquos, quia necesse sit tum & nostros inter nos de hac causa conferre, cùm alii aliter loquantur, etiam ex nostris. Talem generalem responsionem primùm mittas. Interea & confessionem tuam componas, & expresè dicas, quousq; progrediaris, quas propositiones retineas & quas non retineas: & fine rixis adde aliquot illustria testimonia Antiquitatis sinceræ. Hæc παρασκευὴ necessaria est, si res ad Synodum deduceretur. Interea autem velim te in concionibus nō sæpe ad hanc quæstionem digredi. Nescio quid præterea moneam, Deum oro, ut tuos omnes gubernet. Bene & feliciter vale. Die 9. Maii Anno 1557.

Eidem:

Eidem: Consilium de profectione ad Academiam & aulam meæ patriæ (*Heydelbergam*) inutile videtur. Non enim arbitror, tandiu ibi mansurum esse istum Thrasonem (*Hesshusium*) donec eò venias. Nec si ibi esset, commissurum esse Principem Electorem (*Fridericum tertium*) Theologicam disputationem, quæ tumultum in populo excitatura esset. Mihi Academia nota est. Sunt ibi docti & boni viri aliquot, qui te amanter exciperent. Sed populi voluntates alienæ sunt. Et in noua gubernatione Princeps Medicorum doctrinam sequitur, qui iubent κινεῖν μὴ κινεῖν. Vbi ad vos Thraso (*Hesshusius*) redierit, & prouocabit te ad disputationem: respondebis te non fugere placidam collationem. Sed velle te adhiberi Iudices. Si procedat ad fulmen anathematis, vt fecit in Academia meæ patriæ: oppones iustissimam responsionem, quòd sine cognitione causæ iniustum sit ferre sententiam. Simul autem vellem, te Collegio vestro exhibere non disputationem, sed tantùm collectionem veterum testimoniorum, Augustini, Ambrosij, Prosperi, Tertulliani, & Græcorum, Theodoreti, Macarij, Basilij, Nazianzeni, Dionysij, Origenis, Clementis. Ex his ostendas, Papisticum dogma nouum esse. Non fuit autem nouum dogma inuehendum in Ecclesiam, & noua adoratio instituenda. Hæc testimoniorum commemoratio plus prodest argumentis. Testimonia, quæ illi pro artolatria citant, noua sunt, aut supposititia. Decreui & ego colligere vetustiora testimonia. Bene vale. Calend. Ianuarij, Anno M.D.LX.

Rursus ad eundem: Reuerende vir, & charissime frater. Priùs, vt ratiocinor, accipies literas, ciui vestro datas, quàm has: in illis quid mihi de theatrica disputatione videatur, scripsi: Simul etiam significaui, veteris & purioris Ecclesiæ testimonia colligenda esse, ad quæ & ego prouocaui, in literis scriptis ad Ducem Wirtenbergensem, qui me atrociter accusat, quòd naturas in Christo dirimam. Petiui non solùm, vt me priùs audiat, quàm condemnet, sed vt simul veterem & puriorem Ecclesiam audiat. Et maneo in hac sententia, vt non instituas publicam disputationem, nisi priùs dentur Iudices ex Ecclesijs, quas nominare vtrique poteritis. Deinde initium facias à veteris Ecclesiæ testimonijs. Epistola tua, quam hic Senex attulit, iracundè scripta fuit. Meam cunctationem seu moderationem accusas, de qua causas grauissimas scribere possem, sed nunc solam hanc commemorabo. Oro te, veniam vt mihi des, qui solus non volui formulam de re tanta componere. Adsensit & Schnepfius in vrbe Vangionum, quòd formulam cum paucis componere nolebam. Totos iam viginti annos expecto exilia, propterea quòd ostendi, me ἀρτολατρείαν non probare: cùmque videas, qualis rabies sit in his, qui ediderunt in illo littore centurias suffragiorum: existimes ne cunctationis meæ causas habere? Impedior & quotidianis occupationibus, ne integrum opus instituam. Sed desino & oro Filium Dei, vt nos doceat & gubernet. Bene vale. Duodecimo die Ianuarij, Anno M.D.LX.

1561.

Item: Reuerende vir & charissime frater. Cùm heri alteram Epistolam scripsissem, quam nuncius adfert, postridie venit huc magister Rostochiensis, Possellius, vir doctus; qui mihi narrauit certò, Hesshusium redire ad Academiam Rostochianam, sed tamen gloriari, se ad disputationem accersitum esse Bremam. Cogitaui horum consiliorum architectum esse Morlinum, & is habet socios harum technarum artifices. Scribam Dauidi Chytræo, ne instituant disputationem theatricam quæ non paruos motus excitatura sit, si procedet. Tibi hortator sum, vt si te in certamen vocabunt, postules tibi quoque concedi, vt accersas Petrum Martyrem, me & alios quosdam amicos. Noui genesin Morlini, & sæpe ei prædixi, eum moturum, quæ sedare non poterit. Si Senatus Bremensis, & collegium vestrùm permittet institui theatricam disputationem, multi sapientes iudicabunt, eos imprudenter facere. Et hanc meam Epistolam potes viris cordatis in collegio vestro ostendere. Bene vale. Pridio Calend. Martij, Anno M.D.LX.

Idem ad Dauidem Chytræum de hac re sic scribit: Charissime frater: Etsi non sine dolore de tuo silentio cogito, & vicissim hactenus scribendi officium intermisi; tamen viro doctissimo Possellio communi amico hanc dedi Epistolam qui testis esse mei doloris potest, quem mihi adferunt nostri cœtus dilacerationes. Rectiùs erat, nos contra communes hostes coniunctos esse, qui nondum ita fracti sunt, vt noua & domestica bella quærenda sint. Mederi aliqui conantur nostris discordijs. Nunc enim Legati Principum Palatinorum, Chattini, & Hessiaci sunt in itinere, flagitaturi σύνοδον & ξυνοδίαν. Hæc consilia quantum profutura sint in tantis odijs factionum nescio. Hesshusium etiam audio prouocare Albertum Bremensem, & existimo, architectum esse horum consiliorum Morlinum. Si procedet disputatio Bremensis,

1561.

femina fpargentur nouarum diffenfionum, in gente Saxonica: qua ex re magni tumultus orientur, etiamfi Albertus oppreffus fuerit. Quæfo igitur vt diffuafor fis theatricæ difputationis. Habet vehementes impetus Hefshufius, vt priora eius negotia oftendunt: Tantò te impenfiùs æquum eft confulere, vt ille apud Virgilium inquit. Et nofti illud, facilius eft ciuitatem turbare, quàm pacare. Sed oro Filium Dei, vt nos gubernet. Bene vale, die 5. Martij, Anno M.D.LX.

Hardenbergius multos Bremæ veritatis amantes reliquit. Tumultus Bremenfis Hardenbergij caufa.

Etfi verò Hardenbergius Bremâ in exilium pulfus effet, tamen plurimos ibi fua doctrina amantes reliquit: inter quos Burenius *Conful*, Brandanus, Wafmarus *& alij fenatorij Ordinis præcipui fuerunt, qui fefe ei, tanquam fincero doctori, & ab Ordinibus Prouincialibus inferioris Saxoniæ damnato, palàm affentire profitebantur. Anno igitur 61. periculofus tumultus in ea vrbe excitatus fuit. Nam cùm veteri inftituto renunciandus effet Conful, maior pars Senatus non modò Albertum Hardenburgium profcidit, fed & omnes eius adiutores ad abnegationem purioris fententiæ de Euchariftia fub pœna profcriptionis adigere voluit. Hinc populi motus factus eft, quem Conful fuâ prudentiâ & dexteritate compofuit, ciuitatemque magno metu & periculo liberauit. Poftea edictum fuit promulgatum, quid deinceps faciendum videretur. Huic cùm Concionatores, qui huius motus præcipui authores dicuntur fuiffe, obtemperare nollent, loco moti funt.* Simon Mufæus *poftea fcriptum edidit, in quo queritur fe à Confule & coniuratis Sacramentarijs, feditionis authoribus, paulò antè eò à Senatu ad inftaurationem turbatæ eorum Ecclefiæ vocatum, coactum excedere.*

Simonis Mufæi querela.

Luneburgenfis Conuentus.

Hoc etiam anno, Conuentus habitus fuit ab vrbibus Saxonicis & maritimis Auguftanam Confeffionem amplectentibus, Luneburgæ, in quo de pace & tranquillitate Ecclefiarum magno ftudio deliberatum fuit. Vnde finito illo, Illuftriffimus Princeps Henricus Brunfuicenfis iunior, fuo & totius inferioris Saxoniæ circuli nomine, publico edicto 25. Iunij fcripto, mandauit, vt Theologi, Paftores, Concionatores & Ludimagiftri de venerabili Sacramento Euchariftiæ non aliter loquantur, doceant & concionentur, quàm Chriftus ipfe, Euangelifta, Apoftolus Paulus, Auguftana Confeffio, eiufdemque Apologia de eo loquuntur, &c. Tum in eodem Edicto hæc fequuntur verba: Quandoquidem immodicæ calumniæ, conuitia, & condemnationes aliorum hominum, qui nondum audiri, vel erroris alicuius conuicti funt, pios & fidos Ecclefiarum Miniftros nequaquam decent, eæque non folùm verbo Dei & Chriftianæ charitati contrariæ funt, fed etiam magnæ diffenfiones & fimultates inter fupremi & infimi ordinis homines, denique contemptus omnis religionis indè exoritur, ficuti quotidiana experientia id luculenter teftatur: Porrò præcipimus vi & authoritate Luneburgici Circuli Receffus, omnibus & fingulis Paftoribus ac Miniftris, vt Verbum Dei fyncerè ac purè, abfque omnibus corruptelis populo proponant, multas animas Chrifto lucrifaciant, gloriam Dei & hominum falutem promoueant, & ab omnibus condemnationibus priuatarum perfonarum & Academiarum, nullius erroris hactenus conuictarum, prorfus, fub pœna exilij, abftineant, &c.

Edictum Ducis Brunfuicenfis, vt concionatores abftineant à condemnationibus aliarum Ecclefiarum.

Confeffio Tranfyluanorum.

In Tranfyluania quidam Lutheri, quidam verò Heluetiorum de Sacramentis doctrinam receperunt. Hinc Ecclefiarum fequuta eft diftractio. Illi itaque qui Lutheri doctrinam probabant, Legatos miferunt ad Witebergenfes *& Lipficos Theologos, qui fuam de Cœna Dominica, Confeffionem eis offerrent. Scripfit ad eofdem de eadem re Illuftriffimus Princeps Ioannes fecundus, electus Rex Hungariæ. Theologi illi menfe Nouembri refpondent, fe Confeffionem ipforum diligenter perlegiffe, & omnino iudicare doctrinæ Saxonicæ & Confeffioni Auguftanæ effe confentaneam: eofque hortantur, vt in illa fententia perfeuerent. In Hungaria tamen Zuinglij de Sacramentis doctrina inter Euangelicos paffim vigebat.*

Legatus Daniæ Regis rogat Proregem Galliæ vt Lutheri non Caluini doctrina in Gallia recipiatur.

Mortuo in Gallia Francifco II. Rege anno 1560. ad quintum Decemb. fuccedit ei frater Carolus nonus, & quòd hic puer adhuc effet, Rex Nauarræ, primus inter confanguineos Regios, Prorex defignatur. Inter peregrinorum Principum autem & nationum Legatos, qui, vt nouo Regi Carolo gratularentur, in Galliam venerant, erat Regis Daniæ Legatus Georgius Gluebus, quem Nauarrenus conuiuio excipit, rogatque vt Daniæ Regi domino fuo dicat, fe ante finitum annum effecturum, vt Euangelium per vniuerfum Galliæ regnum publicè prædicaretur. Qua de re actis Deo gratijs; laudatoque Regis Nauarreni inftituto, Georgius Gluebus illum orat, videret ne Caluini & Heluetiorum, fed Martini Lutheri doctrina in Gallia reciperetur: quam Rex Daniæ dominus fuus, & Rex Sueciæ, complurimique Principes, quorum regiones non minùs, quàm eorum, qui Romanam Ecclefiam agnofcerent, paterent, fequerentur. Huic refpondit Nauarrenus; Lutherum & Caluinum in quadraginta articulis à Papa communiter diffentire: inter fe in triginta nouem articulis confentire: vnum controuerfum reftare. Dandam operam vt mutuis animis & viribus in Papam fingulæ partes vtrinque primùm irruerent: vti Papa

Nauarreni Regis prudens refponfum

oppreffo,

oppresso, tum de controuerso illo articulo componendo seriò vnà cogitaretur, vt Ecclesia ad pristinam suam puritatem tandem aliquando reuocaretur.

Acta Colloquij Poisiaceni in Gallia de Religione habiti: in quo præcipuè de Cœna Domini disputatum est.

Petrus Martyr & Theod. Beza ad Colloquium in Galliam vocantur.

INstitutum est hoc anno in Gallia Colloquium, quod Poisiaecnum *dicitur; à loco in quo est habitum, de Religione, in quam magna mutatio in hac tempora incidit. Vocantur ad id* Petrus Martyr *Theologus Tigurinus, &* Theodorus Beza *Geneuensis Ecclesiæ Minister, à Regina matre, Rege Nauarreno, Principe Condæo atque Admirallio. Petrus Martyr quum ad Reginam venisset, se veritatis studiosam esse testabatur: quumque inter alia rogaretur ab ipsa, quid de Augustana Confessione iudicaret, respondit*: Sibi videri nobis debere sufficere Verbum Dei, quòd ibi omnia luculenter contineantur, quæ ad salutem faciant. Neqoe enim, si ea Confessio maximè reciperetur, conciliationem futuram cum Pontificijs, qoom illam vt hæreticam proscripserint. *In eandem sententiam Regi Nauarreno & alijs in Aula Principibus respondit, qui eadem de re sententiam eius quærebant.*

Martyris iudicium de recipienda Augustana Confessione in Gallia.

Habiti quoque sunt à Cardinali Lotharingo Guisij fratre, & Theodoro Beza ante initum solenniter Colloquium sermones nonnulli de Cœna Domini, quos, tanquam futuræ disputationis velitationem quandam, ex Commentarijs de bellis Gallicis paucis commemorabo. Venerat Beza de Nauarreni mandato in ipsius thalamum, Reginæ matris salutandæ causâ. Ibi tunc etiam aderat Cardinalis Lotharingus. Tum Regina cum Beza de suis libris verba facere cœpit: quâ occasione Cardinalis tunc Bezæ ait, se librum vidisse, cuius ipse Beza author diceretur, in quo hæc essent, Quærendum esse in Cœna Christum eo modo quo esset antequam carnem induisset. Audiui etiam (*inquit*) te aliud absurdissimum scripsisse; Quærendum esse Christum in Cœna vt in Cœno. *Mirantibus dictum ijs qui tum aderant; Beza respondit*, Si libri adessent, possem meliùs videre an sint mei: sed de primo illo dicto, videri quidem posset absurdum vt à te commemoretur; sed loco diligenter animaduerso, verissimum esse comperietur. Secundum verò blasphemum ac sceleratum, nec vspiam in meis aut cuiusquam nostrorum libris scriptum reperietur. *Tum Cardinalis*, Mirum procul dubio est, audere quenquam tueri, nos nihil amplius quàm antiquos Patres habere: & qui possent illi de Christi carne loqui, quæ non adhuc extabat? *Tum Beza Cardinalem rogare cœpit*, Num existimaret à mundo creato semper quandam Ecclesiam extitisse? Deinde num Ecclesia à condito mundo dicta fuerit Ecclesia, per eum qui fuit Mediator inter Deum, & homines? *Et*, Num Iesus Christus fuerit ille Mediator? *Quibus à Cardinale concessis, excepit Beza*, Itaque communio fidelium cum Christo non debet restringi ad id tempus, quum Diuinitatem reuera nostræ naturæ coniunxit: quod enim nondum erat ordine naturæ, nihilominus tamen semper extitit vi & efficaciâ fidei, Nonne dictum est, Abraham vidit diem Christi; & gauisus est? & Paulus dicit, Patres manducasse eandem escam, & eundem potum spiritualem bibisse, quem & nos, nempe Christum. *Quod verum esse confirmauit Cardinalis, prolato illo loco*, Agnus occisus est à creatione mundi.

Cardinalis Lotharingi & Bezæ primatum Colloquium de Cœna Domini.

Patres veteris Testamenti eandem nobiscum escam comedisse.

1561.

Inde à Beza nonnullis de Veteris & Noui Testamenti discrimine explicatis, noua disputatio oborta est, de præsentia corporis & sanguinis Iesu Christi in Cœna. Tum Cardinalis, dissentimus, *inquit*, in explicatione istorum verborum, *Hoc est corpus meum.* Dissentimus verò, *ait Beza*, neque dissimulo: & nostro quidem magno dolore. *Excepit Cardinalis*, Ego meæ Diœceseos pueros doceo, quum interrogantur, Quid sit panis Cœnæ? respondere, Corpus Christi: an hoc improbatis? Minimè verò, *inquit Beza*: sunt enim Christi verba: sed quæritur quomodo panis Cœnæ vocetur corpus Christi? Omne enim quod est, non vno modo est: *Et in hanc sententiam quædam de sacramentalium formularum modo attigit. Vrgebat verò Cardinalis illa verba*, Petra erat Christus, *à Beza citata, quibus alia opponebat*, Verbum caro factum est. *Beza respondebat*, Magnum esse discrimen inter communionem illem hypostaticam & sacramentalem: istamque quæstionem quatuor omnino capitibus dicebat contineri. *Primum* esse de signis: *secundum*, de re significata: *tertium*, de coniunctione signorum & rei significatæ: *quartum*, de signorum & rei per ea significatæ participatione. *In primo*, in hoc differimus, *ait*, quòd in Cœna vos pro signis tantùm statuitis accidentia: nos verò substantiam panis & vini: vt sacramentorum natura postulat, & vniuersa Scriptura docet. *Hic Cardinalis Bezæ sermonem interrumpens*, Equidem existimo, *inquit*, me posse tueri Transsubstantiationem: sed non magno-

De præsentia corporis Christi in Cœna.

In quibus differant Papistæ & Caluiniani quantum ad Cœnam attinet.

1561. *Cardinalis Lothar. de Transsubstantiatione.*

magnopere fuisse necesse illam à Theologis excogitari arbitror: nec puto hac de causa diuisiones debere fieri in Ecclesijs. *De secundo verò (repetita sermone ait Beza)* non dicimus meritum mortis & passionis Christi per symbola panis & vini tantùm significari: sed ipsum verum corpus pro nobis crucifixum, & sanguinem pro nobis effusum repræsentari. Deniq; Iesum Christum verum Deum & verum hominem per visibilia signa nobis offerri: vt mentes nostræ fide in cœlum, vbi nunc est Christus, sublatæ, illum spiritualiter contemplentur, & omnibus ipsius bonis & thesauris perfruantur in vitam æternam: idque tam certò & verè quàm nos videmus, accipimus, edimus & bibimus corporalia & visibilia signa. *Hic assentiebatur Cardinalis, affirmans* gratum sibi fuisse hunc sermonem, quòd intellexisset, aliam esse fidelium, quàm existimâsset, doctrinam. *Quod ad tertium attineret, dixit Beza*, magnum esse discrimen inter aquam communem, & eam quâ in Baptismo lauamur: inter panem & vinum quibus quotidie vtimur, & ea quæ in Cœna exhibentur. Siquidem aqua Baptismi, Panis & vinum Cœnæ, sunt Sacramenta, id est, signa & testimonia visibilia corporis & sanguinis Domini. Nos verò, *inquit*, negamus illam mutationem fieri in elementorum substantia: sed in eo, quòd in alium vsum quàm eum qui naturalis est, mutantur, id est, accommodantur: quia corporis nutritioni ex sese & sui natura destinata, quum sunt Sacramenta, significant eam rem, quæ animas nostras pascit. Præterea, non assignamus causam istius mutationis verbis, nec consilio pronunciantis, sed virtuti & potentiæ Dei, cuius voluntas in ipsius Verbo patefacta est. Itaq; quoniam res significata nobis offertur, & exhibetur tam verè quàm signa ipsa: eâ ratione agnoscenda est signorum cum re significata coniunctio. Atque hoc modo corpus & sanguis Iesu Christi, quatenus nobis verè dantur & communicantur, adsunt in Cœnæ administratione: Non quasi dicendum sit, corpus esse Sub, In, Cum pane, aut alio loco, quàm in cœlo, quò ascendit, & ibi, quatenus homo est, continetur, donec veniet iudicaturus viuos & mortuos. *Assensit quoque Cardinalis, & testatus est*, se non approbare Transsubstantiationem: & Christum in cœlo quærendum. *Miscebat tamen aliqua de alijs Germanorum quorundam sententijs dubitabundus: vt satis præ se ferret, se hac in re non satis esse versatum: hoc quoque ipse excusans, quòd alijs in rebus occupatus, huic rei non ita potuerit operam adhibere. Tum Beza*, Fateor, *inquit*, nos & quosdam Germanos in hoc tertio articulo dissidere: sed in hoc tamen consentimus, quòd coniunctis animis Transsubstantiationem vestram oppugnamus.

Cardinalis Lotharingus non probat Trãssubstantiationem.

An, *inquit Cardinalis*, fatemini nos verè & substantialiter participes fieri corporis & sanguinis Iesu Christi? Hoc verò quartum, *inquit Beza*, caput est, quod restat explicandum. In summa igitur affirmamus, visibilia signa quæ naturaliter eduntur & bibuntur, manibus tangi: Rem Sacramenti, id est, corpus & sanguinem Iesu Christi omnibus verè & sine fuco offerri: recipi verò per fidem non naturali ratione: sed tamen per fidem exhiberi tam verè quàm si naturaliter cum Christo coniungeremur. *Testatus porrò est Cardinalis, sibi esse à Beza hac in re satisfactum: & disertis quidem verbis Bezam ad colloquia & sermones peramanter inuitans, ad consensus rationes aliquas ineundas. Rumor tamen percrebuit, victum esse à Cardinale Bezam primis illis velitationibus: ita sibi illi de victoria certissimam spem conceperant.*

An substantialiter participes fiamus corporis & sãguinis Christi in Cœna.

Septembris die 9. Colloquij primordia instituuntur. In sacrarum ergo, quas vocant, Virginum Possiacenarum amplissima Aula, Rex, Reginaque mater, Dux Aurelianus Regis frater, Margaretha soror, Rex Reginaque Nauarræ, Princeps Candaeus cum cæteris Regis consanguineis Principibus, & priuati Consilij viris, cum maxima Optimatum, nobiliumque hominum frequentia conueniunt: eò etiam veniunt Primates Pontificiorum antistites Cardinales, Archiepiscopi, Episcopi ad quinquaginta, absentiumque complurimi delegati: illos magnâ hominum, qui se Theologos & literatos ferunt, coronâ circumstipante, Regeque in summo loco, deque more Principibus ad illius latera constitutis, Prælati ad duas scamna vtrinque longo ordine sessitârunt. Tunc introducti Ecclesiarum reformatarum delegati, duodecim nimirum Ministri, & viginti alij, ab ijsdem Ecclesijs communiter missi: quas eò Regia custodia milites Regio mandato, Sangermano, ne in eos tumultuose ageretur, deduxerant.

Colloquij primordia instituuntur.

Factoq; ab omnibus silentio, tum Rex per Cancellarium causas indicat, ob quas à sua Regia maiestate Conuentus hic longè frequentissimus sit institutus. Cuius orationem excipiens Cardinalis Turnonius de Prælatorum nomine gratias egit Regi, Reginæ matri, cæterisque Principibus, quod huic cœtui interesse dignarentur. Tum Ministris, qui è regione erant, factâ loquendi potestate, Theodorus Beza cum suis, flexis genibus, Deo inuocato, & Regi, Reginæ matri,

Theodorus Beza loquitur.

In quibus à Pontificijs reformatæ Ecclesiæ dissentiant in quibus non. In Cœna negotium denique eadem confessio & doctrina reformatarum Ecclesiarum in Gallia.

matri, cæterisque Principibus gratijs actis, longo sermone præcipua capita Confessionis reformatarum Ecclesiarum exposuit, & in quibus cùm Pontificijs consentirent, in quibus item dissentirent ostendit. In hac oratione ad articulum de Sacramentis perueniens, Consentimus, *ait*, in nominis Sacramenti descriptione: nimitum Sacramenta signa esse visibilia, quorum ope coniunctio, quam habemus cum Domino nostro Iesu Christo, non simpliciter tantùm significatur, aut figuratur, sed etiam verè offertur à Deo, atque nimitum confirmatur, obsignatur & quasi insculpitur virtute Spiritus sancti, in eorum animis qui verà fide apprehendunt, quod illis ita significatur atque exhibetur. Vtor *inquit*, vocabulo *Significandi*, non vt eneruem, aboleam-ue Sacramenta: sed vt signum à re significata distinguam. Inde ergo fatemur, in Sacramentis omnino necesse esse, cœlestem & supernaturalem mutationem interuenire. Non enim dicimus, aquam simpliciter in Baptismo aquam esse: sed verum nostræ regenerationis, & animarum nostrarum per Christi sanguinem lotionis Sacramentum. Nec item dicimus, in sancta Domini nostri Iesu Christi Cœna, panem simpliciter panem esse: sed pretiosi corporis Iesu Christi, quod pro nobis traditum est, Sacramentum: nec vinum simpliciter vinum: sed Sacramentum pretiosi sanguinis ipsius, quem pro nobis effudit. Interim negamus mutationem istam fieri in substantia signorum, sed in fine & vsu propter quem illa sunt instituta. Negamus item id fieri quorundam verborum pronunciatorum efficaciâ, nec pronuntiationis intentione: sed solâ eius voluntate qui hanc tam diuinam & cœlestem actionem ordinauit: cuius etiam instituto clarè & perspicuè populari & vulgato sermone exponi debet, vt ab omnibus & intelligi & recipi possit. Hæc quidem de exterioribus signis. Nunc ad id quod per illa signa demonstratur atque exhibetur, veniamus. Non id dicimus quod nonnulli, sententiâ nostrâ non bene intellectâ, putatunt nos docere: Nimitum in sancta Cœna tantùm esse commemorationem mortis Domini nostri Iesu Christi: Nec dicimus in ea nos tantùm esse participes fructus mortis & passionis ipsius, sed fundum ipsum cum fructibus, qui ab ipso ad nos redeunt, coniungimus: cum Paulo asserentes, Panem, quem ex Dei institutione frangimus, esse *κοινωνίαν*, id est, communicationem corporis Christi pro nobis crucifixi: Poculum quod bibimus, esse communicationem veri sanguinis pro nobis effusi: Imò in eadem illa substantia, quam accepit in vtero virginis, & quam sursum in cœlos inuexit. Et quid verò tandem quæso, reperire potestis in hoc Sacramento, quod nos non quæramus & inueniamus? Audio pararam esse exceptionem: Nonnulli enim petent, vt fateamur panem & vinum transmutari, non quidem in Sacramenta corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi (hoc enim iam fassi sumus) sed in proprium ipsius Domini corpus & sanguinem. Alij fortasse non ita nos vrgebunt, sed iubebunt, vt fateamur corpus & sanguinem realiter & corporaliter esse In, Cum, Sub pane & vino. Hìc verò Domini, audite me, quæso patienter, & vestra illa de nobis præiudicia ad tempus deponite. Si alterutra istarum opinionum nobis ex Verbo Dei vera esse demonstrabitur, parati sumus eam amplecti, & penitus retinere. Sed nobis videtur (quantum quidem ex fidei nostræ modulo perspicimus) hanc Transsubstantiationem non reuocari posse ad analogiam fidei, & sanam doctrinam: quoniam omnino repugnat naturæ Sacramentorum: in quibus necesse est substantialia signa remanere, vt sint vera signa corporis & sanguinis Iesu Christi. Præterea euertit veritatem humanæ naturæ in Christo, & ascensionis ipsius. Idem de secunda illa Consubstantiationis opinione pronuncio: quæ nullum habet fundamentum in verbis Christi, nec necessaria est ad hoc vt Sacramentorum simus participes. Si quis interea à nobis quærat, An Christum à Cœna absentem faciamus? Respondemus, id minimè nos facere. Sin verò spatia locorum (vt necesse est quum de præsentia ipsius corporali agitur, & de ipsius humanitate distinctè considerata) respexerimus: Affirmamus, ipsius corpus tantùm à pane & vino abesse, quantùm altius cœlum à terra abest, nimirum quandoquidem nos in terra sumus, & Sacramenta item: ipse verò in cœlo est ita glorificatus, vt gloria, sicut Augustinus inquit ad Dardanum, non illi corporis veritatem, sed infirmitatem ademerit. Si quis inde colligat, Nos Christum à Cœna absentem facere, malè collegerit. Hunc enim honorem Deo facimus, quòd licèt corpus Iesu Christi nunc sit in cœlo, non alibi: nos verò in terra, & non alibi, nihilominus tamen participes simus corporis & sanguinis ipsius, modo quodam spirituali, & fidei instrumento: æquè verè ac videmus oculis Sacramenta, manibus tangimus, ori nostro admouemus, & in hac vita corporali illorum substantiâ alimur atque sustentamur. Hæc in summa in hoc

1561.

capito

1561. capite fides nostra est: quæ nullam vim affert Christi & Pauli verbis: non destruit humanam Christi naturam, nec Articulum de Ascensione, nec institutionem Sacramentalem: nullum aditum præbet ad curiosas & inexplicabiles quæstiones: nullo modo derogat coniunctioni quæ cum Christo nobiscum intercedit, qui finis est præcipuus ordinationis Sacramentorum, non vt, ant adoretur, aut asseruetur, circumferatur, Deo-ve in sacrificium offeratur: denique plus tribuit potentiæ & verbo Filij Dei, quàm quum existimatur corpus ipsius cum signis realiter coniungendum, ad hoc; vt ipsius fiamus participes, &c.

Cùm Beza ista verba proferret, quod ad locorùm distantiam spectat, corpus Christi tantùm abest à Cœna, quantum altius cœlum à terra; *Prælati continuò obstrepuerunt, & magnum murmur euestigiò excitarunt; quod tamen aliquantulum oppressum fuit, vt Beza sermonem suum ad finem vsque perducere potuerit.*

Exacerbatis igitur in hoc primo congressu Prælatorum animis, postridie Beza ad Reginam scripsit, Quòd vereretur, ne ipsi esset, propter sermonem quendam, ex quo Prælati fuissent offensi, planè satisfactum: ideo se ab illa vehementer petere, vt rei, quam non potuisset tum copiosè explicare, clariùs & longiùs edisserendæ facultas sibi tribueretur. Illius ergo sermonis, *inquit*, occasio inde mihi tributa est, quòd nonnulli existiment nostrâ sententiâ non satis rectè intellectâ, nos velle Christum à Cœna excludere: quod quidem est manifestè impium: quum illud contrà ratum habeamus ex Verbo Dei, pretiosum sacramentum illud à Filio Dei ideo esse institutum, vt magis ac magis nos participes efficiat substantiæ veri sui corporis, & veri sui sanguinis, atque ideo nos eâ ratione cum eo arctiùs vniamur, atque coalescamus in vitam æternam. Et nisi ita esset, non esset Cœna Iesu Christi. Itaque tantùm abest, vt dicamus Iesum Christum à Cœna abesse, vt illi blasphemiæ omnium hominum maximè repugnemus. Sed dicimus magnum esse discrimen ad hoc, vt constituamus Iesum Christum in Cœna adesse, quatenus nobis in ea verè dat corpus suum & suum sanguinem: & affirmemus corpus & sanguinem eum pane coniungi: primum affirmamus: secundum negamus, quòd repugnet veritati naturæ Iesu Christi, articulo de Ascensione & Patrum doctrinæ.

Beza scribit Reginæ & testatur se Christũ à Cœna non excludere.

Dum hæc agerentur, Prælati interim conueniunt, reque cum nonnullis Sorbonicis & Iuris Pontificij Doctoribus communicatâ, de danda Reformatarum Ecclesiarum propositioni responsione deliberabant. Re vtrinque variè disceptatâ, tandem conclusum est, duobus tantùm capitibus Bezæ orationis respondendum; de Ecclesia & de Cœna.

Ergo Colloquium 16. Septemb. instauratur, Rege, Regina matre, Rege Nauarræ alijsque Principibus consanguineis præsentibus. Ad hanc actionem Cardinales & Episcopi Petrum Martyrem non admittendum esse censebant: Regina tamen eum venire voluit. Habuit tum Cardinalis Lotharingus Orationem, quam etiam postea in publicum edidit: in hac quum multa de sua Ecclesia dixisset, diuertit tandem ad rem Sacramentariam, & asserit, in Eucharistia quatuor res spectari debere. *Primam esse*, Vnionem & concordiam quæ inter fideles esse debeat: secundùm id quod dicitur, Nos vnicum esse corpus, & eiusdem calicis participes. *Secundam*, vnionem cum Iesu Christo, sicut dictum est, QVI edidit carnem meam, & sanguinem meum bibit, in me manet, & ego in eo. *Tertiam*, Remissionem peccatorum, Christi nimirum sanguine in eum finem effuso. *Quartam*, spem vitæ æternæ, secundùm id quod scriptum est, Qui hunc panem manducat, viuet in æternum. Contrarium verò in hac disputatione vsuuenire, nempe distractiones & diuisiones in Ecclesia, separationem à Deo, priuationem remissionis peccatorum, & spei vitæ æternæ. Varias esse & controuersas hac de re aduersariorum sententias, quarum octo numerari possint. Meliùs, in recepta antiquæ Ecclesiæ & catholicæ sententia perseuerate. Verum Dei & Domini nostri Iesu Christi corpus & verum ipsius sanguinem in hoc Sacramento & adesse & recipi, secundùm id quod dictum est, Hoc est corpus meum. Quæ verba nisi tam valeant quàm sonent, cur ab omnibus Euangelistis & Paulo proprijs atque ijsdem verbis, conceptaque formulâ diligenter repeterentur? cur post Matthæum, qui primus scripsit historiam, tres alij Euangelistarum & Paulus, non eo modo scripserunt quo nostri Sacramentarij scribere volunt? præsertim quum in re minoris etiam momenti ipsi sese mutuò interpretentur: & quod ab vno obscuriùs, ab alio clariùs exponatur. Hanc esse testatoris mentem, quæ nullo modo esset infringenda, aut quoquo modo violanda: eam omnium Veterum sententiam & doctrinam, vt non tantùm panis, à Presbytero exhibitus, sed verum etiam Christi corpus realiter sumatur: Hanc ergo solidam & firmam sententiam se retinere: à curiosis nouorum hominum opinionibus & vocibus se peni-

Colloquium instauratur.

Cardinalis Lotharingi verba.

Quatuor res in Eucharistia spectandæ iuxta Cardinalem Lothar.

penitus abhorrere, qui Christum ita videntur repræsentare, quasi Tragœdia aut Comœdia aliqua ageretur. Quasi verò, *inquit*, non fuisset satiùs simplices illas Domini voces retinere, quàm Judaïcum illud QVOMODO veræ interpretationi arrogāter opponere: præsertim quum ea sit omnis Antiquitatis perspicua & constans sententia. Nos cum Christo non tantùm fide coniungi, sed vi & efficaciâ Eucharistiæ rectè & dignè perceptæ, realiter & de facto, & vt nulla ambiguitas relinquatur, CORPORALITER, SVBSTANTIALITER ET NATVRALITER. *Hic porrò multa ex Veteribus proferebat: Bezamque disertè reprehendebat*, quòd verbis Augustini ad Dardanum vteretur In hac materia Sacramentorum, quum in ea Epistola nullo modo agatur de Sacramentis: & quòd quorundam Germanorum de Consubstantiatione sententiam suæ contrariam damnasset: *hoc nimirum astutè interponens, vt Germanos ita sentientes, quorum doctrinam vt Pontificijs commentis contrariam, capitaliter oderat, cum alijs reformatis Ecclesijs in certamen deduceret. Tum sermonem suum ita conclusit:* Venio, *inquit*, ad vestram de Sacramento sententiam: Nisi existimetis Iesum Christum à suæ ascensionis tempore in hoc mundo, quo ad carnem suam, esse, & quidem magis quàm antequam carnem induisset: nisi aliud corpus quàm visibile Christum habere existimatis: nisi aliter in Sacramento esse, quàm sit in Verbi prædicatione: si res easdem existimatis esse, Christum in Baptismo induere. & ipsius corpus & sanguinem edere ac bibere: si denique arbitramini Christum ita in cœlo esse, vt non sit in terra: & ita non plùs in Cœna quàm in scena: nos qui edocti sumus Cœnam non in cœlo, sed in terra celebrari, nec tam curiosi sumus, vt à Cœna Christum ingeniosis & acutis speculationibus auocemus: Tam à vestra opinione absumus, quàm altius cœlum ab ima terræ parte abest, *&c. Tum Beza vehementer Regem orauit*, vt Cardinalis Lotharingi orationi ex tempore respondendi facultas sibi daretur. *Id tamen ei eo die denegatum est, & in alium diem res dilata.*

Aliud conuentus Colloquij. *Interpositis deinde aliquot diebus, instauratur tandem cœtus, pauco hominum numero, Reginâ, Rege, Reginaque Nauarræ, Prælatis, & duodecim delectis Ministris, & perpaucis alijs præsentibus. In hoc cœtu Beza pro sua singulari eruditione hanc Cardinalis Orationem publicè grauiter confutauit. Tandem multis vltrò citroque in medium allatis, Cardinalis petebat à Ministris*, num Augustanam Confessionem recipere vellent? *Ministri contrà*, Num hanc eandem ipsi amplecterentur? *Dissimulatâ ad hoc responsione, Cardinalis profert Germanicorum quorundam Ministrorum de Cœna Domini sententiam, quam sibi ab illis missam esse è Germania dicebat:* & vt Ministri subscriberent vehementer hortabatur. *Hoc eo consilio faciebat, vt si hoc apertè denegassent, illos cum Germanis Augustanam Confessionem amplectentibus ad rixas & contentiones committeret: sin amplecterentur, quasi partâ victoria de illis triumpharet.* Beza, *vt has artes euitaret, respondit:* Se suosque collegas eò venisse, vt Ecclesiarum suarum Confessionem tuerentur: se vnicum hoc mandatum à suis Ecclesijs habere: petebat igitur vt ex suæ Confessionis ordine disputatio instirueretur. 1561.

Ecclesiarum verò delegati, veriti ne hac ratione Colloquium interrumperetur, id quod Cardinalis studiosè quærebat, petierunt; vt scripti illius quod Cardinalis contendebat à se subscribi, inspiciendi atque recognoscendi fieret potestas, & quid sibi faciendum esset, vnà deliberarent. Tum prolata formula articuli de Cœna Domini, exscripta, vt Cardinalis aiebat, ex Confessione Augustana in hac verba: FATEMVR verum corpus & verum sanguinem Iesu Christi verè, realiter & sacramentaliter adesse in Cœna Domini, & ita exhiberi, & ita recipi ab ijs qui communicant. *Prolati item nonnulli Saxonicorum Theologorum hac de re sententia scripta anno* M. D. LIX. *Ita dimissus Cœtus in alium diem.*

Interea nuncij afferunitur, scriptum illud à Cardinale Lotharingo exhibitum cuiusdam Francisci Balduini operâ cum literis fuisse missum, quæ illum propediem cum Germanicis aliquot Theologis, quos cum Beza & alijs reformatarum Ecclesiarum delegatis in certamen disputationemque deduceret, affuturum significabant. Balduinus ergo Poisiacum venit interea dum Colloquium habebatur, relictis illis Germanicis Theologis. Verùm ad Colloquium à neutra parte vocatus fuit.

Iam verò ad Colloquium reditur: dataque Ministris reformatarum Ecclesiarum loquendi facultate, Beza ad postulationem Cardinalis Lotharingi in superiori conuentu propositam, ita respondit: Oppositus nobis est nuper articulus de Cœna Domini, ex multis & necessarijs fidei articulis decisus, edictumque nobis est, HVIC rei subscribite, alioquin non vlteriùs progrediemur. Si iudices nostri essetis, & de nostro capite statuere possetis, nec quidem diceretis, Huic rei subscribite: sed, Vos condemnamus. Vestrum munus vos ad aliam loquendi ratio- *Reditur ad colloquium.*

1561. nem obligat, & iubet, vt errores nostros, si qui sint, nobis indicetis, & veram doctrinam ijs demonstretis, qui parati sunt fidei suæ per Verbum Dei rationem reddere. Duabus de causis, Regina, hîc coram te sumus: Prima est, vt Deo, tibi, vniuersoque mundo fidei nostræ rationem reddamus: Secunda est, vt Deo, Regi, tibiq; quantum in nobis situm fuerit obsequamur, ad componendas perturbationes, quæ pro Religionis causa sunt excitatæ. Si tantùm nobiscum, qui hic sumus, vobis res esset, facilè vt velletis fieret: sed videte nos infinitorum hominum, qui tum in hoc Regno, tum maximis Regionibus Heluetiâ, Poloniâ, Germaniâ, Angliâ, Scotiâ & Flandriâ versantur, atq; huius Colloquij exitum expectant, personam sustinere. Intelligent verò pro liberi Colloquij determinatione, exhibitam esse decimi articuli particulam ex Augustana Confessione: & edictum, Huic rei subscribite, alioqui non vlteriùs progrediemur. Etiamsi huic subscripserimus, quid inde vobis emolumenti rediret? Qui nos huc miserunt, scire volent, coacti-ne, an bonorum & solidorum argumentorum vi, illi subscripserimus. Itaque Regina, petimus etiam atque etiam ne tam pium opus interrumpatur, & nobiscum pacatè conferatur: alioqui cogitare potes quæ mala inde sint consequutura. Vt tamen respondeatur: Articulus à Cardinale exhibitus, est tantùm particula Augustanæ Confessionis. Qua in re multa sunt consideranda: Primùm vniuersa Confessio nobis esset proponenda: nec enim æquum est versiculum vnum proponere, reliquo omisso. Deinde videndum an ex se Cardinalis hoc, an Prælatorum omnium nomine faciat. Inde enim saltem Deo gratias ageremus, quòd ipsi in articulo de Transsubstantiatione victos se faterentur: quæ quidem communi omnium Germanicarum reformatarum Ecclesiarum nomine & aliarum, damnatur. Et si æquum est nos subscribere, & æquum quidem illos quoque subscribere, vt quid egerimus, Ecclesiæ nostræ intelligant. Quod si velint ita accedere ad omnem Germanorum confessionem, speramus concordiæ viam commodam iniri posse. Interim, Regina, affirmamus, Iesum Christum adesse in vsu Cœnæ, in qua nobis offert, dat & verè exhibet corpus suum, & sanguinem suum, operatione Spiritus sancti: nos verò recipimus, edimus & bibimus spiritualiter per fidem illud ipsum corpus quod pro nobis mortuum est: eumque illum sanguinem pro nobis effusum: vt simus ossa de ossibus eius, & caro de carne eius: vt eo viuificemur, & percipiamus quicquid ad salutem nostram facit. Nisi hoc satis sit, si videatur Cardinali, vt Scripturam & Antiquorum scripta vnà videamus & conferamus, tuque Regina commodam Collationis formam exhibeas, & Notarios qui nostras disputationes excipiant, speramus te cognituram, nos huc venisse non rerum perturbandarum, sed componendarum causâ, *&c.*

De articulo 10. Augustana confessionis.

Vbi perorasset Beza, Cardinalis rursus illos rogat, Cur tandem Confessioni Augustanæ subscribere detrectarent. *Respondent Ministri*, Nec ipsos quidem eam omnino approbare: si hoc fecerint, non incommodam pacis rationem iniri posse. Deniq; se nescire, num communi omnium nomine hoc peteretur. *Excepit Cardinalis*, Ego nullius addictus sum iurare in verba magistri: Non quid hic aut ille dicat, sed quid veritas ferat, attendo. Porrò fratres mei sunt mihi testes, num communi omnium sententiâ hoc dixerim. *Nemo tamen significauit an consentiret, vel non, quantumuis eos inspectante, oculosq; in singulis deferente Cardinali. Tum Beza*, Quandoquidem, *inquit*, non hoc vultis, nec nos æquum est velle.

Finito hoc sermone, reuocauit Cardinalis quæstionem de Cœna Domini, singulique Prælati suos Doctores & Canonicos quos secum habebant, in Ministros emittebant. Tum Espensius *Sorbonista*, Nos minimè posse frui Christo, nisi illum vnà cum pane sumamus. *Et ideo Caluinum dicere*, Nos sumere substantiam corporis Christi. *Martyr ad hac respondet*, Se cum Caluino libenter consentire. Substantiæ verò nomine non corporalem & crassum esum significari, sed spiritualem & verum esum ab imaginario & phantastico ita discerni. *In quam sententiam multa linguâ Italicâ, quod Gallicè nesciret, Martyr disseruit: atque dum sermonem magnâ omnium attentione & admiratione prosequeretur, Cardinalis Lotharingus illum interpellauit, addita hac ratione*, Quòd nollet cum linguæ peregrinæ hominibus disputare: *non quòd ipse Italicè nesciret, aut Martyr intelligi à compluribus non posset. Tum corâm Espensius testatus est de Petro Martyre*, neminem nostræ tempestatis Theologorum adeò perspicuè & distinctè quàm illum de re Sacramentaria egisse.

Caluinus quid nomine Substantiæ in Cœna intellexerit.

Tum quidam Hispanus Magister Iesuitarum Ordinis, Italicè orationem contra nostros habuit, Beza verò eis respondet: Quòd, *inquit*, vrgetis Euangelistarum in concepta formula consensum, nimirum τὸ ῥητόν, *Hoc est corpus meum*: mementote Euangelistas etiam

etiam dixisse, *Hic est sanguis noui Testamenti*: & alio modo, *Calix est Nouum Testamentum in sanguine meo*, quod sine figura intelligi non potest: & est genus loquendi Sacramentale, vt Augustinus explicat epistola ad Bonifacium. Si Sacramenta, *inquit*, nullam haberent conuenientiam cum ijs rebus quarum sunt sacramenta, non essent sacramenta: propter istam similitudinem sæpe accipiunt nomen earum rerum quas repræsentant. Quemadmodum ergo aliquo modo sacramentum corporis Christi est corpus Christi, & sacramentum sanguinis Christi est sanguis Christi: Ita sacramentum fidei est fides: nec potest sacramentum esse sine figura. Si ita est, *excepit Espensius*, figuram nostris Sacramentis adesse, non multùm differrent à Sacramentis veteris Testamenti, quæ erant figuratiua. Erant enim figuræ & vmbræ veritatis, quæ in Christo manifestata est: alioqui dicendum esset, illas figurarum figuras esse. *Ministri hanc consecutionem negabant*, *affirmantes* legales ceremonias à Deo institutas veritatem respexisse, cuius etiam prisci Patres ante Christi aduentum fuerint participes, & nos post illius aduentum, sub quo non quidem versamur sub ceremonijs, sed tamen signis visibilibus, & sacramentis indigemus, donec erimus in hoc mundo: nec tamen consequitur, nos minùs veritatem ipsam percipere, quamuis externa Sacramenta habeamus. *Espensij sermonem excepit Sorbonicus quidam alius*, *Ministros interrogans*, ecquid in illis verbis, *Hoc est corpus meum*, Pronomen *Hoc* significaret? *Respondebant* panem indicari, & corpus Christi significari: vt intelligatur panem esse corporis signum; *idque Patrum testimonijs confirmabant*. *Sorbonici contrà*, Grammaticæ regulas non pati, vt ad panem referatur: sed indiuiduum vagum significari. *At Ministri*, hoc repugnare naturæ Sacramentorum, in quibus signum pro re significata coniungi, non aboleri debeat: & insolentem esse ac peregrinam illam doctrinam non minùs ac nouum illud Indiuidui vagi vocabulum eruditæ Antiquitati incognitum. *Ita promiscuè Magistri illi Sorbonici acclamationibus omnia replendo, diem variè extraxêre: Et quidam digito Bezæ minitans*, Si, *inquit*, in nostra schola te teneremus. *Tandem dimissus est cœtus*.

Colloquium priuatum ministrorum

Ex eo die non publicè ampliùs, sed priuatim colloquendum visum est Reginæ & alijs nonnullis. Atque, tum ex Antistitum, tum ex Ministrorum numero, quinque ad hoc Colloquium vtrinque delegati atque constituti sunt: à quibus res vnà pacatè conferrentur. Ex Pontificijs nimirum, Ianus Monhicius *Episcopus Valentinus*, Vallius *Episcopus Seensis*, Botillerius *Abbas*, Sailngniacus & Espensis *Sorbonicus*: *Ex Euangelicis autem*, Petrus Martyr, Theodorus Beza, Nicolaus Gallasius, Augustinus Marloratus, & Espinæus. *Et quamuis æquum omnibus videbatur, vt Ecclesiarum reformatarum Confessio ordine disceptaretur, tamen vrgentibus Pontificijs disputationem de Cœna, quoniam illa in medium iam fuisset perducta, sunt persecuti decem illi nominati Collocutores soli absque vllis Iudicibus, adhibitis tantùm duobus Notarijs.*

1561.

Petri Martyris sententia de corpore Christi in Cœna præsentia.

Ac primùm diligenter vtraque pars petebat, vt aliqua formula proponeretur, qua de præsentia corporis Christi in Eucharistia inter partes conuenire posset: cumque multa vltrò citroque allata essent, Martyr quoque interrogatus, sententiam suam breui chirographo comprehensam, exhibuit; quæ de verbo ad verbum sic habet. Reuerendi Antistites, & doctissimi Viri, vobis heri sum professus, quæ mea de Cœna Domini fides ac sententia esset, quam, vt tum verbis expressi, sic in præsentia de scripto recitari statui, quò certiorem ac magis perspicuam illam vobis faciam. Sentio itaque pro mea parte, corpus Christi reale atque substantiale tantùm in cœlis esse, fideles tamen communicando verum eius corpus, & verum sanguinem, quæ pro nobis tradita sunt in crucem, spiritualiter & per fidem verè percipere. Quare in pane & vino Cœnæ Transsubstantiationem & Consubstantiationem minimè probo. Deinde affirmo nostri coniunctioni cum corpore & sanguine Christi locorum distantiam non obstare, quoniam Cœna Domini res est cœlestis, & licèt ore corporis accipiamus in terris panem & vinum, sacramenta corporis & sanguinis Domini, fide tamen & ope Spiritus S. animi nostri, quorum in primis est hic spiritualis & diuinus cibus, ad cœlum euecti, præsenti corpore ac sanguine Christi fruuntur. Et ideo assero, non opus esse statuere corpus Christi verè, substantialiter & corporaliter adesse vel nobis, vel symbolis præsentiâ non locali. Res ad hæc significatas aio non aliter coniungi symbolis externis, quàm sacramentaliter, quòd ab eis non prophanè ac leuiter, sed ex instituto Domini efficaciter significentur. Hæc est summa fidei meæ, quam in hoc dogmate sequor, & idcirco allatas formulas consensus ea ratione admitto, qua referuntur, vel accommodari possunt ad sensum iam explicatum: contra quem si quis illas vel rapiat, vel interpretetur, ab eo me profiteor diffidere. Cumque in his formulis fiat mentio substantiæ corporis Chri-

Martyr quid per Substan-

1561. tiam corporis Christi intelligat.

Christi, per illud nomen, seu vocabulum, nil aliud intelligo, quàm verum Christi corpus. Non enim fides nostra in rem fictam, aut phantasma dirigitur, sed in corpus humanum verum & naturale, quod verbum Dei ex beata virgine assumpsit, & in crucem pro nobis dedit. Vnde non est, quòd ex ea voce credamur existimare, præsentiam eius realem alibi, quàm in cœlis esse. *Ego Petrus Martyr Vermilius Florentinus hæc manu mea scripsi, & ore proprio sum protestatus coram reuerendis Dominis Collocutoribus.*

Martyris sententia approbatur ab Euangelicis. Genebrardi Episcopi Parisiensis mendacium.

Hæc tamen sententia Pontificijs Collocutoribus non satisfecit: nostrarum verò partium Doctores eam approbârunt. Vbi obiter notandum putidissimum Genebrardi Parisiensis Episcopi mendacium, qui lib. 4. sua Chronologia anno Domini 1562. in hunc modum scribit: Petrus Martyr à Caluinistis, vt spectrum in Eucharistia constituentibus, proximè in Poissiaco Conuentu dissensit, exclamans, PRO SVA PARTE, neque reipsa corpus Christi esse in Eucharistia, neque reipsa sumi: quum isti affirmarent, reipsa quidem abesse, reipsa tamen sumi, quod est prodigij plùs quàm simile. Nam Beza, cæterique collegæ vniuersi testati sunt, se prorsus idem cum Martyre sentire, neque vnquam credidisse aut docuisse aliter. *His autem verbis in chirographo suo,* Respondeo, *vel* Sentio pro mea parte, *Martyr propterea vsus est, quoniam inter ipsos antea conuenerat (ne coactæ consensionis suspicionem incurrerent, tanquam alter alterius niteretur fide) vt primùm sententiam suam scripto expressam veluti pro seipso peculiariter exhiberet; deinde Beza & cæteri, quisque pro se item distinctè ac seorsum, vel eandem approbarent, vel, si videretur, aliam traderent. Perperam igitur ex his Martyris verbis Genebrardus cum suo Espencæo collegit, eum à Beza & reliquis collegis suis dissensisse. Testatur hoc etiam Author historiæ Ecclesiasticæ reformatarum Ecclesiarum in Gallia: testatur idem Poplinerius in Historia Gallica lib. 7. Alterum mendacium Genebrardi est,* Martyrem negasse corpus Christi reipsa sumi in Eucharistia. *Nam verum Christi corpus fide à fidelibus in sacra Cœna percipi dixit: nec rem vnquam negauit, sed Papisticum rei modum, & docuit spiritualiter non corporaliter, carnaliter, realiter id sumi. Tertium mendacium,* Prodigij plùs quàm simile spectrum ab illis introduci, qui corpus Christi in cœlo tantùm esse verè, & tamen verè in sacra Cœna sumi asserunt. *Si enim putat hæc esse pugnantia, coarguit eum Christus, qui Ioh 6. c. dicit,* Qui comedit corpus meum & bibit sanguinem meum, in me manet, & ego in ipso: *coarguit eum Paulus, subiungens dicto de Ecclesia, membris corporis Christi, ex carne Christi, ex ossibus Christi,* Mysterium hoc magnum est. *Nam & integer Christus, corpore, carne, ossibus, verè est in cœlo; & mysterij tamen veritate membra eius sunt in terra, caro ex carne eius, ossa ex ossibus eius, ac ipse in nobis est, & nos in eo: quamuis nec carnaliter eum comedamus, nec ex ossibus eius sic formati simus, vt Pelopis humerus ex ebore. Sed hæc obiter. Nunc ad propositum reuertamur.*

(margin: 1., 2., 3.)

Articulus in quem vtrarumque partium delegati consenserunt.

Re variè inter decem nominatos Collocutores agitatâ, tandem in hunc articulum vtrarumque partium Delegati consenserunt: QVATENVS fides res promissas præsentes facit, & verè recipit corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, virtute Spiritus sancti: hac ratione fatemur præsentiam corporis & sanguinis eius in sancta Cœna: in qua nobis offert, donat & verè exhibet substantiam sui corporis & sanguinis, operatione Spiritus S. in quo recipimus & manducamus spiritualiter & per fidem illud corpus pro nobis mortuum; vt simus ossa de ossibus eius, caro de carne eius, & eo viuificemur & percipiamus quæcunque faciunt ad nostram salutem.

Articulus hic à collegio Pontificiorum non omnino approbatus fuit.

Prælatorum Delegati hunc articulum suorum collegio indicarunt, qui ab illis non fuit omnino approbatus. Itaque postridie alius Ministris illorum nomine exhibitus fuit, in quo aliquid fuit immutatum. Quòd autem primus articulus, fidei, *secundus,* Verbo *attribuebat: illum articulum propter ambiguitatem, ne grauiores errores pareret, noluerunt recipere Ministri. Et Martyr apertè testatus est,* se non recedere à sensu sui chirographi, quod illis tradidisset. *Beza igitur & reliqui Collocutores cum Martyre, huic posteriori formulæ breuem declarationem adiecerunt, vt remota omni ambiguitate Pontificij intelligerent, quis nostrarum Ecclesiarum sensus esset.*

Articulus de præsentia corporis Christi in Cœna, vt ab vtraque parte conscriptus & approbatus fuerit.

Sed ne in verbis certamen esse videretur, omnium Delegatorum consensu illum in hæc verba conceperunt: Confitemur Iesum Christum in Cœna nobis offerre, dare & verè exhibere substantiam sui corporis & sanguinis operatione Spiritus sancti: & nos recipere & edere spiritualiter & per fidem verum illud corpus, quod pro nobis mortuum est: vt simus ossa de ossibus eius, caro de carne eius: ad hoc vt eo viuificemur, & percipiamus quæcunq; faciunt ad nostram salutem: Et quoniam fides innixa Verbo Dei, res perceptas præsentes facit: per istam verò fidem recipimus verè & efficaciter verum & naturale corpus & sanguinem Iesu Christi, virtute Spiritus sancti: hoc respectu fatemur præsentiam corporis

&

& ſanguinis ipſius in Cœna.

Delegati Pontificij propter approbationem articuli huius hæreſeos à ſuis accuſantur.

His ita conſtitutis, vtriuſque partis Delegati rem ad ſuos deferunt, vt liberè vtraque partes quid ſentirent, ſtatuerent. Prima igitur fronte Prælatorum plerique illum articulum ita conceptum recipiebant: verùm re cum Sorbonicis communicatâ, illum poſtea communi ſententia repudiârunt. Illorum tamen Delegatis, vt fuerat cum Miniſtris concluſum, in ſua ſententia perſeuerantibus, objiciebatur, illos cum Miniſtris coitionem feciſſe, imò hæreſeos inſimulabantur: nec ampliùs colloquendi & conferendi facultas eis tributa eſt. Itaque Miniſtri communicandi ratione ablatâ, hanc illius articuli explicationem ad Antiſtitum Delegatos rurſus misêre. Affirmamus nullam locorum diſtantiam impedire poſſe communicationem quam habemus cum Chriſti corpore & ſanguine: quoniam Cœna Domini eſt res cœleſtis: & quamuis in terra recipiamus ore panem & vinum, vera ſcilicet corporis & ſanguinis ſigna: tamen fide & Spiritus S. operatione, mentes noſtræ (quarum hic eſt præcipuè cibus) in cœlum elatæ, perfruuntur corpore & ſanguine præſente. Et hoc reſpectu dicimus, corpus verè ſe pani coniungere, & ſanguinem vino: non aliter tamen quàm ſacramentali ratione, id eſt, neque locali, neque naturali modo: ſed quoniam efficaciter ſignificant, Deum illa dare fideliter communicantibus, illoſque fide verè & certò percipere.

Perſpicua ſententia Euangelicorum de præſentia corporis Chriſti in Cœna.

Hæc ergo eſt perſpicua de corporis & ſanguinis Ieſu Chriſti præſentia in Sacramento Cœnæ, Eccleſiarum reformatarum ſententia.

Germanici Theologi re infecta domum redeunt.

Cæterùm venerant Germanici aliquot interea Balduini operâ Theologi. Verùm illi, patefacto Cardinalis Lotharingi, cuius induſtriâ iſta expediebantur, conſilio, domum re infectâ redierunt. Illius nimirum conſilium erat, vt vtroſque Theologos in eandem arenam pertraheret, atque vnà digladiantes, ſoluto Colloquio, riſu & ludibrio exponeret.

Colloquium à Pontificijs abrumpitur.

Prælati (vt diximus) improbantes ea, quæ à ſuis Collocutoribus & delegatis geſta erant, imò ipſos hæreſeos inſimulantes, neque vlterius in ſua doctrina defendenda eorum opera vti volentes, abrumpendi Colloquij diu hanc optatam occaſionem arripuerunt. Cardinales etiam & Epiſcopi complures ex aula diſceſſerunt: Vnde & ex Euangelicis Collocutoribus, quum nulla Colloquij reſtaurandi ſpes eſſet, plerique ad ſuas Eccleſias ad Nouemb. diem 25. redire cœperunt. Atque hic quidem fuit exitus Colloquij Poiſſiaceni, congregatis ad tres menſes illius diſputationis cauſa complurimis: quam quidem nullus tum, aut perquàm exiguus fructus, poſt verò: maxima motuum atque bellorum perturbationes ſunt conſecutæ. Ex quibus ſimul deprehendi poteſt putidiſſimum Compilatorum Auguſtanæ Confeſſionis hiſtoriæ mendacium, qui in Hiſtoria certaminis ſacramentarij ſub Anno Domini 1561. ſcribunt, Bezam Colloquium abrupiſſe, horrēdis iſtis verbis, Chriſti corpus reale tantùm a pane & vino Cœnæ abeſſe, quantùm altius cœlum à terra abeſt.

Compilatorum *1561. Auguſt. Confeſſionis hiſtoriæ mendacium.*

Cardinalis Lothar. cur Euangelicos hortatus ſit vt Auguſtanæ confeſſioni ſubſcribant.

Diximus ſuprà Cardinalem Lotharingum aſtutè in hoc toto Colloquio Theologos Euangelicos hortatum eſſe, vt Confeſſioni Auguſtanæ ſubſcribant, nimirum, vt ſi hoc denegarent, illos cum Germanis Auguſtanæ Confeſſionis ad contentiones committeret: ſin ſubſcriberent, quaſi parta victoria in hoc Colloquio de illis triumpharet. Accedit huic cauſa etiam illa, quòd decimum articulum de Cœna, ſicut alios nonnullos Auguſtanæ Confeſſionis articulos magis pro Pōtificijs, quàm Gallicarum & Helueticarum Eccleſiarum Confeſſionem facere ipſe putaret.

Cur Martyr & Beza à Rege Nauarræ appellati de ſubſcriptione Auguſt. confeſſionis.

Illud verò mirum alicui videri poſſet, Bezam & Martyrem à Rege Nauarreno, aliiſque Principibus Euangelicis in Gallia, appellatos de Confeſſione Auguſtana: ecquid de illa ſentirent, & num eam amplecti poſſent? Eius cauſam paucis exponam. Poſt Franciſci 2. Regis mortē, nonnulli qui præter ſuam ipſorum expectationem, autoritatis ſua gradū, Nauarreni Regis facilitate, maxima ex parte retinuerant: nec eam ſe poſſe conſeruare niſi euerſa vera religione arbitrarentur, quòd nullos alios amicos haberēt, quàm qui Deo eſſent inimici, nouum conſiliū, vt in rebus nouis fieri ſolet, inire cœperunt. Videbant ſeſe, quominus, vt cœperant, apertis viribus rē gererent, multis modis impediri. Rex enim Carolus, qui fratri ſucceſſerat, iunior erat, quàm vt eo poſſent abuti. Regis matri non ſatis fidebant, cū quòd pacis & otij cupida videretur, tum etiam quòd nondum eſſet ex Statuum voluntate plenam authoritatem adepta. Creuerant Euangelici & animis & numero mirum in modum. Nauarrenus deniq; omnium Galliæ Procerum primus, nō obſcurè Euangelicarum partium erat, quem non multò antè indigniſſimè capto ipſius fratre Condenſi Principe, grauiter offenderant. Vnum igitur maximi momenti opus erat Nauarrenum blāditijs lenire & à Gallicarum Eccleſiarum reformatarum Confeſſione auertere. Sciebant autem veterem eſſe inter eos qui à Papatu deſciuiſſent, de re Sacramentaria controuerſiam, eandemq; ſopitam paucis antè annis à quibuſdam velut ab inferis reuocatam: non ignorabāt etiā aliquod eſſe in ritibus & ceremonijs inter eos diſcrimen. Itaq; hac occaſione arrepta, iidem illi, de quibus modò dixi, certos quoſdam homines ſubornarunt, qui Auguſtanæ Confeſſionis prætextu, cuius ille vel nomen ipſū vix audierat, omniū Germaniæ Principū ſocietatē ad Nauarrenū regnum recuperādum illi oſtentarēt: & ille ni-

1561. *nimiùm credulus ijs quæ ab ipsis Pontificijs clàm gerebantur, quum imaginaretur hac ratione se posse ipsi quoque Pontifici terribilem fieri, & regnum suum hoc compendio recuperare, facilè istis fraudibus assentiebatur. Hinc illa lachrymæ: hinc tam crebrò ab ipso Augustanæ Confessionis apud Euangelicos, Gallos mentio facta, & ex ijs, num eam amplecti, eique subscribere possent, quæsitum est. Quum verò hæc fraus neutris successisset, aliâ deinde via Nauarrenum aggressi sunt: sed id alterius est loci.*

ANNVS M. D. LXII.

Acta & scripta Poissiacenum Colloquium subsequuta.

Boquinus contra Hesshusium.

ANno 1562. Petrus Boquinus *in lucem emisit* iustam defensionem, aduersus iniustam vim Hesshusij & Villagagnonis, *de iudicio illo, quod Philippus Melancthon, paulò antequam ex hac vita migraret, ad Electorem Palatinum miserat de Cœna Domini.*

Klebitius contra Hesshusium.

Guilhelmus Klebitius *similiter edidit* Demonstrationes Theologicas, *in quibus ostendit*, primò, *Non omnem quæstionem formatam per Aduerbium, Quomodo? incredulitatis esse argumentum.* Secundò, *Modum ineffabilem, quo Hesshusius soluit omnem nodum, multorum hæreticorum antiquum esse effugium. Lausannæ apud Ribittum.*

Item, Demonstrationem erroris Hesshusiani, *de præsentia Iudæ in Cœna Domini, iuxta decisionem sanctæ Romanæ Ecclesiæ: ibidem.*

Synodus Mansfeldensium, in qua suâ Confessionem declararunt.

Ministri item Verbi, qui sunt in ditione Comitum Mansfeldensium, Islebij mense Februario, Synodum celebrârunt, in qua Confessionem suam explicârunt, quam superiore anno Latinè & Germanicè ediderant contra varias sectas, errores & hæreses, eorum qui à Verbo Dei & Confessione Augustana, siue repurgata à Luthero doctrina discedunt: inter quos etiam Zuinglianos siue Sacramentarios numerant. Queruntur in illa explicatione, perniciosam doctrinam Sacramentariorum indies in vicinis locis crescere magnumque damnum dare: proinde vigilandum esse, & confutandum errorem, ne simplices seducantur.

Mansfeldensium ministrorum ad hortatio ad Gallos.

Collegerunt itaq; summam doctrinæ de Cœna Domini ex Lutheri aliarumq; suorum doctorum libris, quam ad nascentem Ecclesiam Galliæ miserunt. Ac primùm quidem gratulantur eis, quòd ex tenebris & tyrannide regni Pontificij liberati sint. Deinde hortantur eos, dent operam ne hostis humani generis Satan, philosophicis rationibus in negotio Cœnæ Dominicæ eos à vera fide abstrahat. Illos enim, qui se hactenus ab incorrupta voce Euangelij segregauerint, fucosisque argumentis humanæ sapientiæ plebeculam irretire voluerint, non solùm vicinos esse ipsis, sed etiam præsentes ac negotiorum in Euangelio adiutores & administros, vnde non paruum periculum Galliæ immineat. Et quoniam ipsi hoc in loco agant, in quo Deus Martinum Lutherum nasci & mori voluerit, doctrinæ ab ipso traditæ hactenus se custodes fuisse, & aduersus omnes corruptelas pugnasse, monnisseque omnes editis libris vt sibi cauerent. Commendant eis scripta Lutheri, qui veram de Cœna doctrinam diligenter defenderit. Postea addunt, Irenæum, qui doctor Galliæ fuerit olim, idem sensisse, quod nostra ætate Lutherus, cuius doctrinam si amplectantur, omnia ab eis officia expectare debere, &c.

Hesshusius contra Sacramentarios.

Eodem tempore, Tilemannus Hesshusius *Magdeburgi librum edidit, quem inscripsit*, Veræ & sanæ Confessionis de præsentia corporis Christi in Cœna Domini, piam defensionem aduersus cauillas & calumnias Ioannis Caluini, Petri Boquini, Theodori Bezæ & Guilhelmi Clebitij. *Hoc libro multorum in se animos concitasse, & effecisse dicitur, vt plures quàm antea dubitare cœperint, quibúsnam in Saxonia doctoribus*, Wi*tebergensibúsne, an Magdeburgensibus sese adiungere debeant.*

Bullingerus respondet Brentio.

Bullingerus *item hoc anno respondit ad librum Brentij, quem superiori anno ediderat contra Bullingeri Tractationem verborum Domini*, In domo Patris mei *&c. atq; ostendit sententiam suam de cælo & dextera Dei, ex sancta Scriptura & beatis Patribus propositam, aduersâ Brentij sententiâ nequaquam esse euersam, sed adhuc firmam perstare. Cumque Brentius in hac sua Responsione doceat, Cælum in quod ascendit Christus, & in quo futuri sunt cum eo Sancti omnes, non esse certum locũ, spatijs localibus definitum, supra nos in excelsis, sed esse regnum Dei Patris nulli alligatum loco, sed vbiq; diffusum, tam in cælo quàm in terra, vbicunq; Deus omnipotentiâ & clementiâ suâ regnet: Bullingerus contrà probat*, Primò *ex verbo Dei & Patribus, Cælum in quod assumptus est Dominus, & in quo Sancti cum eo futuri sunt in æternũ, locum esse certũ, non in his terris: neq; vbiq; sed à terris distinctũ, supra mundũ hunc corruptibilem, in excelsis.* Secundo *loco contra Brentium probat, Dexteram Dei, in qua sacra Scriptura Dominũ Iesum collocat, non sẽper omnipotentiã, maiestatem & felicitatem Dei, sed etiam certũ locum interdum significare in cælo beatitudinis, idq; propter assumptam & nunquam depositam carnis veræ naturam. Vt sedere ad Dexteram Dei Patris, non tantùm significet, quòd assequutus sit Dominus dignitatem supremam, quodq; transcenderit omnem Principatum & potestatem, sitque Rex summus & Deus verus*

Fol. 27.

Summa libri Bullingeri.

in

in gloria, per quem fiant, gubernentur & conserventur omnia: sed etiam, ipsum Domini corpus assumptum, uti erat ex mortuis excitatum, nunc requiescere in cœlo in loco beatorum, fruique beatitudine & felicitate sempiternâ. Tertiò, quum Brentius in *Responsione sua affirmet, quòd majestas & gloria Divina, non tum primùm Christo contigerit, quando ex mortuis resurrexit, sed protinus simul ac in utero matris conceptus, Filius Dei hominem in unam personam assumpsit, statimque eum supra omnes creaturas ita secum extulerit, ut ubicunque sit deitas illius, ibi sit etiam humanitas ejus: ideoq; residentem in cœlis Christum etiam secundùm humanitatem implere omnia, & corpus ejus nullo contineri loco, sed diffundi per omnia cum Deitate: Bullingerus contrà docet, Christum Iesum sic esse verum Deum & hominem in una indivisa persona, ut utraque suas proprietates salvas & inpermixtas retineat: ideoque secundùm Divinitatem suam esse æternum, immortalem, impaßibilem, incorruptibilem, infinitum, ubique præsentem & nullo loco inclusum: juxta humanitatem autem suam creatam, esse mortalem, paßibilem, corruptibilem, finitum, non ubique præsentem, & suo loco circumscriptum: & quod ab incarnatione sua, ante resurrectionem suam in statu humilitatis, variis obnoxius fuerit calamitatibus: à resurrectione verò, istis exutus omnibus, præterea immortalitate & gloria magnificè ornatus vel glorificatus, in supremam fuerit exaltatus excellentiam & majestatem, in qua tamen corporis veritatem vel naturam & circumscriptionem nunquam deposuerit, sed hominem quem semel assumpsit, retineat indissolubili nexu sibi copulatum in sempiternum.* Postremo *loco tractat Bullingerus in hac sua responsione de Cœna Domini, ostendens quæ fuerit veteris & purioris Ecclesiæ, & etiamnum Helveticarum Ecclesiarum de hac sententia: quâ item occasione quibusque authoribus infelix illud certamen Sacramentariorum cœperit.*

Erasti libellus de sensu verborum Cœnæ.

Editus quoque est libellus Heydelbergæ Germanicâ linguâ de sensu verborum Cœnæ, Hoc est corpus meum. *In quo ipsis his verbis Christi, itemque Pauli, Patrumque testimoniis ostenditur, verba Cœnæ non secundùm literam, sed tropicè accipienda esse. Author hujus libelli fuit* Thomas Erastus *Medicus Heydelbergensis.*

Illyricus & socii ejus à Schola Ienensi dimißi.

Editi sunt etiam hoc tempore libelli Matthiæ Illyrici, Ioannis Wigandi *&* Matthæi Iudicis, *Professorum Theologiæ, quibus docent, quare ab Illustrißimis Principibus Saxoniæ è Schola Ienensi dimißi sint: & inter alias causas hanc quoque afferunt, quòd Sacramentariis sese opposuerint.*

Liber Brentii de

Ioannes Brentius *Petri Martyris Dialogo de Unione personali duarum naturarum in Christo, & Responsione Bullingeri inflammatus, librum vehementem & aculeatum contra utrumque edidit, quem* de Maiestate Christi *inscripsit. Nam cùm animadverteret, suam illam Ubiquitatem plerisque portentosam videri, visum est ei alio nomine dogma novum ornare: quasi verò Majestas Christi in hoc posita sit, ut humana ejus natura, amissâ suâ proprietate ubique existat ubi est divinitas. Hoc libro Martyrem simul & Bullingerum uno impetu prosternere conatus est. In eo etiam accusat nostras Ecclesias, quòd gloriam & Majestatem Christi impugnent, & Dei omnipotentiam negent: quum tamen omnibus notum sit, nec ipse Brentius ignorarit hanc esse calumniam vanißimam.*

1562. Maiestate Christi contra Martyrē & Bullingerū.

Brentius Ubiquitatem novo Maiestatis nomine ornavit.

Errores Brentiani libelli de personali unione.

Adhac portentosa sua dogmata in hoc Libro repetit & confirmat: Primò de Ubiquitate, pagina 23. Quid prohibet, *inquit*, dicere, Filium Dei cum omnibus rebus creatis personaliter unitum esse? *Pagina nonagesima octava.* Statui docendi gratia triplicem Ubiquitatem, Localem, Repletivam, & Personalem. *Pagina nonagesima nona.* Potuissem, ut rectè monet Martyr, & vel tandem aliquid sani dicit, duas has species Repletivam & Personalem sub una Repletiva comprehendere *Et pag.* 100. Metu calumniæ (ut ingenuè dicam, quod res est) posui duas species: alteram, quâ sola Divinitas qualis fuit ante incarnationem Christi, alteram, quâ humanitas unà cum Divinitate, qualis est post incarnationem, comprehenderetur, ne si unam tantùm Repletivam speciem posuissem, exclamarent, me ex Divinitate & humanitate unam facere naturam seu essentiam. *His verbis discernit Repletivam & Personalem Ubiquitatem; non quòd rem sentiat esse diversam: sed quòd velit Divinitatem ex sua natura; humanitatem autem ex vi unionis omnia implere. Est autem Principij petitio, Non enim quæritur unde, sed an humanitas cuncta repleat, quod soli Divinitati congruit, nulli autem rei creatæ & finitæ. Et pag.* 166. Demonstravimus Christum humanitate suâ in tantam gloriam & majestatem evectum, ut in ea non solùm non circumscribatur loco, verùm etiam Cœlum & terram (sed suo, eoque cœlesti modo) impleat & omnia coràm præsens gubernet.

Brentius in hoc libro repetit portentosa dogmata de Ubiquitate.

Deinde *falsò definit Unionem personalem duarum naturarum in Christo, Nam Pag.* 35. *sic scribit:* Nos ex illo Evangelistæ dicto & similibus *Verbum caro factum est*, docemus unionem verè & perfectè personalem, ut ubicunque est Divinitas Christi, Ibi etiam sit (sed ineffabili modo) humanitas ejus. *Et pag.*

Brentius falsò definit unionem personalem.

1562. *pag.* 35. Nisi Cingliani Vnionem personalem in Christo ita definiant, ut ubicunque sive in cœlo, sive in terra fuerit Deitas Christi, ibi habeat sibi inseparabiliter coniunctam, & unitam suam humanitatē, fieri non potest, quin non solùm faciant ex Christo duas personas, aut duos Christos: verùm etiam redigant eum in ordinem aliorum sanctorum, & negent eum esse verum Deum.

Brentius confundit gradus præsentiæ Dei in creaturis. Tertiò, *confundit gradus præsentiæ Dei in creaturis. Sic enim ait pag.* 21. Filius Dei cùm sit in Ecclesia, adeoque ubique, nunquam sic est EXPERS humanæ naturæ Pauli, quin eam in loco, ubi ipsa est, sive apud Philippenses, sive apud Romanos, habeat insitam sibi & indissolubili vinculo coniunctam. *Pag.* 23. Quid est illud? In vnitate personæ? An-non Filius Dei ab æterno à Patre suo genitus, verè secunda est in Deitate persona, quà & omnibus rebus ita præstò adest, ut absque præsentia & potentia eius nihil rerum consistere posset? Quid igitur prohiberet, quò minùs dicatur Filius Dei etiam omnibus rebus esse personaliter unitus esse? *Hic sentit Brentius, nisi statuatur Vbiquitas humana naturæ Christi, personaliter τῷ λόγῳ iunctam seu unitam esse non aliter, quàm cætera creatura sint. Item*: Quod fecerunt tam Christus quàm Petrus & Paulus: hoc fecerunt uirtute divinâ, eaque non absenti, sed omnino præsenti, (*Paulus verò & Deus non sunt una persona, sicut Christus & Deus*) & quâ NON MINVS, si essentiam & potentiam eius respexeris, impleti erant Paulus & Petrus, quàm Christus ipse. Si enim Divinitatem Christi consideraveris, simplicissima est, & ubicunque est, ibi tota est, *Quòd autem Deus totus ubique est, id hypostaticam unionem non constituit, in qua unitur ipsa Deitas cum assumpta natura καθ' ὑπόστασιν συνδέτων, ut loquitur Damascenus.*

Brentius exaquat naturas in Christo. Quartò, *de Exæquatione naturarum in hunc modum scribit pag.* 7. Non exæquamus humanitatem Christi Divinitati οὐσίᾳ, sed tantùm ἐξουσίᾳ, non essentiâ, sed potentiâ, non naturâ, sed gloriâ, non substantiâ, sed maiestate. *Nihil autem in cœlo vel terris potest sine blasphemia dici æquale esse Deo ἐξουσίᾳ, nisi quod sit etiam οὐσίᾳ unus & idem Deus, sicut tres ὑποστάσεις dicuntur inter se æquales, quoniam sunt ὁμοούσιοι Pag.* 51. Cùm de Christo dicatur, quòd consederit ad dextram Dei, non est intelligendum quòd tantùm secundùm æternam suam Divinitatem sit æqualis cum Deo Patre maiestatis & omnipotentiæ, sed quòd etiam secundùm suam humanitatem ÆQVALI sit maiestate & omnipotentiâ præditus. Et tamen nec substantia Divinitatis mutatur in humanitatem, nec substantia humanitatis mutatur in Divinitatem, sed utraque substantia manet in eadem persona inviolata. Accipit autem humanitatis substantia nova atque cœlestia, imò & divina ornamenta. *Et Pagina* 243. Credo & fateor Divinitatem & humanitatem in Christo essentiâ suâ tantùm differre, quantùm differunt Creator & Creatura. Si autem intelligitur, quòd homo in Christo sit exaltatus in PAREM gloriam & maiestatem cum Deo, quis tam impudens, tam impius erit, qui huic homini, eum honorem, quem ei Pater tribuit, adimat.

Æqualitas non in substantia sed in maiestate & omnipræsentia.

Brentius duplicem in Christo divinitatem statuit. Quintò *continetur in hoc libro portentosum dogma de duplici in Christo Divinitate: & falsa assertio, quòd homo Christus Deus dicatur respectu effusionis proprietatum divinarum in carnem assumptam. Nam Pagi.* 87. *sic habet.* Hunc assumptum hominem Filius Dei ita sibi univit, ut non quidem essentia humanitatis mutaretur in essentiam Deitatis, sed ut homo verè fieret & esset Deus, hoc est omni Deitatis maiestate ornaretur. Habes nunc hominem, verum Deum, ideoque immortalem, vivificum, omnipotentem, omnisapientem, omnijustum, omnia implentem, omnia tam in cœlo, quàm in terra gubernantem. Et si quid huius maiestatis illi homini ademeris, iam ademisti ei plenitudinem & gloriam Deitatis, & negas eum verum esse Deum. *Atqui ornari Maiestate Divinâ, & fieri immortalem, omniscium, omnipotentem, omnisapientem, &c. non efficiunt, ut Christus homo sit verè Deus, sed tantùm ut sit homo divinus. Rursus pag.* 60. Quid est obsecro efferri in summam sublimitatem? An-non solus Deus est in summa sublimitate? Imò Deus est ipsa summa sublimitas. Quare efferri in summam sublimitatem est efferri ad ipsam Divinam Maiestatem, non quidem ut essentia divinitatis mutetur, sed ut homo ad omnia divinitatis ornamenta exaltetur. Nisi enim ea consequeretur, non efferretur in summam, in summam inquam sublimitatem. Deinde quid est obsecro donari nomine quod est supra omne nomen? An-non Dei nomen solum est super omne nomen? Certè reliqua omnia nomina sunt creaturarum, & solum nomen Dei superat omnia. Cùm igitur Paulus dicit, quòd Deus donaverit homini, quem Filius Dei in unam personam assumpsit, nomen, quod est super omne nomen, manifestè docet, hunc hominem donatum & illustratum esse majestate Dei. Sublimitas autem & Majestas Dei non tantùm

tùm est omnipotentia, verumetiam omniiustitia, omniscientia, omnisapientia, & omnipræsentia. Donatum est igitur homini à Filio Dei assumpto, non tantùm ut sit omnipotens, verumetiam ut sit omniiustus, omnisapiens, omniscius, & omnipræsẽs. Postremò quid obsecro est adorari flexis genibus cœlestium, terrestrium, & infernorum? An non solus Deus sic est adorandus? Rectè. Cùm igitur Paulus scribit, homini Christo donatum esse, ut in nomine eius flectantur genua omnium creaturarum, quid aliud docet, quàm ipsum ornatum esse Diuinâ Maiestate, ac FACTVM esse verum Deum, ut Petrus loquitur? Verus autem Deus ut est omnipotens, ita est etiam omnipræsens. Necessariò igitur sequitur, quòd & homo ille, qui est à Filio Dei in unitatem personæ assumptus, sit verè omnipotens & omnipræsens. Et hoc illud est, quod dicitur, Christum sedere ad dextram Patris sui. *Non dicit autem Petrus Actorum quinto, Iesum factum esse Deum, sed factum esse Christum & Dominum, ut describat exaltationem Christi ad regnum & sacerdotium, non autem Diuinitatem aliquam donatam humanitati. Et mox pag. 62.* Homo Christus non vocatur propriè ob illam causam Deus aut Filius Dei, quòd Deus impleat eum sua præsentiâ, essentia ac potentiâ, ac ornet eum multis tam corporalibus quàm spiritualibus donis: sic enim omnes sancti possent dici Dii & Filii Dei: sed idcirco dicitur, & est verus Deus, quòd Filius Dei qui est secunda persona in Diuinitate, sic assumserit, sic exaltaverit, sibi sic univerit hominem Christum, ut collocaverit eum in omni diuinitatis suæ gloria atque maiestate. Quod beneficium nulli alteri creaturæ, nec homini, nec Angelo contigit, præterquam soli semini Abrahæ atque Davidis. *Et pag. 66.* Quid reliquum est, quàm quod etiam humanitas Christi perfundatur & ornetur sicut omnipotentia, ita etiam omnipræsentia? Et qui adimit homini Christo omnipotentiam & omnipræsentiam, negat eum esse verum Deum. *Et mox:* qui negant filium hominis ita à Filio Dei assumtum, ut ornarit eum dono omnipotentiæ, omnisapientiæ, & omnipræsentiæ, negant filium hominis esse verum Deum, quia intelligunt Deum quidem habitare in carne Christi: non tamen effundere in hanc carnem, omnem Deitatis suæ plenitudinem perfectè, nisi quatenus natura carnis ferat. *Et pag. 91.* Voco in præsentia, DIVINITATEM Christi NON EAM, quam Filius Dei in se ab æterno habuit, SED QVAM tempore Incarnationis filio hominis communicavit, seu, ut Augustini utar verbo, participavit. ALIA enim est Diuinitas communicans seu participans: ALIA communicata seu participata: sicut ALIVS est donator, ALIVD donum ipsum. Christus igitur secundùm participatam carnis suæ deitatem, implebat Cœlum & terram. *Christus autem non alterius Diuinitatis ratione, verè est & dicitur Deus, nisi eâ ipsa, quam ὁ λόγος caro factus ab æterno in sese habuit.*

Sextò *sinistrè interpretatur Humiliationem & Exaltationem Christi. Sic enim pag. 76.* Cùm de inanitione & humiliatione Christi dicitur, intelligendum est de initiatione & humiliatione humanitatis eius. *Paulus autem non humanitatem, sed eum qui in forma Dei erat, dicit exinanitum esse. Ibid. pag. 76. & 77. Affirmare audet* exaltationem Christi in ipsa Incarnatione factam esse. *Pag. 114.* Diuinitas ornavit in Incarnatione humanitatem omni suâ maiestate. Quam tamen maiestatem humanitas tempore exinanitionis suo modo dissimulavit. *Hic exaltari humanitatem, Brentio est ornari in ipsa incarnatione omni maiestate diuinâ: Exinaniri est dissimulare maiestatem illam humanitatis. Pag. 108.* Christus fuit ab utero matris exaltatus & glorificatus. Non quòd tunc exaltatio & glorificatio eius fuerit omnibus conspicua & manifesta. Nam tunc hæc manifestata est & publicata; cùm resurrexit à mortuis, & ascendit in Cœlum & misit Spiritum sanctum: Sed quòd in Incarnatione verè sit à Deo in unitatem personæ assumtus. Ideoque ornatus omni formâ & maiestate Dei, quam tamen tempore exinanitionis non palàm, nisi quatenus ad testificandam doctrinæ veritatem satis erat, ostentavit. *Si verò exaltatio Christi hominis est, quòd caro assumpta accepit in se omnem maiestatem diuinam & gloriam statim in conceptione: An non Christi non solùm mors; sed etiam mortalitas negabitur? Aliter verò Christus docet: Oportet Filium hominis pati, & sic intrare in gloriam suam. Pag. 142. & 143.* Duplicem descensum facit Christi, unum Filii Dei, qui dignatus sit Filium Virginis ita in unitatem personæ assumere, ut effunderet in ipsum omnem cœlestem suam dominationem & maiestatem. Alterum filii hominis, *quem ibi nominat ex Nazianzeni dicto malè detorto*, Deum assumtum propterea, quòd in cœlestem & diuinam gloriam & humanam maiestatem collocatus sit. Num enim, *inquit pag. 143.* hic homo in Deum assumtus mox ostentavit, palàm vel adhuc in utero matris existens, vel iam egressus uterum, cœlestem suam gloriam & diuinam seu formam seu maiestatem?

Brentius sinistrè interpretatur humiliationem & exaltationem Christi.

Nihil

1562. Nihil minus. Sed exinanivit sese, formâ servi abjectissimi sumtâ. Exinanitio igitur eius, quâ hanc cœlestem suam maiestatem formâ serui in hoc mundo contexit; rectè vocatur descensus eius de Cœlo, cùm tamen cœlum iam inde ab initio Incarnationis nunquam ita deseruerit, ut non possederit veram & cœlestem maiestatem. Cognito autem descensu ejus de cœlo, facile est cognoscere veram rationem ascensus eius in cœlū (*scilicet, vt sequenti pagina inquit*) quòd depositâ forma non quidem illa essentiali, quâ homo est, & semper homo manet, sed accidentali, quam in externo descensus spectaculo ad tempus οἰκονομικῶς assumpserat, formam Dei receperit (quæ aliquandiu forma Dei tecta fuerat) aut perrexerit, (ut significantiùs, quoad eius fieri potest, loquar) omni cœlesti sua maiestate, quam habuit, frui.

Brentii error de Oeconomia Vbiquistica.

Septimò, *de dispensatione seu Oeconomia Vbiquistica sic scribit Pag. 90. & 91.* Vocant dispensationem, cùm aliquid de ordinario iure relaxatur. Ordinarium autem jus Christi, est maiestas divinitatis eius ad quam in Incarnatione est evectus, & quæ in resurrectione aliquo modo declarata est. Oeconomia igitur est, cùm Christus aliquid agit, aut apparet non pro sua maiestate, sed pro nostro captu, & ad nostram utilitatem. Cùm Christus resurrexisset à mortuis, & quæreretur à mulieribus in sepulchro, dixit Angelus: Surrexit, Non est hic: verè dictum. Non autem juxta maiestatem, sed iuxta Oeconomiam. Non erat in sepulchro mortuus iuxta externum aspectum, erat autem non in sepulchro tantùm, sed etiam in Cœlo & in terra iuxta divinitatis suæ maiestatem. Voco autem in præsentia (sicut & suis locis suprà) DIVINITATEM Christi, NON EAM, quam Filius Dei in se ab æterno habuit, sed quam tempore Incarnationis filio hominis communicavit, seu, ut Augustini verbo utar, participavit. Alia est, enim Divinitas communicans & participans, ALIA communicata seu participata, sicus ALIVS est donator, ALIVD donum ipsum. Christus igitur juxta participatam carni suæ Divinitatem implebat Cœlum & terram, qui tamen iuxta Oeconomiam non erat ampliùs in sepulchro. *Hæc tota Brentii disputatio ex omnibus penè historicis factis Christi efficit phantasmata, & eiusmodi actiones, quæ nobis apparuerint tantùm tales esse: Revera autem & respectu Christi tales non fuerint: quòd verè est Marcioniticum. Sin negant hoc, in aliud absurdum delabuntur, nimirum, ut in una & eadem carne Christi ponant contradictoria. Sic enim Christus simul in summa humiliatione, & in summa gloria ejusdem carnis sua fuerit: simul passibilis & impassibilis, circumscriptus & incircumscriptus, vivus & mortuus. Ibidem pag. 93. & 94. Ad Oeconomiam refert*, quòd Christus plùs quàm quingentis fratribus in Galilæa apparuit, & postea collocutus in Iudæa cum discipulis, in altum sublatus est, & per nubem ab oculis eorum subductus. Non enim, *ait*, sentiendum est, quòd Christus eâ formâ, quâ visibiliter ascendit usque ad nubes, in Cœlo versetur, &c. sed est in cœlesti regno eâ maiestate, quam nec oculus vidit, &c. *Et mox*: Post missum Apostolis Spiritum sanctum Stephano apparuerat stans à dexteris Dei. Nunquid erat eâ formâ, quâ tunc semper in cœlesti regno versabatur? Nihil certè minus, sed erat Oeconomia, quâ Christus sese captui Stephani eatenus accommodabat, quatenus ad consolationem in extremis periculis sufficiebat. Si autem de maiestate, eius sermo fuerit, non sic in uno loco stabat, sed implebat Cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. Sic & in extremo die, inquit, iterum apparebit in nube, quemadmodum discipuli viderunt eum abeuntem, iudicare vivos & mortuos. Hæc est Oeconomia. Etsi enim apparebit tunc tam piis quàm impiis in aliqua maiestate: tamen non erit illa, quâ perpetuò in cœlesti regno dominabitur, & quâ erit omnia in omnibus. *Et pag. 88. 89. Cæteras quoque partes historia Christi ante resurrectionem, ad Oeconomiam suam refert.*

Oeconomia seu dispensatio Vbiquistica quid.

Eidem humanitati tribuit, quòd fuerit & nõ fuerit in sepulchro.

Hæc est illa Divinitas communicata humanitati, quã & maiestatem ipsius humanitatis vocat Brentius, alia ab æterna Deitate Filii. Sicut aliud est donū, aliud donator.

Brentius confundit articulos præcipuos fidei.

Octavò, *Confundit Brentius in hoc libro suo articulos de Incarnatione, Ascensione & Sessione ad dexteram Patris. Sic enim scribit pag. 48.* Humanæ Christi naturæ ea sedes mox in incarnatione, quâ Filius Dei Filium hominis in unitatem personæ assumpsit, data est, idque postea in Resurrectione à mortuis, in ascensu in cœlum, & missione Spiritus sancti patefactum est. *Pag* 78. Est ascensus Christi in cœlum visibilis. Est & invisibilis. Ac invisibilis ascensus nomine intelligo, partim incarnationem Christi, quâ Verbum caro factum, & filius hominis assumptus est à Filio Dei in eandem personam, ut homo esset Deus; & ornaretur omni divinâ maiestate: partim resurrectionem Christi à mortuis, quâ declaratum & comprobatum est, hominem illum assumptum esse verum Deum, & omni divinâ majestate ornatum. Et hoc verè dicitur ascendere, sed invisibiliter, in cœlum, hoc est in cœlestia bona. *Pag.* 40. 41. 44. 45. docere conatur, ascensionem Christi, quæ die 40. à resurrectione facta est in monte oliveti, videntibus discipulis, fuisse corporis Christi elevatio-

vationem usque ad nubes, & externum ac visibile spectaculum. *Pag. 45. & 69.* Scriptura, *ait*, non tradit quòd Christus, postquam ascendit in cœlum visibiliter, & susceptus est à nube, progressus sit physica motione per orbes Planetarum, & per firmamentum usque in cœlum empyreum: sed quòd sederit à dextris Dei: &, si rem ipsam expendas, illud ascendere in Cœlum, postquam susceptus est à nube, significat ad dexteram Dei sedere. *Pag. 51.* Cùm de Christo dicitur, quòd consederit ad dexteram Dei, non est intelligendum, quòd tantùm cum æterna sua Divinitate æqualis sit cum Deo Patre maiestatis & omnipotentiæ, sed etiam secundùm humanitatem æqualis sit maiestate & omnipotentiâ.

Brentius articulū de Cœlo & Inferno sinistre interpretatur.

Nonò, *sinistrè articulum de Cœlo & Inferno interpretatur. Nam pag. 41. nominat* crassissima somnia *dicere*, Cœlum esse regionem supermundanam. *Pag. 43.* Cœlum: maiestas, fœlicitas, regnum Dei, *Brentio sunt* termini æquipollentes. *Pag. 136.* Dubium non est, quin Scriptura tribuat Deo pro suo throno & habitaculo Cœlum illud externum & corporale, quod nobis est ob oculos positum. *Et hæc detorquet omnia Scripturæ dicta, in quibus Cœlum pro throno Dei usurpatur, qualia sunt:* Qui habitat in Cœlis. Deus in Cœlo sedes eius. Dominus in Cœlo paravit sedem suam. Exaudi de habitaculo tuo de cœlis. Cœlum mihi sedes est. Non iuretis per Cœlum, quia thronus Dei est. *Et pag. 140. De habitaculo Angelorum inquit*, Non eos indigere locis corporalibus, in quibus commorentur, cùm sint spiritus. Et tamen cùm non sint nihil, & alicubi sint, non posse se illos in alio habitaculo invenire, quàm apud Deum, qui, cùm ubicunque est, in regno cœlesti sit, necessariò & Angelos esse in regno cœlesti. *Et 141. Missionem Angelorum ex Cœlo tantùm interpretatur* de externa illorum patefactione. Non deserunt, *ait*, interea dum serviunt hominibus in terra, Cœlum aut Deum. Neque tunc primùm de Cœlo veniunt, quando se hominibus manifestant. Manebant in Cœlo, & iam antè aderant apud Iacobum, sed tum primùm externâ formâ apparebant, cùm obuiam fierent ei & dicerent illi: hæc sunt castra Dei. *Sic in historia Elisæi, qui vidit currus igneos, qui erant exercitus Angelorum:* Numquid, *ait*, iam primùm de Cœlo descenderant? Potuit quidem humano more dici, quòd descendissent de Cœlo. Quia antea invisibiles, nunc fiebant visibiles. Non autem deseruerant Cœlum, nec antè aberant ab Elisæo, sed & simul erant in Cœlo, & tuebantur Elisæum in terris, & manifestabant se in monte. *Sic igitur Angelorum descensum non significat Brentio loci mutationem, sed tantùm quòd ex invisibilibus fiant visibiles. Nec relinquit Angelis habitaculum ullum extra hunc mundum corporeum. Idem postea dicit de beatis hominibus. Nam pag. 14. & sequentibus, de Christi & hominum beatorum sede prolixè disputans, & dicta Veterum reprehendens, quibus affirmatur*, Christum corpore suo in cœlis esse localiter, *Tandem*, cùm quæritur: *ait*, ubi-nam Christus nunc cum corpore suo commoretur, non est respondendum, quòd contineatur localiter in loco quodam circumscriptus; sed quòd sit apud Patrem in domo Patris, in throno Patris & ad dexteram Patris. Vbi autem est Pater? Vbi domus Patris? Vbi thronus Patris? Vbi dextra Patris? Num hæc sunt certis locis circumscripta? Num in regionem quandam supra omnes Cœlos, latissimam quidem illam, sed terminis suis localiter definitam, ita sunt conclusa, ut nec in his Cœlis, nec in his terris inveniantur? Nihil verò minus &c. Reliquum igitur est, quòd Christus, isque totus, videlicet non Divinitate tantùm, verùm etiam humanitate suâ commoretur tam in Cœlo quàm in terra; atque adeò ubicunque est Pater ipse, & domus, & thronus, & dextera Patris. Et quia Christus ascendit in Cœlum, & habitat in Cœlo, videtis-ne omnes verè pii quàm latè pateat Cœlum illud, in quo Christus commorari dicitur. *Imò hic omnes pii vident, Cœlum à Brentio constitui nullum, sed ubiquitarium quoddam Cœlum fingi, & confundi humanam naturam Christi cum infinita majestate deitatis. Pag. 152. & deinceps.* Vbi erunt Sanctorum corpora? Apud Christum. Vbi autem est Christus? Apud Patrem. Erimus igitur & nos apud Patrem. Vbi autem est Pater? Num est superficie corporis continentis circumscriptus? Nihil minus. Sed ibi est ubi nos erimus. *Et 158.* Si Deus erit in nobis omnia: Erit ergo & locus noster, si modò in hoc seculo apud nos mansionem fecerit, & locus eius fuerimus. *Et postea citato Augustini dicto ex Psalmo 30. in quo dicitur:* Ipse Deus post vitam sit locus noster. *Et Athanasii:* Impium est aut quærere ubi sit Deus, aut quem locum obtineat Verbum, aut quo domicilio Spiritus sanctus claudatur, &c. Si est impium, *inquit*, quærere ubi sit Deus, aut quem locum obtineat, non minus impium est quærere; ubinam locorum sint, aut quæ loca obtineant Sancti, qui sunt apud Deum, & quorum locus est Deus. *Quia Deus non est in loco: ideo & homines beatos qui cum Deo sunt, negat loco indigere. Hæc verò*

1562.

1562. *verò ratione homines quoque ubique erunt: imò & Deus ipse secundùm hoc dogma, erunt. Ibidem* 158. Moses & Elias cùm apparuerunt præsentes apud Christum in transfiguratione, non tum primùm descenderunt de Cœlo, sed iam antè præstò affuerunt,& in cœlesti regno manserunt. Præsentiam autem suam hoc tempore & hoc loco iuxta voluntatem Christi, & quantam discipuli ferre poterant, patefecerunt, ut dici quidem queat, eos de cœlo descendisse. Hoc autem nihil aliud sit, quàm quòd præsentiam suam revelârint. *Elias & Moses, secundùm hoc Brentii paradoxon, antequam apparuerunt Christo, præsentes in monte fuerunt. Et mox pag.* 159. *Vt eludat obiectionem, quòd Sancti Vbique hoc modo futuri sint*: Non simus, *ait*, in præsentia & in hoc seculo de Sanctorum in altero seculo statu solliciti, sed Christo suam maiestatem tribuamus, omnibus quæ nominari possunt, inter creaturas excellentiorem, & adiungamus suos ei Sanctos. Sic enim non erit metuendum, ne quid ipsis ad cœlestem felicitatem & maiestatem desuerit. *Ibidem concludens disputationem prolixam de Cœlo:* Habet, *inquit*, quid de Cœlo aut habitaculo Dei ac Sanctorum eius sit sentiendum. Si enim loquendum est de Cœlo corporeo, quod est initiò à Deo creatum, non est ubique, sed habet suum à terra discrimen & distantiam. Et dicitur quidem & ipsum habitaculum Dei & Sanctorum eius. Non autem existimandum est quòd Deus essentiâ sua plùs ipsum quàm alias creaturas impleat, aut quòd Sancti ejus in ipso physicis locationibus & motionibus commorentur. Si autem loquendum est de incorporeo & spirituali Cœlo, non est cogitandum, quòd sit certus locus, suis spatiis circumscriptus, supra omnes Cœlos in quo Sancti localiter & corporaliter stent aut sedeant aut deambulent, sed sit regnum cœleste, quod nec locis, nec locorum intervallis, sed maiestate Dei definitur, ut ubicunque Deus sua maiestate regnat, ibi sit incorporeum & spirituale illud Cœlum. *Hic non agnoscit Brentius aliud Cœlum, quàm aut firmamentum istud, id est, Cœlum stellarum: aut regnum ipsum vitæ cœlestis. Sed cur non agnoscit hoc ipsum cœleste regnum à Cœlo, hoc est, à loco aliquo extra hunc mundum visibilem denominari? Pagina centesima sexagesima.* Vt Cingliani iterum habeant quod exagitate pro ipsorum ingenio possint, Cœlum illud EA EST CONDITIONE, ut in eo non tantùm sancti homines, sed etiam SATHAN, & Angeli eius inveniantur. *Postea reiiciens usitatam in Ecclesia sententiam, quòd Infernus sit locus certus infra nos, impiis à Deo destinatus:* Scimus quidem, *inquit*, authoritate Scripturæ esse Infernum. Scimus tam Diabolos, quàm impios & impœnitentes homines perpetuò in eo detorquendos, sed ubi Scriptura definit hunc Infernum certo loco? Vbi collocat eum localiter & corporaliter vel intra, vel infra hanc terram. *Pagina centesima sexagesima secunda.* Anilia vestra deliria de illo vestro corporali ac locali Cœlo & Inferno RIDEO, ut qui in professione Christianæ doctrinæ nondum eò profeceritis, quò aliquid sublimius quàm prophani Ethnici de sedibus Cœli ac Inferni sentiatis. *Et paulò post*: Cùm sermo est de rebus spiritualibus & cœlestibus, hæc vocabula: *supra & infra* usurpantur quidem ex humana consuetudine, non definiuntur autem locis, sed dignitate, indignitate, maiestate, abiectione, gaudio, horrore, lætitiâ, tristitiâ, & aliis id genus. Dictum igitur est, quòd supernum seu cœleste definiatur, nec loco, nec locorum intervallis, sed maiestate Dei, qui non tantùm gubernat coràm eos, qui fœlicitate huius regni fruuntur: verùm etiam Sathanam & omnes illos, qui in perpetuam infœlicitatem conjiciuntur. *Sic verò idem sunt Brentio Cœlum & Majestas Dei in Cœlo.*

Decimò, depravat in hoc libro Brentius verum & nativum sensum insignium quorundam Scripturæ locorum. Nam primò ad locum illum Ioannis 14. *Relinquo mundum & vado ad Patrem*: Hoc, *inquit folio* 143. nihil aliud est, quàm quòd cùm in diebus carnis suæ exinanivisset se formâ Dei, & assumsisset formam servi, nunc à Resurrectione recepit formam Dei, & ingressus est in maiestatem Patris. Hoc enim est *Vadere ad Patrem*, in paternum videlicet thronum conscendere & suam maiestatem patefacere. *Hoc verò modo tantùm ad Naturam Divinam descriptionem pertineret hoc dictum, quatenus ὁ λόγος missus est. Secundò, de loco Act. 2. Fecit eum Christum & Dominum, sic ibidem fol.* 61. Cùm Paulus scribit homini Christo donatum esse, ut in nomine eius flectantur genua omnium creaturarum. Quid aliud docet, quàm ipsum ornatum esse divinâ maiestate ac FACTVM esse verum Deum ut Petrus loquitur? *Aliud autem est, factum esse Deum, quod nusquam carni tribuitur καθ' ἑαυτὴν: aliud factum esse Christum ac Dominum quod Petrus dicit, describens exaltationem ad regnum & sacerdotium. Tertiò de loco Philip.* 2. *cap. fol.* 75. *sic scribit*: Sentio, quòd in hoc loco Pauli nomine formæ Dei, non sit intelli-

Brentius depravat insignia Scripturæ loca.

telligenda essentia Dei, sed maiestas, seu proprietates diuinæ, quæ Christo homini ex personali vnione sunt communicatæ. *Longè verò aliter Athanasius: Forma serui est tota humanitas: sicut forma Dei est tota diuinitas. Et Damascenus: Filius vnigenitus, λόγος Dei & Deus, consubstantialis Patri & Spiritui S. qui in principio est, & apud Deum Patrem, & Deus est, qui in forma Dei existit, inclinauit Cœlum, & descendit & perfectus Deus existens, perfectus homo fit. Et pag. 80.* Vocabulum formæ Dei accipiendum est pro proprietatibus, conditionibus, & ornamentis Deitatis quibus filius hominis, quem filius Dei in vnam personam assumsit, propter personalem vnionem decoratus est. Homo igitur Christus habuit ab initio Incarnationis hanc participatam sibi Diuinitatem, vt Augustinus loquitur, aut æqualitatem Dei quemadmodum Paulus ait, vt esset verè omnipotens, omnisapiens, omniiustus & omnipræsens. Hoc enim est hominem esse Deo æqualem.

Martyris iudicium de libro Brentij.

Hunc librum quum legisset Martyr, homo alioqui natura placidissima, nonnihil tamen indignabatur, Brentium causam non bonam, fide etiam adeò non bonâ agere, vt non dubitet nostras Ecclesias earumque Doctores accusare de rebus manifestè falsis. Dolebat quoque illi plurimùm, hominem alioqui magnum, & qui Ecclesiæ posset esse vtilis, tam pertinaciter tueri dogma absurdum, portentosum & planè nouum, quod nullis euidentibus Scripturarum testimonijs, nullâ Patrum ac veteris Ecclesiæ authoritate nitatur, & quod neque Papistæ, qui multa confinxerunt ad tuendam carnalem crassamque præsentiam corporis Christi in Cœna sacra, vnquam ausi fuerunt approbare. Referebat enim, quum in Galliam, quando Colloquium habebatur, Brentiani quidam libelli allati fuissent, præcipuos Pontificiorum Theologorum apertè dixisse, hoc Brentij dogma nouum & inauditum & planè hæreticum esse. *Quamobrem se iam accinxerat vt criminationibus Brentianis, quæ multæ & graues erant, atque argumentis eius non ita multis, diligenter & accuratè responderet: verùm morte præuentus, quod statuerat, efficere non potuit. Dum agrotaret, & Bullingerus eum inuisens inter alia consolationis causa ex Paulo ei dixisset*, Nostram politiam in cœlis esse; *tum Martyr*, Agnosco *inquit*, sed non in cœlo Brentij, quod nusquam est. Et huic quidem se libenter & ex animo ignoscere dicebat, optasse tamen, si ita Deo visum fuisset, illi respondere, cùm infirmiorum causa, tum vt falsissimas contra se calumnias refutaret.

Papistarum iudicium de Vbiquitate Brentiana.

Hoc etiam anno, die vicesima quarta Maij, Illustrissimus Princeps Saxoniæ Ioannes Fridericus secundus Weinmariâ scripsit ad Senatum Tigurinum, Editos iam aliquot annis hinc inde à multis Ecclesiarum Ministris & Scholarum Professoribus in Germania, multos virulentos & aculeatos libellos, sub hoc prætextu, quòd ad propagationem gloriæ & Verbi Dei, ac ædificationem Ecclesiæ pertineant: quum tamen reuera semina in ijs sint sparsa multarum & grauissimarum contentionum, discordiarum, quin etiam turbarum ac tumultuum non leuium: & occasionem præbuerint calumnijs conuitijsque horrendis. His itaque de causis Augustanæ Confessionis Electores & Principes suis iniunxisse Typographis, ne in posterum tales libros vel ipsi excudant, vel alibi excudi curent: Hortatur igitur & rogat Senatum Tigurinum quoque vt suis Typographis idem mandet: quo sic omnis occasio calumniandi & conuitiandi præcidatur, & mutua concordia seruetur.

1562. Ioannes Fridericus 2. Saxoniæ Dux scribit Tigurinis de libellis in causa Sacramentaria editis.

Respondent Tigurini, & primò laudant Principes Augustanæ Confessionis, quòd tales libellos contentiosos in suis Ditionibus deinceps excudi vetuerint, hac enim ratione ipsos saluti & paci Ecclesiarum, nec non etiam propagationi gloriæ & nominis diuini vehementer consulere. Quòd si, *inquiunt*, ante annos aliquot hoc à Principibus decretum & cautum fuisset, plurimi amarulenti & aculeati libelli, conuitiorum & calumniarum pleni, contra nostras Ecclesias non fuissent editi, quibus nostri respondere coacti sunt, ne veritatem proderent, & Ecclesias suæ fidei commissas negligere videantur, idque vt nobis quidem videtur, modestè admodum fecerunt. *Pollicentur etiam*, si Principes dent operam, vt Theologi ipsorum, hoc planè diuino & laudabili decreto Principum stent, ac in primis quoque à conuitijs & calumnijs abstineant, quibus non modò priuatim, sed etiam publicè pro suggestu in omnibus concionibus nostram doctrinam, Ecclesias, earumque Ministros, magno cum scandalo infirmorum, adobruant, lacerent & proscindant; se quidem curaturos sedulò, vt idem quoque à suis fiat. In hunc vsum iam inde ab initio Reformationis in vrbe sua Censores constitutos esse, qui libros, antequam in lucem emittantur, diligenter inspiciant & examinent, caueantque ne quid in eis contineatur, quod Verbo Dei sit contrarium, aut ex quo turbæ & contentiones in Ecclesia nasci & exoriri possint. Se enim nihil magis exoptare,

Tigurini respondent Duci Saxoniæ.

1562\. quàm pacem & concordiam Ecclesiarum, &c.

Colloquium Ducis Guisij cum Christophoro Duce Wirtenbergensi de negotio Sacramentario Nota fraudē Cardinalis Lotharingi.

Venit hoc quoque anno mense Februario Dux Guisius cum fratre Cardinale Lotharingo ad Tabernas Alsaticas in Colloquium cum Duce Christophoro Wirtenbergico: in quo Principem Condaum reformatasque Ecclesias in Gallia multis nominibus apud eum traducunt: Fideles Gallos Cardinalis verbo Gallico Vermines, *hoc est, erucas urborum vocabat, promittebat etiam,* se effecturum, vt Rex per totam Galliam liberam concederet Augustanam non Caluinistarum Confessionem. *Conabantur hac ratione astutè Principes Germanos, qui sunt Augustana Confessionis, à fidelibus Gallis auellere, seseque in ipsorum amicitiam insinuare: unde etiam Wirtenbergicum de auxilijs interpellare non sunt veriti.* Wirtenbergicus, *fraude non animaduersâ, latabatur, &* præclarum *dicebat* Augustanæ Confessionis exercitium apud Regem posse obtineri, atque gratias agebat Cardinali. *Ecce verò antequam in Aulam Regiam peruenissent, in ipsa Lotharingia in Oppido Vassuo laniena horrenda ab illis ipsis instituta, & tota concio cæde & vulneribus fusa est. Guisius, vt qui illius Colloquij prætextu, de Wirtenbergici amicitia multa venditabat, suarum illum partium esse; illiusque consilijs se ad has res suscipiendas impelli dicebat. Eo verò cognito, Wirtenbergicus hac de re postea grauiter apud illum conquestus est, seque falsò insimulari probauit, & à persequendis Ecclesijs eum modis omnibus dehortatur. Respondit autem Guisius,* se non animaduertisse in homines Augustanæ Confessionis, sed in Hugonottos & Caluinistas, quos ipse etiam condemnet.

Dux Wirtenbergicus excusat Bezam.

In eodem Conuentu Principum istorum, cùm Dux Guisius vehementer exagitaret verba illa Beza, qua in Poissiaceno Colloquio de absentia corporis Christi loquutus fuerat anno 61. Si *nimirum* localem præsentiam & situm spectes, tam procul abesse corpus Christi ab hostia siue ab elementis Cœnæ, quàm supremum cœlum à terra: *Dux Wirtenbergicus Bezam excusauit & respondit: Beza dictum sic accipiendum*, non quòd omnem corporis Christi præsentiam excluderet, sed crassam illam & localem, qualem in elementis & Monstrantijs suis imaginentur Pontificij.

Prudens responsum Ducis Wirtenbergici.

Cumque idem Cardinalis Principem Wirtenbergicum interrogaret, quænam Confessio & Religio Germanorum esset? & an ea cum Gallicis Ministris consentiret? *Respondit Illustrissimus Princeps*, se nullum discrimen scire inter Gallicorum Ministrorum & Augustanæ Confessionis doctrinam, excepto vnico articulo de Cœna Domini, qui tamen ita se habeat, vt consensus in eo etiam primo quoque tempore sperari possit, quum certamen magis in verbis, quàm in reipsa consistat. *Hac ita inueniuntur in Protocollo illius Colloquij, misso tunc à Duce Wirtenbergico ad Electorem Fridericum 3. Palatinum, quod in Archiuo Electoralis Cancellaria extat manu propriâ Electoris aliquot in locis annotatum.*

De verbis Beza in Possiaceno colloquio pronunciatis.

Quòd autem dictum illud Beza attinet, quid aliud Scriptura tota, quid symbolum Apostolorum, quàm corpus Christi esse in cælo, non in terrenis elementis: esse in Dei throno, non in terra, qua est scabellum pedum eius? Ita autem sæpe Beza, & nominatim in epistola ad Alamannum quendam Ecclesia Lugdunensis turbatorem, modum præsentia distinguit: Tertius error tuus est, *inquit*, quòd substantiale Christi corpus in Cœna Domini præsens esse simpliciter negas. Opus enim fuit distinctione: quia sicut reuera à nostris oculis, ac proinde à loco, in quo Cœnam Domini celebramus, tam procul nunc abest Christi corpus, quàm abest cœlum à terra: tamen quatenus hæc actio cœlestis est, & fides nostra in cœlum vsque subuehitur, vt Christum quàm efficacissimè apprehendat, hoc sanè respectu præsentissimam esse Christi carnem in Cœna, nisi fatearis, Cœnam Domini euacuas. Panis ergo non efficaciæ tantùm, sed ipsius veri corporis Christi communicatio est, &c.

Tridentini Concilij Decreta de quibusdam articulis ad Eucharistiam pertinentibus.

Sub Autumni initium præcedentis anni, Pius 4. Pontifex Tridenti Concilium rursus auspicatus est. Hoc autem anno, Iulij 16. die, Doctrina de Communione sub vtraque specie, & paruulorum, hunc in modum Sessione 5. in eo publicata est.

Proœmium.

Sacrosancta Oecumenica & generalis Tridentina Synodus, in Spiritu sancto legitimè congregata, præsidentibus in ea eisdem Apostolicæ sedis Legatis, cùm de tremendo & sanctissimo Eucharistiæ Sacramento, varia diuersis in locis errorum monstra, nequissimi dæmonis artibus circumferantur, ob quæ in nonnullis Prouincijs multi à catholicæ Ecclesiæ fide atque obedientiâ videantur discessisse: censuit, ea quæ ad communionem sub vtraque specie, & paruulorum pertinent, hoc loco exponenda esse. Quapropter cunctis Christi fidelibus interdicit, ne posthac de ijs aliter vel credere, vel docere, vel prædicare

care

care audeant, quàm est iis decretis explicatum atque definitum.

Laïcos & Clericos non conficientes, non astringi iure divino ad communionem sub utraque specie.

Caput primum. Itaque sancta ipsa Synodus à Spiritu sancto (qui Spiritus est sapientiæ & intellectus, Spiritus consilii & pietatis) edocta, atque ipsius Ecclesiæ iudicium & consuetudinem sequuta, declarat ac docet, nullo divino præcepto laïcos & clericos non conficientes, obligari ad Eucharistiæ Sacramentum sub utraque specie sumendum, neque ullo pacto (saluâ fide) dubitari posse, quin illis alterius speciei communio ad salutem sufficiat. Nam etsi Christus Dominus in ultima Cœna, venerabile hoc Sacramentũ in panis & vini speciebus instituit, & Apostolis tradidit: non tamen illa institutio & traditio eò tendunt, vt omnes Christi fideles statuto Domini, ad utramque speciem accipiendam astringantur. Sed neque ex sermone illo apud Ioannem sexto, rectè colligitur utriusque speciei communionem à Domino præceptam esse, utcunque iuxta varias Sanctorum Patrum, & Doctorum interpretationes intelligatur. Namque qui dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam in vobis*: dixit quoque: *Si quis manducauerit ex hoc pane, vivet in æternum.* Et qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, habet vitam æternam*: dixit etiam: *Panis quem ego dabo, caro mea est, pro mundi vita.* Et denique qui dixit: *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo*: dixit nihilominus: *Qui manducat hunc panem, vivet in æternum.*

Ecclesiæ potestas circa dispensationem Sacramenti Eucharistiæ.

Caput secundum. Præterea declarat hanc potestatem perpetuò in Ecclesia fuisse, ut in Sacramentorum dispensatione, saluâ illorum substantiâ, ea statueret vel mutaret, quæ suscipientium utilitati, seu ipsorum Sacramentorum venerationi, pro rerum, temporum & locorum varietate, magis expedire iudicaret. Id autem Apostolus non obscurè visus est innuisse, cùm ait: *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei.* Atque ipsum quidem hac potestate usum esse, satis constat, cùm in multis aliis, tum in hoc ipso Sacramento, cum ordinatis nonnullis circa eius usum: *Cætera*, inquit, *cùm venero disponam.* Quare agnoscens sancta Mater Ecclesia, hanc suam in administratione Sacramentorum authoritatem, licèt ab initio Christianæ Religionis, nòn infrequens utriusque speciei usus fuisset: tamen progressu temporis, latissimè iam mutatâ illa consuetudine, gravibus & iustis causis adducta, hanc consuetudinem sub altera specie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit, quam reprobare, aut sine ipsius Ecclesiæ authoritate pro libito mutare non licet.

1562.

Totum & integrum Christum ac verum Sacramentum sub qualibet specie sumi.

Caput tertium. Insuper declarat, quamvis Redemptor noster (ut antea dictum est) in suprema illa Cœna, hoc Sacramentum in duabus speciebus instituerit, & Apostolis tradiderit: tamen fatendum esse, etiam sub altera tantùm specie, totum atque integrum Christum verumque Sacramentum sumi: ac propterea, quod ad fructum attinet, nulla gratia necessaria ad salutem eos defraudari, qui unam speciem solam accipiunt.

Canon 1. Si quis dixerit, ex Dei præcepto, vel necessitate salutis, omnes & singulos Christi fideles utramque speciem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti sumere debere, anathema sit.

Canon 2. Si quis dixerit, Sanctam Ecclesiam Catholicam non iustis causis & rationibus adductam fuisse, ut laïcos, atque etiam clericos non conficientes, sub panis tantummodo specie communicaret, aut in eo errasse, anathema sit.

Canon 3. Si quis negaverit, totum & integrum Christum, omnium gratiarum fontem & authorem, sub una panis specie sumi, quia (ut quidam falsò asserunt) non secundùm ipsius Christi institutionem, sub utraque specie sumatur, anathema sit.

Decretum super petitione concessionis Calicis.

Insuper cùm eadem sancta Synodus, superiori sessione duos articulos, aliàs propositos & nondum discussos: videlicet,

1562. an rationes quibus sancta Catholica Ecclesia adducta fuit, ut communicaret laicos, atque etiam non celebrantes sacerdotes, sub una tantùm panis specie, ita sint retinendæ, ut nullâ ratione Calicis usus cuiquam sit permittendus? &, an si honestis & Christianæ charitatis consentaneis rationibus concedendus alicui, vel Nationi vel Regno, Calicis usus videatur, sub aliquibus conditionibus sit concedendus, & quænam sint illæ? in aliud tempus, oblatâ sibi occasione, examinandos atque definiendos reservârit, nunc eorum pro quibus petitur, saluti optimè consultum volens decernit, integrum negotium ad S. D. N. esse referendum, prout præsenti Decreto refert: qui pro sua singulari prudentia id efficiat, quod utile Reipub. Christianæ, & salutare petentibus usum Calicis, fore iudicaverit.

Conditiones quibus usus Calicis concedi posse videtur.

Primò. Vt sub utraque specie communicare volentes, in reliquis omnibus, tam quo ad Sacramentum hoc, quàm cætera Sacramenta, item in quacunque materia, quo ad fidem, doctrinam, ritumque conveniant, corde & oris confessionis, cum iis omnibus quæ à S. Romana Ecclesia sunt recepta: nec non decreta omnia huius S. Synodi, tam promulgata, quàm promulganda, religiosè admittant & observent.

Secundò. Vt Pastores dictarum Nationum, & Concionatores credant & doceant, consuetudinem ab Ecclesia probatam, & diu observatam, videlicet communicandi sub altera tantùm specie, non esse alienam à divino iure: imò laudabiliter & tanquam legem observandam, nisi ab Ecclesia aliter statuatur: quodque aliter pertinaciter sentientes, hæretici sint censendi: nec aliis deos hanc communionem sub utraque specie, nisi qui crediderint hanc veritatem, & confessi fuerint.

Tertiò. Quòd sanctissimo Domino nostro Papæ, ut legitimo universalis Ecclesiæ Episcopo & Pastori, debeant fideli & syncero animo, ut reverentes filii, omnem reverentiam exhibere.

Quartò. Quòd Archiepiscopis, Episcopis, & aliis Prælatis suis, similiter debitam obedientiam ac reverentiam præstent.

Quintò. Vt hic usus Calicis, eis tantùm permittatur, qui confessi & contriti fuerint iuxta Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem: Item ut Ordinarii quàm diligentissimè omnibus cautionibus provideant, ne in administratione sanguinis, aliquod sacrilegium aut prophanatio admittatur, super quibus omnibus prædictis, eorum conscientia onerentur.

Parvulos non obligari ad Communionem Sacramentalem.

Sessionis 5. caput quartū.

Denique eadem sancta Synodus docet, parvulos usu rationis carentes, nullâ obligari necessitate ad Sacramentalem Eucharistiæ Communionem: siquidem per Baptismi lavacrum regenerati, & Christo incorporati, adeptam iam Filiorum Dei gratiam, in illa ætate amittere non possunt. Neque ideo tamen damnanda est Antiquitas, si eum morem in quibusdam locis aliquando servavit. Vt enim sanctissimi illi Patres, sui facti probabilem causam pro illius temporis ratione, habuerunt: ita certè eos, nullâ salutis necessitate id fecisse, sine controversia credendum est.

Canon IV. Si quis dixerit, parvulis antequam ad annos discretionis pervenerint, necessariam esse Eucharistiæ communionem, anathema sit.

SESSIO SEXTA.

Vera & Catholica Doctrina quòd in Missa verum sacrificium, & propitiatorium offeratur.

Proœmium. SAcrosancta Synodus, &c. Vt vetus absoluta, atque omni ex parte perfecta, de magno Eucharistiæ mysterio, in sancta Catholica Ecclesia fides atque doctrina retineatur, & in sua puritate (propulsatis erroribus, atque hæresibus) conservetur: de ea, quatenus verum & singulare sacrificium est, Spiritus sancti illustratione edocta, & hæc quæ sequuntur docet, declarat, & fidelibus populis prædicanda decernit.

Caput primum. Quoniam sub priori Testamento (teste Apostolo Paulo) propter Levitici sacerdotii imbecillitatem consummatio non erat: oportuit (Deo Patre misericordiarum ita ordinante) sacerdotem alium secundùm ordinem Melchisedech surgere Dominum nostrum Jesum Christum, qui posset omnes quotquot sanctificandi essent consum-

summare & ad perfectum adducere. Is igitur Deus & Dominus noster, etsi semel seipsum in ara crucis, morte intercedente, Deo Patri oblaturus erat, ut æternam illic redemptionem operaretur: quia tamen per mortem, sacerdotium eius extinguendum non erat, in Cœna nouissima, quâ nocte tradebatur, ut dilectæ suæ sponsæ Ecclesiæ, visibile (sicut hominum natura exigit) relinqueret sacrificium, quo cruentum illud, semel in cruce peragendú repræsentaretur, ejusque memoria in finem usque seculi permaneret, atque illius salutaris virtus in remissionem eorum, quæ à nobis quotidie committuntur peccatorum applicaretur, Sacerdotem secundùm ordinem Melchisedech, se in æternum constitutum declarans, corpus & sanguinem suum sub speciebus panis & vini, Deo Patri obtulit. Ac sub earundem rerum symbolis, Apostolis (quos tunc Novi Testamenti Sacerdotes constituebat) ut sumerent tradidit: & eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, ut offerrent præcepit, per hæc verba: *Hoc facite in mei commemorationem*: uti semper Ecclesia Catholica intellexit & docuit. Nam celebrato veteri Pascha (quod in memoriam exitus de Ægypto, multitudo filiorum Israel immolabat) novum instituit Pascha, seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes, sub signis visibilibus immolandum, in memoriam transitus sui ex hoc mundo ad Patrem: quando per sui sanguinis effusionem nos redemit, atque eripuit de potestate tenebrarum, & in regnum suum transtulit. Et hæc quidem illa munda oblatio est, quæ nullâ indignitate aut malitiâ offerentium inquinari potest: quam etiam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, in omni loco, mundam offerendam prædixit. Et quam non obscurè innuit Apostolus Paulus, Corinthiis scribens, cùm dicit, *non posse eos qui partitipatione mensa dæmoniorum polluti sunt, mensæ Domini participes fieri*, per mensam altare utrobique intelligens. Hæc denique illa est, quæ per varias sacrificiorum naturæ & legis tempore similitudines figurabatur: utpote quæ bona omnia per illa significata velut illorum omnium consummatio & perfectio complectitur.

Caput secundum. Et quoniam in divino hoc sacrificio quod in Missa peragitur, idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit: docet sancta Synodus, sacrificium illud verè propitiatorium esse, per ipsumque fieri: ut si cum vero corde & rectâ fide, cum metu & reverentia contriti ac pœnitentes, ad Deum accedamus, misericordiam consequamur & gratiam inveniamus in auxilio opportuno. Hujus quippe oblatione placatus Dominus gratiam & donum pœnitentiæ concedens, crimina & peccata, etiam ingentia dimittit. Vna enim eademq; est hostia, idemque nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit: solâ offerendi ratione diversâ. Cuius quidem oblationis (cruentæ inquam fructus) per hanc incruentam uberrimè percipiuntur. Tantum abest, ut illi per hanc quovis modo derogetur. Quare non solùm pro fideliú vivorum peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus: sed & pro defunctis in Christo, nondum ad plenum purgatis, ritè iuxta Apostolorum traditionem offertur.

Canon 1. Si quis dixerit, in Missa non offerri Deo verum & proprium sacrificium: aut quòd offerri non sit aliud, quàm nobis Christum ad manducandum dari, anathema sit.

Canon 2. Si quis dixerit, illis verbis, Hoc facite in meam commemorationem: Christum non instituisse Apostolos Sacerdotes, aut non ordinâsse, ut ipsi aliique Sacerdotes offerrent corpus & sanguinem, anathema sit.

Canon 3. Si quis dixerit, Missæ sacrificium tantùm esse laudis & gratiarum actionis, aut nudam commemorationem sacrificii in cruce peracti, non autem propitiatorium: vel soli prodesse sumenti, neque pro vivis & defunctis, pro peccatis, pœnis, satisfactionibus, & aliis necessitatibus offerri debere, anathema sit.

Canon 4. Si quis dixerit, blasphemiam irrogari sanctissimo Christi sacrificio, in cruce peracto, per Missæ sacrificium: aut illi per hoc derogari, anathema sit.

De Missis in honorem Sanctorum.

Caput tertium. Et quamvis in honorem & memoriam Sanctorum, nonnullas interdum Missas Ecclesia celebrare consueverit: non tamen illis sacrificium offerri docet, sed Deo soli, qui illos coronavit: unde nec Sacerdos dicere solet, Offero tibi Sacrificium, Petre vel Paule: sed Deo de illorum victoriis gratias agens, eorum patrocinia implorat, ut ipsi pro nobis intercedere dignentur in cœlis, quorum memoriam facimus in terris.

Canon 5. Si quis dixerit, imposturam esse, Missas celebrare in honorem Sanctorum & pro illorum intercessione apud Deum obtinêda,

1562. sicut Ecclesia intendit, anathema sit.

De Canone Missæ.

Caput quartum. Et cùm sancta sanctè administrari conveniat, sitque hoc omnium sanctissimum sacrificium: Ecclesia catholica ut dignè teverenterque offerretur ac perciperetur, sacrum Canonem multis antè seculis instituit, ita ab omni errore purum, ut nihil in eo contineatur, quod non maximè sanctitatem & pietatem quandam redoleat, mentesque offerentium in Deum erigat. Is enim constat cùm ex ipsis Domini verbis, tum & Apostolorum traditionibus, ac sanctorum quoque Pontificum piis institutionibus.

Canon 6. Si quis dixerit, Canonem Missæ errores continere, ideoque abrogandum, anathema sit.

De Ceremoniis Missæ.

Caput quintum. Cumque natura hominum ea sit, ut non facilè queat sine ipsis adminiculis exterioribus, ad rerum divinarum meditationem sustolli: propterea pia mater Ecclesia ritus quosdam, ut scilicet quædam submissâ voce, alia verò elatiore, in Missa pronuntiarentur instituit: ceremonias item adhibuit, ut mysticas benedictiones, lumina, thymiamata, vestes, aliaque id genus multa, ex Apostolica disciplina & traditione: quo & majestas tanti sacrificii commendaretur, & mentes fidelium per hæc visibilia Religionis & pietatis signa, ad rerum altissimarum quæ in hoc sacrificio latent, contemplationem excitarentur.

Canon 7. Si quis dixerit, ceremonias, vestes, & externa signa, quibus in Missarum celebratione Ecclesia Catholica utitur, irritabula impietatis esse magis, quàm officia pietatis, anathema sit.

De Privatis Missis.

Caput sextum. Optaret quidem sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis fideles adstantes non solùm spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quoad eos huius sanctissimi sacrificii fructus uberior perveniret: nec tamen, si id non semper fiat, propterea Missas illas, in quibus solus Sacerdos Sacramentaliter communicat, ut privatas & illicitas damnat: sed probat, atque adeò commendat. Siquidem illæ quoque Missæ, verè communes censeri debent: partim quòd in eis populus spiritualiter communicet, partim verò quòd à publico Ecclesiæ Ministro, non pro se tantùm, sed pro omnibus fidelibus, qui ad corpus Christi pertinent, celebrentur.

Canon 8. Si quis dixerit, Missas, in quibus solus Sacerdos sacramentaliter communicat, illicitas esse, ideoque abrogandas, anathema sit.

De Aqua miscenda in Calice.

Caput septimum. Monet deinde sancta Synodus, præceptum esse ab Ecclesia Sacerdotibus, ut aquam vino in Calice offerendo miscerent: tum quòd Christum Dominum ita fecisse credatur, tum etiam quia è latere eius aqua simul cum sanguine exierit, quod Sacramentum hac mixtione recolitur: & cùm aquæ in Apocalypsi B. Ioannis populi dicantur, ipsius populi fidelis cum capite Christo, unio repræsentatur.

Canon 9. Si quis dixerit aquam non miscendam vino, in Calice offerendo, quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.

De Sacris linguâ peregrinâ peragendis.

Caput octavum. Etsi Missa magnam contineat populi fidelis eruditionem, non tamen expedire visum est Patribus, ut vulgari linguâ passim celebraretur. Quamobrem retento ubique cuiusque Ecclesiæ antiquo, & à sancta Romana Ecclesia, omnium Ecclesiarum matre & magistrâ, probato ritu, ne oves Christi esuriant, neve paruuli panem petant, & non sit qui frangat eis: mandat sancta Synodus Pastoribus, & singulis curam animarum gerentibus, ut frequenter inter Missarum celebrationem, vel per se, vel per alios, ex iis quæ in Missa leguntur, aliquid exponant: atque inter cætera, sanctissimi huius sacrificii mysterium aliquod declarent, diebus præsertim Dominicis & festis.

Canon 10. Si quis dixerit, Ecclesiæ Romanæ ritum, quo submissâ voce pars Canonis, & verba consecrationis proferuntur, damnandum esse: aut linguâ tantùm vulgari Missam celebrari debere: aut aquam non miscendam vino in Calice offerendo, quod sit contra Christi institutionem, anathema sit.

ANNVS M. D. LXIII.

Bullingerus respondit libro Brentii de Maiestate Christi. Summa Bullingeri libri.

INitio anni 1563. Bullingerus *respondit ad librum Brentii de Maiestate Christi contra se & Petrum Martyrem editum. Bullingerus* suo

suo libro titulum præfixit ; Fundamentum firmum, &c. vtque simpliciores, quos huiusmodi controuersiæ offendunt, aliquid vtilitatis inde perciperent: initio libri ostendit, quodnam sit fundamentum firmum, cui tutò quivis fidelis inniti possit, hoc præsertim difficili seculo, quo dissidijs multorum & aduersarijs scriptis omnia conturbata sunt. Altera deinde libri parte Brentij sophismatibus breuiter & simpliciter respondit, eodem seruato ordine quo in priore vsus fuerat, quòd dispositio libri Brentiani admodum esset impedita & perplexa.

Marbachij liber de Cœna.

Edidit etiam Ioannes Marbachius crassum volumen de Cœna Domini: in quo primò, breuiter narrat historiam rerum in controuersia de Cœna gestarum. Secuodò, Lutherana doctrinæ fundamentum de Cœna: His tertiò addidit declarationem quarundam vocum, quæ ab vtraque parte non eodem sensu exponuntur. Quartò, Zuinglianorum, vt vocantur, argumenta adducit, & confutare conatur. Quintò, ad testimonia Patrum, quæ pro se citant Zuingliani, respondet & ea explicat. Sextò, de Augustana Confessione agit, nec eam pro Zuinglianis facere docet. Septimò, probare nititur, etiam hypocritas, indignos & impios verum corpus & verum sanguinem Christi in Cœna percipere.

Ludouicus Lauaterus edit historiam Sacramentariam.

In lucem quoque edita est hoc anno à Ludouico Lauatero Tigurinæ Ecclesiæ Ministro, Historia Sacramentaria, De Origine videlicet & Progressu Controuersiæ de Cœna Domini, ab anno Christi 1524. vsque ad annum 1563. deducta. Exponit in hac historia Author hic, quomodo Bellum hoc infelix de Cœna Domini ortum, multisque scriptis & disputationibus gestum sit: quomodo multi sese Luthero, multi contrà Zuinglio adiunxerint: quàm multa & varia conciliandi tentata sint rationes: denique quomodo pacatum aliquoties & compositum hoc bellum, rursus magno Ecclesiæ malo recruduerit.

De Dissidio inter Ioannem Marbachium, & Hieronymum Zanchium, adeoque etiam inter Pastores ac Professores in Ecclesia & Schola Argentinensi, cùm de alijs articulis, tum etiam de Cœna Domini exorto.

Zanchius vocatur Argentinam, vt ibi sacras literas doceat.

CVm mortuo Argentinæ Casparo Hedione, in eius locum Theologus alius esset sufficiendus, qui sacras Literas in Schola profiteretur, eò vocatur à Iacobo Sturmio Senatus iussu Hieronymus Zanchius, qui aliquot annis Canonicus Lateranensis, quos Regulares vocant, fuerat, & recens Religionis causa Italia egressus erat. Cùm autem ille Argentinam venisset anno 1553. postulatum ab eo fuit hoc elapso anno, & mortuo iam prudentissimo viro D. Iacobo Sturmio, vt si vellet in Schola docere, Augustana Confessioni subscriberet. Ille postea quam rationes suas attulisset cur non simpliciter & absolutè subscribere vellet, quòd præter alia is honos debeatur solis sacris literis, quippe quæ etiam sola, norma & canon sint & esse debeant omnis doctrinæ Christianæ: tandem cum hac exceptione subscripsit: Modò orthodoxè intelligatur.

1563. Zanchius quibus conditionibus Augustanæ Confessioni subscripserit.

Sententia & doctrina Zanchij de Cœna Domini.

Quia verò id cuius potissimùm gratia ab ipso subscriptio petebatur, erat articulus de Cœna Domini: idcirco ne quem falleret, suam de hoc articulo breuiter explicauit sententiam: quæ hæc fuit, tribus constans capitibus. Primò: Verum Christi corpus pro nobis traditum, & verum eius sanguinem in peccatorum nostrorum remissionem effusum, in Cœna verè manducari & bibi. Secundò: Verùm id non ore & dentibus corporis sed verâ fide. Tertiò, ideoque à solis fidelibus. Cui explicationi ita assensi fuerunt Scholarchæ, vt & nobilis Petrus Sturmius, & Iacobus Meier, ipsi arridendo in hæc verba responderint, Hæc quoque est nostra fides: non enim est cibus ventris sed mentis. Neque mirum illud videri cuipiam debet: Sic enim didicerant à veteribus Patribus, Capitone, Bucero, Zellio & alijs. Si itaque contingeret, vt de Cœna Zanchio disserendum esset: recepit se à quæstionibus abstenturum inutilibus: atque extra hæc tria capita non euagaturum: contra verò Augustanam Confessionem orthodoxè intellectam, nihil traditurum: curaturum autem, vt quantum in se esset, consensus in sana doctrina retineretur in Schola. His igitur conditionibus, postquam biennium sui suæque doctrinæ periculum fecissent, & rationem, quam seruabat tum in docendo tum in disputando, probassent, vtrinque receptis: & in officio confirmatus, & in Thomense Consilium cooptatus fuit: ibique ab initio anni 55. vsque ad finem ferè 63. Canonicus vixit: quo toto tempore illas præstitit conditiones, quibus in suo officio confirmatus fuit, & nihil contra suum chirographum, seu, vt vocant compromissum fecit.

Sententia Scholarcharum Argentinæ de Cœna.

Occasio controuersiæ inter Marbachium & Zanchium.

Accidit autem vt anno 61. Heßhusij libellus de Cœna Domini, contumeliosissimis à quodam ornatus scholijs, cœpisset Argentinæ sub nomine Magdeburgæ recudi. Hunc non curauit Zanchius supprimendum à Senatu propter doctrinam, de qua penès Ecclesiam iudicium erat: sed tantùm propterea, quòd in præfatione magnus quidam & pius & optimus Princeps, & in ipso libro sanctissimus ille vir, deque totâ

1563.

Germania, omnibusque literatis optimè meritus Philippus Melanchthon, alijque innumerabiles & insignes Ecclesiæ Doctores grauißimè perstringerentur: & quod quicunque Heßhusij de crassa præsentia & manducatione, vt vocant, orali, & impiorum, phantasiam non sequuntur, hæreseos & atheismi nimis audacter & superbè ab illo homine damnarentur. Suppreßio verò huius libri occasionem dedit graui dißidio inter Iohannem Marbachium, & Hieronymum Zanchium, adeoque etiam inter Pastores Ecclesiæ & Professores Scholæ Argentinensis. Nam quum Marbachius cum suis resciuisset, Zanchium operam dedisse, vt liber qui iam erat sub prælo, supprimeretur, statim illi ab eo abalienati, alios etiam abalienare, ipsum auersari, colloquio atque salutatione dedignari, ad vulgus traducere, apud Dominos accusare, vt diligenter obseruaretur in lectionibus, curare: commentariolos studiosorum, qui Zanchij scribebant lectiones, euoluere: quæ etiam multis antè annis docuerat examinare, occasionem accusandi & traducendi eius vndique captare, calumnias de ea spargere: denique nihil omittere, vt aut sponte discederet, aut à Dominis dimitteretur. Accusabatur de Cœna Domini: cùm tamen de ea totum quadriennium nihil docuisset. Sed occasio huius accusationis captata fuit ex quadam epistola, quam pacanda cuiusdam contentionis gratiâ, ad quendam missurus erat. Hanc antequam mitteret, amicè & candidè cum quodam collega & amica contulerat: vt is videret an sibi probaretur, nec-ne: & si quid emendatum vellet, emendaret, & postea vtriusque nomine mitteretur. At fidus amicus ille paulò post propter suppressum Heßhusij librum factus Zanchio inimicus, eâ abutitur epistolâ ad ipsum apud Dominos accusandum, quòd de Cœna Domini aliter doceat & scribat, quàm habeatur in Augustana Confeßione: & tamen in ea epistola probabat & Augustanam Confeßionem & verba Recessus Francafurtensis, sed simul etiam iudicium Philippi ad Fridericum Illustrißimum Electorem Palatinum. Accusabatur etiam de fine seculi & de Antichristo, ac non ita multò post de Prædestinatione & de Perseuerantia: cuius etiam inchoata tractatione fuit ipsi statim interdictum.

Controuersia ad Senatum Argentinensem transfertur.

Re hac in Thomanna Consilio diu multumque agitata, ad XIII. *Viros transfertur eo, ac tandem ad reliquum Senatum. Etsi autem hi omnes Consilij Thomanni audiuissent & sententiam & petitionem, nimirum instituendam inter eos esse aut disputationem aut saltem amicam colloquutionem: non visum est tamen illis hoc consultum esse.*

Marbachius cum socijs ac-

Interea verò aduersarij Zanchij Senatui exhibent non solùm librum contra omnes eius Theses, sed etiam Apologiam quandam, & post eam, minorem, vt ipsi vocarunt, Confeßionem 24. Iunij Anno 63. In ea principiò agunt de Cœna, & nominatim damnant tum Bullingeri librum de Mansionibus multis: tum Martyris dialogum Panthacum, *cum Bezæ explicatione de Cœna. Contendunt autem* corpus Christi verum & ore corporis percipi, & ab ipsis etiam indignis, *hoc est vt ibi explicant ipsi,* impijs & nullâ verâ fide præditis manducari. *Et hanc iactant* fuisse sententiam Buceri, Capitonis & omnium in Ecclesia Argentinensi prædecessorum. *Deinde agunt etiam de reliquis articulis.*

cusant Zanchij doctrinam apud Senatum

Rector, Visitatores & Professores Scholæ offerunt Senatui Argentinensi supplicationem pro Zanchio.

Horum occasione permoti Rector, Visitatores & alij Professores, ipsi quoque afferunt Senatui Supplicationem, mense insequenti, nempe Iulio. In ea principiò dolent, dissidium à Marbachio contra Zanchium (*sic enim omnes fassi sunt*) excitatum, nunquam potuisse intra annum & sextum mensem componi, neque à Consilio, neque à XIII. Viris. *Deinde conqueruntur de authore dißidij*, quòd reliquos aduersarios in eam conspirationem pertraxerit, quòd grauibus calumnijs Capitulum & Scholam clàm opprimere conatus sit, quòd nullum modum suæ iniuriæ & intolerabilis potestatis teneat, quòd eò deuenerit audaciæ, vt antequam causa iudicata sit, pro suo arbitratu in quos vult, animaduertat: quòd ex duobus Collegijs propter hanc controuersam causam, ignorantibus Scholarchis, aliquos stipendijs fundatorum spoliârit atque eiecerit: quòd non contentus Confessione Magistratus Argentinensis, quam Cæsari anno XXX. obtulit: non contentus etiam illis loquendi modis quibus Bucerus est vsus: non contentus Confessionibus alijs Maiorum Ecclesiæ Argentinensis, vt illâ quam conscripserunt anno M. D. XXXIII. & quam anno XXXIX. & quam anno XLIX. ejiciat qui in sua de Cœna Domini non iurent verba: quòd ipse cum alijs suis constituerit Diaconum quendam senem, doctum, pium, quia cum Professoribus eandem defendat caussam, ab Ecclesiastico conuentu excludere; & alius in animum induxerit, eum eo in Cœna Domini non communicare. Hoc consilium atque institutum, cupiditatem atque audaciam & violentam potestatem, iam ampliùs neque à Capitulo, neque à Visitatoribus, neque à Professoribus ferri posse. *Tertio loco, aliquot graues calumnias, circiter nouem,* contra se ab aduersarijs sparsas, iniuriasque factas commemorant, atque vt se ab ijs Senatus defendat, dum eas probare accusatores non poterunt, postulant. *Quarto loco, & de multis accusant aduersarios, tam in actionibus*

quàm in doctrina: & contrà, doctrinam quam in Zanchio illi damnarunt, *contendunt* consentaneam esse scriptis Prophetarum, Apostolorum, Augustini, Lutheri, Buceri, Capitonis, & Confessionibus Ciuitatis Argentinensis. *Quinto loco, offerunt suam Confessionem etiam non requisiti: atque eam quidem ipsissimam quam compaſuerat & conscripserat Bucerus anno* XXXIX. *Capito autem & Hedio & Zellius sua ipsorum manu notauerant & comprobauerant. Continet autem illa Confessio summam doctrinæ de Prædestinatione, eoque & de Perseuerantia, & de Cœna Domini.* Αὐτόγραφα *verò erat tum Argentinæ apud optimum virum, verum & fidum Buceri discipulum, amanuensem, symmistam & amicum,* Conradum Huberrum. *Postremò hæc à Magistratu petunt & orant: Primùm* agant cum aduersarijs: quò contenti sint quatuor vrbis Confessionibus: vnâ Magistratus, quam Augustæ anno XXX. Cæsari obtulerunt, & quam Elector Saxoniæ, Princeps Landgrauius, & Legati Principum, SVÆ Confessioni consentaneam esse dixerunt atque approbarunt: alterâ, quam Pastores Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, cæterique Parochi & Ministri an. XXXIII. contra Hofmannum & hæreticos illius temporis proposuerunt: tertiâ, quam ediderunt anno XXXIX. in minori Synodo: *quæ fuit concessa à Senatu, vt sexto quoque anno haberetur ad retinendam puritatem & disciplinam Ecclesiæ*: quartâ, quam inuulgarunt anno XLVIII. cùm adhuc Bucerus adesset & viueret Hedio, cui etiam ipse aduersarius eorum subscripsit. *Alterum etiam petunt, nempe*, vt si aliquod dubium oriatur in Confessione Augustana Principum: illius dubij non cogantur responsionem accipere ex libris Heshusij, Westphali, aut ex sensu & vtilitate aduersariorum suorum, sed ex S. Literis, ex Patribus, ex scriptis, disputationibus, lectionibus Maiorum suorum, & ex quatuor vrbis Confessionibus: præsertim ex Apologia Confessionis quatuor Ciuitatum. *Tertium*, vt disputationes Collegio restituat: & aduersarij vel disputent cum ipsis: vel desinant in concionibus de ijs quæstionibus dicere quæ falsissima sunt: neque magnos viros, aliasque innumeras Nationes, quæ Euangelium profitentur, propterea damnent, quòd aliter quàm ipsi, de Cœna & de Prædestinatione sentiant atque doceant. *Quartum*, vt decretum Senatus, quod anno superiore fecerat, aduersarij seruent: *hoc est*, vt nihil decernant aut noui aliquid instituant, absque scitu Presbyterorum: neque hi aliquid absque consensu Magistratuum: & vt Conuentus Ecclesiasticus reuocetur ad antiquam suam formam. *Hæc enim decreuerat Senatus, & decretum legi inſerat in conuentu, sed aduersarij noluerunt ei obtemperare, &c. Hæc fuit Professorum Scholæ Supplicatio, Senatui exhibita, Mense Iulio* M.D.LXII.

1563.

Decima septima die Octobris noua excitatur controuersia in Thomanno Consilio: vbi erant plerique omnes Collegæ. Occasionem huic nouo dissidio dedit Examen, quo duo ibi iuxta leges Consilij erant cùm de rebus alijs, tum de Religione in primis examinandi. Erat autem scriptum in legibus, examen esse faciendum iuxta Nostram Augustanam Confessionem. Maior igitur pars per NOSTRAM *intelligebant Confessionem Argentinensem, quam Cæsari exhibuerant anno* XXX. *Aduersarij verò interpretabantur Confessionem Principum*, & iuxta hanc examen esse faciendum contendebant: minimè verò standum Confessioni Argentinensium, quòd ab hac (*sic enim illi aiebant*) recessérint, cùm illam alteram receperunt. *Illi contrà*, cùm illa Principum minimè pugnet cum hac Argentinensium, *id quod se demonstraturos pollicebantur*, in dogmatibus fidei: non *dicebant*, consequi Argentinenses à sua defecisse, propterea quòd alteri subscripserunt: quare vtramque esse retinendam, & sibi licere breuiorem & obscuriorem, per eam quæ fusior est atque clarior interpretari. Quare si quis examinatus de Prædestinatione, & de Cœna, & de Perseuerantia, respondeat iuxta explicationem quæ traditur in Confessione cum sua Apologia Argentinensium, præsertim si addat, se Augustanam quoque Principum orthodoxè intellectam, admittere, eum non esse rejiciendum.

Noua excitatur controuersia, eiusque occasio.

Argentinenses an à sua Confessione discesserint cùm approbarunt Principum Augustanam Confessionem.

Examinatores igitur omnes, numero quatuor, excepto Morbachio, in ipso Consilio, præsentibus Scholarchis, propter voculas quasdam contra se, & maiorem melioremque Consilij partem in vulgus proiectas, protestati sunt ea quæ iam subjiciam: cui protestationi, Zanchius quoque cum reliquis Collegis subscripsit: eaque Senatui postea exhibita fuit. Summa autem protestationis hæc fuit. Nos protestamur, ita nos retinere Confessionem Augustanam nostræ Ciuitatis, Cæsareæ Maiestati oblatam anno XXX. vt etiam Augustanæ Confessioni Principum subscribamus, imò pollicemur, eam orthodoxè intellectam, nos vnà cum nostra defensuros contra Pontificios, contra sectarios, contra omnes hostes Euangelij & veritatis. *Deinde addiderunt*: Quòd Argentinensi Confessioni nominatim vellent examinandos adstringere: id se facere multis ijsdemque grauissimis de

Protestatio Examinatorum & Professorum Argentinensium in hac controuersia.

1563. de cansis: *inter quas hoc vno quoque fuit*: quòd ex Actis liquidò constaret, Legatos Argentinenses cùm Augustanæ Confessioni Principum Schuuinfurti subscripserunt, anno XXXII. protestatos fuisse nomine Ciuitatis, se ita Confessioni Principum subscribere, vt à sua minimè recedant: atque hanc protestationem ab altera parte, hoc est, à Legatis Principum concessam fuisse. Cùm itaque Senatus hanc formam examinis iuxta suam Confessionem, Thomanno Consilio & alijs Collegijs omnibus de principio præscripserit: se non posse, nisi cum iniuria Senatus ab illa recedere, quando neque Senatus sine dedecore infamiæ, à sua Confessione recedere potest. *Adhac protestantur*, se non improbare modos loquendi Ecclesiarum Saxonicarum, In pane corpus Domini sumi, in calice sanguinem Domini bibi: sed ita, vt Lutherus se explanauit: vt iste cibus non sit cibus ventris: neque panis vertatur in corpus Christi, neque corpus Domini localiter includatur in pane, vel lateat in pane: & vt manducatio quæ fit ore corporis, pani propriè comperar; corpori verò Domini, non nisi ob Sacramentalem vnionem tribuatur, & huic Sacramento nihil ex opere operato concedatur. *Protestantur etiam*, se sic examinaturos secundùm Confessionem Vrbis, vt nihil contrarium statuere velint vtrique Confessioni & Principum & Vrbis: nihil etiam præscripturi Senatus voluntati & potestati: id verò quod in omnibus minoribus iudicijs licitum est facere: id se sibi assumere, vt scilicet iudicent secundùm suam conscientiam. *Huic Examinatorum protestationi, cæteri plerique omnes propriâ etiam manu subscripserunt.*

Professores Scholæ Argentinensis petunt vt sibi manere liceat in doctrina antecessorum suorum, Buceri &c.

Deprecabantur verò hoc vniuersi vnum, propter quod ortum fuerat dissidium: vt ne cogerentur Augustanæ Confessionis interpretationem ab aduersarijs suis, partim discipulis, partim condiscipulis accipere. *Hoc autem petebant, rogabant, orabant, obsecrabant*, vt in ea doctrina manere ipsis liceret, in qua Capito, Zellius, Hedio mortui sunt, & quam Bucerus quoque ad annum vsque XLIX. quo discessit in Angliam, docuit, illustrauit, defendit, nec mutauit per reliquum vitæ spatium: *& contrà*, ne paterentur Domini eam doctrinam, quam Maiores ipsorum publico decreto ex ea vrbe eiectam voluerunt, & quæ eiecta fuit quando vixerunt Capito, Zellius, Bucerus, Hedio, nunc denuò reuocari: & concederent; vt illam quam eodem decreto mandauerant in Templis doceri, & incorruptam retineri: retinerent & docerent. *Demonstratur etiam luce clariùs in ea protestatione contra accusatores*, Senatum Argentinensem à sua Confessione minimè recessisse. *Ex quibus perspicuum fit, quàm falsa fuerint illa, quæ aduersarij in vulgus spargebant, quæque ad aures vsque Principum & magnorum Virorum peruenerunt, Sturmium, Zanchium & suos, Augustanam Confessionem non agnoscere, imò impugnare, & inimicos esse doctrinæ Argentinensis. Augustanam enim Principum Confessionem semper amplexi sunt: & obtulerunt seipsi ad defendendam illam contra omnes aduersarios, tantùm de intelligentia quorundam locorum fuit disceptatio. Illi suam obtrudebant interpretationem, hi dicebant petendam illam esse, cùm ex scriptis doctissimorum Patrum in Germania: tum præsertim ex libris Buceri & aliorum Ecclesiæ & Scholæ Argentinensis antehac Doctorum atque Pastorum: eamque eatenus admittendam, quatenus consentanea esset S. Literis. Speciatim verò quod ad doctrinam Ecclesiæ Argentinensis attinet, conquesti sunt perpetuò*, quod in ipsis eam damnent doctrinam, quam apertè Bucerus & alij Ecclesiæ Argentinensis Patres, vno & perpetuo consensu, & tradiderunt voce in Scholis ac Templis: & libris editis confirmarunt, & ad absentes atque posteros transmiserunt. *Propterea in Supplicationibus & Protestationibus illud semper vrserunt*, liceret sibi eam defendere doctrinam, quam Maiores ipsis scriptam reliquerunt, & in qua illi mortui sunt: & contrà, quam ipsi, vt impiam damnarunt, eam reuocari in vrbem ne paterentur. *Apud Compositores, cùm in eo laborarent vt eos conciliarent, aliud nihil vrserunt quàm hoc:* Curate, vt aduersarij concedant nobis doctrinam Apostolorum in articulis controuersis, iuxta explicationes Buceri & Maiorum nostrorum, & facta est pax.

Zanchius offert Senatui Argentinensi suam Confessionem de Cœna, &c.

Vigesimâ secundâ die eiusdem mensis Octobris, obtulit Zanchius Senatui suam, sicut petierant, de tribus articulis, Prædestinatione, Perseuerantia & Cœna, Confessionem, tam Germanicè quàm Latinè scriptam. In ea probauit suam sententiam testimonijs Scripturarum, deinde Patrum, postremò Doctorum nostri seculi, atque in primis Lutheri & Buceri, Confessionibus etiam Ecclesiæ Argentinensis & Pastorum. Ac quod articulum de Cœna attinet, demonstrauit, idem se planè sentire ac docere, quod Ecclesia Argentinensis in sua, imò quatuor Ciuitatum Confessione & Apologia docet: ac proinde nihil dissentaneum à Confessione Augustana Principum profiteri. *Legati enim Principum anno XXX. in Comitijs Imperij Augustanis, visâ*

atque

atque perlecta Confessione, quam à Capitone, Bucero atque Hedione compositam, Iacobus Sturmius, & alij Argentinenses Legati, Cæsari exhibuerunt, apertè dixerunt Argentinensibus, illam cum sua in omnibus dogmatibus reipsa conuenire. Praterea, vt omnis dubitatio tolleretur, demonstrauit, eandem doctrinam confirmatam fuisse in Synodo Argentinensi anni XXXIII. item in Confessione anni XXXIX. post ipsam etiam Concordiam factam inter Lutherum & Bucerum & alios: nec non in Confessione Buceri de Cœna, quam anno XLIV. in Schola dictauit: deinde in ipso etiam compendio Religionis & doctrinæ Pastorum Argentinensium edito anno XLIX. *Proinde obsecrauit Dominos*, curarent vt doctrina suarum Confessionum & Apologiæ, in sua Ecclesia & Schola retineretur. Se enim agnoscere illam pro Christiana, & vt Christianam amplecti. Quòd si aduersarij contendere adhuc velint, doctrinam tam de Prædestinatione quàm de Cœna, quæ habetur in Confessionibus & Apologia Ciuitatis, esse erroneam: cogant illos venire in disputationem. Se enim & suos collegas contrarium defensuros, & doctrinam veterem illius Ecclesiæ piam esse demonstraturos. *Senatus autem, qua eius erat in politicis rebus prudentia, sumere sibi nullum de Religione iudicium voluit: in hac præsertim causa, qua non inter vnum & alterum, sed inter Professores Schola & Pastores Ecclesia tamdiu erat disceptata. Et eorum qui fauebant aduersarijs, consilium erat, vt tota causa silentio sepeliatur.*

Aduersarij Zanchij protestantur contra Consil. ium Thomannum.

Paulò pòst protestantur contra Consilium Thomannum, principio quidem Marbachius primarius accusator: deinde quatuor alij Canonici, secessione facta à Consilio. Erant autem ij quinque tantùm in Collegio Zanchio in hac causa aduersarij. Protestati verò fuerunt, cùm alijs de rebus ad Consilium pertinentibus, tum de examinatione facta iuxta Confessionem Augustanam Argentinensium, de qua antè dixi.

De hoc verò importuno schismate & intempestiua protestatione, Consilium conquestum est apud Senatum die IV. *Ianuarij Anni* LXIII. *deinde ad illam scripto responderunt. Summa responsionis, quantum attinet ad caput Protestationis de Examine, ac proinde de Religione, hac est*: Protestantes facere iniuriam toti Ecclesiæ, nedum Senatui Argentinensi, dum aiunt, illos à sua Confessione quam obtulerant Cæsari Augustæ, recessisse: quòd hoc nihil aliud sit, quàm dicere, illos à Religione quam professi sunt in Comitijs Augustanis, & in qua tot præclari viri mortui sunt, turpiter defecisse. *Deinde luculentissimè permultis rationibus demonstrant*, Argentinenses etiam in articulo de Cœna nunquam recessisse, *idque faciunt partim ex ijs qua transacta fuerant Augusta inter Principum & Argentinensis Reipub. Legatos: partim ex ipso municipali examine: partim ex decretis aliquot Senatus, etiam post exhibitam Carolo Confessionem, factis: partim denique ex varijs Synodis, Disputationibus & Actis Argentinensibus in causa Religionis & testimonijs Buceri confirmant. Falsum igitur esse crimen Marbachij, Examinatores & reliquum Consilium mutasse aut infirmasse examen municipale. Quantum autem attinet ad caput de corrupta ab ipsis doctrina, in hac verba respondit Iohannes Sturmius Præpositus.*

1565.

Quantum verò ad id caput attinet de corruptione doctrinæ: fatetur Præpositus, hanc querelam ad se pertinere, & se dixisse fatetur, Concionatores aliter & alia docere de Cœna Domini & de electione Sanctorum, quàm Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, omnes Pastores & Diaconi docuerint, legerint, scripserint, disputarint. Imò ampliùs addit & dicit eos in quæstione de Prædestinatione docere contraria: & respondet, si hoc illi credere nolunt, subscribant articulis doctrinæ Ecclesiæ Argentinensis, quam, Capito, Hedio, Bucerus, Zellius, Theobaldus Nigri, Ioannes Lenglinus, cæterique anno XXXIX. tertio post Concordiam ediderunt: subscribant Summario doctrinæ Ecclesiæ Argentinensis, quod factum est anno XLIX. subscribant Retractationibus Buceri quas Lutherus probauit. Subscribant his quæ Bucerus scripsit in octauum & nonum caput Epist. ad Rom. & contra Erasmum Roterodamum, & Augustinus & alij Patres antiqui contra hæresim Pelagianorum. Dicant, Dominos non recessisse à Confessione & doctrina sua, neque Augustæ in Comitijs anno XXX. neque Schuuinfurti anno XXXII. neque vllo pòst tempore. Si hæc dicant, vult culpam deprecari, & se errasse confiteri: dum autem sic agunt vt agunt, non se posse aliud credere. *Senatum verò in hunc rogant modum. Credimus, inquiunt*, non ad omnia respondisse, clarissimi Domini: & quanquam omnia diligenter cognosci & iudicari à vobis postulamus: tamen nihil peræquè cupimus considerari, atque illam quæstionem quæ est de Confessione & doctrina Maiorum nostrorum. Si vos iudicabitis Senatum & Legatos Ciuitatis recessisse à sua Confessione, hoc est, doctrina: quod factum est, irritum nos facere non possumus: sin verò in

1563. in eadem mansisse: petimus, vt in hac nobis manere & hanc defendere liceat. De his duobus cognoscere, atque iudicare, vestræ est authoritatis atque potestatis. *Ad extremum verò, ijs verbis compellant primarium aduersarium Marbachium*: postulamus vt respondeat, vera-ne an falsa doctrina Maiorum nostrorum fuerit? Si vera, cur non subscribit? & cur vexat nos? si falsa, cur non colloquitur? cur nō disputat. Itē illud rogamus, si veram esse doctrinam Maiorum nostrorum putat: an nos intelligere Maiorum nostrorum doctrinam arbitretur, necne intelligere? Si intelligere, cur non idem loquitur quod nos? si non intelligere, cur nobis non explicat, vt intelligere possimus? Si ad hæc nobis respondere recusat, nos protestamur, id nos fecisse & facere, quod viros bonos & memores suorum præceptorum fecisse & facere decet, & id pati, quod collegæ à collega pati non deberent, & id passuros setentā veritate, quod homines cōstantes & Christianos pati decet.

Hic est progressus, quem communis causa, posteaquam à Consilio Thomanno ad Senatum fuit translata, ante compositionem fecit. Ex quibus omnibus videre licet grauissimam fuisse multis nominibus controuersiam: ac proinde grauem etiam postulasse cognitionem ad dijudicationem.

Senatus Argentinensis aliunde accersit doctos qui controuersiam hanc dijudicant.

Cùm verò neque Senatus vellet vllum sibi de ea sumere iudicium: neque aduersarij vllam vellent admittere disceptatianem, aut amicam colloquutionem, neque etiam Zanchius vellet silentio causam sepeliri; Coactus tandem aliquando fuit Senatus, nempe biennio pāst ab excitato dissidio, aliunde viros accersere, partim Theologos, partim legum & rerum peritos, qui causam & diligenter cognoscerent, & sapienter componerent. Venerunt igitur Argentinam circa medium mensem Februarium anni LXIII. *alij Tubingā, alij Biponte, alij Basilea, ad quos omnia Acta, scriptaque in hac causa iussu Dominorum perferuntur, vt ea legant & causam cognoscant. At verò arbitri illi perlectis Actis, incipiunt cum vtraque parte seorsum agere. Cum Zanchio Theologi conferunt primā quidem die de Prædestinatione & de Perseuerantia. In quorum vtroque articulo cùm vidissent sibi ab ipso nan tantùm scriptis quæ antè legerant, sed etiam voce satisfactum fuisse: dixerunt, inter aduersarios & ipsum hos duos articulos facilè conciliari posse: quòd illi quoque non improbent Augustinum, Lutherum & Bucerum in hac doctrina. Altera die Zanchij voluerunt corām audire sententiam de Cœna. Non contenti enim eius Confessione, in qua satis fusè atque perspicuè suam de ea explicauerat fidem, quatenus ea Sacris Literis niti potest: interrogarunt etiam de Præsentia corporis Christi in Cœna: quibus in hunc modum respondit.*

Zanchij Confessio de præsentia corporis Christi in Cœna

De præsentia corporis Christi in Cœna testor, me non libenter disputare, idque propterea quòd nullum de ea verbum in sanctis Literis legam. Audire quidem me, cùm Cœna fit, hæc Christi verba: (*Accipite, comedite, hoc est corpus meum quod pro vobis frangitur:*) Item Paulum hæc verba Christi interpretantem ac dicentem, *Panem quem frangimus, esse κοινωνίαν corporis Christi*: sed nullibi legere, aut illum dixisse, *Hic est corpus meum:* aut istum docere, *Corpus Christi in eo esse loco vbi frangitur panis.* Interim tamen si aliquid sit dicendum de præsentia, me ita sentire, corpus Christi esse præsens, non corpori, sed spiritui meo, quòd nullis sensibus corporis mei illud percipiam; mente autem maximè, quòd illud animæ & menti meæ se verè communicet, atque ab hac verè percipiatur. Nam & oculis mentis à me videri, & manu spiritus contrectari, & ore animæ atque fidei edi, mihique incorporari, & illius effecta in me sentire. Præsens igitur esse animæ atque menti, me non posse inficiari: at verò præsens esse corpori, admittere me non posse, totumque hoc simili satis accommodato planum atque perspicuum feci: Quibus auditis, Profectò, *inquit illorum vnus*, vos idem sentitis quod & nos. Quid sentiam, *respondit Zanchius*, audiuistis, si autem eadem est vestra etiam sententia: gratulor Ecclesiæ.

De hoc D. Zanchius ita scribit copiosiùs libr. 2. Epistola ad D. Grindallum Episcapum Londinensem Pag. 89. & seq. Ne putarent, *inquit Zanchius*, Compositores, me subterfugere, & non audere explicare etiam de hac quæstione meam sententiam, promisi dictūrum me quod sentiam. Principiò, me nullo modo posse admittere, præsens esse corpus Christi in Cœna corporibus nostris: illam enim rem dici alicui esse præsentem, quæ sese aliquo modo ei, cui dicitur esse præsens, communicet, & ab ipso percipiatur. Illam verò dici esse absentem quę nullo modo sese communicet, & percipiatur ab eo cui dicitur esse absens, siue ea res, quantum ad localem etiam longinquitatem vel propinquitatem attinet, sit propinquior, vel remotior. Deambulabat ibi Sulcerus, cùm Iacobus Andreæ assidens mecum ageret de Cœna. Exemplum igitur ab ipsis desumptum attuli, in hæc verba: Vos Domini Compositores dicimini esse, & verè estis mihi, hoc est, corpori meo præsentes, quia ipsi vos communica-

catis mihi,& meis sensibus, & à me percipimini,dum ego meis oculis vos video,& auribus audio, & tam mihi præsens est Dominus Sulcerus,qui deambulat,quàm vos reliqui, qui assideris: quanquam quod localem distantiam, & propinquitatem attinet, ille remotior sit à me, quàm vos, & vos quàm ille,propinquiores.Qui verò foris sunt extra hoc hypocaustum, (erant enim aliquot famuli Dominorum foris) dicuntur abesse, quia illos nec audio,nec video,nec vllo corporis sensu percipio.Manifestum est autem, verum & substantiale corpus Christi non communicari corpori meo in Cœna, nullis enim sensibus corporis id percipio;cùm nec oculis videam,nec auribus audiam, nec naribus olfaciam, nec manu tangā, nec palato gustem, non possum igitur ullo modo dare, corpus Christi præsēs corporib.esse in Cœna.

Cæterùm,quum idem corpus Christi verum, & substantiale, præsens sit menti meæ in Cœna, ubi maximè efficax est, inficiari non possum,cùm extra controversiam sit,illud verè fidelium mentibus communicari, & ab ipsis verè percipi. Oculo enim fidelis mentis,seu interioris hominis videtur, eiusdemque manu capitur,& ore comeditur,atque ita comeditur,ut illius virtutem & effecta salutaria in nobis ipsis sentiamus. Non possum igitur simpliciter negare veram & substantialem , hoc est veri , & substantialis corporis Christi in Cœna præsentiam,sed in eum sensum,quem explicavi.*Hic Iacobus Andreæ cum admiratione*, profectò , *inquit* Vos idem sentitis,quod & nos. Audivisti inquam ego;sententiam meam D.D. Si hæc est quoque vestra sententia , gaudeo mihi, gratulor vobis & Ecclesiæ. Hunc, inquit ille, video, cur tot argumentis confutes,(nēpe in mea confessione) id quod nos dicimus , Corpus Christi ore nostri corporis manducari , quia putaris nos ita sentire,corpus Christi ore nostri corporis mãducari, quasi corpus Christi nostrum os & corpus attingat. Omnino, inquam,ita vestris scriptis judicavi vos sentire. Minimè,minimè,inquit ille,ita sentimus:sed nos ita loquimur propter unionem Sacramentalem. Tum ego, si non aliter sentitis, non damno istam locutionem. Nam & ego admitto,propter Sacramentalem unionem, id attribui corpori Christi, quod est propriū panis , & contrà pani id, quod proprium est corporis Christi. Sed de manducatione indignorum quid sentis,inquit ille? Si nomine indignorum, respondi, intelligatis homines planè impios , qui vera fide destituti sunt, nō possum admittere ab illis corpus Christi manducari ; Si verò homines fide quidem præditos , sed ea imbecilliori , & solutioris vitæ,quàm Christianum deceat , non refragor. Tales enim fuerunt illi Corinthij, quos Paulus dicebat, quia indignè manducarunt corpus Domini à Domino judicari, hoc est, castigari,ne cum hoc mundo damnarentur. Non potuit inter hos de hoc articulo cōvenire. Sed ego non dubito, inquit ille, quin si diligentiùs,hunc etiam articulum examinaveris,sis in nostram sententiam venturus, satis inquam ego,diligēter examinavi,& aliter quàm sentiam,sentire non possum.Bene, satis est,inquit,de Cœna dictū,agimus gratias Deo, quòd in hoc etiam articulo de Cœna, non est magna discrepantia inter Vos, cùm utrique fateamini veram & substantialem præsentiam,ita discessum fuit.Conceperunt deinde articulos quosdam de prędestinatione hos dederunt utrique parti inspiciendos, sed mihi cum tanta festinatione exhibuerūt legendos , ut nollent eos, vel unam noctem apud me pernoctare.Tandem ubi viderent, me nolle illis subscribere, nisi priùs à me diligenter domi examinarentur,permiserunt; sed hac lege,ut neque describerem,neq;curarē describendos,Adiecerunt illis,ut etiam de Cœna aliquid statuerent saltē in genere, Confessionem Augustanā, & articulos concordiæ inter Lutherum,& Bucerum.In articulis de Prædestinatione nihil deprehendi apertè impium , & quod non posset bonâ conscientiâ admitti,quemadmodū & postea D. Calvinus tum ad me,tum ad Pastorem nostrum scripsit. Tantùm vidi,ita eos artificiosè fuisse cōpositos, ut tamen liquidò appareret,compositores magni curâsse,ut articuli controversi obductis quibusdā tenebris sepelirentur,quàm ut veritas aperta luce explicaretur.Hæc fuit una præter alias causas, cur diu,hoc est,ad extremum ferè usque restiterim,ne subscriberem. Tandem cùm viderem, per me unū tantùm stare, ne sublato tāto dissidio,quod erat non inter unum, aut alterum, sed inter omnes Ministros, una ex parte:& omnes Professores ex altera parte, pax & consensio fieret:& viderem,me salvâ conscientiâ posse subscribere , prætermissa præsertim protestatione, assensus sum:Cùm igitur ventum esset ad locum,ubi erant Domini nostri & Compositores, omnesq; Professores, & aliquot alij: post actas gratias iis, quibus debebantur,dixi me subscripturum, sed præmissa priùs hac protestatione .˙. primùm me nolle , ut hac mea subscriptione, aliquod fiat præiudicium aliis Ecclesiis,Academiis, & veritati, deinde nolle, ut aliquid derogetur illi doctrinæ,quam hîc Argētinæ docui per octennium , & quæ continetur in meis prælectionibus,Disputationibus, Confessionibus,postremò ut nihil liceat,tam Au-

1563. gustanam confessionem, Apologiam,& Articulos Concordiæ,quàm hos præsentes articulos interpretari juxta regulá Verbi Dei, doctrinam Augustini, Lutheri, & Buceti. Deinde condirionaliter subscripsi in hæc verba. Hanc doctrinæ formulam, ut piam agnosco, ita etiá recipio: Ego Hieron. Zanchius,postridie cōdonatis omnib.iniuriis datæ fuerunt dextræ societatis,& φιλαδελφίας.

Ita compositú fuit dissidiú, ut nihil detractú sit de veritate doctrinæ. Interim tamen non desunt,qui improbant factú,sed isti non perpendunt,quid sit illud, Christus sibi non placuit: neque cogitant quanta mala secum adferant dissidia. Cur propter pacem, inter tot & Ministros,& Professores unius civitatis,non debuissem Augustanæ confessioni, & eius Apologiæ subscribere, eo præsertim modo, quo subscripsi, & admissa mea à cōpositoribus,explicatione,& deinde etiam protestatione? offenduntur illis verbis Apologiæ: Corpus Christi adesse in Cœna verè, & substantialiter. At ego explicavi, quo pacto admitti possint: & illud dici præsens esse verè,& substátialiter, quod verè & substantialiter participatur. Cùm sol est supra nostrum Hemisphærium, & suum verum & substantiale corpus nobis visendum, & per corpus calorem, atq; lucem participandam communicat,annon dicemus,& quidem rectè,solem nobis esse præsentem,verè & substantialiter? Quemadmodum & contrà:cùm progressus ad aliud Hemisphæriú, quia non ampliùs sese videndum, & participandum nobis communicat,diclmus abesse:cùm tamen quoad localem propinquitatem, aut longinquitatem, tam procul distet à nobis, cùm est supra nostrum, quàm cùm est supra aliud Hemisphærium? Quid igitur prohibet, quin etiam dicamus, corpus Christi adesse verè & substantialiter illis, quibus verè, & substantialiter se communicat? At,inquiunt; alij non ita intelligunt & interpretantur, ut tu. Neque ego subscripsi aliorum interpretationibus:sed tantùm verbis Augustanæ confessionis, idque juxta illum sensum, quem ego pium esse agnosco,& interpretatio mea fuit admissa.

De quibus articulis conventum, de quibus non.

De dicto, Corpus Christi manducari ore corporis,*ita cōvenit: Non posse id propriè dici, cùm corpus Christi non tangat corpus nostrū in Cœna,sed tantùm propter Sacramentalem unionem usurpari.* De impiorum manducatione, *non potuit convenire. De hoc verò*,An Augustana Confessio in articulo de Cœna sit admittenda: *Sicut cū nemine unquam disceptanis Zanchius,sic neque tunc cum ipsis Compositoribus contendit: de interpretatione tantùm semper fuit disceptatio. Cùm igitur vidissent ipsum libenter & antea semper consensisse,& tunc etiam consentire in Augustanam Confessionem,sed orthodoxè intellectam: indicárunt, facilè posse fieri inter ipsos conciliationem. Ita tum discessum fuit valde amicè.*

Articuli à Compositoribus Concordiæ causa scripti.

Post hac à Compositoribus articuli quidam Concordiæ gratiâ concepti & conscripti sunt, & quidem de Cœna Domini articuli sic habent.

Duo sunt præcipuè capita controversiæ inter Pastores Ecclesiæ, & Profess. Scholæ Argentorat. exortę:alterum de Cœna D.alterú de præscientia & prædestinatione Dei.

Quod ad Cœnam Domini attinet: pius consensus constitutus est,ut pariter in Schola & in Ecclesia conformiter aliis piis Ecclesiis & Verbo Dei, juxta Augustanam Confessionem anno 1530.Imperatori Carolo V. à Principibus & aliis quibusdá Imperij Rom. Civitatibus exhibitam, & adiunctam Apologiam. Numburgi ab Electoribus & Principibus Imperij denuò subsctiptam, doceatur.Eaque sit norma & regula totius doctrinæ nō tam de Cœna D.quam & reliquis articulis omnibus,ex Verbo Dei sincero & incorrupto, in Scholis & Ecclesiis docendi.

Ad tollendam verò de sententia commemoratæ Confessionis in negotio Cœnæ dissensionem:cùm utraque pars veram & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi credat & confiteatur,quæ cum pane & vino exhibentur,& in Cœna vescentibus distribnuntur: ne diversitas formularum loquendi contentionem aliquam pariat: placuit ut formulam Concordiæ inter Martinum Lutherum,& Martinum Bucetum piæ memoriæ, Saxonicarum & superioris Germaniæ Ecclesiarum Ministros initam, omnes in docendo sequantur.

Compositorum postulata.

Hi articuli de Cœna:& alij etiā de Prædestinatione Ioanni Sturmio primùm,deinde Zāchio exhibētur legendi:& significatur,si in hos consentiant,compositum esse dissidium. Eos igitur debere statim & simpliciter,probentúrne an improbentur, & an velint subscribere nec-ne,respondere. Neque enim expectandá eis esse cum adversariis disceptationem, quòd non expediat: deque definitivam ab arbitris sententiam, quòd non venerint ipsi judicatum causam, sed tantùm amicè controversiam compositum: neque etiam ipsis licere in oblatos articulos diu multumque commentari, quòd Cōpositores non possint diutiùs Argentinæ commorari, sed domum redire quamprimum cogantur. *Zanchius posteaquam vix tandem aliquando impetrasset, ut illos articulos secum diligenter expenderet: & posteaquam etiam formam docendi de Cœna, seorsum paulo post exhibitam percurrisset: in hanc sententiam respondit tam arbitris quam*

Zanchij responsum.

collegis:

collegis: Articulos & ſcriptum de Cœna, ſibi quidem, quod ad doctrinam attinet, non improbari, propterea quòd neque ipſi neque forma docendi de Cœna, ſi æquum habeant interpretem, impium aliquid continere videantur: vt iis tamen ſimpliciter ſubſcribat, & huic docendi formæ ſe adſtringat, nullo ſe adduci poſſe modo, propter multas eaſque graviſſimas cauſas: quòd articuli non ſint de rebus controverſis, ac proinde nihil faciant ad compoſitionem controverſorum: quòd licèt non ſint per ſe impij, quidam tamen malè ſonent, ac proinde indigeant explicatione: quòd metuat multorum piorum hominum, quorum maximè habenda ſit ratio, offenſionem: itaque hanc ob cauſam non poſſe ſe ſine exceptionibus ſubſcribere: quòd item fuerit ad plebem ab adverſariis traductus, quaſi quædam iis articulis contraria docuerit, vereri igitur, ne ſuâ ceu hominis qui ſententiam mutarit, ſubſcriptione, priores confirmentur calumniæ: quòd metuat etiam iniquos adverſariorum triumphos, quaſi Zanchius retractarit doctrinam tamdiu à ſe defenſam: quòd denique ſi ſubſcribat citra vllam exceptionem, ſibiipſe laqueum injiciat, quo adverſarius pro ſua libidine collum ſibi premere poſſit. Se igitur petere & rogare, vel vt ne iſtis articulis ſubſcribere cogatur, vel ut ſi omnino ſubſcribendum ſit, cum exceptionibus ſubſcribere liceat: præſertim verò, vt liceat tam articulos de Prædeſtinatione, quàm doctrinam de Cœna interpretari juxta explicationes Buceri & Confeſſiones Argentinenſis Civitatis, & harum exceptionum fiat in ſubſcriptione aliqua mentio. *Fuit ipſi ad hac reſponſum*, hoſce articulos non proponi, niſi vt finis aliquis controverſiæ imponatur, controverſos non eſſe judicatos, nec judicari, neq; ab ipſis Compoſitoribus judicatum iri: hanc tantùm eſſe formulam quam deinceps ſequantur in docendo, quo pax ſervetur in Schola: non debere ipſum ampliùs ab adverſario ſibi metuere: illum poſthac non auſurum aliquid contra eum: fuiſſe hoc diſſidium potiùs ex animorum exacerbatione, quàm ex magna diverſitate doctrinæ profectum: reconciliatis animis, fore ipſi liberum docere ita liberè, vt antè ei licuerat: nullam verò piorum offenſionem eſſe metuendam, aut verendum ne ab adverſariis ſpargatur eum retractaſſe ſententiam. Ipſi enim primùm licere voce proteſtari: deinde ipſos quoque arbitros & Conſilium daturos ei ſemper, cùm opus fuerit teſtimonium conſtantiæ in recta ſententia: licere etiam tam articulos quàm Confeſſionem Auguſtanam juxta explicationes Buceri & Confeſſiones Civitatis interpretari. Cæterùm vt horum mentio fiat in ſubſcriptione, non poſſe certis de cauſis concedi: ſatis eſſe debere, quòd ſuarum exceptionum teſtimonium ipſi daturi ſint, & Compoſitores ipſi cùm opus fuerit, & Conſilium cùm voluerit. Nihil igitur eſſe cur debeat gravari poſt factam coram omnibus proteſtationem, ſimpliciter pacis & concordiæ gratiâ ſubſcribere. Eſſe verò non paucas neque leves cauſas cur illud debeat ſine vlla deinceps cunctatione, citráque vllum metum præſtare: ipſos enim habere quod deſiderarint: quòd ſcilicet adverſarij concedant eis doctrinam de Prædeſtinatione & Perſeverantia, Auguſtini & Buceri: de Cœna, explicationes Buceri & Confeſſiones Vrbis: facturos igitur eos Senatui, & Principibus rem cumprimis gratam, Scholæ atque Eccleſiæ vtilem.

Responder Zanchio.

Hac & alia multa in hanc ſententiam ultro citroque agitata, Zanchius tandem acceſſit atque ſubſcripſit: neque id ſimpliciter; ſed quatenus ipſe formam illam piam eſſe judicabat: *idque fecit inprimis propter aduerſarios: nimirum ne ſimplex ſubſcriptio poſſet aliquando ſibi apud illos eſſe fraudi: & vi ſua nuda ſubſcriptionis cogerent ipſum aliquando ad ſuas interpretationes pro ipſa Auguſtana Confeſſione & articulis Concordia, recipiendas. Vt igitur hac in re ſibi caveret, in hac verba ſubſcripſit:* Hanc doctrinæ formulam, vt piam agnoſco, Ita etiam recipio. *Atque in hunc modum ſe habuit ipſorum compoſitio.*

Zanchius ſubſcripſit, ſed cum exceptione.

Mox autem adverſarij eius ut victores exſultabant ac triumphabant, & laureatas ſpargebant literas: ipſi etiam articuli ſubſcripti, ſed citra Zanchij exceptionum mentionem, in diverſas Germania partes diſſeminabantur: varij rumores ſpargebantur, quaſi cum ſuis ſuccubuerit, quaſi in aduerſariorum caſtra tranſierit, & quaſi priorem ſententiam mutaverit. Thermis etiam Helvetiorum, ad quas ſe valetudinis gratiâ contulerat, diverſis ex locis ab amicis accipit literas, in quibus turpis accuſabatur inconſtantia. Zanchius autem decreverat has etiam novas malevolorum calumnias, & inanes glorioſorum hominum voces, falſaſque otioſorum ſcriptitationes potiùs contemnere, quàm ſe intempeſtivè defendendo ullam violanda iterum pacis cuipiam occaſionem dare: Sperans fore, ut poſt falſos rumores, ipſa etiam veritas bonâ aliquâ ratione tandem pateſieret, & piis hominibus omnis tolleretur offenſio.

Occaſio noua controverſia & diſſidio ab adverſariis data.

Commodum autem accidit, ut die 14. *Iulij, Anno* LXIII. *in pleno Conſilio Thomanno, interrogatus de quorundā Confeſſione fidei: ita ex tempore ſententiam ſuam liberè dixerit, ut omnes intellexerint, ipſum articulis Concordia ita ſubſcrip-*

Zanchius ſubſcriptionis ſua rationem reddit.

1563. *subscripsisse, ut tamen neque priore causâ ceciderit, neque à sana veterique & ad extremum usque haud malè defensa doctrina, vel latum unguem discesserit.* Quia interrogor, *inquit*, sententiam meam, credo mihi licere eam dicere liberè & secundùm meam conscientiam: nam In hunc finem interrogantur singulorum sententiæ. Eò libentiùs verò hoc faciam, quòd nolo ut meum silentium possit alicui esse fraudi, & mihi coram Deo ad condemnationem. Nihil autem habeo quod opponam, sed tantùm quædam quibus explicem, quomodo possim quædam capita confessionis istorum duorum probare. Dicam autem sine vllius præiudicio aut condemnatione. Rogo vt candidis & amicis animis omnia accipiatis. Quod attinet ad nostram consensionem: In huiusmodi articulos & formulas doctrinæ semper cum conditione vel expressa vel tacita est consentiendum, nempe quatenus consentaneæ sunt S. Literis. Ita etiam ego serio pacis & concordiæ studio adductus in illam formulam consensi, cum conditione, quatenus scilicet ego agnosco eam doctrinam esse piam, me illam admittere: & hanc etiam ob causam præmisi meas exceptiones, quæ fuerunt hæ. *Prima*, Me nolle vt meâ illâ subscriptione ullum præiudicium fiat aliis Ecclesiis, à quibus meæ doctrinæ acceperam testimonia: & ipsi veritati. *Altera*, ut nihil derogetur doctrinæ quam docui hic per octennium, & Confessioni quam exhibui. *Postrema*, ut mihi liceat totam illam formulam interpretari juxta regulam Verbi Dei, doctrinam Augustini, Lutheri & Buceri. Et hanc meam subscriptionem cum illis exceptionibus factam; confirmo & ratam esse volo.

Et paulò pòst: De Cœna duo dixerunt Examinati. Primùm, Corpus Domini in Cœna verè & substantialiter exhiberi. Deinde sumi verè ab hominibus, etiam indignis. Ego non improbo hanc responsionem: si intelligatur (quemadmodum intelligenda est) juxta regulam Verbi Dei, & quemadmodum etiam ego explicaui coram Dominis Compositoribus, quibus etiam probata fuit mea explicatio: ea autem hæc fuit, Corpus Domini in Cœna præsens esse verè & substantialiter ipsis fidelium mentibus, non autem corporibus: non corporibus: quia illud eis non communicatur: aliquâ enim res dicitur nobis esse præsens, quando nobis aliquo modo communicatur & percipitur. Exemplum quod coram Compositoribus attuli: hic etiam coram vobis adferam. Dominus Decanus præsens est, & præsens esse dicitur omnibus nobis, tam illis qui sunt ad portam (licèt magis procul ab eis distet, quod ad locale spatium attinet) quàm mihi qui sum propiùs illum. Quamobrem? quia tam illi quàm ego, eum vident & loquentem audiunt. Allud simile adferor: cùm Sol est supra nostrum hemisphærium qui communicat nobis suum verum & substantiale corpus visendum, & per corpus calorem & lucem, & à nobis participatur: dicimus illum esse præsentem & adesse, & quidem verè ac substantialiter. Cùm verò progressus est ad aliud hemisphærium: quia non ampliùs illum percipimus, dicimus eum esse absentem seu abesse. Ita dico de corpore Christi, illud non esse præsens corporib. nostris, quia eis non communicatur aut ab eis percipitur: nam neque oculis videmus, nec manibus tangimus, nec vllis corporis sensibus percipimus corpus Christi. Præsens autem esse dico mentibus nostris, quia illis communicatur & ab ipsis percipitur: oculis enim mentis videmus, & eiusdem ore comedimus corpus Christi; atque ita comedimus, ut ipsius etiam effecta, hoc est, virtutem redemptionis peractæ in illo corpore in animis nostris sentiamus: ita ut hæc vis redundet in ipsum etiam nostrum corpus ad maiorem sui sanctificationem & ad gloriosam resurrectionem. Sic sentio & sic explicavi sententiam meam de reali ac substantiali præsentia corporis Christi in Cœna coram Dominis compositoribus, & ea fuit admissa. Ita hoc argumento ducto à definitione præsentiæ & à coniugatis simul: confirmo confessionem Augustanam & Apologiam de reali & substantiali præsentia, hoc modo: Verum & substantiale corpus Christi communicatur fidelium mentibus, & ab illis percipitur: ergo fidelium mentibus verè & substantialiter adest. Et hoc modo etiam confessionem horum duorum probo. Quod etiam dixerunt, illud manducari ab Indignis: non improbo, si nomine Indignorum non intelligantur homines prorsus impij, & spiritualiter omnino mortui: non enim est mortuorum comedere, sed viventium. Si autem nomine Indignorum, intelligantur homines, qui præditi quidem sunt verâ fide, sed imbecilliori, & qui vitæ sunt solutioris quàm deceat Christianum hominem: concedo ab illis percipi, sed non tamen ita manducari ad salutem, sicut à dignis. Dignos autem intelligo eos, qui vivâ & actuali fide & verâ resipiscentiâ accedunt ad Cœnam. Hoc modo Confessionem etiam istorum de manducatione Indignorum probo. Quare dignos judico qui admittantur. Hic nemo respondit, sed Dominus Decanus perrexit interrogare sententias.

Cùm

Specceri responsum ad Confessionem Zanchij de Cœna.

Cùm verò ventum ad M. Melchiorem Speccerum, ipse ita respondit. Viri clarissimi & Collegæ obseruandi, video interrogari sententiam meam de tribus: de Electione: deque Creatione horum duorum: alterius in Canonicum: alterius in Vicarium: postremò de Confessione quam ediderunt. Quod priora duo attinet, ego probo judicium Capituli. Quod verò attinet ad ipsorum Confessionem, quia Zanchius liberè dixit suam sententiam, dicam & ego meam liberè. Ego simpliciter probo hanc Confessionem, quia est conformis Verbo Dei & secundùm Augustanam Confessionem. Sed Dominus Zanchius pro suo ingenio, nunc novum nobis indicit bellum, contra compositionem factam: renovat enim ea quæ fuerunt composita: & vt video, vult ille omnia sua esse integra. Quorsum igitur opus fuit compositione? *Et paulò post:* De Cœna explicat suo modo Confessionem Augustanam. Et quod in Examine iterum atque iterum dicitur NOSTRA Confessio, se *aiebat* intelligere Augustanam Principum, & Veteres potiùs quadam incuriâ & negligentiâ vocem NOSTRAM addidisse, quàm voluisse aliquid hic singularis Confessionis significari. Sed hic locum non esse plura dicendi & Zanchio respondendi.

A quibus renouatum dissidium.

Ex his animaduerterunt omnes, renouatum esse dissidium. Et aduersarij quidem Zanchij & malè erga ipsum affecti, transferebant culpam in eius responsum. Alij viderunt apertè, renouatum fuisse culpa tum vafri Examinatoris: Nam cùm pridie illius diei, quo habendum erat Examen præmonitus fuisset Marbachius à Sturmio, ne in Examine interrogaret de articulis controuersis, quod nihil facturum hoc esset ad pacem, & ille promisisset, se de illis articulis non interrogaturum: promissum tamen non præstitit: quòd suis callidis interrogationibus venabatur de oppressa veritate triumphum: aut saltem, si illum non posset consequi, prouocandi Zanchij occasionem: proinde Sturmius in faciem ei post habitum Examen, Consiltumque dimissum dixit: Quid istis tuis interrogationibus, de iis rebus, de quibus vt taceretur, constitutum erat, aliud effecisti, quàm quòd Eridis pomum in conuiuium Deorum proiecisti? *tum etiam renouatum fuisse dissidium intellexerunt culpâ iniuriosi illius in Zanchium criminatoris.*

Zanchius Argentina vocatur Clauennam.

Senatus itaque voluit rem cognosci, & si fieri posset, componi. Dum autem noua tentatur compositio, ab Ecclesia Clauennensi in Rhetia eligitur in Pastorem Zanchius: quam ille conditionem, ut diuinitus oblatam, libenter recipit, & Argentinâ cum bona gratia Senatus eius urbis, & honorifico Academiæ testimonio Clauennam, qua est in foribus Italiæ proficiscitur.

1563.

ANNVS M. D. LXIV.

Brentius edit suæ Recognitionem.

IOannes Brentius *initio anni 1564. vehementissimum contra Bullingerum edidit Librum quem inscripsit*, Recognitionem Propheticæ & Apostolicæ doctrinæ de vera Maiestate Domini nostri Iesu Christi ad dexteram Dei Patris sui omnipotentis. *In hoc libro iisdem ferè argumentis, quibus antea usus fuerat, sed tamen paulò aliter fucatis, Vbiquitatem humanæ naturæ in Christo asserit.*

Errores Recognitionis Brentianæ.

1 De Vbiquitate corporis Christi ex Vnione personali.

Primò enim de Vbiquitate corporis Christi ex Vnione personali sic scribit fol. 244. Vsque adeò credimus & fatemur, Christum vnà cum corpore suo omnia, juxta cœlestem modum, & rationem dextræ Dei implere, & omnipræsentem esse, ut si ANGELVS DE COELO ALIVD PRÆDICARET, IVDICAREMVS ESSE ANATHEMA MARANATHA. *Et pag.* 259. Corpus Christi collocatum est ad dextram Dei Patris omnipotentis, ut sit unà cum Filio DEI SVPRA, INFRA, EXTRA, ET INTRA OMNIA LOCA. *pag.* 262. Scriptum quidem est de Deo, non de homine: Quò ibo à Spiritu tuo. Et cœlum & terram ego impleo, ac multa id genus alia. Postquam autem Deus est incarnatus, sentiendum est quòd ea dicta non sint ampliùs de Deo, aut de Diuinitate tantùm, sed etiam de homine, aut humanitate in Deum assumpta intelligenda. Non enim est alius Deus, præterquam, qui est incarnatus. Sunt quidem in Diuinitate aliæ duæ personæ, Pater & Spiritus Sanctus. Non autem est alius Deus: Quare, qui dignatus est assumere humanitatem in unitatem personæ suæ, dignatus est etiam eam humanitatem secum in illam celsitudinem euehere in qua ipse est: vt quemadmodum ipse implet cœlum & terram, & omnibus tam superis, quàm inferis dominatur: ita & assumptus homo omnia præsens gubernaret, & sicut ipse intuens corda & renes adoratur & inuocatur: ita & assumptus homo adoraretur & invocaretur. Quod certè fieri non posset, nec liceret, si non homo ille assumptus omnia coràm intueretur & gubernaret.

Aliud est fuisse aliter, aliud aliter probari aliquid.

Collocatio ad dexteram non tollit circumscriptionem veri corporis Christi.

Humanitas & homo Brentio sunt æquipollentia.

Vnio personalis non efficit, ut quod unius naturæ congruit, realiter communicet alteri.

2 Brentius fig...

Secundò, Vbiquitatem statuit fundamentum esse præsentia corporis Christi in Cœna. Sic enim scribit Pag. 116. Nisi crediderint nostri, qui fatentur veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna, Christum vnà cum corpore & sanguine suo verè in

Zz 3 Cœna

1564.

Vbiquistarum fundamentum præsentiæ corporis Christi.

Cœna præsentem esse, PRIVS quàm verba Cœnæ recitauerint, non video, quomodo effugere queant magicam Papistarum consecrationem. Papisticum, hoc est, Magicum est, his verbis: Hoc est corpus meum, tantam virtutem esse inditam, ut mox ad prolationem eorum, corpus Christi, antea absens in cœlo, fiat præsens, & panis in corpus transsubstantietur. Hoc certè est corpus Christi recitatione externorum verborum de cœlo in terram detrahere, ut quondam Iuppiter conceptis verbis è cœlis eliciebatur. Non est igitur sentiendum, quòd corpus & sanguis Christi, cùm essent antea longissimo ab hinc interuallo absentia, fiant vi verborum in Cœna præsentia: Sed quòd, cum maiestate Christi verè sint nobiscum in Cœna præsentia, annuncietur nobis recitatione institutionis Christi præsentia eorum & distribuantur nobis in cibum & potum, dignis quidem salutarem, indignis autem perniciosum.

Ad hoc respondeant, qui Christi corpus in pane Eucharistico tantùm præsens esse substantialiter statuunt, non in quolibet pane pistoris.

3 Brentius falsò definit unionem personalem duarum naturarum in Christo.

Tertiò, falsò definit Vnionem personalem duarum naturarum in Christo. Nam Pag. 16. sic scribit: Incarnationem Domini nostri Iesu Christi, seu personalem Filij Dei cum filio hominis unionem, vocamus coniunctionem Diuinæ & humanæ naturæ in Christo, quarum altera quidem non mutatur in alteram, nec altera cum altera commiscetur: sed ita sunt unitæ, ut etsi utraque maneat salua & inuiolata: tamen nunquam in æternum separentur, aut dissoluantur, nec constituant duas, sed unam tantùm personam, in qua diuina natura EFFVNDIT OMNEM SVAM MAIESTATEM in humanam naturam, & ornat eam omni cœlesti suâ virtute, gloriâ, honore ac dignitate, ut verè dicatur, & sit totus Deus homo, & totus homo Deus. *Hæc definitio Vnionis sumpta est ab Effusione maiestatis diuinæ in humanitatem, quam alioqui nominant Vbiquistæ Communicationem realem omnium proprietatum. Ibidem Pagina 22.* Quid profuerit semper in ore circumferre ac vociferari, Deum & hominem unam personam esse in Christo: aut filium Dei cum filio hominis personaliter esse unitum: & interim vim horum verborum aut ignorare, aut quod detestabilius est, negare? Cùm ergo dicitur, quòd Deus seu filius Dei assumpserit aut uniuerit sibi hominem, seu filium hominis personaliter, non id solùm significatur: quòd Deus substantiâ seu essentiâ suâ existat in homine, & conferat aliquot DONA sua in hominem (sic enim dici potest, quòd Deus uniuisset sibi personaliter, non tantùm semen Abrahæ, aut filium Mariæ virginis, verumetiam quemvis hominem, imò quamvis creaturam: Implet enim cœlum & terram, & confert sua peculiaria dona in quamvis creaturam) sed illud propriè significatur, quòd Deus ita se coniungat & uniat cum homine, ut in ipsum omnem suam maiestatem conferat, neq; cum uno tantùm & altero, aut etiam multis, sed infinitis adeoque OMNIBVS inquam suis cœlestibus ac divinis DONIS ORNET. Quod beneficium nulli creaturæ alteri, ac ne Angelicæ quidem, sed soli semini Abrahæ, quod est Iesus Christus Dominus noster, contigit. *Hic non agnoscit Brentius in Christo personam unam esse, nisi in carnem sint collata omnia dona divina. Si verò Vnio in communione donorum posita est, etiam Sancti sua modo Dei erunt, quibus multa & ampla dona à Deo conferuntur. Nunquam verò toto genere differre ostendi potest, quæ solâ quantitate mensura differunt. Ibidem pag. 29.* Hic jam versamur in proprio statu huius controversiæ: Num incarnatio Christi seu unio personalis eò se extendat, ut filius Dei effuderit in filium hominis OMNEM SVAM MAIESTATEM, videlicet omnipotentiam, omniscientiam, omnijustitiam, omnipræsentiam, & omnifœlicitatem. Et num humanitas Christi sit tantæ maiestatis, ita capax, ut si eam acceperit, mutetur in Divinitatem, aut prorsus aboleatur. *Et seq. pag. 30.* Affirmo igitur personalem unionem in Christo tam latè patere, ut Divinitas non tantùm unam & alteram suæ maiestatis, sed omnem suam maiestatem in humanitatem Christi conferat. Quod rectè communicatio Idiomatum, id est, proprietatum vocatur. Nego autem & iterum nego, adeoque pernego, quòd humanitas Christi hac communicatione aut mutetur in Divinitatem, aut prorsus aboleatur. *Et pag. 110. & 111.* Incarnatio ideo dicitur mysterium ineffabile, non quòd Deus sit in homine Christo, sic enim conditio cuiusvis hominis dicenda esset mysterium ineffabile: ut certè est miraculum non inter extrema ponendum: sed quia Deus, qui est naturâ suâ infinitus, assumpsit hominem, qui est naturâ suâ finitus in eandem personam, & ornavit eum DONIS infinitis, inter quæ & illud continetur, quòd extulerit eum hominem in summam altitudinem & celsitudinem, quæ nihil aliud est, quàm omnipræsentia, & omnium rerum gubernatio. *Pagina 261.* Manifestum est, quòd cùm filius Dei assumpsit humanitatem in Deum, extulerit ipsam in eam celsitudinem, in qua fuit Divinitas eius. Nisi enim in tantam celsitudinem fuisset elata, non rectè diceretur, Verbum factum fuisse carnem, aut unionem

Sic Schwenckfeldius negat se tollere essentiam carnis: quam tamen vult maiestatem paternam naturæ divinæ accepisse.

Dona illa non faciunt hominem Christum Deum, sed tantùm divinum.

nem duarum naturarum factam esse personalem.

4. Brentius sinistrè interpretatur vocabula quibus Veteres descripserunt unionem personalem.

Quartò sinistrè interpretatur vocabula, quibus vetus & orthodoxa Ecclesia usa est in descriptione Vnionis personalis. Nam pagina 22. *discernit* Vniri simpliciter, & personaliter: ut Vniri simpliciter ei significet idem atque implere aliquid sua essentia, atque aliquot præterea dona conferre. Vniti autem personaliter significet ei, implere quoque sua essentia, sed præterea *omnibus suis donis aliquid ornare. Verba eius paulò antè sub titulo definitionis Vnionis personalis citata sunt. Pag.* 22. Quid profuerit, &c.

5. Gradus præsentiæ Dei in creaturis confundit Brentius.

Quintò, Gradus præsentiæ Dei in creaturis confundit. Nam pog. 18. Sicut, *inquit* Christus, constat ex duabus naturis, divina videlicet & humana: ita negari non potest, quin & alij homines CONSTENT suo quodam modo ex his duabus naturis, idque inseparabiliter. Homo enim, quisquis is fuerit, dum manserit homo, & non redigatur in nihilum, eâ est conditione, ut humana eius natura à divina nunquam deseratur ac separetur. *Et postea*: Habes igitur in QVOVIS HOMINE utramque naturam, divinam videlicet omnia implentem, & humanam, à divina sustentatam, & conservatam. Hoc certè non est oscitanter considerandum. *Pag. seq.* 18. In omnibus hominibus VNITÆ sunt idque indissolubiliter divina & humana natura. *Pag.* 41. Discrimen Christi & Petri non est simpliciter sumendum ab inhabitatione filij Dei, sed à communicatione proprietatum eius. Filius enim etsi essentiâ suâ implet Petrum, sicut & hominem Christum, non tamen communicat Petro omnes suas proprietates, sed tantùm nonnullas, viuificat Petrum, conservat Petrum in vita: dat Petro potestatem ejiciendi Dæmones, imò etiam excitandi mortuos. Interea autem non facit eum omnipotentem, omniscientem, omnisapientem, omniiustum, omnipræsentem. Filium verò hominis assumptum ex Maria virgine ornat non aliquibus tantùm, sed VNIVERSIS suis donis, & communicat ipsi OMNES suas proprietates. *Pag.* 18. Diuinitatem æternam habet Christus COMMVNEM cum omnibus hominibus: Imò cum omnibus creaturis.

6. Brentius corrumpit veram doctrinam de unione hypostatica, divinitate Christi, & discrimine eiusdem ac aliorum hominum.

Sextò, doctrinam Ecclesiæ orthodoxæ de Vnione hypostatica: & de vera divinitate Christi; & de discrimine Christi & aliorum hominum horribiliter corrumpit. Sic enim scribit pag. 39. *&* 40. Quod est inter Christum & Petrum discrimen? uterque enim est homo, & in utroque est Deus. Dicis? Illud est discrimen, quòd Christus non tantùm sit homo, verùm etiam Deus. Petrus autem tantùm sit homo, & non Deus. Rectè: sed ut meliùs, quæ dicis, intelligam, age recenseamus quæ habent inter se communia, & quæ peculiaria: ut cognoscamus, qua in re consistat discrimen. In Christo inhabitat divinitas, eaque tota secundùm essentiam, potentiam, & præsentiam. Sed & sic tota inhabitat in Petro. Vbicunque enim Deus est, ibi totus est, quippe qui sit simplicissimus, nec dividatur in partes, ut pars Dei sit in Petro, pars in Philippo, pars in Bartholomæo. *Est quidem in Christo & Petro Deus: sed non est Petrus homo & Deus, sicut Christus est. Est Christus Deus est, quia in ipso natura divina unita est humana: cùm in Petro, quod personam eius attinet, tantùm sit una natura, videlicet humana. Ibidem*: Non potest igitur hac ratione inter Christum & Petrum discrimen esse, ut dicamus Christum hominem esse Deum, Petrum autem non esse Deum. *Est quidem diuinitas tota in Petro: sed non constituit cum Petro unum hyphistamenon. Rursum* Deinde Christus edidit multa miracula, sanavit leprosos, cæcis visum reddidit, paralyticos restituit sanitati, ambulavit super mare, sicut super aridam, denique excitavit mortuos. Sed edidit etiam Petrus magna & multa miracula, sanavit claudum ad templum jacentem, ambulavit super mare, restituit ægrotos sanitati umbra corporis sui, adeoque excitavit & ipse mortuos. Et edidit hæc miracula potentiâ diuinâ, eaque non longè absenti, sed omni præsenti, quemadmodum antea ostendimus. *Petrus autem non propriè edidit miracula, sed alius per eum, videlicet Christus: Christus autem non per alium, sed per seipsum, cùm non tantùm homo, sed etiam Deus sit. Item*. Non igitur ne hac quidem ratione discrimen est inter Christum & Petrum, ut dicamus illum esse Deum, hunc autem non esse Deum. *Divinitas autem faciens miracula adest Petro per assistentiam, non per unionem personæ. Et mox*: Præterea Christus vidit futura; Sed & Petrus vidit futura & vaticinatus est, sicut & multi Prophetæ. Vide Epistolam Petri & Act. 5. Ergo nec hac ratione fit, ut Christus sit Deus, non autem Petrus. *Christus verò non alterius, sed suâ ipsius vi omnia scivit. Petrus verò alio reuelante. Alius est enim, Deus in Petro agens: alius Petrus. In Christo verò aliud quidem est divinitas reuelans, aliud humanitas cui fit reuelatio: sed non est alius qui reuelat, ab eo cui reuelatur. Item*: Adhæc Christus mortuus & sepultus resurrexit à mortuis, & ascendit in cœlum. Sed & Petrus resurget à mortuis, & ascendet in cœlum, sicut Paulus ait: Rapiemur in occursum Domini simul cum

1564.

1564.

illis in nubibus. Et quod admirabilius est, Petrus jam corpore suo in pulverem redactus, & in myriades locorum dispersus, aut in formas rerum innumeras, interea dum mortuus jacuit mutatus, resurget tandem à morte, cùm Christus nondum putrefactus, sed membris adhuc integris à morte resurrexerit: vt illud in Petro penè admirabilius, quàm hoc in Christo videatur. *Non de Petro, sed de Christo tantùm inquit Paulus Rom. 1. quòd declaratus sit Filius Dei, ex eo quòd à morte resurrexerit. Et Christus de se inquit: Habeo potestatem accipiendi animam meam. Hoc verò Petrus de se dicere non potest. Rursus:* Dicis, Christus resurrexit à morte, suâ ipsius virtute. Petrus alienâ. Imò sicut Christus excitatus est divina virtute, ITA resurget etiam Petrus divina virtute. Eaque non absenti, sed omnino præsenti, NEC MINVS ipsi, quàm Christo intimè præsenti, eaque tota præsenti, quòd ubicunque est divinitas, ibi sit tota. Quare ne hac quidem ratione dici potest, quòd Christus, non autem Petrus sit Deus. Dicis Christum idcirco esse Deum, non Petrum, quòd natus sit ex virgine, absque peccato, neque peccatum unquam fecerit. Sed si hac ratione constaret discrimen, tunc multò magis Adam esset Deus, & Eva Dea: quòd ille creatus sit manibus Dei è pura terra: Eva autem è costa viri, absque omni peccato. Quod certè mirabilius videtur, quàm quòd Christus conceptus sit è Spiritu S. in muliere, virgine quidem, muliere tamen ad generationem apta: cùm limus terræ ex quo Adam creatus est, non fuerit natura sua ad generationem aptus. *In conceptione Christi hoc fuit summum miraculum, quòd λόγος in illa conceptione factus est caro. Id dissimulat Brentius in ista collatione. Denique inquit:* Christus vidit absentia, vidit & Petrus absentia Act. 2. sicut & Elisæus. *Et postea.* Reliquum est igitur, quòd cùm Evangelista de Christo inquit: V. C. f. e. non sentiat filium Dei simpliciter habitare in filio hominis, quem ex Maria virgine assumpsit, sed ITA in eo habitare, vt eehat ipsum vnà secum in divinam maiestatem, & effundat in eum OMNES SVAS PROPRIETATES. *Differentia autem hominis Christi & aliorum sanctorum, non rectè à Brentio constituitur in effusione proprietatum divinarum.*

7. Brentius realem communicationem idiomatum in ipsis naturis fingit.

Septimò, realem communicationem Idiomatum in ipsis naturis fieri fingit. Nam pag. 30. sic scribit: Affirmo personalem duarum naturarum Vnionem tam latè patere, ut Divinitas non unam & alteram partem suæ maiestatis, sed omnem suam maiestatem IN HVMANITATEM Christi conferat: Quod rectè communicatio Idiomatum, hoc est, proprietatum vocatur. *Pag.* 42. Tu quidem Cingliane ita astringis, quòd filius Dei communicet filio hominis eas tantùm proprietates, quarum capax est: ego verò paulò antè ostendi eum factum esse OMNIVM Dei proprietatum SINE VLLA EXCEPTIONE capacem, & nisi eam habeat capacitatem, non esse discrimen inter Christum & alios homines. Nec Verbum fieri potuisse carnem. *Et pag.* 114. Discrimen inter Christum & alios homines non constat propriè inhabitatione filij Dei in filio hominis, sed communicatione Idiomatum, hoc est divinarum proprietatum, quibus filius hominis ab inhabitante filio Dei ornatur, seu præ consortibus suis, juxta Scripturę verba, vngitur. *Ergo Christus homo & Deus, & cæteri homines, non toto genere, sed tantùm secundum plus & minus differunt. Et paulò post:* Non potest obstare divinæ maiestati, angustia humanæ naturæ, quò minùs fiat augustissimum RECEPTACVLVM omnium cœlestium & divinorum beneficiorum.

8. Brentius duplicem statuit divinitatem in Christo &c.

Octavò, duplicem statuit Divinitatem in Christo, & falsò asserit, quòd homo Christus dicatur Deus respectu effusionis proprietatum divinarum in carnem assumptam. Nam pag. 16. sic scribit: In Incarnatione divina natura effundit omnem suam maiestatem in humanitatem, & ornat eam omni cœlesti sua virtute, gloria, honore, ac dignitate, ut verè dicatur & sit totus Deus homo, & totus homo Deus. *Pag.* 23. Christum dicit Immanuelem vocari, quia in nullum alium, præterquam in hunc hominem ex virgine assumptum, omnem Divinitatis suæ thesaurum Deus contulerit. *Imò collatio illa donorum in naturam humanam Christi, non efficit, ut Christus homo sit Deus, sed θεοφόρος & θεῖος. Ibidem pag.* 39. Filius Dei filium hominis ita assumpsit, ut effundat in eum & communicet ipsi omnem suam maiestatem: adeoque faciat eum (non tamen mutando, sed ornando substantiam eius) verum Deum, quo confidamus & perpetuò servemur. *Pag.* 81. Firmum adhuc & fixum manet, quòd Christus filius Dei, maiestate Divinitatis NON SOLVM ÆTERNÆ ISTIVS, quam habet à Patre suo ab æterno, & quam habet communem cum OMNIBVS CREATVRIS, SED ETIAM ILLIVS, quam filio hominis in unam personam assumpto, in tempore plenitudinis communicavit, impleat non mille tantùm, aut duo millia locorum, sed Cœlum & terram. *Manifestè hic Brentius duplicem divinitatem statuit in Christo. Profanum autem hoc est quod dicit, divinitatem æternam communem esse*

Veteres hoc aliter intellexerunt: Totus homo Deus.

esse Christo & omnibus creaturis : Sequeretur enim hinc, quod dictu horrendum est, habere Christum Divinitatem horrendam communem etiam cum ipsis malis spiritibus. Ibidem pag. 142. Malè detorto Nazianzeni dicto: Verumq; Deus tam assumens, quàm assumptum: duplicem considerationem esse ait de Christo. Alteram de Deo assumente, id est, æterno & creatore omnium rerum, visibilium & invisibilium. Alteram de Deo quem Nazianzenus nominat assumptum, cùm loquimur inquit, de homine, quem filius Dei sibi in utero virginis univit, non conversione divinitatis, vt Athanasius loquitur in carnem, sed assumptione humanitatis in Deum, IVXTA QVAM dicimus hominem illum esse Deum. *Athanasius verò assumptionem humanitatis in Deum intelligit de Vnione : Brentius autem de exaquatione carnis cum divinitate, quod ad proprietates attinet. Et mox :* Assumi enim in Deum non aliud est, quàm in cœlesti & divina gloria collocari. *Et pag.* 268. Qui negant Christum hominem esse omnipotentem & omnipræsentem: Eos etiam negare dicit eum esse Deum. *Hinc satis apparet, Brentium statuere Christum Deum, non quia ipsius Filij Dei hypostasis hanc carnem sibi propriam fecerit : sed quia homo ille sit exornatus omnibus proprietatibus divinitatis in se receptis.*

9. Brentius depravat veram doctrinam de adoratione Christi Dei & hominis.

Nonò, depravat in hoc libro orthodoxam doctrinam de vera adoratione Christi Dei & hominis. Nam pagina ducentesima sexagesima prima sic scribit : Non potest Christus homo adorari & invocari (quod fit Spiritu & veritate) nisi fuerit omnipotens, ac intueatur in mentem adorantis, & scrutetur corda & renes. Quid enim causæ est, quòd Petrus non adoretur, nec Paulus invocetur, nisi quòd non sint omnipotentes, ac præsentes cordium inspectores & scrutatores : Quare si Christus homo adoratur & invocatur, certè omnipotens & præsentissimus cordium scrutator sit necesse est. *Hominem vocat Brentius ipsam humanitatem. Hanc sentit adorandam esse, quia sit ornata omnibus divinæ naturæ proprietatibus.*

10. Sinistrè explicat articulum fidei. Brentius de ascensione.

Decimò, sinistrè interpretatur articulum Fidei de Ascensione Christi ad Cœlos. Sic enim scribit pagina centesima decima octava. Credo firmiter & ingenuè confiteor, Dominum nostrum Iesum Christum ascendisse post Resurrectionem suam à mortuis mirando spectaculo in monte Oliveti, videntibus omnibus, qui coràm præstò adfuerunt, in altum, donec nubes eum exciperet, & ab oculis eorum subduceret. Quare quod ad hunc historicum, externum, & visibilem ascensum Christi attinet, nulla est quod ego sciam, controversia. Illud autem quæritur, de illo controvertitur: Num Christus, postquam subductus est ab oculis Discipulorum, ascenderit eâ formâ, qua à monte Oliveti usque ad nubes pervenit, à nubibus Physico progressu, per reliquum aëris, per sphæram ignis, per sphæram planetarum, per firmamentum stellis insignitum & per aquas superiores vsque ad Cœlum illud quod vocant Empyreum, *& cætera. Ascensionis nomen propriè accipit Brentius, eatenus, ut respectu Oeconomiæ seu dispensationis suæ, quam fingit : significet ex inferiori loco in superiorem physicè transire : Sed hoc dicit tantum externum spectaculum fuisse, quo voluerit Dominus ex oculis discipulorum se subducere, vt deinceps invisibiliter omnipræsens esset. Deinde illum ascensum non usque ad cœlos ipsos extendit, sed nubium spatiis terminat. Et cœlum vult dici æternam gloriam & felicitatem. Item :* Num eâ formâ semper in cœlis sit, quâ è monte oliveti vsque ad nubes est elevatus, donec ex eo cœlo iterum vsque ad nubes in extremo die, judicaturus vivos & mortuos, physico progressu descendat, & absoluto judicio, cò cum sanctis suis revertatur. *Pag.* 161. Cùm post externum & visibile ascensus Christi spectaculum dicitur, Christum cum corpore ascendisse, & assumptum in cœlum, significat, Christum jam non ampliùs ducere vitam in his terris externam, corporalem, familiarem, pro huius mundi ratione, qualem duxit, cùm vel officio docendi in hac terra inter Iudæos fungeretur, vel à resurrectione per 40. dies familiariter cum suis discipulis conversaretur: sed ducere cœlestem vitam in summa maiestate & beatitate. *Et mox citata Petri dicto Act. 3. Oportet Christum accipere cœlum*: Christus accepit verum cœlum, quod est cœlestis vita, cœleste regnum, cœlestis maiestas, vt jam non ampliùs in terris ambulet humano more, sed ducat vitam in regno Dei Patris cœlesti more. *Pag.* 144. Hoc verè est Christum esse in cœlo, videlicet, non in fictitio cœlo corporali seu physico modo commotari, sed in omni cœlesti gloria, tam in hoc corporeo cœlo stellis insignito, quàm in hac terra, adeoque in tota rerum Vniversitate versari, & omnia coràm gubernare. *Et mox :* Christus ita corpore suo est in cœlo, vt nusquam non coram essentia & maiestate sua cœlesti dominetur. *Pag.* 215. Suprà in cœlo esse, cùm sermo fit de regno & maiestate Christi, non significat Christum loco ita esse circumscriptum, vt non possit corpore suo, simul esse in cœlo & in terra: sed significat Christum non agere ampliùs externam & mundanam vitam inter homines

Cœlum interpretatur propriè pro vita cœlesti.

1564. homines, agere autem cœlestem vitam, gubernare cœleste regnum, idque non absentem in aliquo certo fictitij cœli loco, sed coràm, tam in hoc cœli firmamento, quàm in terra pro ratione cœlestis suæ maiestatis & omnipotentiæ præsentem. *Et pag.* 249. Verum quidem est, quòd quoties Christus à Resurrectione & ascensione eius in cœlum, apparet, rectè è cœlo apparere dicatur. Non enim agit ampliùs in his terris terrestrem vitam, sicut egerat ante mortem & resurrectionem suam, sed agit cœlestem vitam. Illud autem non est verum, quòd quanquam est verè in cœlo, hoc est in regno & vita cœlesti, non tamen etiam sit & appareat Paulo, existens verè in hac terra, vt simul sit in cœlo & in terra. *Et mox :* Habes luculentum testimonium, quòd Christus cum vero suo corpore non tantùm sit in cœlo, quod nunquam deserit, sed etiam in terra, in qua vt omnipotenter dominatur, ita aliquoties sese verè externâ specie Paulo præsentem patefecerit, & aut consolatus sit eum, aut mandata dederit.

11. Brentius depravat articulum de Sessione ad dexteram Patris.

Vndecimò, depravat etiam articulum de Sessione ad dexteram Patris. Sic enim scribit pag. 209. Etsi Christus ab externo spectaculo ascensus sui in cœlum dicitur consedisse ad dexteram Patris sui omnipotentis: tamen veritas huius rei non tum primùm facta est, cùm Christus ascendit visibiliter in cœlum & misit discipulis Spiritum sanctum: Sed cùm Verbum caro factum est, & assumpsit humanitatem in Deum, Revelatum autem est & comprobatum, cùm Christus resurrexit à mortuis, & divulgavit misso Spiritu sancto Evangelium suum in universum terræ orbem, revelabitque adhuc clariùs, cùm ostensurus est maiestatem suam in extremo die, & suscepturus ad se universam suam Ecclesiam in omnem æternitatem & felicitatem: *Et pag.* 215. Si Christus humanitate suâ (de huius enim exaltatione & maiestate fit in præsentia sermo) sedet ad dextram maiestatis & omnipotentiæ Dei Patris sui, manifestum est, quòd ubicunque fuerit maiestas & omnipotentia Dei, ibi sit quoque Christus humanitate suâ. Maiestas autem & omnipotentia Dei implent cœlum & terram. Ex quo perspicuè consequitur, quòd & Christus verus Deus & verus homo, omnia, tam cœlum quàm terram maiestate suæ divinitatis pro ratione dexteræ Dei impleat, & coràm præsentissimus gubernet. *Hoc loco Brentius putat, Sedere ad dextram, idem esse atque cœlum & terram implere humanitate suâ, & omnibus creaturis coràm, id est, corpore omnipræsenti præsentem esse.*

Humanitatem Christi fingit statim in conceptione sedisse ad dexteram Patris.

12. Brentius falsò interpretatur articulos de cœlo & inferno.

Duodecimò falsò interpretatur Articulos de cœlo & inferno. Nam pag. 129. *inquit:* Bullingerus, sicut affirmat cœlum suum esse corpoream sedem: ita non concedit esse vbique aut immensum, sed collocat super hunc mundum in locis excelsis. Quod igitur de Vbiquitate sui cœli negat, habet certè reum confitentem, fateor enim ingenuè, tantùm abesse, vt cœlum suum sit vbique, vt planè dicam, nusquam in tota rerum natura esse. Prorsus enim fictitium est, neque vnquam fuit, neque vnquam erit. *Pag.* 141. Quid Deus sit de ipso, quoquo modo possumus, loquendum est, aliud fuerit, quàm summum gaudium, summa lætitia, summa felicitas, summa beatitudo, & si quid aliud huius excellentiæ dici potest: Hæc autem non sunt, nisi cœlestia bona, imò cœlum ipsum. Vbicunque igitur fuerit Deus, ibi suum secum habet cœlum, hoc est, in summa est beatitudine & felicitate. *Et mox:* Cùm Deum dixeris: æternum bonum & summam felicitatem, ae verum cœlum dixeris: vt negari non possit, quin vbique fuerit Deus, siquidem propriam eius naturam in se considerave-ris, ibi etiam verum cœlum esse necesse sit. Nec mirum. Augustinus dicit, Diabolos, suum secum circumferre infernum. Quomodo ergo Deus non circumferret secum suum cœlum? *Pag.* 146. Christum in cœlum abire interpretatur, pro abire ad beatitudinem cœlestem apud Patrem Deum. *Et pag. seq.* Sanctos, *inquit*, in cœlo esse, id est, apud Patrem in beatitudine. *Et pag.* 152. Qui verè pij sunt, sciunt nobis promitti tam excellens cœlum, tam sublimem beatitudinem, tam insignem felicitatem, ut nullis humanis sermonibus in hoc seculo exprimi, nullis auribus percipi, nullo corde concipi aut cogitari queat: *Ita vbique confundit disparata. Sunt enim quæstiones distinctæ: Quid nomine cæli intelligatur: & quale sit. Et quanquam non separandum, tamen distinguendum est domicilium felicitatis à felicitate cælesti. Ibidem*, Cœlum, *inquit*, vbique esse fingit, Cœlum, *ait*, est domus Patris. Ea verò non est cœlum Empyreum, sed est cœlum incorporeum & spirituale, quod & cœleste regnum dicitur, & quod nec locis nec locorum spatiis seu intervallis, sed maiestate Dei definitur. *Et mox :* Absurdum tibi videtur cœlum esse ubique. Multò etiam absurdius videtur, Diabolos quoque esse in cœlo. Et nugaris nescio quæ, quis cupiat esse in cœlo, in quo etiam sunt Cacodæmones? Nec cogitas quid tibi reddi possit. Quis cupiat esse cum illo Deo, qui est etiam in inferno? *Pag.* 155. Domus Dei Patris non definitur intervallis locorum, aut corporalibus

Confitendit ista: Deum esse, & Deum in cælo esse, item, cælum ipsum, quod est thronus Dei, & essentiam Dei.

Quomodo ergo dicat Christus, sē a. ibi locum nobis parare? Si domus Dei, vel cœlum ubique est.

ralibus mansionibus, sed maiestate Dei, ut ubicunque Deus maiestate suâ regnat, ibi sit domus eius, quæ est cœlum incorporeum & spirituale ac cœleste regnum. *Pag.* 171. *Ad excusandam absurditatem locutionis, quòd infernus etiam in cælo sit:* Si per cœlum, *ait*, cœleste gaudium intelligitur, & æterna beatitudo, quâ Christus & beati fruuntur, rectè dicitur, infernum, hoc est, inferni dolores, inferni horrores non esse in cœlo. Si autem per cœlum intelligitur generaliter cœleste regnum, quod universam Dei dominationem in cœlo, in terra, & in inferno complectitur, negari certè non potest, quin hoc modo rectè dicatur, infernum esse in cœlo, id est, contineri in manu & potestate Domini Dei nostri, cuius regnum non est corporale, sed spirituale, non est terrenum, sed cœleste. *Nusquam verò Scriptura regnum cæleste vocat præsentiam Dei universalem. Imò Christus expressè tenebras exteriores nominat Inferos, easque extra regnum cælorum collocat. Ibidem pag.* 188. Manifestum est, quòd diaboli, ubicunque fuerint, circumferant secum, ut Augustinus dicit, infernum. Dicit quidem Petrus, quòd diaboli sint præcipitati in terram, & vincti catenis noctis, expectantes judicium Dei. Non est autem sentiendum, quòd sint in talem carcerem conclusi, qualem picturæ adumbrant, sed quòd ubicunque fuerint, sive in exercitu cœlesti, de quo in historia Achab, sive inter homines in terris, sive in abysso, semper careant cœlesti luce ac felicitate, & expectent eum summo tremore & horrore æternum supplicium. *Et mox:* Vbicunque fuerint vel diaboli, vel homines post hanc vitam damnati, vel etiam tentati de æterna sua damnatione in hac vita, ibi infernus sit necesse est. *Et paulò post:* Quia infernus localis est fictitius, idcirco impij eò nec ascendunt nec descendunt. Si autem loquendum est de vero, spirituali & æterno impiorum inferno: impij nunquam ascendunt, sed semper & perpetuò descendunt. Hic enim infernus non definitur corporali loco, ad quem corporali accessu sit accedendum, sed definitur horribili odio Dei, tristitiâ, desperatione, blasphemiis, execrationibus ac perpetuis angoribus & inæstimabilibus suppliciis. Similiter etiam descendere non definitur corporali & physicâ loci mutatione; sed spirituali deiectione, oppressione & conculcatione. Itaque sicut diabolus, etiamsi versatur in exercitu cœli, tamen semper descendit, & est in inferno, quia semper proiectus in extremam infelicitatem: Ita & impius, quocunque in loco, sive excelso, sive

Cur igitur Christus in infernum descendisse, in cœlum verò ascendisse dicatur?

Confusio locutionis metaphoricæ cum propria.

infimo constiterit, semper descendit ad infernum, & perpetuò in eo hæret. *Et pag.* 190. Cœlum certè quærendum est ubicunque Deus fuerit Pater, hoc est, exhibeat se propitium, clementem, misericordem, felicem & beatum. Quid enim cœlestium bonorum deest, ubi Deus Pater effundit thesaurum suæ clementiæ, gratiæ ac felicitatis? Et quia gratia Dei effundit se iugiter per universum orbem terrarum: ideo fatemur etiam cœlum non illud Empyreum, fictitium, sed cœlestem felicitatem expandi, esseque per universum orbem terrarum, ubicunque fuerint pij & credentes in Christum. *Pij ubicunque fuerint, sciunt se in Deo habere felicitatem suam: sed nondum propterea in cælo sunt. Non enim hic habent sedem stabilem. Et peregrinantur adhuc à Domino. Et pag.* 193. Sicut dictum est de cœlo, quòd cœlum beatorum sit ubicunque fuerit gratia Dei: Ita etiam dicimus, ibi esse infernum damnatorum, ubi est ira Dei. *Et pagina* 194. Rectè dicitur infernum esse per universum orbem terrarum. *Et mox:* Quid si dicerem, in uno eodemque homine aliquoties simul esse, cœlum & infernum?

Infernus Brentio ubi.

Tertio-decimò docet, corpora glorificatorum esse incircumscripta. Nam pagina 17. Physicam corporis locationem *nominat* proprietatem corporis accidentariam, *id est, qua possit sine interitu eius ab ipso separari. Pag.* 21. Esse in loco, *dicit* accidens esse humanæ naturæ, ut mortalem, aut vestitum esse. Quæ accidunt, *ait*, essentiæ humanitatis (quod genus est, esse mortalem, esse incorruptibilem, esse album aut nigrum. ESSE IN LOCO, esse vestitum, & infinita alia) Ea ut sunt mutationi obnoxia, ita si auferuntur, non abolētur substantia. *Pagina* 123. Cùm corpora beatorum non sint ampliùs in statu futuri seculi animalia, sed spiritualia, habent etiam non mutatâ ipsorum essentiâ in spiritus, illam spiritus conditionem, quòd non ampliùs contineantur alterius corporis superficie. *Ergo corpora clarificata nec oculis cerni ampliùs poterunt, nec sensibus cæteris subiecta erunt; nec magnitudinem, nec staturæ modum, nec lineamenta, nec symmetriam membrorum habebunt. Et pag.* 296. Sicut spiritus non sunt nec temporales nec locales: Ita & corpora spiritualia non erunt nec temporalia nec localia. *Pag.* 54. Loco circumscriptum esse, & de loco in locum ambulare, non est divinæ excellentiæ: sed corporeæ imbecillitatis: non est cœlestis maiestatis, sed terrenæ parvitatis: non est spiritualis pulchritudinis, sed carnalis (siquidem ad cœlestem venustatem cōferatur) deformitatis. *Quodcunque autem corpus humanum*

13. Brentius docet glorificatorum corpora esse incircumscripta.

1564. *humanum est, non potest esse sine dimensionibus & symmetria partium: Ergo qui circumscriptionem adimit corpori Christi: idem Christi carnem spoliat carnis humanæ veritate. Ibid. fol. 55. & 56.* Sicut magnum, parvum, longum, breve, altum, profuodum, superum, inferum: ita loco circumscriptum & finitum, vocabula sunt non spiritualis & cœlestis, sed huius nostri corporalis mundi. *Et mox:* Vt temporis, ita & loci distinctiones in hoc mundo sunt solo, & cum mundo genitæ, antè aut extra illum nullæ sunt. Quare etiamsi humanum corpus habet suam in hoc mundo circumscriptionem, & loco continetur: tamen si contuleris te cum corpore aut ad cœlestem maiestatem, aut ad spiritualem mundum, nihil tibi negotij est cum loco & corporali circumscriptione. *Corpora autem resuscitata vocantur spiritualia, non quòd substantia corporum habitura sit proprietates specificas essentiæ spiritualis, id est, quòd sine symmetria membrorum, sine circumscriptione, sine magnitudine certa, futura sint: sed quia non amplius vitâ physicâ, sed spirituali vivent: id est, non nutrientur, non gignent, sed immunia à corruptione, & exempta mutationibus alterationum, & ornata immortalitate, virtute nouâ ardebunt spiritu vivificante. Et pagina ducentesima quinquagesima secunda.* Figmentum & mendacium est, quòd Christus versetur in regno suo cœlesti, & ad dexteram Dei Patris sui omnipotentis corporaliter, hoc est, corporali & locali modo, adeoque eâ externâ formâ seu figura, qua se Paulo prò ipsius captu, per Oeconomiam seu per condescensum & indulgentiam ostendit.

14. Brentius depravat locum Ioan. 1. Verbum caro factum est.

Quarto-decimò, depravauit locum Ioannis primo capite. Verbum caro factum est. Sic enim scribit pagina trigesima nona. Verbum caro factum est, nihil aliud significat, quàm quod filius Dei filium hominis ita assumpserit, ut effundat in eum, & communicet ipsi omnem suam maiestatem: adeoque faciat eum (non tamen mutando, sed ornando substantiam eius) verum Deum, quo confidamus & perpetuò servemur. Cùm igitur dicis: Verbum caro factum est, illud dicis: Æternus filius Dei assumendo carnem seu filium hominis ex Maria virgine, in personam unam, non simpliciter implet eum, sicut alios homines: nec communicat ei tantùm aliquam maiestatis suæ partem, sicut aliis hominibus: Sed ita eum implet, ut communicet cum eo omnem suam potentiam, sapientiam, scientiam, fœlicitatem & præsentiam. Nisi enim hæc sit sententia, non habebis inter Christum & alios homines discrimen. *Incarnationem* ...

Patres quomodo locum Ioan.

... *tem Filij Dei ex hoc dicto Ioannis, Scriptura & Orthodoxi Patres sic explicant, ut Verbum carnem factam esse, idem sit, atque Deum in carne manifestatum esse: aut Filium Dei formam servi assumpsisse: aut Deum factum esse hominem: Brentius autem cum suis tantùm de eo quærunt, Quomodo homo sit Deus factus, id est, quomodo transfusione proprietatum divinarum, humana natura facta sit omnipotens, omnisciа, omnipræsens, & cætera. Et rursus pag. quadragesima prima, post longam collationem Petri & Christi:* Reliquum est, *inquit*, quòd cùm Evangelista de Christo scribit: Verbum caro factum est, non sentiat, æternum filium Dei simpliciter habitare in filio hominis, quem ex Maria virgine assumpsit, sed ita in eo habitare, ut evehat ipsum unà secum in divinam maiestatem, & effundat in eum omnes suas proprietates. *Monstrosa sunt hæ locutiones, Filium Mariæ à Filio Dei impleri. Et Filium Dei assumpsisse filium Mariæ, seu filium hominis. Collatio vero omnium donorum in humanitatem Christi, non efficit, ut Christus homo sit Deus, sed θεοφόρος & θεῖος, hoc est homo divinus. Et hoc modo differt Christus homo à cæteris hominibus non toto genere, sed gradibus diversis in eodem genere.*

1. cap. Verbum caro factum est, interpretati sint.

15. Brentius corrumpit locum Col. 2.

Eodem modo corrumpit etiam locum Pauli Col. 2. *In ipso habitat plenitudo Deitatis corporaliter. Sic enim scribit pag. 43.* Loquitur hic Paulus de humanitate Christi. In ipso videlicet homine Christo. In æterna enim divinitate, qua filius Dei seu λόγος est una essētia cum Patre & Spiritu S. non dicitur habitare deitas. Quid enim absurdius esset dictu? Præterea non fit hic sermo de vulgari seu generali inhabitatione deitatis in homine. Nam si hæc respexeris, plenitudo deitatis non minùs habitat in Petro, quàm in Christo, Quippe quòd deitas sit res simplicissima, & ubicunque fuerit, (implet autem non Petrum tantùm, sed & Cœlum & terram) ibi tota sit & perfecta: sed fit sermo de personali inhabitatione, hoc est, de inhabitatione eius deitatis, quæ per filium Dei, seu τὸν λόγον, filio hominis communicatur. *Sensus autem horum verborum Pauli genuinus est, non quòd humanitas in se acceperit omnem maiestatem divinam, id est, quòd facta sit omnipotens, omnipræsens, &c. sed quod in Christo sit non tantùm humana natura visibilis, sed præter hanc sit in ipso substantia alia, videlicet λόγος, qui essentialiter Deus est. Hic λόγος in humana natura assumpta habitat corporaliter, hoc est, sic ut una persona sint λόγος & natura assūpta. Et pag seq.* Corporaliter, hoc est, non umbraliter, sicut in aliis creaturis. Nulla est enim creatura tam abiecta, cui non communicetur aliquid deitatis, & in qua Deus non adumbret quip-

quippiam suæ maiestatis ac proprietatis. In homine autem Christo non adumbratur aliqua tantùm pars deitatis, sed deitas absoluitur in eo perfectissimè, hoc est communicatur in omni sua plenitudine. In omni autem & perfecta Dei plenitudine continetur non tantùm omnipotentia, verùm etiam omnisapientia, omniscientia, omnijustitia, omnifelicitas, & omnipræsentia: Quæ & vno omnipotentiæ nomine comprehendi possunt. *Hæc conferantur cum interpretatione Francisci Dauidis Antitrinitarij in libro contra Petrum Carolinum, vbi locum hunc Pauli sic interpretatur: Vocabulum* Corpus *opponitur umbris Veteris Testamenti, in quibus ex parte ac sub umbris virtus Deitatis splendnit & emicuit, vt explicatur Heb.1. quod significet non in parabolis vel exemplis, sed reipsa.*

16. Brentius deprauat locum Isa.7.

Similiter deprauat pag.23. locum Isa. 7. Vocabitur nomen eius Immanuel. Nullus, *inquit*, Sanctorum vocatus est Immanuel, propterea quòd in nullum alium, præterquam in hunc hominem, quem ex virgine assumpsit, omnem Diuinitatis suæ thesaurum contulerit. *Christus autem Immanuel est, non quia humanitas ornata sit omni maiestate diuina, sed quia in Christo est natura altera æterna, quæ est essentialiter Deus.*

17. Sinistrè interpretatur Brentius locum Matth.9

Denique sinistrè interpretatur verba Christi Matth. 9. Potestatem habet Filius hominis remittendi peccata. Nam pag.34. An-non, *inquit*, remittere peccata est infinitæ potentiæ? At hoc communicatum esse finitæ humanitati Christi non est, nisi planè impius & ἄθεος, qui negare possit. Vt sciatis, *inquit*, Christus, quòd potestatem habeat Filius hominis in terra remittendi peccata, tunc dicit Paralytico: Surge, tolle tuum lectum, & abi in domum tuam. Non ignoro Apostolis quoque datam esse potestatem remittendi peccata: non autem suo, sed Christi nomine. Et quòd ipsi acceperunt ministerio & gratiâ, hoc habet Christus homo authoritate & naturâ, hoc est, iam inde à conceptione & natiuitate suâ. *Loquitur autem Christus hoc loco de se, vt vero remissionis authore. Et concreto voce vtitur, Filius hominis, vt significetur persona. Hinc igitur illud tantùm rectè colligitur, Christum esse Deum in carne manifestatum: cum vnius natura diuina sit, hoc modo remittere peccata. In fine etiam probare vult, Zuinglianos ipsorum sententiam de Cœna Domini mala conscientia oppugnare; non autem alio argumento nititur, quàm quòd hactenus concordiam & pacem cum ipsis facere studuerint.*

Bullingerus respon.

Brentij libro Bullingerus *mox breuem Responsionem opposuit, qua vniuersa Vetustatis orthodoxam de hac re doctrinam totiusque disputationis summam complexus est, ideoque eam inscripsit hoc titulo:* Repetitio & dilucidior explicatio consensus veteris orthodoxæ catholicæque Christi Ecclesiæ, in doctrina Prophetica & Apostolica, de inconfusis proprietatibus naturarum Christi Domini, in vna indiuisa persona permanentibus, adeoque de veritate carnis Christi ad dexteram Dei Patris in cœlo sedentis, & non vbique præsentis. *Ac altera parte huius libelli perstringitur vltimus ille Ioannis Brentij liber inscriptus,* Recognitio.

1564. dit Brentij Recognitioni.

Wirtebergensis Dux interdicit Bibliopolis venditionem librorum Zuinglianorum.

Sexto die Februarij huius anni post concionem publicè in suggestu Tubingæ Principis Wirtenbergensis edictum promulgatum est, quo omnibus Bibliopolis Schuenkfeldianorum & Zuinglianorum librorum venditio interdicta atque prohibita fuit.

Andreæ Musculi horrenda vox.

Andreas Musculus *quoque hoc anno feria quarta septimanæ Magnæ ante Pascha publicè pro suggestu ad populum hæc verba inter alia locutus est.* Hic est Diaboli, qui docet Filium hominis passum & mortuum esse: Et quisquis in hac sententia perrexerit, Diaboli est. Iterum dico: Quicunque docent, Christum secundùm humanitatem tantùm mortuum esse, anima & corpore, Diaboli sunt. Hæc autem vera est sententia, Christum secundùm vtramque naturam, diuinam & humanam, mortuum esse.

Schmidlini Theses de Maiestate Christi

Edidit etiam Iacobus Smidlinus *Theses* 170. *de* Maiestate hominis Christi. *Et Thesi* 19. *inquit*: Humanitas à diuinitate perficitur, quæ realiter suas proprietates humanitati communicat, vt sit non modò viua, sed etiam viuificatrix: non tantùm potens, sed etiam omnipotens: humana inquam natura non sola diuina. *Thesi* 20. *confundit gradus præsentiæ Dei in creaturis.* Neque, *inquit*, imaginanda, neque fingenda est alia Deitas in Christo, quàm in reliquis creaturis omnibus, quo ad οὐσίαν, Diuinitatis præsentia quæ vt in creaturis ἐνεργείᾳ discernitur, quò alia in alijs agat & operetur, ita in Christum tota effunditur vt iam extra ipsum nihil, sed in homine & per hominem Christum omnia in omnibus operetur. *Si verò non aliter Diuinitas in Christo est, quàm in Petro, & quibusuis alijs secundùm οὐσίαν erunt humana & diuina natura non tantùm distincta, sed etiam separata secundùm οὐσίαν in Christo, vt in Petro & quibusuis alijs, hoc est, tam non erit vna persona Christus homo & Deus, quàm Petrus & Deus non est vna persona. Thesi* 21. Atque hæc est communicatio omnis Deitatis de qua Apostolus loquitur Col.2. *Thesi* 22. Quod diuina per essentiam est, id humanæ suo modo per accidens communicatur.

1564. *Falsa definitio vnionis personalis.*

Thesi 23. sinistrè definit Vnionem personalem duarum naturarum. Vnio, *inquit*, hypostatica duarum naturarum in Christo SOLA hac ἰδιωμάτων κοινωνία, quâ videlicet omnis ἐνέργεια in humanam naturam effunditur, definienda est. *Thesi 34.* Quum Diuinitas in vnitatem personæ assumpserit hominem, cuius vnionis ratio ac definitio est plenitudinis Dei communicatio, sequitur ipsam quoque humanitatem Christi vbique præsentem esse.

Atque sic quidem Schmidlinus apertè personam diuidit, proprietates essentiales confundit, διαιρῶν denique operationem vnicam statuit.

Acta Colloquij Mulbrunnensis.

ANno quoque hoc Illustrissimi Pijssimique Principes Fridericus Palatinus Elector, & Christophorus Dux Wirtenbergensis, *moti Christiano & verè pio Zelo ac studio promouendæ veritatis diuinæ, & propagandæ atque conseruandæ piæ concordiæ, mense Aprili, communi consensu Christianum Colloquium, certis Theologis vtrinque designatis, instituerunt, de* Vbiquitate corporis Christi, & de sensu verborum Cœnæ Dominicæ: *Si qua ratio piæ & Christianæ consensionis iniri posset.*

Theologi designati ad hoc Colloquium.

Cæterùm designati fuerunt ad hoc Colloquium Theologi ab Electoris Palatini partibus, Petrus Boquinus, Caspar Oleuianus, Zacharias Vrsinus, Michaël Dillerus & Petrus Dathenus. *A partibus verò* Wirtenbergici *Ducis*, Iacobus Andreæ, Valentinus Vannius, Ioannes Brentius, Theodoricus Schnepfius, & Balthasar Bidenbachius.

Theologi Palatini ægrè in hoc Colloquium consenserunt.

Hoc autem mandato Principum accepto Palatini Theologi, grauibus de causis addubitârunt, an in eiusmodi cum Wirtenbergicis *Theologis Colloquium ipsis esset descendendum; tum quòd recordarentur, quàm exiguo cum fructu etiam antea huius generis Colloquia instituta fuissent, in quibus cùm non vtrique parti veritatem indagare, sed semel conceptam opinionem, siue veram, siue falsam, defendere propositum esset; dissidium auctum, & animi magis exulcerati fuerunt; multi etiam harum rerum imperiti non mediocriter offensi, & aduersarijs calumniandi Euangelij & in idololatria magis magisque perseuerandi data fuit occasio: tum verò præcipuè, quòd ex varijs* Wirtenbergicorum *de hac causa euulgatis scriptis (quibus palàm falsum & cum Verbo Dei directè pugnans & iam pridem ab Ecclesia Christi sacrarum Literarum authoritate confutatum dogma, non sine insigni & grauissimo omnium piorum offendiculo defendant, & veritati tenebras offundant, eosque omnes, qui non statim in eorum sententiam concedant, condemnare & in hæreticis numerare non dubitent) facilè indicare & colligere possint, qualisnam pax & concordia speranda & expectanda esset; pronunciatâ iam in multis ipsorum scriptis sententiâ, & amicitiâ omnibus qui ab ipsis dissentirent renuntiatâ.*

Verùm quum Illustrissimis Principibus, veritatis diuinæ studiosissimis ita visum fuisset, ipsique sui officij esse indicarent, inßis præsertim fortiter & ingenuè veritati testimonium dare, & fidei suæ rationem reddere, cumque sperarent, etiamsi apud hos Theologos hoc Colloquium parùm valeret, fore tamen vt auditoribus cæteris aliquid fructus afferret, quò & diligentiùs de hac re cogitarent, neque tam promptè homines innoxios condemnarent: simul etiam ne causæ suæ diffidere viderentur, adduci se passi sunt, vt cum Wirtenbergicis *Theologis piè & placidè colloquerentur.*

Themata huius Colloquij.

In prima verò Actione, quæ fuit decima Aprilis ita conueniebat inter vtrosque Theologos, vt de his duabus tantùm quæstionibus disputaretur: Primùm, Sint-ne hæc verba Christi, Hoc est corpus meum, &c. accipienda secundùm literam, annon? *Deinde,* An corpus Christi vno & eodem tempore, siue in multis, siue omnibus locis, sit, nec-ne? *Quorum vtrumque Theologi Palatini negabant, Wirtenbergici affirmabãt. Et Palatini quidem de verbis Christi,* Hoc est corpus meum, *&c. priore loco agendum censebant, quòd ea hactenus aduersariorum suorum firmissimum fundamentum fuissent, ad corporalem præsentiam & manducationem Christi in Cœna probandam. Sed quoniam* Wirtenbergici *doctrinam suam de Cœna Vbiquitati superstruunt, ipsorum quoque confessione, & quòd hac demonstratâ omnia demonstrata esse, absque hac verò de Cœna tractari non posse existimant, ipsi priori loco hanc ingredi disputationem maluerunt, Palatini haud grauatim eis cesserunt.*

Schmidlinus vt in hoc Colloquio vnionem personalem definierit. Errores in hoc Colloquio à Schmidlino defensi.

In hoc Colloquio vnionem personalem duarum naturarum in Christo ita definiuit Schmidlinus, Quòd sit coniunctio inseparabilis & perpetua, quâ duæ naturæ, diuina & humana, vniantur perpetuò & inseparabiliter, ita vt illa huic idiomata sua, non verbotenus tantùm, sed realiter communicet. *Pagina* 26. Christo omnia data sunt, ergo etiam Vbiquitas corporis: *Pagina* 12. *Et pag.* 32. *dicit:* Dextera Dei est vbique, neque tamen humanitatem Christi destruit: Humanitas Christi sedet ad dexteram Dei, ergo vbique est sine vlla sui destructione. *Pag.* 43. *dicit:* humanam naturam esse omnipotentem. *Pag.* 56. Christum

esse

esse Deum secundùm vtramque naturam. *Pag.* 49. Christum hominem in conceptione sedisse ad dexteram Dei. *Pag.* 84. Humanitatem Christi in vtero virginis fuisse vbique. *Pagina* 85. Humanitatem Christi in vtero virginis fuisse ad dexteram Dei collocatam. *Pagina* 135. Corpus Christi simul graue & leue esse affirmat. *Docet item & defendere conatur Andrea in eodem Colloquio,* Humanum Christi corpus, carne, ossibus, certâque quantitate, formâ & membris constans, vnà cum Diuinitate, vno tempore, omnibus locis in cœlo & terra, atque adeò in omnibus creaturis præsens esse. *Item*, Illud ipsum corpus simul visibile & inuisibile, circumscriptum, definitum, & omnibus locis non circumscriptum, imbecillum, omnipotens, imò simul viuum & mortuum fuisse. *Item*, Personalem vnionem duarum in Christo naturarum, seu incarnationem Filij Dei, eiusmodi esse carnis cum Diuinitate exæquationem, vt caro Diuinitati, sapientiâ, omnipotentiâ, infinitate, vbiquitate, omnibus denique diuinis proprietatibus æqualis sit. *Item*, Personalem vnionem in hac Maiestate, hoc est, communicatione diuinarum quidem, sed tamen creatarum proprietatum & donorum consistere, nec quicquam aliud eam vel esse, vel appellari: nullúmque esse inter Petrum & Christum discrimen aliud, quàm quòd Petrus aliquas easque finitas, Christus verò omnes, easque infinitas dotes habeat. *Item*, Nisi Christi corpus sit vbique, sequi, nos dimidiatum modò in terris Christum habere, Christique personam distrahi. *Item*, Christum Angelis inferiorem, & hominem impotentem esse, nisi eius humanitas sit omnipotens. *Item*, Christum omnia corpore & animâ suâ gubernare. *Item*, Christum hominem, nisi secundùm humanitatem hac sit præditus maiestate, vt cordium sit scrutator & omnipotens, inuocandum non esse. *Item*, reliquos etiam homines ex hisce duabus naturis diuinâ & humanâ constare. *Item*, humanitatem Christi iam in vtero materno ad dexteram Dei collocatam esse, diuinamque Maiestatem omnem habuisse, adeò vt in resurrectione & ascensione in cœlos nihil noui adepta sit. *Item*, incarnationem Christi per sessionem ad dexteram Dei declarandam esse: ac cum Diuinitate Filij Dei personaliter vniri, & ad dexteram Dei collocari, idem valere. *Item*, tantundem esse, si quis dicat, Hominem Christum esse omnipotentem, atque Humanitatem Christi esse omnipotentem, nihilque inter Christum hominem & Christi humanitatem interesse. *Item*, Christum secundùm vtramque naturam Deum esse: secundùm diuinitatem quidem, quòd æternus sit Deus, eiusdemque cum Patre essentiæ, secundùm humanitatem verò, quòd eum ea Deus omnem suam Maiestatem, hoc est, creatas diuinas proprietates, quæ infinitæ & essentialibus in Deo proprietatibus prorsus sunt æquales, communicauerit. *Item*, corpus Christi nisi sit vbique, in Cœna manducari non posse. *Item*, Cœlum illud, quod supra & extra hunc visibilem mundum sedes Dei & electorum est, vbi suam Deus maiestatem palàm conspiciendam præbet, in quod Christus profectus est, in quo eum stantem Stephanus vidit, Thalmudicum & Alcoranicum esse cœlum. *Item*, Cœlum non quiddam extra, sed tantùm intra sanctos esse. *Item*, Cœlum non certum locum aliquem esse, quò sit perueniendum. *Item*, Electorum cœlum Deum ipsum esse.

In eodem Colloquio reiectâ sententiâ, quâ ex verbis Cœnæ præsentiam corporis Christi quidam Lutherani, quin ipse quoque Lutherus probant: Non volo, *inquit*, vos celare, quicunque inter nos, qui Augustanam Confessionem profitentur, dicunt, se credere veram corporis & sanguinis Christi præsentiam in Cœna, & tamen Vbiquitatem, sicut ea à nobis de Maiestate hominis Christi docetur, negant, eique contradicunt, hos certè oportet aut Magicos Papistas esse, qui putant, quòd per recitationem verborum Cœnæ corpus Christi antea absens, statim præsens è cœlo faciant & adducant, aut in intimo corde cum Zuinglianis sentire, corpus Christi non esse realiter in pane.

Hinc videmus, Vbiquitatem istis hominibus per se quidem non placere, sed propterea solùm, quia non habent quod Pontificijs & Orthodoxis respondeant.

Pernegauit etiam in hoc colloquio Schmidlinus easdem, vel similes has duas esse locutiones: Hoc est corpus meum: &, Hic panis est corpus meum. *Illam dixit esse propriam, hanc figuratam: illam esse Christi, hanc verò non esse. Nusquam inquit, hæc forma reperitur*; panis est corpus Christi; Calix est sanguis Christi; Hæ enim locutiones sunt figuratæ, Pag. 160. & Pag. 161. persistimus in eo, *inquit*, diuersas esse orationes. Hoc est Corpus Christi, & Hic panis est Corpus Christi: Illa in Scripturis sacris reperitur, hæc non reperitur: prior aperta est, posterior declarationem requirit. *In hoc autem mani-*

1564. *feſtè Luthero contradixit: Is enim ſtrictè vrget, & contendit contra Pontificios, & Caroloſtadium*, Chriſtum pronomine HOC panem monſtrare, & non corpus ſuum, ideoque eſſe æquipollentes locutiones has duas; Hoc eſt corpus meum; & Hic panis eſt corpus meum. *Nam in Babylonica Captiuitate anno 20.* Credo firmiter, *inquit*, non modò corpus Chriſti eſſe in pane, ſed panem eſſe corpus Chriſti. Sic enim me ſeruabunt verba; ubi dicit; Accepit panem, gratias agens fregit, & dixit: Accipite, manducate: Hoc, (id eſt, hic panis, quem acceperat, ac fregerat) eſt corpus meum. Et Paulus: Non-ne panis, quem frangimus, participatio corporis Chriſti eſt? Et mox: pronomen Hoc refertur ad panem; Et ipſe loquendi, & ſenſus communis probat, ſubjectum ſcilicet eſſe monſtratiuum panis, & non corporis, dum dicit: Hoc eſt corpus meum, id eſt, iſte panis eſt corpus meum. *Idem apertiſſimè repetit, & affirmat Tomo* Witenberg. 2. *pag.* 335. *contra Regem Angliæ: contra Cæleſtes Prophetas Tom.* 3. *Ien. Germ. p.* 78. *& in Confeſſ. majore pag.* 529. 530. *&c.*

Tom. 2. Wit. Lat. p. 68

Denique quum objiceretur Schmidlino, eum cum ſuis non ſeruare τὸ ῥητὸν in verbis Chriſti, hoc argumento.

Qui, HOC *exponit per* IN HOC, *vel* CUM HOC *eſt corpus Chriſti; Is etſi id verbo negare conetur, tamen re ipſâ fatetur, ſe nequaquam ſcriptum, ſed ſententiam, atque explicationem Chriſti verborum ſequi.*

Atqui Schmidlinus cum ſuis hoc facit. Ergo reipſa fateris, hæc verba non ita vt ſonant, & ad literam intelligenda, ſed explicationem Verbo Dei conſentaneam quærendam eſſe.

Conabatur ille negare maiorem prætextu æquipollentiæ HOC, & IN HOC: quia quando res vna eſt in alia, puto infans in cunis, pecunia in crumena, auena in ſacco, vinum in canthàro, phraſi omnibus notiſſimâ & vſitatiſſimâ, externa continente intelligitur interior contenta, dicique aſſerebant; verbi causâ, de infante cunis monſtratis, hoc eſt infans, id eſt, in his cunis eſt infans: de auena monſtrato ſacco, hoc eſt auena, id eſt, in hoc ſacco eſt auena: de vino monſtrato canthàro, hoc eſt vinum, id eſt, in hoc canthàro eſt vinum &c. & ſic Chriſtum monſtrato pane dixiſſe: Hoc eſt corpus meum: id eſt in hoc pane eſt corpus meum. Verùm ad hoc duo regerebantur illi: Vnum quòd phraſis illa cum ſuo ſenſu licèt notiſſimus & vſitatiſſimus ſit, non tamen ſit literalis & proprius, ſed figuratus: quoniam cuna nec ſola, nec vnà cum infante ſunt infans propriè, ſed figuratè: ſic panis nec ſolus, nec vnà cum corpore Chriſti, eſt corpus Chriſti propriè, ſed figuratè. Ad hoc vero ille præter ἀδολεσχίας nihil replicabat, vt protocollum teſtatur. Alterum, quòd maxima ſit diſſimilitudo exemplorum illorum, & verborum Domini: In exemplis enim manifeſtam eſſe ſynecdochen, & valere æquipollentiam HOC *&* IN HOC *propter apertam exiſtentiam rei nominatæ, in re monſtrata. In verbis autem Domini talem exiſtentiam rei nominatæ in re monſtrato, hoc eſt, corporis Chriſti in pane non dari, niſi demonſtretur. Si igitur obtinere velint æquipollentiam,* HOC, *&* IN HOC, *& exemplorum ſimilitudinem: incumbere illis probandum, corpus Chriſti tam verè eſſe in pane, quàm verè conſtat matris infantem jacere in cunis. Hic mus hærebat in pace, & mox euagabatur in campum Vbiquitatis, & probare conabatur, corporis Chriſti præſentiam in pane per corporis Vbiquitatem: niſi intempeſtiua interpellatione magno Schmidlini, & ſociorum ejus commodo argumentum abruptum fuiſſet.*

Exitus Colloquij

Finitum eſt hoc Colloquium abſolutumque decem Actionibus 15. die Aprilis. Cùm enim durante Colloquio varia & grauia negotia inciderent, per quæ Illuſtriſſimis Principibus diutiùs huic Colloquio intereſſe non licebat, ei in decimo Actione finem imponendum eſſe cenſuerunt. Quibus autem vtraque pars Argumentis cauſam ſuam defenderit, ex Protocollo publicato facilè cognoſci poteſt.

ANNUS M. D. LXV.

Scripta post Mulbrunnenſe Colloquium edita.

Schegkij liber de vna perſona & naturis duabus in Chriſto.

EDita *eſt hoc anno* 1565. *Francofurti* D. Iacobi Schegkij *ſententia, de vna perſona & duabus naturis in Chriſto. In hoc libro ex fundamentis quidem Scripturæ ſacræ, Analyſi autem philoſophica, piè, eruditè & copioſè ſuam de cornis Chriſti præſentia ſententiam exponit.*

Ioannis Lagi Declaratio.

Ioannis Lagi Declaratio *de Cœno D. N. Ieſu Chriſti contro Selneccerum. Heydelbergæ, Germanicè.*

Oleuiani homilia.

Caſpari Oleuiani *Homilia, de vera & primario cauſa errorum circa Cœnam Dominicam. Heydelbergæ, Germanicè.*

Reſponſio Heydelbergenſium ad Marbachij & Morlini ſcripta.

Edita eſt etiam ad Ioannis Morbachij & Ioachimi Morlini ſcripto de Cœna Domini Reſponſio Heydelbergenſium Theologorum, Heydelbergæ, Germanicè.

Matthias *quoque* Flaccius Illyricus *in lucem emiſit triginta demonſtrationes, quibus* pro-

Illyrici Demonstrationes.

probare conatur, veràm præsentiam & distributionem corporis & sanguinis Christi in Cœna sacramento.

Vnicornis Apologia.

Paulus Vnicornius *scripsit* Apologiam *aduersus Theologos Heydelbergenses de controuersia Cœnæ Domini.*

Sperlingi Iesuitæ liber de Maiestate & præsentia Christi.

Albertus Sperlingus *Iesuita Ingolstadij scripsit librum de Maiestate & præsentia D. N. Iesu Christi contra Theses Schmidlini. Sed breui ad librum istum respondit* Schmidlinus.

Ingolstadienses contra Vbiquitatem.

Ingolstadienses *quoque scriptum ediderunt contra prodigiosum Schmidlini dogma de Vbiquitate, seu omnipræsentia corporis Christi.*

Iesuitæ probant Zuinglianorum sententiam de Vnione personali.

In hoc scripto Iesuitæ Zuinglianorum sententiam de Vnione hypostatica duarum in Christo naturarum, & Vbiquitate, ceu catholicam probant. Sic enim inter alia scribunt: Quid nobis succenset adhuc Smidelinus, quòd etiam alicubi cum Zuinglianis consentiamus? quasi verò nihil norint aut habeant ex doctrina Christiana. At habent sanè, cur Vbiquitatem, & plura Smidelini figmenta magnâ vi refutent & arguant: habent quod in Brentiana Schola desiderent & detestentur. *Item*: Oppugnant Zuingliani, & verè quidem oppugnant Vbiquitatem Smidelinam corporis Christi: faciunt vtique quod Catbolicos facere oportebat: nec grauatim illis consentimus, vbi rectè docent.

Schmidlinus contra Ingolstadienses scribit Apologiam. Errores Apologiæ Schmidlini.

Contra hoc scriptum Ingolstadiens. Theologorum mox Apologiam *edidit* Iacobus; *In qua pag. 52. pro defendenda Vbiquitate corporis Christi hæc scribit:* Non erubesco affirmare constanter: Qui hanc doctrinam, de Maiestate hominis Christi, à Luthero traditam & explicatam oppugnant: eos vel Papistas esse crassissimos: (qui nescio quem ascensum & descensum corporis Christi è Cœlo in panem fingunt) aut ex substantia panis Magicâ virtute verborum suorum nouum corpus fabricare: aut cum Cinglianis facere in corde, quidquid ore profiteantur. *Item*: Non erubesco palàm fateri, si ea est humanæ naturæ proprietas, vt non nisi in vno aliquo loco esse possit neque à diuina natura ipsi communicari vllo modo possit, quo & ipsa cum λόγῳ in pluribus aut omnibus locis esse queat: me pro asserenda vera corporis & sanguinis Christi præsentia in Cœna, ne ad momentum quidem pugnaturum. Si enim simpliciter id esse impossibile fatear, quâ ratione id fieri posse ex verbis Cœnæ demonstrare conarer? *Vbi manifestè à Luthero dissentit*

Smidlinus à Luthero dissentit.

Iacobus, qui fundamentum præsentiæ Christi in Cœna monuit non esse collocandum in disputatione de Vbiquitate, sed in veritate Verborum institutionis: vt est videre Tom. 8. Ienensi, fol. 375. Rursus pag. 59. Christus corporaliter non nisi in vtero matris fuit à conceptione, sicut etiam extra vterum in vno tantùm loco simul & semel corporaliter fuit. Sed hic corporalis modus non obstat, quò minùs alio modo, scilicet iuxta naturam & rationem dextræ Dei, in multis locis esset, quæ corporaliter sese loco non mouet. Neque nos vnquam diximus, Corpus Christi CORPORALITER esse vbique sed modo spirituali & cœlesti, quem Scriptura per sessionem ad dextram Dei definit. *Diuersi autem modi essendi alicubi, non possunt vni naturæ tribui, priusquam demonstratum sit; vnam eandemque naturam, & corpus & spiritum; & essentiam infinitã esse.*

Cur ergò dicunt corpus Christi corporaliter in pane Cœnæ esse?

2. Smidlinus falsò definit Vnionem Personalem.

2. Definit falsò vnionem personalem duarum naturarum in Christo. Pag. 13. Vnionem personalem, *inquit*, authore D. Paulo definiuimus reali communicatione plenitudinis omnis diuinitatis in Christo. *Paulus autem non de communicatione, seu effusione, sed de inhabitatione loquitur. Et plenitudinem Diuinitatis intelligit de essentia & proprietatibus τῦ λόγυ, non de transfusis in carnem Idiomatis Deitatis. Ibid. pag. 22. & 23. rejicit* vsitatam in Ecclesia definitionem vnionis hypostaticæ, quòd Verbum subsistentialiter sit vnitum carni. Item, quòd caro à Verbo sustentetur: quia secundùm hanc possit dici λόγος personaliter vnitus esse cum omnibus creaturis, maximè ijs, quæ perpetuò manent & à Verbo sustentantur. Deinde quia dicere, vnionem esse in substantia Filij Dei, sit ignotum per æquè ignotum declarare. Denique quia in Scripturis hæc explicatio non extet. *Ibid. 44.* Quod dixi solâ hac reali communicatione ἰδιωμάτων definiri in Christo personalem vnionem, neque genus, neque totam definitionem, sed per hoc proprium quasi SPECIFICAM DIFFERENTIAM notare volui, quâ ab alijs creaturis omnibus discerneretur homo Christus.

Communicationem idiomatum statuit differentiam specificam vnionis.

3. Confundit gradus præsentiæ Dei in creaturis.

3. Confundit gradus præsentiæ Dei in creaturis. Pag. 25. Si vnio personalis definiatur per subsistentiam Verbi, negari non potest, res omnes à Verbo Dei subsistentialirer sustentari, nisi velint dicere, subsistentiam Verbi rebus creatis non adesse. Ideo de creaturis omnibus dicemus, eas PERSONALITER Filio Dei vnitas, à cuius hypostasi & subsistentia sustentantur. *Tota autem Vetustas dixit, vnionem naturarum in Christo factam esse καθ' ὑπόστασιν. Sed miscet Schmidlinus terminum à quo, cum termino ad quem Ibidem pag. 37.* Discernimus nos quoq; inter eam Inhabitationem, quâ Deus in sanctis habitat, & quâ

1565.

1565. quâ in Christo habitat homine: & dicimus HOC VNVM esse ratione inhabitationis discrimen, quòd sanctis distribuat sua dona dimensa, Christo homini autem sine mensura, hoc est, immensa. Sanctis dederit singulis suam potestatem, Christo homini autem omnem potestatem. *Non est autem hoc sufficiens discrimen: quia sic nihilominus generè non different, sed secundùm plus & minus: hoc est, Christus hac ratione non esset magis Deus, quàm Petrus, etiamsi diuinior fuerit Petro: Si donorum dimensitas & immensitas solummodo discrimen faciat inter Christum & Petrum, Ibid. pag.* 44. In quolibet homine, imò etiam in qualibet creatura alia, duæ CONCVRRVNT substantiæ, quarum altera est substantia Verbi, quâ omnia sustentantur: alia est hominis ipsius, quem λόγος sustentat, non modò autem λόγος, sed tota Diuinitas. *Et mox*: Cùm ergo vbique Deus sit essentiâ suâ: Essentia autem à subsistentia non separetur: Distincta enim sunt, sed nullo aut loco aut tempore separata: quod discrimen præsentiæ Dei in rebus omnibus aliud inuenies, quàm id, quod non æqualiter sese omnibus rebus communicat, quibus tamen EX ÆQVO suâ essentiâ adest? *Pag.* 55. In quolibet homine subsistentia Filij Dei, quæ nihil est aliud, quàm ipsa persona siue ipse Filius Dei & hominis natura concurrunt.

4. *Sinistrè interpretatur articulum de Communicatione actionum diuinarum, seu συνεργία humanæ & diuinæ naturæ in omnibus actionibus Christi. Nam pag.* 35. Data est, *inquit*, humanæ naturæ omnis potestas, quatenus per eam tanquam instrumentum Deus in omnibus efficax *est. Pag.* 30. Potentia hac ratione in personali vnione humanitati est communicata, vt cum ea & per eam Diuinitas OMNIA efficiat. *Pagina sequenti*: Deus qui actus est purissimus, suum quoque actum homini communicat, quem subsistentialiter assumit per communicationem plenitudinis Dei in persona, quò & ipse suo modo cum λόγῳ omnia in omnibus agat & perficiat. Per eum etenim omnia Deus instaurat.

4. Sinistrè interpretatur communicationem actionum diuinarum.

5. *Æquationem Naturarum falsam statuit. Nam Pag.* 19. *malè detorto Pauli loco Phil.* 2. Christo homini, *inquit*, immensa & infinita dona data sunt, propter quam immensitatem & infinitatem donorum Deo factus est ÆQVALIS. *Et pag.* 77. Dicit se æqualitatem humanitatis cum Deo constituere non identitatem.

5. Æquationem naturarum falsam statuit.

6. *Deprauat doctrinam orthodoxam de vera adoratione Christi Dei & hominis. Nam* *Pag.* 25. *Postquam dixisset* Christum dici & esse Deum, quia sit ei communicata omnis potestas, & ornatus sit omnibus donis Spiritus sancti, & collocatus super omnem principatum. Hoc, *inquit*, nisi fateantur nobiscum omnes pij, sequitur aut Christum secundùm humanitatem planè non adorandum, aut si adoretur manifestam idololatriam committi. *Nos autem adoramus Christum quia Deus est ab æterno, non quia secundùm humanitatem ornatus est donis diuinis.*

6. Deprauat doctrinam de adoratione Christi.

7. *Sinistrè interpretatur humiliationem & exaltationem Christi. Siquidem pag.* 32. Fuit Christus secundùm humanam naturam in forma Dei, etiam in humiliationis statu: sed voluntariè seipsum humiliauit, cuius exaltatio nihil aliud fuit, quàm Maiestatis reuelatio, quam ab initio conceptionis suæ possedit. *Et mox*: Si potuit mori requiescente Verbo, cur non etiam potuisset mori requiescente Maiestate communicatâ? *Pag.* 46. Nihil noui accessit Christo progressu temporis à conceptione, & post mortem, quantum ad ipsius personam attinet, quod antea non habuisset, qui fuit plenus gratiâ & sapientiâ ab ipsa incarnatione: sed hoc tantùm (cùm secundùm humanitatem potuisset non mori, ideoque etiam serui formam accepit) quòd redemptione partâ deposuerit hanc serui formam, & factus iam sit impassibilis, eo modo videlicet, quòd non velit ampliùs mori, eiusque Maiestas nunc toti terrarum orbi patefacta sit, quam potuisset patefacere etiam ante mortem suam, si voluisset. Eam enim habuit, & noua ei non accessit, sed hoc tantùm, quòd eam non semper manifestauerit. *Sic igitur exaltationem in vniuersum refert ad manifestationem maiestatis humanæ, quam per omnia parem quoque habuerit ante mortem.*

7. Sinistrè interpretatur humiliationem & exaltationem Christi.

8. *Incircumscriptionem quoque corporum glorificatorum asserit. Pag. siquidem* 67. *ait*: Cùm corpus Christi gloriosum non amplius sit physicum, sed spirituale, sicut Apostolus testatur, quis diceret, nunc physico motu moueri? An intra se non habet omnem beatitudinem, vt extra se quærat? aut tædio loci vnius alium petat? *Et pag.* 74. Quid opus est dicere de physica locatione corporis Christi in Cœlo: cùm φύσις in glorificatis corporibus nulla sit, quæ teste Apostolo non erunt physica, sed spiritualia. *An non hoc est mendacij arguere Christum dicentem de glorificato suo corpore: Spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere. Videte me & palpate me.*

8. Incircumscriptionem corporũ glorificatorum asserit. Quid est ergo? Sequentur argumenta quocunque trinis.

9. *Sinistrè interpretatur locum Philip.* 2. *Qui* cùm

9. Sinistrè interpretatur locum Phil. 2.

cùm esset in forma Dei, non duxit rapinam, esse aequalem Deo, &c. Nam pag. 19. Disputat eo in loco Apostolus de donis quibus alii aliis præferebantur, & præstare existimabantur: Quorum arrogatiæ, hominis Christi exemplum proponit, cui non quædam dona ad mensuram sunt data, sed sine mensura, hoc est, immensa & infinita, propter quam immensitatem & infinitatem donorum Deo sit factus æqualis. Verùm hæc non ostentavit, nemioem præ se contemsit, quin potiùs cùm in forma Dei, id est, æqualitate Dei esset, accepit formam serui omnium factus minister.

Humanitas facta est Deo aequalis Deo propter infinitatem donorum.

10. *Prodigiosum dogma defendit de duplici Divinitate in Christo: & falsò asserit, quòd homo Christus dicatur Deus, respectu effusionis proprietatum divinarum in carnem assumptam. Nam pag.*17. Omniporentiam, omnisapientiam, omnipræsentiam *dicit* esse vocabula ejusmodi, ut una principalis significatio illorum sit, quibus οὐσία Divinitatis exprimitur, altera minùs principalis, quæ participationem significat huius Omnipotentiæ, in quam Christus homo per unionem personalem pervenit. *Pag.* 21. Aliud *dicit* esse Deum ipsum, aliud πλήρωμα seu plenitudinem Dei, quia hoc participationem significat, *inquit*, proprietatum Filii Dei, cum quo factus est homo Christus una persona. *Et* 22. Hæc est plenitudo Deitatis, id est, infinita potentia, sapientia, iustitia, sanctitas, præsentia. *Pag.* 25. *Citatis testimoniis: Mihi data est omnis potestas: Pater non dedit ad mensuram: Sedere eum fecit ad dextram supra omnem principatum. In quo etiam omnes thesauri: In ipso habitat omnis plenitudo: Per quem omnia instaurantur, &c.* Hæc, *inquit*, sunt testimonia illustria, quæ doceot, cur homo Christus dicatur Deus. NON quia Deus sit in ipso (qui in omnibus Creaturis est non modò naturâ, sed etiam secundùm subsistentias) SED QUIA in assumtione carnis dedit homini omnem potestatem in Cœlo & in terra, ornavit eum omniscientia & omnisapientia, communicavit ei omnia DONA Spiritus sancti, collocavit eum super omnem principatum, dedit ei nomen super omne nomen, quod est Dei nomen. Et hoc est, hominem quoque esse Deum. Nam de ÆTERNA Divinitate Filii, quâ in se est, hic nihil disputamus, qui secundùm naturam divinam est ab æterno cum Patre æternus Deus, laudandus in secula: De homine nobis sermo est, cur solus hic Jesus Nazarenus verè dicatur Deus, quòd verè de nullo Angelorum aut hominum dici potest, in quibus tamen est Deus & hypostasis Filii Dei. Quod nisi fateantur nobiscum

10. Defendit dogma de duplici divinitate Christi.

1565. pii omnes, sequitur aut Christum planè non esse adorandum secundùm humanitatem: aut si adoretur, manifestam Idololatriam committi. *An-non his verbis expressè ponitur duplex Divinitas in Christo? una aeterna, quae est Patri & Filio & Spiritui sancto communis. Altera communicata, quae non est Deitas ipsa, sed donum à Deitate transfusum in humanam naturam, praesertim cùm mentio donorum Spiritus Sancti inseratur, quae certè non sunt Deitas ipsa aeterna. Et mox*: Qualis autem sit divinitas Christi explicatum est suprà. NON ὁμοούσιος illa & æterna cum Patre & Spiritu sancto communis essentia, sed communicata à secunda hypostasi, quâ ad dexteram Dei sedet, non ut hoc factus sit, quod Filius Dei per essentiam est, sed à Filio Dei in unitatem personæ assumtus sit. Et ut uno dicam verbo, cùm hominem eum esse dicimus, nihil aliud per hoc intelligimus, quàm quòd homo ad dextram Dei sedeat, quod sedere ad dextram est hominis Divinitas, quæ aliàs nulli creaturæ contingit. *Divinitatem hominis Christi ait esse sessionem ipsius ad dextram Dei, quam alibi sic explicat, quòd humanitas sit facta omnipraesens & omnipotens. Pag.* 55. Quemadmodum λόγος κατ' οὐσίαν est εἰκὼν Dei Patris: ita quasi κατὰ συμβεβηκὸς εἰκὼν seu potiùs εἰκασία Divinitatis λόγου τοῦ φρόντου conspicitur in homino seu humanitate Christi. Id quod mirum videri non debet, cùm alioqui homo ad imaginem Dei creatus dicatur, Infinitam igitur perfectionem Christo ascribimus, quâ persona est Divinitatis, hoc est Deus ipse, & naturæ humanæ incommunicabilis. Deinde aliam quoque infinitam, ratione humanitatis, quâ participat quasi per accidens à Divinitate, ad cuius dextram sedere dicitur, qua comparatur aliis creaturis omnibus, quæ infinitas dicitur per negationem mensuræ. *Ibid.* 59. Quatenus homo fuit Christus, potuit mori, & quatenus Deus, habens communicatam divinitatem, potuit mortem, quæ peccatorum totius mundi expiatio esset, superare. *Et seq. pag.* Quòd addit (*aduersarius*) hanc excellentiam in Christo homine non est divinum Idioma, id est, ipsam essentiam Dei non naturale, sed gratuitum donum: Quem hic quæso habet aduersarium? Nunquam enim diximus, nunquam scripsimus, nunquam credidimus, majestatem communicatam homini esse Idioma Dei, id est οὐσίαν subsistentiæ Verbi: Neque naturale, sed gratuitum & donatum. *Pag.*47. Quoties de plenitudine Christi dicimus, non intelligimus eam, quæ Deus ipse est, sed quatenus in persona homini Christo communicata est, quam habet

1565.

bet ex hypostasi Filii Dei, qui plenissimè Deus est, & suam plenitudinem homini communicat.

Beza respondet Brentii libro de Maiestate & Smidlini Thesibus.

Quum Genevam esset allatus postremus Ioannis Brenrii *liber de* Christi Majestate, *& dogma quod in eo propugnatur, de carnis Christi omnipræsentia, non solùm inauditum esset in Ecclesia Christi, sed etiam prorsus everteret glorificati corporis Christi veritatem, & proinde nullo modo recipiendum*, Theodorus Beza *Responsum edidit ad Ioannis Brentii argumenta, & Iacobi Andreæ Theses, quibus hanc carnis Christi omnipræsentiam conabantur confirmare, & hoc pacto damnatos Nestorii & Eutychetis errores in Ecclesiam Dei revocare.*

Schmidlini assertio editur eiusque errores. 1. Vbiquitatem defendit.

Opposuit Theodoro Bezæ Schmidlinus *libellum, quem vocavit* Assertionem *&c. In eo sic scribit.*

1. *De Vbiquitate, seu Omnipræsentia corporis Christi pag. 13. & 14.* Totus Christus præsens esse dicitur, ratione tamen diversa si naturas iam per se consideres. Divina enim essentialiter adesse dicitur, quia est infinita essentia: Humana autem natura, quæ finita essentia est per se & perpetuò manet, personaliter: quòd per unionem personalem ita à λόγῳ sit assumpta, ut per eam & cum ea non naturaliter, sed personaliter & verè præsenter omnia agat. *Non autem humanitas, sed homo Christus personaliter est ubique: Idque est non secundùm utramque naturam, sed secundùm unitatem personæ ubique esse Christum.*

Sinistrè definit unionem personalē.

2. *Definit sinistrè unionem personalem duarum naturarum in Christo. Pag. 7. 8. & 9.* Tam non intelligitur carnem assumptam factam esse Verbi assumentis propriam, ac si quis dicat, personaliter cum Verbo unitam. Age igitur veram explicationem non ex meo capite afferam, sed ex fidei nostræ articulo indubitato, & Scripturæ testimoniis clarissimis producam. Explicamus enim id per dexteram Dei, ad quam Christus secundùm humanitatem est collocatus. Nam quid sit naturam assumptam propriam factam esse, nullo modo intelligi potest, nisi per hanc sessionem ad dexteram Dei explicetur: λόγος enim est dextera Dei Patris. Et extra omnem controversiam positum est, quòd Dei dextera sit infinita Dei potentia & virtus, per quam omnes res conditæ sunt & conservantur. Nihil etiam magis est in Scriptura explicatum, quàm hic ipse fidei nostræ articulus firmissimus. Eius est enim interpres Christus Matt. 28. Baptista Ioh. 3. Paulus. Eph. 1. Phil. 2. Col. 2. Heb. 1. & 2. Psal. 8. Hæc Scripturæ S. testimonia explicant, quomodo intelligendum sit, quod

Vbiquitistis idem est verbū carnem fieri: & carnem collocari à dextris Dei Quæ est manifesta confusio articulorum fidei.

dicitur λόγον assumentem sibi propriam fecisse naturam assumptam? Nihil enim aliud dicitur, quàm quòd λόγος ita sibi univerit humanam naturam, ut sine ea nihil, sed cum illa & per illam omnia agat, quam in consortium administrationis cœli & terræ assumpsit. Et quemadmodum Deus Pater non sine λόγῳ, sed per λόγον omnia creavit: Ita λόγος per hominem quem assumpsit, naturam in genere humano collapsam recreavit & restituit. In quam majestatem à conceptione sua homo Christus etsi constitutus est, semetipsum tamen exinanivisse testatur Apostolus formâ servi assumptâ, quæ majestatem collatam, in cuius possessione iam erat, non tolleret, sed tegeret ad tempus, donec salute reparatâ, depositis omnibus miseriis, quibus nostræ salutis causa se volens subiecit in suam majestatem ingressus, iam in cœlo, terra & inferno cum Deo regnat, utcunque mens humana comprehendere non queat. *Sic igitur ante glorificationem, ubi fateri cogitur λόγον non omnia egisse per carnem assumptam, iste homo non fuerit una persona cum Deo, si illud agere omnia per carnem efficit, ut caro & λόγος sint uniti personaliter. Et pag.* 10. Hæc si non est fides & Religio vera & Christiana, adeóque omnium piorum consolatio summa, fateor, me planè fidem & Religionem Christianam ignorare.

Hic unionem definit συνεργίᾳ carnis & divinitatis.

In toto isto Assertionis scripto singulis ferè paginis & usque ad fastidium inculcat, ita factam esse propriam carnem τοῦ λόγου, ut cum ea & per eam omnia agat. *In conclusione etiam repetit definitionem unionis personalis, quam à suo Brentio & à se tradi ac defendi dicit pag. 31. Brentius cum suis unionem personalem duarum naturarum in Christo docet esse, in* qua λόγος natura seu persona assumens, naturam assumptam ita suam propriam effecerit, ut eam ad dexteram collocaverit virtutis & majestatis suæ, per quam nunc omnia agat & administret in cœlo & in terra, eique omnem plenitudinem Deitatis corporaliter communicaverit, propter quam etiam affirmat, non tantùm λόγον: quatenus est persona divinitatis, sed etiam quatenus duabus naturis constat, totum & indivisum secundùm utramque naturam ubique præsentem esse. Sicut enim quælibet anima per aures sui corporis audit, & per oculos sui corporis videt, &c. & non per alienum corpus: Ita λόγος per humanitatem in unionem personalem assumptam omnia administrat, quâ ratione nulli Angelicæ aut humanæ naturæ unitus est.

Atqui & Pater omnia facit per λόγον & Spiritū suum Neque tamen una persona est Patris, Filio & Spiritus sancti.

Huic Assertioni *Andreanæ opposuit* Beza Responsionem de Hypostatica duarum naturarum

Beza respondet Assertioni Schmidlini.

Schmidlini expositio controversiæ de duabus in Christo naturis & præsentia corporis Christi in cœna. Errores expositionis Andreanæ. 1. Schmidlino Vbiquitas fundamentum est præsentiæ corporis Christi in Cœna.

turarum in Christo unione.

Schmidlinus autem mox subiecit, Expositionem controversiæ de duabus naturis in Christo, deque vera præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia.

In hac expositione docet,

1. *Quòd Vbiquitas fundamentum sit præsentiæ corporis Christi in Cœna. Sic enim scribit pag.* 91. Quamvis Lutherus in explicatione triplicis considerationis corporis Christi, eum modum præsentiæ corpori Christi in Cœna tribuat, qui corporibus gloriosis adscribitur, id tamen non facit simpliciter, sed ut contra aduersarium demonstret, plures modos præsentiæ alicubi esse, quàm physicum illum & carnalem de quo uno semper loquitur adnersarius: Et paulò pòst manifestè affirmat, hunc secundum modum gloriosi corporis, quo nullo circumscribitur loco, Christum nobiscum habere communem. Ex cuius solius virtute, si præsentia corporis Christi penderet, in prima Cœna discipulis non potuisset distribui, cùm nondum gloriosum, sed adhuc physicum esset, quod oculis suis aspiciebant. *His verbis manifestè evertit Schmidlinus, quod Lutherus affirmat, nempe, corpus Christi adesse in Cœna pro modo gloriosi corporis.*

2. Sinistrè definit unionem personalem. Insidiæ sunt in ambiguitate vocis Seorsim. Fatetur tandem aliud esse unionē, aliud communicationem. Quomodo igitur hæc possit esse differentia specifica Vnionis? Non præterea unum & idē sunt iustificatio & Sanctificatio, licet simul fiūt.

2. *Sinistrè definit Vnionem personalem duarum naturarum in Christo. Pag.*31. Recipi in unitatem personæ est hoc modo cum Deo uniri, ut quod Deus ex seipso facit, iam per assumptam naturam, & non seorsim, sed cum ipso faciat. Et hoc modo Christus secundùm humanitatem ad dexteram Dei est collocatus, quoniam ipsius natura humana Filio Dei, qui infinita Dei dextra est, personaliter unita est. *Pag.* 40. Sicut quid sit unio animæ cum corpore aliter intelligere non possumus, quam per communicationem illam potentiarum animæ, quas per universum corpus exercet, cùm tamen hæc communicatio *ἐνεργειῶν* sit aliquid ipsâ unione posterius, quæ unionem sequitur: Ita etiam quid sit unio illa personalis divinæ & humanæ naturæ, quâ unum personale constituunt, scire non possumus sine hac communicatione proprietatum Divinæ Naturæ, quæ personaliter per assumptam humanitatem omnia operatur. Nihilominus tamen unio est aliquid aliud, quàm hæc communicatio: & tamen idem dicitur: quia simul fiunt unio & communicatio. Et unio per communicationem quid sit explicatur, atque hoc modo etiam per eam definitur. Mysterium adorandum & consolatione plenissimum, Naturam nostram in administrationem Cœli & terræ assumptam esse ratione & modo inenarrabili. *Pag.* 88. Vnio personalis in Christo talis est, qua sicut Divinitas sese totam cum humanitate in unam personam unit: ita etiam omnem maiestatem suam in eam effundit, ex qua humanitas ACQVIRIT quod per se non habebat & inter alia etiam maiestatem hanc, qua cum Verbo Christus etiam secundùm humanitatem ubique locorum Ecclesiæ suæ adsit, & in Cœna corpore & sanguine suo tanquam cœlesti cibo & potu eam reficiat, atque impios iudicet. Et fit quidem hoc Divinæ Naturæ virtute & omnipotentia, sed non secundùm hanc solam naturam divinam præsens est, verùm etiam sua humanitate, quam in hanc maiestatem extulit, ut cum Verbo præsens personaliter omnia etiam gubernet Christus; secundùm humanitatem inquam; quod mysterium absconditum est & rationi humanæ incomprehēsibile. *In his verbis ponit effusionem maiestatis talem, ut humana natura acquirat, quod alioqui nō habuit. Cur ergo negās alibi, proprietates divinas inesse humanitati subiectivè?*

1565.

3 Depravat vocabula quibus patres usi sunt in descriptione Vnionis personalis.

3. *Corrumpit vocabula, quibus primitiva Ecclesia usa est in descriptione personalis unionis. Sic pag.* 8. *scribit*: Quòd dicunt Filium Dei sua divinitate ita esse in humanitate Christi, quòd humanitas à Diuinitate SVSTENTETVR & gestetur: Idem Scriptura de aliis quoque hominibus & creaturis affirmat: In ipso sumus (inquit Apostolus) in ipso vivimus, in ipso movemur. Eadem Scriptura testatur, Verbo virtutis suæ Deum omnia sustentare. *Sed omittit Schmidlinus, quòd humanitas sustentetur & gestetur inseparabiliter & personaliter, utpote iam propria facta τῷ λόγῳ. At alii Sāctis personam propriam, anima & corpore suo constituunt. Neque sunt una persona cum Deo. Pag.* 30. Non minùs in Beza mirandum est, quod reprehendit Brentium, qui divinam naturam etiam extra humanitatem Christi hominibus VNITAM, & quidem quibusdam INSEPARABILITER unitam dicat: *Hic defendit rectè dictum esse, quòd divinitas omnibus hominibus sit unita. Et naturæ appellationem, quam Orthodoxi intelligunt & de essentia & de proprietatibus, perpetuò substantia inhærentibus, Schmidlinus cum suis de substantia tantùm interpretantur. Item:* Sed vicissim audiat quod Christus oravit: Gloriam, inquit, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos unum sumus. Ego in eis & tu in me. Num tibi quoque Christus impropriè locutus esse videtur? *Aliud autem est, unum esse in Deo, seu cum Deo: aliud Deum substantiâ suâ uniri cum aliquo. Dicit enim pag.* 24. Vt universæ Ecclesiæ Dei de nostra doctrina constet, disertè, perspicuè & constanter affirmamus, humanitatem Christi in seipsa, seorsim, & per se consideratam,

neque

1565. neque omnipotentem, neque omnipræsentem factam esse. Sicut enim oculus hominis seorsim non videt, auris seorsim non audit: & quæcunque alia de corpore dici possunt: Ita etiam humanitatem Christi seorsim nihil eorum habere affirmamus, quæ tribuuntur ei propter unionem personalem: sed omnia ex DIVINITATE per eam operante, cum qua arctissimo unionis personalis vinculo coniuncta est, quemadmodum corpus, naturaliter & essentialiter cum anima coniunctum, & anima omnem suam virtutem habet, sine qua cadaver est & dicitur hominis corpus. *Hæc videntur quidem tolerabilia, sed insidiæ latent: quia seorsim & in se carnem consideratam, intelligit separatam, seu extra unionem personalem constitutam. Quasi verò talis separatio fieri possit; aut quasi caro Christi quicquam sit extra unionem, ac non in ipsa unione etiam seorsim, id est, distinctè, non separatim: qualis sit in se, & quomodo à Divinitate differat, considerari soleat. Confundit igitur, In se, &, Ex se.*

4. Schmidlinus cõfundit gradus præsentiæ Dei in creaturis.

4. *Confundit etiam gradus præsentiæ Dei in creaturis. Pag.* 39. Sicut non est alius Deus in una creatura quàm in alia: Ita etiam non est alia essentia Dei in una quàm in alia. Multò minùs dici potest, Deum in una creatura essentialiter, in alia verò non essentialiter esse. Quæ est ergo differentia præsentiæ Dei in rebus creatis? Non quærenda aut astruenda est ratione essentiæ Dei per se: quia hæc ipsa per se, æqualiter ubique est. *Hic confundit terminum à quo, & terminum ad quem. Verum est, eundem Deum essentialiter adesse omnibus creaturis: sed non sequitur inde, quòd eodem modo adsit, seu ad eundem finem. Cùm nulla enim creatura ὁ λόγος constituit essentiâ suâ unum ὑφιστάμενον, ut cum massa assumpta ex virgine. Ideo hic homo tantùm est verè & essentialiter Deus, non creatura ulla alia. Et Iustinus Martyr expressè dicit:* λόγος iuxta essentiam præsens omnibus, non tamen simpliciter adest cæteris, ut Templo proprio. *Pergit Schmidlinus:* Neque *inquit*, quo ad seipsam attinet, mutatur, sed est & manet ubique quod est, cùm sit immutabilis essentia. Respectu ergo communicationis definienda erit diversitas illa præsentiæ: *Falsum hoc est autem, Quia communicationis similia exempla monstrari possunt in Sanctis, etiamsi in numero & gradibus sit aliqua diversitas: Idque Brentius apertè fatetur; Sanctis aliqua: Christo omnia communicari. Id verò non est toto genere differre. Pergit ibidem:* Quæ præsentia Dei in Christo & inhabitatio, ab omni alia in reliquis creaturis toto genere differt, videlicet, quòd divinitas humanitatem sibi propriam facit personaliter, sicut anima suum proprium corpus naturaliter sibi univit, ut non modò sit in humanitate assumpta, neque etiam tantùm ineffabili splendore eam ornet: sed ita sese in illam effundat omni suâ maiestate, potentiâ, sapientiâ, sicut anima sese omnibus suis potentiis naturaliter effundit in corpus proprium, ut humanitas in summam hanc sit evecta sublimitatem, quâ cum Deo homo Christus omnia in Cœlo & terra gubernet, & communes sint utrique naturæ actiones personaliter, sicut corpori cum anima naturaliter communes esse dicuntur. *Atqui in* Expositione 5. *ait, ante resurrectionem maiestatem istam ex parte tantùm exeruisse se per assumptam humanitatem. Non igitur tunc operatus fuerit omnia ὁ λόγος per humanitatem. Quomodo igitur unio personalis definitur per communicationem omnium operationum? Unioni enim nihil neque accessit neque decessit per exinanitionem & exaltationem hujus personæ.*

5. Corrũpit doctrinam Veterum de Communicatione Idiomatum.

5. *Depravat doctrinam Veterum de communicatione Idiomatum, quæ est modus seu forma prædicationis, quâ unius naturæ proprietas tribuitur personæ in concreto propter unionem personalem naturarum duarum in Christo. Pagina* 111. Quod ad communicationem Idiomatum, sic se res habet. Si quando proprietates, quæ Divinæ Naturæ per se sunt & propriæ, toti personæ tribuuntur, nullo modo per confictum tropum, quem Alloeosin Zuinglius appellat, explicandum est. Cùm enim ἀλλοίωσις nihil sit aliud, quàm verbalis prædicatio de rebus, quæ ita coniunctæ sunt, ut nihil sibi invicem eorum communicent, quæ ipsæ sua natura sunt, prorsus ab hoc mysterio alienissima est. Quia divinitas humanitati non quædam tantùm, aut multa, sed omnia communicavit per unionem personalem QUÆ ETIAM REVERA TAM DE HUMANITATE QUAM DIVINITATE Christi dicuntur, non verbotenus tantùm, sed revera & significatione vocabuli πρὸς ἓν ἀφ' ἑνὸς, ut quod Filius Dei habet per naturam, id filius hominis, ut cum Augustino loquar, per gratiam habet. Sic filius hominis in Cœlo esse dicitur, & revera etiam fuit non modò secundùm divinitatem, sed etiam secundùm humanitatem, quando cum Nicodemo loquebatur. *Non est recens conficta Alloeosis, sed eadem est, quæ ab aliis nominatur ἀντίδοσις & κοινωνία ἰδιωμάτων & συνεκδοχὴ. Neque est verbalis, id est, ut interpretantur isti, falsa aut fictitia prædicatio, sed vera. Et fundamentum huius, non est transfusio proprietatum unius naturæ in alteram: sed ipsa unio personalis duarum naturarum: ut si de homine*

Confundit proprietates naturarum & officii. Passio est humanæ naturæ propria. Redemtio est opus commune utriusque naturæ, sua us qualibet conferat quod sui est. In abstracto intelligis de distractio, id est de natura separata, & extra unionem. In concreto vocas naturam quatenus considera tur unita τῷ λόγῳ.

homine dicas : Homo est mortalis, vel immortalis, non respectu animæ & corporis simul, sed mortalis ratione corporis, immortalis ratione animæ. Et paulò pòst : Nos simpliciter nullum usum huius tropi esse affirmamus, sive in concreto, sive discreto consideres. Nam etsi alio modo prædicentur propria humanæ naturæ de Divinitate in Christo, quàm propria Divinæ Naturæ de humanitate: tamen nulla earum verbalis est in persona Christi. Non enim caro Christi sola, & à Divinitate separata passa est : Nec homo tantùm nos redemit à peccato & maledictione Legis: sed Deus passus est in carne, & Deus homo nos redemit, non homo simpliciter & humanitas. *Et mox :* Ἀλλοίωσιν prorsus & penitus ab explicatione hujus mysterii removemus, quæ alienissima est. Etenim κοινωνία ἰδιωμάτων nunquam fit in abstracto, propterea quòd naturæ in æternum non separentur : sed communicatio hæc fit in concreto, quæ humanitatem revera & non verbotenus in summam maiestatem evehit, ut cum Deo in pari gloria & majestate regnet. Divinitas autem quæ impassibilis est, & manet semper in passione & morte, cum humana coniungitur, ut operatio redemptionis non sit solius hominis seu humanitatis, sed etiam Deitatis, hoc est totius personæ Dei & hominis. Quam unionem & coniunctionem ἀλλοίωσις non explicat, sed honorem Divinitati adimit, dum verbotenus tantùm etiam in concreto de Dei Filio prædicatur: & personam Christi discerpit ac naturas separat. *Cur igitur ait, Divinitatem esse impaßibilem, si ἀλλοίωσιν non admittit in hac propositione, Deus est passus? Aut cur non apertè dicit Schmidlinus cum Brentio, utrique naturæ tribuendam esse paßionem, aut Christum secundùm utramque naturam esse passum.*

6 Docet Schmidlinus realem idiomatum communicationē & eam in naturis fieri fingit.

6. *Docet realem communicationem Idiomatum, eamque in ipsis naturis fieri fingit. Pag.* 13. Fit igitur hæc communicatio PER ACCIDENS non naturaliter, sed personaliter. *Si propter hanc communicationem, ut toties Ubiquitarii affirmant, Christus homo est Deus: erit Deus per accidens, seu Deus accidentarius seu adoptivus & factitius.*

7. Defendis dogma falsum de communicatione actionū divinarum.

Hoc modo unia tantū creatio utriusque natura

7. *Astruit dogma falsum de Communicatione actionū divinarum seu συνεργίᾳ humanæ & Divinæ Naturæ. Pag.* 14. Quemadmodum anima per corpus proprium, & non alterius hominis, omnes suas potentias exercet : sic Filius Dei hanc humanitatem (corpus & animam) quam in utero D. Virginis assumpsit, ita sibi fecit propriam, ut per eam omnia faciat, & opera personæ sint utrique naturæ communia. Tota enim persona facit omnia non altera natura tantùm, sed ambæ simul : una videlicet divina quæ facit ; & humana, per quam facit omnia, sicut anima per corpus. *Ibid. pagina decima nona, Cùm repetiisset singulis ferè paginis, λόγον omnia agere cum humanitate, & per humanitatem assumptam :* Redacta est ergo, *inquit*, humanitas Christi in eam majestatem, quâ nunc habet omnia opera cum Deo communia. Quia λόγος sine humanitate assumpta nihil facit. Interim manet ingens discrimen non modò naturarum, sed etiam proprietatum, cùm λόγος omnia faciat per hominem. Homo autem virtute τοῦ λόγου, non separatâ aliquâ virtute, aut seorsim sibi partâ, sed eâ virtute, quæ est ipsius Verbi seu Filii Dei propria & naturalis. Hinc etiam intelligitur, quàm perperam dictum sit : Christus facit hoc vel illud secundùm Divinam Naturam, sine humanâ naturâ. Perinde enim est ac si quis diceret : Homo videt animâ sine oculis, audit, sed sine auribus, intelligit, sed sine cerebro, quo nihil potest dici magis absurdum. Sic affirmare, Christum adesse secundùm divinitatem & pascere nos suo Spiritu sine sua humanitate personaliter præsente, non minùs absurdum est affirmare. Quoniam Deus & homo constituunt unum personale, ratione cuius personalitatis Filius Dei se ita univit humanitati, ut sine ipsa præsente nihil facere velit. *Et pag.* 27. Si nunc novus mundus condendus esset, Filius Dei absque humanitate assumpta non conderet, sed cum homine & per istum hominem, cum quo nunc sua opera habet communia. *Et pag. seq.* 28. Majestas Christi hominis personalis non est absolutè & simpliciter accidentaria, inhærens corpori, aut humanitati eius, sicut splendor in corpore, aut dulcedo in aqua : sed est participatio infinitæ virtutis Filii Dei, quæ est ipse Filius Dei natura, qui per hominem OMNIA infinitæ suæ potentiæ opera exercet. *Hic sine omni fundamento dicitur, λόγον omnia opera sua efficere per carnem assumptam. Quàm enim multa miracula Christus perfecit, cùm adhuc in terris commoraretur, ut sanationem filii Reguli, servi Centurionis, &c. ubi corpore absens, nequaquam sui corporis membra tanquam instrumenta adhibuit? Deinde illis quoq; qua ἐνεργείαι θεανδρικαὶ nominantur, utraq; natura sic cum communione egit alterius, ut unaquaque tamen faciat quod suum est. Falsum est etiam propterea rectè dici carnem Christi omnipotentem, quia per illam omnipotentiæ sua opera efficit ὁ λόγος. An enim, quia architectus opera sua efficit per instrumenta sua, propterea ipsa quoque*

1565. in Christo Quæ sententia dānata est à Patribus in Monothelitis.

Sic verò humana natura tantùm vit instrumentum passiuū. Sine humanitate sic intelligit, ut nihil agat λόγος, nisi per carnem. Atqui in Christo unaquaq; que natura habet suam ἐνέργειαν, quæ non semper ad unionē κοινωνίας concurrunt. Sed sic humanitas esset novus creator & Deus rerum.

1565. *quoque instrumenta idem nomen habebunt? Aut quia Deus omnipotẽtia sua opera multa efficit per Angelos & sanctos homines, propterea hi quoque erunt vel ex toto, vel ex parte omnipotentes?*

8 *Sinistrè interpretatur humiliationem & exaltationem Christi.*

8. *Malè interpretatur Humiliationem & exaltationem Christi, pag.* 105. Humanitatis in Christo tres sunt gradus. Primus est acquisitionis, quâ in ipsa unione, ratione humanitatis in formam Dei receptus est. Alter exinanitionis est, qua non semper hanc majestatem usurpavit & exercuit. Tertius est receptionis, quâ omni forma servili deposita & abiecta, in forma Dei, totius cœli & terræ administrationem habet, & cum Deo Patre omnia, etiam iuxta humanitatem gubernat & administrat.

9. *Falsò interpretatur, quod dicitur, Deus est passus & mortuus.*

9. *Sinistrè interpretatur hanc propositionem, Deus est passus & mortuus. Pag.* 116. Divinitas sicut æterna est rerum omnium creatrix, Ita etiam immutabilis est & permanet semper. Sed qua ratione in ipsam quoque redundaverit passio, propter quam causam non homo tantùm, sed etiam Deus passus non modò dicitur, sicut Nestorio & Bezæ placet, sed etiam passus est, id nobis explicabit, qui nos docere potest, quàm arcto vinculo Filius Dei & assumpta natura personaliter unitus est. *Si verò passio in ipsam Divinitatem redundavit in unione, quæ alioquin extra unionem mutationis & alterationis expers erat: An-non statuetur permixtio, aut mutatio naturarum, cùm aliter istorum opinione, habere se Divinitas putetur ad recipiendas passiones in unione, quàm extra illam considerata?*

Wirtebergenses edunt Epitomen Colloquii Mulbrunnensis.

Theologi Wirtenbergenses *ediderunt hoc anno non integrum Protocallum, seu integra Acta Colloquii Mulbrunnensis, sed tantùm simpliciem Narrationem seu Epitomen eorum, quum tamen utrinque Mulbrunna discedentibus, se cupere apertè illi dicerent, ut à scriptis acerbioribus utraque pars deinceps abstineret. Sed ad hoc se motos in præfatione sua Narrationis dicunt nonnullarum literis, quibus per universam Germaniam sparserint,* Wirtenbergicos *à Palatinis in hoc Colloquio erroris convictos, suam sententiam de Vbiquitate hominis Christi, nullo Scripturæ testimonia propugnare, aut tueri potuisse: sed tergiversantes, subinde magis magisque se implicasse: qua etiam causa fuerit, quòd optaverint* Wirtenbergici, *Acta disputationis dilacerari, comburi aut quavis aliâ ratione supprimi: quod tamen Electori Palatino persuaderi non potuerit: inprimis verò incredibile esse, quàm frivola* Wirtenbergici *de Cœna Domini attulerint, &c.*

Marbachius tres conciones.

Ioannes Marbachius *etiam Theologus Argentinensis ex Act. 1. cap. de Ascensione in cœlos Christi Servatoris nostri, tres conciones habuit hoc anno, 7. 14. & 21. Octob. quas etiam publicavit: In quibus realem transfusionem proprietatum omnium Divinæ Naturæ in humanam Christi probare conatur: & de Ascensione Christi in cœlos prodigiosa ac veteri puriori Ecclesiæ incognita docet.*

de Ascensione edit.

ANNVS M. D. LXVI.

De Confessione Helveticarum Ecclesiarum.

Occasio edita Confessionis Helveticæ.

H*Oc 1566. anno Confessio Helveticarum Ecclesiarum publicata est. Cùm enim Theologi quidam inquieti & turbulenti, in Germania Westphalus, Timannus, & alii in locis alii, non cessarent, multa de dissensionibus nostrarum Ecclesiarum in vulgus spargere, & præterea nos criminari, quòd de nullo ferè dogmate fidei puram, & rectam fidem habeamus; existimârunt viri prudentes, utile fore, si communis Confessio edatur, ex qua iudicium fieri posit de doctrina nostrarum Ecclesiarum. Actum est ea de re primùm à Tigurinis. Bernatibus & Genevensibus. Scripserat autem superiori anno Bullingerus in gratiam Illustrissimi cuiusdam Principis Confessionem, in qua præcipua dogmata comprehendebantur, & certa quadam forma doctrinæ proponebatur. Hoc quum scirent quidam fratrum, & audivissent illam Principi, ad quem missa fuerat, ac viris doctis plurimùm placuisse, eam sibi ostendi petierunt, & postea cognoscendam & iudicandam Bernam & Genevam misêre. Qui quum & ipsi eandem approbassent, actum est cum reliquis quoque Fœderatis nostræ Religionis: Ac* Rodolphus Gualtherus *Scaphusium, Basileam & Mylhusium missus fuit. Approbarunt itaque illam, & huic subscripserunt omnes Evangelicæ alia Ecclesia per Helvetiam & Rhætiam, unâ Basileâ exceptâ. Huius autem Ecclesiæ Ministri, responderunt, nuper denuò à se editam esse Basiliensis Ecclesiæ confessionem, cui omnes subscripserint: quare non videri sibi necesse, ut denuò alteri subscribant. Rursus ab illis pettitum fuit, ut liceat bonâ ipsorum gratiâ, in Præfatione honorificam facere mentionem Basiliensis confessionis, ac testari, quòd reliquis urbibus probetur & inter se consentiant, sed ne hoc quidem illis placuit. Causam enim hanc iustam & aquam* Simon Sulzerus *omni conatu impediebat: nec tamen omnes ei adstipulabantur, sed fuerunt multi, qui secessionem nullam à reliquis Helvetiæ urbibus Evangelicis faciendam esse censebant.*

Capita Helveticæ Confessionis.

Capita verò Confessionis huius hæc sunt: 1. *De Scriptura sancta, vero Dei Verbo.* 2. *De interpre-*

terpretandis Scripturis sanctis: ubi & de Patribus, Cancilii & Traditionibus. 3. De Deo, Vnitate eius, ac Trinitate. 4. De Idolis vel imaginibus Dei, Christi & Diuarum. 5: De adaratione, cultu, & invocatione Dei, per unicum Mediatarem Iesum Christum. 6: De providentia Dei. 7: De creatiane rerum amnium, de Angelis, Diabolis, & Hamine. 8. De lapsu hominis: ubi & de peccata, & causa peccati. 9: De libero arbitria, adeoque viribus haminis. 10: de Prædestinatione Dei & Electione Sanctarum. 11: De Iesu Christa vero Deo & hamine, unica mundi Saluatore. 12. De Lege Dei. 13: De Evangelio Iesu Christi: item de pramissianibus, Spiritu & Litera. 14: De Pœnitentia, & Connersione haminis. 15: De vera fidelium Iustificatiane. 16: De Fide & banis Operibus, earumque mercede, & merito haminis. 17: De Catholica & Sancta Dei Ecclesia, & unica Capite Ecclesiæ. 18: De Ministris Ecclesiæ, eorumque institutiane, & afficiis. 19: De Sacramentis Ecclesiæ Christi. 20: De sancta Baptisma. 21: De sacra Cœna Damini. 22: De Cœtibus sacris & Ecclesiasticis. 23: De Precibus Ecclesiæ, Cantu & Horis canonicis. 24: De Feriis, Ieiuniis, ciborumque delectu. 25: De Catechesi, & ægrotantium cansalatiane vel visitatiane. 26: De Sepultura fidelium, curaque pro mortuis gerenda: de Purgataria, & apparitiane Spirituum. 27: De Ritibus, Ceremaniis & mediis. 28: De Banis Ecclesiæ. 29: De Cœlibatu, Caniugia & Oeconomia. 30: De Magistratu.

Articulus Helvetica Confessionis de Cœna Domini.

Caput autem 21 Canfessianis huius de sacrosancta Cœna Domini, de verba ad verbum ita habet. Cœna Domini, quæ & mensa Domini, & Eucharistia, id est, gratiarum actio nuncupatur vulgò, quòd à Christo in ultima illa Cœna sua instituta sit, eamque adhuc repræsentet, ac in ipsa spiritualiter cibentur & potentur fideles. Author enim Cœnæ Dominicæ, non est Angelus aut homo ullus, sed ipse Dei Filius Dominus noster Iesus Christus, qui primus eam Ecclesiæ suæ consecravit. Durat autem ea consecratio vel benedictio adhuc apud omnes eos, qui non aliam Cœnam, sed illam ipsam celebrant, quam Dominus instituit: ad quam verba Cœnæ Domini recitant, & in omnibus ad unum Christum verâ fide respiciunt, ex cuius veluti manibus accipiunt, quod per ministerium Ministrorum Ecclesiæ accipiunt. Retinere vult Dominus ritu hoc sacro, in recenti memoria, maximum generi mortali præstitum beneficium, nempe, quòd tradito corpore & effuso suo sanguine, omnia nobis peccata nostra condonavit, ac à morte æterna & potestate diaboli nos redemit, jam pascit nos suâ carne, & potat suo sanguine, quæ vera fide spiritualiter percepta, alunt nos ad vitam æternam. Et hoc tantum beneficium renouatur toties, quoties Cœna Domini celebratur. Dixit enim Dominus: *Hoc facite in mei commemaratianem.*

Author & consecrator Cœnæ.

Cœnâ Domini retinetur memoria beneficiorum Dei.

1566.

Signum & res signata in Cœna.

Obsignatur etiam hac Cœnâ sacrâ, quòd reuera corpus Domini pro nobis traditum, & sanguis eius in remissionem peccatorum nostrorum effusus est, ne quid fides nostra vacillet. Et quidem visibiliter hoc foris Sacramento per Ministrum repræsentatur, & veluti oculis contemplandum exponitur, quod intus in anima invisibiliter, per ipsum Spiritum S. præstatur. Foris offertur à Ministro panis, & audiuntur voces Domini, *Accipite, edite, Hoc est carpus meum, Accipite & dividite inter vas, Bibite ex hoc amnes, Hic est sanguis meus.* Ergo accipiunt fideles quod datur à Ministro Domini, & edunt panem Domini, ac bibunt de poculo Domini: intus interim operâ Christi per Spiritum S. percipiunt etiam carnem & sanguinem Domini & pascuntur his in vitam æternam. Etenim caro & sanguis Christi, verus cibus & potus est ad vitam æternam: & Christus ipse, quatenus pro nobis traditus & Salvator noster est, illud præcipuum Cœnæ est, nec patimur quicquam aliud in locum eius substitui.

Caro & sanguis Christi quomodo percipiantur à fidelibus.

Vt autem rectiùs & perspicaciùs intelligatur, quomodo caro & sanguis Christi sint cibus & potus fidelium, percipianturque à fidelibus ad vitam æternam, paucula hæc adjiciemus. Manducatio non est unius generis. Est enim manducatio corporalis, quâ cibus in os percipitur ab homine, dentibus atteritur, & in ventrem deglutitur. Hoc manducationis genere intellexerunt olim Capernaïtæ sibi manducandam carnem Domini, sed refutantur ab ipso Ioh. c. 6. Nam ut caro Christi corporaliter manducari non potest citra flagitium aut truculentiam, ita non est cibus ventris. Id quod omnes fateri coguntur. Improbamus itaque canonem in Decretis Pontificum, Ego Berengarius, de Consecrat. Distinct. 2. Neque enim credidit pia Vetustas, neque nos credimus, corpus Christi ore corporis manducari corporaliter, vel essentialiter.

Manducatio corporalis in Cœna.

Spiritualis manducatio corporis Christi.

Est & spiritualis manducatio corporis Christi, non ea quidem, quâ existimemus, cibum ipsum mutari in spiritum, sed quâ manente in sua essentia & proprietate corpore & sanguine Domini, ea nobis communicantur spiritualiter, utique non corporali modo, sed spirituali, per Spiritum sanctum, qui videlicet ea, quæ per carnem

1566. & sanguinem Domini pro nobis in mortem tradita, parata sunt, ipsam inquam remissionem peccatorum, liberationem & vitam æternam, applicat & confert nobis, ita ut Christus in nobis vivat, & nos in ipso vivamus, efficitque ut ipsum, quò talis sit cibus, & potus spiritualis noster, id est, vita nostra, verâ fide percipiamus. Sicut enim cibus & potus corporalis, corpora nostra non tantùm reficiunt & roborant animas nostras, sed etiam in vita conservant: ita & caro Christi tradita pro nobis, & sanguis eius effusus pro nobis, non tantùm reficiunt & roborant animas nostras, sed etiam in vita conseruant, non quatenus quidem corporaliter eduntur & bibuntur, sed quatenus spiritualiter nobis à Spiritu Dei communicantur, dicente Domino, *Et panis quem ego dabo, caro mea est, quam dabo pro mundi vita.* Item, *Caro* (nimirum corporaliter manducata) *non prodest quicquam, spiritus est qui vivificat. Et verba quæ loquor vobis, spiritus & vita sunt.*

Christus cibus conseruat in vita.

Christus editur fide.

Et sicut oportet cibum in nosmetipsos edendo recipere, ut operetur in nobis, suamque in nobis efficaciam exerat, cùm extra nos positus, nihil nobis prosit: ita necesse est nos fide Christum recipere, ut noster fiat, viuatque in nobis, & nos in ipso. Dicit enim, *Ego sum panis vitæ. Qui venit ad me non esuriet, & qui credit in me, non sitiet unquam.* Item, *Qui ederit me, viuet & ipse propter me: ac manet in me, & ego in ipso.*

Quid per spiritualem cibum in Cœna intelligatur.

Ex quibus omnibus claret nos, per spiritualem cibum, minimè intelligere imaginarium nescio quem cibum, sed ipsum Domini corpus pro nobis traditum, quod tamen percipiatur à fidelibus, non corporaliter, sed spiritualiter per fidem. In qua re sequimur per omnia doctrinam ipsius Salvatoris Christi Domini apud Iohannem 6. cap.

Manducatio ad salutem necessaria.

Et hic esus carnis, & potus sanguinis Domini, ita est necessarius ad salutem, ut sine ipso nullus servari possit. Fit autem hic esus & potus spiritualis etiam extra Domini Cœnam, & quoties, aut ubicunque homo in Christum crediderit. Quò fortassis illud Augustini pertinet, *Quid paras dentem & ventrem? Crede, & manducâsti.*

Sacramentalis manducatio.

Præter superiorem manducationem spiritualem, est & sacramentalis manducatio corporis Domini, quâ fidelis non tantùm spiritualiter & internè participat vero corpore & sanguine Domini, sed foris etiam accedendo ad mensam Domini, accipit visibile corporis & sanguinis Domini Sacramentum. Prius quidem, dum credidit fidelis, viuificum alimentum percepit, & ipso fruitur adhuc, sed ideo, dum Sacramentum quoque accipit, nonnihil accipit. Nam in continuatione communicationis corporis & sanguinis Domini pergit, adeoque magis magisque incenditur, & crescit fides, ac spirituali alimoniâ reficitur. Dum enim viuimus, si les continuas habet accessiones. Et qui foris verâ fide Sacramentum percipit, idem ille non signum duntaxat percipit, sed ipsâ quoque, ut diximus, fruitur. Præterea idem ille institutioni & mandato Domini obedit, lætoque animo gratias pro redemptione suâ totiusque generis humani agit, ac fidelem mortis Dominicæ memoriam peragit, atque coram Ecclesia, cuius corporis membrum fit, attestatur: obsignatur item percipientibus Sacramentum, quòd corpus Domini non tantùm in genere pro hominibus sit traditum, & sanguis eius effusus, sed peculiariter pro quovis fideli communicante, cuius cibus & potus sit ad vitam æternam.

Incredulis sibi sumunt sacramentum in iudicium.

Cæterùm qui nulla cum fide ad hanc sacram Domini mensam accedit, Sacramento duntaxat communicat, & rem Sacramenti, unde est vita & salus, non percipit. Et tales indignè edunt de mensa Domini. Qui autem indignè edunt de pane Domini, & de poculo eius bibunt, rei fiunt corporis & sanguinis Domini, & ad iudicium sibi edunt & bibunt. Nam cùm verâ fide non accedant, mortem Christi contumeliâ afficiunt, & ideo damnationem sibiipsis edunt & bibunt.

Præsentia vera corporis Christi in Cœna.

Ergo corpus Domini & sanguinem eius, cum pane & vino non ita coniungimus, ut panem ipsum dicamus esse corpus Christi, nisi ratione sacramentali, aut sub pane corporaliter latitare corpus Christi: ut etiam sub speciebus panis adorari debeat, aut quicunque signum percipiat, idem & rem percipiat ipsam. Corpus Christi in cœlis est ad dexteram Patris. Sursum ergo eleuanda sunt corda, & non defigenda in panem, nec adorandus Dominus in pane. Et tamen non est absens Ecclesiæ suæ celebranti Cœnam Dominus. Sol absens à nobis in cœlo, nihilominus efficaciter præsens est nobis: quantò magis sol iustitiæ Christus, corpore in cœlis absens nobis, præsens est nobis, non corporaliter quidem, sed spiritualiter per viuificam operationem, & ut ipse se nobis præsentem futurum exposuit, in ultima Cœna Ioan. 14. 15. 16. Vnde consequens est nos non habere Cœnam sine Christo, interim tamen habere Cœnam incruentam & mysticam, sicuti universa nuncupavit Vetustas.

Admone-

Admonitio Cœnæ. Admonemur præterea celebratione Cœnæ Dominicæ, ut memores simus, cujus corporis membra facti simus, & idcirco concordes simus cum omnibus fratribus, ut sanctè vivamus, & non polluamus nos flagitiis,& peregrinis Religionibus,sed in vera fide in finem usque vitæ perseverantes, studeamus excellere sanctimoniæ vitæ.

Præparatio ad Cœnam. Decet ergo,ut accessuri ad Cœnam,priùs nos ipsos juxta præceptum Apostoli probemus, inprimis quali fide simus præditi, an credamus Christum venisse, servandis peccatoribus & ad pœnitentiam vocandis, & an quisque credat, se in horum esse numero, qui per Christum liberati servantur; & an mutare vitam pravam instituerit, ac vivere sanctè perseverareq; auxiliante Domino,in vera religione & in concordia cum fratribus, dignasque Deo pro liberatione agere gratias, &c.

De ritu Cœnæ & utraque specie. Ritum, modum, vel formam Cœnæ, illam existimamus esse simplicissimam & præstantissimam, quæ proximè accedit ad primam Domini institutionem,& Apostolicam doctrinam: quæ videlicet constat annuntiatione Verbi Dei, precibus piis, ipsâ actione dominicâ, & repetitione eius,manducatione corporis, & potu sanguinis Domini, memoriâ item mortis dominicæ salubri, & gratiarum actione fideli, nec non sanctâ consociatione in corporis ecclesiastici unionem. Improbamus itaque illos, qui alteram speciem, poculum inquam Domini, fidelibus subtraxerunt. Graviter enim hi peccant contra institutionem Domini dicentis, *Bibite ex hoc omnes*: id quod ad panem, non ita expresiè dixit.

De Missa. Missa qualis aliquando apud Veteres fuerit, tolerabilis an intolerabilis, modò non disputamus:hoc autem liberè dicimus, Missam, quæ hodie in usu est,per universam Romanam Ecclesiam, plurimas & justissimas quidem ob causas, in Ecclesiis nostris esse abrogatam, quas sigillatim ob brevitatem nunc non commemoramus. Certè,approbare non potuimus, quòd ex actione salubri, spectaculum inane est factum, quòd item facta est meritoria, vel celebrata pro pretio,quodque in ea Sacerdos dicitur conficere ipsum Domini corpus, & hoc offerre realiter, pro remissione peccatorum vivorum & mortuorum: adde & in honorem & celebrationem, vel memoriam Sanctorum in cœlis, *&c.*

Confessioni Helveticæ qui subscripserint. *Subscripserunt huic Confessioni omnes omnium Ecclesiarum Christi in Helvetia Ministri, qui sunt* Tiguri, Bernæ, Scaphusij, Sang lli, Curiæ Rhetorum *& apud* Confœderatos, *in Ecclesiis Evangelium profitentibus eis & ultra Alpes,* Mylhusij *item &* Biennæ. *Quibus adiunxerunt se quoque Ministri Ecclesiarum quæ sunt* Genevæ *&* Neocomi. *Sed & consenserunt in ipsam jam editam Ministri* Ecclesiarum Polonicarum, *quæ sunt in Ducatu* Zathoriensi, *&* Osuiecimensi. Scoticarum *quoque* Ecclesiarum *Ministri,qui Nonis Septembris Anno Domini 1566. scriptis ad Clarissimum virum Theodorum Bezam literis, inter alia dicunt:* Subscripsimus omnes qui huic Cœtui interfuimus, & huius Academiæ Sigillo publico obsignavimus. *Præterea* Debrecini *in* Hungaria, *edita & impressa est Confessio unà cum articulis quibusdam Septemb. 1. Anno Domini 1567. & subscripta Serenissimo Principi & Domino, D. Ioanni 2. electo Hungariæ Regi, &c. In qua inter alia hæc leguntur verba,* Omnes Ecclesiæ Ministri, qui in Conventu sancto ad 24. Febr. Anno Domini 1567. Debrecinum convocatos cis & ultra Tibyscum, inter reliquas Confessiones recepimus & subscripsimus Helveticæ Confessioni, Anno Domini 1566. editæ, *&c. Approbarunt etiam eam, tanquam suæ Confessioni, jam antea editam, in omnibus consentientem, totius* Angliæ, *& in* Gallia *reformata Ecclesia omnes: Ut, si numero Pastorum, Ministrorum, Diaconorum, Professorum, Ludimagistrorum, Collaboratorum,&c. Ecclesiarum, Academiarum & Scholarum in his amplissimis Regnis, Ducatibus, Provinciis, Civitatibus, &c. cum Concordiæ Libri Subscriptoribus certandum esset, ille hunc duplo vel triplo superaret.*

1566.

Acta & Scripta Editionem Confessionis Helveticarum Ecclesiarum consequuta in certamine Sacramentario.

Acta Mulbrunnensis Colloquij à Palatinis edita. CUm superiori anno præter omnium expectationem VVirtenbergicorum Theologorum Narratio de Colloquio Mulbrunnensi prodiret, magnoque studio per universam Germaniam spargeretur: Palatini Theologi integrum Protocollum, *hoc est,* Acta Colloquij Mulbrunnensis *ediderunt, ut ea ab utriusque partis ad eam rem delectis Notariis excepta & conscripta, ab utriusque partis Theologis collata & cognita, utque eorundem consentientia exemplaria, nomine & mãdato Principum subscripta atque eis tradita sunt. Nam ante Colloquium, priusquam in id consentire vellent Palatini Theologi, expressè & disertè à Principe suo Electore stipulati fuerant, ut si exoptata concordia maximè non consequeretur Colloquium,*

1566 *& quocunque tandem tempore de Colloquio isto Theologi Wirtenbergici sermone aut literis falsi quicquam evulgarent: sibi tum integrum esset, rem totam utut acta esset in lucem edere.*

Palatinorum responsio ad Mulbrunnensis Colloquii Epitomen.

Addita est in fine Protocolli seu Actorum Colloquij huius, Wirtenbergicorum Theologorum de hoc ipso Colloquio Narratio seu Epitome, cum Palatinorum Theologorum vera & constanti Responsione, ut inde appareat, quomodo hæc à VVirtenbergicis Theologis iureiurando firmata Epitome cum Protocollo atque ipsa veritate consentiat. Nam VVirtenbergici Palatinorum Theologorum tum dicta tum responsa transponendo, aut iis detrahendo & addendo, sua verò molliendo atque ornando, Narrationem magnâ obscuritate inuolverunt perturbarunt & ad fallendum mirificè composuerunt. Coacti igitur sunt Palatini Theologi VVirtenbergicorum Narrationi eiusmodi Responsionem opponere, ut & vanitas illius patefieret, quæque in ipsorum doctrina pervertissent aut obscurâssent, ea in integrum restituerentur & explicarentur, quæ mutilata essent explerentur, quæ sine causa reprehensa & oppugnata defenderentur, quæque falsò ipsis tributa & affícta essent refutarentur & repellerentur.

Collatio doctrinæ Antitrinitariorum & Vbiquitariorum de homine Christo.

Hoc anno quoque Alba Iulia ab Antitrinitariis editus est Liber de Mediatoris hominis Iesu Christi divinitate & æqualitate, *in quo ab Vbiquistis quidem in hoc dissentiunt, quòd unam tantùm in Christo naturam agnoscunt: in eo tamen conveniunt, quòd docent hominem effusione donorum fieri Deum. Nam quia Scriptura Christum (quem ipsi hominem tantùm naturâ agnoscunt) Deum esse testantur, in eo laborant, ut asserant hominis divinitatem, sive hominem Deum factum esse: & ad hoc probandum has septem rationes afferunt.*

1. Hominem Christum ideo Deum esse dicimus & fatemur, quia est proprius Dei Filius, conceptus utique de Spiritu, ex utero virginis, & per eundem Spiritum declaratus Filius Dei & Deus.

2. Eundem Christum hominem Deum esse censemus, quia dedit ei Deus nomen, quod est super omne nomen, id est nomen Dei Salvatoris.

3. Dicimus ob id Christum hominem Deum esse, quòd omnis plenitudo divinitatis in illo corporaliter inhabitat.

4. Quia data illi fuit omnis potestas in cœlo & in terra. Quis verò hinc Christum omnipotentem factum esse negabit?

5. Quia Deus unctus esse dicitur, & Spiritum Dei accepit absque mensura, constitutusfuit in Regem regum, In Dominum, dominantium, Sacerdotem unicum & Pontificem, q. æ prerogativæ alteri homini competunt.

6. Quia Deus eundem ab Angelis adorari voluit, & ut illi genu omne flectetur.

7. Ideo Deum esse credimus, quòd soli homini Christo datum sit, ut habeat vitam in seipso, & ut quicquid facit Pater, ille similiter faciat.

Christum hominem Antitrinitariis Deum esse propter communicationem Deitatis.

Ex his non obscurum est intelligere, Christum hominem Deum esse, ab Antitrinitariis dici & agnosci, non [illegible] *propter æternam Filij Dei, cui unitus est, sed propter communicatam homini Deitatem, quam in eodem libro cap. 7. Formam Dei, in qua Christus homo fuerit, à Paulo vocari dicunt.* Hanc enim Pauli mentem fuisse censemos, *aiunt*, quòd Christus cùm esset in forma Dei, id est, omnia tegens Verbo virtutis suæ, & paternâ potestate donatus, omnium Dominus, & expressa Dei imago factus, non est arbitratus rapinam, se esse in sublimi illa Dei forma, sed eâ & omnipotestate, quam habebat spoliatus, formam servi induere voluisse. Idem verò est dicere Paulo, Esse in forma Dei, & æqualem Deo. Nam si nulla ratione Christus æqualis esse potuisset, quomodo eundem in forma Dei & verè humiliatum fuisse dicemus? Ideo enim propriè dicitur humiliatus, quia erat ad æqualitatem exaltatus, & in forma Dei constitutus. Paulus enim non de invisibili aliquo Filio Dei æterno, qui verè humiliari nullâ ratione potuit (juxta Sophistarum deliria) sed de homine Christo loquitur, de quo ait: Qui cùm esset in forma Dei, & æqualis potentiæ efficaciâ, id est, cùm esset ad dexteram Patris evectus, noluit illâ abuti maiestate & potentiâ, sed ad vilissimi hominis speciem se demisit. *Item: Franciscus Davidis & Blandrata,* Plenitudo divinitatis, *aiunt*, accipitur pro donis divinis, quibus Christus exædificatus est, sine defectu, ut omnes nos ex ipsius sapientia participaremus, & impleremur. Significat igitur plena dona Dei, quæ ex parte etiam fidelibus dantur. *Item:* De æqualitate & inæqualitate Filij cum Patre, id in Ecclesia docemus, nempe Filium Patri æqualem esse divinitatis plenitudine, quâ per unctionem Spiritus Sancti Messias noster, Rex & Sacerdos factus est, pari omnipotentiâ, & divinæ maiestatis potestate à Deo Patre donatus. Nam juxta hanc donatæ potentiæ, donorumque absque mensura, & cum omni plenitudine à Patre acceptorum, efficaciam, hæc æqualitatis ratio considerari debet, interim tamen semper Dei Patris Monarchicæ dignitatis prærogativâ inviolatâ manente. Nam Christus expressè

expressè dicit, *Pater maior me est.* Item: *Nihil potest Filius à seipso facere.* Et: *Omnia mihi tradita sunt à Patre meo.*

Hac sic de hominis Christi Deitate, ac forma Dei, ipsiusque cum Deo aqualitate Antitrinitarij, quoi manifestum est, omnes Scriptura locos, de Christi Deitate, ad communicatam Diuinitatis plenitudinem, omnipotentiâ, aliaq, Spiritus sancti dona, qua huic homini sine mensura sint data, fraudulëtâ peruersitate detorquere.

Vbiquitarij idē docent de homine Christo quod Antitrinitarij. Brentius.

Hoc autem eadem prorsus fraude, per realem suam Idiomatum, quam docent, Communicationem faciunt Vbiquitarij. Brentius enim in libro de Maiestate Christi fol. 19. *Antitrinitariis, omnino consentiens, sic scribit:* Voco autem in præsentia Diuinitatem Christi, non eam, quam Filius Dei in se ab æterno habuit, sed quam tempore incarnationis Filio hominis communicauit, seu participauit. Alia est enim Diuinitas communicans; seu participans: alia communicata seu participata: sicut alius est donator, aliud donum. *Item:* Nulla creatura tam abiecta est, cui non communicetur aliquid Deitatis: In homine autem Christo non adumbratur tantùm aliqua pars Deitatis, sed Deitas in eo absoluitur perfectissimè, hoc est, communicatur in omni sua plenitudine. *Hoomodo vult in Christo, iuxta Pauli dictum Coloss.* 1. *omnem diuinitatis plenitudinem habitare. Et de forma Dei Christo eodem libro pag.* 80. 81. *sic scribit.* In hoc Pauli loco, vocabulum *forma Dei* accipiendum est pro proprietatibus, conditionibus, & ornamentis Deitatis, quibus Filius hominis, quem Filius Dei in vnam personam assumpsit, propter personalem vnionem decoratus est. Homo igitur Christus habuit ab initio incarnationis participatam sibi diuinitatem, aut æqualitatem Dei, vt esset verè omnipotens, omnisapiens, & omnipræsens. Hoc est enim hominem Deo æqualem esse.

Schmidlinus.

Quibus consentanea passim scribit Schmidlinus. Postquam enim in sua contra Ingolstadienses Apologia, ista Scriptura loca, Matth. 28. *Ioh.* 3. *Psalm.* 110. *Ephes.* 1. *Col.* 1. *& Hebr.* 2. *recitasset; Hæc, fol.* 25. *ait*, sunt testimonia illustria, quæ docent, cur homo Christus dicatur Deus, non quia Deus sit in ipso (qui in omnibus creaturis est non modò naturâ, sed etiam secundùm subsistentiam) sed quia in assumptione carnis dedit huic homini omnem potestatem in cœlo & in terra, ornauit ipsum omniscientiâ & sapientiâ, communicauit ei omnia dona Spiritus sancti, collocauit eum super omnem principatum, dedit ei nomen super omne nomen, quod nomen est Dei nomen. Et hoc est hominem quoque esse Deum. Nam de æterna Filij diuinitate, quæ in se est, hic nihil disputamus: Et hoc nisi fateantur nobiscum pij omnes, sequetur aut Christum non esse adorandum, secundùm humanitatem, aut si adoratur, manifestam idololatriam committi. *Et pag.* 39. Vt vno verbo dicam, cùm hominem Deum esse dicimus, nihil aliud per hoc intelligimus, quàm quòd homo ad dexteram Dei sedeat. Quod sedere ad dexteram, est hominis diuinitas, quæ aliàs nulli creaturæ contingit. *Et Protocoll. Heidelb. fol.* 164. Quatenus homo fuit Christus, potuit mori, & quatenus Deus, habens communicatam Deitatem, potuit mortem, quæ totius mortis expiatio esset, superare. *Item in Epitome Colloquij Maulbrun.* Hunc hominem Deus ita in unitatem personæ assumpsit, ut omnem maiestatem sibi communicarit, non quòd humanitas sit Deitas, sed quòd homo factus sit æqualis Deo, & Deus in hunc hominem omnem suam maiestatem & gloriam effuderit: ita (vt hoc appositè declarem) quòd sicut Pater habet vitam in seipso: Sic etiam dedit Filio habere vitam in seipso, & potestatem faciendi judicium, propterea quòd Filius hominis est. Itaque hic homo Christus non alienâ virtute, ut Petrus, sed propriâ suâ maiestate excitat mortuos: Est enim secundùm humanitatem non tantùm viuus, sed etiam virtutem habet alios viuificandi, & tanquam homo à mortuis excitandi: Sicut etiam propter hanc virtutem caro ipsius viuificus cibus esse dicitur. Vnde Ioannes ait: Ex plenitudine eius omnes accepimus, cuius potentia & virtus non est ad mensuram, sed qui Spiritum accepit absque mensura, quod non de diuinitate ipsius, sed humana natura est dictum. *Ibidem:* Forma Dei apud Paulum non est ipsa Dei essentia, sed communicata maiestas & omnipotentia humanæ naturæ, secundùm quam Deo æqualis est. *Et contra Ingolst. fol.* 22. Hæc, *inquit*, est plenitudo Deitatis, id est, donum Spiritus, non ad mensuram. Non est enim ipsa natura aut substantia Spiritus sancti, aut οὐσία, sed donum, inquam, homini Christo collatum.

Antitrinitarij & Vbiquistæ in quibus consentiant.

Ex hac collatione doctrina Antitrinitariorum & Vbiquitariorum, de Deitate hominis Christi, omnes, nisi cacutire velint facilè vident & intelligunt, in hisce duobus summum inter ipsos consensum esse: Primò, *quòd hominem Christum Deum esse faciunt, non aterna, & coessentiali illâ cum Patre, sed communicata tãtùm, per donum & gratiam, Deitate, quam humana Christi natura competere, ob eamquetantùm hominem Christum verè Deum dici summopere conten-*

1566. *contendunt. Sic enim paßim in Thesib. Wittemberga disputatis, & alibi sape docet Schmidlinus,* Christum hominem, non per hypostasin, sed humanæ naturæ respectu, propter communicatam in tempore omnem Deitatis plenitudinem, propriè Deum, atque sic etiam adorandum esse. Secundò, *quad pracipua sacra Scripture dicta & testimonia, quibus amnis pia & orthodoxa Patrum Antiquitas veram & naturalem in Christo Deitatem aduersus hareticos prabauis, utrique ad communicatam Christo, ut homini, Deitatem, omnino consimili fraude detarquent: qua ipso quid aliud quasa faciunt, quàm quad Ecclesia argumenta, aeternam & coessentialem cum Patre Deitatem in Christo probandi, nefaria & scelerato conatu ex manibus excutiunt, & orthadoxa Vetustatis cansensum dissoluunt? Hac si paulò diligentius pius Lectar apud se reputauerit, facillimè deprehendet, quinam illi sint, qui viam sine Arianisma, sine aliis Antitrinitariis, ac denique Turcico Alcarana sternant.*

Iudicia de Schegkij libello de una persona & duabus naturis in Christo.

Cùm anno superiore D. Iacobus Scheckius *librum edidisset, de una persona & duabus naturis in Christa, in quo suam sententiam de carnis Christi in omnibus locis prasentia exposuit; varia de ea fuerunt haminum apinianes. Aliqui apinabantur, eum substantiam carnis Christi reipsâ & per se in pluribus sine amnibus uno tempare locis collocare. Alij verò, quibus notiar erat, contrarium eum dacere ac sentire arbitrabantur. Quidam peculiarem quandam apinionem ab ea defendi suspicabantur, qua inter utramque partem media statueretur. Plerique omnes, se non satis assequi, quanam mens ipsius esset, ingenuè fatebantur: Inter has aliqui fuerunt, qui cùm paginas aliquot sine fructu perlegissent, reliqua inspicere noluerunt, cum Augustino dicentes, nolle se eum intelligere, qui intelligi non vellet. Accidit autem ut vir quidam doctus à* Thoma Erasto *Declarationem Schegkiana sententia peteret, cui se difficilem prabere noluit. Scriptam verà suam Declarationem etiam aliis quibusdam ea cõsilia communicauit, ut de summa rei, banorum & doctarum aliquot virorum iudicia cagnasceret. Ab iis verò inscio & invito Erasto, suppressa tamen eius nomine, publicata est, id quod ideo factum doluit, quòd in hunc finem à se non esset scripta. Cùm primùm autem exemplar accepit, per idoneum hominem ad D. Schegkium transmisit, & se esse autharem eius indicavit, consiliumque suum in scribenda quod fuisset exposuit, ac tandem prater voluntatem expectationemque suam excusam significavit.*

Erastus scribit declarationem Schegkiana sententia, ac ea ab aliis editur in lucem.

Hac autem libri istius publicatia hac attulit commodi, quòd causam prabuit D. Schegkio *alterum librum scribendi, cui hunc titulum fecit,* Responsio Iacobi Schegkij, ad libellum Anonymi interpretis libri sui, de una persona & duabus naturis in Christo: *in quo suam sententiam, qua paulò expressa fuerat obscurius in priore libro sua, apertè, perspicuè, dactè & graviter exposuit. Inter alia scribit,* Duplicem corporis Christi præsentiæ modum esse: Vnum, qui actu primo, Alterum, qui actu secundo definiatur. Priore modo & actu primo, corpus Christi absolutè & ratione naturæ suæ, quâ substantialiter humanum corpus & τό δέ τι est, absens hinc corporaliter & localiter tantùm in cœlo & non nisi in uno loco esse dicit: ac proinde hac absolutâ corporis & humanæ naturæ suæ ratione non esse in Eucharistia, quamvis sic quidem humanam naturam Divinitas Filij Dei ubique personaliter (hoc est in ipsa Filij Dei persona subsistentem) adiunctam seu unitam habeat. Nam ut impossibile est, Vnum, quatenus Vnum, esse duo: Ita quoque impossibile esse, vt vnum in vno loco definitum, simul pluribus locis comprehendatur, cùm hæc implicent contradictionem: Quia cuiusque rei οὐσία semel duntaxat sit, quod esse dicitur. *Reprehendit igitur Scholasticorum hac de re dogma,* qui unum idemque corpus substantiâ suâ, simul in cœlo corporaliter & extensâ suâ quantitate circumscriptum, atque etiam in Eucharistia, licèt absque hac quantitate, spirituali quodammodo præsens esse tradant. Hoc enim primò absurdum esse *ait,* ut idem numero & essentiâ corpus, discrepantibus in locis simul eodem tempore esse possit. Nam quatenus est in illo loco, non etiam simul extra illum esse posse, & si sit extra illum, non ampliùs esse in illo, aut si simul sit in illo, impossibilem implicari contradictionem. *Deinde,* si naturali sua quantitate præditum esse dicatur in cœlo, in sacramento verò, vt huius suæ quantitatis expers, hinc aliud maius absurdum sequi: nempe, vt idem numero Christi corpus simul sit in diversis generibus ἀντιδιῃρημένοις. Quatenus enim quantitatis expers οὐσία est, incorporei generis fore, siquidem spiritualis οὐσία nulla re à corporea distinguatur, quàm quòd illa quantitatis dimensionem & partium numerum non recipit, hæc verò ab indefinita quantitate: quâ omne quod corporeum est, partes habere dicitur extra partes, non magis quàm differentia ὑποστάσεως à sua specie separari possit. *Falsas itaque simpliciter esse dicit hypotheses, quibus hac corporalis prasentia opinio innititur: nempe,* corpus sine naturali & propria sua quantitate esse posse, & idem numero corpus, eodem tempore, simul habere partes extra partes, & in loco & etiam expers esse partium & loci: Denique corpus esse alicubi,

Præsentia corporis Christi duplex modus. Corpus Christi actu primo iuxta Schegkium est tantùm in uno certo loco.

Schegkius reprehendit Scholasticorum dogma de præsentia corporis Christi in Cœna & cœlo.

Hypotheses quibus opinio corporalis præsentia Christi innititur, falsæ.

Schegkius respondet Declarationi Erasti.

1566.

vt in subiecto, & quantitatem per se subsistere: *Quibus addenda est & illa ex qua superiores nascuntur, omnium falsissima hypothesis:* verbis videlicet Cœnæ hanc particulariter datam & inesse virtutem, vt miraculosâ quadam separatione quantitatis & humanæ formæ à corpore Christi, realem hanc in eo efficere posset mutationem. Sic enim corporalis præsentia esset mutatio ipsius veri corporis, à propria sua & in personæ unitatem assumpta forma & quantitate, in non habens formam & in non quantum: *Qua opinionum spectra puriori Vetustati incognita, post inuectum demum erroris præiudicium, à Sophistis famuiari & comminisci oportuit. Quibus vera illa Patrum hypotheses, ceu firma principia, sunt opponenda.* Adeò videlicet proprium esse corpori, quantitate suâ finitum atque circumscriptum esse & in loco contineri, vt ipsamet etiam diuinitas, si esset corpus, nec quantitatem, nec loci circumscriptionem effugere posset. *Item:* Spatia locorum si tollantur corporibus, nusquam esse & ideo nec esse quidem corpora. *Item:* Solius Trinitatis proprium esse, quia non est corpus, ut ubique sit tota & per spatia locorum non divisa: Quantumcunque autem corpus est, vel corpusculum vt loci occupet spatium, eundemque sic impleat, vt in nulla eius parte sit totum necesse esse. Atque hinc quia in Paulo, Petro, Ioanne & singulis quibusque sanctorum Christus, secundùm quod Verbum & sapientia Patris est, præsens sit, manifestè deprehendi incorporeæ naturæ maiestatem, quæ nec loco concludi, nec rursum vllo loco deesse possit. Denique non sic Divinitatem astruendam esse hominis, ne per hoc veritas corporis eius auferatur. *Ista verò superiora Schegkij, de præsentia corporis Christi, quæ prima actu, hoc est, substantiâ & veritate natura sua definita est, non tantùm contra Scholasticos, sed omnem prorsus corporalem ipsius humanæ naturæ Christi in pane præsentiam dici, nemo tam huius rei ignarus est, qui non intelligat.*

Actu secundo & efficaciâ præsens est Christi corpus in Cœna, iuxta Schegkium.

Posteriore modo & actu secunda, corpus Christi, non absolutâ ratione substantia & natura sua, sed ἐνεργείᾳ & efficaciâ, quatenus videlicet in mortem traditum & propter obedientiam ipsius redemptionis nostræ pretium est, definiri, atque hac ἐνεργείᾳ & relatiuâ ratione, quo ad nos, in Eucharistia præsens esse dicit: Vt itaque priore illo præsentia modo qualibet res ἀπλῶς & absolutè, secundùm substantiam suam, præsens esse intelligitur: Sic posteriorem hunc modum, qui est secundùm ἐνέργειαν & πρός τι & spiritualis quadam (ut ait) efficacia corporis in sacra illa pane, hoc est, obedientia & satisfactia, quam in corpore suo præstitit Christus ad nos relata, vocat accidentalem, quia videlicet absoluta corpori, quod est τὸ ὅ τι, accidat hac ratio obedientiæ, ipsa autem non sit absolutum corpus: Hoc modo Solem & astra, totumque cœlum, quamuis actu primo absentia & valde remota, actu tamen secunda terra præsentia dici. Aliter autem, quam hoc actu secundo ratione, corpus Christi in Eucharistia præsens esse posse, negat omnino. Proinde eos, qui aliter sentiunt, dicit non rectè sumere principia, sed conari (ut Aristoteles ait) omnia reuocare ad quasdam anticipatas animis falsas opiniones. Addit etiam, corpus Christi absolutâ ratione & præsentiâ primi actus, nihil prodesse, sicut nec ipse Sol, si hoc modo esset præsens, idque testatum fuisse Christum Capernaïtis, corporali suâ in cœlum ascensione & absentiâ. *Fatetur etiam,* Sacramenta non habere absolutam quandam οὐσίας rationem (*ut nonnulli perperam sentiunt*) sed ἐνεργείας & actiones esse, quæ constant signo & re signatâ: Signa corporis esse cibum: Re signatâ animam pasci & vegetari. *Denique sentit,* in verbis Cœnæ Domini, corpus Christi de pane non prædicari per se & absolutè, id enim Capernaïticum esse, sed per accidens, ratione videlicet, τοῦ παραδιδομένου prædicari, hoc est, quatenus in mortem est traditum, quo significetur saluifica quædam vis, & ἐνέργεια corporis Christi, non autem absoluti corporis localis quædam præsentia, qua corpus ipsius in cœlo jam est & priùs erat in terra. Porrò hanc spiritualem energiam & efficaciam inesse pani sacro, non vt sit corporea quædam qualitas aut energia: Inesse tamen aliter pani, quàm in fomentibus, sicut energia luminis aliter est in corpore pellucido, aliter in ipso visu.

In aliis autem plerisque dictis, de indignorum videlicet manducatione, & quomodo corpus Christi, ut unum, à multis participetur, adeò obscurus est & perplexus in hoc libello Schegkius, ut difficulter, quid verè & cauilanter velit, intelligi possit, nisi quòd, ut ex suprà dictis apparet, corpus Christi veritate substantia sua pluribus in locis esse, apertissimè, & quidem impunè Tubingæ, ausus sit negare.

Edita quoque est hoc anno Geneva, Augustanæ Confessionis cum sacra Scriptura & orthodoxis Patribus Conformitas & Concordia in doctrina de Sacramento Cœnæ Dominicæ.

Iacobi Andreæ *Homilia, de verò sensu, usu & multiplici abusu Sacramenti corporis & sanguinis Domini. Tubingæ, Germanicè.*

Wittenbergensium *Theologorum postrema Responsio contra Heydelbergenses, de Maiestate*

1566. *iestate hominis Christi, eiusque præsentia in sacra Cœna. Tubingæ. Germanicè.*

Ioannis Matthæi libellus de Cœna.

Ioannes Matthæus Schmalcaldensis edidit *libellum, cuius titulus est*: Quæstio, Vtrùm corpus Christi objiciatur actionibus illis externis Cœnæ Dominicæ, in proprio suo subiecto, materia sive substantia absolutè, & per sese in ipsa Christi persona considerata? An verò in Sacramento, signo vel symbolo. *Respondet autem per affirmationem posterioris, & refutationem prioris quæstionis. In fine adiecit* Propositiones, breviter complectentes doctrinam catholicam & orthodoxam, de Incarnatione Verbi, unione personali, Communicatione Idiomatum, de corpore Christi & eius præsentia in Cœna, Ascensione Christi in cœlum; Sessione eius ad dexteram Patris, & de conditione corporum nostrorum post resurrectionem. *In hoc libello tota de Cœna Domini Controversia ita tractatur, ut sufficeret unus ad assequendam in hac causa veritatem. Nullis querelis, nullis exclamationibus, aut aliis amplificationum figuris Rhetorum & Vbiquistarum more author usus est: sed potiùs causam methodicè tractavit, ac veritatem confirmavit argumentis, à definitione generali Sacramentorum, à verbis Christi, & à simplici intellectu verborum sumptis: & ex uno fonte (cùm contrariorum eadem sit disciplina) veritatem confirmavit, & mendacia refutavit, idque sine ullius hominis læsione.*

De Comitiis hoc Anno Augustæ celebratis, in quibus nonnulli Fridericum Palatinum Electorem, propter sententiam orthodoxam de Cœna, ex pace Imperij excludere conati sunt.

Hoc ipso quoque anno Comitia Imperij Augustæ sunt habita. In his Principes nonnulli, duo inprimis, impulsu atque instinctu, ut constanter affirmabatur, Flaccianorum Theologorum, *Electorem Palatinum* Fridericum *prôpter doctrinam de Cœna, vel non inter Ordines Augustanæ Confessionis numerandum, & à Pacificationis publica formula omnino excludendum, vel ad certa quadam verba & loquendi modos in articulo de Cœna obstringendum & cogendum esse censuerunt. At verò non solùm Illustrissimus Elector se paratum esse dicebat, eam doctrinam, qua in Palatinatu publicè doceretur, ex sacratissimo Bibliorum codice & Augustana Confessione, qua Dux* Ioannes Casimirus *parentem à tergo subsequens, manibus gestabat, probare: sed etiam cæteri Electores ac* Principes, *iniustam hanc postulationem de excludendo & damnando pio Electore suo calculo nequaquam approbarunt, sed legitimum potiùs Conventum, cum Electore de his amicè ac placidè conferendi, indicendum esse decreverunt. Ad postulationem etiam Cæsarea Maiestatis*, An Principes Electorem Palatinum pro Ordine & membro vel Socio Augustanæ Confessionis agnoscant? *hanc declarationem ediderunt*; Se nolle vel Palatinum Electorem, vel alios, in quibusdam controversis articulis ab ipsis dissentientes, in Germania aut aliis nationibus in discrimen & periculum vllum conjicere, multò minùs à pacificatione publica excludere, & Pontificiorum crudelitatem horribilem armare, miseris quoque, oppressis, modisque omnibus afflictis propter Verbum Christi, suam crucem acerbiorem reddere. Præterea Cæsaream Maiestatem facillimè judicare posse, Augustanæ Confessionis Ordinibus minimè convenire, aliis, qui in Religionis negotio cum ipsis non consentiant, dijudicandum tradere, quinam verè sint Augustanæ Confessionis, vel non: hoc enim prætextu facilè, absque Ordinum culpa, multis, inprimis verò infirmis, quos Christus pretioso sanguine suo redemit, maximam iniuriam inferri posse, quod exempla quotidiana satis superque testentur. Se quoque Cæsareæ Maiestati in memoriam revocare, quòd ne inter ipsos quidem Pontificios, de articulo Iustificationis, in quo tamen omnis salutis nostræ cardo vertitur, & penè infinitis aliis, in omnibus locis idem statuatur, eodémque modo semper doceatur.

Electores & Principes nolunt consentire in condemnationem Friderici Palatini Electoris.

Sed quia hoc Responsum, publicè coram Imperatore à Piissimis ac verè Christianis Electoribus, Principibus & reliquis Imperij Ordinibus datum, perpetuâ memoriâ dignum est, & ad refellendas Vbiquistarum calumnias aptissimum, hic quoque Germanicè de verbo ad verbum id inserere placuit.

Erklärung der Protestierenden Ständen/ von wegen deß Churfürsten/ Pfaltzgravens/ &c. Im Reychstag Anno 1566. zů Augspurg/ In causa der strentigen Religions puncten/ Keyserlichen Maiestet übergeben.

Auff der Keyserlichen Maiest. unsers aller genedigsten Herren gnedigs begehren/ den Churfürsten und Pfaltzgrauen belangend / ist der Churfursten Abgesandten Räthe / der abwesenden Fürsten und abwesenden Gesandten / auch der Graven/ Stätt und Ständ / der Augspurgischen Confession verwandte underthenige Erklärung / wie hernach folget.

Das erstlich ihrer Keys. Mai. underthänigst

nigst zudancken / das ihr Maiest: sich der Religions sach also gnedigst und vätterlich annimpt: vnd haben ihr Maiest. zů ötten / daß Sie in andern obligenden / bdie Religion betreffenden Sachen / deren gar vil ihrer Maiest. hievor schrifftlich für gebracht / solchen gnedigen fleyß auch erzeigen / und ihr die selb: vätterlichen befohlen sein lassen wolle.

Zum andern / hab man ihr maiest. begeren dahin verstanden / daß sich der Augspurgischen Confession verwandte Stänt erklären sollen / ob sie den Churfürsten Pfaltzgraven für ein Stand der Augspurgischen Confession verwandt hielten / und erkenneten nach den Secten under seiner Churfürstlichen Genade eyngerissen.

Dieweil sich dann gebürt in allen / und sonderlich in Religions sachen / ihrer Keys. Maiest. rund under augen zugehen / und der selben auff ihr gnedigst / und vätterlich begehren nichts zuverhalten: auch diese Stånd solch begehren nicht anderst vermercken / dann es zu richtigem gewissen / und unzweyfelhafftigem verstand der Augspurgischen Confession / und nit anderst gemeinet sey: So thun sich gemelte Ständ lauter und außtrucklich erklären / daß Sie darfür halten / daß der Churfürst im Hauptarticul der allein seligmachenden Iustification (in welchem sich anfengklich vor diser zeyt / die Religions zweyung erhaben) auch in vilen anderen artickeln dem wahren verstand der Augspurgischen Confession anhengig sey. Im Articul aber deß Heiligen Nachtmahls Können Sie nicht erkennen / daß es ihr Churf. G. mit der Augspurgischen Confession gleychförmig halten.

Dieweil aber ihr Churfürst. G. sich erbieten / daß Sie sich (wie es dise Ständ verstehen) in einer ordentlichen zusamenkunfft / durch Gottes wort weysen lassen wolle / auch sich dergleychen gegen ihr Keys. Maiest. selbst vernemmen lassen / und solches iezt in Schrifften gegen diesen Ständen widerumb erholet: So weren die Stånd der Augspurgischen Confession verwandt bedacht / sich deßwegen einer ordentlichen zusamenkunfft / und erkenntnuß mit ihrer Churf. G. noch allhie auff diesen gegenwärtigen Reychstag / so fern es müglich / zuvergleychen.

Es solten aber ihr Maiest. von allen Ständen der Augspurgischen Confession dessen gewiß seyn / daß Sie mit verleyhung Göttlicher hülffe / bey der zuvor erkannten und bekannten Augspurgischen Confession in ihrem reinen lauteren verstandt / wie derselb vor dieser zeyt gewesen / standhafftig gedachten zubleiben: auch nicht gestatten wölten / daß einige Sect / sie hiesse wie sie wolte / in ihren Kirchen mit ihrem willen statt / platz / oder raum hette / etc.

1566.

Und wiewol der Augspurgischen Confession verwandte / sich gewissens / und gehorsamshalben / auch der warheit zu beystandt / gegen der Keys. Maiest. dermassen erklärt / so wäre doch ihr gemüth / will und meinung gar nicht / den Churfürstlichen Pfaltzgraven / oder andere / so in etlichen Articulen mit ihnen streitig / in Teütschen oder frembden Nationen in einige gefahr / vil weniger auß dem Religions friden zustellen / oder auch deß gegentheils verfolgung (welche inn oder ausserhalb Teutscher Nation fürlaufft) zu billichen / stercken / oder den armen betruckten / bekümmerten / deß worts Christi / ihr creütz und verfolgung schwerer und grösser zumachen: Wolten auch die Keys. Maiest. underthenigist gebetten haben / keines wegs zugestatten / daß solche der Augspurgischen Confession verwandte Ständt / und ihre Keys. Maiest. gesuchte Christliche und nothwendige erklärung iezt / oder künfftiglich / der massen aufgelege und gedeütet wurde / wie dessen wegen zuvor in der schrifft / so ihr Keys. Maiest. überreichet / auch in andern mehr auff diesem Reichstag vorgelauffnen Erklärungs Schrifften genugsamliche außführung geschehen.

Nota

Ihr Keys. Maiest. köndten auch leychtlich ermessen / daß der Augspurgischen Confession verwandten Ständen nicht gebüren wolle anderen / so in der Religion mit ihnen nit gleychstimmen / iezt oder künfftigklich / das urtheil heim zusetzen / wen Sie darfür halten oder achten / der dem wahren verstand der Augspurgischen Confession seiner meinung gemeß sey. Dann under disem schein möchte / ohne diser Ständt verursachung / vilen leüten (und insonderheit den schwachgleubigen / welche Christus mit seinem blut erworben /) gewalt und unrecht beschehen. Wie der gleychen exempel biß anhero nit wenig für augen gewesen.

Es wolten auch ihr Maiest. sich gleicher gestalt erinneren / das auch bey dem Bäpstlichen theil / im Hauptarticel der Rechtfertigung vor Gott betreffend / und vielen anderen / nicht an allen orten gleychmässiger weyß gehalten und gelehrt werd.

Solches haben der Röm. Keys. Maiest. auff ihr suchen und begehren / die Ständ der Augspurgischen Confession zu underthenigster

1566. thenigſter Reſolution und Erklärund nit ohnangezeigt laſſen wöllen.

Quaſierat, ut dictum eſt, Imperator, An Ordines Imperij Electorem Palatinum Fridericum pro membro Auguſtanæ Confeſſionis agnoſcant? *Reſponderunt in hoc ſcripta*, 1. Non poſſe ſe aliter ſentire, quin is ſit inter Auguſtanæ Confeſſioois Ordines agnoſcendus, qui articulum de Iuſtificatione, & pleroſque alios cum Auguſtana Confeſſione congruentes retineat: etiamſi in doctrina de Cœna ab illa diſcedere videatur 2. Cenſent de illo articnlo cum Electore Palatino conferendum in Cooventu aliquo publico, & legirimo. 3. Sufficere debere Cæſareæ Maieſtati, quòd ipſi in ſua ſententia maneant firmi, & Sectas in ſuis Eccleſiis oullas ſint toleraturi. 4. *Proteſtantur, & obnixè rogant Caeſ. Maieſt.* ne hanc ſuam Declarationem ſic accipiat, atque interpretetur, quaſi ipſis in animo fuerit per eam, aut Electori Palatino, aut aliis ullis, abs ſe, vel in Germania, vel extra Germaniam, in dogmate de Cœna Domini, aut alio, diſſidentibus, ullum periculum creare, multò minùs etiam eos à Pace communi Religionis excludere, aut perſequutiones in eos factas ullâ ratiooe approbare, ſi modò in præcipuis fidei articulis, ac inprimis de vera Iuſtificatione hominis per Chriſtum rectè & orthodoxè ſentiant. 5. *Agnoſcnnt candide*, non eſſe ſui juris, aut poreſtatis, alios ab ſe diſſentientes, ubi ſint, vel nunc vel in poſterum, ſuis ſententiis damnare: Id enim non poſſe ſine iniuria atque violentia fieri eorum, pro quibus Chriſtus ſaoguinem ſuum fudit. 6. Proferunt exemplum Pontificiorum, qui etſi in multis diſſideant, oon ſeſe tamen invicem condemnant.

Noſtræ Eccleſiæ in his Comitiis non damnatæ fuerunt, ut Vbiquiſtæ affirmant.

Quæ quum ita ſint, ut eſſe nemo inficiari poterit, Vbiquiſtas hodie omnem pudorem & verecundiam abieciſſe oportet, qui aſſerere audent, nos, noſtraſque Eccleſias (quæ & articnlum de Iuſtificatione per unicum Mediatorem Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum, & pleraque omnia fundamentalia Chriſtianæ Religionis capita, puriſſimè ex Apoſtolorum ſcriptis, & ſententia Auguſtanæ Confeſſionis, docent) publicâ Confœderatorum Ordinum illius ipſius Auguſtanæ Confeſſionis ambarttate, jam pridem damnatas fuiſſe: atque hoc nixi fundamento, non erubeſcunt inſuper etiam legitimas pronunciare & defendere Patrum Bergenſium in ſuo libro Concordiæ condemnationes. At fundamentum hoc ex ſcripto iſta authentico falſi manifeſtiſſimè convincitur. Et quas illi ſuperſtruunt condemnationes, hoc ipſum Reſponſum iniquas eſſe atque violentas, candidè & rotnndè pronuntiat, etiamſi communi omnium Ordinum Conſenſu eſſent in abſentes promulgatæ: utpote qui nullum ius in alios ab ſe diſſentientes, habeant.

Adhortatio ad Vbiquiſtas.

Deſinant ergo Vbiquiſtæ turbulenti, illa de Orthodoxis ſpargere, quæ minimè vera eſſe hinc intelligunt: nec piiſſimis juſtiſſimiſque Principibus, atque Ordinibus Auguſtanæ Confeſſionis authores ſint, & inſtigatores, ut & ipſi à tam ſancta tamque juſta, ac ſeria Declaratione, atque Proteſtatione diſcedant: quâ ſe coram Deo & Cæſareâ Maieſtate, omnibuſque Germaniæ Statibus in perpetuum obſtrinxerunt: Quid enim aliud facerent, quàm eos inducere, ut & in propriam dignitatem atque conſcientiam; & in fratres ac vera Chriſti membra, ſcientes volentes peccent? ſeque inconſtantiæ, & iniuſtitiæ reos, & coram Deo, & coram ipſius Eccleſia, apertè conſtituant?

Adhortatio ad Principes Germaniæ.

Meminerint verò Illuſtriſſimi Principes, & prudentiſſimi Ordines, quàm hoc indignum & alienum, tum à ſua dignitate, tum à Chriſtiana Profeſſione fuerit, ſi technis, atque adulationibus aliquot turbulentorum, & inquietorum, ambitioſorumque Theologorum, ſe eò adduci patiantur, ut eiuſmodi iniuſtas condemnationes & à Pace publica excluſiones; in actum deducant: à quibus tam ſolenniter promiſerunt ſe in omnem poſteritatem abſtenturos. Meminerint etiam quam prudenter, tum obviam hoc ſuo Reſponſo ſapientiſſimo & Chriſtianiſſimo ierint, clandeſtinis & crudeliſſimis Pontificiorum conſiliis, quibus illos inter ſe committere moliebantur: ut eos tandem facilius opprimere, ab ſe invicem diviſos, valerent. Nec putent hunc illis animum ac voluntatem adhuc deeſſe, ubi eos viderint & animis & ſententiis, atque mutuis odiis penitus diſtractos, uſque adeò ut alij alios pro hæreticis & habeant, & publicè condemnent. Quàm enim & Satanæ, & ipſi Antichriſto, hoc voluntarium diſſidium, iſtæque importunæ, & ultraneæ condemnationes grata futura ſunt, quas tamdiu jam, tantiſque artificiis, ipſi antehac procurarunt? Videant igitur, & pro ſua prudentia conſiderent, tum Illuſtriſſimi Principes, tum Ordines ipſi omnes, & Eccleſiæ, quæ condemnationibus Bergenſium Theologorum in libro Concordiæ factis, aſſenſum aliquem præbuerunt; ne dum horum ſuaſu adhuc hodie orthodoxas Chriſti Eccleſias, & abſentes & inauditas, contra Maiorum ſuorum tam ſolennes Proteſtationes & promiſſa, damnant, ipſi

ſeſe

Responsio Friderici Electoris Palatini in Comitiis Augustanis Cæsari data, quum de doctrina in Ecclesiis Palatinatus rogaretur.

sese suasque Ecclesias in casses & retia communium hostium conjiciant.

Quoniam etiam mascula, constans & ingenua Confessio Illustrissimi Principis Palatini Electoris coram Cæsarea Maiestate, & totius Imperij Electoribus, Principibus ac Ordinibus edita, digna est quæ sempiternæ memoriæ commendetur, non ingratum pio Lectori fore arbitror, si ipsius quoque formalia verba adscribam. Ad ea igitur, quæ sibi nomine Cæsareæ Maiestatis in Conventu Electorum, aliorumque Principum per Ioannem Haldrychum Zasium die 14. Maij objiciebantur, his ipsis verbis respondit. So vil die Religion anlanget / da im namen Key. M. mir abermahls mit ernst auferlegt und befohlen / weyl mein Religion mit der Augspurgischen Confession gemeß / sondern mit dem Calvinismo beflekt seyn sol / das ich dieselbige enderen und abschaffen solte / Darauf hab E. K. M. zuvor und ehe ich abgetretten bin / in der person vermeldet / das in gewissens und glaubens sachen / ich nicht nicht als einen Herrn (der ein Herr aller Herrn / und ein König aller Königen were) erkennte / deß sinns und meinung bin ich noch: und sage derowegen / das es nicht umb ein kappen voller fleisch / wie man pflegt zusagen / zuthun / sondern das es die Seel / und derselben sehligkeit belanget / die habe ich von meinem Herrn und Heyland Christo in befelch / bin auch schuldig und urtietig ihme dieselbige zu verwahren. Darumb kan E. K. M. ich nicht gestehen / daß sie / sondern allein Gott / der sie erschaffen / darüber zugebieten habe: wil auch zu E. K. M. mich abermahls nit wenigers versehen / als das sie dise ding ab Executione solten anfahen. Und weyl ich Calvini Bücher nie gelesen / wie ich mit Gott und meinem Christlichen gewissen bezeugen mag / So kan ich umb so viel weniger wissen / was mit dem Calvinismo gemeinet. Ich habe aber hiebevor / zum andern mal zu Franckfurt einen Abscheid underschriben und versiglet / wie auch nachgehendes zu Naumburg / die Augspurg: Confession mit den fürnemsten weltlichen Chur- und Fürsten / gedachter Confession verwandten (deren ein guter theil allhier zur stell) underschriben und versiglet / darbey ich auch bestendig zubleiben gedencke / und das umb deren ursachen willen / das ich weiß / das solche in dem wort Gottes / das ist in H. Schrifft / Altes und Newes Testaments gegründet / und wird mich mit grund der warheit niemand beschuldigen können / das ich derselben zuwider gehandelt / wolt es auch noch ungern thun.

Belangend meinen Catechismum / bin ich deßselben bekentlich / es ist auch derselbige in marginibus mit fundamenten H. Schrifft dermassen armirt / das er ohn umbgestossen bliben / Ob es wol etliche Theologi understanden / so hat es ihnen doch gefehlet / und würde meines verhoffens mit Gottes hilff noch lenger ohnumbgestossen bleyben.

1566.

Demnach ich aber hiebevor E. K. M. privatim dergleychen in unserm der Churfürsten Rhat / in pleno consessu, auch etlichen meinen freünden hie zugegen ein erbieten gethan / Nemlich / da iemands / er sey iung / alt / gelehrt / oder ungelehrt / ia der geringste küchenbub oder stallbub / auß Gottes allein schlißmachenden wort / Biblischer Schrifft / Altes und Newes Testaments / mich eines besseren / als ich bißher underricht oder bericht gewesen / underrichten oder berichten köndte / das ich demselbigen nechst Gott danckbar seyn / und daneben Gott und seinem H. wort schuldigen gehorsam wolte leisten. Da nun in gegenwärtiger versamlung einer oder mehr / meiner Herren und freünden zugegen / so ein solches unternemmen wolten / wär ich begirig solches von denselbigen zuvernemmen / und ist die Bibel bald zur stelle zubringen. Da ab E. K. M. ein solche mühe selbst auff sich nemen und damit beladen wolte / gebüret mir ein solches umb E. K. M. höchstes vermögens umb dieselbige zuverdienen / wie ich mich darzu schuldig erkenne.

Bey disem meinem verhoffens Christlichem erbieten / wil zu E. K. M. ich mich underthenigsten getrösten / werden sie mich aller gnedigst bleyben lassen / und die sachen nicht ab Executione anfahen / nicht weniger / als lob seliger gedechtnuß / weyland Keyser Ferdinand E. M. H. Vatter seliger mich auch dabey bleyben lassen / und mein Gewissen nicht beschweret / da gleych wol ihr Mayestet gern gesehen / das bey E. K. M. Kön. krönung zu Franckfurt ich dem Bäpstischen Grewel der Meß beygewohnet hette.

Solte aber diß mein unterthenigs vertrauwen mir fehl schlagen / und man über diß mein Christlichs und erbar erbieten / mit ernst gegen mir handeln und fürnemmen solte oder wolte / so getröste ich mich deß / daß mein Herr und Heyland Jesus Christus / mir sampt allen seinen Gleubigen dise gewisse verheissung gethan / das alles was ich umb seiner ehre und Namens willen verlieren werde / mir in iener welt hundertfeltig sol erstattet werden. Thue

darmit

1566. darmit E. K. M. underthenigst zu gnaden befelhen. *Hoc est :* Quod ad Religionem attinet, quum mihi Cæsareæ Maiestatis nomine severè iterum mandetur & iniungatur, ut eam mutem & amoueam, quòd Augustanæ Confessioni non conformis, sed Calvinismo contaminata sit, ad id, priusquam ex hoc loco excessissem, in propria persona respondi, me in rebus Conscientiam & Religionem spectantibus, neminem alium præter unicum Dominum (qui Dominus Dominorum, & Rex Regum sit) agnoscere, in hac sententia adhuc persto: eamque ob causam dico, non jam tantùm de capitis periculo, sed de anima, eiusque æterna salute hîc agi, quam à Christo Domino & Seruatore meo accepi. Quamobrem hoc Cæsareæ Maiestati tribuere non possum, quòd in animam meam imperium habeat aliquod, sed id solius Dei est. Quumque Calvini libros nunquam legerim, quod sanctè per Deum, meamque ipsius conscientiam testor, planè nescio quid Calvinismi mentio hoc loco sibi velit. Ante hæc verò tempora bis Francofurtensi Recessui subscripsi, atque eum obsignavi: quemadmodum postea quoque Numburgi Augustanæ Confessioni, cum præcipuis secularibus Electoribus & Principibus, dictæ Confessionis Sociis (quorum magna pars huic Conuentui interest) subscripsi & eam obsignaui: eius sententiæ adhuc sum, & in ea in posterum quoque constanter permanebo: quòd sciam & firmiter credam, dictum Recessum & Augustanam Confessionem in Verbo Dei, hoc est, in sacta Scriptura Veteris & Novi Testamenti fundatam: nec vir bonus ullus de me dicere poterit, quòd unquam contra eam quicquam fecerim, sicut nec in posterum faciam. Quod ad Catechismum meum attinet, agnosco illum pro meo, & est is sanè in marginibus fundamentis Sacræ Scripturæ sic armatus & munitus, ut oppugnare & prosternere eum adhuc nemo potuerit, licèt nonnulli Theologi id aliquoties summis viribus attentârint. Porrò jam antea Cæsareæ Maiestati priuatim, deinde in Electorum Senatu, denique in pleno omnium Principum consessu promisi, si quis, cuiuscunque conditionis, status & ordinis homo, me ex solo Dei Verbo, seu Biblica Scriptura Veteris ac Novi Testamenti, meliora docere & erudite queat, quàm hactenus edoctus fui, quòd illi proximè post Deum gratissimus, Deo autem & Verbo eius obsequentissimus futurus sim. Si qui autem meorum Dominorum & Amicorum in hoc Conuentu id præstare vellent, age cupidissimè eos audiam, & ecce Biblia adsunt. Aut si vestra Cæsarea Ma. hunc laborem in sese recipere volet, ego certè quibuscunque possem officiis referre gratiam conarer. Spero igitur & confido me Cæs. V. Ma. hac meâ promissione sic satisfecisse, ut vim in me experiri nolit, sicut nec laudatissimæ memoriæ Parens vestræ Ma. Ferdinandus fecit, sed conscientiam meam liberam mihi reliquit: licèt rem gratissimam ei fecissem, si in Regia Coronatione V. Maiestatis, Missæ abominationibus Francofurti interfuissem. Quòd si verò spes hæc me fallat, & manus violentæ mihi injiciantur, agedum illud me solatur, quòd Christus mihi, aliisque fidelibus promisit, quicquid in hoc mundo propter suum nomen & gloriam perdiderimus, amiserimusque, id in æterna vita centuplum recepturi simus: Atq; hisce me simul Cæs. V. Maiestatis Clementiæ humiliter commendo.

De hoc masculo, ac Principe verè Christiano digno responso sequentia verba nobilissimus vir D. Carolus à Glauburg Francofurtensis, urbis Senator in manuscripto quodam liberis, nepotibusque suis, ad æternam memoriam reliquit : Weyland Pfaltzgraff Friderich Churfürst / der rechte / und wahre Christliche Fürst / hat ohngescheuce der Keyserl. Mayest. ander Chur- und Fürsten / auch des Bapsts zu Rom / und anderer seines anhangs / zu Augspurg Anno 1566. auf domahls gehaltenem Reychstag / seine Christliche Bekändtnus gethan / bey welchem conventu von eines ehrbahren Raths wegen der Stadt Franckfurt / Ich Carolus von Glauberg / beyneben Herren Anthoni zum Jungen gewesen / habe mit großer verwunderung gesehen / auß was unchristlichem Eyffer / Sie den Frommen zugegen / gern auß dem Religions-Frieden schliessen wolten: Er war aber dermassen getrost / starck / und Vest in Gottes wort / daß Er des Keysers / Bapsts / und ander Papisten / ja auch der Lutherischen Fürsten / wie Sie sich dann domahls nennen liessen / wenig achtet / sondern sich auf den Herren allein verließ / der Ihme durch seinen Geist eingab / was Er kecklich den Königen unter augen dürffte bekennen. Et non prævalebant portę inferorum adversus eum. Vidi ego faciem eius fulgentē sicut solem, nec in minimo movebatur ad insidias Diaboli. Qui antesignanus erat, & actor huius comœdię, ante elapsum annum sequētem deprecatus est

est veniam ab ipso Electore: In cuius testimonium is profectus est in Galliam in subsidium Hugonotorum, ibique vltimum diem clausit.

Neque Palatinus Elector, neque alii Confessionem eius de Cœna sequentes publicè vnquam & legitimè damnati. Flaccio Brentianis Antuerpiæ tumultuum causa sunt.

Quamvis autem legitimus Conventus propter obstacula & impedimenta multa, hanc actionem nullus sit subsecutus, multò minùs tamen post hoc tempus ulla publica condemnationis sententia, vel in Electorem Palatinum vel alios lata fuit. Quantum enim attinet ad paucorum quorundam Theologorum conventicula, & privatas eorum condemnationes, quæ ante & post hoc tempus facta sunt, sani & prudentes homines facilè intelligunt, eas causæ communi haud præiudicare debere.

Antuerpiæ etiam Principis Orengiani authoritate non erat illarum turbarum ea intemperies hoc tempore, quæ aliis in locis in Belgio ferè evagabatur. At malè sani homines otii nimium pertæsi, & ipsi aliud genus pugnas instituunt, accersentes cum Ecclesia reformata homi|nibus digladiaturos Matthiam Flaccium Illyricum: Spangenbergium & alios, obiecta de Cœna Domini *hac infelici controversia, disputationibus exagitanda, & quidem ab articulo* de Omnipræsentia corporis Christi *ducto disputationis initio. Proponitur disputationis ratio; omnia ad pugnam apparantur, dum perturbatior indies magis ac magis rumor stipendiarios illos Theologos è longinquis regionibus eò deductos, novo Augustanæ Confessionis commento promulgato, cogit rursus suis rebus providere, atque maturè vasis collectis emigrare: Turpi profectò, intempestivaque pugnandi cupiditate ad hoc tempus ridiculè demonstratâ: & importunè erga Principem Orengianum satagentibus, ut illius imperio Fideles Confessionem Augustanam reciperent: dum eum de auxilio ac defensione ad suam incolumitatem rogarent. In reditu, quum Spangenbergius Coloniam venisset, cuidam ex illo percontanti, ecquis rerum Antuerpiæ status esset? respondisse fertur,* Pendere ibi Christum inter duos latrones, Papistas & Calvinistas: *significare volens, Lutheranis Antuerpiæ non multùm esse loci & authoritatis.*

Belgica etiam Confessio Gallicè, omnium Belgicarum Ecclesiarum nomine, anno hoc primùm edita est, ac demum anno 1579. in publica Belgis Synodo repetita & confirmata, Belgicèque versa; anno verò 1581. Latinitate donata. Adscribam autem Confessionis huius articulum de Cœna, ut omnes, nullo pravo præjudicio fascinati, intelligant, quàm iniustè fuerint persequutiones Belgicarum Ecclesiarum, quamque iniquæ adhuc sint Papistarum & Vbiquistarum criminationes & calumniæ, cùm de earundem Ecclesiarum Confessionis aliis capitibus, tum verò præcipuè de Cœna Dominica doctrina ac sententia. Sic autem habet ea de Cœna. 1566.

Confessio Belgicarum Ecclesiarum De Cœna Domini.

Credimus etiam & confitemur, Iesum Christum Servatorem nostrum, sacrosanctum Cœnæ suæ Sacramentum instituisse, ut in ea sustentet ac nutriat eos quos iam regeneravit, & in familiam suam, nempe Ecclesiam inseruit. Qui verò regenerati sunt, duplicem in se vitam habent: unam quidem carnalem & temporariam, quam secum à primâ suâ nativitate attulerunt, & hæc communis est omnibus: Alteram spiritualem & cœlestem, quæ illis donatur in secunda illa nativitate, quæ fit per Verbum Evangelii in unione corporis Christi, & hæc solis electis Dei est peculiaris. Sicuti verò Deus panem terrenum & materialem ad huius vitæ carnalis & terrenæ conservationem, idoneum constituit, qui vi & ipsa vita omnibus est communis: ita & ad conservationem illius vitæ spiritualis & cœlestis, quæ fidelium propria est, Deus panem vivificum misit, qui è cœlo descendit, nempe Jesum Christum: Is nutrit & sustentat vitam fidelium spiritualem, si comedatur, id est, applicetur & recipiatur spiritu per fidem. Vt autem panem hunc spiritualem & cœlestem Christus nobis figuraret seu repræsentaret: instituit panem & vinum terrenum, & visibile in corporis & sanguinis sui sacramentum. Iis verò testificatur nos, quàm verè accipimus & tenemus manibus nostris & hoc sacramentum, illudque ore comedimus (unde & postmodum vita hæc nostra sustentatur) tam verè etiam nos fide (quæ animæ nostræ est instar & manus & oris) recipere verum corpus, & verum sanguinem Christi, unici Salvatoris nostri in animis nostris ad vitam spiritualem in nobis fovendam. Certissimum verò est Christum non sine causa tam sollicitè hoc sacramentum nobis commendare: utpote qui perficiat in nobis reuera, quæcunque ipse nobis his sacris signis repræsentat, quamvis modus ipse ingenii nostri captum superet, nec percipi à quoquam possit: quòd videlicet omnes Spiritus sancti operationes occultæ sint & incomprehensibiles. Cæterùm nequaquam erraverimus dicentes, id quod comeditur, esse ipsissimum Christi corpus naturale, & id quod bibitur, verum ipsius sanguinem. At instrumen-

Duplex regeneratorum vita.

Analogia signi & rei signatæ.

Fructus qui venit in Sacramentalis.

Sacramentalis manducatio non mera.

Ipsissimum Christi corpus.

1566.

Cœna quomodo edatur.

tum: quo hæc comedimus & bibimus, non est os corporeum, sed spiritus ipse noster, idque per fidem. Christus itaque semper ad dextram Patris in cœlis residet, nec ideo se minùs nobis per fidem communicat. Portò hæc Cœna est mensa spiritualis, in qua Christus seipsum nobis cum omnibus bonis suis participandum offert: efficitque ut in illa tam illo ipso quàm passionis mortisque ipsius merito perfruamur. Animam enim nostram miseram & afflictam, omnique consolatione destitutam, carnis suæ esu ipsemet nutrit, corroborat, & consolatur: sanguinis item sui potu, eam sustentat ac recreat. Præterea quamvis sacramenta sunt rei ipsi significatæ coniuncta; ambæ tamen res istæ non ab omnibus recipiuntur. Malus enim recipit Sacramentum in suam condemnationem, at rem seu veritatem Sacramenti non recipit: verbi gratia, Iudas & Simon Magus receperunt quidem ambo Sacramentum, Christum verò ipsum, qui illo significabatur minimè. Solis enim fidelibus Christus communicatur. Postremò huic nos sacramento sacrosancto in cœtu populi Dei, cum summâ humilitate & reverentiâ communicamus, memoriam mortis Christi Servatoris nostri cum gratiarum actione sanctè celebrantes: & fidei Religionisque Christianæ confessionem publicè ibi profitentes. Nemo itaque ad hanc mensam sese sistere debet, qui priùs non se probaverit, ne de hoc pane edens, & de hoc poculo bibens, iudicium ipse, & damnationem manducet & bibat. Vsu porrò Sacramenti huius accenditur in nobis fragrantissimus amor, tum in Deum ipsum, tum in proximum. Itaque nos hic quidem meritò omnes hominum ludificationes, & damnanda commenta (quæ illi sacramentis addiderunt & admiscuerunt) tanquam veram profanationem abiicimus: affirmamusque omnes pios unico illo ordine & ritu, quem Christus & Apostoli nobis tradiderunt, contentos esse, atque de mysteriis eodem modo loqui debere, quo illi sunt locuti.

Christi in Cœna præsentia.

Pana indigne cõmunicantium.

Præparatio.

Damnatio Pontificiorum.

Hoc ipsum de Cœna credunt, docent & confitentur etiam Angli, Galli, Scoti, Helvetii, Bohemi, Hungari, & Germani multi: idque multa millia tam virorum, quàm mulierum sanguine suo comprobârunt.

ANNVS M. D. LXVII.

Claudius Sainthe. sius scribit contra Bezam.

Claudius de Xaintes *Monachus Sorbonicus ediderat hoc anno*, Examen Calvinianæ & Bezanæ doctrinæ de Cœna Domini ex scriptis authorum eiusdem collectum: *in quo probare conatur, Calvinum & Bezam tum inter se, tum cum Tigurinis dissidere in hoc articulo. Sed eodem anno* Theodorus Beza *accurato scripto ei respondit, & nugas Monachi solidè refutavit: Cui tamen Fraterculus Sorbonicus mox aliam responsionem opposuit: in qua primùm Calvinum & Bezam accusat, quod in argumento Cœnæ Domini tum Germanicas, tum Helveticas Ecclesias, universum denique Christianum orbem sint ludificati: Deinde horrenda convitia & maledicta in utrumque evomit.*

Beza respondit Sainthesio.

Sainthesius Apologiam reponit.

Thomas Erastus *in lucem emisit* Responsionem ad libellum Schegkii, quo nuper anonymo libri sui, de una persona & duabus in Christo naturis, interpreti respondit.

Erastus respondit Schegkii libello.

Conscripsit etiam & in lucem edidit Ioannes Marbachius *magnum volumen huiusmodi titulo*: Christiana & vera probatio personalis unionis duarum naturarum in Christo. *In quo probare conatur duodecim rationibus, & Patrum* 40. *testimoniis, Christi corpus & humanitatem veram non in cœlo, tanquam in certo loco contineri, sed propter unionem personalem, unà cum Divinitate ubique diffusam & præsentem esse. In fine adversaria partis argumenta* 13. *contra hanc suam sententiam confutare ac diluere nititur. Inter alia pag.* 174. *sic scribit*: Quemadmodum de Christi Divina Natura non est absurdum, sed ipsissima veritas, quòd in cœlo, terra, & inferno sit, omniaque sustenter & gubernet, tam diabolos, quàm bonos Angelos, *&c.* Sic quoque verum est, quum humana natura cum divinitate sit indivisa & inseparabilis persona, quòd etiam personaliter in cœlo & terra sit. *Pag.* 197. Humana natura unione personali cum divinitate, in eum honoris & dignitatis gradum evecta est, ut deinceps quoque sit Deus.

Marbachii liber de Vnione personali duarum naturarum in Christo.

Abdias Prætorius *quoque scripsit librum de* discrimine sententiarum Lutheri, Sacramentariorum & Pontificiorum in materia de Cœna Domini.

Abdiæ Prætorii liber.

Obiit hoc ipso anno Martii 31. *Illustrissimus Princeps* Philippus Landgravius Hassiæ *magno dolore piorum, & incomparabili iactura Ecclesiæ. Qui inter primos illos & paucissimos Imperij Germanici Ordines, qui doctrinam Evangelii renascentem in Ditiones suas receperunt, præcipuo loco semper est habitus. Qui Marpurgensem Academiam primus fundavit, eamq; ut præclarum depositum filiis reliquit. Qui controversias non modo contra Pontificios, sed etiam inter Evangelicos motas, rectissimè intellexit. Qui doctrinam puriorem nõ solùm in territoriis suis benignè fovit, verùm etiam apud Ordines* vicinos,

Landgravius Hassiæ moritur.

1567.

vicinos, & exteros plurimùm promovit. Qui in perpetuis quasi excubiis pro tranquillitate Ecclesiarum Evangelicarum fuit. Qui gliscenti dissidio Eucharistico ab initio statim medicam manum admovere studuit. Qui suo sumptu Doctorem Lutherum, Philippum Melanchthonem, & his adjunctos, & superioris Germaniæ Theologos ad Colloquium Marpurgense evocavit. Qui præsentia, & authoritate sua perfecit, ut consensus in eo Colloquio constitueretur de omnibus articulis controversis, nisi quòd una hæc quæstio reliqua mansit: An corporaliter præsens sit in pane Eucharistico Corpus Christi, de qua nisi morbi contagiosi periculum, qui Sudor Anglicus tum nominabatur, Colloquium abrumpere coëgisset, haud dubiè etiam pax, & consensus aliquis constitutus fuisset. Qui postea etiam non acquievit priùs, quàm post Augustanam Confessionem exhibitam, superioris Germaniæ Civitates (salva & inviolata confessione earum) in Suinfurtensi pacificatione, in societatem Augustanæ Confessionis, & pacis publicæ, & quæ secuta sunt, fœderum, inter Status Protestantes reciperentur. Qui deinceps quoque inter ipsos Theologos superiorum Civitatum, & Doctores Witebergenses, *pietate, & prudentia sua, actiones de concordia direxit, atque ad finem optatum perduxit, cùm operam diligenter navâsset, non solùm ut* Witemberga *concordia iniretur, sed postea etiam in celebri illo Conventu Smalkoldensi publica authoritate confirmaretur. Qui tactis his initiis Concordiæ inter Germanicas Ecclesias, non destitit, inter Helvetios quoq; & Doctorem Lutherum confessionem mutuam urgere: Quam admisso articulorum concordiæ* Witebergensis *declaratione Buceriana, & confessione Helvetiorum à D. Luthero approbata, pars utraq; lucidè non obscurè ostendit, ac palàm testificata est. Qui ut consensio illa, tum inter Germanicas Ecclesias, tum etiam cum Helvetiis coalesceret firmius, hortator Philippo Melanchthoni, & aliis fuit, ut decimus Articulus Augustanæ Confessionis recognosceretur ad eum modum, quo (nemine ex Ecclesiis Evangelicis, ac ne Luthero ipso quidem contradicente) in sequentibus colloquiis, & comitiis omnibus Statuum Protestantium nomine oblato illi in posterum fuit. Qui cùm bellum adversus Protestantes, Pontificum Romanorũ impulsu in Germania motum esset: pro defensione doctrinæ Evangelii, extremum vitæ, ac fortunarum suarum discrimen subivit. Qui capto Iohanne Friderico Electore Saxoniæ socio ejusdem belli atque periculi, cùm sistere se hosti irato maluisset, quàm subditos suos prædæ exponere etsi sinoniis artibus Albani Ducis in custodia detentus aliquandiu fuit, tamen filii* Wilhelmi *Landgravii & Generi Mauritii Electoris Saxoniæ studio ac opera liberatus, & patriæ restitutus omnem vitam suam reliquam ad ornandas, & coniungendas Ecclesias Evangelicas contulit. Constituta autem pace publica in Passaviensi conventu, non cessavit operam & curam omnem impendere, ut inter Status Augustanæ Confessionis conjunctio, quantum fieri omnino potuit, salva esset. Itaque novo ac tristi schismate per Flaccium Illyricum contra Scholam Vuitebergensem excitato, nec diu pòst, etiam disputationibus Vbiquisticis exortis: magno studio remedia salutaria ad sananda hæc vulnera adhibuit, diligentem operam navans, ut in Francofurtensi, postea etiam in Naumburgensi Recessu via muniretur, ad restituendam pacem Ecclesiis. Atque extat etiamnum illius manus, quæ ad libros Brentii in quibus dogma ubiquitatis in theatrum reducebatur, adscripsit dogma illud ubiquisticum idem esse cum Schuvenckfeldii dogmate. Extant & Epistolæ eius graviter scriptæ, in quibus librum Confutationum Vinariensium seriò improbavit, & damnationes, ac anathematismos nondum facta legitima causarum cognitione justissimo Zelo reiecit, & detestatus est. Nam in omnibus Imperij Conventibus Evangelicam Religionem constanter semper professus est, & unus maximè omnium laboravit in tollendis dissidiis Ecclesiarum: solus etiam sese Theologorum quorundam furoribus opposuit, qui toti in hoc erant, ut nostræ Ecclesiæ publico Principum iudicio damnarentur. In testamento quoque suo,* Concordiam Vuitebergensem commendavit filiis suis, *additô hac expressâ cautione,* Ne præiudicio ullo onerarentur, qui in Ecclesiis & Scholis Hassiacis consensum cum illa profiterentur. *Quod exemplum ut laude dignissimum est in hoc Principe: Sic immoderatis quibusdam Theologis exemplo esse debebat hodie, ut desinerent aliquando Eristica scripta furoribus suis prætexere, & ad eum saltem statum, sacramentariam causam deduci rursus paterentur, in quo fuit olim, cùm Concordia VVitebergæ facta fuit.*

Testamentum Landgravii.

Convenêre post mortem Landgravii Illustrissimi aliquot Germaniæ Principes: & deliberatione habitâ de componendo certamine Sacramentario, visum est illis, Ecclesiis utile fore, & initium pacis futuræ constituunt, ut partis utriusque Theologi nihil de hac causa denuò in publicum edant, quandoquidem causa hæc scriptis utrinque satis disceptata sit. Atque Illustrissimus Princeps Wilhelmus Landgravius *literis ad Bullingerum datis, petit, ut & ipse pro sua moderatione huic sententiæ pareat, & reliquis per Helvetiam Ministris auctor sit ut idem faciant. Non difficulter hæc ab Helveticarum Ecclesiarum Mi-*

Conventus Principum, in quo silentium impositum est Theologis concordiæ & pacis hostibus.

1567. 1568. 1569. 1570.

nistrû impetratum fuit, qui alioqui pacis amantes, inviti in hoc certamen pertracti fuerant: Ac paruerunt Principum voluntati, donec rursus coacti importunitate adversariorum, qui nunquam interea cessarunt nostros oppugnare & convitiis proscindere, iusta & sancta causa defensionem denuò susceperunt.

ANNVS M. D. LXVIII.

Instauratio Certaminis Sacramentarii post silentium utrique parti à Principibus mandatum.

C*Vm superiori anno 1567. à quibusdam Germania Principibus pacis Ecclesiarum amantibus, silentium utrique parti mandatum esset, nihilominus tamen inquieti & prafracti quidam Theologi, contemptâ Principum authoritate, acerbis & virulentis libellis alteram partem ad infelix hoc certamen subinde lacessere & provocare non destiterunt. Nam hoc anno* 1568. Responsionem *edidit* Herman Hamelmã *ad dicta Patrũ, qua pro sua assertione, quod Christus homo sit in loco, Zuingliani afferunt. Item: Quo modo Calvinistarum Liturgia non sit conformis Liturgiis, qua fuerunt usitata in primitiva Ecclesia.*

Hamelmanus certamen Sacramentarium instaurat

Editum etiam est Jacobi Schegkii *Responsum ad Simonis Simonii libellum, quo conatus est librum de una persona & duabus naturis in Christo refellere. Respondet etiam Erasto, & explicat, Schegkium non consentire cum Erasto.*

Schegkius respõdet Simonio & Erasto

Habuit praterea Iacobus Andreæ *conciones 33. Esslinga, quas etiam edidit, in quibus de aliquot articulis controversis, maximè verò de Cœna Domini agit, & ubiquitatem corporis Christi defendit.*

Schmidlini côciones Esslingenses.

ANNVS M. D. LXIX.

H*Oc anno* Jacobus Schmidlinus *Theses de duabus in Christo naturis, atque earundem Idiomatum sive proprietatum communicatione evulgavit.*

Schmidlinus theses de duabus in Christo naturis, &c.

ANNVS M. D. LXX.

M Artinus Kemnitius *edidit hoc anno* Explicationem de duabus in Christo naturis: de hypostatica earum unione: de Communicatione Idiomatum: quomodo utraq; natura in Christo agat cum communicatione alterius: & quid humana natura in Christo, præter physica Idiomata, ex hypostatica cum Divinitate unione acceperit.

Kemnitii liber de duabus in Christo naturis.

In hoc libro Kemnitius *longo circuitu verborum, & longa circumductu capitum, & multis pramunitionibus longissimis prius extructis, in summa huc redit, & Lectorem deducere eodem studet, quò antea Brentius, quò Iacobus Andrea, quò Musculus,* Carnem Christi *nimirum* adesse reali, & essentiali præsentiæ modo In, Sub, Cum signis S. Cœnæ, quoniam *ἀπεριχωρήτως, ut ipse loquitur, id est, eodem interprete,* immanentiâ, & immeatione *inter se realiter communicat Deitas λόγου natura humana assumpta omnia essentialia sua Idiomata ac operationes, ab eaq; natura humana illa essentialia Deitatis Idiomata essentialiter participantur. Hoc verò quid aliud est, quàm Brentii sententiam interpolare, & eam aliquantulum imminutam recoquere? Nam Kemnitius quidem ait,* Christi carnem illo modo realis præsentiæ præsentem esse, non quidem vbique, *(quemadmodum tamen Brentius, & Iacobus loquuntur)* sed ubicunque, quandocunq; vult Christus, *quam quidam* Multivolipræsentiam *appellant. Hac igitur est sententia Kemnitii, & hic totius huius voluminis verissimus scopus, etsi aliò tendere videtur.*

Kemnitiani libelli huius error. Kemnitius vult Christi corpus realiter esse in symbolis Cœna, propter περιχώρησιν qua communicat divinas humanitati omnia sua essentialia dona.

Hoc autem verum esse, ex ipsomet demonstrare volumus, inprimisque ex huius libri cap. 30. *ubi istius scriptionis mens est expressa, prasertim pagina* 479. *lin.*16. *Illic enim contendit primùm generaliter,* Christum etiam post ascensionem, & ante iudicium corpore suo adesse, & præsentiam corporis sui exhibere posse in terris, quandocunque, ubicunque, & quomodocunque vult, etiam in visibili forma. *Deinde pag.* 481. *ait,* Quòd Christus in actione Cœnæ suæ, quæ in conventu Ecclesiæ in his terris iuxta institutionem celebratur, velit corpore suo, & sanguine suo adesse, *nempe In, Sub, Cum signis Cœna, essentiali & reali corporis, & sanguinis sui prasentiâ, sine tropo, ut ipse subjicit, non autem fidei tantùm prasentiâ, id est, sacramentali.*

Differentia inter Brentii & Kemnitii sententiam de Vbiquitate Kemnitiã multivoli prasentia.

*Quia verò ait idem pag.*481. Magna, acris & vehemens est de hac quæstione controversia, *quatuor rationes pracipuas, qua ex hypostatica unione sumuntur, ordine recenset à pag.* 487. *& deinceps, ut suam illam sententiam de reali corporis & sanguinis Christi prasentia in his terris, & in sacra Cœna fulciat, si possit. Qua rationes quoniam intelligi non poterant, nisi priùs explicatâ duarum in Christo naturarum unione, ac tradita communicationis earum vario genere (qua hujus unionis effectum est) idcirco & de Vnione duarum in Christo naturarum hypostaticâ, & de communicationis istius variis generibus agit, prolixissimè quidem omnia, sed non verè omnia: imò pleraque falsissimè & scribens &*

sentiens

ſentiens. Cur autem tam longè ſua iſtius opinionis, de eſſentiali præſentia carnis Chriſti cum ſignis & in his terris, fundamenta quærat, & ab ouo, vt vulgò dicitur, rem iſtam repetat, nimirum ab vnione hypoſtatica, imò ab ipſa vocabulorum eſſentiæ, perſonæ, abſtracti, concreti, idiomatis *explicatione, ratio eſt: quòd quum ſentiret ipſe (& quidem verè) quòd humani corporis (quale eſt corpus Chriſti etiam glorificatum) veritas ac proprietas non admittat, aut ferat, ut unum corpus pluribus in locis ſimul, ac ſemel ſubſtantiâ ſuâ adeſſe poſſit, vidit ille quidem in ipſo limine ſe, ſuamq́ſententiam ex eſſentiali illa veri corporis proprietate perſpicuè refutari. Modum igitur, & rationem nodi iſtius, certè plus quàm Gordiani, non ſoluendi, ſed diſſecandi iam tandem reperit, nempe, quòd propter communicationem ipſius eſſentialis Deitatis λόγου Maieſtatis factam humanæ naturæ aſſumptæ, ut cenſet, per hypoſtaticam unionem duarum in Chriſto naturarum: non obſtet illa eſſentialis veri corporis proprietas, quò minùs corpus Chriſti (quod verum corpus eſſe etiam nunc concedit) adſit ſubſtantiâ ſimul pluribus in locis. Hoc quidem vel ſtatim ἀσύστατον eſſe apparet, quoniam vel verum corpus ſtatuit, quod privatum ſit ſua, id eſt, veri corporis eſſentiali proprietate: vel contradicentia dicit, nempe unum, atque idem corpus verum, eſſe poſſe uno duntaxat in loco, & ſimul pluribus in locis.* Hoc, *inquam, procul dubio eſt ἀσύστατον, ſed tamen à Kemnitio toto hoc volumine defenſum.*

Kemnitius diſſentire volens à Brentio & Schmidlino in eadem vitia cum illis incurrit.

Atque ut hoc tueretur, in eadem planè vitia incurrit, in quæ & Iacobus Schmidlinus, & Andreas Muſculus, & ii omnes Vbiquitarii, quorum & errorem damnat ipſe Kemnitius, & nomen fugit. Nam primùm omnium ſummam doctrinæ eandem habet, quam illi, nimirum, ut iuxta modum viſibilis converſationis, & iuxta illam circumſcriptam, & localem formam præſentiæ ſui corporis, iuxta conditiones, & rationem vivendi huius ſeculi, Chriſtus carne ſua non adſit præſens in his terris: iuxta verò modum Maieſtatis ipſi à Deitate λόγου communicatæ, iuxta inuiſibilem formam, & ſupra phyſicas conditiones, adſit Chriſtus reali & ſubſtantiali ſui corporis præſentia in his terris, & in, ſub, cum ſignis S. Cœnæ. Præterea itidem hic, quemadmodum & illi, triplex corpus Chriſto tribuit: Naturale, Glorioſum, Majeſtaticum. *Nam tertium hoc corporis genus Chriſto œconomiæ, ſeu hypoſtaticæ unionis ratione affingit. Æſtus animi eoſdem, & eadem ἄτοπα ſua ſententia, quæ alii Vbiquitarii Brentiani, Flacciani, & Muſculani, videt Kemnitius, nec tamen ea diluit, nimirum de multiplicatione, replicatione, diffuſione, expanſione, extenſione, ac immenſitate corporis & ſanguinis Chriſti. Rationes denique neque meliores, neque potiores, ſed prorſus eaſdem affert, quas cæteri Vbiquitarii, duntaxat vocabulo, ſeu fuco* communicationis *palliat ac interpolat, quod alii* effuſionem *dicunt.*

1. Pag. 473

2. Pag. 477 & 497.

Pag. 481 482.

1570.

Kemnitii 4. rationes quibus in hoc ſuo dogmate nititur.

Sunt autem quatuor rationes præcipuè quibus ipſe nititur. 1. Quòd hæc Chriſti verba, Hoc eſt corpus meum, *ſunt verba Teſtamenti, ergò non figurata. 2. Quòd τὸ ῥητὸν in his verbis expreſſè ſit urgendum, nullus autem ſit in illis, quamvis Sacramenti verbis, loquendi tropus. 3. Quòd cùm dicitur Chriſti corpus (quod eſt verum corpus) pluribus in locis ſimul eſſe non poſſe, ad phyſicas, id eſt, ad veras veri corporis & eſſentialis notas, & proprietates recurritur. 4. Quòd maieſtaticum Chriſti corpus eſſe poteſt ubicunque vult: nec loco, aut dimenſione ſit circumſcriptum, locale, aut comprehenſum. Quanquam tamen ipſe pag 512. lin. 13. aliud apertè ſcribit. Quæ certè ſunt eadem, quæ alii Vbiquitarii habent, argumenta.*

Pag. 483. Pag. 485. Pag. 518.

Pag. 496

Kemnitius articulos fidei pugnantes cum ſuo errore depravat.

Denique eodem modo, quo cæteri, articulos fidei pugnantes cum hoc ſuo errore depravat. Nam Chriſti aſcenſionem ſupra hos omnes viſibiles cælos interpretatur tandem cum Andrea Muſculo (quicquid ipſe excuſare c. 30. velit) eſſe Chriſti in his terris præſentiam ſecundùm humanam etiam naturam, ſed nequaquam viſibiliter, nec eodem modo converſationis, quo nos inter nos hîc vivimus, & ſumus. Cœlum negat eſſe certum mundi locum, ſed vult eſſe divinam virtutem pag. 510. lin. 6. à fine. Itaque ait carnem Chriſti eſſe in cœlo, uti Deus ipſe dicitur eſſe in cœlo.

Pag. 510. 511.

Kemnitiani dogmatis fundamenta.

Illa quoque à nobis prætermitti non poſſunt, quæ Kemnitius ponit velut quatuor ſui dogmatis fundamenta, ſuntque apud hunc tanquam Myſteria, id eſt, aliis incognita arcana: verùm falſa, ſed quæ tamen ſunt paucis explicanda. Illa verò ſunt 1. Quid ſit in abſtracto naturas Chriſti cogitare. 2. Quid ſit unam naturam cum alterius communicatione quod ſuum, & proprium eſt, agere. 3. Quid ſit naturarum in Chriſto περιχώρησις. 4. Quomodo dicantur Chriſti actiones θεανδρικαί. *Quæ quatuor, ſi, quid propriè ſignificent, expoſuerimus, iam omnium Kemnitii argumentorum ſolutio erit facillima.*

1.

At verò quod ad primum, putat ille voces has, natura in abſtracto conſideratur, *à nobis uſurpari pro,* Natura extra unionem Perſonæ cogitatur, *quod quum ille dicit, certè vel noſtram ſententiam non aſſequitur, vel in ea manifeſtè prævaricatur. Nos enim apertè, perſpicueque & dicimus & ſcribimus,* Naturas in Chriſto in abſtracto conſiderari, *eſſe eas in ipſa unione perſonæ manentes, cogitari ex ſeſe, & in ſeſe, & ex ſuis eſſentialibus proprietatibus quæ neque illis adimi, neq́ mutari,*

Naturas in abſtracto conſiderare quid ſit.

1570. *vel impediri ullo modo possunt.*

Secundum autem illud, nempe, Naturam unam cum alterius communicatione agere, quod suum est, ac proprium, *sic interpretatur Kemnitius, quasi significet,* Naturam unam in Christo alteri naturæ realiter tribuere & communicare essentiales suas proprietates & operationes, *veluti quòd natura Christi humana assumpta, sit reipsa per unionem cum Deitate λόγου facta particeps ipsiusmet essentialis virtutis, potentiæ & operationis quæ Deitati λόγου essentialis est, adeò ut iam una eademque potentiâ utraque illa natura agat, seu operetur, quæ sua sunt. Quòd si verum est, neque iam unius naturæ Christi propria operatio manet illius propria, quum sit communis: neque iam duæ operationes sunt in Christo, sed una duntaxat, eaque composita, id est, ex utraque, divinâ nempe & humanâ operatione conflata, quæ certè fuit ipsissima Monothelitarum hæresis, eaque iam pridem tota Oecumenico Concilio 6. refutata. Sed & Patres ipsi, qui has phrases usurpant, ostendunt, se κοινωνίαν ἀντὶ ἑνώσεως, id est communicationem pro unione in hoc dicendi genere sumere. Nam ex Patrum mente, quum una natura in Christo dicitur agere, quæ sua sunt, cum communicatione alterius, id significat unam naturam agere cum unione alterius, seu unitam cum altera eiusdem Christi natura, non seorsim subsistentem, ne propter diversitatem propriarum operationum, diversitas quoque colligeretur suppositorum, quod nuper collegit, sed ineptissimè, Laonicus quidam Tubingensis. Sic Athan. ad Epict. vocat κοινωνίαν illā ἕνωσιν Verbi ad carnem. Cyrill. in epist. Synodali ad Nestor. negat,* sic unum Christum esse Deum, & hominem, ut coniunctione & participatione unius dignitatis, & authoritatis duo dicuntur unum, *quæ tamē est explicatio Kemnitii. Fulgent. ad Trasimun. lib. 3.* Divinitas particeps passionum carnis nō fuit, licèt susceptæ carni, nec in passione defuerit. *Idem ad Donatum.* Nunquam homo à Deo gratiam salutis acciperet, si in una persona Christi divinæ humanæque naturæ communio (*id est, unio*) non maneret. *Idē.* In una persona Christi est divinæ, humanæq; naturæ communio. *Damasc. li. 4. c. 19. vocat κοινωνίαν ἕνωσιν* naturarum. *Cassianus lib. 1. de Incarnatione Filii Dei.* Humanitati divina communicantur, id est, uniuntur *: addit enim,* manente in sua perfectione naturaliter utraque substantia. *Sic in Chalcedonensi Concilio dictum est,* utraque natura agit cum communione alterius: *id est, manens unita alteri, non autem participans essentiales ejus proprietates. Lutherus in Isaiam cap.* 53. Ipsa communio unit istas naturas in unam personam. *Idem in Danielem c.* 7. Hic homo Mariæ filius est, & vocatur omnipotens, æternus, Deus: creator & conservator omnium, per communicationem Idiomatum, quia cum Divina Natura una persona, adeoque verus Deus est. *Denique Kemnitius ipse sic tandem explicat eas phrases, quibus tribuuntur humanæ Christi Naturæ ea, quæ sunt Divinæ propria, ut κατ' ἄλλο sumendum illud existimet, & in eo rectè ille quidem sentit. Ergo vel ipso Kemnitio teste, communio illa est Unio, & phrasis ista,* Una natura in Christo agit, quæ sua sunt, cum communione alterius, *significat, manens cum unione, seu manens unita alteri naturæ in eadem persona: non autem participans, seu possidens, seu habens essentialem alterius proprietatem, quoniam una natura participans alterius essentialem proprietatem; participat quoque ejusdem essentiam. Quod de duabus illis Christi naturis sentire est absurdissimum.*

Pag. 308 & 409.

Tertio loco interpretatur Kemnitius in hoc argumento περιχώρησιν Permeationem *seu* penetrationem unius naturæ in alteram. *Quid autem hoc dogmate & fundamento perniciosius & magis falsum? Est enim περιχώρησις, reciprocatio prædicationis, quum ea quæ sunt propria unius naturæ, de altera in concreto dicuntur: & in summa hæc περιχώρησις est κοινωνία ἰδιωμάτων. Damascenus enim appellat eam ἀντίδοσιν, alii ἀλλοίωσιν, non quòd Natura Divina, vel illius essentialis proprietas, in humanam: aut Humana in Divinam immeet, & penetret, & pervadat, quod tamen ipse sentit. Denique actiones Christi, quæ dicuntur θεανδρικαὶ à Dionysio, propter personam ipsius, quæ Divina & humana natura constat: non autem propter communem utriusque naturæ in propria alterius operatione, ἐνέργειαν, & cooperationem nominantur, nisi potiùs ad ἀποτελέσματα referas, quæ sunt utriusque naturæ communia, in quibus tamen efficiendis propria est cuiusque Christi naturæ operatio. Ergo hic quoque fallitur Kemnitius. Sentit autem ex eo vocabulo effici, ut communis sit utriusque naturæ operatio, quæ unius tantùm propria est, Cyri, & Theodosii Alexandrinorum, Theodori, Sergii, & Pirrhi gravissimos errores iampridem in Oecumenica Synodo manifestè damnatos, renovans. Ex quo fit, ut ille ponat in ipsa carne Christi, illiq́ communicet virtutem ipsam vivificantem, id est, eam ipsam, quæ est Deitate λόγου essentialis. Nam vult carnem Christi vivificare nos, eadem virtute, vitâ & potentiâ, quâ Verbum ipsum carni unitum nos vivificat, id est, eâ ipsâ vitâ, & potētiâ, quæ ipsius Deitatis λόγου est essentialis. Quod esse ἄτοπον vident omnes. Et certè vel ipsomet Kemnitio teste, & Patres laudante, natura Christi humana, etiam glorificata, minimè capax est essentialium Deitatis λόγου Idiomatum,*

3. περιχώρησις quid propriè.

περιχώρησις quid Kemnitio.

matum. *Athanasius*: Natura (*inquit*) creatitia neutiquam capax esse potest eorum. *Hilarius lib. 7.* Non exæquatur & similis est Deo creatura. Si aliquid reperiri potest virtutis eiusdem, erit eiusdem substantiæ. *In Sexta Synodo*: Non potest vna potestas, & operatio esse, vbi diuersa est substantia. *Item*, Diuersas esse operatrices Naturas ex diuersitate operationum animaduertimus. *Cyril. lib. 2. cap. 141. in Ioan.* Omnia sursum deorsum euertuntur, si Deitatis natura ad creaturarum deducitur, & creaturarum substantia per insaniam ad supremæ metæ locum (*est autem is status Maiestatis λόγου*) scandere creditur. *Item lib. 11. cap. 21.* Nulla res quæ propria Dei sunt, facere potest, nisi substantialiter sit Deus. Quorum operatio, & virtus indifferenter vna sunt, his necesse est speciei vnitatem dari. *Quare rectè dictum est à Iustino*, Diuina potentia in assumpta natura Christi operatur ea, quæ sūt supra naturam. *Cyrillus*, Natura carnis, vt caro est, viuificare nequit, sed facit hoc, quia totam Verbi operationem (*nempe quoniam illi vnitus est λόγῳ*) suscepit. *Denique hæc tam vera esse omnia censet Kemnitius, vt ex Hieronymi sententia in explicatione Symboli ad Damasum, etiam Iacobum Schmidlinum (licèt eum disertè non nominet, vt ipsius pudori parcat) manifestè damnarit pag. 284. Qui nouo sensu asserere conatur*, à tempore susceptæ carnis, omnia, quæ erant Deitatis, in hominem demigrasse, seu effusa esse, *quod perinde est.*

Saxonis iudicium de hoc Kemnitij libro

Non iniuriâ igitur doctus quidam vir in Saxonicis Ecclesijs sic de hoc Kemnitij libro pronunciauit: Si eximas ex libro Kemnitij paucułas tes Philippicas, cætera non emerim viciosa nuce. Sunt enim partim inanes, partim impiæ arguriæ, malè detortis Patrum sententijs obrutæ. Et tamen iste suum Præceptorem nec agnoscit, nec nominat: Ergo mala mens, malus animus. *Alij viri docti per Saxoniam de eodem iudicarunt*, quòd nihil, quàm partim otiosas & inutiles subtilitates, partim ambiguas locutiones, partim etiam contraria & falsa dogmata contineat: *Idq; etiam probant VVitebergenses Theologi in suo Stereomate à folio 135. vsq; ad f. 146.*

Kemnitius recognouit suum librum de duabus naturis, vbi & à se & à socijs omnibus dissentit.

Hunc librum recognouit Kemnitius sequentibus annis & quædam in eo mutauit, quædam expunxit, quædam addidit, pro vt libitum fuit. Vt autem intelligatur, Kemnitium & à Luthero & à Brentio, & à Schmidlino, & à Patribus Bergensibus, & à seipso etiam dissentire in hoc suo libro, pauca quædam ex eo in Lectoris gratiam adducam hoc loco, vt Vbiquisticæ doctrinæ varietas & inconstantia manifestior fiat. Libri Concordiæ authores, Cap. 8. de Persona Christi ex Lutheri argumento de Vnione hypostatica duarum in Christo naturarum, & quibus hoc conatus est probare argumentis, multa colligunt, cum Orthodoxa totius Ecclesiæ fide pugnantia: vt, quòd naturas in Christo separari, & vnitatem personæ solui præfractè contendunt, nisi Christus non solùm secundùm diuinam, verùm etiam secundùm humanam naturam sit vbique & in omnibus locis: Item, Quòd Maiestatem hominis Christi non æternam ipsius Deitatem, quam in veritate personæ propriam habet, sed realem diuinarum proprietatum, hoc est, plenitudinis omnis Deitatis communicationem esse dicunt, secundùm quam operatus sit miracula, sit omnipotens, incircumscriptus & vbique, etiam secundùm humanam naturam, vnde discrimen inter Concretum & Abstractum, inter hominē Christū, & humanitatem Christi tollunt, atque hæc omnia ex vnione personali, quæ aliàs consistere non posset, necessariò consequentia esse, ideoque Christo etiam in vtero matris competijsse dicunt: Kemnitius autem in hoc libro eiusque Recognitione sic longè aliter, & quidem manifestè pro labefactando hoc fundamento scribit: Quòd si in Scriptura nullum expressum verbum, aut specialem promissionem de præsentia Christi, etiam secundùm humanam naturam, in Ecclesia in his terris adhuc militante, haberemus: Aut si Scriptura traderet, Christum tantùm diuinâ suâ naturâ Ecclesiæ suæ in terris hîc adesse: Ego sanè pro mea simplicitate nec auderem, nec vellem, ex nudis argumentationibus, de prærogatiuis hypostaticæ Vnionis, aliquid aliud vel extruere, vel recipere. Est enim Intra metas diuinæ patefactionis consistendum. Iam verò habemus expressum verbum, & specialem promissionem, peculiari ac certâ institutione, & quidem testamentariâ ordinatione à Filio Dei sancitam, quòd in actione Cœnæ, hîc in terris velit corpore & sanguine suo adesse. *Si verò Kemniti, à speciali promissione, & non à nudis argumentationibus, ex hypostatica vnionis prærogatiua, collectis, pendet, quòd Christus secundùm corpus & humanitatem suam hîc in terra Ecclesiæ suæ, & præcipuè in sacra Cœna verè & essentialiter se sistere, & præsens adesse dicitur: quorsum tunc illa vtriusq; naturæ simul, ab vnitate personæ, vbiq; locorum essendi necessitas, ab Vbiquistis conficta? quâ alioquin hanc Vnionem solui, & naturas ab inuicem discerpi oporteret, nisi omnia intus & extra plena essent Christi, etiam secundùm humanitatem? Quorsum item tertius ille Lutheri essendi modus, quo nullis locorum spatijs tenetur, nec vllis humanæ* notiu-

1578. *Folio 419.*

1570.

naturæ proprietatibus, obnoxium est corpus Christi? cuius certè nulla specialis promissio est, nec aliunde quàm ex nudis Lutheri suprà dictis argumentationibus probari posset. Et quid igitur ad hæc Brentius cum suo Schmidlino? qui inter magicos Papistas recensendos esse volunt eos, qui corporalis præsentiæ Christi causam in verbis & institutione Cœnæ ponendam esse statuunt? Quin etiam palàm edicunt, nisi per communicatam ab vnione Maiestatem, & modum Sessionis ad dexteram, vnà cum diuinitate sua vbiq; præsens sit corpus & humanitas Christi, se ne momento quidem ampliùs pro corporali præsentiâ ex verbis Cœnæ pugnaturos esse. Quid item ad hæc Andreas Musculus? qui in suis de Incarnatione thesibus sic scribit: Itaque propter hanc admirabilem conceptionem & natiuitatem, & duarum naturarum vnionem in vnam personam, non potest dari locus, in quo sit Filius Dei secundùm diuinam naturam, in quo non sit Filius hominis secundùm humanam naturam, & ante & post Ascensionem & Sessionem ad dextram Patris. *Deniq; non consentit hæc Kemnitij sententia cum suo Bergensis Concordiæ libro, in cuius 8. capite, de persona Christi, ab vnione personali, & quæ inde consequitur communicatione, quam diuina & humana natura in Christi persona realiter inter se habeant*, pendere *dicitur*, quòd solus homo Christus verè dicere possit: *Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi.* Hoc autem quia de tota persona, ad quam necessaria est vtraq; natura, dictum sit: etiam secundùm vtramque naturam intelligi oportere: alioquin tantùm dimidium adesse Christum, nec vllum discrimen fore inter hominem Christum, & Petrum, propter inhabitantem in vtroque Diuinitatem. Cumque hæc ita se habeant, necessariò ex personali vnione, hinc in certissimum huius rei testimonium & confirmationem, sacram Cœnam à Christo institutam fuisse. *Ita liber Concordiæ. Hæc verò nihil aliud sunt, quàm nuda ex personalis vnionis prærogatiua, collecta argumentationes, in quarum testimonium & confirmationem si instituta est Dominica Cœna (quod perinde est, ac si quis diceret, Dominicam Cœnam institutam esse in confirmationem Vbiquitatis, ex vnione personali) falsum est omnino, & constare nullâ ratione potest illud Kemnitij*; Corporalem Christi in Cœna præsentiam ex speciali promissione verborum institutionis pendere. *Nam si vera sunt, vt non sunt, & rectè collecta argumentationes ista, necessariò eas veras esse oporteret, propter articulum de Incarnatione, & vnitate personæ Christi, etiam absque vlla speciali verborum Cœnæ promissione: sicut hoc docet Brentius, Schmidlinus, Hestander & tota Vbiquistarum schola.* Necessarium est, *inquit Brentius in libro de Vnione personali*, vt vbi est Deitas, ibi etiam sit humanitas Christi.

Schmidlinus damnat coniurationem Kemnitij.

Concedit etiam Kemnitius & pro confesso affirmat in hoc suo libro fol. 480. quod de pane à Christo dictum sit, HOC est corpus meum. *Id verò negat audacter, & Caluinianum esse contendit Schmidlinus. Sic enim in Epitome Colloquij Mulbrunnensis fo.* 65. Quærebant, *inquit*, Heydelbergenses Theologi ex Nostris, an-non pro ijsdem omnino propositionibus, seu locutionibus habendas esse putaremus has duas: *Hoc est corpus meum*: Et, *Panis est corpus Christi.* Ad quod Nostri scitè, & cogitanter responderunt, se non prò ijsdem, sed longè diuersis, & dissimilibus habere. *Et pòst*: Neq; debuimus, neque potuimus istis Theologis concedere, per Pronomen HOC, panem tantùm significari, neque easdem, seu æquipollentes Propositiones esse, *Hoc est corpus meum*: Et *Panis est corpus Christi*: quæ plurimùm, quod ad phrasin, & sermonis proprietatem & perspicuitatem attinet, inter se differunt: quâ responsione omne fundamentum aduersariorum corruebat. *Item*: Propter articulum, τὸ, Prædicatum, id est, corpus, non simpliciter prædicatur de subiecto, sed subiectum dicitur esse ipsum prædicatum. *Rursus*: Christus & Apostoli non ita fuerunt locuti: *Hic panis est corpus meum*, vt idololatricam panis transsubstantiationem excluderent. *Denique* Negamus, vocabulum τοῦ significare visibilem, naturalem & fractum panem, quem Christus corpus suum esse dixerit: sed secundùm omnium linguarum consuetudinem, duæ res hoc vocabulo comprehensæ significantur, sicut cùm dicimus: *Hoc est vinum, hoc est pecunia. Et si hæc est etiam libri Concordiæ sententia, secum-met ipse quoque dissentit Kemnitius.*

Eodem fol. Kemnitius has propositiones esse æquipollentes, vel conuertibiles *vult*, Hic panis est corpus meum, Ergo corpus meum hic est realiter præsens in pane. *In quo iterum à suo Schmidlino dissentit; Is enim hoc non sequi, neque concedi posse intelligens, sic rursus in Colloquio Mulbrunnensi Heydelbergensibus respondit*: Sicut diuersæ locutiones sunt: *Hoc est vinum*; Et, *Cantharus est vinum*: quia prior locutio non desiderat explicationem, altera autem est falsa, nisi commoda illi detur interpretatio: sic etiam dissimiles loquutiones sunt, cùm Christus ait: *Hoc est corpus meum*, & cùm dicitur, *Panis est corpus Christi*: Altera enim clara est: altera verò & posterior eget explicatione. Proinde perseueramus adhuc

In Protocollo Heydel. f.110. 117.

diffe-

differentes has esse locutiones, quæ non eundem ex se sensum gignant. *Quòd si igitur, iuxta Kemnitium, in hac locutione*, Hic panis est corpus Christi; *omnia propriè intelligi, & in singulis eius partibus simplex, & natiua significatio retineri potest, falsum dicit Schmidlinus, hanc non minùs explicationem desiderare, quàm istam*, Cantharus est vinum.

Denique in hoc libello Kemnitius, qui antea Vbiquitatis doctrinam improbauerat, subdubitare cœpit: sic enim Vbiquitatem generalem in media relinquit, vt de ea suo quemque sensu abundare sinat.

Kemnitij liber de fundamentis doctrinæ de substantiali præsentia corporis Christi in Cœna.

Edidit idem author libellum, cui titulum fecit, Fundamenta sanæ doctrinæ de vera & substantiali præsentia, exhibitione & sumptione corporis & sanguinis Domini in Cœna.

Narratio de concordia Sociorum August. confessionis.

Edita etiam est Henricopoli Narratio *Germanica*, de Concordia sociorum Augustanę Confessionis.

Ioan. Mathesij historia.

Circa hæc quoque tempora in lucem emisit Ioannes Mathesius *in Ioachimica valle Pastor*, Historiam de vita, morte, resurrectione, ascensione in cœlos, sessione ad dextram Dei Patris, extremo iudicio Domini nostri Iesu Christi. *In ea pag.* 116. *sic scribit:* Quum Christus visibiliter coram suis discipulis ascendisset, suscepit illum nubes, id est, sese abscondit in nube, & laruam induit.

Villagagnonis libellus de Sacramenti consecratione.

Nicolaus Villagagnon *Eques Melitensis edidit librum*, de Consecratione mystici Sacramenti, & duplici Christi oblatione, aduersus Vannium Lutherologiæ Professorem: de Iudaici Paschatis implemento aduersus Caluinistas: de poculo sanguinis Christi, & introitu in Sancta sanctorum aduersus Bezam. *Lutetiæ.*

Schmidlinus de Concordia Sociorum Augustanæ Confess.

A Iacobo Andreæ quoque editus est libellus, de Christiano consensu Theologorum in intelligenda Augustana Confessione per superiorem & inferiorem Saxoniam ac Sueuiam, declaratus in Synodo conuocata Zerbstæ 10. Maij. *Germanicè.*

Testamentum Brentij editur atrocissimum.

Sub finem huius anni Wilhelmus Bidenbachius *Theologus Wirtenbergensis, edidit* Testamentum Brentij, *in qua veram & orthodoxam doctrinam de Christo Seruatore & sacra eius Cœna, atrocius quàm vnquam antea damnauit, classicum quodammodo nouum canens ad bellum ἀσπονδον cum ijs gerendum, quos dissentientes ab Vbiquitatis dogmate aderat, & omnes exhortans, ne vllum locum his in Ecclesia Christi relinquant. Verba enim eius ex Germanica fideliter conuersa sic habent:* Porrò singulariter ex intimo corde, expressè & nominatim reijcio & condemno, falsam & damnatam Zuinglianorum doctrinam, qui contra sacram Scripturam, contra sensum veræ & veteris Ecclesiæ, & contra Augustanam Confessionem docent atq; scribunt, & asserere audent, verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi, non esse verè & essentialiter præsens in Cœna Domini, quando illa ex ipsius instituto celebratur; neq; illic cum pane & vino cunctis ore sumentibus tam dignis quàm indignis distribui. Grauem verò hunc & intolerabilem errorem falsâ interpretatione locorum sacræ Scripturæ tueri conantur, & dicunt; Christum ascendisse in cœlos, & maiestate sua, quam per vnionem personalem humanæ naturæ cum diuina accepit, esse in cœlo corporato, & peculiari circumscriptoq; loco, neq; posse vel diuinâ omnipotentiâ, vel vllâ aliâ potentiâ corpore suo simul in duobus, pluribusue, aut omnibus etiam locis esse: & sedere ad dexteram Dei, quam Zuingliani sentiunt & interpretantur peculiarem quendam finitumq; in cœlo locum esse. Hunc igitur sensum huius articuli fidei nostræ, *Christus ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram Dei Patris sui omnipotentis*, prorsus Zuinglianum esse arbitror, hoc est, peluatum, & absque vllo fundamento Scripturæ confictum: erroneum, damnabilem, atq; recto & vero intellectui personalis vnionis, vtriusq; diuinæ & humanæ naturæ in Christo, qua exaltatus est supra omne nomen, vt coram ipso flectatur omne genu in cœlis, in terra & sub terra, prorsus contrarium & blasphemum. Non dubito autem si Deo nobis propter hominum ingratitudinem irato, Zuinglianorum doctrina in Ecclesia vincat, fore, vt sicuti Ariani, qui maiestatem diuinæ naturæ in Christo abnegarunt, Orthodoxos crudeliter & tyrannicè ferro persecuti sunt, ita similiter etiam Zuingliani, qui maiestatem humanæ naturæ, quâ propter personalem vnionem Dei & hominis donata & ornata est, inuertunt & corrumpunt, Orthodoxos latronum more persecuturi & oppressuri sint, quoniam spiritus mendacij idem homicidij quoq; spiritus est. Etsi autem nostrâ ætate quidam Zuinglianorum falsam suam doctrinam de Cœna Domini Augustanæ Confessioni fucatis verbis inserere conantur, ac incipiunt similia eum rectè sentientibus verba vsurpare; quemadmodum etiam Ariani antequam vinceret erga Orthodos fecêre, tamen quia eorum spiritus mendacij spiritus est, nulla illis habenda est fides, neq; vlla fucata compositio cum illis facienda est, ne posteriora fiant peiora primis. Quapropter quæso per Dei gratiam omnes qui iuuare possunt, vt

1570. inuent, & qui prohibere possunt prohibeant, vt Zuinglianorum spiritus in tecta & vera Christi Ecclesia sedem locumque nullum habeat, *&c.*

Ioannes Frisius Gœpinga in exilium propter Vbiquitatem ab ipso improbatam ejicitur.

Hoc ipso quoque anno Ioannes Frisius, *nunc Brettana in Palatinatu Ecclesia Minister, tempore incommodissimo, cum uxore & liberis Gœpinga, Ducatus VVirtebergensis oppido, ubi Christum syncerè docuerat, in exilium inhumanissimè eiectus fuit: non aliam ob causam, quàm quòd viro pio & erudito portentosum Vbiquistica Theologia figmentum cum suis connexis aquè absurdis non posset probari; ideoq; Zuinglianus, & proinde exilio dignus iudicaretur.*

Beza respondet Sainctesio.

Theodorus *autem* Beza *edidit ad F. Claudij de Sainctes Responsionem alteram, accuratam* Apologiam, *in qua eius mendacia, calumnia & maledicta solidè confutantur.*

De Synodo Sendomiriensi in Polonia, & consensu in controuersia Eucharistica Ecclesiarum Polonicarum Reformatarum in eadem facto.

Occasio huius Consensus.

C*Vm à Pontificijs subinde objiceretur Reformatis Ecclesijs in Polonia, qua partim Augustanam: partim Bohemicam: partim etiam Helueticam Confessionem profitentur, quòd in Religione, præsertim verò in articulo de Cœna Domini minimè consentirent, eaq; res cursum Euangelij vehementer remoraretur: vt huic malo occurrerent Euangelici Principes, Barones, Nobiles, & dictarum Ecclesiarum Superintendentes, Ministri ac Seniores, conuocatá ex omnibus Regni Polonia Prouincijs Generali Synodo hoc anno* Sendomiriæ, *in eaq; examinatis in timore Domini tribus illis Confessionibus, tandem in hac capita omnes consenserunt.*

In quæ capita consenserint.

Primùm, *quemadmodum Bohemici Fratres testati sunt*, se nunquam credidisse, eos, qui Augustanam & Helueticam Confessionem amplectuntur, aliter quàm piè & orthodoxè sentire de Deo & sancta Trinitate, atq; Incarnatione Filij Dei, & Iustificatione nostra, alijsq; præcipuis articulis Fidei Christianæ: *Ita etiam ij qui Confessionem Augustanam & Helueticam sequuntur, professi sunt candidè & sincerè*, se agnoscere, Bohemicos Fratres de his ipsis capitibus nihil prorsus docere, quod sit absonum ab orthodoxa veritate & puro Dei Verbo. *Sanctè sunt igitur polliciti inuicem*, se vnanimiter secundùm regulam Verbi Dei, defensuros Consensum hunc mutuum in vera ac pura Christi Religione, *contra Pontificios, Sectarios, & omnes Euangelij ac veritatis hostes.*

Deinde verò, *quantum ad infelix illud dissidium de Cœna Domini attinet: ne quadam varietas opinionum seu phrasium eos distraheret, praciderunt inter sese omnes disputationes de modo rei, ac* conuenerunt in sententia verborum Domini nostri Iesu Christi, vt illa orthodoxè intellecta sunt à Patribus, & inprimis Irenæo: Qui duabus rebus, scilicet terrenâ & cœlesti, hoc mysterium constare dixit: Neque elementa, vel signa nuda & vacua illa esse, asseruerunt, sed simul reipsa credentibus exhibere & præstare FIDE, quod significat. *Vel, vt expressius loquantur, conuenerunt*, vt credant & confiteantur, substantialem præsentiam Christi non significari duntaxat, sed verè in Cœna eo vescentibus, repræsentari, distribui & exhiberi corpus & sanguinem Domini, symbolis adiectis ipsi rei minimè nudis: secundùm naturam Sacramentorum.

Ceremonias autem ac ritus vniuscuiusque Ecclesia liberos hac concordia & coniunctione reliquerunt. Non enim multùm referre putárunt, qui Ritus obseruentur, modò sarta tecta & incorrupta existat ipsa doctrina, & fundamentum fidei.

Datis posthac iunctisq; dextris, sanctè promiserunt & receperunt inuicem omnes, se fidem & pacem colere, fouere & in dies ad ædificationem Regni Dei magis magisque amplificare velle, omnesque occasiones distractionis Ecclesiarum deuitare.

Quo ritu contestati sint Consensum.

Hunc Consensum in Posnaniensi *Prouinciali Synodo, hoc ipso anno celebrata, contestati sunt Augustana & Bohemica Confessionis cœtus hoc modo: Ministri, Patroni, totaque congregatio Bohemica Confessionis, tam Poloni quàm Germani vtriusque sexus homines: ex templo suo, turmatim ingressi sunt Ecclesiam Augustanorum, ad matutinam concionem, ac ibidem vtrisque auditoribus solenniter congregatis, Ministri Fratrum, Ioannes Laurentius Senior Polonis, Balthasar Eychnerus Germanis, concionati sunt. Similiter post meridiem, Augustana Confessionis Cœtus, cum Patronis, D. Luca à Gorka Palatino Posnaniensi, D. Ioanne Tomiczio Castellano Gnesnensi, &c. & Ministris suis, spectabili Processione ex sua Ecclesia per Ciuitatem, ingressi sunt in suburbio Ecclesiam Fratrum Bohemicorum, Poloni ad Polonos, Germani ad Germanos: atque illis Nicolaus Gliczнerus Senior, his Abrahamus Abdeel Augustani Ministri Verbum Dei prædicárunt. In his congregationibus vtrobique lecto Polonis & Germanis auditoribus consensu & consignatione, facta est sancta Concordia & Vnionis voce Ministrorum contestatio, & ad eam, ceu singulare donum Dei, seriò colendam atque custodiendam sedula adhorta-*

hortatio ac obligatio vtrinque auditorum, vt falsis de se suspicionibus abiectis, vnum in Domino & veritate eius facti, disciplinam eius seruantes, amore fraterno inuicem sese prosequontur: cum ordentibus ad Deum votis & moximâ cunctorum letitia & acclamatione: Ecce quàm bonum & iucundum habitare fratres in vnum. *Tondem hymnum exultationis & grotiarum actionis;* Te Deum laudamus, *&c. vno ore, vno Ecclesia facti, omnes cecinerunt.*

Sendomiriensis Consensus repetitus & confirmatus.

Repetitus quoque & confirmatus est hic consensus in generali Synodo Cracouiensi, *in qua conuenerunt anno Domini 1573. mense Septemb. tam Verbi diuini Ministri & Superintendentes Augustanu, Heluetica & Fratram Bohemorum Confessionum, quàm Illustres, Magnifici & Generosi Domini Patroni & Seniores cum Legatis Ecclesiorum orthodoxarum Moioris & Minoris Palonia, atque Magni Ducatus Lithuania, Rußia, Samagitia & aliarum Prauinciarum: sanctamque hanc Vnionem obsignorunt omnes ad finem Synodi sacra Synaxi: Corpus & sanguinem Domini simul omnes percipientes, ijs ceremonijs, quas Ecclesio Craconiensis in vsu hobet. Idem etiam factum est in Synodo* Petricouiensi, *habito anno 1578. &* Wlodislauiensi *anno 1583. Oblatus quoque est Consensus hic Serenißimis Polonia Regibus* Augusto, Henrico & Stephano, *atque anno 1586. ex decreto Synodico, typis in publicum editus.*

ANNVS M. D. LXXI.

Wigandi liber.

E*Ditæ sunt causa hoc onno Iena, cur in Cæna Dominica verbis* τὸ ῥητὸν *sit retinendum, outhore* Ioanne Wigando.

Selnecceri Disputatio Grammatica de loco Act. 3.

Edidit & Nicolaus Selneccerus *hoc anno,* Disputationem Grammaticam, *de verbis D. Petri Act. 3.* ὃν δεῖ οὐρανὸν δέξασθαι. *Qua verba in Vulgata Versione sic habent:* Quem oportet cœlum accipere. *Beza verò in suo versione sic reddidit;* Quem oportet cœlo capi. *Hanc autem interpretationem Selneccerus in hac Disputatione tanquam falsam & impiam damnauit, ad Vbiquitotis dogma stabiliendum.*

Selnecceri Exegemata

In lucem dedit idem author hoc anno, Exegemata, 1. de Personali vnione duarum in Christo naturarum. 2. de Idiomatum communicatione & de Cœna Domini. *Tertiò,* Exemplar Epistolæ scriptæ ad Theologos Witebergenses de re Sacramentaria, *Quartò,* Confessionem Germanicam, de Maiestate Christi. *Quintò,* Literas *Germanicè scriptas ad Danielem Gresserum,* de Controuersia Cœnæ Domini, *Sextò,* Interrogationes & Responsiones de articulo Fidei, *Ascendit in Cælum, Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. Septimò,* Summam doctrinæ & Confessionis de Cœna Domini, &c.

1571.

Hammelmanni Confutatio Zuinglianì erroris.

In lucem etiam dedit Herman Hammelman Confutationem erroris Zuingliani, *ex antiquis Patribus & nostra ætatis Doctoribus, Luthero, Philippo, Ebero, Brentio, &c. Item, Libellum alterum de* præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Domini.

Heshusii conciones 4. de Cœna

Heshusius *quoque Conciones quotuor de Cæna Domini publicouit hoc onno lingua Germanica, Iena.*

Bullingerus respondet ad Testamentum Brentij, Capita responsionis.

Tot igitur libris, calumnijs & conuitijs alterius partis Theologi prouocati, tacendum non diutiùs existimarunt. Bullingerus, *itaque nomine omnium Fratrum ad Testamentum Ioannis Brentij, Ecclesia Christi verè inofficiosum, respondit. Ac* primùm *docet, doctrinam nostram, quo impugnamus essentialem præsentiam & coniunctionem corporis Christi cum pane, sic vt impij etiom illud ore sumant, non esse falsam & erroneam, sed eos errare, qui præter Scripturas multo comminiscuntur de modo præsentia, quo substontia corporis Christi essentialiter & corporaliter, non tomen carnaliter aut visibiliter, sed modo quodam & ratione ineffabili vnà cum pane præsens, ore corporis manducetur.* Deinde *simpliciter ac perspicuè exponit doctrinam Ecclesiarum nostrarum de Cæna Domini, & de præsentia oc manducatione corporis & sanguinis Iesu Christi, in sacra eius Cæna, & ostendit, Caput sextum Euangelij Ioannis rectè ad expositionem Cæna Domini pertinere: postea eandem testimonijs Patrum confirmat.* Differit *etiam de Ascensione Christi in cælos, de cæla Beatorum sede, in quod Christus ascendit, de Omnipotentia Dei, de corpare Christi, an illud vbique præsens existat, an circumscriptionem & naturam veri corporis seruet, & de personali vnione diuina & humana natura in vnica Christi persona, qua non saluatur seruata in ipso Christo duarum naturarum distinctione.* Postremò, *nos rectè de Maiestate & gloria Christi docere ac sentire demonstrat, & de Personali vnione orthodoxam doctrinam Scripturis & veteri Ecclesia consentientem retinere. Ideoque doctrinam Ecclesiarum nostrarum, suum habere locum in Christi Ecclesia, & falsò nos accusari Arrionismi, Mahometismi, item mendacij & cædium: Augustanam Confessionem nos nunquam simpliciter reiecisse, neque etiam eandem in omnibus, eo sensu quo ab illis in quibusdam intelligitur, approbasse, aut fucotis verbis conotos esse in illam irrepere.*

Beza respondet ad Selnecceri disputationem.

Respondit quoque Theodorus Beza *ad Selnecceri Disputationem de verbis Petri Acto-*

1571. *Actorum tertio, & ostendit* Primò, *non falsam, sed veram ac genuinam hanc suam verborum istorum esse interpretationem.* Deinde, *de ipso verborum sensu disseruit, solideque probauit, Non esse impium dicere*, Carnem illam Christi gloriosam cœlo capi: *id est, vltra mundum in illis regionibus, in quibus summa illa Dei Maiestas plenissimè refulget, & qua sunt aterna nostra felicitati destinata, nec vsquam alibi nunc residere: & ita quidem, vt naturalis corporis loco & spatio quacunque tandem cœlorum parte consistere illi liberit, contineatur ac comprehendatur: sed potiùs heresin esse contrarium affirmare. Primò autem diluit accusatoris argumenta, deinde hanc suam sententiam Verbo Dei & ex puriori Antiquitatis Patrum scriptis hanc suam doctrinam confirmauit. Quibus tamen mox* Confutationem *opposuit* Selneccerus: *& secundum causa caput, sic negauit, vt fassus quidem sit, Christum secundùm carnem vbique non esse, sed tamen esse vbicunque velit, ac præsertim in sacra ipsius Cœna, eo ipso loco vbi Cœna administratur, & quidem eis Symbolis realiter adiuncta, qua visibiliter dantur.*

Selneccerus Beza respondet. Christus non est vbique sed vbi eumque vult Selneccero.

Christianus Hessiander *etiam in lucem emisit*, Refutationem dogmatis de fictitia carnis Christi omnipræsentia, & reali communicatione Idiomatum in ipsis naturis, *cum Præfatione Theodori Bezæ.*

Hessiandri refutatio fictitia carnis christi omnipræsentia.

Euulgauit & Iosias Simlerus *Tigurinus scripta quadam veterum Theologorum; nempe*, Anitij Manlij *Seuerini Boethi de duabus naturis & vna persona Christi aduersus Eutychen & Nestorium*: Ioannis Cassiani *Eremita de Incarnatione Christi contra Nestorium, ad Leonem Rom. Episcopum lib.* 7. Leonis *Papa epistolas duas, ad Flauianum vnam, alteram ad Leonem Augustum*: Gelasij Papæ *de duabus naturis in Christo aduersus Eutychen & Nestorium*: Vigilij *Martyris & Episcopi Tridentini lib.* 5. *contra Eutychen & alios hæreticos, non rectè de duarum naturarum proprietate, & persona Christi vnitate sentientes, longè quàm antea emendatiores & auctiores*: Fulgentij *Afri Episcopi Ruspensis lib.* 3. *ad Trasimundum* Wandalorum *Regem*: Rustici Diaconi *aduersus Acephalos Dialogum. Hos libros Simlerus in Capita distinxit, argumentisque & summarijs illustrauit, additis Annotationibus doctissimis*: *Accessit* Breuis Narratio controuersiarum de persona Christi, vnà cum Collatione controuersiarum de eadem re nostri temporis: *& probat euidenter, non Zuinglianos seu Caluinistas, sed Vbiquistas, damnatos Nestorij, Eutychis, Monothelitarum & similium hæreticorum errores renouare & defendere hodie.*

Iosias Simlerus edit quadam scripta Veterum contra Vbiquistas.

Editur quoque à VVitebergensis *Ecclesia* *Theologis* Catechismus, *in quo vera sententia de Cœna Domini, qua hodie sub Zuinglianismi & Caluinismi nomine infamatur, docetur.*

Witebergensium Catechismus orthodoxus.

Mox VVigandus, Heshusius, Cœlestinus *& Kitchnerus libellos in vulgus spargunt*, in quibus monent omnes, vt sibi ab hoc Catechismo caueant.

Wigandus, &c. scribit contra Catechismum Witeberg.

Sed VVitebergenses *istis libellis* Apologiam *opponunt, in qua docent*, doctrinam in hoc Catechismo comprehensam, ex Philippi scriptis desumptam esse. *Respondent etiam ad Nicolai Selnecceri Disputationem Grammaticam, quam ediderat de Vocula* δέξασθαι, *Act.* 3. *& eius significationem passiuam, vt à VVitebergensibus in suo Catechismo posita fuerat, vellicârat.*

Witebergensium Apologia pro Catechismo suo.

A Ministris etiam Hallensis *Ecclesia in Saxonia Zuinglianorum quorundam errorum in noua Catechesi VVitebergensi comprehensorum Index annotatus ac editus fuit.*

Hallenses contra Catechismum Witeb.

A Kemnitio *quoque* Brunsuicensium *Theologorum nomine* Censura *contra hunc VVitebergensem Catechismum edita est. In ea, licèt in Repetitione doctrina de Cœna Domini, eos, qui ex Ascensione Christi inuisibilem disparitionem faciunt, reprehendens sic scribat*; Manent verba articuli de Ascensione in simplici & propria significatione, quòd sicut Christus visibili & physicâ locatione, & circumscriptione sui corporis ante ascensionem in terra versatus est, hoc modo & hac ratione vsque ad extremum diem non fit conuersaturus in terra: *Tamen hoc ipsum ad euertendam corporalem præsentiam inferri posse hic tragicè exclamat & vociferatur*: Si corpus Christi, *inquit*, per Ascensionem corporali locatione est in aliquo loco, & hic locus est sursum & in cœlo: Institutio autem Cœnæ non est in Cœlo, sed deorsum hic in terra, & quidem non in vno, sed in multis locis celebratur: Ergo hinc sequitur corpus Christi in pane Eucharistiæ verè & essentialiter præsens non haberi.

Censura Brunsuicensium de Catechismo Witeb. Kemnitius sibi contradicit.

Editur à VVitenbergensibus *alius libellus Germanicâ linguâ, cui titulum fecerunt*, Christliche Fragstuck vom vnderscheid der beiden Artickeln / Auffgefahrengen himmel/ vnd Sitzend zur rächten hand Gottes. *Id est*, Piæ & Christianæ Quæstiones de discrimine Articulorum istorum, Ascendit in cœlos, Sedet ad dexteram Dei. *In hoc libello verè ac solidè docetur, qua sit S. Scriptura & orthodoxorum Patrum doctrina, de Ascensione Christi, eiusdemque Maiestate & gloria ad quam post humiliationem exaltatus est. Ac de Ascensione quidem docent, eam simpliciter, vt verba sonant, intelligendam esse: nempe, Christum verè ex his terris animâ & cor-*

Witebergensium Fragstuck.

Witebergen-

corpore in cælos ascendisse, ibique nunc esse, non in terra. Huic libello Selneccerus *mox alium opposuit.*

Eodem anno orthodoxus & eruditissimus Liber à Theologis ijsdem Germanicâ linguâ euulgatur. Titulus libri est, Grundtfest / der Wittenbergischen Theologen von der Person vnd Menschwerdung vnsers Herren Jesu Christi / wider die newen Marcioniten / Samosatenen / ꝛc. vnder dem Flaccianischen hauffen. Nebet warhaffter verantwortung auff die verleumbdungen / so von den Propositionibus vnd Catechismo zu Wittenberg außgangen. *Hoc est,* Stereoma *seu* Fundamentum firmum Witebergentium Theologorum, De Persona & Incarnatione Domini nostri Iesu Christi, contra nouos Marcionitas, Samosatenianos, Arrianos, Nestorianos, Eutychianos & Monothelitas in Flaccianorum grege, ex Scriptura sacra, Symbolis, approbatis Concilijs, & Consensu orthodoxorum Patrum: Vnà cum solida Responsione ad Calumnias de propositionibus & Catechismo VVitebergæ edito, sparsas.

Bidenbachius miserè perit.

Guilelmus Bidenbachius *Stutgardianæ Ecclesiæ Antistes, Brentij successor, qui orationem funebrem in sepultura Brentij habitam, vnà cum infausto Testamento eius in lucem edidit melancholiâ mense Aprili correptus, ad fratrem suum Abbatem Bebenhusanum se contulit, ibique 6 Aprilis miserrimè perijt, non sine suorum magno mærore, qui illum plurimi fecerunt, quòd acerrimus Zuinglianorum hostis fuisset: quo nomine quoque à Iacobo Andrea plurimùm in Oratione funebri laudatus fuit. Varia autem multorum de mortis eius genere fuerunt indicia.*

Rupellana Synodus in Gallia.

Hoc ipso anno, quum Gallia pace frueretur, præcipui Gallicarum Ecclesiarum. Ministri Rupellæ *sub initium Aprilis magno numero Synodum habuerunt, ac ea quæ videbantur ad Ecclesiarum suarum εὐταξίαν pertinere, constituerunt. Ad hanc Synodum quum Heluetica Ecclesia reformata Legatos mittere non possent, literas saltem miserunt ad testandam mutuam consensionem in doctrina Euangelij, & singularem perpetuamque beneuolentiam in vniuersas Ecclesias Gallicas.*

Rupellanæ Synodi literæ ad Heluetiicas Ecclesias

Rescripsère illi nostris, ac primùm gratias illis egère, pro literis ad se missis & perpetua beneuolentia: deinde quo sint loco res Ecclesiarum suarum paucis exponunt, ac primùm aiunt; In hoc Conuentu se operam dedisse, vt sarta tecta maneret Fidei Confessio communi consensu ante annos aliquot perscripta, ac Regiæ Maiestati oblata, & verbis penè ipsis cum Heluetica consentiens. Sed in hac re non multùm laborandum eis fuisse, cunctis per Dei gratiam eandem fidem summo studio retinentibus, idque non sine Principum ac Procerum applausu, qui huic Synodo frequentes interfuerint. Inde disceptatum esse de singulis disciplinæ capitibus, ac summam concordiam & consensionem voluntatum apparuisse. *Postremò scribunt*, actum esse de varijs rebus ad Ecclesiarum constitutionem necessarijs: præsertim autem de illis maculis, quibus bellorum calamitatibus Ecclesiæ inquinatæ fuerint, sedulò repurgandis, atque adeò de ijs, quos sæuissimæ istæ tempestates abripuerunt, in viam reuocandis, *&c.*

1571.

Rupellana Synodus non damnauit Heluetiicas Ecclesias.

Interea verò & literis & sermonibus multorum nunciatur, Helueticas Ecclesias in hac Synodo damnatas esse; propterea quòd in ea palàm damnati sint, qui in negotio Cœnæ vocabulis Substantiæ *&* Substantialiter *vti nolint. Scripserunt ea de re Tigurinæ Ecclesiæ Ministri, ad Theodorum Bezam, & ad proximam Synodum quæ Nemausi indicta fuit. Beza verò respondit*, nihil minus fratribus in Rupellana Synodo congregatis propositum fuisse, quàm Helueticas Ecclesias damnare, quum constanter eandem fidei professionem & confessionem cum ipsis tueantur.

Beza ad Tigurinos literæ de Actis Rupellanæ Synodi.

Sed Synodum in hoc canone Gallos quosdam spectasse, qui pro re per panem & vinum significata, solam energiam id est, effectum pro re ipsa statuentes, imperitos turbarint. Nam quod ad vocem *Substantiæ* attinet; fratres omnes qui Synodo interfuerint, substantialem illam & carnalem præsentiam, cum ipsis detestari ac damnare. Quia tamen hoc illis perpetuò fuerit obiectum, quòd corporis & sanguinis κοινωνίας inficientur, idcirco retinuisse Substantiæ vocem, non vbi de eo quod est præsens, siue eo loco situm, vbi nos sumus & Cœnam celebramus, sed quum quid nobis à Deo detur in Cœna participandum disseritur. Additam autem esse adeò perspicuam istius vocis, totiusque spiritualis per fidem communicationis explicationem, vt minimè sit metuendum, ne vel Transsubstantiationis vel Coosubstantiationis monstra per hanc rimulam in Ecclesiam irrumpant, *&c.*

Rupellana Synodus cur voce Substantia vsa sit.

Bullingerus respondet Bezæ.

Ad hæc verò Bullingerus Bezæ respondit, se quidem, quotiescunq; cogitet de animis tot tantorumq; Virorum, qui Synodo interfuerint, vel tantillum sinistri de ipsis concipere nefas, quodammodo sibi videri, ideoque facilè sibi persuaderi, ista propter alios fortè inquietiores, & ipsis magis quàm nobis cognitos, interposita esse: sed vt ea res se habeat videri decretum, verbis paulò incó-

1571. fideratius conceptum & pronuntiatum esse: *Damnamus eos qui non recipiunt Substantia vocabulum.* Quis enim ignoret, nos ex eorundem numero esse, qui hoc non recipimus, neque unquam recipere voluimus? Nam de controversis articulis perspicuè & sine ambiguitate loquendum est, ne infirmiores orationis ambiguitate partim graviter offendantur, partim ita implicentur & perturbentur, ut vix norint quid sibi sentiendum sit. Quamobrem consultissimum fore, ut quum iterum in Synodum coierint, hac de re sermones & decreta sua sic temperent, ut omnibus ubique gentium manifestum fiat, neq; de nobis, neq; de nostri similibus, ubicunque locorum fuerint, canonem loquutum esse. Neque se dubitare fratres id non difficulter facturos, pro sua pietate & pacis conseruandæ studio. Nos enim, *inquit*, nostri nihil quærimus hic, sed tantùm hoc agimus ne hæc condemnatio pariat suspiciones, diffidia & contentiones Ecclesiis nostris periculosas. *Atque ita quidem postea contigit.*

ANNVS M. D. LXXII.

Nemausina Synodus in Gallia celebratur. Amirallius scribit Helveticis Ecclesiis.

ANno hoc, qui fuit septuagesimus secundus supra millesimum quingentesimum, à Gallia reformatarum Ecclesiarum Ministris Synodus Nemausum indicta fuit, primâ die Lunæ Mensis Maij: idque Helveticis Ecclesiis ab illis per literas significatur, in quibus petunt, ut illæ quoque suas Legatas eò mittant. Amirallius quoque scribit, se quum concordiam Helveticarum Ecclesiarum cum Gallicis intellexisset, maximâ lætitiâ perfusum, quum multùm illa amplificandæ gloriæ Dei inseruire posset. Etsi autem non dubitet Helvetios summo studio huc niti, ut eadem unitas concordiaque conservetur, tamen ob desiderium, quo omnes flagrare debeamus, hoc idem ab Helvetiis obnixè se petere, ac rogare, ut quemadmodũ videant diabolum non dormitare, ut aliquid mali moliatur, sic Helvetii quoque vigilent unà cum ipsis, quo frangantur illius cœpta & consilia.

Helvetica Ecclesia Amirallio respondent.

Helvetica Ecclesia Amirallio respondent: ac initio maximas illi de eo gratias agunt, quòd benignissimis à se scriptis literis, suam propensissimam erga eas voluntatem attestetur. Quod autem concordiam atque consensum attinet, se quoque huius necessitatem agnoscere, & daturos operam, ut piæ ipsius voluntati, etiam sua desideria, vota, studia atque officia coniungant. Sed quoniam ipse & dignitate & authoritate apud Ecclesias Gallicas, atque ipsum adeò Regem præstet, ideòque & apud has & apud Regem, Regniq; Proceres plurimùm possit, neminem omnium hominum esse, ipso unò magis idoneum ad conservandam tuendamque concordiam. Itaque si (ut solet Satan, in Ecclesiarum emergentium initiis, omnem movere lapidem ad obruendam veritatem) nonnulli velint studere rebus novis, vel in Ecclesiarum gubernatione constituenda in alterutram partem nimis à mediocritate recedere, vel affectibus suis indulgere nimiùm, & plùs æquo disciplinam aut remittere aut intendere, vel alios aliis invectivis acerbè divexare, & non tentatis antea omnibus lenibus remediis temerè condemnare ac contemnere, tum ipsum exemplum Constantini M. qui priscis Ecclesiis pacem primus dedit, debere tales interpositâ suâ authoritate coërcere, & ad pacis atque ædificationis Ecclesiasticæ studium illos cohortari &c.

Nemausensis Synodus literæ ad Tigurinos. Nemausensis Synodus cur você Substantiæ retinuerit.

Missæ sunt etiam literæ ad Synodum Nemausensem: neque enim utile videbatur Legatum hoc tempore eò mittere. Synodus vero fraternè admodum rescripsit; ac docent, qua de causa ab initio vocabulo Substantiæ in Confessione sua usi sint: deinde quænam de ea fuerint controversia in Ecclesia Gallica: ac tres rationes afferũt, cur Synodus hanc voculam de Confessione tollere noluerit. Primùm, quòd judicaret, si quæratur, quidnam per communionem adipiscamur? dicendum esse, non tàtùm merita & fructus Domini, verùm etiam inprimis ipsum Dominum, qui est fons istorum bonorum, à nobis spiritualiter per fidem percipi. Id quod *Substantiæ* nomine significatum voluerint. *Deinde* quum duplex scopulus propositus esset, unus eorum, qui Christum ipsum è Cœna tolli accusant; alter autem illorum qui metuunt, ne positâ Substantiæ communicatione, corporalis ille communicationis modus stabiliri videatur, utrique malo se occurrere voluisse, & prioribus quidem os occludere retento Substantiæ nomine, istorum verò timori mederi, additâ eâ interpretatione, quæ omnem ambiguitatem vocis tolleret & metam spiritualem ac mysticam esse istam ipsius Christi communionem demonstraret. *Postremò*, quum non ageretur de hac voce Confessioni inserenda vel non inserenda, sed de illa vel retinenda vel expungenda, non potuisse se illam expungere, ni vellent magnam levitatis notam incurrere. Ob has rationes Rupellanam Synodum non simpliciter eos damnasse qui hac voce abstinent, sed eorum duntaxat opinionem rejecisse, qui nollent vocem hanc eo sensu admittere: quò illic usurpatur.

tur. Itaque sibi fieri iniuriam ab his qui Synodi verba ita interpretati sint, ac si aduersus Helueticas Ecclesias præscripta essent: deinde Synodum tantùm Gallicis Ecclesijs Canones præscripsisse; & præterea Helueticam Confessionem, non minùs quàm Gallicam in omnibus & singulis approbare, vt ambas ex puro Dei Verbo depromptas penitusque inter se consentientes. Cæterùm vt omnis dissensionis suspicio tollatur, scriptum Rupellanæ Synodi sic à se emendatum esse: SYNODVS *sine vllo prorsus exterarum Ecclesiarum iudicio, qua certis de causis* Substantiæ *vocabulum non vsurpant, vocabulum quidem* Substantiæ *retinet, sed eo demum sensu, quo in prædicto 36. articulo continetur, &c.*

Declaratio Nemausensis Synodi vocis Substantiæ.

Respondit eodem anno Theodorus Beza *ad Nicolai Selnecceri & Ienensium Theologorum calumnias, de passiua interpretatione verbi* δέξασθαι, *Actor.3. Et est hæc altera eius responsio de hac re.*

Beza respondet Selneccero.

Edita est & Disputatio Grammatica de loco Actorum 3. cap. Oportet Christum cœlum capere: *Witenbergæ à quodam scripta contra Selneccerum: vnà cum Responsione Selnecceri.*

Iacobus Andreæ *quoque edidit Theses, de Persona Christi, deque vera præsentia corporis & sanguinis eius in Cæna.*

Schmidlini Theses.

Edita est & Mentonis *cuiusdam* Confessio & doctrina, de vera & reali præsentia, exhibitione & perceptione corporis & sanguinis Christi in Cœna *: cum Præfatione Selnecceri, de cauendis Sacramentarijs. Henricopoli, Germanicè.*

Mentonis Confessio de Cæna.

Matthias Flaccius Illyricus *etiam in lucem emisit* Explicationem Ascensionis Christi, *& sententiæ Petri Actorum tertio cap.* Oportet Christum suscipere cœlum.

Illyrici Explicatio Ascensionis Christi.

Valentinus Merkelius *homilias duas de vero esu & potu corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, contra Selnecceri & Marbachij sententiam. Heydelbergæ, Germanicè.*

Merkelij homiliæ de Cæna.

Edita est etiam Repetitio Confessionis Ecclesiarum, quæ sunt sub Ditione Electoris Saxoniæ, de S. Cœna Domini, deque horum temporum controuersis articulis, *de persona atque incarnatione Christi, deque eius Maiestate, &c. opposita libro* Witebergensium *Theologorum, cuius titulus est*, Fundamentum, &c.

Repetitio Confessionis Saxonicæ de Cæna.

Item, Confessio Ecclesiarum & Scholarum Wirtenbergensis Ducatus, de Persona & duabus naturis in Christo, de eiusdem Ascensione, Sessione ad dexteram Patris, & vera præsentia corporis & sanguinis in Cœna.

Herman Hamelman *edidit quoque* Epitomen *refutationis Zuingliani erroris, ex præcipuorum veterum & nostri temporis Doctorum libris transcripta: Item*, Colloquium *cum Casparo Iselburgio coram Senatu Essendano de quibusdam articulis Augustanæ Confessionis: Et alterum* Colloquium, *cum Hermanno Fronen ciue, coram eodem Senatu de Vbiquitate Christi habitum anno 1572. Germanicè.*

1572. Hamelmanni refutatio Zuingliani erroris.

Theologi Vittenbergensis Academiæ huius temporis plerique omnes Philippi Melancthonis discipuli fuerant. Orthodoxam igitur sententiam de Cæna Domini, quam à Præceptore & ex Verbo Dei, Patribusque purioris antiquitatis didicerant, magis magisque priuatim & publicè docere cæperunt. Verùm non tam ab externis hostibus, quàm à domesticis, hoc est, à falsis fratribus, apostatis & Sycophantis aulicis modis omnibus oppugnabantur, qui per Gynæceum potissimùm agentes cuniculos, Aulam studebant eis infensam reddere. Mandauit igitur Aula Saxonica, vt Theologi Witenbergenses *edito scripto testarentur, quatenus cum Ecclesijs Gallicis, Helueticis & Palatinis in doctrina consentirent, quid in articulo de Cæna vel reprehenderent, vel approbarent: Caluinistas item & reliquos, quos vocant Sacramentarios publicè damnarent.*

Theologi Witenbergensis Caluinismi accusantur.

At illi primùm modesto scripto Electori sese purgarunt, affirmantes, se nequaquam velle impijs præiudicijs peregrinas Ecclesias prægrauare, nec posse etiam, saluis conscientijs, eam doctrinam, quę in tot Regnis, Nationibus, Populis, Prouincijs, Vrbibus sonaret publicè, temerè, sine legitima cognitione damnare: Orare igitur Clementissimum Principem; vt & sibijpsi & suis Ecclesijs rectiùs consuleret, nec aduersus homines innocentes, nondum de vlla hæresi conuictos, animum suum generosum à calumniatoribus & falsis delatoribus exasperari pateretur. *Verùm non acquieuit Aula hoc eorum responso, sed importunius institit*, & postulatas condemnationes cum quadam comminatione vrsit. Witenber*genses autem sumpto animo in sententia sua firmiter persliterunt*, & in aliorum scripta censuram agere, aut nominatim authores damnare noluerunt. *Interea primus feruor aulicus nonnihil deferbuit.*

Witenbergenses Theologi Caluinisticas Ecclesias damnare nolunt.

ANNVS M. D. LXXIII.

E*Diti sunt hoc 73. anno* Iodoci Harchij *Montensis de Eucharistiæ mysterio ad sedandas controuersias in Cæna Domini libri tres, Basileæ.*

Harchij libelli tres de Cæna.

Deinde Theodori Bezæ *Apologia ad Nicolai Selnecceri κενοφωνίας*

Beza contra Selneccerum.

Tertiò, Iacobi Andreæ *homiliæ duæ, de beata* con-

Schmidlini homiliæ

1573.

concordia Ministrorum Ecclesiæ: de Maiestate hominis Christi ad dexteram Dei: & de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna, Germanicè.

Eusebius Clebe-rus cur Memmingâ pulsus in exilium.

Eusebio Clebero *Memmingensis Ecclesiæ Ministro insidiabantur iam aliquot annis tum collega eius, tum alij quàm plurimi, ob doctrinam vera & orthodoxa de Cœna Domini confessionem ingenuam: adoriendi verò ipsum occasio nulla opportuna sesè eis hactenus obtulit. Accidit autem hoc anno, quum sacra Cœna Memminga esset celebranda, vt integram concionem haberet Cleberus de Eucharistia, non sine auditorum applausu, maximo autem aduersariorum suorum fremitu & indignatione: quippe in qua veram sententiam de Cœna solidè defendit, & crassum de corporali manducatione loquendi modum reiecit. De hac eius concione variè (vt fieri solet) iudicatum est, quibusdam (vt diximus) eam approbantibus, quibusdam verò calumniantibus: præsertim verò reliqui eius Ecclesiæ Ministri, apud quos iam antea in suspicionem venerat Zuinglianismi, cœperunt ipsi aduersari & contradicere, non tamen eo modo, quem sacri nobis præscribunt Canones, vt errantem fratrem amicè admonerent, & vt ipsum validis Scripturæ testimonijs erroris conuincerent, sed ipsi insidias struendo, apud primarios viros calumnijs prægrauando, & omnem, quâ ratione ipsum vrbe pellerent, lapidem mouendo.*

Cùm verò Cleberus propter eruditionem eximiam, & singularem morum probitatem multis Senatoribus, & vniuerso populo gratus acceptusque esset, cautè agendum, nec apertè quicquam contra ipsum tentandum sibi existimarunt. Venit ergo paulò pòst Memmingam Doctor nouitius Vlmensis Georgius nomine, sua-ne spõte, vel per Ministros Memmingenses, vt pleriq; suspicabantur, vocatus aduenerit, tum quidem incertum fuit. Is 14. Calend. Iulij huius anni, non quidem Senatus iussu, sed Ministrorum precibus adductus, concionatus est, quod in Exordio concionis suæ apertè fassus est. In illa vehementer commendauit & approbauit Confessionem nuperam Memmingensium, quam cum Scripturis & Vlmensis Ecclesiæ Confessione consentire dixit. Deinde digressione factâ, quòd illi homines in omnibus ferè & singulis concionibus in more habent, in miseros Zuinglianos inuectus est acerrimè, eosque inter multa conuitiorum plaustra, falsarios nominauit, quòd Testamentum Christi inuertant atq; corrumpant. In fine concionis Magistratum Memmingensem sui officij admonuit: in lege enim Imperatoria cautum esse, vt qui fontes inficiant, morte plectantur, multò magis igitur in eos animaduertendum, qui inficiant fontem aquæ viuæ. Hac concione pleriq; auditorum grauiter offensi sunt. Cleberus autem finitâ concione statim Doctorem adijt, ipsique constanter exprobrauit, quòd absq; legitima vocatione in Ecclesia aliena pios viros, & sanam doctrinam conuitiari ausus fuerit, minitatusq; est, se illi publicè contradicturum, quod etiam sequenti Dominica in postmeridiana concione in maxima populi frequentia præstitit. Interfuerant eius concioni Ministri tres, quidam etiam ex vicinis pagis: Qui protinus insanire, furere, currere, ipsum apud consulem accusare, concionem eius vt seditiosam proclamare, conuentus celebrare, ipsum excludere, & nihil non meditari, quod in boni viri contumeliam facere videretur. Vocantur omnes proximo statim die in Curiam, iniunguntur eis grauiter in Senatu, vt pacem colant, vnitati studeant, in posterum à contumelijs & conuitijs abstineant, cætera Senatum curaturum.

Interea scinditur ciuitas in partes, maxima ciuium & Senatus pars Clebero, altera reliquis Ministris adstipulatur, in primis Consul, qui tum temporis Magistratu fungebatur, iuuenis, qui ante annum creatus erat, aliàs doctus, prudens, summus Religionis fautor, quem Ministri cæteri, eo quòd frequenter cum ipso essent, in suam sententiam pertraxerant, cum quibusdam alijs. Cleberus verò sedulò suum fecit officium, protestatur publicè, se suam sententiam ex Verbo Dei & pura Antiquitate velle defendere, cupere nihil magis quàm vt audiatur, si vincatur se sponte cessurum, & publicè reuocaturum. Sed hoc impetrare non potuit, quia reliquos omnes eruditione antecellebat, cum ipso confligi ausi nõ sunt: saltem vt eijciatur clamantes, Zuinglianus est, hæreticus est, ergo vrbe pellendus.

Vt tamen forma legitimi iudicij seruaretur, euocatur Tubingâ Iacobus Andreæ, illi proponitur concio Cleberi, rogatur, vt eam ad trutinam Verbi Dei expendat, hominum authoritate & affectibus sepositis, iudicium suum Senatui proponat. Is verò concionem Cleberi reprobauit, & per aliquot dies de præsentia Christi in Cœna & Vbiquitate cum Clebero contendit: tandem Senatui persuasit, vt in suam sententiam cederet, metu, vt existimabatur Cæsaris. Quare ad 16. Calend. August. concionem iussu Senatus de Cœna habuit Andreæ valde subdolam & versipellem: in qua præsentiam corporis Christi in Cœna veram & essentialem ex verbis Christi stabilire conatus est: Christũ enim his verbis, *Hoc est corpus meum:* promittere nobis veram suam carnem & verum sanguinem: carnem autem Christi sicut pateat Ioan. 6. cap. esse verum cibum & potum, id est, aliquid essentiale, ein wäsen/ non cogitationem inanem, als so einer hungerig wer / vnd heim an sein brotkorb gedechte. Ergo essentiam carnis & sanguinis Christi in Cœna verè manducari & bi-

bi,

bi, & hoc Christo esse facillimum. Etsi enim carnem verè humanam, ex carne intemeratæ virginis nobis per omnia, excepto peccato, consubstantialem assumpserit, illamque cum suis proprietatibus in omnem æternitatem retenturus sit, illam tamen à nostra carne longiùs quàm cœlum à terra differre, in hoc, quòd Christi caro cum Deo in vnam personam transierit, & Diuinitati ita vnita sit, vt eius caro propter inhabitantem diuinitatem sit viuifica caro, quæ nobis vitam præbeat, & ad dexteram Dei sit collocata, & omnem potestatem in cœlo & terra acceperit: igitur vbicunque in cœlo & terra præsentem esse, *&c. In tota autem concione, qua in duas ferè horas se extendit, altera duo Scriptura testimonia, nempe illud Christi*, Data est mihi omnis potestas, *&c. & Pauli*, Inhabitabat in illo omnis plenitudo deitatis corporaliter, *&c. de manducatione spirituali ne verbum quidem dixit: nisi quòd, quum diceret*, dignos & indignos vesci essentiali carne Christi, *subjiceret*, dignos saltem vtiliter fide manducare. *Illorum interpretationis*, quòd in, cum, sub specie panis corpus Christi in Cœna detur; *ne semel quidem meminit: sicut nec verborum*, Quod pro vobis datur & frangitur.

Deinde vehementer inuectus est in Sacramentariorum doctrinam & palàm dicere ausus est, quòd nudum panem & vinum in Cœna proponant, Christi omnipotentiam negent, personam scindant, & duos Christos faciant, consolationem omnem, quam ex carne Christi habeamus, è medio tollant, non credant quòd homo Christus sciat nostras ærumnas & miserias, sed scire tantùm hæc Deum; non posse eos ex animo clamare, Agne Dei, qui tollis peccata mundi miserere mei: *breuiter*, eos nihil melius de Homine Christo quàm Turcas sentire. *His & alijs similibus calumnijs impudentissimis vanissimisque, promiscuum & imperitum vulgus ita concitauit, vt veram doctrinam, quam à Clebero didicerant, cuique antehac fauerant, deuouere cœperint, & confessi sint, se hactenus ignorasse Zuinglianos talia portenta docere atque defendere: cordatos autem & pios consternatos reddidit, vt summo mœrore domum redierint, aliqui etiam ex his vix se continuerint, quin publicè ipsi contradixerint. Postremò protestatus est*, se non suâ sponte Memmingam profectum, sed legitimè à Magistratu vocatum ad sedandos tumultus & contentiones Ministrorum, quod non infeliciter cesserit: Magistratum enim & omnes Ecclesiæ Ministros tredecim numero, concorditer in Christianæ Religionis negotio, præsertim sacra Cœna consentire, ad eum modum, quem ipsis iam explicuerit: vno excepto; cum quo amicè & humaniter actum sit per aliquot dies, qui etiam erroris conuictus cedere noluerit. Quare in hac vnitate perseuerent, nihil præterea disputent, tranquillitati & paci studeant, Deo & Magistratui gratias agant.

1573.

Ad hanc Andreæ concionem postridie Clebetus à Senatu dimissus, & officio, cui vltra septennium fideliter & summa cum laude præfuerat, priuatus est, grauiterque illi iniunctum insuper, ne priuatim quenquam doceat, aut erroneâ sua doctrina imbuat. Nec obtinere potuit, quantumuis obnixè & humiliter tertiò illud à Senatu flagitaret, vt eius excusatio siue defensio audiretur: Sic dementauerat Doctor ille Senatorum animos, vt qui antea Cleberum ad cœlum vsq; extulerant, animo iam erga ipsum essent alienissimo. Doctor iste discessit Memmingâ, perturbatam relinquens vrbem & Ecclesiam, quum in propria causa Actor & Iudex simul fuisset.

Cleberus alacri animo ex Senatu abijt, fretus bonitate causæ & tranquilla conscientia. Illud vnum ægrè tulit, quòd omnis via se defendendi ipsi præclusa esset. Sperauit tamen aliquando occasionem sibi datum iri, vt suam innocentiam tueatur. Conscripsit omne negotium sedulò, Colloquium quoque quod cum Doctore habuit publicè coram Senatu, & domi sua priuatim, vt quum necesse esset in promptu defensionem haberet.

Cùm priuatim in ædibus Cleberi colloquerentur, non potuit à Doctore impetrare, vt saltem famulum aut coniugem suam ad Colloquium admitteret, ita causa sua fidit. Et quum Cleberus diligens Antiquitatis lector, ipsi testimonia Patrum ex codicibus legeret, respondit Doctor, quum aliud non haberet quod diceret, se vnum folium in Luthero præferre omnium Patrum Scriptis. *Cumque in Curia ambo iussi essent sedere paulùm, interrogauit Doctorem Cleberus, An damnet Philippum Melanchthonem? audacter respondit*, Imò est damnatus, Ja er ist verdampt: *quam vocem ingeminauit.*

Cleberus Sangallum vocatur ad ministerium.

Accidit autem peropportunè, vt cùm illi Memmingâ in exilium abeundum esset, locus Pastoris in Ecclesia Santgallensi vacaret: in eum igitur à Senatu eius vrbis vocatus fuit, vbi adhuc magna cum laude Christum fideliter docet. Est vir solidè doctus, trium linguarum peritissimus, artium non personatus Magister. Natus est Argentinæ, patre docto & honesto, cum quo adhuc infans Memmingam venit, ab eoq; fideliter institutus est in literis. Dein sumptibus Memmingensium primò Argentinam ablegatus, deinde Tubingam, vbi ad Magisterium pro-

1573. *motus, postremò* Witebergam *profectus est propter Hebrea lingua studium. Inde vocatus in patriam per septennium Christo seruiuit, vitam piam & irreprehensibilem vixit, quare eum omnes pij amarunt, eiusque consilia in rebus grauibus multùm vsi sunt, qua non minima causa æmulationis inter reliquos Ministros fuit.*

Stephanus Gerlachius Constantinopolim proficiscitur vbi quorum Neusero loquitur

Hoc etiam anno Stephanus Gerlachius *cùm generoso & illustri Barone Dauide Vngnadio, Maximiliani II. Imperatoris Oratore seu Internuncio, ad Selymum secundum Turcicum Imperatorem iussu Theologici Collegij Tubingensis, Constantinopolim profectus est, vt suffragia à Patriárcha Constantinopolitana & alijs Gracis Episcopis pro sua Vbiquitate, & nescio quibus alijs portentis, emendicaret. Cùm domum redijsset, sparsit magna cum iactantia nouem verba in vulgus, quæ se audisse Constãtinopoli dicebat ab Adamo Neusero Apostata, & Concionatore quondam Heydelbergensi: Nempe,* Qui timet sibi ne incidat in Arianismum, caueat Caluinismum. *Etsi verò multa sunt, quibus probari posset, hac à Neusero neque dicta, neque scripta, sed potiùs à Gerlachia conficta esse; tamen vt concedamus, hac sic ab illo dicta vel scripta fuisse, & hac criminatiane impurum illum sibi onerandos eos putasse, quos Heydelberga sua blasphemia inimicissimos expertus est, adeò, vt nisi aufugisset, capitis supplicium subijsset; quid obsecro præsidij sua Vbiquitati ab Apostata & Antitrinitaria cantra Orthodoxos quaris? aut quid hac verba, qua tanquam in triumpho ostentant, contra Caluinistas faciunt? Imò docent, quandiu ille Heydelberga inter Caluinistas vixit, nec talem fuisse, quem Canstantinopoli Gerlachius vidit; nec, nisi à Caluinistis, ipsorumq; doctrina fugeret, & secessionẽ faceret, talem vnquam faturum fuisse. Sunt-ne verò Caluinista ex eo damnandi, quòd qui apostata à vera fide fieri volunt, neque inter eos diutiùs versari, neque tolerari passunt? Ecquis nescit in ipsa Christi familia, & Apastolorum cætu Iudam proditorem fuisse? ex ipsa Christiana & Apostolica Ecclesia, & Nicolaum, & Cerinthum, & Philetum, & Hymenaum, & reliquos omnes hæreticos extitisse? Est-ne propterea doctrina ipsa Apostalica damnanda, vel ipsi Apostoli illius pracones vllo odio & praiudicia grauandi, & vllâ labe commaculandi? Imò verò ex eo potiùs ipso puritas eorum, & doctrina & Ecclesia animaduertitur, quòd inter eos, vti & inter Caluinistas, non magis vlla hæreses, aut apostasia sordes, quàm fœda aliqua spuma in medio pelago conquiescere potest, sed longè in littus aliquod, & extra ejiciatur necesse est. Itaque idem illi respondetur, quad ipse Iaannes Christi Apostolus, quibusdam, hypocritarum ab Euangelio ad hæreses, aut Paganismum defectiones Ecclesia exprobrantibus respondit:* E nobis egressi sunt, sed non erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent. Sed hoc factum est, vt patefieret, non omnes esse ex nobis. *Denique quis non intelligit, infelicem illum Apostatam, tum sui purgandi, tum infamanda doctrina totius Christiana causâ, iuxta Prouerbium,* Omnis Apostata osor est sui ordinis, *ista effutisse, apud Gerlachium præsertim, quem non ignorabat esse Caluinistarum hostem infensissimum.*

ANNVS M. D. LXXIV.

F*Lacciani & Vbiquista, præfracti & temerarij homines, qui quantùm mora ad conseruandam pacem interponeretur, tantundem suos triumphos retardari iudicabant, hoc anno veteres illas & Ecclesijs Dei tam exitiales controuersias acerbiùs quàm hactenus nunquam (vt primatum sibi in Ecclesia quisque statim vsurparet) mouere & motas exagitare: denique omnia in Germania perturbare, ac præsertim in Saxonia & Academia* Witebergensi *cælum terra miscere confidentissimè cæperunt. Itaque anno Domini* 1573. *quum etiam diem suum obijsset post Philippum* cl. vir Ioachimus Camerarius, *alterum illum Germania lumen (cuius nomen ac eruditio summa vialentos istos homines Lipsia & alibi in ordinem cogebat) apertum iam Ecclesia Dei bellum indici cæpit. Et quia recens quieta illius gubernatianis, qua sub Philippa & Camerario fuerat, recordatia, ac dulcedo tam facilè ex animis hominum deleri non poterat, visum est Germanicarum turbarum authoribus istis maiori quadam vi ac impetu rem totam aggredi, vt nan modò inclinatam bonorum aciem propellerent: sed si qui pra suo in veritatem Dei zela, piè, strenueque adhuc resisterent, latè eos profligarent. Erga quum de suscepta contentione ab istis nihil quicquam remitteretur, imò sauior in dies clarigatio fieret, tandem bonis quibusdam, & ijs quidem orthodaxis viris, qui supererant, placuit, vt breuis sana de Cœna Damini doctrina, & totius, qua propter eam nata erat, controuersia explicatia ederetur.*

Exegesis Witebergensium editur.

Anno igitur hoc Theelogi Witebergenses *ediderunt* Exegesin perspicuam & fermè integram controuersiæ de Sacra Cœna. *In ea* primo *loco veram & orthodaxam sententiam de forma substantiali sacra Cœna per ἀνάλυσιν breuiter indicant.* Deinde *interpretationes & modos inconuenientes pracipuos examinant, & detractis coloribus penitus eos denudant.* Vltimò *monstrant, quâ ratione pia passit sarciri concordia. Hac editio idcirco necessaria visa est: tum vt sua fidei rationem redderent; tùm etiam, quoniam istarum turbarum sonitus ad vniuersas Ecclesias iam peruenerat,*

1574.

nerat, ne orthodoxi, innocentesque homines apud sua doctrina ignaros falso praeiudicio grauarentur. Sed veluti calida suffudisset hic liber, & omnes istos ad arma, quanquam placidissimè conscriptus, tamen concitasset magno aduersariorum concursu ac numero priùs penè oppressus est quàm natus: In eum enim mox publicè delecti sunt inquisitores, & ijdem seuerissimi, ne quis eum habere deprehenderetur: aut si quis deprehenderetur, grauissimâ pœna plecteretur.

Ioachimi Curei Spongia editur.

Anno 1575. Heydelbergæ iterum excusus est hic liber, sub nomine Ioachimi Curei Freistadiani: cum eiusdem authoris Spongia exigua & molli, quâ eluuntur colores, quos illeuit controuersiæ de sacra Cœna Paulus Eberus, Pastor Ecclesiæ Witenbergensis. Accesserunt præterea scripta & literæ aliquot D. Philippi Melanchthonis & aliorum de eadem controuersia.

Hemingius de Christi præsentia in Cœna.

Edidit & Nicolaus Hemmingius Syntagma Institutionum Christianarum, perspicuis assertionibus ex doctrina Prophetica & Apostolica congestis comprehensum. In eo inter alia de præsentia Christi in Cœna orthodoxè sic scribit: Adest-ne ergo corpus Domini pro nobis traditum, & sanguis ipsius pro nobis effusus verè & substantialiter in Cœna? Adest quidem, non ratione loci: Nam si locum spectes corpus Christi in cœlo est περιγραπτὸν: sed ratione fidei hominis legitimè vtentis sacra Christi Cœna.

Musculi propositiones.

Hoc etiam anno Andreæ Musculi propositiones editæ sunt, de vera, reali & substantiali præsentia corporis & sanguinis Christi in Sacramento altaris, duabus disputationibus sic tractatæ, vt loco Transsubstantiationis ipse Consubstantiationem aut impanationem, introducat, & nouam ἀρτολατρείαν in Ecclesia confirmet.

Illyricus de mystica & sacramentali præsentia & manducatione corporis Christi. Schmidlini conciones Memmingensis.

Matthias Flaccius Illyricus quoque edidit libellum, de mystica sacramentalique seu externa præsentia & manducatione corporis & sanguinis Christi in sacra Cœna.

Eodem anno etiam Iacobus Andreæ in lucem dedit conciones suas Memmingæ habitas, hoc inscriptione: Consensus Ministrorum de Maiestate hominis Christi ad dexteram virtutis Dei: & de vera præsentia eius corporis & sanguinis in Cœna. In ijs, sicut etiam in alijs scriptis hoc tempore à se editis, suo more iterum nouas dicendi formas excogitauit, sub quibus delitescere posset, & aliorum tela in se vibrata commodiùs declinare. Nam qui antea pleno ore subinde vociferabatur de transfusione omnium donorum reali ex diuinitate in humanitatem, cœpit iam tantùm vrgere humanam naturam cum diuina natura omnipotentia & alijs proprietatibus communionem habere. Item, duplicem esse carnis Christi essentiam, personalem & naturalem, &c. Palàm autem & acerbè omnes qui Vbiquisticam doctrinam improbant Arianos vocat, & eos Turcicam Religionem habere ait.

Bezæ homiliæ duæ.

Editæ quoque sunt à Caluinistarum partibus, Nathanaëlis Neskij (Theodori Bezæ, vide annum 1580.) aduersus Sacramentariorum errorem pro vera Christi præsentia in Cœna Domini, homiliæ duæ.

Heydelbergensium doctrina de Cœna Domini.

Heydelbergensium Theologorum doctrina de Cœna Domini, Germanicè.

Confessio eorundem de vero æterno Deo in tribus personis, de duabus naturis in vna persona Christi, & de Cœna D. N. Iesu Christi. Heydelbergæ, Germanicè.

Simleri liber de vera Christi in his terris secundùm humanam naturam præsentia.

Scripsit etiam & in lucem dedit Iosias Simlerus Tigurinus breuem, sed solidam & orthodoxam expositionem, de vera Iesu Christi Domini & Seruatoris nostri secundùm humanam naturam in his terris præsentia. In ea primò docet, Lutheranos non seruare τὸ ῥητὸν verborum Cœnæ Domini. Deinde ponit modum præsentiæ Christi in Cœna, qui ab aduersarijs statuitur: cui mox subijcit verum sensum verborum Cœnæ, & modum verum præsentiæ, quem rationibus confirmat, & quare præsentia carnis Christi corporalis reijcienda sit indicat. Tertiò docet, qualem Vbiquitatem corporis Christi statuant, nec inde probari posse præsentiam realem corporis Christi in pane & vino: cuius causâ tamen Vbiquitas inuenta & excogitata est. Quartò agit de hypostatica vnione verbi cum assumpto humanitate. Quintò, cùm Lutherani in communicatione seu transfusione proprietatum diuinæ naturæ in humanam vnionem personalem consistere velint, de communicatione idiomatum seu proprietatum vtriusque naturæ pluribus agit. Sextò docet, ex vnione personali non rectè doceri omnipræsentiam Christi corporis, & hac negatâ, naturas non separari & vnionem veram tolli. Septimò agit de dextera Dei. Octauò demonstrat, Vbiquistas suis dogmatibus Nestorianam & Eutychianam, atque alias his cognatas hæreses renouare. Vltimò, Vbiquitarios cùm à Luthero, tum etiam ipsos inter sese mutuò dissentire.

Lutherani non seruant τὸ ῥητὸν verborum Christi.

De primo sic inter alia scribit: Verba Christi in hunc modum ab Euangelistis & Paulo Apostolo nobis tradita sunt, Dominum nostrum Iesum Christum postquam Agnum paschalem cum discipulis suis edit, in illa vltima Cœna, accepisse panem, & quum benedixisset siue gratias egisset, fregisse & dedisse discipulis, dicendo, Accipite, comedite, HOC EST CORPVS MEVM quod pro vobis datur, vel frangitur, hoc facite in mei commemorationem. Similiter accepto poculo & gratijs actis, id dedisse eis ac dixisse: Bibite ex eo omnes, HOC EST ENIM

1574. SANGVIS MEVS NOVI TESTAMENTI, *qui pro multis effunditur in remissionem peccatorum*, vel, HOC POCVLVM EST NOVVM ILLVD TESTAMENTVM *in meo sanguine*, seu *per meum sanguinem, qui pro vobis effunditur: hoc facite quotiescunque biberitis ad mei commemorationem. Quotiescunque enim ederitis panem hunc, & poculum hoc biberitis, mortem Domini annunciabitis vsque quò venerit.* Horum verborum genuinus, simplex & grammaticus sensus est, Panem esse corpus Christi, & poculum esse nouum Testamentum, seu, sanguinem noui Testamenti. Nam Pronomen demonstratiuum τοῦτο, *Hoc*, panem ostendit: id enim quod accepit, quod fregit, super quo gratias egit, quod dedit discipulis & comedere iussit, hoc vocat corpus suum: Panem autem accepit, panem fregit (corpus enim Christi propriè non frangitur) panem benedixit, seu super eo gratias egit, hunc dedit discipulis & comedere iussit: Itaque panis in hac oratione subiectum est: de quo prædicatur corpus Christi, est id quod corpus Christi esse dicitur. Veteres etiam ita senserunt, Pronomen HOC ad panem referri, & Christum panem corpus suum vocâsse. Tertullianus contra Iudæos inquit, *Christum panem corpus suum appellasse.* Origenes, *Deum Verbum*, inquit, *panem corpus suum fateri, & potum sanguinem suum.* Iustinus panem & poculum Cœnæ Dominieæ nominat *alimoniam sacratam*, & hæc, inquit, esse illius Iesu incarnati carnem & sanguinem. Irenæus, Panem eum in quo gratiæ actæ sint, ait *esse corpus Domini, & calicem sanguinem eius.* Chrysostomus: *Quidnam est panis? Corpus Christi. Quid autem fiunt, qui accipiunt? Corpus Christi.* Augustinus: *Quod ergo vidistis, panis est & calix, quod etiam oculi vestri renuntiant, quod autem fides vestra postulat instruenda, panis est corpus Christi, & calix sanguis.* item: *Corpus & sanguinem Christi dicimus. illud quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mysticâ consecratum rectè sumimus ad salutem spiritualem, in memoriam Dominicæ passionis.* Quin etiam Lutherus in defensione verborum, HOC EST CORPVS MEVM, ait, *verba Christi de pane sonare, seu panem notare, ideo necesse est corpus Christi in pane inesse:* Et in breui Confessione: *Qui noluerit credere panem Domini in Cœna eius verum & naturale corpus esse, quod impius seu Iudas non minus oraliter percipiat quàm Petrus & omnes sancti, hic à me faceßat:* attamen mox suas vsitatas interpretationes adhibet. Sunt tamen aliqui veteres & recentiores Sophistæ, qui negant Pronomen demonstratiuum

Lib. 1. & 4.
Homil. 31. in Matth.
Apologia 2.
Lib. 4. cap. 34.
1. Cor. hom. 24.
Serm. ad infantes.
Lib. 3. de Trinit. cap. 4.
Eucharist.

HOC, panem indicare: & quamuis alioqui iurati sint in verba Lutheri, tamen hîc illi contradicunt, & fingunt Identicam propositionem, vbi ipsum subiectum fit prædicatum: ac alij quidam vagum quoddam indiuiduum demonstrant, quorum opinionem aduersarij nostri ipsi quoque improbant, alij volunt simul cum pane demonstrari corpus Christi, neque hîc panem propriè demonstrari à Christo, quem alioqui manifestè cernebant Apostoli, vt non necesse fuerit eius præsentiam demonstrare, sed ipsum Christi corpus, sicut etiam de sanguine dicitur, HIC EST SANGVIS, ac aiunt, similem esse locutionem, vt si quis ferrum candens ostendat ac dicat, hoc est ignis, aut cantharum vino plenum, & dicar, hoc est vinum. Sed hæc similia nihil eos iuuant, nam cantharus & ferrum ostenduntur, sed cantharus vinum figuratè dicitur, eò quòd continens accipit nomen contenti, & ita ferrum candens ignis dici potest quia ignitum est, vt sit permutatio causæ & effectus, aut partium: at illi nullam figuram hic ferunt. Deinde si concedamus hæc absque figura accipi posse, & demonstrari non cantharum, sed vinum cantharo contentum: tamen in huiusmodi locutionibus oportet duorum realem coniunctionem præcedere, vt hæc demonstratio verè locum habeat: nisi enim antea cantharus vino plenus fuerit, non rectè dicetur, hoc esse vinum: at in Sacramento Cœnæ non poni potest alia antecedens coniunctio panis & corporis Christi, vt manu ad panem porrectâ indicetur corpus Christi, sed ex ipsa institutione Sacramenti panis hoc accipit demum, vt dicatur Christi corpus. Nam etiamsi ponatur Vbiquitas corporis Christi, quâ semper vbique adsit, & ita etiam pani coniunctum sit, tamen nihilominus ab ipsis quoque peculiarem aliquam coniunctionem Christi cum pane, nempe sacramentalem, ex institutione Christi statui oportet, alioquin eodem modo de quouis pane, imò de quauis re verè dici posset, *hoc est corpus Christi.* At si demonstratiua particula HOC, ad panem simul & corpus refertur, vt si quis cantharum vino plenum ostendens dicat, hoc est vinum, & ita vtroque demonstrato, alterum tantùm nominatur, tum certè fuerit tropica locutio & syneedoche in verbis Christi, & tamen contendunt, nullum prorsus tropum in verbis Testamenti admittendum. Et quoniam à nobis exigunt, vt aliis locis Scripturæ nostrum tropum probemus, eodem iure ab illis petitur, vt suum tropum alijs locis probent, & non id

quod

quod in quæstione est pro argumento sumant. Atque posita synecdoche, nihilominus quæritur, quomodo coniungantur panis & corpus Christi, an substantialiter, an per relationem, vt nos dicimus. Quòd si pronomen demonstratiuum non demonstrat panem, quid quæso distribuit Christus? quid in manus accepit & fregit? Si panem non ostendit, & hunc dicit esse suum corpus, sed suum ipsius corpus tantùm ostendit, & de hoc dicit, HOC EST CORPUS MEUM, quis vsus panis in Cœna? cur Paulus panem communionem corporis Christi vocat? Et si Pronomen HOC, panem non demonstrat, tamen apertè poculum monstratum esse à Christo Lucas & Paulus testantur. Neque ab his dissentit Matthæus, sed eius verbis vim faciunt qui ea ita interpretantur, HIC SANGUIS EST NOVI TESTAMENTI, quasi sanguinis vox sit subiectum in propositione. Nam in Græco est τοῦτο HOC, quod Lucas & Paulus explicant HOC POCULUM. Quare a simplicitate verborum & genuino & Grammatico sensu recedunt, qui demonstratiuum Pronomen, aliò violenter, quàm ad panem & poculum detorquent, hæc enim Iesum accepisse, benedixisse, fregisse, distribuisse discipulis, iussisse accipere & edere & bibere Paulus & Euangelistæ omnes testantur, ideoq; de his quoq; dixit, *corpus suum & sanguinem suum esse.*

Porrò nulla quoque ambiguitas est in nomine *Corporis*, non enim sic figuratum aut spirituale aliquod corpus Christo affingimus, sed fatemur hæc eius verba de vero suo & naturali corpore loqui, nam addit, *quod pro vobis frangitur:* Fractionis nomine passionem intelligens, & sanguinem qui pro nobis effunditur. Hic cardo controuersiæ est, *Quomodo panis sit corpus Christi, quomodo & cur panem hunc Christus suum corpus nominet.* Musculus, qui gloriatur se simplicem, genuinum & Grammaticum sensum verborum Christi retinere, hunc sensum verborum Christi esse vult, *quòd his stabiliatur realis & substantialis præsentia veri corporis & sanguinis Christi, sic vt præsens ipse, manu Ministri mediante, corpus verum, substantiale, naturale, & sanguinem verum in pane & vino, & cum pane & vino sumentibus præbeat dignis & indignis, atque hîc ipsam carnem, quæ nata est ex virgine, & passa in cruce, & resurrexit à mortuis, fide & ore percipi atque manducari* ait. *Nam esse vnionem incomprehensibilem panis & corporis Christi, non quidem naturalem, personalem aut formalem, sed sacramentalem & supernaturalem, quâ statuatur in Cœna præsens corpus Christi realiter, substantialiter, naturaliter, sed admirando, & adorando, & supernaturali modo, & accipi ac manducari nō visibiliter nec sensibiliter, sed incomprehensibiliter, inuisibiliter, supernaturali & corporali manducatione.* Hæc est illa simplicitas verborum Christi, hic genuinus & Grammaticus sensus, vbi seruatur τὸ ῥητόν.

De statu controuersia Aduersariorum sententia.

De tertio, quòd nimirum ex Vbiquitate probari non possit præsentia realis corporis Christi in pane & vino, sic scribit: Quòd si maximè obtinuerint suam illam Vbiquitatem corporis Christi, tamen infirmum fundamentum iaciunt carnali, reali & orali manducationi, cuius causâ Vbiquitas hæc inuenta est. Etenim si corpus Christi non minùs suâ essentiâ vbique præsens est quàm ipsa Diuinitas, non magis præsens dici poterit in pane Cœnæ Domini quàm in quouis alio pane, neque aliter quouis tempore quàm in ipsa Cœna ore manducabitur: non differt sanctus ille cibus & potus in Sacramento Eucharistiæ à quotidiano cibo & potu, vbi etiam cum pane & vino & quouis cibo & potu, imò quacunque re corpus Christi huius Vbiquitatis ratione præsens erit. Itaque necesse est vt damnent Lutherum & alios, qui docuerunt, verba Cœnæ aut promissionem Christi, causam esse præsentiæ Christi in Cœna sua. Neque valet eorum commentum, Omnipræsentiâ hac statui corpus Christi præsens, sed verbis Cœnæ dispensari corpus Christi, & definiri & nobis præsens fieri. Nam si antea statuitur realis præsentia, verbis Cœnæ tribuunt tantùm relationem, & interim nos, quando per relationem eadem explicamus, damnant & Satanæ tradunt. Rursus tamen fatendum est, nisi statuatur, eam naturam esse corporis Christi, vt possit pluribus in locis simul aut omnibus etiam præsens esse, non posse constanter affirmari, realem præsentiam eius in pane & vino Cœnæ Dominicæ. Itaque fundamentum hoc eorum est quodammodo asystaton, hac quidem ratione, quâ hactenus realem corporis præsentiam in Cœna & simul etiam eius omnipræsentiam affirmarunt.

Ex Vbiquitate præsentiam realem corporis Christi in Cœna probari non posse.

De vltimo capite sic scribit: Primùm vniuersa Vbiquistarum doctrina realis communicationis: cum Augustana Confessione, & doctrina Lutheri pugnat. Etenim quod articulum de Trinitate attinet, & de naturis in Christo, nulla vnquam fuit controuersia inter Pontificios, & illos qui Augustanæ Confessioni subscripserunt, agnoscebant enim hi veteris Ecclesiæ doctrinam de his dogmatibus ex sacris Literis desumptam, & veterum Synodorum authoritate con-

Communicatio realis contraria Augustanæ Confessioni.

1574. confirmatam, in Papatu retentam fuisse. Itaque sæpe in Comitijs asseruerunt, de his nullam controuersiam esse. Idem quoque Lutherus in scriptis suis testatus est, veluti in eo libello, quo complexus est *capita fidei Christianæ contra Papam & portas inferorum constanter asserenda*: Nam in prima parte proponens sublimia capita de diuina Maiestate, nempe de vnitate essentiæ & personarum distinctione in sacrosancta Trinitate, & incarnatione Filij, subjicit: *De his articulis nulla controuersia aut contentio est, cùm vtrosque vtrinque confiteamur. Quare superuacaneum erit de his prolixiùs agere.* Porrò certum est Vbiquitariorum doctrinam de reali communicatione Idiomatum damnari à Papistis: Nam non tantùm in Germania publico scripto hanc damnarunt, sed in celeberrima quoque Galliarum Academia Parisina apertè asseruerunt hoc dogma hæreticum esse; neque difficulter ostendi potest plurimùm hanc opinionem à Scholasticorum sententia differre, à quibus etiam pleraque Vbiquitariorum argumenta acutè refutantur. Itaque dissentiunt à Cõfessione August. & nouas controuersias mouent Vbiquitarij hac suâ nouâ & veteri Ecclesiæ inauditâ doctrinâ de reali communicatione. Aliter etiam Lutherum sensisse scripta eius ostendunt. Er quamuis Vbiquitarij eum secum sentire asserant, diuersum tamen ex scriptis eius ostendunt non tantùm Zuingliani quos vocant, sed ipsius Lutheri discipuli, qui eius doctrinam constanter retinent, neque vllo modo cum Zuinglianis colludunt: imò hoc ipsum quidam non extremi nominis ex his qui nunc Vbiquitatem probant, olim asseruerunt. De Philippo enim Melancthone, quem hi ingrati discipuli mortuum mordent ac lacerant, non est dubium eum constanter asseruisse, realem hanc communicationem esse transfusionem physicam proprietatum, quâ naturæ confunduntur, aut altera aboletur. Reliquos doctores Ecclesiarum Augustanæ Confessionis non necesse est commemorare, qui inter se consentientes nunquam agnouerunt hanc realem communicationem.

Diuersæ opiniones Lutheranorum de communicatione reali.

Porrò de ipsa communicatione reali diuersæ Vbiquitariorum sunt opiniones: aliqui enim volunt humanam naturam suas quoque proprietates diuinæ naturæ communicare: alij contrà censent tantùm Diuinarum proprietatum transfusionem in humanam naturam fieri. Atque rursus has proprietates omnes absque exceptione humanæ naturæ communicari Brentius asserit: alij contrà distinctionem faciunt, & quasdam incommunicabiles, quasdam communicabiles esse aiunt: quæ tamen sint communicabiles, nondum prorsus inter ipsos conuenit, sicuti neque de communicationis tempore, quando alij hanc maiestatem humanitati Christi ab ipsa conceptione tribuunt: alij demum postquam à mortuis resurrexit & clarificata est. Similiter de proprietatibus humani corporis diuersa sunt eorum iudicia, nam circumscribi, & in loco esse Brentius inter accidentales proprietates corporis numerat: & quidam scribit, corpus Christi has proprietates, vt tangatur & in loco sit, post resurrectionem abiecisse. At verò Iacobus Andreæ & nonnulli alij circumscriptionem veram & essentialem humani corporis proprietatem esse agnoscunt: ita vt etiam corpus Christi gloriosum in cœlo circumscriptum esse fateantur.

Dissentiunt à Luthero de præsentia in Cœna Domini. Lutherus.

Deinde quod ad alterum caput huius controuersiæ pertinet, de præsentia corporis Christi in Cœna sacrosancta, ne hîc quidem cum Luthero consentiunt. Lutherus enim asseruit corpus Christi gloriosum, saluo pane sic esse in Sacramento, sicut ignis est in ferro, saluâ ferri substantiâ, sic enim scribit in libro contra Angliæ Regem: *Cur non posset Christus corpus suum intra panis substantiam continere, sicut in accidentibus? Ecce ignis & ferrum sunt duæ substantia, sic miscentur in ferro ignito, vt quælibet pars sit ferrum & ignis. Cur non multò magis corpus Christi gloriosum, sic in omni parte substantia panis esse posset?* His verbis vult Christum ratione gloriosi corporis in Cœna præsentem esse. Hanc autem præsentiam ita explicat, quòd definitiuè & corporaliter adsit: nam in Confessione parua edita anno 1544. sic ait: *Hoc autem modo docent Papista (imò non Papista sed Ecclesia, non enim Papa sacramentum instituit) & nos cum ijs, quod corpus Christi non sit localiter in Sacramento, sed definitiuè, hoc est, certò est ibi corporaliter & verè.* Sæpe etiam scribit, *Christi corpus in Cœna cum pane corporaliter manducari in ore nostro.*

Discipuli Lutheri contradicunt Magistro suo Contrà Beza pag. 90.

Sed contrà Iacobus Andreæ tres constituens rationes corporis Christi, physicam, gloriosam & maiestatis, *negat Christum ratione gloriosi corporis in Cœna præsentem esse.* Idem scribit, *corpus Christi non manducari carnaliter & corporaliter: neque carnaliter, aut corporaliter, aut naturaliter in Sacramento præsens esse.* Præterea Lutherus realem & corporalem præsentiam corporis Christi in Cœna, docuit nouam quandam esse existentiam substantiæ corporis Christi, quæ antè in pane non fuerit, sed facta sit

vi verborum Domini, unde etiam hanc præsentiam hujusmodi locutionibus explicat, *corpus Christi corporaliter esse in pane, invadere & per verbum advehi in panem, latere in pane, intra panis substantiam contineri, in omnibus sub Sacramento locis esse.* Contrà verò Vbiquistæ docent, *substantiam corporis Christi propter unionem personalem & sessionem ad dexteram Dei, eam majestatem & potentiam accepisse, ut in omnibus locis, atque in omnibus creaturis præsens sit: attamen in pane Cœna Dominica certâ quadam ratione dispensari & manducandum dari.*

Verba Cœnæ non eodem modo interpretâtur Lutherani & Vbiquistæ. Contra Regem Angliæ.

Rursus, quod ad interpretationem verborum Cœnæ Domini pertinet, Lutherus ita interpretatur. *Hoc est corpus meum*, id est, *Hic panis est corpus meum. Nam textus sic habet: Accepit panem, benedixit, fregit & dixit: Hoc est corpus meum, &c. Vides hic, ut omnia illa verba, accepit, benedixit, fregit, de pane dicantur? Et eundem demonstrat Pronomen* HOC, *Quia illud ipsum quod accepit, benedixit, fregit, hoc (inquam) acceptum & benedictum, & fractum significatur, cum dicitur: Hoc est corpus meum: non prædicatum, sed subiectum demonstratur. Non enim corpus suum accepit, benedixit, & fregit, sed panem.* Contrà verò Vbiquistæ in Colloquio Mulbrunnensi pertinaciter negarunt propositionem hanc, *Hoc est corpus meum*, idem esse atque, *Hic panis est corpus meum*: atque in scriptis suis contendunt, esse propositionem identicam, aut demonstrationem, HOC, panem simul & corpus Christi demonstrare. Rursus aliqui Vbiquistarum, præsentiam corporis Christi in Sacramento volunt definiri his verbis. *Hoc est corpus meum quod pro vobis traditur:* ac aiunt *somniare eos, qui volunt corpus absolutum de pane prædicari, cùm id intelligendum sit ratione abditi prædicati, quod pro vobis traditur.* Contrà verò sentiunt alii, verbis, *Hoc est corpus meum, ipsam absolutam substantiam Sacramenti describi additâ autem prædicatione, Quod pro vobis traditur, usum ejusdem indicari.* Jam sunt nonnulli eorum, *qui nullum prorsus tropum in verbis Cœnæ Domini admittendum putant:* contrà alii censent, *esse in his verbis synecdochen.* Sæpe etiam dicunt, *solam fidem sufficere ad manducandum corpus Domini:* rursus aiunt, *oportere omnino, ut oraliter quoque illud manducemus.* Iam verò illa quis non judicet contradictoria esse: Christi verum, naturale & substantiale corpus adesse realiter & substantialiter, non tamen corporaliter aut localiter: aut, ut alii dicunt, adesse naturaliter, sed modo non naturali: esse in loco, sed non localiter: non adesse localiter, & tamen ore manducari & manu Ministri porrigi: non esse physicam, carnalem, & corporalem præsentiam, & tamen physicè & corporaliter manducari, & quidem ita ut Lutherus scribat: *Os & stomachum Christi corpus manducantem in æternum vivere, & corpora nostra physicè percipientia Eucharistiam corporis Christi etiam incorruptibilia & æterna fore?* Multa præterea alia huiusmodi ex ipsorum scriptis proferri possent, quæ nunc libens prætereo. Scio enim adversarios habere plenas thecas distinctionum, quibus omnia hæc conciliare possunt, sed ego hoc unum peto à moderatis Lectoribus, ut seposito omni affectu, res ipsas diligenter expendant, considerent quid simplici Scripturarum sensui consentaneum sit, quid cum purioris Ecclesiæ doctrina consentiat aut discrepet, id enim si sedulò faciant, de tota hac controversia facilè iudicare poterunt.

Simleri Responsio ad duas disputationes Andreæ Musculi.

Huic libro in fine adiecta est ab eodem authore Responsio ad duas disputationes Andreæ Musculi, De vera, reali & substantiali præsentia corporis & sanguinis Iesu Christi in sacramento altaris: *qua prioris quidem disputationis propositiones, ordine oppositis contrariis propositionibus confutantur: posterioris verò præcipua tantùm capita examinantur.*

Bullingeri Responsio ad septem accusationis Lutheranorum & Vbiquistarum capita.

Edidit quoque Bullingerus Responsionem ad septem præcipua accusationis capita, quæ hoc tempore quidam inquieti homines maximâ importunitate per calumniam Tigurinæ Ecclesiæ Ministris objecerunt. *Primum accusationis caput est, ad quod respondet*, Zuinglianos negare verba Christi quibus in sacra Cœna usus est: *dicere enim eos, corpus & sanguinem Christi non esse præsentia in Sacramento corporaliter, naturaliter, substantialiter aut essentialiter: sed sumi à fidelibus spiritualiter, neque corporeo ore pariter à fidelibus & infidelibus percipi: imò docere in Cœna Domini tantùm esse nuda & vacua signa, ideoq; tantùm signa ipsa, panem & vinum, nihil præterea ampliùs dari & percipi, Secundum*, Zuinglianos verba Domini Ioan. 6. ad explicandum negotium Cœnæ Dominicæ adducere, *quum tamen huc non pertineant: adhuc dicere, carnem Christi non esse vivificam carnem, atque ita contemnere carnem Christi, ac spiritui cuncta tribuere. Tertium*, Zuinglianos duos Christos facere, *unum qui tantùm in cælo, alterum qui & in cælo & in terra ubique præsens sit. Quartum*, eos negare Christo homini omnem potestatem in cœlo & in terra datam; *neque etiam Christo plus tribuere, aut magnificentiùs de eo sentire, quàm Mahometum aut Turcas in Alcorano suo, neque Turcis meliores esse. Quintum caput est*, Zuin-

1574. Zuinglianos fidelibus in tentationibus & afflictionibus summam consolationem, quam Ecclesia habet, eripere, *nempe corporalem ejus præsentiam nobiscum, & docere, Christum non audire neque nosse res & sollicitudines nostras.* 6. *Sextum*, neminem unquam, præter Zuinglianos ex ascensione Christi in cœlum, collegisse Christũ non esse corporaliter in Sacramento, neque corporaliter manducari. *Peruertere autem doctrinam de ascensione Christi, atque etiam de cælo ipso: docere enim eos, cælum esse certum locum, destinatum Christo & electis eius: in hoc cælo Christum quasi captiuum teneri vsq; ad extremum iudicium: Item, in hoc cælo corpora fidelium corporeo more habitatura esse: atque ita fingere Mahumeticum siue Turcicum cælum.* 7. *Septimum caput est*, Zuinglianos ab initio in causa Sacramenti, quando Confessio Augustana edita sit, se veritati opposuisse: contemnere etiam & contumeliâ afficere D. Lutherum. *Ad has inquam impudentissimas & Christiano homine indignas calumnias diligenter Bullingerus respondet, & quàm insignem iniuriam, iis, quos contumeliosè Zuinglianos vocant, faciant, ostendit.*

ANNVS M. D. LXXV.

Andreæ Musculi libellus.

HOc etiam anno de causa Sacramentaria sequentes libri sunt editi. Andreæ Musculi *contrà necessitatem physicæ locationis in corpore Christi, clarificato & glorioso.*

P. Patiens in institutio.

Petri Patientis *Institutio de sacrosancta Domini Cœna, qua sit de ea vera doctrina, sententia & fides, quâ Augustanæ Confessionis Ecclesiæ in declaratione eius utuntur, & ex quibus fundamentis singula probent. Francofurti, Germanicè.*

Witebergensium *Theologorum Declaratio Certaminis de Cœna Domini & Persona Christi, inter Lutheranos & Calvinistas. Tubingæ, Germanicè.*

Confessio de Cœna probata in Synodo Torgensi.

Confessio *complectens summam doctrinæ de vera præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Dominica: exhibita & comprobata in Synodo Torgensi, & ex Germanica in Latinam linguam conversa*, Witeberga.

Schmidlini responsio ad Bullingeri confutationem Brentiani Testamenti.

Iacobi Andreæ Responsio ad Confutationem Henrici Bullingeri Testamenti Brentiani. *In ea scribit*, omnem culpam contentionum in Zuinglianis hærere: Lutherum enim absque omni disputatione retinuisse simplicia verba Domini, eorumque simplicem sensum: Zuinglium autem corrupisse verba Christi, interpretando ea, *hoc est*, id est, *hoc significat corpus meum*, meritò igitur Lutherum sese illi opposuisse. *Deinde disputat de verbis corporaliter & substantialiter: ac contendit* ea non esse humanam additionem. *In secundo capite sophisticè dicit*, Zuinglianos docere, Christi corpus spiritualiter tantùm præsens esse in Cœna, & per fidem manducari. *Ipseq; oralem manducationem carnis Christi probare conatur. In tertio capite conqueritur*, Zuinglianos sextum caput Ioannis ad explicationem Cœnæ Dominicæ adhibere, indeque conficere, Christum cum pane non dare nobis suum corpus, sed solùm Spiritum suum, gratiam & efficaciam Spiritus distribuere. *In quarto, gloriatur & probare vult*, Zuinglianorum doctrinam esse novam, & contrariam sacris Literis atque sententiæ Veteris Ecclesiæ. *In quinto, simulat* se Veterum sententiam de Ascensione Christi probare: Zuinglianos autem, *fingit docere*, nullum esse discrimen inter Ascensionem Christi & aliorum Sanctorum: *Item*, Christum ascendisse in cœlos, & ad dexteram Dei, quæ sit certus locus considisse, ut quà homo est nihil amplius carne nobiscum in terris negotii habeat; & tantùm sanctus ipsius Spiritus præsens omnia in Ecclesia agat, quæ Christus corporaliter præsens acturus fuisset. *In sexto ostendit*, se non differre à simplici doctrina de cœlo, quam Scripturæ tradant, quòd beatorum mansio sit locus, ac quòd sursum Christus in cœlos ascenderit, *&c.* Christi autem ascensionem corporalem & visibilem in cœlos, non tollere aut constituere præsentiam eius in Cœna. *Deinde obsecrat ut sibi respondeatur*, An humana natura assumpta à Filio Dei in unam personam, altius posita sit omnibus cœlis? sin enim hoc negemus, Cœlos supra Deum nos attollere: sin affirmemus, sequi humanam naturam ita supra omnes cœlos evectam esse, ut non ampliùs sit in cœlo. *In septimo, Zuinglianos arguit*, quòd statum controversiæ pervertant, ac scribant ipsos asserere, corpus Christi secundùm naturam humanorum corporum ubique præsens esse, quod nunquam asseruerint. *Secundo loco Lutheri verba subjicit, ad explicandum & probandum Vbiquitatem corporis Christi. In octavo scribit* Zuinglianos, Personalem unionem ore tantùm confiteri, reipsa autem negare. *Ac sequenti nono capite conatur ostendere*, doctrinam eorum pugnare cum vera doctrina de naturis in Christo. *In decimo, Zuinglianos reprehendit*, quòd non exponant, quónam modo Christus in possessione majestatis seu gloriæ constitutus sit, quod tamen præcipuè sit in controversia. *Hocque duabus calumniis probare vult, primò quòd dicant*, Christum secundùm

cundùm humanitatem nihil eam divina majestate, nisi tantùm nomen commune habere: *Secundò eos asserere*, maiestatem hanc in ipsa incarnatione cum humana natura perpetuo & indissolubili vinculo unitam esse: atque hoc esse omne id, quod de personali unione & majestate hominis Christi scribant, *Capite* 12. Zuinglianos Arrianismi & Mahometanismi accusat: Spiritum item homicidii eis tribuit, *& ut hunc spiritum eos habere probet*, inter alia mentionem facit suppliciorum quæ de Serveto & Valentino Gentile *Bernæ Helvetiorum & Genevæ sumpta sunt. De utroque autem supplicium sumptum est ob horrendas blasphemias, quas in Deum Patrem & Filium eius, Spiritumque sanctum evomuerunt.* Servetus *enim affirmavit*, ex propria Dei substantia, & quidem ex traduce omnes creaturas esse, ac diabolum ipsum substantialiter Deum esse: æternam Deitatem Filii Dei negavit: Christum connotativum Deum vocavit, sacrosanctam Trinitatem tricipitem cerberum nominavit, *item* tria phantasmata, tres Deos imaginarios & illusiones dæmoniorum. *Similiter Valentinus Gentilis* perjurii reus fuit, & horribilium blasphemiarum quibus sacrosanctam Trinitatem passim in suis scriptis aspersit. *Istiusmodi hominum mors vehementer Andreæ dolet, & pios Magistratus ob supplicium de illis iustè sumptum graviter accusat; & quidem Arrianismi & Mahometismi. Interim laudat pium zelum Magistratuum in Saxonia, qui Theologos Witebergenses, viros pios & eruditos, carcere & exilio, ne quid ampliùs dicant, punivit, tlàm (ut ipse dicit) Zuinglianam doctrinam spargentes.*

Quo iure igitur Arrianismi eos accusavit? cur Bernæ & Genevæ de Serveto & Gentile supplicium sumptum sit. Serveti blasphemiæ. Valentinus Gentilis.

Non mirum est autem Schmidlinum tum Vbiquitariis de morte Serveti & Gentilis vehementer conqueri. Quàm procul enim absit illorum mataologia à Serveti cæteris blasphemiis, ex sequentibus facilè æstimabit Lector. Mihi quidem vix ovum ovo, & lac lacti similius esse videtur.

Cur Schmidlinus Serveto & Gentile tantopere condoleat. Serveti & Schmidlini doctrina eadē.

Nam primò contendit Servetus, Substantiam Verbi, & carnis Christi; unam esse substantiam: & carnem Christi esse Deo ὁμούσιον, ideoque Deum in carnem manifestatum dici.

2. Lucem creatam & increatam in Christo unam esse lucem.

3. Participē Deitatis esse carnem Christi.

4. Glorificationem Christi non qualitatem, sed substantialem Dei lucem esse.

5. Vnionem in Christo esse substantialem unitatem.

6. In omnibus creaturis substantialem Deitatem esse.

7. Communicationem Idiomatum (*non quidem realem inquam, sed illam ipsam ab Ecclesia receptam, & ab Vbiquitariis repudiatam*) exitiale Sathanæ fascinum *appellat. Item*, Diabolicum sophisma.

1575.

8. Tres dispensationis gradus in Christo statuit.

9. Deum in lapide, lapidem: in ligno, lignum esse dicit: *Epist.6.pag.589. Et in Apologia, pag.698.*

10. Humanam naturam in Christo unum esse cum divina: *lib.4. de Trinit.*

11. Quodammodo factam esse Verbi in carnem conversionem; & personæ translationem, ut huic personæ carnis nunc tribuantur omnia: *In Apologia pag.* 697.

12. Carnem Christi esse Deum: *Lib. de Trinit.3.pag.96.*

13. Gloriam, quam Christus Ioan.13. testatur se habuisse semper apud Patrem, Deitati eripit, ac in hominem transfert: Cogita, *inquit*, quòd non Deitas, sed homo ipse petit glorificari: Ergo homo ipse erat gloriosus.

14. *Item*, Sicut per incarnationem, *inquit Servetus pag.*275. Verbum effectum est caro; vel creatura, ita per resurrectionem carō desiit creatura esse.

15. Humanam in Christo naturam unum & idem esse cum divina *scribit pag.*147.

16. Quòd caro in Verbum transformata fuerit: *Epist.6.* Non aliter in nos transfundi Deitatem, quàm homo in Christi persona in Deū assumptus est: ut verè fit hypostatica in nobis divinæ & humanæ naturæ unio.

17. Spirituale Christum corpus habere, quod cœlum & terram sua plenitudine impleat. *Has phrases Serveticas Vbiquitarii hodie ad verbum ferè retinent.*

Adiecit Schmidlinus huic Responsioni Suggestionem, *quam ipse vocat*, Erinnerung/ ad Bullingeri libellum, de septem accusationis capitibus &c. *Ab initio mox huius Suggestionis mirificè suas virtutes iactitat Andreæ*: se eum virum esse, qui Zuinglianorum venas rectè secare, & secando ad vivum usque penetrare norit. *Gloriatur*, se eis nimium garrulum fuisse, ut qui ipsorum Scholæ mysteria effutiverit, errorésque lampridem damnatos ita detexerit, ut ad eorum mentionem pii omnes iam exhorrescere incipiant: *minatur*, se ne in posterum quidem cessare velle, neque passurum, ut otio & pace fruantur: &c. *Iactat deinde in hac sua Suggestione, ut antea quoq; in suis apud Memmingenses habitis Sermonibus, non sine fastu & insolentia, triumphum quem de Eusebio Clebero Memminga anno* 1573. *egerit. Tum ad libellum Bullingeri non sigillatim, sed obiter tan-*

Schmidlini suggestio ad Bullingeri libellum.

1575. *tùm respondet, omnes veteres Orthodoxos Patres reiiciens, ipsorumque testimoniis sua suorumque gregalium somnia longè præferens.*

Apologia Tigurinæ Ecclesiæ ministrorum ad confutationem Schmidlini.

Cùm hæc scripta Jacobi Andreæ *Tigurum allata essent, in quibus non tantùm Testamentum Brentianum propugnabat, sed simul etiam privatim Bullingeri libellum convellebat, quo ille septem accusationibus adversariorum responderat, visum est Collegio Theologorum Tiguri, ut communi nomine Iacobo Andreæ responderetur, ac Bullingero hac in re parceretur. Edita igitur est Ministrorum Tigurinæ Ecclesiæ nomine, ad* Confutationem Iacobi Andreæ, pro Defensione Brentiani Testamenti editam, Apologia, *in qua pro veritatis simplicis & sua innocentia defensione, malitiosa Andreæ calumnia, futilis maledictorum, quæ in Tigurinos effudit, colluvio, mendacia item, & paralogismi solidissimè confutantur & deteguntur.*

Bullingerus respondet Schmidlino.

Bullingerus *etiam separatim ad ea quæ in ipsum scripserat Andreæ in Suggestione sua, respondit, & calumnias totiesque ab Andrea Tigurinis intentatum crimen mendacij depulit: simul & synceritatem doctrinæ, ipsorumq; innocentiam asseruit, ac inprimis B. Theodoretum non Nestorianum, sed Orthodoxum fuisse & esse ostendit: aliaq; ab Andrea Zuinglianis suggesta & objecta, diluit & confutavit.*

Antidotũ adversus Metusiastarum, Synusiastarum, &c. cavillas in causa Eucharistica.

Ante annos aliquot excusum fuit, hoc verò anno recusum Heydelbergæ Antidoton, adversus Enthusiastarum, Metusiastarum & Synusiastarum cavillas & calumnias in causa Eucharistica. *In eo sequentia eruditè & solidè tractantur & explicantur.*

1. Duplex de Eucharistia disputandi ratio; una in vero asserendo ac defendendo: altera in falso refutando posita.

2. *Sophismata, quæ in conflictatione* τοῦ ῥητοῦ καὶ διανοίας, super Christi verbis in Cœna mystica, vel à personis, vel à rebus ipsis oriuntur.

3. Quomodo homines nimiâ & præposterâ quorundam admiratione circumveniantur aut impediantur, ne inquirant discantque veritatem.

4. Quàm indignè dogma per se verum, sinistrâ de personis suspicione obortâ & conceptâ, gravetur.

5. Utrum de mysterio Eucharistiæ in utramque partem disserendum sit, nec-ne, & qua moderatione illud fieri debeat?

6. Quæ sit differentia inter veram & falsò persuasam simplicitatem, obedientiam & fidem in Eucharistico negotio.

7. An similiter Capernaïtis peccent, quotquot quærunt, quomodo Christi corpus edatur in Cœna Domini.

8. Quónam spiritu aguntur, qui de Cœna Domini quæstionem movent.

9. Curiosum-ne, temerarium-ve sit investigare, quomodo panis sit Christi corpus.

10. Quatenus sensus hominis excludantur, vel admittantur ad diiudicandam Sacramentorum veritatem.

11. An humanæ rationi locus in divinis mysteriis excutiendis dandus sit, nec-ne?

12. An ad declaranda divina mysteria, liceat profanæ philosophiæ adminicula accersere?

13. Nihil decedere Theologiæ, vel Dei Verbo, vel Sacramentorum dignitati, si ad dijudicandum sermonis genus logicis artibus utamur.

14. Physicæ & Geometricæ speculationes, quid ad Sacramentorum considerationem conducant.

15. De principali quæstione seu statu Eucharistiæ contentionis quàm variè erretur.

16. An de Substantia Sacramentorum præcipuè controvertatur, & quid per Substantiam intelligatur.

17. Quantum à scopo aberrent, qui potissimùm de reali præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia litigari censent.

18. An de modo manducandi corpus Christi, solùm & præcipuè in controversia Eucharistica agatur?

19. An Figuratores & Significatistæ veritatem & potentiam verborum Christi in Cœna negent, aut oppugnent.

20. Cœnam Domini constare cùm figuratè dictis, tum figuratè factis.

21. Veritati Cœnæ Dominicæ nihil per figuratè dicta gestáve adimi.

22. Distinctio in sacris Literis locutionum occurrentium, in proprias & figuratas.

23. In Propositione ista, *Hoc est corpus meum*, prædicationem esse παρὰ φύσιν, non κατὰ φύσιν.

24. Panem Cœnæ Dominicæ dici figuratè & quodammodo corpus Christi.

25. Qualis-nam Tropus seu Figura huic dicto Christi, *Hoc est corpus meum*, maximè conveniat.

26. Responsio ad Sophisma contra Tropos verborum κατὰ συμπλοκὴν connexorum, à proprietate eorundem extra complexionem positorum, desumptum.

27. Panem spiritualiter dici ac esse corpus Christi.

28. Quomodo locus Ioannis 6. cap. ad Eucharistiam faciat.

29. Quænam sit spiritualis esca & potus apud

apud Paulum convenientia inter Veterum & nostra Sacramenta.

30. Quàm sit iniusta criminatio eorum, qui citra delectum Enthusiastas vocant, Spiritui primas partes in S. Cœna tribuentes.

31. An quia nulli vel Tropi, vel Signi, vel Figuræ, vel significationis, vel spiritus in Cœna instituenda sit mentio, ideo Spiritualis interpretatio in Cœna locum non habeat?

32. Quantum Patribus in hac causa tribuendum sit.

33. An fides Testamenti per figuratè dicta labefactetur?

34. An Cœna Domini obscuretur per figuras & tropos?

35. An Cœna Domini per spiritualem intelligentiam profanetur.

36. An Cœna Domini annihiletur, evacuetur, exinaniatur, per signa & significationem?

37. An Figuratores faciant è Sacramentis cassam nucem, vacuam peram, paleas sine tritico?

38. Quidnam simile & dissimile habeant cum Sacramentis humana & profana signa?

39. An Panis pistorius & vinum venale, dum prostant aut ponuntur in mensa, pani & vino in Cœna æquiparari queant, quoad significationem?

40. An spiritualis Cœnæ Dominicæ sensus reddat homines tepidiores ad usum Cœnę?

41. An diversitas inter veteres & novos Sacramentarios, reddat suspectum spiritualem verborum Christi sensum?

42. Pari ratione corpus Christi edi, & sanguinem bibi, tam in usurpatione Sacramentorum, quàm per auditum Verbi, & Scripturarum lectionem.

43. Qualis est regeneratio in Baptismo, talis quoque est manducatio corporis Christi in Cœna.

44. Corpus Christi haud aliter de pane Eucharistico, quàm de Ecclesia dici, quod ad locutionis genus attinet.

45. Ambas Eucharistiæ partes in explicandi ratione convenire oportere.

46. Sannas & scommata, quæ in significationem Sacramentorum evomunt, à blasphemiis in Christum parùm differre.

47. Proprietatem verborum Domini & literæ simplicitatem inter explicandum non retineri à defensoribus τῆ ῥητῶ in Cœna Domini.

48. Tam Synusiastas, quàm Metusiastas interpretationem suam verbis Christi accommodatam, absque figuris & tropis non posse defendere.

1575.

49. Simplicissima omnium τῆ ῥητῶ in Cœna Dominica explicatio ex Augustino.

50. Quantum valeat literalis sensus probatio à verborum Christi claritate desumpta.

51. Corpus Christi ore ac fide, corporaliter ac supernaturaliter edi nequit simul, propriè acceptum.

52. Cur quidam malint manducationem corporis Christi supernaturalem, quàm spiritualem dicere?

53. Sophismata ex ascensione Christi ad cœlos, & sessione eius ad dexteram Patris conficta, ad corporalem carnis & sanguinis Christi in pane & vino præsentiam stabiliendam.

54. Quid sit participatione naturali & corporaliter Christo iungi, ex Hilarii & Cyrilli sententia.

55. Sophismata pro impiorum sumptione, quòd hi cum signis res etiam significatas accipiant.

56. An ex eo, quòd indignè accedentes ad mensam Domini, rei fiunt corporis & sanguinis Christi, sequatur, impios illa sumere?

57. Qui corpus & sanguinem Christi perceptum aliquibus nocere tradunt, ex falsis causis & effectis ratiocinantur.

58. Quomodo contrarii effectus corpori & sanguini Christi falsis similibus & comparatis tribuantur?

Huic Antidoto *accessit* ANALOGIA *fidei, quâ spiritualia spiritualibus, sive sint ipsa res cælestes atque divina, sive earundem nota verbum & Sacramenta, sic aptantur, ut inter se conveniant, ac spiritualiter diiudicentur. Accesserunt eidem* Aphorismi *rectè secãtes sermonem veritatis in Controversia Eucharistica.*

Analogia fidei.

Aphorismi.

Circa hoc quoque tempus excusa est Latinè, quæ primùm Germanicè edita fuit, Confessio Theologorum & Ministrorum Heidelbergensiũ. 1. De uno illo vero Deo, & tribus in eodem personis. 2. De duabus in vna persona Christi naturis. 3. De sacra Domini nostri Iesu Christi Cœna. 4. *Eique subiecta est Appendix in qua luculenter demonstratur ex ipsorum Doctrina nequaquam vera Christi Deitatis abnegationem consequi, prout à quibusdam falsò traducantur.*

Theol. Acta Apologia ad Acta Conventus Torgensis.

Evulgata est & Apologia modesta ac Christiana ad Acta Conventus quindecim Theologorum Torgæ in Saxonia nuper habiti, *Theodoro Beza authore.*

In lucem etiam prodiit Eliæ Palingenii Elenchus sanæ de Eucharistia doctrinæ atque

Palingenii Elenchus sanæ doctrina.

1575. atque fidei, *ab incommutabili tam ſententiarum, quàm connexionum veritate inſtructus ad Auguſtini præſcriptum: Neapoli Nemetum: recuſus autem Heydelbergæ, anno 1583.*

Homilia Germanica.

Item, Homilia Germanica, in qua demonſtratur, in Eccleſiis Palatinatus, Omnipotentiam D. N. Ieſu Chriſti non in dubium vocari, nec à verbis Cœnæ Dominicæ, vel genuino eorum ſenſu recedi. *Heydelbergæ.*

Erzbergeri declaratio veræ doctrinæ de Cœna.

Henrici *quoque* Erzbergeri ſolida & ſimplex declaratio orthodoxæ & ſanæ doctrinæ de Cœna D. N. Ieſu Chriſti. *Germanicè.*

Cleberi libellus de vera doctrina de perſona Chriſti.

Ab Euſebio Clebero *etiam edita eſt* Vera doctrina de Perſona Chriſti, & duabus eius naturis, *ex vero ſenſu Cœnæ Dominicæ: unà cum brevi, ſed vera & ſolida Confutatione duarum Homiliarum à Iacobo Andreæ, anno 73. Memmingæ habitarum, Heydelb. Germ.*

Henrici Bullingeri obitus.

Menſis Septembris die 17. ex hac mortali vita in cœleſtem migravit Henricus Bullingerus *Tigurinæ Eccleſiæ Paſtor. Paulò antequam moreretur, omnes Eccleſiæ Miniſtros & Scholæ Profeſſores ad ſe vocavit in ſuas ædes, ipſiſque valedixit. Inter valedicendum ad doctrinam perveniens, profeſſus eſt*, ſe mori velle in vera, Apoſtolica & orthodoxa doctrina: *atque ut omnibus conſtet quæ ſit illa, Symbolum Apoſtolicum ordine recitavit, & addidit*, doctrinam ſuam contineri in Confeſſione Helveticarum Eccleſiarum, quam veram eſſe animo agnoſcat, ſic ut ne verbum quidem in ea mutatum velit: Brentio & Schmidlino adverſariis ſuis, ſe *dicebat* ex animo ignoſcere, & quia eum ad tribunal Dei vocarint, ſe libenter coram eo compariturum, certumque eſſe de victoria. *Hortabatur deinde omnes & ſingulos*, ut hanc eandem doctrinam, quam hactenus unà ſecum profeſſi ſint, conſtanter in poſterum etiam profiteantur, & Deum ardenter orent, ut Spiritu ſuo eos regat, ac in conſenſu ſanæ doctrinæ, & mutua concordia ipſos conſervet.

Simlerus reſpõdet Schmidlino.

Vitam eius diligenter conſcripſit Ioſias Simlerus *accuratus Theologus in Schola Tigurina: eique adiecit* Appendicem, quâ abſterguntur calumniæ Iacobi Andreæ, quibus Tigurinæ Eccleſiæ Miniſtros, & nominatim Bullingerum aſperſit, *edita poſtrema Reſponſione* (*quam* Abfertigung *nominavit*) *ad ipſorum Apologiam.*

Sainctesii libri decem de rebus Eucharistiæ.

Claudius de Xaintes *Monachus Sorbonicus edidit libros decem de rebus Euchariſtiæ inter Papiſtas, Lutheranos & Zuinglianos controverſis. Libris prioribus ſex de inſtitutione Euchariſtiæ, & exiſtentia corporis ac ſanguinis Domini in ea agit. In ſeptimo & octavo de Tranſſubſtantialitate panis & vini in carnem & ſanguinem Domini. Nono tractat de Euchariſtiæ adoratione: & ultimo, de Communione ſub altera ſpecie.*

Graminæa de Vigiliis Theſaurus in controverſia de Euchariſtia.

Editus quoque eſt hoc anno à Graminæa de Vigiliis, *Theſaurus Orthodoxus & Conſenſus Eccleſiæ Catholicæ in Controverſia Fidei de ſanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento, adverſus Calvinum & reliquos Sacramentarios; Ac illos etiam qui Vbiquitatem in Chriſti corpore conſtituunt. Coloniæ.*

Ieſuitarum Moguntinenſium Theſes de Cœna.

Ieſuitæ *etiam* Moguntinenſes *Theſes ediderunt, in quibus Catholicum dogma eſſe fatentur & defendunt*, Panem non eſſe (propriè & de reali præſentia loquendo) verum corpus Chriſti, neq; manente panis ſubſtantiâ, verba Cœnæ, exploſis omnibus tropis, poſſe ullo modo rectè intelligi: Imò ne Deum quidem potentiâ ſuâ facere, ut panis ſit aut rectè dicatur eſſe ipſum corpus Chriſti. *Th. 19: 264. 266.*

ANNVS M. D. LXXVI.

Comitia Ratiſponenſia.

C*Elebrata ſunt hoc anno & inchoata primò Maii* Comitia Ratiſponenſia. *Et quoniam animi multorum Principum Proteſtantium vehementer à Theologis erant exacerbati adverſus Sacramentarios, Zuinglianos & Calviniſtas, periculum erat ne in his Comitiis publicè ſolenniterque damnarentur & proſcriberentur. Scribit igitur hac de re Elector Palatinus Fridericus Tigurinorum Senatui, eumque hortatur, ut legationem Helveticarum Eccleſiarum nomine Ratiſponam ad Comitia mitti curet, quæ, ſi quid eiuſmodi fortè tentaretur, peteret, ne inauditi damnarentur, & ad generalem vel provincialem Synodum provocaret. Grata fuerunt hæ literæ Electoris Palatini Helvetiis: ſed tamen conſultum eis hoc tempore legationem ad Comitia mittere viſum non fuit, tum quòd ad ea non eſſent vocati, tum etiam quòd ipſi ſub Imperio non eſſent: Simulq; decreverunt in ſuis Comitiis Brugis habitis, ſe in Confeſſione Helveticarum Eccleſiarum firmiter permanſuros: ſin verò propterea vis ſibi inferatur, eam ſe, auxilio Dei, vi fortiter depulſuros. Hanc etiam ſuam ſententiam Electori reſcripſerunt.*

Cõſenſus Proteſtantium Principum Ratiſbonæ.

Dum haberentur Comitia, Ordines Auguſtanam Confeſſionem amplectentes, omiſſo inteſtino diſſidio, placidè communicarunt. Et ubi unus Saxo ſeceſſionem feciſſet, cæteri omnes coniunctis animis ad Electorem Palatinum confugere cœperunt, ut qui inter Principes ſeculares primum dignitatis gradum obtinet, illiuſque ſtudium & pietatem erga Eccleſiam & Rempub. vehementer commendarunt.

Editi

Editi quoque sunt hoc anno à diversis in causa Sacramentario diversi libelli sequentes.

Candidi libellus de Cœna.

Ioannis Candidi *veritas Catholica de Cœna Domini in gratiam studiosæ iuventutis methodicè tractata.*

Brentii vetus sententia de Cœna.

Ioannis Brentii *vetus sententia de Cœna Domini, quam inseruit Exegesi in Ioannis Evangelium Cap. 6. anno* 1528.

P. Eberi prima de Cœna Confessio.

Item, Pauli Eberi *Pastoris Witebergensis* prima Confessio de Cœna, *suo aliorumque eius loci Theologorum nomine edita. Heydelbergæ.*

Musculi tertia disputatio de Cœna.

Disputatio tertia Andreæ Musculi *de Cœna Dominica, opposita Calvinistarũ corruptelis.*

Articuli Marchitici de Cœna.

Articuli *de Cœna Dominica, Ministris Ecclesiarum, & Scholarum Marchiticarum, mandato* D. Ioannis Georgii Marchionis Brandeburgici Electoris *propositi, ut fide cordis & oris Confessione eos approbent, ac maioris confirmationis gratiâ manuum subscriptionem addant. Ad eosdem autem, mox brevis & necessaria, nomine quidem piorum & orthodoxorum aliquot virorum, sed reverâ* Lamberto Danæo *authore edita est* Responsio.

Hosiandri admonitio de Zuinglianorum errore.

Admonitio de errore Zuinglianorum Lucæ Hosiandri: *in qua probare conatur.* Primò, *quòd Zuingliani nullam veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna credant. 2. Quòd Zuinglianorum incredulitas verbis Testamenti Christi sit contraria. 3. Quòd articuli Christianæ fidei, de Incarnatione Christi, eiusdem Ascensione, Sessione ad dexteram Dei, & glorioso adventu ad iudicium, præsentiam corporis & sanguinis Christi in Cœna non oppugnent. 4. Demonstratio errorum qui sub Zuinglianorum doctrina lateant. Tubingæ, Germanicè.*

Hamelmanni disputatio de Cœna.

Habuit etiam hoc anno Herman Hamelman *disputationem cum aliquot Concionatoribus Frisiis Ihevera in causa Sacramentariæ. Eiusque acta edidit sequenti anno* 77.

Notatio causarũ controversiæ de Cœna.

Edita quoque est Notatio brevis præcipuarum causarum diuturnitatis in Controversia de Cœna Domini *à Petro Boquino.*

Querela de secũda Captivitate Babyl.

Item, Querela de secunda Captivitate Babylonica, & novo Papatu: *cum solida demonstratione, Bellum Eucharisticum facilè componi posse. Germanicè.*

Fridericus III. Palatinus Elector moritur. Mutatio religionis in Palatinatu & Scholarũ vastatio.

Mensis Septembris huius anni die 26. ex hac mortali vita in optatam beatitudinem à Deo evocatus fuit Fridericus III. Comes Palatinus ad Rhenum & Elector *verè* Pius. *Eius mortem magna mutatio sequuta est Religionis in Palatinatu. Successit enim ei maior natu filius* Ludovicus *Lutheranus. Remoti igitur & officio privati sunt non solùm Academiæ Heydelbergensis Theologi ac Professores, sed etiam per totum Palatinatum circiter mille Pastores & Ludimagistri. Suppliciter petebant omnes ne inauditi sedibus suis eiicerentur, provocabant ad Synodum, ad placida Colloquia: verùm nihil impetrare potuerunt: imò mediâ sæpe nocte, à Lutheranis, omni prorsus humanitate destitutis, ex ædibus pellebantur. In eorum locum substituebantur alii, quorum plerique vel experientiâ & usu rerum, vel eruditione, doctrina, pietate, vel celebritate nominis, antecessoribus non erant æquales; homines partim conducti, ut orthodoxis Doctoribus, & syncera doctrinæ convitiarentur, partim & plerique Tubingensium emissarii ad prodigiosum illud Ubiquitatis dogma propagandum.*

In hac mutatione Religionis dissipatum etiam est Pædagogium Heydelbergense, *dissipatæ sunt bene constitutæ* Scholæ, domus Sapientiæ, Salzanæ, Neuhausianæ, *& inde eliminati ultra 400. pueri, iuvenes, adolescentes studiosi: cùm primùm Lutheri Catechismum admittere quis nollet, è vestigio ei è Scholis discedendum fuit: quorum tamen nullus erat, qui non fidei confessionem reddere, & meliora, quàm à præceptoribus hactenus didicisset, docentibus cedere cuperet. Non quinque fuerant reliqui in domo Sapientiæ Heydelbergæ, qui non omnes maluerint etiam mendicare, quàm novorum Theologorum iniquissimis postulatis subscribere. Unus subscripserat cum tribus aliis, qui nocte tota non potuit somnum capere; & posterò die postulavit nomen quod dederat suum, & quod scripserat tolli, confessus, quòd contra conscientiam subscripsisset.*

Cùm Donellus *magnus Iureconsultus apud Principem Ludovicum optimam causam defendere voluisset, eum seditiosum hominem esse novi ejus Scholæ Theologi calumniati sunt: etiam se Principi opposuisse: suam causam voluisse adversus Principem defendere.*

Eodem modo de adolescentibus calumniati sunt: Nullis suis postulatis obsecundatos fuisse: ut cervicibus, sic animis præfractos fuisse: cum ipso etiam Principe cœpisse argumentari dixerunt.

Hoc modo florentissima illa vinea ab Electore Friderico III. ad Rheni & Neccari fluenta, summa cura consita & culta, subitò devastata fuit.

Ioan. Casimirus Comes Palatinus veræ doctrinæ & exulũ asylum.

Ioannes Casimirus Palatinus Comes & *Ludovici Electoris frater, intercessit diligenter iis, quæ tum agitabantur de Religionis mutatione: vim deprecatus est: ea media proposuit, quæ in Ecclesia semper usurpata fuissent: Patris Theologos & Ministros audiri: causam in Synodo, vel libero Colloquio, vel in legitimo pacificorum doctorumque virorum Conventu cognosci petivit, Sed frustra hæc omnia. Quod unum igitur restabat, in sua Ditione Religionem*

1576. *Verbo Dei consentaneam & conservavit & amplificavit: Ecclesias sollicitè constituit: ac, ut pius Asa, pios Israëlitas ex decem tribubus, sic etiam Dux Casimirus ad suum territorium confluentes recepit, contemnens multorum sinistra judicia, contumelias ac minas adversariorum. Regiâ sanè munificentiâ, Neustadii Gymnasium illustre, non minore omnium orthodoxarum Ecclesiarum fructu, quàm suâ laude, anno 1578. aperuit; evocatis eò præstantissimis in omni facultatum genere Viris. Nec docentibus solùm, sed multis quoq; discentibus liberalia stipendia constituit, egestatem reliquorum studiosorum sublevavit, ad eorum victum, annonam copiosè suppeditans: exules innumeros, ad illum, ceu portum, se recipientes, liberaliter excepit: afflictorumque mœsta corda recreavit.*

Helveticarum quarundam Ecclesiarũ Collecta exulibus in Palatinatu missa.

Helveticæ quoque nonnullæ Ecclesiæ, exulum in Palatinatu inopiam, quâ premebantur, pro Christiana & fraterna charitate publicâ Collectâ, *aliquo modo sublevarunt. Ac miserunt eis Tigurini 800. florenos: Scaphusiani 400. Genevenses 400. & Saugallenses 200. coronatos.*

Pappus à Iesuita in disputatione confunditur.

Habita est etiam Disputatio Argentinæ à Ioanne Pappo *Theologo de Cœna Domini. Iesuita quidam, qui disputationi interfuit, quum opponeret quadam argumenta, inter alia interrogavit Pappum,* Esset-ne panis substantialiter & naturaliter corpus Domini? *Ibi Pappus simulavit quidem, sed respondere interroganti noluit, & penè obmutuit: atque Rector Sturmius ejus loco respondit.*

ANNUS M. D. LXXVII.

Schnepfii Confessio recuditur.

H*Oc anno* Erhardi Schnepfii Confessio *de Eucharistia, hanc ob causam edita fuit, quòd certamina vetera de Cœna Domini novis libellis classicum canentibus recrudescere inciperent.*

Harchii Orthodoxa Patrũ de Cœna fides.

Jodocus Harchius *etiam Montensis edidit* Orthodoxorum Patrum, Irenæi, Cyrilli, Hilarii, Augustini & reliquorum de Eucharistia & sacrificio universali Ecclesiæ, fidem.

Scallingi de præsentia Christi in Cœna libri tres.

Editi sunt & Martini Scallingi *de præsentia corporis & sanguinis Christi in Eucharistia, Institutionum libri tres.*

Ubiquitas excogitata.

Lucas Hosiander *in commendando Suevicis Ecclesiis, iisque obtrudendo Concordiæ libro, valde strenuam operam navavit, pro aperiendo etiam ipsius vero & intimo sensu, & ratione explicanda, propter quam Ubiquitas in eo stabiliri & confirmari necesse fuerit: nempe, quòd ex solis verbis institutionis realis & corporalis Christi præsentia in sacra Eucharistia non possit retineri ac defendi, nisi doctrina de Ubiquepræsentia Christi secundùm utramque naturam in omnibus locis & creaturis, ad Dominica Cœnæ causam seu controversiam adhibeatur.*

Hosiandri Homiliæ duæ de Cœna eorumque summa.

Edidit autem inter alia duas Homilias: *In prima agit de Cœna Domini, quid in ea distribuatur & percipiatur. In secunda, 1. An doctrina de personali Unione duarum in Christo naturarum, deque Maiestate Christi iuxta humanitatem ad negotium Cœnæ pertineat? 2. Ut hæc doctrina intelligenda. 3. Ut fundata sit in Verbo Dei. Tubingæ, Germanicè. Pag. 33. hæc verba leguntur:* Doctrina de Persona Christi, eiusque majestate, quam etiam secundùm humanam naturam habet, (*sic vocat Ubiquitatem corporis Christi*) hanc etiam ob causam ex Verbo Dei defendenda & propugnanda est, ut retinere possimus contra Zuinglianos veram præsentiam corporis & sanguinis Christi in S. Cœna, cum genuino sensu verborum institutionis. *Item*: Quoniam libenter fatemur, & hactenus semper confessi sumus, quòd Christus corpore suo in cœlum ascenderit: (*At Schmidlinus dicit*, Christum in Ascensione ne pilo quidem à terra corpore suo recessisse:) Sic etiam iamdudum nos declaravimus, quòd non sentiamus cum Papistis, qui dicunt, statim postquam sacerdos missificans sacramentum accipit, corpus Christi rursum evolare in cœlum: sed nos credimus, quòd Christus cum suo corpore, in distributione S. Cœnæ, nec sursum, aut deorsum, nec ab uno loco in alium pervadat. Quòd si igitur Christus nihil eorum cum corpore suo facit, necessarium est profectò, quòd cum sancta humanitate sua iam antea Ubique præsens adsit; (quamvis supernaturali, cœlesti, & humanæ rationi incomprehensibili modo) ut in cibum & potum se dare possit, in omnibus iis locis, ubi sacra ipsius Cœna iuxta institutionem ejus celebratur. Etenim si non iam antea ibi præsens adest, neque etiam de cœlo descendit, quid ampliùs tunc in Dominica Cœna remanebit, quàm panis tantùm & vinum absque corpore & sanguine Christi? Atque hoc benè affecti Christiani, præcipuè verò Ministri Ecclesiæ, quorum officium est sinceram doctrinam contra falsam defendere, diligenter perpendere debent. Nam si Christum sanctâ humanitate suâ non sinunt iam antea ubique præsentem adesse, & tamen non volunt etiam ipsum, Papistico more, ascendere, & descendere, vel ab uno loco in alium migrare, facilè illis accidere potest, ut per noctem, ignorantes, & antequam advertant Zuingliani fiant, nec ampliùs huic errori resistere possint. *Fol. 36. hæc verba habentur*: Hoc quidem probè intellexit magnus ille Heros D. M. Lutherus,

adeoque

adeoque ad refutandum hunc Zuinglianum errorem, articulum istum de personali Vnione duarum naturarum in Christo, & quod inde consequitur, nempe, quòd Christus etiam secundùm humanam naturam omnia possit, omnia sciat, & vbique præsens adsit, multis in locis admodum serió vrsit & inculcauit. *Et statim folio* 38. Intelligunt enim Zuingliani, si hoc fundamentum euertere possent, quod ex reliquis argumentis nihil aduersus eos posset obtineri. *Item folio* 46. Non sequitur autem, quòd etsi corpus & humanitas Christi sit vbique, imò etiam in omni cantharo, scypho, vitro, & in omni pane, ideo etiam ibi possit edi & bibi. Non enim est naturaliter ibi, & tali modo, vt in quouis pane manducari, & ex quouis cantharo sanguis ipsius bibi possit. *Item fol.* 52. Hoc modo de persona Christi, quod etiam secundùm humanitatem suam sit omnipotens & vbique credere & sentire tenemur, etiamsi nulla unquam de Cœna Domini excitata fuisset controuersia.

Schmidlinus vocabula concreti & abstracti inuenta Diaboli vocat.

Referunt etiam Anhaltini Theologi *in Apologia sua pag.* 246. Schmidlinum *hoc anno Dominica Iudica publicè pro suggestu vocabula Concreti & Abstracti, quibus tamen vsi sunt non tantùm Patres orthodoxi: sed ipse quoque Lutherus, ad distinguendam personam & naturas Christi, Inuenta diaboli nominasse: & quòd alibi Concretum farcimini tosto, Abstractum cuti farcimini abstracta impiè comparârit.*

P. Glaseri libellus.

Petrus *etiam* Glaserus *libellum edidit, in quo docet, qua fuerit Lutheri sententia de Cœna Domini vsque ad vita sua finem. Lipsiæ, Germanicè.*

Strigelius de præsentia corporis Christi in Cœna.

Editus quoque est hoc anno Victorini Strigelij *Commentarius de præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna Dominicæ administratione, dictatus in Academia Ihenensi, Anno* 1553.

Beza respondet Sainctesio monacho.

Theodorus Beza *etiam respondit ad Repetitionem primam, seu Librum primum F. Claudij de Xaintes magni voluminis de Eucharistia, Anno* 1575. *euulgati. In hoc suo libro Monachus* primò *posuit Compendium Controuersiarum & sectarum circa veritatem corporis & sanguinis Domini in Eucharistia. Secundò ostendit, ex quibus Scripturis sit petenda veritas Sacramentorum, & maximè Eucharistiæ. Tertiò, à quatuor, quæ in ipsa Cœna instituit Christus probare conatus est, verborum eius proprietatem retinendam esse.* Quartò, *diffidentes aduersariorum suorum de verbis Christi ad* 84. *interpretationes recitauit: eorum denique multiplices absurditates & discordias in exponendis verbis Christi. Adhæc verò omnia Beza doctè respondit.*

D. Iacobi Schegkij Refutatio Thesium Theodorici Schnepfij, de Personali Vnione, Idiomatum Communicatione, & Vbiquitate Corporis Christi.

Theod. Schnepfii Theses.

C*Irca hæc quoque tempora Theses edidit* Theodoricus Schnepfius, *in Tubingensi Academia disputatas*, de Personali vnione duarum naturarum in Christo, Idiomatum Communicatione, & Vbiquitate seu omnipræsentia corporis Christi. *Eas scripto priuato solidè & doctè refutauit, à quibusdam amicis rogatus, Cl. vir D. Iacobus Schegkius. Id verò cùm typis excusum, quod ego quidem sciam, non extet, veritatis studiosis & amantibus communicare non grauabor. Sic igitur de verbo ad verbum habet.*

Schegkius refutat Theses Schnepfij. Definitio falsa vnionis personalis.

Propositione quartâ definit Vnionem personalem Christi hoc modo, vt sit, *Qua diuina & humana natura in Persona Christi constituunt vnum ὑφιστάμενον.* Falsa est hæc definitio: siquidem Compositionis huius partes non sunt diuina & humana natura: sequeretur enim totam Trinitatem (quam constat vnam & singularem esse naturam) constituere cum humanitate personam Christi. Vnum autem ex personis Trinitatis, nempe Filium Dei, constat Christi personam esse, qua definienda sit ipsius naturæ Vnio cum natura humana, & non per se naturæ diuinæ Vnio. Non enim Christus (vt Petrus) ex duabus naturis, quarum neutra sit persona, constituitur: Sic enim constitutum omne creaturam esse oportet: Sed Christum nemo, nisi Nestorius, dixerit creaturam esse, & ex duabus naturis (vt animâ & corpore) constitutum substantialiter ὑφιστάμενον. Alterum etiam (vt dixi) hæreticum est, quando diuina per se essentia, & humana natura Christum constituere dicuntur.

Deinde quæritur de modo constitutionis: Nam si Christus per se constitutum quid est ex duabus naturis, Christus, vt totum, neutrius appellationem habebit naturæ: vt Petrus per se constitutum est, & nec anima nec corpus est: sed tertia quædam οὐσία, quæ non possit appellari natura: sed res naturalis, id est, ὑφιστάμενον seu persona & τὸ δή τι quoddam. At Christus totus non est tertia quædam vtrisque naturis differens οὐσία: sed persona est ipsissima Filij Dei seu ὑφιστάμενον secundum in Trinitate, nequaquam duabus naturis (vt Petrus) compositum (alienissima enim à Crea-

1577. Creatore est compositio)quum persona filij Dei, per se persona sit, ipsam denuò, vt personam, assumtione naturę humanę constitui nequaquam oportebit. Aut si in Christo non tantùm persona filij Dei personæ appellationem, sed assumtione humanæ naturæ denuò noua persona constituatur, & nouum ὀριςάμενον, quod prius non fuerit, sequitur, vt Christus duabus personis sit diuiduus: Quod non tantùm absurdum, sed etiam blasphemum sit dictu. Tot igitur absurda in hac definitione esse, manifestum est.

Definitio vera vnionis personalis. Quid ergo est Vnio personalis Christi? Est vnio, quâ per accidens assumta natura humana personæ filij Dei copulatur, seu vnitur, vt seipsa persona non sit humana natura, sed vt accidens sustentetur à persona filij Dei. Et hac vnione nouâ persona humanitate non constituitur, quum personale alioqui vnum per se, & non per accidens vnum & totum constituentibus partibus sit definiendum. Itaque in Christo personæ appellationem habet filius Dei: humanitas autem assumta personam illam (quia accidens ipsius est) non constituit: sed ab ea tanquam accidente denominationem accipit, quâ, vt Vnum per accidens, filius Dei, seu persona filij Dei, Homo, denominetur, seu humanata & incarnata quædam filij Dei persona. Vt oculus non est pars per se Petri personam constituens (nam anima & corpus per se personam Petri constituunt) sed pars est oculus totius Vnum per accidens, & non personale Vnum cum Petro constituens: à quâ parte tanquam accidente quodam παρωνύμως oculatus appellatur Petrus. Nam sublatis oculis, Petrus nihilominus Persona dicitur esse: Ita filius Dei persona fuit ab æterno sine humana natura: & si per hypothesin deponeret humanitatem: Persona tamen Christi seu filij Dei non destrueretur. Hactenus de falsitate huius definitionis dictum.

Ex hac falsa definitione sequitur postea falsa conclusio octaua qua scribitur: *Singulæ enim naturæ separatim considerata non sunt Christus, quemadmodum nec corpus quidem inanime homo dici potest.*

Liquidò apparet quàm falsis principijs disputatores illi ad errorem Vbiquitatis procedant. Decepti præcedente definitione, dicunt Christum, vt compositam naturis οὐσίας, nec diuinæ naturæ appellationem habere nec humanæ, sed tertium quiddam esse Christum ex vtrisque naturis compositum, vt Petri persona neutra sit natura, vt nec anima nec corpus, sed ex vtrisque tertium quiddam constitutum. Blasphema & impia est hæc propositio, Christi personam scilicet comparádo creatæ personæ: Tantum enim non dicunt Christum esse creaturam: quando dicunt ipsum Christum nec diuinam suam naturam esse nec humanam. Nam si Christus (vt priùs est dictum) est persona filij Dei: quomodo obsecro denuò ipsum personari, id est, constitui ipsius personam oportet humanitate? Nisi duplici personâ ipsum Christum præditum esse dicere velimus. Quamobrem humanitas cum filio Dei Vnum personale quidem constituet: non ex his compositum tamen Vna per se persona constituetur: quoniam persona nulla cum eo quod accidit sibi constituit esse entiam alicuius personæ: Quandoquidem accidens (quatenus accidens) non sit pars essentialis, id est, natura per se non sit constituti, seu potiùs de natura non sit constituti: vt humana natura non est de natura, seu pars naturalis essentialisque constituens personam filij Dei & Christum, qui est personaliter filius Dei, non nisi secundùm accidens vt totum constituet. Quæ quum non intelligant, & distinctionibus his non vtantur Vbiquitarij: non mirum est eos tam tetro errore constrictari, vt Christi personam ipsam suis paralogismis inconsiderati & nolentes etiam perimant. Et interim ipsi tamen omnem ἀκρίβειαν rationum & veritatis exquisitionem, sophismata & inanes speculationes (pro vt fert illorum insolentia coniuncta cum ignorantia) appellant odiosissimè: vt ne quis errare eos suspicetur, omnem subtilitatem criminantes & contemnentes malitiosè.

Hactenus manifestum errorem probauimus propositionis huius 8. quâ dicunt, Christum neutram esse naturam aut dici, è quibus sit constitutus: quum tamen Scripturæ testimonijs manifestissimum sit, Christum esse & dici filium Dei, qui secunda persona Diuinitatis sit: Quam filij Dei personam ex præcedentibus liquet humanam naturam assumtam nec perficere nec constituere per se, sed cum ea persona vnum per accidens constituere.

Postea propositione 11. *damnantur vt hæretici, qui opinantur, λόγον homini assumto neque personam, neque maiestatem, neque vlla Idiomata communicasse.*

Multa sunt etiam in hac quæstione hæretica σφάλματα. Dicit enim *τὸν λόγον personam hominis assumto personam communicasse.* Quòd si sic intelligatur (obscurum mihi est quod dicitur) vt λόγος homini assumto communicârit & contulerit personale esse, pro

No-

Nestoriano sensus ille est habendus: Quia humanitas Christi duntaxat habet naturale esse & non etiam personale in persona Christi. Sin verò sic intelligatur, vt humana natura vocabulo hominis denominãs Christum personam significet, vt quando dico: Christus est homo omnipotens & omnipręsens. Hoc enim modo vocabulo hominis significatur persona filij, quoad incarnata est & humanata vt aliàs etiam Paronymis accidentium personæ, aut aliàs subiecta accidentium significantur: vt si Monoculum venisse aut fecisse aliquid dicam, aut Scribam seu Pharisæum si dicam tentasse Christum. Et hac quidem ratione λόγος Dei magis personę appellationem παρωνύμως ab humanitate accipit, quàm vt ipse humanitati communicet appellationem personę, vt quę humanitas in Christo nullo modo possit esse persona. Quodliquet, non tam obscurè, quàm vitiosè positum illud esse in propositione, de quo satis dictum.

An filius Dei diuinam maiestatem & omnipræsentiam humanæ naturæ communicet.

Postea sequitur, *filium Dei assumta humanitati diuinam maiestatem & Idiomata sua (in quibus etiam est Omnipræsentia) communicare.* Homini Christo (quoad vocabula hominis persona filij Dei παρωνύμως significatur) communicantur omnia propria Diuinitatis, propter significatam naturam diuinam, quâ cum reliquis duabus personis communicat filius Dei seu ὁ λόγος τοῦ Θεοῦ attributa Idiomata communia habet: At filius Dei homini (quod significat, Homo humanam naturam quæ creatura est) propria seu Idiomata Diuinitatis nec communicat per se (nam per Synecdochen communicari non inficiamur) neque etiam communicare potest: propterea quòd Idiomata per se (vt aliàs demonstratum est) sunt diuersæ naturæ incommunicabilia: Nihilominus propter consortium vnionis assumtæ naturæ suæ humanæ confert filius propria diuina (sed non Diuinitatis) quædam, quibus eminentior est omnibus alijs creaturis, de quibus alio loco dictum est proprietatibus, vt hoc loco non repetenda esse videantur. Quamobrem & hæc propositio tanquam hæretica damnanda esse videtur.

Hactenus quæ sit ambarum naturarum & qualis vnio in persona Christi: Item qualis communicatio Idiomatum sit exposuimus: vt facilè appareat, quibus principijs decepti Vbiquitarij in errorem illum inciderint. Hoc fallaci & falso stamine quomodo contexantur reliquæ propositiones, non obesæ naris Lector facilè subodorabitur. Perpetuò autem disputator hic comparat modum Vnionis duarum naturarum in Christo vnioni corporis & animæ, quâ constituitur persona hominis: qui quomodo differant inter se & aliàs vberiùs & paulò antè breuiter & strictim est ostensum.

1577.

Schmeps. sibi ipsi contradicit.

Propositione vicesima nona, *Idiomatum communicationem in concreto seu Synecdochica fatetur esse:* In sequentibus defendit esse *realem: & proprietates diuinitatis* dicit *realiter transfundi & communicari naturæ humanæ.* Ergo semetipsum coarguit erroris, & pro Cothurno est habendus qui opposita pro veris defendit.

An Diuinitas sua propria humanitati communicet, vt anima corpori sua propria largitur.

Propositione trigesimâ primâ rursus falsâ antilogiâ vtitur. *Anima,* inquit, *corpori animato sua propria largitur: similiter etiam ὁ λόγος propter vnionem personalem sua propria confert humanitati.* Si intelligamus animam causam esse Idiomatum corporis animati, quibus ipsum differat ab omnibus inanimatis corporibus: Et hoc modo etiam τὸν λόγον esse causam omnium Idiomatum diuinorum non Diuinitatis, quæ sint in natura humana tanquam in subiecto: tum analogiæ vt veræ astipulamur. Quando autem, quod dicit, sic vult accipi, vt anima sua, id est, animæ propria conferat animato corpori, comparationem falsam esse dicimus. Impossibile enim est vt propria animæ communicentur animato corpori, vt Diuinitatis etiam propria non possint communicari humanæ naturæ. Ambiguè autem dicitur, animam sua propria communicare corpori animato: In sensu coniuncto falsa est propositio, vt si animæ adiungas partem hanc orationis (sua propria) At si separes, nempe in sensu diuiso, vera erit propositio. Verumtamen error Vbiquitatis declarat quo sensu ipsi propositionem hanc interpretentur, nempe sensu composito. His itaque manifestum & clarum est, propositionem hanc esse falsissimam, qua vtuntur ipsi tanquam columnâ principali ad fulciendam Vbiquitatem.

Si propria Diuinitatis humanitati realiter communicentur es tanquam in subiecto insunt.

Propositione mox sequente nempe trigesima secunda, nouâ vertigine corripitur disputator ille & negat, Idiomata Diuinitatis humanitati communicari physicè, quâ communicatione proprium sit in illo cui communicatur tanquam in subiecto quodam. Quid quæso potest his omnibus absurdius & ineptius dici? Si propria Diuinitatis realiter & non κατ᾽ ἄλλο seu per synecdochen communicantur, non possunt non in humanitate tanquam in subiecto inesse. Nam realiter proprium non potest esse, nisi sit in illo tanquam subiecto, cui propriè inest, aut cui communicatur, siue physicum, siue hyperphysicum fuerit. Mirabilis scilicet hæc est subtilitas (vole-

bam

1577. bam dicere futilitas) quæ propter ignorantiam veri, semper (vt Poëta inquit) destruit, ædificat, mutat quadrata rotundis.

Schnepfius sibi rursus contradicit.

Propositione mox sequente trigesima tertia; ἀνακόλουθον subjicit: Ita enim cohærent omnia inter se, vt linum lino & arena arenæ, quemadmodum prouerbio dicitur: Et me hercle, omnes illæ ambages & circuitiones nihil aliud sunt, quàm ὁ μακρὸς τοῦ Σιμωνίδου λόγος quo nihil consentaneum dicitur, sed vt eludantur qui flexiloquia illa non animaduertunt. Priore propositione dixerat, *Idiomata Diuinitatis non esse in humanitate Christi physicè, id est, tanquam in subiecto quodam.* Nunc dicit *esse illa realiter in humanitate Christi tanquam in subiecto: & communicatione hac tamen non desinere esse, quo minus sint etiam in Diuinitate ipsa. Alioqui enim quod datur & quod transfunditur in aliud, desinit esse in eo, à quo datur & transfunditur. Sed communicatio hac proprietatum ficta non priuat communicans & dans eo, quod prius habuit: Quemadmodum aliàs etiam amicorum omnia esse communia dicimus. Nihilominus enim habens etiam non amittit, quod dat. Ergo ὁ Θεῖος λόγος dat propria sua, qua tamen dando ipse non amittit: quæ accepta ab humanitate ipsius non sint tamen spolium dantis: Et cùm Idiomata hac Diuinitatis sint eadem numero in vtrisque: nihilominus filio Dei per essentiam, humanitati autem per gratiam dicuntur inesse.* Prius disputator negarat in humanitate Christi tanquam in subiecto Idiomata Diuinitatis inesse: nunc eadem dicit humanitati inesse vt subiecto & nomen habere gratiæ, nempe Idiomata Diuinitatis, quæ sint in humanitate secundùm Augustinum. Abutitur ille quidem Augustini authoritate: Non enim Augustinus propria Diuinitatis in humanitate Christi inesse dicit, vt in subiecto realiter: sed hoc dicit, quòd vt diuinitas per se sit Omnipotens, Omnipręsens, Omniscia: ita quoque humanitatem Christi per gratiam (nempe τοῦ ἔχειν Diuinitatem corporaliter in se inhabitantem) esse Omnipotentem, Omnipræsentem, Omnisciam: Quandoquidem inhabitante in ipsa humanitate Christi plenitudine Diuinitatis, data sit ipsi humanitati potestas omnium, quæ in Cœlo sunt & quæ in terra. Non dicit quòd propria Diuinitatis transfusa sint in naturam humanam, in qua insint tanquam in subiecto quodam: Non enim Idiomata hæc in alio subiecto, quàm in diuina natura possunt esse: quæ se personaliter communicans humanæ naturæ Christi, in causa est, vt Deus appelletur homo, & homo Dei filius esse dicatur. Nihil enim operatur filius Dei sine conscia sua humanitate & conformi ipsius voluntate: nec humanitas Christi, Omnipotentia, aut Omnipræsentia unquam aut vsquam destituitur: vt quæ sua Diuinitate (quæ est quasi μορφὴ humanitatis) & vbique essentialiter sit, & cuius potestati vt Creatori omnia obediant: vt omnino non sit opus ridiculâ hac humanitatis omnipræsentiâ essentiali: quandoquidem in ipsa humanitate omnes thesauri sapientiæ & scientiæ Dei sint reconditi, & admirabilis sit Consiliarius Dei, ipse Emanuel secundùm suam humanitatem: vt qui non secundùm visionem oculorum iudicet, neque secundùm auditum aurium arguat, vt ei hac præsentia sit opus. Sed de hac propositione dictum satis.

Schnepfius quæ negat non probat.

Propositione trigesima quarta, *negat Eutychianismum esse, si quis dicat, realiter communicari Idiomata Diuinitatis humanitati Christi*: Sed tamen de crimine illo se non purgat. Mox, *Patres etiam approbasse communicationem Idiomatum* scribit, *damnatâ Nestorij sententiâ*: Quod tam non probat, quàm non refellit crimen Eutychianismi.

Sequitur propositio quadragesima secunda, quæ sic habet: Si filius ille hominis est Omnipotens, negandum non est eum esse nobiscum: Aliàs enim Omnipotentiæ ipsius aliquid detraheretur. Confitemur & nos Hominem Christum, & filium hominis, quoad παρωνύμως prædicantur de filio Dei, & Omnipotentem & Omnipræsentem esse. De Christo autem si prædicentur συνωνύμως seu vniuocè: tum neque Omnipotentem neque Omnipræsentem posse dici statuimus: & eos qui de Christo prædicent hoc modo ista vocabula hominis & filij hominis, dicimus esse Nestorianos. Itaque παρωνύμως duntaxat prædicantur de Christo: quâ prædicatione denominando filium Dei, necesse non est aut propria Diuinitatis humanitati communicari: aut vbicunque sit essentialiter Diuinitas, vt ibidem sit etiam humanitas Christi essentialiter. Propter confusionem antecedentium, vitiosas consequentias subinfert disputator ille. Quæso autem, quomodo sit probaturus, derogari aliquid Omnipotentiæ aut filij Dei aut humanitatis Christi, si humanitas Christi sit vbique? non Deo detrahitur aliquid: Nam filius Dei iam non est potentior assumtâ humanitate, quàm ab æterno

no fuetit. Non humanitati detrahitur: Quia per se neque est, neque erit omnipotens. Non etiam composito per se ex vtrisque naturis: Quia compositum per se quiddam substantialiter Christus non est, vt quibusdam Vbiquitarijs videtur. Christus enim vbique totus est personaliter: sed totum naturaliter aut substantialiter nusquam est. Verùm de his alio loco dictum abundè satis.

An Christi humanæ naturæ omnipotentia tradita & ideo ea vbique præsens sit.

Propositione quadragesima tertia, scribit: *Humana natura Christi traditam esse Omnipotentiam. Quamobrem præsentem essentialiter ipsam humanitatem rebus omnibus adesse: quoniam impotentiæ signum sit, si per vicarium aliquid peragatur: vt si humanitas Christi absens Diuinitate suâ omnia administraret vt vicario.* Hoc posito, sequitur in Christo propter discrepantia subiecta, duas esse omnipotentias, quarum vna sit filij Dei, altera sit humanitatis: Quod dictu absurdissimum est. An sua Diuinitate humanitas Christi non satis potenter omnia gubernabit, quòd localiter absit humanitas, quum non alia sit omnipotentia præsentis filij Dei, quàm sit absentis humanitatis? Nam humanitas non seipsâ & propriâ potentiâ: sed Diuinitate suâ omnipotens & omnipræsens est. Si omnipræsens & omnipotens etiam est humanitas Christi participando proprietate Diuinitatis, sequitur, vt participet humanitas etiam naturâ diuinâ. Proprium enim sine natura per se participari nequit. An quæso solis potentiæ derogatur aliquid, si essentialiter & loco absens nihilominus virtute suâ omnia illuminat & viuificat? O iocularem disputandi licentiam, quam tales homines sibi arrogant in tam crassa ignorantia huius sublimis mysterij. Si essentialiter non præsentem esse videtur derogare omnipotentiæ humanitatis: multò magis hoc derogabit omnipotentiæ Filij Dei, si omnipotens diuinitas non erit, nisi præsentem sibi essentialiter etiam habeat suam humanitatem, quæ & ipsa sit seipsa communicata omnipotens. Hæc verò magis ridenda quàm redarguenda sunt verbis, quibus propemodum omnis veritas sacrarum Literarum & Religionis nostræ subuertitur. Cæterùm homo Christus quomodo gubernet omnia & quomodo gnarus sit omnium, quum alio loco sit expositum, pluta dicere de his in præsentia supersedebo.

Quomodo filius hominis sit omnipotens quia po-

Propositione quadragesima octaua scribit: *Quia Filius hominis remittat peccata, idcirco humanitatem*, inquit, *esse omnipotentem.* Concedo. Sed idem numero est Filius ille hominis & Filius Dei. Nam suprà ostendimus παρωνύμως vocabula hæc prædicari de Filio Dei. At Filius hominis & homo (quoad sunt synonyma) non prædicantur de Filio Dei. Quamobrem per se si considerantur, vt humanitatis vocabula, non in ipsis erit potestas ignoscendi peccata. Solus enim Deus & Christus quatenus Dei Filius, ignoscit peccatoribus & remittit culpas hominibus. Quemadmodum autem proprietates Diuinitatis in humanitate non insunt realiter: & vt per se humanitas Christi omnipotens & omnipræsens non est: ita quoque per se, & quoad non constituit vnum cum Filio Dei, potestatem non habet remittendi peccata. Humanitati hæc ascribuntur propter diuinitatem in ipsa personaliter inhabitantem: à qua humanitate Filius Dei denominatur homo & filius hominis, nec per se homo aut filius hominis (vt Nestorio visum est) quandam hypostasin Diuinitatis proprijs exornatam significat.

1577. testatem habet remittendi peccata.

Explicatio loci Ioan 3. Nemo ascendit in cælum, &c.

Propositiones pleræque nihil probant, & propter ἀνακολουθίας pessimè cohærent. Quid illud quæso facit ad probationem Vbiquitatis, quòd Christus *gloriam suam cœlestem in monte discipulis quibusdam patefecit?* Quid illud etiam, quòd dicit Christus, *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit è cœlo Filius hominis, qui in cœlo est?* His positis non sequitur: *Ergo humanitas Christi vbique est essentialiter.* Christus dicit se de cœlo descendisse, se scilicet filium Dei, quatenus assumserit humanam naturam, & ratione eiusdem naturæ dicitur etiam ascendisse in cœlum, quum, quatenus Filius Dei est, neque ascendat, neque descendat. In posteriore parte filius hominis significat totam personam Christi παρωνύμως: nempe Christum ipsum, qui Filius Dei est, qui in cœlo & vbique est: & non significat humanam naturam, quæ nondum in cœlum ascenderat, nedum vt vbique esset essentialiter. Christus quidem vbiquitate suæ naturæ diuinæ continet cœlum: sed humanitas eius non continet, sed continetur cœlo, quum sit creatura Act. 3. In creatura autem non possunt esse κατ' αὐτὸ propria Diuinitatis.

An quia diuinitatis sit viuificare, & caro sit viuifica, ideo diuinitatis Idiomata in humanitate sint.

Propositione quinquagesima prima vult probare, quòd diuinæ proprietates sint in humanitate Christi, quia humanitas adoretur: *Si humanitas non est Deus, sequitur vt non sit adorabilis:* Tota Christi persona (quia est Dei Filius) adoratur. Quare quod dicit disputator, in sensu coniuncto verum est: sed in sensu diuiso est falsum.

Pro-

1577. Propoſitione quinquageſima ſecunda, Idiomata Diuinitatis in humanitate Chriſti ineſſe probat hoc argumento. Quòd proprium ſcilicet Diuinitatis ſit viuificare: ſed carnem Chriſti etiam eſſe viuificam. Syllogiſmus eſt in ſecunda figura ex vtriſq; affirmantibus: Alio modo Deus viuificat, & alio Chriſti caro: Vterque modus notus eſt ex ſacris Literis: Viuifica hæc virtus carnis Chriſti non eſt Idioma ſeu proprium Diuinitatis: ſed proprium eſt diuinum in carne Chriſti promanans à Diuinitate Filij Dei: Alioqui aſſumptâ carne Filio Dei, non opus fuiſſet, ſi fuiſſet idioma iſtud Diuinitatis ipſius. Quare hac poſitâ propoſitione, mox ſequens non poterit pro concluſione vſurpari. Vtriſque enim affirmantibus nihil concluditur in ſecunda figura.

Diuina non humana Chriſti natura miracula edidit.

Omnipotentiæ eſt edere miracula, ſed humana natura, id eſt, realiter ſibi communicatâ hac proprietate non fecit miracula, ſed inhabitante in ſe ſuâ Diuinitate. Nam miraculis his Chriſtus teſtatum facere voluit ſe Dei Filium eſſe. Vocat autem potentiam hanc Diuinitatis ſuæ digitum Dei. Diuinæ igitur potentiæ & non humanæ naturæ Chriſti miracula ſunt adſcribenda, quâ formidabilis etiam fuit dæmonibus, quum ſecundùm humanam naturam à dæmone tentatus ſit. Cæterùm Chriſtus, quum ſit Dei Filius, ſemetipſo eiecit dæmonia & curauit morbos, conſciâ ſuâ humanitate, ſed nullo ipſius potentiæ adminiculo. Omnipotentia enim Filij Dei non indiget auxilio quodam. Abſens etiam corpore, ſed Diuinitate præſens multos curauit, Ioan. 4. Matt. 8. His igitur argumentis non probatur realis communicatio Idiomatum. Cæterùm nomen Chriſti non eſt nomen humanitatis, ſed eſt nomen Filij Dei, qui aſſumpſit naturam humanam: cuius nomine Apoſtoli quoque operati ſunt miracula: aut potiùs Filius Dei per illos. Athanaſius nobiſcum facit.

De probatione Vbiquitatis corporis Chriſti à dextera Dei. Sedere ad dexteram Dei quid ſit.

Argumento dextræ Dei propoſitione ſexageſima prima conatur probare, humanam naturam vbique eſſe, quia dextra Dei ſit vbique, ad quam Chriſtus humanitatis cauſâ ſedere dicatur. At ſeſſionem non eſſe locale quoddam πάθος, ſed maieſtatem eâ ſignificari humanitatis omnipræſentis. *Dextra Dei eſt vbique. Humanitas Chriſti ſedet ad dextram Dei.* Syllogiſmus habet quatuor terminos, nihilque concludit. Ad dextram Dei ſedere non ſignificat humanitatem Chriſti eſſe vbique: ſed Filium Dei, id eſt, Chriſtum nihil in ſua gubernatione facere, quod non faciat conſciâ mente & conformi voluntate ſuæ humanitatis. Eſt enim humanitas Chriſti à conſilijs Dei: vt autem ſit & fungatur hoc officio, non opus ei eſt vbiquitate, quæ cum natura humana pugnat.

Non neceſſe eſt propter vnionem perſonalem vbicunque dextera Dei eſt, ibidem etiam humanitatem eſſe. Non neceſſe eſt vt vbi ſit vna natura ibi ſit etiam altera.

Subrexitur propoſitione ſexageſima ſecunda falſa conſequentia. Non enim ſi hoc modo quo dictum eſt, ſeſſio ad dextram Dei definitur, neceſſe erit propter vnionem perſonalem, vbicunque dextra Dei ſit, ibidem etiam humanitatem eſſe. Vnio enim perſonalis hæc non eſt ſubſtantialis, vt ſuprà probatum eſt, & hac non eſt neceſſe, vt vbicunque vna natura fuerit, ibidem quoque ſit altera. Nititur vndiquaque falſis hypotheſibus defenſio hæc vbiquitatis, vt omni ex parte infirma & ruinoſa eſſe videatur. Sed quid hoc eſt quod dicunt remotam humanitatem longinquiſſimo cœli interuallo non poſſe præſentem aſpicere tes noſtras, & arceri ipſam ab inſpectione rerum imperio ſuo ſubiectarum? Quaſi verò Conſiliarius Dei, viſione oculorum res cognoſcendas apprehendat, & auditu aurium iudicet vel arguat. Quomodo igitur Diuus Paulus teſtatur, in humanitate Chriſti reconditos eſſe omnes theſauros ſcientiæ & ſapientiæ Dei, ſi perſcrutanda ſunt ei omnia ſenſibus? Quomodo obſecro vos, Cardiognoſtes erit, ſi viſione oculorum iudicet, vel non niſi auditu arguat? Num hæc ſunt maieſtatis humanæ naturæ Chriſti argumenta, quibus cogatur per ſenſus diſcere omnia, in quo plenitudo ſapientiæ diuinæ inhabitat? Non ergo nos, ſed vos humanitatem Chriſti à dextra Dei ſophiſmatibus illis detrahitis, & ipſam in Vtopia collocatis, vt omnia quæ ſcribitis nihil aliud ſint quàm inficiatio humanitatis Chriſti.

Non miſeranda humanitas Chriſti etiamſi non vbique eſſentialiter vnita eſt cum diuinitate.

Egregia verò probatio eſt propoſitionis ſexageſimæ quartæ, *quâ miſerabilem fingitis Filium Dei* vos Vbiquitarij, *ſecluſum infinitis locorum intervallis à coniugio ſuæ humanitatis, aut potiùs miſerandam humanitatem, quæ in loci anguſtias redacta non vbique eſſentialiter vnita eſſe poſſit cum ſua diuinitate.* Liberabo ego vos hac opinione erroris ſi vultis, & docebo noſtrum Chriſtum non alio modo perſonam regiam & omnipotentem eſſe poſſe, niſi quatenus ſuâ diuinitate vbique exiſtens continet & gubernat omnia cum Patre & Spiritu ſancto, ſuâ autem humanitate ſupra omnes cœlos euectus alicubi ſit & contineatur, vt nihilominus nihil ignoret, & in ipſo ſit plenitudo ſapientiæ & ſcientiæ Dei, abſens corpore, præſens autem ſuâ Diuinitate omnia adminiſtret.

Primùm, quàm puerilis eſt hæc diſputa-

toris

toris querela, quâ deplorat hanc absurditatem eorum, qui humanitatem in loco esse dicunt. Incredibilia enim dicit esse τὸν θεῖον λόγον seu Filium Dei, si reliqua omnia prærer omnipræsentiam secum habeat, eam autem naturam, quam in vnitatem personæ assumserit, non nisi in cœlis habere iudicemus. Vt eripiam tibi sollicitudinem hanc, paucis mihi à te concessis & confessis opus est, quæ tamen vltrò & sponte facilè mihi annues. Primùm non ignoras: diuinam naturam vbicunque sit, totam & perfectam esse, vtpote partium expertem & indiuiduam. Secundò, si quemadmodum tota est in toto vniuerso, ita quoque tota sit in singulis partibus, & in hu manitate Christi omni plenitudine sciétiæ & sapientiæ inhabitet. Quid quæso plùs perfectionis haberet humanitas, si vbique cum sua diuinitate personaliter vnita esset? Deinde non sic vniri personaliter Filius Dei, vt μορφὴ humanitasq; ipsius posśút quemadmodum vniuntur anima & corpus Petri. Suprà enim probatum est, Christum nusquam esse totum substantiale, nisi creaturam ipsum esse confiteri velimus. Vides, opinor, non tantùm perfectionis nihil derogati naturis Christi, si vna dicatur localis esse, & altera loci expers: sed contrarium si dicamus eueniret, nempe si Christum substantialiter vnitis naturis vbique esse confiteamur, tum confitendum etiam esse, ipsum esse creaturam, quâ confessione non modò derogamus ei Maiestatem, sed omnino è medio tollimus, & simpliciter negamus esse Christum & Filium Dei. Indignum facinus arbitratur disputator esse, si diuinitatem quis in Christo efficacissimam & quasi collectam compararet lumini, quæ extra Christum nihilominus vbique se diffundat. Lumen enim diuiduum & corporeum quiddam esse, sed diuinitatem nullis partibus diuiduam esse scribit. Absurditate caret, quòd diuinitas assimilatur lumini, nam hac similitudine vtitur etiam Iustinus Martyr. Et in creaturis corporeis nihil propiùs accedit ad similitudinem diuinorum & incorporeorum, quàm lumen, quum perfectissima quædam sit energia, & neqnaquam corpus lumen ipsum, & quia corpus non est, ob id ἀμερὴς etiam existit. Sed ob ignorantiam philosophiæ cùm in bis, tum in alijs rebus etiam hallucinamur. Perinde autem absurdum & impium est dictu, si quis dicat, partibus diuiduam esse diuinitatem, & si quis dicat, humanitatem Christi vbique existentem, partium expertem esse.

Non absurdum diuinitatem Christi comparari lumini.

Qualis obsecro spiritus hic vestiginis est, dicere humanitatem Christi substantialiter vbique vnitam cum diuinitate suâ (quâ vnione facimus ex Christo creaturam) & illam humanitatem vbique existentem, sine quantitate vbique esse, quâ priuatione quantitatis negamus corpus esse corpus, & spoliamus Christum, vt creaturam corpore suo. Quid hoc aliud est, quàm Christum negare esse Christum, & ipsum vt nihil, ita quoque nusquam esse.

1577.

Qualis autem hæc est & quàm subtilis propositio sexagesima septima, quam bis verbis adscripsit: *Nam si λόγον non modò in cœlis, sed in his etiam terris totum confitebuntur, statim consequitur, naturam humanam quam assumsit, ab eo nullibi esse separatam.* Considera quæso, quàm ficulneum sit argumentum illud, & ab vno, vt Vergilius inquit, qualia omnia sint reliqua disce. Confitemur sanè τὸν λόγον vbique totum esse personaliter. Nam Diuinitas, vt ἀμερὴς vbicunque est, ibi tota est, & similiter etiam persona Filij Dei: propter diuinitatem suam vbique tota persona est. Et hac quidem ratione Christum, vt personam, vbique totum esse dicimus. Christus autem, vt personæ nomen habet, est Filius Dei, & non quatenus ex duabus naturis est substantialiter quiddam compositum, dicitur totum. Hac compositione Christum (quia non est creatura) nusquam totum dicimus esse. Hanc igitur æquiuocationem disputator aut occultat, aut ignorat, quorú alterum improbitatis, alterum inscitiæ vitio est reprehendendum. Qualia igitur antecedentia sunt, & argumenta Vbiquitariorum, tales etiam sunt consequentiæ & conclusa, vt ne ipsa quidem inter se consentanea esse videantur, ne dum cum veritate orthodoxa consentiant.

Anquia diuinitas vbique est ideo etiam humanitas vbique sit.

His autem omnibus falsorum argumentorum machinis & structuris nihil aliud moliuntur, quàm vt probent corpus Christi in Eucharistia sumentibus exhiberi, primo seu Capernaïtico actu, & non mediante actu secundo, quem nos sacramentalem virtutem appellamus: vt Sol actu primo non viuificat hæc inferiora: sed mediante actu secundo: quam virtutem & efficaciam solis viuificam interpretamur. Ergo & verba & sensus Cyrilli & Theophylacti quæ allegantur, pro nobis faciunt. Sic Theophylactus, *Sanctum Christi corpus indiuisibile est: & diuiditur ac communicatur in quatuor orbis partes, vsum præbens singulis & vniuscuiusque animam sanctificans cum corpore per suam carnem vnigenitus &*

Theophylacti locus explicatur.

1577. *& integer in omnibus est existens vbique.* Dicit Theophylactus corpus Christi indiuisibile esse: Num actu primo? Nequaquam. Nam quod caret partibus corpus non est, sed spiritus est & substantia incorporea partium expers esse dicitur. Itaque corpus Christi propter indiuisibilem virtutem & ἐνέργειαν viuificam, indiuisibile dicitur esse: Nam viuifica ἐνέργεια est tota in omnibus & in singulis credentibus tota: vt Sol propter actum secundum, id est, propter ἐνέργειαν percipitur ab omnibus & à singulis oculis totus & ἀδιαιρέτως: Ita quoque Christi corpus. Theophylactus energiam vsum seu χρῆσιν appellat, quam declarat actione sanctificationis. Filium autem Dei (quem appellat Theophylactus Vnigenitum) eum scribit non actu secundo tantùm, nempe energiâ, sed etiam actu primo & substantiali vbique esse. Sic enim scribit: *Vnigenitus & integer* (ratione οὐσίας) *in omnibus existens. Totus enim in toto vniuerso est & in omnibus partibus totus vnigenitus.* Similis sententia est verborum Cyrilli, quæ à disputatore allegantur, quibus omnipræsentia essentialis corporis Christi nequaquam probatur. Quum enim corpus sit quantitate præditum propter partes, nusquam erit totum nisi in toto vniuerso, in partibus vniuersi non nisi partibiliter & nequaquam ἀδιαιρέτως inerit. Mediante autem virtute viuificâ sacramentali corpus Christi primo & Capernaïtico actu supra cœlos existens participatur, totum impartibiliter ab omnibus Eucharistiam sumentibus propter virtutem & actum sacramentalem.

Corpus Christi quomodo indiuisibile.

Achilles Vbiquistarum. Explicatio verborum Christi: Ego vobiscum sum vsque ad consummationem mundi.

Sequente propositione septuagesimâ primâ quasi Achillem, producit argumentum Vbiquitatis naturæ humanæ Christi verba Saluatoris nostri, vbi inquit: *Ego sum vobiscum omnibus diebus vsque ad consummationem mundi.* Sed vocabulum *Ego* significat totum Christum: sed totus constitutus est ex naturis duabus personam Christi constituentibus. Respondemus: Si Christus vt totus personaliter, ita quoque totum esset substantiale ex duabus naturis compositum, vt Petrus est: tunc procederet argumentum. At verò Christum hoc modo totum personale non esse suprà est demonstratum. Quocirca argumento illo humanitas ipsius non probabitur vbique fuisse. EGO significat quidem personam Christi, at hæc est & dicitur Filius Dei, qui ascendente humanitate in cœlum, nihilominus ipse non ascendit, quum vbique existens loco sit immobilis Deus. EGO igitur significat personam Filij Dei, quæ persona Christi quoque est: quum humanitas non sit persona, & per se, substantialiterque non constituat personam Christi, de quo suprà dictum. Christus simili modo se Filium Dei vult intelligi, quando dicit: *Antequam Abraham esset, ego sum.* Et quando dicit, *Glorifica me eâ gloriâ qua fui apud te ante conditum mundum.* Aliquando vult intelligi suam humanitatem, vt quando dicit, *Nisi discessero à vobis, alter ille Consolator non veniet ad vos*, de sua humanitate loquitur. Omnia igitur dicta & facta Christi destruunt hæreticam illam & detestandam Vbiquitatem.

Diuus Paulus præcipit, vt credamus quæ sunt analoga & fidei consentanea. Nam veritas Scripturarum omnium credendorum est norma & mensura. Admonet etiam, vt ὀρθοτομίαν adhibeamus: vt exploremus & probemus omnia: & ne cuiuis spiritui fidem habeamus. Quamobrem errori huic credendum nullo modo est, qui non tantùm pugnat cum orthodoxa fide: sed ipse sese etiam proprijs contradictionibus implicat & destruit, suo sese, vt dicitur, gladio iugulans, & suis se proprijs aculeis configens, ὃπ παντα μάχεται αὐτὰ ἑαυτοῖς καὶ τοῖς εὐλόγοις, vt nihil absurdius ne fingi quidem possit. At ignorantia Vnionis personalis in Christo hæc monstrosa peperit nobis Vbiquitatis commenta, quibus status Ecclesiæ Euangelicæ horrendum in modum periclitatur hodie, & ferè nemo considerat.

Apertè mentitur propositio septuagesima octaua, quando *negat se detrahere suas proprietates humanæ naturæ.* Nam humana natura propter vnionem personalem Christi, si essentialiter est vbique: Quomodo essentialiter poterit alicubi esse? Quandoquidem pugnant hæc inter se vt contradictoria. Si vtrique naturæ sua Idiomata relinquuntur: Quid opus fuit tantopere contendere non κατ' ἄλλο, sed realiter propria Diuinitatis transfundi in humanitatem? Quando mentiens negat se mentiri, nonne dupliciter illum mentiri dicimus? Vobismetipsis derogatis fidem. Nam si vos creditis, suam cuique naturæ proprietatem inesse: si nos idem credamus, nihil est quòd nobiscum litigetis. At præcedentibus propositionibus nihil aliud egistis, quàm vt persuaderetis nobis, non tantùm diuinam, sed etiam humanam naturam esse vbique essentialiter. Quamobrem vestra propriâ confessione vosmetipsos coarguitis mendacij. Nolite igitur postulare, vt posthac fidem vobis habeamus, quum mentientibus non sit habenda fides. Mentiri autem est, si quis dicat idiomata realiter communi-

Vbiquista an humanitati Christi detrahant suas proprietates.

municari, & poftea neget communicari, & quamque naturam habere fua propria Idiomata.

An verum sit, quod Kemnitius corpus Christi neget ubique esse, & tamen concedit infinitis in locis sacramentaliter præsens esse.

Propofitione 81. Kemnitium reprehendit, *qui corpus Chrifti neget effentialiter vbique effe: fed certo in loco exiftens ipfum potentiâ diuinâ nihilominus infinitis in locis poffe facramentali præfentia adeffe.* Definit etiam is Capernaïticâ, id eft, primi actus præfentiâ corporis facramentalis præfentiam. Nihilo tamen faniora aut probabiliora argumenta habet quàm Vbiquirarij. Etenim impoffibile eft propter implicationem contradictionis, vt corpus vno in loco effentialiter exiftens: nihilominus ipfum etiam non vno in loco, fed in multis effentialiter exiftat, Simpliciter vt falfa, ita quoque incredibilia funt, quæ contradictionem implicant. Quare dimittamus etiam illum cum fua Multiquitate defendentem Capernaïticam, id eft, primi actus corporis præfentiam fuis paralogifmis. Ambo fic difputant de veritate corporis Chrifti, vt fi ὀρθοδόξως accuratâ omnia difcufferis, tandem concludendum fit, neque Chriftum vllum corpus habere: quandoquidem quantitatis expers ipfum vbique dicant effe, quemadmodum Diuinitas fit. Et quomodo obfecro, fi nullum fit corpus Chrifti, ipfum verè & realiter in Euchariftia exhibetur? Impoffibile enim eft, vt des aliquid, quod non habeas. Idem ergo Vbiquirarijs accidit, quod Æfopico cani, qui captans vmbram carnis in aqua renidentis, veram ex rictu carnem amifit: Sic fruftrantur etiam litigatores illi veritate carnis Chrifti, dum realiter, fubftantialiter, effentialiter, primo actu & Capernaïticè eam cum fua Diuinitate vbique infeparabiliter coniunctam effe, expertem partium, nullaque quantitate præditam contendunt, & tanquam pro aris & focis dimicant. Quæ tam non eft caro, quàm fpiritus & anima non eft caro aut corpus. Quòd fi non fit, quomodo aut in Euchariftia, aut vbique poffit effe non video. At fi credenda omnia funt, quæ quiuis laborans vertigine dicit aut fcribit, cenfeo ego Vbiquitarijs etiam fidem habendam.

Vbiquitatis causa est assertio præsentiæ corporis in Cœna.

Caufa iftius fabulæ & figmenti eft affertio præfentiæ corporis Chrifti in Euchariftia, quâ exhiberi fumentibus corpus Chrifti dicunt effentialiter & Capernaïticè. Fatentur quidem exhiberi illud effentialiter, fed negant Capernaïticè: quia videlicet neque vt patibile, neque vt gloriofum accipiatur aut detur: fed vt maieftate participans Diuinitatis, quâ effentialiter vbique fit. Quòd maieftas hæc effentialis omnipræfentiæ non poffit ineffe corpori Chrifti reali communicatione Idiomatum, fuprà eft demonftratum. Quòd modò gloriofum & finitum fit Chrifti corpus, Scripturâ eft manifeftum. Quòd fimul finitum & infinitum ratione effentiæ non poffit effe, implicatio contradictionis vetat. Quòd finitum loco & quantitate non poffit fimul in multis locis effe (vt Kemnitius putat) fuprà monuimus. Quæritur igitur, quomodo præfens fit in Euchariftia corpus Chrifti? Nam omnino præfens effe oportet: Alioqui nihil nifi panis, qui folus pro Euchariftia non eft habendus, adeffet.

Quomodo Christus in Cœna præsens sit.

Præfentia fignificat actum loci & temporis & effentiæ rei. Effentiæ rei duplex eft actus, primus fcilicet & fecundus. Primo actu fignificatur, ipfa rei effentia, vt Deus, Angelus, anima & corpus. Secundus actus eft energia fubftantiæ, nempe virtus agens propter actionem, aut paffio quædam. Vt anima eft primus corporis actus & fubftantia: fed viuificare, fentire, mouere corpus, funt ipfius actus fecundi. Deus vbique præfens eft effentialiter & actu primo: verùm actu fecundo dicitur abeffe ab his qui ope & auxilio eius deftituuntur. Actus autem fecundus infeparabilis eft à primo actu: Qui aliquando etiam funt loco infeparabiles, vt vbicunque fecundus eft actus animæ, ibidem anima quoque ipfa eft: & Angeli & Dei. Nam fuis actionibus Deus effentialiter eft præfentiffimus. In rebus corporeis non eft neceffe ambos actus fimul loco effe coniunctos: vt primo actu fol eft in cœlo: fecundo autem actu efficax eft in terra, abfente ipfius primo actu. Corporis primus actus etiam gloriofi non poteft effe fine quantitate, quamuis patibilibus & phyficis qualitatibus aliàs prorfus careas. Nam expers quantitatis & partium fubftantia, corporea non poteft dici aut corpus: quòd quantitas fcilicet fit confubftantialis corpori, & quâ differat etiam vt differentiâ effentiali à fubftantia incorporea quæ fit quantitatis & partium expers. Corpus autem gloriofum, vt maximè fit fpirituale: tamen fpiritus non eft: quoniam corpus non poteft effe incorporea fubftantia. Itaque actum primum corporis feu Capernaïticum actum (nam Capernaïtæ non nifi primum actum corporis Chrifti nofcebant, vim & energiam faluificam ignorabant) impoffibile eft expertem quantitatis effe, vt fingunt Vbiquitarij, qui corpus & humanitatem Chrifti effentialiter fine quantitate vbique effe dicunt, quemadmodum diuinitas fit expers partium vbique. Quòd cùm fit impoffibile falfum, vt pro-

1577. bauimus: ex necessitate sequitur, vt corpus Christi loco absens, mediante virtute sacramentali, in Eucharistia sumentibus exhibeatur, & hoc modo corpus sine quantitate exhiberi dicitur & non Capernaïticè. Et hoc vno modo, vno ad numerum corpore Christi nos omnes participare possumus impartibiliter, vt Cyrillus ait: quum alioqui participantes Capernaïtico actu Christi corpus non totum, sed partem, tanquam frustum totius singuli accipiant & participent. Omnes tandem numero Solem ipsissimum accipimus oculis videndo ipsum: sed mediante actu secundo, id est, lumine, qui actus est impartibilis & ἀμέρισ℧. Quòd si actu primo immediatè Sol inferret se oculis omnium, nullo modo videretur aut conspicuus esset. Aut si actu primo Sol orbem terrarum penetraret: ab ipso terra nequaquam viuificaretur: sed tota & vniuersa natura rerum destrueretur.

Verba Cœnæ vt sint clara. Verborum Cœnæ explicatio Vbiquistarum & Caluinistarum. Nota.

Verùm, inquiunt, *τὸ ῥητὸν non permittit, vt actum primum corporis loco excludamus: Aperta enim & manifesta verba sunt institutionis Cœnæ Dominicæ.* Ergo conferamus verborum illorum interpretationem, quâ explicantur ab Vbiquitarijs, & quâ ab his, qui se illis opponunt. Cogitet quisque apud se, num proprius an alienus sensus sit eorum, qui sic interpretantur verba Christi: Hoc est corpus meum, quod per essentiam nullo loco excluditur, & sine partibus & quantitate vbique est essentialiter, quod traditum est pro nobis in mortem. Quis obsecro tam excors & stupidus est, qui æquo animo vel audire possit talem interpretationem, nedum vt consentaneam approbare? Alia est interpretatio, quâ denominans (quæ est vulgatissima phrasis) fortitur appellationem denominati: vt viuificans corpus simpliciter appellatur corpus. Viuificans enim denominat corpus Christi quod traditum est pro peccatis nostris.

Dupliciter vsurpatur vocabulum Solis, vno modo pro actu primo, vt si dicam, Sol mouetur in cœlo: Et hic primus & Capernaïticus actus Solis intelligitur. Quando autem dico, Solem viuificare omnia hæc inferiora, vsurpatur vocabulum primi actus & Solis non absolutè, sed quoad coniunctus inseparabiliter est cum secundo actu. Nam virtute sua Sol omnibus præsens dicitur, non loco & actu Capernaïticò præsens. Dixi vsitatissimas esse formulas illas in quotidiano sermone, vt quando aliquis dicit, se Petrum videre, qui vt actus primus sine actu secundo, vt sine figura & coloribus mouentibus visum non mouetur. Simili modo dicit aliquis, se campanam audire, quia mediante sono, qui est actus secundus audit. Eodem modo τὸ ῥητὸν Cœnæ simplicissimè explicatur. Qui secus interpretantur, veritatem non modò ἐνεργείας, sed etiam corporis & humanitatis Christi negare videntur.

Aliud D. Iacobi Schegkij scriptum contra Vbiquitatis dogma.

Aliud eiusdem D. Schegkij scriptum eruditissimum, antehac etiam, vt arbitror, non excusum, contra Vbiquitatis dogma, sic de verbo ad verbum habet. Qui defendunt propositum, tanquam verum & Scripturis consentaneum, ante omnia consentientibus per omnia argumentis id facere debent, & non pugnantibus inter se & contradictione implicitis, (qualibus vtuntur Vbiquitarij) quorum argumenta non tantùm à veritate S. Literarum dissentiunt, sed ipsa quoque sese apertissimis contradictionibus refellunt, & erroris mendacijque coarguunt, quandoquidem veritas sit, vt apud Platonem dicit Socrates, perfectissima quædam harmonia.

Tria fundamenta Vbiquistarum

Disputant autem Vbiquitarij de omnipræsentia Humanitatis Christi, nihil diuidentes, nihil definientes, nihil demonstrantes, sed ἀμυδρῶς omnia falsa contradictionem implicantibus inuoluunt. Omnium autem errorum sunt tria præcipuè capita quasi Hydræ cuiusdam, quæ si amputentur, Vbiquitatis Patroni nihil amplius habebunt, quo suum errorem tueantur.

I. Propter vnionem personalem diuinitatis propria communicari realiter humanitati. Responsio.

Primum caput est, quo statuunt: propter Vnionem personalem Diuinitatis filij Dei propria realiter communicari & transfundi in humanam naturam assumptam, ex quibus proprietatibus etiam vna sit omnipræsentia essentialis humanitatis & corporis Christi. Quæso autem quid alienius à vero dici potest, quid propter implicationem contradictionis falsius, quàm proprium diuersæ naturæ esse communicabile? Annon definitur omne proprium vnitate naturæ subiecti & incommunicabilitate? Nam si communicatur, non amplius erit proprium. Est enim pars definitionis: & essentiæ proprij, vt non possit communicari. Non ergo homines isti intelligunt, quid sit Idioma seu proprium, quando per se communicabile ipsum esse statuunt, & est profectò puerilis error & magis ferulis quàm argumentis castigandus: At verò qui proprium communicabile dicit esse, is dicit oppositum in adiecto. Hanc δόξαν cōmunicationis Idiomatū

quàm

quàm absurda sequuntur? Multa & maxima, quæ apertè cum fide orthodoxa pugnant.

Absurda quæ realem communicationem Idiomatum sequuntur.

Primum est, quòd si vna proprietas diuinitatis (vt verbi gratia omnipræsentia) humanitati Christi communicatur, necesse est, vt eidem omnes diuinitatis proprietates communicentur: Quare? Quia proprium ex necessitate subinfert & includit naturam in qua est; Vt si proprium canis in aliquo est, ipsum oportet esse canem, & per consequens omnia propria in ipso canis esse oportebit. Nam propria, vt à subiecto & natura sua sunt inseparabilia, ita quoque à se vicissim non sunt separabilia. Nam si plura sint vnius propria, si vnum alicui naturæ insit, reliqua etiam inerunt. Vt in quocunque inest capax disciplinæ, in eodem quoque erit, esse Politicum, esse γελαστικὸν, esse moribus ἠθικὸν, quæ Idiomata omnia sunt, φύσει in homine. Esse leuissimum, est proprium ignis, in quocunque illud inerit, ipsum ignem esse oportebit, simulque inerunt reliqua ignis propria, vt primò calidum & siccum esse, item in supremum & altissimum locum sursum moueri. In qua figura proprium illud est, vt habeat tres angulos duobus rectis æquales, ipsam scilicet triangulum esse oportebit, quod si erit, etiam reliqua propria πάθη Trianguli ipsi inerunt, Simili modo, si Omnipræsentia humanitati Christi inerit, sequitur, vt etiam reliqua omnia propria attributa Diuinitatis humanitati insint, propter causam modo dictam. At proprium est Diuinitatis inter reliqua, vt sit ab æterno. Quamobrem humanitas etiam Christi ab æterno erit. Qui sic sentiunt, negant Christum in carne venisse, damnant omnes orthodoxos articulos Ecclesiæ, qui fide catholicâ de humanitate Christi comprehenduntur. Adnumerandi ergo Antichristo.

Quod *secundum* est consequens? Illud est scilicet, quo impijssimè diuina essentia quatuor personis distrahitur. Nam humanitas Christi, persona Trinitatis erit, si particeps sit proprietatum Diuinitatis. Eutychianum illud & Schuenkfeldianum est.

Quod *tertium* est consequens? Quòd proprietate hac Diuinitatis participatâ, proprietas naturæ humanæ, imò creaturæ essentia perimitur. Proprium enim omnis creaturæ est, vt sit alicubi, proprio perempto, natura quoque perimitur. Spoliant ergo Vbiquitarij Christum naturâ humanâ, & filium Dei hominem factum esse negant.

An humana natura in se consi-

Sed inquiunt egregij isti disputatores, *humanam naturam in se consideratam esse localem, sed ratione personæ consideratam vbique esse.* Impossibile est (boni viri) vt idem numero existens, secundùm essentiam, simul alicubi sit & vbique, contradictionem enim implicat. Quare humana natura non per se, id est, substantialiter, propter personam filij Dei, vbique esse dicitur, sed per accidens & per Synecdochen; quia videlicet vbique existentem personam filij Dei denominat, quoad videlicet vbique filius Dei Homo appellatur, sed denominatiuè & non vniuocè, id est, Humanatum seu incarnatum quiddam. Propter hanc denominationem, quâ filius Dei vbique Homo id est, Humanatum & incarnatum quiddam dicitur, non necesse est, vt vbicunque sit filius Dei, ibidem, id est, vbique humanitaté esse oporteat, cùm humanitas Christi non sit respectu filij Dei per se, & coëssentialis personæ pars, vt in Petro duæ naturæ sunt coëssentiales partes, vt necesse sit vbicunque Anima est, vt ibidem etiam sit corpus, & vbi corpus, ibidem sit Anima, quarum partium neutra sit pars persona, sed vtrisque vt naturis existentibus, vnà persona constituatur. Sed in persona Christi, altera pars constituens, per se persona est, nempe persona filij Dei, & altera pars, vt humanitas, tantùm Natura est, quæ iam personæ filij Dei ab æterno existenti accessit, & cum ea totum secundum Accidens constituit. Etenim quicquid per se præexistenti personæ inest, illud personam per se non constituit, sed cum ea per accidens aliquid vnum constituit. Hæc omnia sunt demonstrata in meo libello de Vnione personali duarum naturarũ in Christo. Itaque persona filij Dei & assumtâ humanitate, cùm per accidens vnum constituatur, necesse non est, vt vbicunqué essentialiter filius Dei est, ibidem sit humanitas quoque ipsius, quòd in coëssentialibus partibus ex necessitate sequitur, vt paulò antè dictum est. At nihilominus humanitas vt Accidens vbique personam filij Dei denominat vbique essentialiter existentem. Nam substantiæ aliàs etiam denominantur ab Accidentibus, vt Orbis ingentissimus (verbi gratiâ) vbique solaris appellatur, vt ob id necesse nõn sit, vbicunque sit ipse orbis, ibidem Solem quoque ipsum esse.

1577. derata sit localis, ratione autem personæ vbique.

Instantia 1. Si humanitas non est vbique cum sua Diuinitate Christus diuiditur.

Sed contrà illi obijciunt, *quòd si non sit humanitas vbique cum sua Diuinitate, tum sequitur, vt Christus sit diuisus.* Respondemus. Si Christus, vt est vnus & totus personaliter, (quatenus est Dei filius) ita quoque vnum & totum naturale vel substantiale esset, (vt Herbrandus videlicet in suo Compendio imaginatur) & ex duabus naturis per

1577. per se constitutum esset quiddam, tum sequeretur, vt nusquam diuinitas ipsius esset, quin ibidem quoque natura humana esset. Sed hoc modo compositionis ex duabus naturis constitutus Christus, creatura esset, essentialiterque diuiduus esset: non tantùm in partes quantitatis, sed etiam in partes consubstantiales seu coëssentiales, quod impossibile & nefarium est dictu. Personam enim Christi seu filij Dei nec quantitatis habet partes nec substantiæ, vt Petri persona vtroque genere partium est prædita.

2. Si humanitas non est vbique diuinitas in Christo non corporaliter inhabitat. R.

Rursus opponunt, *si humanitas Christi non sit vbique, sequitur, vt non tota diuinitas in ipsa corporaliter inhabitet, & sine humanitate præsente filius Dei vbique omnia gubernet.* Respondemus, Filium Dei vbicunque sit, ibi totum esse. Nec alius est perfectione qui in Christo corporaliter inhabitat, quàm qui vbique est in toto vniuerso, & in omnibus creaturis. Vbique enim Christus totus naturaliter & personaliter, cùm essentia ipsius careat partibus & nusquam sit, vt Totum & compositum per se ex partibus.

3. Si humanitas Christi non participat proprietatibus diuinitatis, humana Christi natura nil differt à Petri natura. R.

Rursus contra opponunt. *Si humanitas Christi non participet proprietatibus diuinitatis, sequitur, vt humana natura Christi nihil à Petri humana natura differat, in qua etiam Filius Dei totus inhabitet.* Respondemus, Filium Dei non hac eminentia gratiæ habitare in humanitate Petri, vt propter hanc quasi inhabitantem μορφὴν τοῦ Θεοῦ, in ipsa Petri humanitate reconditi sint omnes Thesauri sapientiæ & scientiæ Dei, propter quam ab Esaia quoque dicitur *Admirabilis Consiliarius*, & propter diuinitatem suam, *Deus fortis* & *Emanuel* dicitur.

Absurdum 4. quod ex reali communicatione Humanitatem sequitur.

Quod est quartum consequens absurdum? Quòd dicunt *humanitatem Christi essentialiter vbique esse sine quantitate.* Quantitas coëssentialis est corpori. At humanitas est Corpus. Negant ergo corpus, esse corpus, nec satis ipsis est, si Christum sua humanitate spoliant, corpus etiam coëssentiali quantitate spoliant.

5. Quodnam est quintum absurdum? *Negando essentiam & veritatem corporis Christi, sequitur, vt ipsum corpus sit nullum in Eucharistia.* Quomodo enim præsens esset, quod nullo modo esse potest? At sine quantitate corpus realiter & substantialiter esse nequit. Quapropter his paralogismis quod maximè conantur astruere, idipsum vanissimè & stultissimè destruunt, vt corpus esse negent corpus, quod iam neque in cœlo sit, neque vbique, neque in Eucharistia, sed nusquam, aut si alicubi sit, in Vtopia erit.

Quodnam est sextum absurdum? Est maximum, quo videlicet Vbiquitario illo corpore *neque natus Christus, neque passus est, neque in cœlum ascendisse secundum catholicam fidem potest defendi. Quin etiam τὸ ῥητὸν verborum Cœnæ non poterit stare*, quando dicit Christus: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. At Vbiquitarium corpus, neque traditum est, nec potuit fieri, vt traderetur, quia est nullum & merum figmentum.

Fundamentum secundum Vbiquitatis.

Quodnam est *secundum* caput probationis huius monstrosæ Vbiquitatis? Nempe illud, quo probant quidam, *Christum vbique esse totum, non modò personaliter, sed etiam vbique totum naturaliter & substantialiter.* Ne cogantur scilicet dimidiatum Christum, aut duas Christi personas confiteri. Quæ autem absurda sequantur, si dicamus Christum totum vbique substantialiter esse, suprà ostendimus. Alij dicunt, *Vbiquitatem non esse in humanitate Christi, tanquam in subiecto quodam ποθ...*. Credo: vt proprietatem humanitatis non petimant, quæ est localitas, sed etiam in persona Christi tanquam in subiecto concedunt esse. At Christi persona est filius Dei, qua ratione, filius Dei vbique erit & non ipsius humanitas. Cui sententiæ ego tanquam veræ non repugno. Deinde addunt, *quòd humanitas etiam sit vbique, sed non localiter aut naturaliter, sed personaliter.* Non autem declarant, quomodo personaliter sit vbique. Non potest vtique humanitas Christi vbique esse, quatenus ipsa sit persona, siquidem humanitas persona non sit, sed tantùm natura sit, quæ vt Accidens cum persona filij Dei Totum constituit, vt suprà demonstratum est. Ergo personaliter humanitas vbiq; erit, per accidens, id est, denominando vbiq; personam filij Dei vbiq; existentem, quâ denominatione Filius Dei & vbique Christus & vbique Homo denominatiuè appellatur.

Hanc autem nostram interpretationem non admittunt, *quando humanitatem tantùm personaliter vbique dicunt esse.* Sed hoc volunt dicere, quòd personalitas Christi in causa sit, vt humanitas ipsius vbique sit essentialiter & substantialiter, idque fieri supernaturale quodam modo, & nobis credendo, non autem scrutando, nempe quòd contradictoria simul in eodem esse possint, vt nimirum humanitas Christi sit essentialiter localis, & hæc ipsa, nihilominus essentialiter vbique sit: propter personam vbique existentem. Quid quæso his omnibus monstrosius, implicatius & vanius dici potest?

Fundamentum Vbiquitatis tertium.

Tertium caput probationis Vbiquitatis est. Nam

Nam Christus, cùm propter humanitatem suam dicatur sedere ad dextram Dei, & dextra Dei sit ubique, humanitatem etiam ubique fore dicunt. Quasi verò Vbiquitas sit consequens ad sessionem ad dextram Dei, & non potiùs illud sit sedere ad dextram Dei, quo dicimus Filium Dei omnia gubernare conscià mente & conformi voluntate suę humanitatis, propter quam conscientiam, Esaias Christum non tantùm *Deum fortem*, sed etiam *Consiliarium admirabilem* appellat. De quo suprà.

Ex his quæ diximus liquet, Naturas esse per se communicabiles, sed propria per se incommunicabilia esse, cùm unumquodque proprium suam naturam subinferat & includat, sine qua non potest definiri, siquidem propria omnia definiuntur ex appositione subjecti; seu, ut Aristoteles loquitur, ἐν προσθέσεως, ut unius naturæ proprium de alia natura per se prædicari, aut ei per se nullo modo inesse possit, neque physicè, neque hyperphysicè, neque phantasticè. Quando autem de composito propria prædicantur naturarum, non per se de toto prædicantur, sed per Synecdochen: seu per accidens, prædicabuntur, ut communicatio nimirum Idiomatibus seu propriis non per se, sed secundùm accidens adscribat. Vt si dicatur Christus mortuus esse, id propter humanam naturam toti adscribatur. Aut quando in cœlum ascendisse, idipsum quoque Christo propter eandem naturam attribuatur. Nam quatenus Filius Dei non ascendit, neque descendit ἁπλῶς: Et quando Omnipotens aut Omnipræsens, id de Christo aut homine Christo prædicetur, propterea quòd Filius Dei sit. Quapropter ut naturæ per se communicabiles sunt, id est, communicando unum & totum aliquid constituunt, sic propria per se sunt incommunicabilia & non nisi per accidens communicabilia, prædicanturque communiter de concreto, sed propter naturas, de quibus per se prædicantur.

Cæterùm humana natura, quæcunque Filius Dei habet per essentiam propria, eisdem ipsa quoque prædita dicitur, sed non per se, verùm per accidens, & per gratiam. Nam habens consortio personali in se humana natura divinam naturam, tanquam μορφὴν, possidet & habet etiam Omnipotentiam & Omnipræsentiam. Nam habens naturam, habet etiam propria naturæ, sed per synecdochen & κατ' ἄλλο. Et hoc modo habendi superat omnes creaturas incomparabili modo Natura humana Christi, ipsa nihilominus sua Idiomata retinens, quibus peremptis necesse est, ipsam quoque naturam humanam perimi.

1577.

Adorabile esse, est proprium divinitatis. Quare Christus propter divinitatem suam adorandus est. Humanitas autem, ut creatura, per se non est adorabilis. Totus adoratur propter divinitatem.

Confessio de Cœna Illustrissimi Principis Friderici III. Electoris Palatini post mortem ejus edita, ut in Testamento ejus descripta reperta fuit.

Confessio fidei Friderici III. Electoris Palatini cur in lucem edita à Duce Ioanne Casimiro F.

HOc anno quoq; Confessio Fidei Illustrissimi Principis D. Friderici III. *felicissima memoria,* Comitis Palatini ad Rhenum, Sacri Rom. Imperii Archidapiferi & Electoris, Ducis Bavariæ, &c. *In qua Celsitudo ejus 26. Octob. anno 1576. constanter, placide, & piè in Christo obdormiuit, de verbo ad verbum ex Cels. E. Testamento desumpta: Ex singulari mandato Illustrissimi Principis* Ioannis Casimiri *F. die 25. Febru. ob sequentes causas typis excusa fuit. Etsi Illustrissimus Princeps Fridericus Elector cùm toto Electoralis sua gubernationis tempore, tum præcipuè anno 1566. in Comitiis Augustanis, ubi ab eo ratio Christiana Confessionis ac Fidei in edita ab se Cathechesi & Ordinatione Ecclesiastica comprehensa postulata fuit, satis superq; demonstravit & testatum fecit publicè, se neq; privatim ullam aliam amplecti & probare, neq; in suis Ditionibus ordinasse Religionem, quam eam quæ Prophetica & Apostolica doctrinæ per omnia sit consentanea & conformis, quæq; ab Augustana etiam Confessione, & quæ huic adiuncta est, Apologia, quomodo subscriptione suâ omnes Imperii Ordines, qui eam amplectuntur, eandem Naumburgi comprobarunt, non dissentiat, nec cum ea pugnet: Tamen post pium illius ex hac misera vita discessum, partim Princeps Casimirus ipse coràm audire necesse habuit, partim etiam aliunde magno cum animi dolore cognovit, esse aliquos, qui, licèt injuriâ, affirmare & spargere non veriti sunt, ipsum ante obitum suum ab agnitâ illa & approbata Confessione descivisse, falsumque esse,* Se hac in parte modum excessisse. *Ac tametsi ipse quoque Princeps Casimirus, quod ad eum privatim attinet, inde usque ab eo tempore, quo primùm per Dei gratiam ex Papatu emersi, hanc Charissimi Parentis sui Confessionem semper piam, Christianam & in Verbo Dei fundatam deprehendit, inprimis verò tunc, cùm in iam dictis Augustanis Comitiis, ut pium decebat filium, Charissimo Parenti suo adesset, atque Biblia & Augustanam Confessionem Electoribus, aliisque Principibus Confessionis illius Sociis, qui coràm aderant, & absentium*

Principum, aliorumque Ordinum Legatis ipse exhiberet & proponeret; cumque ex iis Parens Elector aliud quid & melius doceri, deque eo convinci expeteret, nec tamen quisquam inveniretur, qui vel tantillulum contra ipsius Confessionem in medium proferret, in agnita veritate animus ejus magis magisque confirmatus fuit; atque hoc ipsum postea non corde tantùm & ore, verùm etiam non sine summo vitæ & capitis periculo bis toti mundo abundè demonstravit & planum fecit: tamen pari modo divulgatum audivit, se quoque ab hac Charissimi sui Parentis, suaque Confessione, si non prorsus defecerit, saltem in ea probanda aliquanto factum esse remissiorem & languidiorem.

Quare cùm Fridericus Elector, *absente Illustrissimo Principe Palatino* Ludovico *successore eius, uno circiter mense ante mortem, Heydelbergam Principem Casimirum evocatum apud se retinuerit: atq; ita ille assiduè ipsi ad ultimum usq; eius spiritum adfuerit, ex eoq; intellexerit, ipsum suprà dictam, & iam antè editam Confessionem, sua ipsius manu composuisse, & in Testamentum suum inserendam curasse; præterea cùm etiam ad extremum usque eius spiritum audiverit & viderit, ipsum mente sanâ, integrisque sensibus, & constanter in ea perseverasse, & sic in Christo feliciter obdormivisse; Cumque deinceps quoque, post adventum Fratris Ludovici Electoris, Testamento, quod prorsus integrum & illæsum, testibusque, subscriptione & sigillis accuratè & fideliter munitum erat, cujus etiam singulis paginis suâ ipsius manu Parens Elector subscripserat, de communi consilio & consensu, iam resignato, non tantùm iam sæpe nominatam ipsius Confessionem in eo invenerint, verùm etiam Exsecutores Testamenti illius, designati & constituti sint, ipsisque vigore & auctoritate divini & immutabilis mandati iniunctum & impositum fuerit, ut modò gravissimam Dei iram & offensionem, æternosque & temporarias pœnas vitare & effugere velint, hanc Patris sui Confessionem tueri, defendere, & propagare non desistant. Princeps Casimirus igitur, salvâ conscientiâ, & aliis etiam gravissimis iustissimisque de causis, intermittere noluit, quin ad asserendam veritatem de iis, quæ suprà memorata sunt, rebus, publicum verumque perhiberet testimonium, & Confessionem, ut ea totidem verbis, in Charissimi Patris sui Testamento descripta & inserta extitit, typis imprimendam divulgandamque curaret; ut ea etiam, id quod debita gravissima, gratissimaque, & extrema voluntatis ipsius exsecutio postulabat, tandem non Electoribus tantùm (id quod Ludovico Filio alteri Electori præcipuè mandatum erat) verùm etiam superstitibus subditis suis, Consiliariis, Præfectis, & inprimis Academiæ Heydelbergensi, Scholarum & Ecclesiarum Ministris, toti denique posteritati, & sine exceptione omnibus hominibus, quemadmodum disertis verbis in Testamento hoc cautum fuit, ritè innotesceret, atq; hoc modo quisq; hinc certò, firmiter, ac solidè indubitateq; cognosceret, Pissimum Optimumq; Principem Fridericum Electorem, in nulla alia Confessione,* NEC *in ulla falsa damnataque opinione, sed in Confessione immota veritatis Catholicæ nostræ & antiquæ Christianæ fidei, ex hac calamitosa vita in æternam requiem piè, ut Christianum hominem decet, commigrasse.*

Confessio Friderici Palatini Electoris de Cœna. In quem finem Christus Cœnam instituerit.

Porrò in hac Confessione hæc de Cœna Domini, Illustrissimi Principis Friderici Electoris verba exstant: Quòd ad sacrosanctam, *inquit*, D. N. Iesu Christi Cœnam attinet, ultro & lubenter, unà cum omnibus Christianis credo & confiteor, Christum Cœnam hanc primùm instituisse, & cum discipulis suis celebrasse, ideoque eam minimè à Christianis contemnendam, sed potiùs in summo pretio & honore habendam esse. Nam hanc distributionem & fruitionem panis & vini, in hunc finem Christus instituit, ut in hac actione, sui recordatio, mortisque ejus annunciatio fiat donec veniat, hoc est, ut in hac actione, principiò Christiani commonefiant & certi reddantur, ac deinde hac ipsa quoque actione in conspectu Dei & hominum, hoc summum beneficium agnoscant & prædicent, quòd corpus Christi pro ipsis in mortem traditū, & sanguis illius pro ipsis effusus sit in remissionem peccatorum, & quòd hæc ipsa, si quidem verâ fide ea amplectantur, verè eis fiant spiritualis cibus & potus vitæ æternæ, haud aliter atque visibilis panis & vinum sunt cibus & potus temporariæ huius vitæ; quandoquidem Christo tanquam membra capiti suo, & palmites viti suæ, per Spiritum ipsius incorporantur, atque ita propter eum & per eundem, remissionem peccatorum, iustitiam, & vitam æternam consequuntur.

Credo etiam, nos hodie nullam aliam habere Cœnam, quàm eam ipsam, quam Christus in postrema sua Cœna ipse instituit, & cum discipulis suis celebravit, multóque minùs ullam aliam neque habere neque celebrare debere, nisi contumaciter & petulanter contra mandatum & institutionem Christi velimus agere.

Christus in prima Cœna nõ naturale & essentiale corpus edendum dedit.

Iam verò negari nullo modo potest, & necesse habent id fateri omnes, quotquot de industria & pertinaciter contendere volunt, Christum discipulis suis nequaquam naturale & essentiale corpus suum, quatenus id mensæ assidebat, &

non-

nondum erat crucifixum, ore corporeo edendum,& multò minùs sanguinem suum, quatenus adhuc in eius corpore continebatur, & nondum erat effusus, bibendum dedisse, aut ita edi bibique mandasse.(Quemadmodum hodie horribilem in Ecclesia Christi distractioné hinc excitari videmus, quòd quidam corpus & sanguinem Christi in Cœna naturaliter, essentialiter, ore corporeo edere ac bibere velint; & quicunque hoc credere & confiteri recusant, idque salvâ & integrâ conscientiâ credere nequeunt, ii ut Sacramentarii, sacrilegi & blasphemi proclamantur, & conviciis proscinduntur) sed multò potiùs corpus suum, quatenus postridie cruci affigendum, & sanguinem suum, quatenus postridie primùm effundendus erat, edi & bibi jussisse, id quod Christi verba satis superque declarant. Neque verò quidquam dubito, quin iam antè discipuli in urbe Capernaum, abundè edocti fuerint, quænam edendi corporis Christi, & bibendi eius sanguinis ratio esset, ita ut ne minima quidem ullius dubitationis causa ipsis esset relicta, sicut & Petrus ibidem præclaram edens confessionem loquit, Domine, ad quem abibimus? verba vitæ æternæ habes; & nos credimus & cognovimus, te esse Christum illum Filium Dei viventis.

Ex qua Petri confessione, quam non suo tantùm, verùm etiam omnium reliquorum Apostolorum nomine edidit, liquidò perspicitur, ipsum ex illa in urbe Capernaum habita concione, tantùm didicisse & percepisse, ut nullam neque ipse, neque cæteri undecim Apostoli, causam interrogandi habuerint, quidnam sibi Christus hac sua institutione voluerit.

Credentibus in Cœna verum Christi corpus datur.

Quare credo & confiteor, In sacra Christi Domini nostri Cœna, quotiescunque illa secundùm ipsius institutionem celebratur, credentibus (quibus solis Cœna hæc est instituta) non minùs, quàm discipulis in prima Cœna, verum, traditumque & crucifixum Christi corpus unà cum omnibus eius cœlestibus thesauris & donis, quæ suâ morte, suis acquisivit, ut sit famelicæ ipsorum animæ cibus, & suum sanguinem, quem in remissionem peccatorum effudit, ut sit potus, à Christo ipso porrigi & distribui.

Loci distantia non impedit quo minus fideles in Cœna verè Christi corpus edant.

Ac quemadmodum tunc distantia temporis, quod scilicet corpus suum nondum tradiderat crucifigendum, neque sanguinem suum effuderat, nihil impedivit, quò minùs discipuli, iuxta Christi mandatum, verum illius; naturale, humanum corpus, quod ex Maria semper virgine natum, & pro illis tradendum, non traditum erat, & verum eius sanguinem, qui pro illis effundendus, non effusus erat, æquè atque si iam pro illis corpus traditum & sanguis effusus esset, ederent ac biberent: ita quoque me & omnes credentes nihil impedit distantia loci, quò minùs unà cùm Apostolis juxta Domini institutionem, corpus illud Christi edamus, & sanguinem eius bibamus, etiamsi Christus illo ipso naturali suo corpore, nunc non sit ampliùs in terris, sed in cœlo ad dextram Patris sui cœlestis sedeat, unde venturus est ad iudicandum vivos & mortuos, id quod articuli fidei nostræ Christianæ docent & demonstrant.

Nihil hîc opus est quæstione hac, *An Christus illo ipso sua naturali corpore, corporaliter in terris, non minus apud nos in nostra Cœna, quàm in prima Cœna apud discipulos suos fuit, præsens esse possit?* sed sufficit, scire nos ex ejus verbo, ipsum suo illo corpore, neque visibili neque invisibili modo, in terris esse velle, & tamen nihilominus, tanquam omnipotens Dei Filius & semper & ubique suâ gratiâ & Spiritu sancto præstò est suis, in primis autem in sua sacra Cœna, ubi ipse & cibi præbitor & cibus ipse est.

Et sicut Ecclesiæ Minister sacrosancta sacramenta, sigilla & signa, sacrum scilicet panem & poculum Domini distribuit; ità Christus seipsum suis credentibus in cibum & potum non temporariæ hujus vitæ, sicut alioqui sacra illa Symbola, vinum & panis, sunt verus cibus & potus hominum; Sed multò potiùs famelicæ & sitienti, hoc est, agnitione peccatorum suorum, & sensu iræ Dei, consternatæ & perculsæ ipsorum animæ in cibum potumque & beatæ vitæ distribuit.

Quomodo Christus fideles in Cœna verè det corpus suum, cùm naturale corpus sit in cœlo.

Ac si fortè quæstio hæc incidat, *Qui potest quæso, Christus nos illo ipso suo corpore cibare & pascere, cùm ipse corpore suo sit suprà in Cœlis, nos autem hic in terris?* Respondeo cum S. Ambrosio, *Quamvis pedibus nostris hic in terris simus: capite tamen suprà in cœlis sumus:* & cum S. Paulo, *Per unum Spiritum in unum corpus baptizati sumus, omnes in unum Spiritum sumus potati.*

Non humanitatê Christi, sed hominê Christum omnipotentê & omnipræsentem esse.

In hac mea confessione refero me ad sacram ac divinam Veteris & Novi Testamenti Scripturam, & in conspectu Dei, cui nemo mentiri potest, hoc ipso liberè & rotundè profiteor; in hac me esse citra ullam dubitationem sententia, si de sacrosanctis Sacramentis aliter, atque dixi, crederem & sentirem, fore, ut quantum in me esset, Articulos antiquæ nostræ & veræ Christianæ fidei everterem, atque ita coram tribunali Christi in novissimo illo die consistere non possem.

1577. possem. Cùm enim in articulis indubitatæ fidei nostræ Christianæ confiteamur, unicam tantùm esse, æternam, omnipotentem, incomprehensibilem Divinitatem in tribus personis, quæ omnes res alias creaverit, gubernet & conservet; efficitur necessariò, non, ut quidam asserunt, humanam naturam Filii Dei, Domini nostri Jesu Christi, sed hominem Christum, iuxta divinam suam naturam, omnipotentem, ubique præsentem & efficacem esse.

Adhæc si æternus ac unigenitus Dei Filius per operationem Spiritus sancti, ex virgine assumpsit & in omnem æternitatem retinet in fundamentum & solatium nostræ salutis, veram, nostræque animæ & corpori, in omnibus naturæ proprietatibus similem naturam humanam, hinc sequitur profectò, ipsum & post & ante suam resurrectionem, in cœlos Ascensionem, & glorificationem, ad dextram sui Patris secundùm illam ipsam suam humanam naturam, esse visibilem, comprehensibilem, & uno tempore uno in loco, ubicunque ei visum est, præsentem, quemadmodum ipse de se testatur, Lucæ 24. Si item hic Iesus Christus solus est unicus noster Servator, Mediator, summus Sacerdos, Rex & Propheta, Dominus & caput suæ Ecclesiæ; certè Ecclesiæ Ministri suis manibus, neque Spiritu & sanguine Christi, sed externâ tantùm aquâ nos baptizare; neque etiam corpore & sanguine Christi, sed visibili tantùm pane & vino nos cibare & potare possunt: sui verò Spiritus corporis, & sanguinis ipse nos Christus in remissione peccatorum & vitam æternam participes facit.

Si verè Christus pro nobis passus, verè crucifixus, & mortuus est; profectò tempore passionis suæ humana eius natura non fuit divinitati eius, omnipotentiâ & gloriâ par & æqualis, nec in omnibus cœli & terræ locis, & absque infirmitate, passione, & morte.

Si mortuum eius corpus verè repositum fuit in sepulchrum, certè non iam antè in eo, nec post sepulturam, extra illud, ubique vivum fuit.

Si Christus verè, nostro bono, descendit ad inferos, profectò illo ipso tempore nondum ad dexteram Patris sui in felicitate & maiestate cœlesti consederat.

Si verè ex sepulchro à mortuis resurrexit; sequitur extra omnem controversiam, nec animam eius iam antè in corpore, nec corpus iam antè extra sepulchrum fuisse, nec postea in eodem mansisse.

Si verè sursum ascendit in cœlos, ibidemque sedet, ut verus homo ad dextram Patris sui, concluditur nimirum hinc certò, ipsum secundùm suam humanitatem, non iam antè illic fuisse, neque post ascensionem in cœlos, infrà invisibilem mansisse, aut ubique præsentem & incomprehensibilem factum esse, sed visibilem se & comprehensibilé in cœlesti domicilio exhibere in oculis sanctorum suorum Angelorum & hominum, imò non posse etiam nunc sine manifesta & horrenda idololatria, in pane Cœnæ, aut in ullo alio loco, quàm suprà in cœlis, à nobis per preces & invocationem nostram quæri, & tanquam corporaliter præsentem adorari & honorari.

Si verè deorsum ex cœlo in nubes venturus est, quemadmodum verè sursum ascendit; certè non est iam antè hîc invisibiliter infrà: neque etiam ubique seu visibiliter seu invisibiliter, se uno in loco, in nubibus, suâ humanitate erit, & se Judicem vivorum & mortuorum declarabit.

Si Spiritum suum sanctum in corda electorum suorum mittit, ut sibi Catholicam Ecclesiam ex toto genere humano ab initio mundi usque ad finem eius colligat, eamque unius ejusdemque communionis capitis sui Christi, & omnium suorum cœlestium bonorum faciat participem; certè non fit huiusmodi sanctorum communio per visibilem aliquem aut invisibilem corporis Christi in nostra corpora ingressum, sed per inhabitationem & operationem Spiritus Christi in ipso & in nobis: nos quoque, qui ad Cœnam Domini accedimus, nullam aliam communionem & inhabitationem Christi in nobis habere poterimus, quàm eam ipsam, quam omnes credentes, qui inde usque ab initio mundi sunt salvi facti, habuerunt, aut qui ad Cœnam pervenire non possunt, hodie habent, & in æternum retinent: imò etiam Christus non aliter se in sua Cœna nobis communicabit & fruendum dabit, quàm quatenus & quomodo, se etiam post usum Cœnæ, non in hac tantùm vita, verùm in futura quoque in omni æternitate in nobis vult manere & inhabitare. Certum enim est & indubitatum, ipsum nobis se fruendum dare, nequaquam ut quamprimum à nobis rursum discedat, id quod non sine summa Filii Dei contumelia, in Papatu confictum fuit, sed ut in æternum in nobis & nobiscum maneat.

Si remissionem omnium peccatorum nostrorum nobis meritus est & impetravit, per solam eámque acerbissimam passionem & mortem crucis, modò nos hanc verâ fide amplectentes tanquam satisfactionem pro peccatis nostris, nobis applicemus; necesse

necesse est, ipsum habuisse non Deificatum aliquod,& ubique præsens,sed verum, humanum,visibile,palpabile, & tunc temporis mortale corpus,nostrisque corporibus per omnia, excepto peccato, simile, alioqui per ipsum à peccatis nostris liberati non essemus, ad Hebræos secundo. Si hæc nostra caro ex morte resurrectura, & vitæ æternæ per Christum particeps futura est; certè oportet, ut caput nostrum Iesus Christus veram suam humanitatem non in divinam, spiritualem, invisibilem, ubique præsentem naturam converterit, sed similem atque adeò eandem nobiscum humanam naturam in æternum retineat, quò nos perpetuò ejus fratres,ejus membra,ei, non secus ac palmites viti, insiti, ejus caro & eius ossa esse & permanere possimus.

Denique,si communio Christi,omniumque eius bonorum & beneficiorum iustitiæ & vitæ æternæ, nobis non nisi per mortem Christi in cruce est acquisita,nec aliter nobis ea contingit, quàm per veram fidem à Spiritu sancto in cordibus nostris accensam: certum est & indubiè verum, neque sacramentorum usum, neque ullum allud seu internum seu externum opus,posse ex opere operato, Christi ipsius, & ejus beneficiorum nos reddere participes, sed sacramenta esse divina & veracia signa ac sigilla, atque ita externa quædam Spiritus sancti instrumenta, quibus fidem nostram stabilit& confirmat, & ad unicum Christi in cruce pro nobis peractum sacrificium deducit. Nulla etiam alia communio Christi nobis contingere potest,cùm verbo visibili seu promissioni Sacramentorum fidem adhibemus, quàm ea fit, prædicato & audito Evangelii verbo credimus, Ideòque licet visibilibus signis etiam impii & increduli, ad suam condemnationem, abuti possint, oportet tamen, ut invisibilia & fidei nostræ per visibiles illas res oblata & repræsentata cœlestia dona & beneficia, solis credentibus propria sint & maneant.

Atque in hac veræ fidei Christianæ confessione, & nunc, & quovis tempore, animam meam, quandocunque illa ex hoc corpore emigrabit, commendo sanctæ & individuæ Trinitati,Deo Patri,&c.

ANNUS M.D. LXXVIII.

Consensus orthodoxus S. Scripturæ & veteris Ecclesiæ de doctrina Cœna.

EDitus est hoc anno Tiguri, Consensus Orthodoxus sacræ Scripturæ & Veteris Ecclesiæ, de sententia & veritate verborum Cœnæ Dominicæ, adeòque de tota controversia Sacramentaria, in novem capita distinctus; *In quorum primo, agitur de interpretatione verborum Cœna ex Ioanne, Luca & Paulo, & qualis sit vera, non verò corporis Christi. In* secundo: *de Sacramento & re Sacramenti, qua explicatur Augustini & veterum sententia, & quomodo Cœna Dominica dicatur apud Patres Sacrificium.* In tertio,*demonstratur, quòd definitio Sacramenti ab Augustino tradita, non congruat ad corporalem præsentiam corporis Christi: & quomodo Sacramenta dicantur conferre gratiam; & quale sit inter Veteris & Novi Testamenti Sacramenta discrimen. In* quarto, *investigatur, An ex sensu verborum Cœna Domini, rectè dici possit; Panis significat corpus Christi? In* quinto, *ha quæstiones excutiuntur:Quomodo panis dicatur esse Figura corporis Christi? Quo sensu aliqui ex Patribus Figuram esse negent? Ibi etiam disputatur, de mutatione & conversione Sacramentali, quâ panis, seu ex pane dicatur fieri corpus Christi: & quâ ratione à pane Eucharistia, velut figura, veritas corporis Christi probata sit à Patribus contra hæreticos: denique de Confessione seu Palinodia Berengarii. In* sexto, *agitur de vero præsentia Christi in Cœna modo. In* septimo, *respondetur ad argumentum de corporali præsentia & manducatione, ex verbis Cœna. Agitur ibidem, de prædicatione & unione sacramentali: & de vero sacramentalis & spiritualis manducationis discrimine. In* octavo, *respondetur ad usitatum argumentum, de manducatione indignorum. In* nono *capite, discutitur quomodo indigni manducare dicantur corpus Christi, agiturque simul de duplici eius apud Patres appellatione. In his omnibus quoque capitibus, præter veram de Cœna Domini doctrina explicationem, verè etiam Sacramentarii errores ex perpetua articulorum fidei analogia, & genuino Patrum sensu excutiuntur, atque simul excogitatæ Dipnosophistarum impostura deteguntur.*

Præfixa est huic Consensui, Præfationis loco, Apologia, ad omnes Germaniæ reformatas Ecclesias,quæ sub Zuingliani & Calviniani nominis invidia, vim & iniuriam patiuntur. *Rodolpho Gualthero Tigurino auctore.*

Apologia præfixa orthodoxo consensui.

Typis quoque excusa est Tiguri, Assertio veræ & orthodoxæ doctrinæ de unitate Personæ, & distinctione duarum naturarum in Christo: Ac Refutatio dogmatis de Vbiquitate seu Omnipræsentia carnis Christi, & reali seu physica Idiomatum Communicatione, *ex Verbo Dei & Sanctorum Patrum scriptis, auctore* Benedicto Thalmanno. *Adducit autem* 101.*argumenta, quibus sana doctrina veritatem confirmat,& dogma Vbiquitarum refellit. Deinde profert* 153. *argumenta*

Thalmanni Assertio veræ doctrinæ de unitate personæ & distinctione duarum naturarum in Christo Ac Refutatio Vbiquitatis carnis Christi.

1578. *argumenta & objectiones Vbiquiſtarum contra orthodoxam ſententiam, & eas confutat: Vt in hoc libro contineantur omnia, quæcunque in hac controverſia contra Vbiquiſtas adduci, & cum iis diſputari poſſint.*

Pezelii declaratio de Cœna. Chriſtophori Pezelii *Chriſtiana & ſimplex* Declaratio *doctrinæ de ſacra Cœna D. N. Ieſu Chriſti. Neoſtadii, Germanicè.*

Hermanni Pacifici expoſitio. *Hermanni Pacifici expoſitio dilucida, qua ratione controverſia de ſacra Cœna Domini orta, facilè cognoſci & componi poſſit.*

Caſpari Francken concio de Aſcenſione Chriſti. *Caſpari Francken Ieſuita Concio de glorioſa & triumphatrice Aſcenſione Chriſti in cœlum, & Seſſione ad dexteram Dei: in qua Majeſtas & gloria humanitatis Chriſti declaratur, contra Iacobum Schmidelinum. Ingolſtadij.*

ANNVS M. D. LXXIX.

Selnecceri libelli duo. E*Diti ſunt* à Nicolao Selneccero *hoc anno libelli duo, quorum unus inſcriptus eſt,* Confutatio accuſationum, quibus Sacramenrarii Eccleſias puriores, quæ Auguſtanæ Confeſſioni ſubſcribunt, onerare ſolent: continens ſinceram doctrinam de Cœna Domini, & duabus naturis in Chriſto, &c. *Alter*: Neceſſaria & brevis Repetitio ſimplicis, veræ & perſpicuæ doctrinæ de Cœna Domini, &c. *In quo Exegeſis Sacramentaria Witebergenſium examinatur & oppugnatur. Paris quidem argumenti, ſed tamen diverſo tempore ſcripti: quorum qui poſterior eſſe debuit, &* Confutatio *appellatur, quemque hoc demum anno menſe Iunio meditatus fuit, is in fronte voluminis à Selneccero collocatus eſt: qui verò & temporis, & naturæ ipſius lege prior erat, & inſcribitur* Repetitio, &c. *poſterior tamen ab eo factus eſt. Cùm videret enim Selneccerus & ſocij: ſi Exegeſeos doctrina ſalva maneret, ſuam de Domini Cœna ſententiam incolumem eſſe non poſſe, idcirco ſummam neceſſitatem poſtulare iudicarunt, reſponſionem ad eam parare. Scripta eſt igitur à Selneccero anno* 1574. *ſed demum hoc anno in lucem emiſſa: ut illa cæteris ſociis communicata, & ab illis emendata, ab ipſo autem authore diligenter perpenſa, & dijudicata, ſolutiones, ſi quas haberent, ad omnia Exegeſeos argumenta afferrent. Duabus tamen poſtremis Exegeſeos partibus nihil quicquam reſpondet Selneccerus, ſed primam obiter tantùm attingit.*

Cancerini Defenſio Auguſtanæ Confeſſionis. Nicolaus Cancerinus *etiam ſcripſit* Defenſionem Auguſtanæ Confeſſionis, *contra Danielem Toſſanum Heydelbergenſem Theologum in alienum ſenſum eam trahere volentem. Tubingæ, Germanicè.*

Ioan. à Kitliz *Edita eſt etiam* Ioannis à Kitliz Baronis, *de vera communicatione corporis ac ſanguinis Chriſti, quâ verè credentes in Cœna myſtica fruuntur, orthodoxa & ſolida ex Verbo Dei* aſſertio.

Aſſertio de vera communicatione corporis Chriſti.

Danæi Reſponſio ad Selnecceri Repetitionem. Lambertus *quoque* Danæus *conſcripſit ac edidit in lucem hoc anno, brevem, modeſtam & neceſſariam* Reſponſionem, *ad Nicolai Selnecceri librum, qui inſcribitur,* Neceſſaria repetitio, &c. *in quo etiam* Exegeſis Saxonica *oppugnatur. Et quoniam quæ in* Exegeſi *præcedunt Selnecceri refutationem, omſit Selneccerus, Danæus breviter ea commemorat. Verùm enim Cœna Dominica formam ordine explicaturi Witebergenſes Theologi, duo, quæ ad futuram diſputationem lucem magnam attulerunt, fueruntque huius argumenti præcipua & neceſſaria fundamenta, primùm omnium propoſuerunt: Nimirum,* qualis ſit perſona Chriſti ſibi Eccleſiam, per Sacramenta, velut inſtrumenta colligentis: & qualis ſit iſtorum Sacramentorum, *id eſt, inſtrumentorum natura. Hæc alto ſilentio prætertit in ſua Refutatione Selneccerus, & minimam tantùm quandam Exegeſeos, & uberrimi, locupletiſſimique ſcripti ejus partem, quæ velut per digreſſionem quandam addita fuerat, attigit: ſeu quòd ſolidè illius Exegeſeos argumenta confutare, quicquid tandem per totum quadriennium animo voluiſſet, non potuit: ſeu quòd in novo doctrina Corpore meditando occuparetur. Sed quod à Selneccero, vel de induſtria, vel negligenter omiſſum fuit, id ei Danæus breviter ab initio ſecunda partis ſuæ reſponſionis ſuggerit: deinde ad Selnecceri Confutationem Exegeſeos reſpondet.*

Scarga Ieſuitæ lib. 3. contra Zuinglianos. *Sunt etiam editi* à Petro Scarga *Ieſuita Vilnenſi libri* 3. pro ſacratiſſimo Euchariſtiæ Sacramento *contra Zuinglianos*, ad Andræam Volanum, *præſentiam corporis Chriſti realem in eodem Sacramento negantem. Vilnæ.*

Thalmanni Tractatus de vera participatione corporis Chriſti contra Synuſiaſtas. *Miſſus quoque fuit Tigurum & ibidem excuſus* Benedicti Thalmanni *eruditus* Tractatus, in quo ſana doctrina de vera participatione corporis & ſanguinis Chriſti in ſacra Cœna, ex Verbo Dei ſolidè confirmatur, & contraria Synuſiaſtarum ſeu Conſubſtantiatorum opinio de corporali præſentia & orali manducatione perſpicuè refellitur. *Totius autem tractationis hujus capita ſunt hæc.* 1. *De locutionibus Sacramentalibus.* 2. *Pani & vino tribui à Veteribus corporis & ſanguinis Chriſti nomina, ſine ulla conſubſtantiationis imaginatione.* 3. *Quare Veteres panem nominent corpus Chriſti, & vinum ejus ſanguinem.* 4. *Sanctorum Patrum hyperbolas in hoc argumento uſurpatas non patrocinari Conſubſtantiatoribus.* 5. *Vocabula Figuræ, Signi, Symboli, Sacramenti, Myſterii, Similitudinis, Typi, Antitypi, Repræſentationis & ſimilium, à Patri-*

1579.

à Patribus crebrò usurpari. 6. Signi, Figuræ, Symboli, Typi, &c. nomina citra ullam συνουσίας imaginationem usurpari à Veteribus. 7. Sacram Cœnam non esse miraculosam, propriè loquendo. 8. Veteres Doctores Ecclesiæ sacram Cœnam admirari, potentiam Dei in consecratione symbolorum celebrare, postulare fidem, prohibere dici, Quomodo? citra ullam vel συνουσίας, vel μετουσίας opinionem: ubi sub finem aliquot perspicua ipsorum sententiæ de mutatione & unione Sacramentali recitantur. 9. Duplicem duntaxat esse corporis Christi manducationem. 10. Refutatio figmenti, de triplici manducatione in sacra Cœna. 11. Particulis IN *&* SUB, *item Continendi verbo & similibus, quibus Antiquitas utitur, Consubstantiationem corporalem non declarari. 12. Aliquot argumenta contra corporalem præsentiam veri corporis in pane & oralem ejus manducationem. 13. Objectiones aliquot, pro corporali præsentia & manducatione, unà cum solutionibus. 14. Corpus Christi ab impiis propriè & realiter non manducari. 15. Argumenta orthodoxæ Antiquitatis, à sacramento Cœnæ sumpta, & opposita hæreticis, non tantùm non confirmare, sed etiam evertere Consubstantiationis doctrinam. 16. Doctrinam sanctorum Patrum de naturali participatione & unione corporali Christi, & fidelium, non suffragari Consubstantiatoribus. 17. Dogma de corporali præsentia, & orali manducatione ex diametro pugnare cum sententia Antiquitatis, & de articulo Ascensionis in cœlum. 18. Aliquot Veterum sententiæ, quibus ostenditur eorum doctrinam de articulo Ascensionis rectè opponi συνουσίας commento. 19. Sententiæ aliquot sanctorum Patrum negativæ, quibus ostenditur, Christi corpus neque substantialiter in pane contineri, nec orali manducatione intra corpus realiter trajici. 20. Aliquot Veterum sententiæ, de Spirituali manducatione.*

Ambrosii Wolfii libri de Augustana Confessione & Concordia Witebergensi.

In lucem quoque edidit Ambrosius Wolfius *hoc anno librum*, De Augustana Confessione, quo sensu iam pridem à Sociis ejus intellecta, accepta & approbata fuerit. *Alium item*, De Concordia Lutheri cum Bucero & Helveticis Ecclesiis. *Quum enim in hoc controverso Dominicæ Cœnæ negotio veritas ipsius, non ex verbis sacræ Scripturæ, perpetuaque fidei analogia, & Orthodoxæ Ecclesiæ consensu, ut fieri æquum esset, sed ex certis & conceptis verbis Augustanæ Confessionis petatur: & plerisque præposterâ valde ratione persuasum sit, verba Dominicæ Cœnæ ex verbis & explicatione Augustanæ Confessionis omnino intelligenda & explicanda esse, indeque periculosa passim apud multos præjudicia existant, qui omnes alios à se dissentientes sub hoc prætextu à Societate Augustanæ Confessionis excludere, iisque, quantum in ipsis est, aquâ & igne interdicere conentur: ut etiam hac in parte multis satisfiat, Wolfius de Confessionis illius sententia, in qua primùm conscripta, & quam deinde ex Witebergensis Concordiæ tractatu consequuta fuit, accuratam disquisitionem in his duobus libellis instituit.*

Ac primò docet, Germaniæ superioris civitatibus & Ecclesiis Reformatis à Protestantibus Principibus, confessionem suam, Anno 30. Augustæ exhibitam, salvam & integram relictam, & tamen in consortium Augustanæ confessionis, & fœderis Sninfurti A. 32. receptas fuisse, non obstante, quòd Lutherus eas hoc adhuc tempore pro suis adversariis haberet. *Secundò*, easdem Ecclesias in VVitebergensis concordiæ tractatione, suam edidisse confessionem, de Articulo Cœnæ Dominicæ, & clarè exposuisse, ut de eo hactenus docuerint, & adhuc doceant: ut hac ratione Luthero omnem dubitationem, de nudis, vacuis, & inanibus signis eximerent. *Tertiò*, dictis Ecclesiis tunc nullam novam confessionem, & doctrinam obtrusam fuisse, quam à Luthero tum primùm discere, suam verò abjicere, & ejurare debuerint: sed priorem suam doctrinam retinuisse eas, de vera præsentia, & participatione Corporis Christi in Cœna, in vero usu eius: nec approbâsse, ullam vel corporalem existentiam, & præsentiam corporis Christi in pane, hoc enim tanquam localem inclusionem, neque etiam hoc in mandatis à suo Magistratu habuisse. *Quartò*, Augustanæ, & Argentinensis Ecclesiæ Ministros, Concordiæ formulam à suis Legatis, ad hoc negotium destinatis, hac expressa conditione recepisse, & approbâsse, si suæ confessioni & propositionibus, priore Anno Augustæ editis, non adversaretur; atque hoc etiam Luthero apertissimè significâsse. *Quintò*, Bucerum & Capitonem, promovendo concordiæ gratiâ, Lutheri iussu, Helveticis Ecclesiis receptos, & approbatos concordię articulos explicasse & declarâsse, quam declarationem Helvetii mox Luthero miserint, eique significârint, si hic Lutheri articulorum istorum sensus sit, se eos quoque approbare, adeóque factam esse concordiam. *Sextò*, Lutherum hanc declarationem Buceri ne uno quidem verbo improbâsse, & reprehendisse; sed potiùs ejus fidelitatem in transigenda hac causa vehementer commendâsse: Imò Deum in animam suam testem appellâsse, se ad hanc cōcordiam conservandam omnem offensionem ex animo depositurum, & Helvetios in posterum ex intimo corde verâ, & sincera dilectione prosequuturum esse. *Septimò,*

1579. *mò*, Philippo Melanchthoni à Luthero negotium datum fuisse Concordiæ articulos conscipiendi, qui etiam, unà cum Casparo Crucigero, nunquam adduci potuerit, ut aliquid contra initam concordiam ageret, sed illam constantissimè usque ad vitæ suæ finem, servâsse. *Octavò*, Bucerum mox à publicatione Concordiæ, omnes & singulos ejus articulos, editis aliquot scriptis luculenter declarâsse, & superioris Germaniæ Civitates, & Ecclesias diligenter excusâsse, contra malevolorum quorundam calumnias, quòd à priore sua confessione defecerint. Atque hæc omnia Lutherum legisse nec reprehendisse. *Nonò*, has, unà cum Rhenanis Ecclesiis, post factam, & declaratam suam confessionem de Cœna Domini in Witebergensis Concordiæ formula, pro sociis Augustanæ confessionis semper agnitas, & habitas fuisse. *Decimò*, colligit ex his omnibus, hodie quoque easdem Ecclesias à societate Augustanæ Confessionis, & pace Religionis, nec posse, nec debere excludi.

Hic fuit status causæ, & scopus Ambrosii Wolfii in hac historia Augustana Confessionis, quam quum refutare tentaret paulò post Selneccerus, statum hunc malitiosè, & sciens contra conscientiam pervertit, & corrupit: quasi videlicet in conscribenda historia illa Ambrosii Wolfii, scopus & intentio fuerit probare, quòd inde ab initio eliminati Papismi omnes Evangelici Electores, Principes, atque Ordines Augustanam Confessionem amplectentes, cum omnibus suis Ecclesiis, & Scholis Zuingliano, & Calviniano dogmati addicti fuerint: *Hæc enim Selnecceri verba sunt in sua præfatione, quam historia sua de Augustana Confessione præfixit.*

Ambrosius Wolfius contra 4 fundamenta Lutheranæ Vbiquisticæ doctrina.

Contra Vbiquitatis etiam novum & toti Antiquitati incognitum dogma, idem Ambrosius Wolfius anno hoc eruditum librum edidit, cujus titulus est, Fundamenta Lutheranæ doctrinæ, de Vbiquitate, atque adeò de corporali præsentia corporis Christi in Eucharistia; ad orthodoxæ fidei normam expensa, & sub veritatis censuram revocata, ex orthodoxo consensu, contra librum Concordiæ & Bergenses Patres.

Fundamenta Lutherana doctrina qua.

Sunt autem, ut suprà quoque indicavimus, Fundamenta illa Lutheranorum Vbiquitatis potissimùm quatuor; qua Lutherus ipse statim ab initio Confessionis maioris posuit, & authores libri Concordiæ *diligenter inculcarunt. Primum est*, Articulus fidei, de indiuisa personæ Dei & Hominis veritate. *Vnde sic argumentabatur Lutherus*, Christus est verus, naturalis & perfectus Deus & homo, in inseparabili personæ unitate. Ergo corpus Christi realiter, & corporali præsentia est & existit in pane Cœnæ Dominicæ. *Secundum est*, Quòd Dextera Dei sit ubique. *Hujus fundamenti rationem hac formâ ex Luthero contra Heydelbergenses Schmidlinus recenset.*

Dextera Dei est ubique: ideoque etiam in pane Eucharistiæ.

At Christus secundùm humanitatem sedet ad Dexteram Dei.

Ergo secundùm modum sessionis ad Dexteram præsens est humanitate sua in pane Eucharistiæ.

Tertium est, Verbum Dei verum, non mendacium esse. *Hinc Lutherus sic inferebat.*

Christus dixit, Accipite, manducate, Hoc est corpus meum.

Ergo corpus Christi realiter præsens adest, & ore corporaliter manducatur in pane.

Quartum, Deum plures modos scire & habere alicubi in aliquo loco essendi, non tantùm localem. *Ad hac inquam quatuor fundamenta Ambrosius Wolfius in hoc libro eruditè ac solidè respondet, eaque convellit funditus.*

Cùm enim Flacciani & Vbiquista passim in omnibus controversiis solius Martini Lutheri *(viri alioquin in Ecclesia præstantissimi, sed tamen hominis) authoritate, quasi quodam Gorgonis capite pugnent, formidabilesq; se faciat, & adversarios suos in muta saxa convertere studeant, eaque res, in causa etiam aliàs iusta & bona, periculosissimi & perniciosissimi in Ecclesia exempli semper fuerit; opera pretium se facturum arbitratus est Wolfius, de Lutherana doctrina his fundamentis quatuor, in stabilienda Vbiquitate, & corporali præsentia corporis Christi in pane, perspicuam explicationem & censuram instituere: ut quibus veritas, pax & salus Ecclesiarum cura est, hinc probè intelligant, & attentè considerent, quàm grave per se pondus habitura essent inter verè doctos & piè sententes ista Lutheri fundamenta, nisi authoritate nominis sui essent munita, & hoc solo prætextu, ad oppugnandam per ea veteris & orthodoxa Ecclesia de mysteriis sententiam, & terrorem imperitis incutiendum, à nonnullis fidei dominatoribus proponerentur.*

ANNVS M. D. LXXX.

Nicolaus Rhodingus moritur. Rhodingus neq; Calvinistas damnare, nec Vbiquitatem probare unquam voluit.

Obiit die 23. Septem. huius anni Clarissimus & doctissimus vir D. Nicolaus Rhodingus *Marpurgensis Ecclesia Pastor, eiusdemque Academia Professor Theologia. Is, ut nunquam in tota vita eò adduci potuit, ut eorum, qui sub Zuingliani & Calviniani nominis*

nominis odio & invidiâ, vim atque injuriam hodie patiuntur, condemnationem institueret (imò quando hoc ipsum ab aliis fiebat, ipsi displicuit, idq́ue non obscurè significavit) neq́ue etiam eò impelli, ut Vbiquitatem carnis Christi apertè approbaret & proponeret (quibus de causis adversæ parti semper suspectus & invisus fuit, Calviniana, quam odiosè appellitant, doctrinæ nomine:) Præterea ut puriores nostræ ætatis Theologi plurimi & Rhodingus mutuam inter sese notitiam, veramq́ue amicitiam contractam, mutuis etiam utrinque scriptis sive literis studiosè semper foverunt: Vt ille eorum librorum, qui ab his ipsis scripti & in lucem editi sunt, lectione in primis tantopere delectatus est, ut & aliquot eorundem scriptionis & editionis suasor & auctor fuerit: Sic tandem novum illud & falsum Vbiquitatis dogma, quæq; illi affinia sunt, magis magisque rejicere cæpit, idque publicè & privatim testatus est. Itaque cùm anno Christi 78. Hunius & quidam alii in superiore Hassiæ Principatu de duarum naturarum in Christo unione, de cõmunicatione Idiomatum, de omnipræsentia Christi, in Synodo Marpurgi Confessionem suam edidissent, quæ postea Neostadii Palatinorum, cum censura & refutatione virorum quorundam doctorum, ad Rhodingum scripta, anno 80. excusa est, & quædam in illa bene & rectè dicta essent, quædam etiam utcunque tolerabilia, id est, rectè exponi ac proinde concedi potuissent, imprimis hæc quæ sequuntur: Quod ad omnipræsentiam Christi personalem attinet, breviter quidem, sed perspicuè hæc nostra est ex Verbo Dei sententia: Quòd assumpta natura ratione essentiæ suæ semper finita maneat, suam habens quantitatem finitam, non minùs quàm aliorum sanctorum corpora: illam ipsam tamen naturam finitam ineffabili mysterio, in infinitam personam τοῦ λόγου assumptam esse asserimus: quam unionem locorum intervallis dissolui, aut naturas per & propter locorum spatia ab invicem dirimi, non modò absurdum, sed & impium esset affirmare. Ex quibus indubitatò sequitur, quòd λόγος, quem totum incarnatum credimus, ab humanitate finitâ manente, nunquam & nusquam separetur: sed ubicunque sit λόγος, ibi naturam assumptam, non quidem naturaliter aut localiter, aut ullo alio terreno modo, sibi extra & supra omnia loca unitam ac proinde præsentem habeat: *tamen quia sciebat, à Schmidlino Vbiquitatis apostolo, & Hunio iurato eius discipulo hæc esse profecta, & anguem in herba latere, id est, aliter nempe perperam & falsò exponi posse, ad Vbiquitatis scilicet carnis Christi dogma stabiliendum, ille nomen suum simpliciter subscribere noluit, sed hoc modo subscripsit, & his verbis*: Ego Nicolaus Rhodingus testor, sicut antea testatus sum, me non recessurum ab usitatis phrasibus, & vitaturum inusitatas & novas: loquar cum Augustino, sicut habet in epist. 57. ad Dardanum, & cum Cyrillo, nec ullam occasionem turbis dabo. *August. illa verba paulo post sequentur: Cyrilli vero hæc sunt super Ioan. lib. 6. c. 14.* Etsi Christus corporis sui præsentiam hinc subduxerit, majestate tamen divinitatis semper adest, sicut ipse discipulis suis abiturus pollicetur: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi. *Item lib. 9. c. 21.* Credere oportet fideles, quamvis Christus suo corpore à nobis absit: virtute tamen suâ, omnia & nos gubernari, adesseque semper ipsum omnibus, qui eum diligunt: propterea dicebat; Mat. 18. Amen Amen dico vobis: ubi duo aut tres congregati sunt in nomine meo, ibi sum in medio eorum. *Sic anno 79. Febr. quum quæreretur ex Rhodingo per literas à Pãtaleone Candido, Superintendente & Pastore Bipontino, quid* de libro, ut vocant, Concordiæ, *& de toto isto negotio & controversia, quippe quæ Principi ejus multùm negotii facesseret, sentiret & iudicaret, inter alia hæc rescripsit*: Plerique verbi Ministri apud nos, sine omni tergiversatione, suâ subscriptione librum illum approbarunt: reliqui cum conditione: nam dogma illud de corporis Christi Vbiquitate probare noluerunt. In horum numero me quoque esse, non dissimulo. Cur verò ab illis dissentiam, qui Vbiquitatem corporis Christi statuunt: paucis exponam, quia id à me requiris; Principio, de Christi corpore (quoad ejus essentiam & substantiam) nihil aliud sentire possum, quàm quod de hominis corpore sentiri debet: nisi veritatem corporis ipsius in dubium vocare velimus: Christus ante & post glorificationem, non verbis modò corporis sui veritatem asseruit, sed sensibus quoque videndam palpandamque proposuit. Christi ergo corpus visibile, palpabile, & per consequens finitum: Christus quoad humanam naturam non est ampliùs in mundo, quia ad Patrem iuit, & mundum reliquit: Quum de Lazaro dixisset Christus Ioan. 11. *Lazarus mortuus est*: adiunxit dicens: *& gaudeo propter vos, ut credatis, quoniam non eram ibi.* Augustinus in Epist. 57. ad Dardanum Tomo 2. clarè asserit, *Christum suâ humanitate nunc esse in cælis, atque inde ad iudicium venturum*, & hanc confessionem Christianam vocat: Quoniam, *inquit*, resurrexit à mortuis, ascendit in cœlos, sedet ad dexteram Patris, nec aliunde quàm inde venturus, ad vivos & mortuos iudicandos: & mox subiungit: *Non est consequens, ut*

1580.

Rhodingi iudicium de libro Concordiæ.

Rhodingus cur Vbiquitatem corporis Christi probare noluerit.

1580. *quod in Deo est, ita sit ubique ut Deus, &c. Et paulò pòst pergit ita Rhodingus in eadem Epistola.* Deinde si essentiales proprietates divinæ naturæ, communicantur humanæ, aut humanitas sit ubique, sicut divinitas, ut Jacobus Andreæ habet Thesi 34. in disput. quæ edita est anno 64. Tubingæ, necessariò sequitur exæquatio vel confusio naturarum, atque ita erit abolita humana natura. Rectè quidem dicimus, Deus est homo: & homo est Deus: Sed in abstracto minimè licet dicere, Deitas est humanitas, vel humanitas est Deitas: caro, caro est & non Deitas, licèt Dei facta sit caro. Urgent illi quidem argumentum à personali unione: verùm quemadmodum unio illa non potest efficere, ut Deitas sit humanitas & contrà: ita etiam efficere non potest, ut quæ sunt propria Deitatis essentialia, communicentur humanitati realiter, &c.

Rhodingus scribit Gualthero de Concordiæ libro.

Denique eo ipso mense, quo mortuus Rhodingus, perpaucis diebus antè (nondum tamen ægrotatione illâ correptus, ex qua non longè pòst diem suum obiit) Tigurum Helvetiorum ad Reverendum virum pietate atque eruditione clariss. D. Rodolphum Gualtherum, Ecclesiæ ibidem tum temporis Antistitem vigilantiss. amicum veterem scripsit his verbis: Salutem in Christo. Reverende vir, frater in Christo observande: superioribus nundinis literæ tuæ mihi redditæ sunt, quæ multis modis mihi aliisque quibus illas communicare soleo, fuerunt gratissimæ, ut omnia, quæ à te proficiscuntur. Placuit mihi inprimis solida tua confutatio argumentorum, quibus adversarii ad stabiliendum suum dogma hodie uti solent. Illi verò omnia argumenta firma suo more eludunt, & ad hypostaticam unionem sese convertunt, quam omnibus argumentis, quamvis firmissimis opponere consueverunt. *Novus Concordiæ liber*, quem tu rectè Pandoram vocare soles, excusus est in Misnia & superiore mense Majo venalis aliquandiu fuit: Venditio verò mox inhibita, quia Præfatio Principum desiderabatur. Vidi nuper Cassellis exemplar, ad Principem Guilhelmum missum. In fine adjectus est infinitus numerus eorum qui subscripserunt, Displicet sanè multis piis & doctis viris quòd tanta res à tam paucis hominibus suscepta & acta sit, quæ in communi aliqua & frequenti piorum & eruditorum Synodo deliberari & tractari debuit: sicut in Veteri Ecclesia factum est. Non parum etiam fabricatores istos perturbat, quòd multi doctorum virorum libri contra illum eduntur & passim circumferuntur. Metuunt siquidem ne doctorum & gravium Theologorum judicia non spernenda, authoritatem atque omnem fidem novo libro detrahant. Rumor huc perlatus, D. Bezam, Lambertum Danæum, te atque alios adornare & conscribere librum, qui novo isti fœtui opponatur, & maculas atque errores demonstret & ob oculos ponat. Placet mihi multisque aliis epistola Ministrorum, qui Verbum Dei in reformatis in Belgio Ecclesiis docent, & proculdubio persecutionem propter doctrinam veram sustinent. Doctor Christophorus Pezellus & Widebramus, qui Witebergâ pulsi sunt, mense Majo vocati sunt Bremam, ad componendum dissidium inter Verbi Ministros ortum, Pezelium ad se vocavit Dux Casimirus: sed relicto Ministerio, quo hactenus in vicino Comitatu Nassoviensi functus est, ad Bremenses se confert, quibus operam suam in Ecclesiastico munere addixit, & fidem suam obstrinxit. Hoc Patres Bergenses molestè admodum ferunt. Admonitio tua fraterna animum mihi addit, meque confortat, ut de gratia apud Principem retinenda minimè sim solicitus: veritas omnibus rebus anteferenda: ab hac me abstrahi nullo modo permittam, & Dominum indies oro, ut me in via veritatis dirigat & conservet. Bene in Christo vale, frater in Christo observande. *Marpurg. 6. Septembr. Anno* 80. *Eodem die ad Burchkhardum Lemannum, Ministrum ejusdem Ecclesiæ Tigurinæ scripsit inter alia & hæc:* Dominus Gualtherus misit ad me consensum orthodoxum sacræ Scripturæ & veteris Ecclesiæ, de sententia & veritate verborum Cœnæ Dominicæ: qui proculdubio multos movebit, ut de vobis rectiùs & meliùs iudicent. Quicunque sanè legent, condemnationi vos non subjicient, ut hodie nonnulli solent, qui scripta vestrorum vix inspicere volunt, tantum abest ut legere cupiant. Vtinam Apologia vestra (libro isti præfixa) ab omnibus istis legatur, qui hodie calamum contra vos stringunt. *&c.*

Casparus Crueiger à Landgravio Cassellas vocatur.

Caspar Crueiger *quoque S. Theologiæ Doctor, qui hactenus in exilio vixit & latuit, hoc anno ab Illustrissimo Landgravio* Wilhelmo *vocatus, huic operam suam condixit; & vigesimo die Octobris cum familia & suppellectile universa Servesto, Anhaldini Ducatus oppido, discessit, ac Cassellas sese contulit. Anhaldinus Princeps, & Senatus Servestanus multique privati viri boni passim viatico liberali ipsum instruxerunt, omnibusque humanitatis officiis prosecuti sunt. Inprimis hic Doctor Schmidlino invisus fuit, propter actiones quasdam superiorum annorum, in quibus conatibus eius impiis,*

quos

quos nunc tandem in actum perduxit, unus præ aliis restitisse credebatur. Eo verò submoto, D. Amlingum primarium Principis Anhaldini Theologum, omnibus machinationibus fraudulentis & violentis oppugnandum evertendumque penitus sibi proposuerat Wlcanus, conductis clàm emissariis, vilissimis hominibus, qui in eius actiones omnes inquirerent. At licèt vir ille doctissimus & optimus nihil loquutus sit, cujus non voluerit ac potuerit, ubi & quandocunque postulatum esset, rationes reddere: tamen ex rumusculis, & falsis levissimorum hominum delationibus, captavit impudentissimas calumnias, & portentosa mendacia, quibus in suo theatro optimum virum traduxit, vehementerque multorum odiis oneravit.

Amlingus Schmidlino sudes in oculis fuit.

Editi sunt autem sequentes libri hoc anno 1580. Consolatio eorum qui ob sanam doctrinam de Sacramentis, & præsertim de sacra Dœna Domini hinc inde persecutionem patiuntur: unà cum fundamentis doctrinæ puræ, & num ob eam meritò quis damnandus sit. *Neastadii, Germanicè. Respondit ad hunc libellum* Lucas Hosiander *&* Nicolaus Cancerinus: *sed mox eorum calumniis oppositum fuit aliud scriptum, & excusum Neostadii hoc ipso anno, Germanicè.*

Consolatio eorum qui ob veram doctrinam de Cœna persequutionem patiuntur. Lucas Hosiander & Nicolaus Cancerinus.

Ioannes Marbachius *edidit librum contra Danielem Tossanum, in quo pag.* 104. 105. *inter alia hæc scribit.* Nos Lutherani credimus, quòd Christus, postquam humanitate suâ in cœlum ascendit, & ad dextram Patris sedit, non tantùm cum pane & vino sed etiam in Inferno, & unoquoque cantharo cervisiario personaliter præsens sit, & sic cœlum & terram, quæque in eis continentur, regat & sustentet. *Et alibi in hoc ipso libro docet,* in illo cœlo, in quod ascendit Christus, etiam Diabolos esse.

Marbachius contra Tossanum. NB.

Ioachimus Giftheil edidit *Cōmonefactionē in materiam de Cœna Domini, Argentorati.*

Giftheilij commonefactio.

Scripta est etiam & typis excusa Admonitio de Theodori Beza adversus Ioannem Pappum, libello; à Wilhelmo Holdero *Ecclesiæ Studgardianæ Ministro.*

Holderi admonitio.

Heshusii *Concio Germanica de personali & in æternum inseparabili unione duarum naturarum in Christo. Islebii.*

Heshusii concio.

Ioannis Magiri *Refutatio historiæ Augustanæ Confessionis ab Ambrosio* Wolphio *conscripta & edita. Tubingæ, Germanicè.*

Magirus contra Ambrosium Wolfium.

Prodiit quoque in lucem hoc ipso tempore Nicolai Selnecceri *epistola, in qua respondet Lamberti Danai defensiani ad suam in Exegesin Saxonicam Repetitionem: ita tamen, ut de re quidem ipsa, quanquam omnium maxima, & præcipuo fidei nostræ fundamento nihil agat, quemadmodum ipsemet ingenuè fatetur: pro se ipso autem & sui nominis existimatione vehementer pugnat.*

Selnecceri epistola ad Danaum.

1580.

Danielis Tossani Defensio *sanæ doctrinæ de Cœna Domini contra Ioannem Marbachium. Neostadii, Germanicè.*

Tossani defensio contra Marbachium.

Amici quidam Theodori Bezæ *anno* 74. *nomine ejus, de industria, Hebraicâ forma in* Nathanaelem Nefekium *demutato, exceptas à quibusdam auditorum ejus Homilias duas ediderant, quas in Schola paulò ante sacram synaxim 7. & 9. April. habuerat, ut doctrinam tum de hypostatica unione, tum de sacramentali corporis & sanguinis Christi præsentia, quæ perpetuò in Helveticis & Gallicis, aliisque plurimis Ecclesiis sonuit, adversus contrarias sententias tueretur. Eas verò longo pòst tempore* Joannes Pappus *Argentinensis refutavit. Quamvis Holderus dicat contra Bezam pag. 69. hoc à studioso quodam factum, qui Genevæ has homilias ex ore Bezæ audierit. Beza igitur, veritate sic postulante, opposita responsione, singula eius argumenta diligenter ac eruditè discussit, in libello cui titulum præfixit,* De hypostatica duarum in Christo naturarum unione, & eius effectis placida & Christiana cum Ioanne Pappo Argentinensis Ecclesiæ doctore, Theodori Bezæ, Genevensis Ecclesiæ Ministri, Disceptatio.

Beza contra Pappum pro defensione homiliarum 2 de Cœna.

Scripsit etiam Beza Responsionem *de Cœna Domini adversus Iodoci Harchii dogmata.*

Bezæ responsio contra Harchium.

Lucas Hosiander *paulò antè evulgarat libellum, qui inscribitur:* Pia & fidelis ad Gallicas & Belgicas Ecclesias admonitio; & salutaris præcautio ad easdem Gallicas & Belgicas. *In hoc scripto vult ostendere, omnes harum Ecclesiarum Pastores errare gravissimè, quòd negent, in sacra Domini Cœna ipsam Christi carnem, In, Sub & Cum signis ipsis, id est, cum Pane & Vino esse præsentem, & ore corporis manducari: quòd mulieribus, si ita summa necessitas postulet, & nullus vir tunc adsit, non permittant, ut Christianorum infantes baptizent: quòd veram doctrinam decreti Dei de electione & reprobatione hominum non perspicuè tradant: quòd passi sint in civilibus Gallicis bellis idola invito eo Magistratu, qui Pontificiam religionem adhuc sectetur, in quibusdam locis à suis amoveri & violenter deiici. Hortatur igitur eos ut sibi à talibus Pastoribus eorumque doctrina caveant. Opposuit verò insidioso huic scripto* Lambertus Danæus necessariam & gravem Responsionem.

Hosiandri admonitio ad Gallicas Ecclesias. Capita accusationis Hosiandri.

Danæus Hosiandro respondet.

ANNUS M. D. LXXXI.

PEtri Watenburgij ab Altenkirchen Responsio, *ad novum scriptum Hermanni Hamelmanni, quo conatur probare, cum iis,*

Watenburgij responsum ad Hamelmannum.

1581.

quos ipsi placet Calvinistas & Sacramentarios appellare, non esse posthac publico colloquio agendum.

Warenburgii a-
tia responsio ad Ha-
melman.

Ejusdem Warenburgii Responsio, *ad scriptum aliud* Herm. Hamelmanni, *qua hic probare conatur, Ambrosium* Wolphium *& alios Sacramentarios falsò pro se allegare B. Theodoreti testimonia. Item, ad* Judicium *ab eodem* Hamelmanno *editum de libro Consensus Orthodoxi in causa Eucharistica.*

Lagus contra Selneccerum.

Scripsit & Iosua Lagus *Pomeranus Responsionem brevem ad* Nicolai Selnecceri *vanissimum quendam librum ante semestre editum.*

Bremensium Apologia.

Bremenses *quoque* Theologi *ediderunt* Apologiam, *in qua ad sibi intentata crimina ac hæreses ab Vbiquistis inferioris Saxoniæ, respondent, eaque à se fortiter depellunt.*

Synodus Ephesina

Synodus Ephesina: *qualis sit vera carnis Christi ut Verbi propria, in mysterio manducatio, deque ipsius vivificatione, ex Cyrillo & Orthodoxo Consensu.*

Beza contra Vbiquitatem ad Holderi & Schmidlini convitia.

Theodori Bezæ Responsio *pro corporis Christi veritate, adversus Vbiquitatis commentum, & Guilelmi Holderi convitia. Addita est* Responsio altera, *ad putidas quasdam à Iacobo Andrea partim recenter confictas, partim aliunde repetitas calumnias, eodem authore.*

Anhaltinorum Examen Præfationis libri Concordiæ, &c.

Anhaltinorum *Theologorum* Examen Præfationis libri Concordiæ, *ac* Refutatio *einsdem* Examinis *ab* Electoralibus Theologis *conscripta: unà cum* Apologia Anhaltinorum Refutationis illius. *Neostadii, Germanicè.*

Schonhovii Responsio ad Selneccerum pro Danæo & Lago.

Paulus Schonhovius *etiam conscripsit ac edidit brevem Responsionem ad Selnecceri libellum non ita pridem contra Danæum & Iosuam Lagum editum.*

Granmundus colligit Lutheri veram doctrinam ex scriptis eius de persona Christi, Ascensione & Sessione ad dexteram. Vera doctrina de Incarnatione. Contra Vbiquitatem.

Christophorus Granmundus *quoque in unum libellum collegit & publicavit D. Martini Lutheri doctrinam & sententiam, De persona Christi, de eiusdem Ascensione in cœlum, & Sessione ad Dexteram Dei. In hunc autem usum conscripsit & edidit hunc librum, ut ex eo intelligatur, Schmidlinum, ejusq; socios, suâ novâ doctrinâ de his articulis, neq; cum veteri priori Ecclesia, neque cum Luthero ipso consentire. Adjecta est in fine brevis & solida doctrina* de Incarnatione Christi, *& quomodo de hoc mysterio sit loquendum. Item,* Appendix, *in qua sex argumentis Vbiquitatis dogma oppugnatur, & quæ afferuntur in contrariam partem solidè confutantur.*

Hoc anno Clarissimus Theologus Lambertus Danæus *in urbe quadam clarissima ad Rhenum sita ab Vbiquistis inhumanissimè exceptus & tractatus fuit. Adscribam bonâ fide integram historiam iisdem ferè verbis, quibus ab ipso Danæo narratur in* Apologia *adversus* Iacobi Andreæ Admonitionem ad Ioannem Sturmium. *Quum Danæus Genevâ in Hollandiam ad professionem Theologicam hoc ipso 1581. anno vocatus proficisceretur, & secum haberet omnem suam familiam, uxorem & tres liberos tenellos, puellos, (quorum maior natu ne septimum quidem ætatis annum adhuc attigerat) hanc civitatem (quæ semper antea liberalissima & humanissima credita fuit) accessit, quoniam sic ferebat ratio itineris, eique secunda Rheno naviganti erat omnino illac transeundum. Venit autem eò mediâ hyeme, cælo valde pluvio, & sub ipsum Solis occasum, unà cum liberis, comitibus & sarcinis, ut in tam longa itinere ferè fit. Sed iam maturè ab Vbiquitariis Theologis adversus Danæum provisa fuerant omnia. Nam adventus ejus rumor ab amicis fuerat ante triduum sparsus, quorum nemo erat, qui de ullius Theologi tanta barbarie vel cogitaret quidem. Ergo primùm omnium hospitium illud publicum, in quod quicunque ex Helvetia eò adventant sese recipere solent, diverenti ei præter spem omnium occluditur, ac præter omnium hospitiorum legem ac morem, etiam in mediis ipsis Afris ac Barbaris, oblatâ licèt pecuniâ denegatur. Vxorem & tenellos illos liberos frigore & pluvia diffluentes, ac penè enecatos ostendit: sed erant cæci oculi & surdæ aures: sanè triste spectaculum, imò lugubre ista spectantibus. Erat enim iam nomen eius ab excubiis, qui in porta civitatis sedent, exceptum; nec modò ad Consulem, sed etiam ad Vbiquistas Theologos & Pastores delatum, qui optimum virum excludebant. Itaque ille non accusavit hospitem, qui id faciebat invitus, sed Vbiquistas Theologos, qui sic jusserant. sic maturè prospexerant, sic denique decreverant.*

Lambertus Danæus ob orthodoxam doctrinam de Cœna & repudiatam Vbiquitatem inhumanissimè in quadam urbe exceptus & tractatus. Hospitiis publicis exclusus Danæus.

Interim nox, pluvia & frigus peregrinos illos, non hospites dico, qui omni hospitio in tam ampla urbe erant destituti, opprimebat, & ille puellorum, humanam opem fidemque implorantium luctus & fletus hinc inde in vicis audiebatur. Alia igitur aliquot hospitia vicina tentant: ast ibi quoque omnia inveniunt sine miseratione, licèt paratam pecuniam hospitibus afferrent. Omnibus fuerat interdictum ne eos reciperent.

Quidam apud Consulem urbis queruntur de crudelitate erga Danæum.

Interim amici quidam Danæo ignoti, de tanta crudelitate apud primarium urbis Consulem conqueruntur, quanta Ecclesiæ, quanta Scholæ, quanta urbi, quanta ipsi denique humanitati & iuri gentium injuria fiat, ostendunt: Ille verò respondet, se iamdudum rescivisse Danæum in urbe cum familia esse, & qui sit intellexisse. De constituendo autem hospitio, quanquam vehementer rogaretur, ne verbum quidem: Obstabat enim Pastorum Vbiquitariorum edictum. Sed Deus Pater ille misericordiarum adest optimo viro: in Christiana urbe omni humana

ope,

Germanorum nobilium humanitas erga Danæũ.

ope & auxilio destituto, & quidem iam in medijs vijs pernoctare vnà cum familia deliberanti, & tectum aliquod ad suos liberos (inter quos erat filiola recens è cunis sublata) reponendos prospectanti, ὡς ἀπὸ μηχανῆς succurrit, & quorundam studiosorum verè nobilium Germanorum operâ tandem in hospitium recipitur, ad quod Vbiquitarum edictum nondum peruenerat: ab ijsdem illis optimis adolescentibus hospiti commendatur, aduersus vim custoditur, donec bene manè submonens vir quidam amicissimus in aurem instillauit ei.

Heu fuge nate Dea, teque istis eripe flammis.

Hostis habet muros.

Interim tamen, cùm tot viris bonis & doctis, qui ibi tunc adhuc restabant, insalutatis nollet discedere, & illis ipsis, qui in eum tam humani fuerant, vellet gratias agere, subsistere cogebatur ad horas aliquot. N.N. itaque, quem antea de facie non nouerat, adit, à quo humanissimè & amicissime exceptus, & in prandio liberalissimè lautissimeque tractatus fuit. Hanc tamen humanitatem & hospitalitatem Vbiquitariorum primarius, velut crimen & scelus ingens optimo viro N. N. in edito libello obijcere & exprobrare non est veritus.

Noua Danæo insidiæ parantur.

Interea verò loci & temporis noua Danæo insidiæ parabantur. Nam dum ad amicos ita diluculo visendos discedit, lictor Consulis idem qui sontes & sceleris accusatos vocare solet, ei absenti horam ad Consulem condicit summo manè: Tantum enim Vbiquistæ effecerant vel per se, vel per suos emissarios, vt scirent in quem locum & hospitium diuertisset. Quamobrem à N.N. ad suos rediens Danæus, lictorem illum denuò citantem eum ad Consulem videt, & sequitur. Comitantur eum aliquot studiosi, rem prorsus nouam in peregrinum statui quiritantes. In publicam domum deducitur, illic & ignarus linguæ, & de itinere familiaque attonitus sollicitus stat, expectans vsquequò à Consule vocetur. Eum adesse; & quidem peregrinum, & in procinctu itineris, significatur Consuli. Tempus ab eo protelatur, responsum mox à Consule dudum nunciatur. Interim tres horæ integræ fluunt. Familia attonita, quid ei fiat expectat: & ipse satis pro peregrino ex ipso habitu agnoscitur, & agnitus monetur à viris bonis, ei fore cùm Consule, qui Cereri & Baccho litarit illo die, negotium: hominem præterea esse suopte ingenio iracundum: Caueret ne quid acerbius illi responderet. Hac admonitione cautior factus intromittitur, videt hominem illum bene potum. Plusquàm sexagies eum interrogauit Consul, annon Danæus vocaretur, cuias esset & quò proficisceretur? Et quia ad eam rem cogebatur vti interprete, ille in interpretem virum primarium, absque vlla causa tamen, sic acerbè inuectus est, & excanduit, vt manus etiam violentas ipsi inferre, contra omnem iuris æquitatem omnemque Magistratus moderationem Consul iste velle videretur: ac nisi lictores obstitissent, in eum irruiturus fuerat. Tandem quum præsentibus & audientibus plusquàm triginta nobilissimis adolescentibus studiosis nihil nisi meras nugas egisset Consul, & hanc Danæo duntaxat insignem iniuriam, vt Vbiquistarum libidini ac sanitæ morem gereret, factam voluisset, ita totam hanc actionem conclusit, vt, vtrùm aliquid contra Librum Concordiæ scripsisset, percunctaretur? Cui Danæus respondit, Se non potuisse, quia nondum eum Librum sibi linguâ notâ vidisset. Atque tum vtrinque discessum est.

1582.

ANNVS M.D. LXXXII.

Augustanæ Confessionis verba de Cœna, &c.

AVgustanæ Confessionis eiusque Apologiæ, Repetitionis & Francofurtensis Recessus verba & doctrina de Sacramentis, in primis de sacra Domini Cœna publicata sunt: vnà cum Lutheri testimonijs & scriptis, à sese, extra feruorem certaminis, editis. *In hunc finem edita, vt inde cognoscatur, in Illustrissimi Principis Ioannis Casimiri Palatini ad Rhenum Ecclesijs de Cœna Domini iuxta Augustanam Confessionem doceri. Neostadij, Germanicè.*

Commonefactio de Cœna eiusque consideratio.

Commonefactio cuiusdam Theologi de sacra Domini Cœna: & eiusdem commonefactionis consideratio: *scripta à quibusdam veritatis & concordiæ amantibus Theologis: (sic titulus habet, reuera autem à Zacharia Vrsino) vt ex vtriusque collatione veritas magis elucescat. Neapoli Nemetum.*

Apologia de adoratione carnis Christi.

Apologia, seu vera & orthodoxa orthodoxæ Patrum sententiæ Defensio ac interpretatio, de Adoratione carnis Domini nostri Iesu Christi: aduersus blasphemam, & verè idololatricam Iacobi Schmidlini hæresin & sententiam, in libro qui inscribitur, Solida Admonitio ad Ioannem Sturmium, nuper edito, Lamberto Danæo authore, *Lugduni Batauorum. Prouocatus fuit Danæus à Schmidlino, qui eum horrendis conuitijs proscidit in virulenta sua ad Ioannem Sturmium Admonitione, quòd adorationem carnis Christi improbasset in quodam libello: & tamen Admonitionem istam Germanicâ linguâ conscripsit & edidit, cuius ne apicem aut syllabam intelligit Danæus.*

Danæus contra Gerlachium.

Eiusdem Danæi Sophismatum Stephani Gerlachij Elenchus, *Siue*, Aduersus Stephani Gerlachij, languidum, elumbem & caducum Hyperaspistem Clibanarius tutissimus ac firmissimus.

Zanchij disputatio.

Disputatio Hieronymi Zanchij, de ijs quæ de

1582. *Christo post vnionem prædicantur, & quo prædicentur modo, ex Epistola Ephes. 1. cap. Neapoli Nemetum.*

Schmidlinus de crimine stellionatus Caluinistarum. Iacobi Andreæ Breuis Admonitio de crimine stellionatus Caluinistarum, *quo Iesuitas in suam societatem rapere, & doctrinam Lutheri de persona Christi & sacra Cœna illorum authoritate opprimere conantur. Tubingæ.*

Georgius de Valentia contra Schmidlini Admonitionem. Georgij de Valentia Societatis Iesu Theologi, Breuis annotatio in hanc Breuem Admonitionem pro Iesuitis contra Caluinianos à Schmidlino editam. *Ingolstadij.*

Georgius de Valentia contra Vbiquistas & Sacramentarios. Eiusdem Disputatio, contra fundamenta duarum sectarum, Vbiquitariæ, & Sacramentariæ, pro vera Christi præsentia, non vbique, neque in cœlo tantùm, sed in cœlo, & sacratissimo Sacramento. *Ingolstadij. In hac Disputatione Lutheranos accusat, quòd procul à vera cognitione Christi absint. Cuius rei argumentum sit, quòd nondum hactenus consecuti sint, vt cognoscant, vbi sit Christus. Cùm enim ille non nisi domi sua, hoc est, in Ecclesia inueniri pasit, Lutheranos non nisi* FORIS*, per varias errorum ambages, ipsum (si tamen ipsum) quærere: vnde fiat, vt inani labore seipsos defatigent.*

Propositiones de Cœna Kirchneri. Propositiones de sacra Domini Cœna, *quas præside Timotheo Kirchnero Theologiæ D. & Professore in Academia Heydelbergensi, Petrus Patiens, Ecclesiarum inferioris Palatinatus Electoralis, Superintendens generalis, respondendo defendit Cal. Sept.*

Ioannis Brentij defensio parentis sui. Ioannis Brentij F. Responsio ad calumnias, quibus Patris sui authoritate & scriptis errorem suum de Cœna Domini tueri & propagare conantur.

Iudicium de Historia Augustanæ Confessionis Wolfij. Iudicium de libro ab Ambrosio Wolfio, titulo, Historia Augustanæ Confessionis, *&c. edito, ac plurimis locis nunc demum aucto: vnà cum epistolis Buceri, Capitonis & Musculi nunquam antehac excusis. Tubingæ, Germanicè.*

Ioannis Olearij libellus. Ioannis Olearij *explicatio quæstionis*, An tempore necessitatis sacram Cœnam à Pontificio vel Caluiniano Pastore quis bonâ conscientiâ possit accipere. *Additum est in fine, Encomium libri Concordiæ.*

Heshusij assertio Testamenti Christi. Tilemanni Heshusij Assertio sacrosancti Testamenti Iesu Christi, contra Caluinistarum Excegesin *sine autoris nomine editam. Addita est appendix & declaratio locorum quorundam huius Assertionis in capite de Communicatione Maiestatis, vbi vocabula Concreti & Abstracti vsurpantur. Erphordiæ.*

Prouocatio ad Selneccerum. Prouocatio *cuiusdam veritatis studiosi, vt Nicolaus Selneccerus respondeat ad argumenta & rationes, de vero sensu verborum Christi in Cœna sacra. Neastadij, Germanicè.*

Disputatio Schmidlini cum Beumlero Tubingæ. Hoc etiam anno Iacobus Andreæ *Tubingæ disputationem habuit*, De Cœna Domini: De persona Christi: De communicatione Idiomatum duarum naturarum in Christo: De religiosa Christi adoratione, etiam quà homo est. *Interfuit disputationi* Marcus Beumlerus Tigurinus, *qui studiorum gratiâ Tubingæ tunc commorabatur. Hunc prouocauit Andreæ ad disputandum: recusauit ille primò, quòd sciret Schmidlinum hominem gloriosum esse, & sæpe antea triumphasse victoriâ nondum partâ, aut etiam desperata. Tandem inuitus Schmidlini obtestationibus ad disputandum pertractus fuit. Colloquutus est igitur cum eo per integrum diem, omnibus horis ante & post meridiem. Non tamen toto illo die Beumlero licuit multa loqui, sed necesse habuit Schmidlini longas conciones audire, quas interdum ferè vltra horam producebat. Sæpenumero etiam, si in declamitando defatigatus verba facere cessaret, suum argumentum repeteret Beumlerus, atque rogaret, vt breuiter & rotundè responderet, omissis digressionibus, tergiuersationibus, anfractibus: respondit, hoc minimè fieri posse, se enim non Beumleri solùm causa adesse, sed sibi rationem etiam cæterorum auditorum habendam esse, qui longiore rerum explicatione erudiendi sint. Cùm etiam non semel petijsset Beumlerus, intolerabilibus eius conuitijs commotus, quibus nunc Bullingerum, nunc Bezam, nunc Caluinum, nunc Melancthonem, nunc alios arrodebat, vt sibi omnino tacere liceret, & alij qui conuitijs delectaretur, locus disputandi daretur: ibi tum Schmidlinus per Dei gloriam eum obtestabatur, vt Colloquium continuaret, neminem enim esse cui res ista non futura sit grata.*

Cùm contra realem communicationem idiomatum argumentaretur Beumlerus, Si vnum proprium essentiale Deitatis realiter non possit communicari, nec vllo modo competere humanitati Christi: sequi necessariò, nulla omnino communicari ei aut realiter competere: *& rationes firmas huius Connexionis afferebat: Schmidlinus valde insolenter, cum magna Doctorum admiratione, negare cœpit hoc connexum. Tandem, quum sese in omnes partes vertisset, ac Beumlerum liberiùs instare firmasque rationes reposcere animaduertisset, ad M. Lieblerum Physicæ Professorem, prouocauit, atque vt ipse de axiomate, quod opponens vrgebat, Schmidlinus autem oppugnabat, pronuntiaret, contendit: quum aliàs Philosophos & Physicos à Theologicis controuersijs valde insolenter remoueret. Huic autem petitioni dolus ac fraus suberat. Nam non multò antè discipulis quidam Liebleri, Magister artium creandus, disputa-*

sionem philosophicam de vnione personali & communicatione idiomatum, conscripserat, & consentiente approbanteque Lieblero imprimendam curauerat: in qua axioma hoc Beumleri multis rationibus, ab ipso Lieblero approbatis, confirmabatur. Ne verò pia iuuentus rectè in doctrina illa erudiretur, Schmidlinus suæ Vbiquitati cauere volens, hanc disputationem supprimendam curauit: atque tam Lieblero, quàm eius discipulo multas molestias creauit. Ne verò Lieblero de nouo pericula crearentur, aut ne contra conscientiam pronuntiare cogeretur suam sententiam interponere recusabat. Iussus est igitur à Schmidlino Beumlerus aliud argumentum proponere.

Hoc ergo argumentum inter alia opposuit. Quemadmodum in persona Christi, in qua duæ naturæ saluæ & incolumes manent, se habent propria essentialia humanitatis ad diuinitatem, respectu scilicet communicationis: sic se habent propria Deitatis essentialia ad humanitatem. *Hanc propositionem fulciebat sacra Scriptura & Patrum testimonijs. Deinde subsumebat,* Propria humanitatis essentialia, nō realiter tribui Deitati: ideoque propria Deitatis essentialia non realiter tribui & competere humanitati. *Respondebat Schmidlinus longa oratione,* Humanitatem multa potuisse à Deitate accipere: *Ea opponens vera esse concedebat, quoad dona, sed non quoad essentiales proprietates. Ibi tum, quum Andreæ instar anguillæ, sese torqueret, nec tamen quicquam obtinere posset, quidam ex eius discipulis assurgens, exclamare cœpit,* dignissime Cancellarie, est sophisma in opponentis argumento, *&c. Cùm verò ei responderet opponens, & Schmidlinus animaduerteret Telemachum suum non vsque adeò feliciter pugnasse, continuò dirimit pugnam, & eos priuatim ita transigere iubet, ac Beumlerum aliud argumentum afferre iubet.*

Schmidlini & Beumleri priuatum colloquium.

Paruit ille, quantumuis inuitus, & aduersus glossam Andreæ ad verba Christi, Hoc est corpus meum, *ex hypothesi eius sic argumentabatur;* Quæ ratio est resoluendi, explicandi & intelligendi prædicationem de pane in Sacramento Cœnæ, eadem planè est de vino: vtrinque enim est prædicatio sacramentalis, & vtrinque sacramentaliter intelligenda. Atqui Schmidlinus retinendo scriptum in verbis Cœnæ, propositionem illam, *Panis est corpus Christi,* ad hunc modum resoluendam & intelligendam esse docet, in pane, sub pane, cum pane est corpus Christi, Ergo illa propositio, Poculum est Nouum Testamentum, ita etiam resoluenda & intelligenda erit, in poculo, sub poculo, cum poculo est nouum Testamentum. *Propositionem cùm Schmidlinus negare non posset, inauditum paradoxum, quod ab experientia vniuersali, à rerum natura, & veritate abhorret comminiscitur: scilicet* ad vnionem diplomatis, Testamenti, & rei legatæ, ad Testamenti veritatem sanciendam omnino requiri, vt Testamentum & res legata semper in vno eodemque loco sint sita, seu vt res legata sit in & sub Testamento. Secus enim si fiat, Testamentum violari & inane fieri. *Cùm verò Beumlerus aliquot rationibus harum nugarum ἀτοπίαν demonstraret, sese ad Iurisconsultos præsentes conuertit, atque ab ijs hanc quæstionem dijudicari, suamque inauditam opinionem ex Iurisprudentia confirmari cupit. Et tamen aliàs eos reprehendit, quòd Theologicis controuersijs sese immisceant. Inter cæteros autem surgebat ad pronuntiandum Doctor Ioan. Hochmannus Iuris Canonici Professor, atque manifestè & liberè nouam ac inauditam Smidlini de Testamento sententiam à iure ciuili abhorrere, penitusque ignorari citatis locis comprobauit:* quippe quum Testamenti virtus non in eo consistat, vt in vno & eodem loco cum re legata collocetur & coniungatur: sed in eo potiùs, vt Testamenti virtute & adiumento, testimonioque de re legata certi fiamus, atque suo tempore percipiamus. *Huic sententiæ cæteri quoque Iurisconsulti subscripserunt. Tum Smidlinus confusus & constrictus tragicè exclamauit,* longè aliam rationem esse in Testamento Christi, videlicet supernaturalem, ineffabilem & planè diuinam. *Sed hoc est petere principium.*

1582.

Cùm primo die disputare cessatum esset, Smidlinus copiam & potestatem Beumlero fecit, sequenti quoque die, si quid desideraret, interrogandi. Quapropter cùm de forma Dei & forma serui, ex loco Pauli ad Phil. 2. ca. cuidam responderet, & formam Dei, formamque serui de accidentalibus, quas ipse confinxit, formis interpretaretur Smidlinus, hoc argumentum opposuit Beumlerus: Qui fuit in forma Dei, & æqualis Deo, is sese exinaniuit, & formam serui accepit. Atqui filius Dei in forma Dei fuit, & est æqualis Deo. Ergo Filius Dei seipsum exinaniuit & formam serui, id est, humanitatem accepit. *Assumptum probauit firmis rationibus, 1. A Connexis. 2. A testimonijs, Cyrilli Thesauri* 10. *cap.* 2. 3. *A notatione vocabuli* μορφῆς. 4. *A testimonijs Basilij M. li. 4. contra Eunomium ca. 1. Damasceni, li. 4. orthodoxæ fidei, Ambrosij, li. 6. epist.* 41. 5. *A vi vocabuli, Æqualis Deo. Ad hoc argumentum quum Smidlinus nil aliud responderet, quàm* Nestorianum esse, quicunque sentiat Deitatem sese exinaniuisse & formam serui accepisse: *Beumlerus verò rationem tanti criminis*

Calumniæ & criminationes.

re-

1582.

reposceret, ei bellâ & astutâ [illegible] *satisfecit Smidlinus*: Ita sum, *inquit*, defatigatus, vt non possim tibi respondere ampliùs: tu verò, si veritatis studium tibi curæ est, veni hisce diebus ad me, & priuatim conferemus de vera loci Pauli sententia. *Hæc etsi verissimè sic gesta sint, tamen Smidlinus in Admonitione sua ad Synopsin Grynæi scribere ausus fuit*, Beumlerum in hac disputatione sic confusum fuisse, vt nihil amplius contra suas hypotheses afferre potuerit.

Paulò post hanc Disputationem quum Beumlerus Tigurum in patriam proficisci statueret, Smidlinum accessit in proprijs ædibus 7. Sept. eique valedixit. Ibi Smidlinus apertè in præsentia Beumleri & Mureri Tigurinorum dixit, Consensum orthodoxum Tiguri excusum, atque adeò omnes Zuinglianos & Caluinianos, nullam omnino præsentiam in S. Cœna corporis & sanguinis Christi statuere: *Beumlerus autem, cùm locis tam ex Orthodoxo consensu, quàm alijs Caluinistarum, vt vocantur, scriptis citatis, id falsum esse, & nostris insignem iniuriam fieri probaret, pro more exclamauit Smidlinus*, Nullam omnino statuunt, & si aliquam statuunt præsentiam, Deus me puniat. *Ad quæ Beumlerus*, Si ergo tu probaueris nostros nullam omnino statuere, in vsu S. Cœnæ corporis Christi præsentiam, profectò non sentiam cum illis, neque hactenus sensi: *atque his vltro citroque sic dictis discedit Beumlerus. Sed paulò pòst, vndique apud suos amicos, de Beumlero & conuicto, & in suam sententiam pertracto gloriatur Smidlinus, ijs insusurrando*, Beumlerus noster est factus: nam apertè & rotundè dixit, se non sentire cum Orthodoxo consensu & suis Tigurinis. *Ita quod Beumlerus hypotheticè dixerat, id Smidlinus categoricè & simpliciter ab illo dictum multis retulit, & quidem peierando affirmauit. Ea propter nonnulli quibus familiariter notus erat Beumlerus, & quibus eius sententia de Cœna Domini cognita perspectaque fuit, eum adibant & quid rei sit percontabantur. Cumque eis rem totam, vtut acta esset, exposuisset, libidine illâ Smidlini quiduis fingendi grauissimè offensi sunt.*

Superiori anno in lucem editus est virulentus & maledicus liber, in quo Pastores & Ministri Bremensis Ecclesiæ de his capitibus accusantur. Primò, quòd diuidant & conuellant suâ doctrinâ Nestorianorum more, Naturas in Christo, & doceant, Christum secundùm diuinitatem esse vbique, secundùm humanitatem verò certo cœli loco ita conclusum teneri, vt ibi nequeat esse, vbi tamen Verbo suo promiserit se futurum. *Deinde*, quòd humana natura non particeps sit omnipotentiæ, sed tantùm dona habeat supra omnes creaturas. *Et* quòd verbalem solùm Idiomatum communicationem admittant, realem verò oppugnent.

Contra Bremenses Theologos.

Secundò, docere eos, à pijs parentibus nasci pios & sanctos liberos: in Baptismo non impetrari remissionem peccatorum: Baptismum à mulieribus in casu necessitatis administratum non esse legitimum: Liberos seu infantes etiam absque Baptismo saluari: Exorcismum in Baptismo non esse necessarium.

Tertiò, eos docere, in sacra Domini Cœna non percipi verum corpus & sanguinem Christi, sed tantùm panem & vinum, *hoc est*, nuda symbola quæ corpus & sanguinem Christi significent: verba institutionis Cœnæ tropicè & figuratè accipienda: ore tantùm vinum & panem percipi, & fide corpus & sanguinem Christi, adeoque oralem manducationem corporis & sanguinis Christi eos damnare ceu figmentum Satanæ: Indignos solùm externa signa, panem & vinum sumere: Ad ægrotos Cœnam Domini non deferendam: Christum tantùm secundùm diuinam naturam, non etiam humanam præsentem esse in Cœna. Rejicere eos particulas In, cum, Sub pane &c. quibus tamen Patres in veteri Ecclesia vsi sint. Improbare eos vsum rotundarum hostiarum in Cœna sacra: nec verba institutionis canere, sed tantùm altâ voce recitare in administratione Cœnæ: non retinere eos priuatam Confessionem & absolutionem ante sumtionem Cœnæ. *Denique eos in administratione Cœnæ* non vti casulis albis, Weysse Chorröck; nec præfationem legere vsitatam ante communionem: Imagines, laïcorum libros, ex templis ejicere, pro altaribus lapideis & fixis, mensis mobilibus eos vti; nec vsurpare in Cœna vel Latinas vel Germanicas cantiones, à Luthero compositas.

Hæc sunt potissimùm illa capita, ob quæ hæreseos ab Vbiquitistis Bremenses Theologi accusantur. Ad singula verò accuratè & solidè Bremenses hoc anno responderunt Germanico lib. cui hunc titulum præfixerunt: Bremischen Prediger warhafftige vnd Christliche verantwortung / auff die ihnen zugemeßene artickel vnd künsten / durch welche sie zum theil mit vnerfindlichen aufflagen / zum theil mit verkehrten mißdeuttungen aller hand verwirter irthummen vnd Secteryen / beschuldiget / vnd bey hohes vnnd nidriges Standts personen verunglimpfet worden / Nemlich erstlich von der person Christi. 2. Von der H. Tauff. 3. Von dem H. Abendmahl. 4. Von der Göttlichen wahl. 5. Von den Ceremonien. *Hanc verò responsionem Bremensium mox alij edito scripto confutarunt. Heydelbergæ, Germanicè.*

Bremenses edito scripto se excusant.

ANNVS

ANNVS M. D. LXXXIII.

Ioannes Matthæus de vnione personali.

Editus est hoc anno 1583. Ioannis Matthæi *Smalcaldensis tractatus* de Vnione personali & Communicatione Idiomatum, *inuentuti in Academia Witenbergensi publicè propositus*, Witenberga.

Schmidlinus contra Danæū.

Iacobi *quoque* Andreæ *libellus contra Apologiam Lamberti Danæi de adoratione carnis Christi.*

Eiusdem concio de Cœna Schmidlinus contra Georgium de Valentia Cleberi Disputationes tres.

Eiusdem Concio de Sacramento corporis & sanguinis D.N. Iesu Christi, *Lindauij habita hoc anno 31. Maij. Tubingæ, Germanicè.*

Item Confutatio Disputationis Georgij de Valentia, *sub titulo, De vera præsentia Christi, in cœlo tantùm, & in sanctissimo Sacramento, Ingolstadij proposita.*

Eusebij Cleberi Disputationes tres: *prima, de Natura: secunda, de Mixtione physica: tertia, de Vnione personali & supernaturali duarum naturarum in Christo Saluatore nostro perfecto & vnico.*

Kednaden de vnione personali.

Palatini Kednaden à Strasvuick Dialogus, de vnione personali *duarum in Christo naturarum secundùm mentem Scripturæ, Ecclesiæ & Augustanæ Confessionis, contra eos, qui genuinam horum sententiam peruertunt. Geneuæ.*

Heshusij defensio Confessionis de præsentia corporis Christi in Cœna D. Hofmanni quæstionum & responsionum de Cœna pars prima. Anhaldinistra Ioannis Matthæi. Menij confessio de vera præsentia Christi apud Ecclesiam. Witenbergensium confutatio Apologiæ Bremensium.

Tilemanni Heshusij Confessionis de præsentia corporis Christi in Cœna Domini, *aduersus Ioannem Caluinum, Petrum Boquinum, Theodorum Bezam, Wilhelmum Clebitium, & similes. Erphordiæ.*

Danielis Hofmanni Quæstionum & Responsionum in controuersia de Cœna, *Pars prima. Helmstadij.*

Defensio modesta & perspicua sex argumentorum, *quibus inter alia Ecclesiarum Anhaltinarum Ministri realem seu physicam Idiomatum communicationem falsitatis conuicerunt, opposita inani seu friuolæ eorum Ioannis Matthæi Professoris Witenbergensis refutationi, cum auctario absurditatum & antilogiarum eiusdem. Seruestæ.*

Nicolai Menij Confessio de vera præsentia vtriusque in Christo naturæ apud Ecclesiam: *opposita ijs, qui eam sub odioso portentosæ Vbiquitatis titulo per Germaniam oppugnant.*

Editus est quoque circa hæc tempora, sub nomine Wirtenbergicorum Theologorum, Liber, hac inscriptione; Vera ac solida Confutatio Apologiæ Ministrorum Ecclesiæ Bremensis. *In eo antiquam cantilenam canit author: accusat enim eos potissimùm, quòd de persona Christi non iuxta verbum Dei, sed iuxta Nestorij doctrinam sentiant: quòd de Baptismo contra sacras Scripturas & Augustanam Confessionem doceant: quòd in Cœna Domini veram corporis Christi præsentiam negent: quòd non expressè suam sententiam de Electione & Libero Arbitrio declarent. Germanicè, Tubingæ.*

1583.

Bremensium responsio ad confutationem Wirtenbergensium.

Huic verò libro opposuerunt Bremensium Theologi Responsionem huiusmodi titulo, Refutatio vanæ Confutationis Iacobi Andreæ, nomine VVirtenbergensium Theologorum evulgatæ, aduersus veram & Christianam Apologiam Bremensis Ecclesiæ Ministrorum, ante sesquiannum editam, in qua summa audacia, doli, fraudes, imposturæ, temeritas & impudentia Iacobi Andreæ deteguntur: *Germanicè, Bremæ.*

Bremensium altera responsio ad Wirtenbergensium Confutationem.

Quia verò in hac sua Refutatione *non ad omnia ac singula, vt necessitas postulârat, propter instantes nundinas Francofurtenses responderi poterat, ideo sequentibus nundinis aliam copiosiorem ediderunt, cui hunc titulum præfixerunt;* Responsio Ministrorum Verbi Dei in Ecclesia Bremensi, ad Iacobi Andreæ sub nomine Wirtenbergicorū Theologorum, editam, vanam ac falsam Confutationem Apologiæ Bremensium anno 1581. mense Iulio evulgatæ; De persona & duabus naturis in Christo, itemque de Cœna Domini: ex qua pacis amans Lector intelliget, vtrius partis scripta Prophetarum, Apostolorum ac Patrum doctrinæ magis sit consentanea, *Bremæ, Germanicè.*

Index Bremensium responsionis.

Adiecerunt huic Refutationi ijdem Bremenses Theologi Compendium, *seu* Indicem rerum præcipuarum, quas in Refutatione sua tractant: *Nempe.* 1. Quæ sit doctrina Ministrorum Ecclesiæ Bremensis de Persona Christi & sacra Domini Cœna. 2. Quibus calumnijs à Iacobo Andreæ onerentur. 3. Quæ Paradoxa & absurda Iacobus Andreæ defendat ac propugnet. 4. Vt ambiguè & subdolè scribat ac loquatur. 5. Quibus argumentis vtatur in propaganda Vbiquitate. 6. Vt corrumpat falsis suis glossis & interpretationibus multa loca Scripturæ & Patrum. 7. Quibus contradictionibus sese inuoluat. *Libellus est in hac controuersia vtilissimus: sic enim in eo deteguntur Iacobi Andreæ doli, fraudes & imposturæ, vt inde facilè Fabelli Theologia tota cognosci possit.*

Ludouicus Palatinus Elector moritur. Religionis mutatio in Palatinatu.

Mortuus est etiam hoc anno Illustrissimus Princeps Ludouicus Comes Palatinus Rheni Elector, 12. *Octobris. Reliquit filium vnicum* Fridericum 4. *hæredem Electoratus, sed pupillum. Electoratus igitur Administratio ac tutela Patruo Friderici,* Ioanni Casimiro Principi Palatino *traditur. Ob hanc causam rursus Religionis quædam fit in Palatinatu mutatio*

1583. Fridericus 4. Palatinus Elector.

tatio. Pupillum Fridericum *erudiendum tradit Administrator* Casimirus *in artibus liberalibus Praeceptoribus optimis, in Religione verò nobilissimo ac orthodoxo viro* D. Ottoni à Grunrade: *à quibus ita est institutus, vt in Principem verè Christianum, nutritium Ecclesia Christi, & ornamentum columenque non solùm Germania nostra & Imperij Romani, sed & totius Christiani Orbis euaserit.*

Dux Ioan. Casimirus Administrator Palatinatus ut reformarit.

Deinde nihil antiquius ille habuit, nullamque rem vnquam maiore curâ, studio, solicitudine complexus est, quàm vt Ecclesijs & Scholis ex superiore mutatione nonnihil labefactatis, quàm commodissimâ ratione fieri posset: consuleretur & prospiceretur. Lutheranos igitur & Vbiquistas, quos post mortem Friderici 3. Tubingâ & alijs locis Heydelbergam euocauerat Ludouicus, ad regendam Academiam & Ecclesias Palatinatus, non vi nec inauditos sedibus suis eiecit, licèt dogmata eorum non probaret, sed ferre eos voluit optimus Princeps, si modo ipsi pacificum eius mandatum & pietatis Christianae plenissimum ferre potuissent: quo nonnisi falsum testimonium, conuitia, calumnia, quibus isti homines innocentes lacerant, prohibebantur, & singuli Ministri populum ex Verbo Dei docere iubebantur. Verùm plerosque insanabile quoddam non tam contradicendi, quàm maledicendi studium tenebat: nonnullas insana quadam in pium pij Magistratus edictum inuehendi libido stimulabat; vt testatum facerent, se ne quidem videri velle, nedum esse tolerabiles: Cum ijs placidè & amanter de controuersis Ecclesiasticae doctrinae capitibus, suos colloqui Princeps Casimirus voluit: sed tanta fuit ὑψαύχεια & arrogantia in ijs qui exemplum modestia debebant esse alijs, vt superbissimè omnes congressiones aspernarentur, vel quòd diffiderent causae suae, vt multi suspicabantur, & fortasse verè: vel, vt nonnulli putabant, quibus Flacciana ἐρφὸς nota aliquantulum est, quòd nostros ex alto despicerent, & ne dignos quidem arbitrarentur, cum quibus verba commutarent. Quâ importunitate etiam illustrium virorum animos offenderunt qui, etsi causa, ex ignoratione, vt plerumque fieri solet, iniquiores erant, inhumanitatem tamen illam nimis ferocem in suis valde improbabant. Eos igitur, ex ipsorum voto, clementissimè dimisit Administrator: ac in id totus incubuit: vt omnes incolae Palatinatus verum Deum verè colerent, Religionem Christianam non ex lacunis & cisternis putidis, sed è limpidissimis Verbi diuini fontibus haurirent & imbiberent: vt eandem purâ conscientiâ, & fide minimè fictâ constanter ac syncerè amplecterentur & profiterentur, vt inuidia, liuor, factiosa nomina, & quae sequitur animorum exacerbatio, quicquid denique sciderat ac perturbarat Ecclesiae id semel tandem exterminaretur, vt rixis sublatis, Christiana dilectio, mutua concordia, vel saltem mansueta quadam moderatio succederet ac regnaret. Has ob causas arcessendos etiam ex longinquis locis maximis sumptibus curauit eos Theologos, qui & pietatis studio, & pacis amore, & vita innocentiâ, & eruditionis fama celebres essent: nonnullos etiam, qui eiectè ante aliquot annos fuerant, postliminio quasi restituit. Statuta ac leges Academiae vtiliter correxit. Sapientiae domum ad pristinam institutionis formam redegit, quam Palatinatui & alijs etiam locis fructuosam extitisse euentus docuerat.

ANNUS M.D. LXXXIV.

Disputatio Heydelbergensis post mortem Lúdouici Electoris de Cœna Dominica.

D. Grynaeus Basilea Heydelbergam vocatur reformationis causa.

ANtequam dimitterentur irrequieti & insanabiles Theologi ex Palatinatu post mortem Ludouici Electoris, anno 1584. Clarissimus vir D. Ioannes Iacobus Grynæus *S. Theologiae Doctor, Basileâ ab Illustrissimo Principe & Palatinatus Administratore Ioanne Casimiro Heydelbergam, Ecclesia & Schola reformanda gratiâ, vocatus fuit. Visum est autem tum Principi prudentissimo & Consiliarijs, tum ipsi Grynaeo rem à Disputatione pia, placida & Christiana inchoare, ne quisquam vt secum actum, & contra omnem Christianam charitatem se inauditum ab officio remotum esse iure conqueri posset. Conscripsit igitur Grynaeus de Eucharistica controuersia capita doctrinae Theologica, in quibus solidè & verè ostendit, tum de quibus eius doctrinae capitibus, & quatenus conueniat ijs, qui caeteroquin sententijs dissident: tum de quibus omnino non conueniat: sic enim futurum sperauit, vt omnibus citra Andabatismum, & praeiudicia iniqua, in hac Disputatione conferre in Domino liceret, & vt candida sententiarum partis vtriusque collatio, charitati declaranda, & illustranda veritati seruiret. De his capitibus Eucharisticis octonis publicis Disputationibus, quarum prima est habita 4. Aprilis,* Marco Beumlero *respondente, Praeses* Grynæus *rationem interrogantibus reddidit.*

Scopus opponentium in hac disputatione.

Opponentes autem & interrogantes hunc praecipuè sibi finem proposuerunt, & hac potissimùm capita doctrinae obtinere conati sunt. Primum erat, Infideles, Cœna Domini vtentes, manducare, & quidem ore corporis, sanctissimum Christi corpus, sed tamen ad iudicium. *In illorum autem gratiam non instituta est Cœna: & corpus Christi manducatum,*

tum, vitam, spretum & abiectum mortem operatur. Secundum, Patres veteris Testamenti non manducasse corpus Christi, sed tantùm eius ἀντίτυπον: quasi deterior olim fuerit Patrum conditio, quàm hoc tempore infidelium est: vel etiam vis viuificandi à participatione corporis Christi seiungi possit: vel denique Christus Iudicis munere fungi nequeat erga infideles, nisi hi corpus illius Oraliter prius manducent. Tertium, Oraliter non minus Christi carnem, quam panem in sacra Cœna edi. Contradictionem autem implicat, si quis dicat, corpus Christi localiter non adesse, corporaliter verò adesse, oraliter & supernaturaliter manducari. Quartum, Scripturo in verbis Cœnæ Domini sequendum: quo posito Transubstantiatio Papistica potius sequetur, quàm Cardinalis Cameracensis delirium, videlicet Consubstantiatio: seu præsentia corporis Christi ad locum panis.

Confessio de Cœna Transsyluanorum. Hoc anno quoque de nouo excusa est Confessio Saxoniearum Ecclesiarum in Transsyluania de Cœna Domini 1561. missa & exhibita Academijs Lipsensi, Witebergensi & Rostochiana, cum Præfatione N. Selneceeri, Lipsiæ.

Wirtenbergensium Refutatio Orthodoxi Consensus. Wirtenbergensium quoque Theologorum Refutatio Orthodoxi Consensus sacræ Scripturæ & veteris Ecclesiæ de controuersia sacramentaria. Tubingæ.

Iacobi Andreæ Theses de religiosa adoratione totius Christi secundùm diuinam & humanam naturam. Tubingæ.

Schmidlinus Theses de adoratione Christi. Iezlerus de diuturnitate belli Eucharistici. Ioannis Iezleri Scaphusianæ Ecclesiæ in Heluetia ministri de Diuturnitate belli Eucharistici liber: in quo decem & septem causæ notantur, per quas hactenus ifftum videtur, quò minus partes litem sustinentes inter se sint reconciliatæ. Tiguri. Harum causarum prima, Diaboli zizania ab ipso procurata: 2. Iustum Dei Iudicium: 3. Probatio piorum: 4. Docentium nimia sapientia: 5. docentium inscitia: 6. docentium contendendi libido: 8. docentium impatientia: 9. docentium alienarum Ecclesiarum non necessaria inspectio: 10. Patrum sententia non bene cognita: 11. negligentia Magistratus politici: 12. librorum alterius partis interdictio: 13. omissio Synodorum: 14. Academiarum iniustitia distributiua in conferendis titulis atque testimonijs publicis: 15. pactorum violatio: 16. nimium hominibus placendi studium: 17. hominum in Ecclesia docentium nimia admiratio.

Beumleri Analysis disputationis Schmidlini. Marci Beumleri Tigurini Analysis, disputationis Iacobi Andreæ de religiosa carnis Christi adoratione. Tiguri.

Eiusdem Beumleri De Coniunctione Sacramentali, & vera communione corporis & sanguinis Christi, aduersus nouum ac 1584. monstrosum Synusiastarum figmentum, & futilem Consensus Orthodoxi refutationem: siue, præcipuos refutationis eius Paralogismos, duo Logici, breues & perspicui Tractatus. Accesserunt in fine luculentæ & graues aliquot quæstiones Stephani Tzegedini Vngari, de vero sensu verborum Cœnæ, de vsu & abusu eiusdem. Tiguri.

Beumlerus de coniunctione sacramentali & verâ communione corporis Christi.

Bezæ Responsio ad partem primam Quæstionum & Resp. D. Hofmanni. Theodori Bezæ Responsio, ad Quæstionum & Responsionum Danielis Hofmanni in grauissima de Cœna Domini controuersia partem primam. Geneuæ.

Selneceeri Admonitio. Nicolai Selnecceri Admonitio de Anhaltinorum Theologorum scripto contra Kirchnerum, Kemnitium & Selneccerum. Lipsiæ, Germanicè.

Wigandi Exegesis. Ioannis Wigandi Exegesis Colloquiorum aliquot cum Sacramentarijs habitorum. Lipsiæ.

Strigelij Epistolæ. Edita sunt etiam Victorini Strigelij Epistolæ aliquot piæ simul & eruditæ de negotio Eucharistico scriptæ ad amicos, nunc verò editæ, ut pij viri memoria contra aduersariorum calumnias vindicetur.

Augustini sententia de Sacramentis. Item: D. Augustini perpetua sententia & confessio de Sacramentis in genere, & de Cœna Domini, collecta ab eodem D. Victorino in gratiam Illustrissimi cuiusdam Principis.

Grynæi Theses de vtriusque Testamenti Sacramentis. Adiunctæ sunt D. Ioannis Iacobi Grynæi Theses de vtriusque Testamenti Sacramentis, in Academia Basiliensi 4. Iulij anno 83. disputatæ. Neustadij Palatinorum.

Palatinorum Admonitio de Matthæi Smalcaldensis fraudulento scripto. Admonitio Theologorum superioris Palatinatus de Ioannis Matthæi Smalcaldensis fraudulento scripto: in qua solidè probatur, ipsum, sicut antea, in sua confessione de Cœna Domini non syncerè & candidè agere. Neostadij, Germanicè.

Georgij de Valentia Annotatio 2. de Vbiquitate contra Schmidlinum. Georgij de Valentia Iesuitæ Annotatio secunda, de Controuersia Vbiquitaria aduersus Iacobum Schmidlinum: cuius etiam scripto contra priorem Annotationem respondetur. Ingolstadij.

ANNVS M. D. LXXXV.

Rungij Analysis propositionum de Cœna, eiusque Refutatio. Editi sunt hoc anno 1585. in negotio Sacramentario sequentes libri. Analysis Propositionum, quas de negotio Eucharistiæ ad disputandum proposuit Iacobus Rungius: vnà cum refutatione errorum, qui à veritate aliena, propositionibus illis interspersa sunt: Scripta à quodam veritatis Studioso Theologiæ. Neostadij.

Sadeelis de veritate humanæ naturæ Christi. Antonij Sadeelis de veritate humanæ naturæ Iesu Christi, Theologica & Scholastica disputatio. Lausannæ.

1585.

Bezæ responsio altera ad Hofmanni quæstiones & responsiones.

Theodori Bezæ Responsionis pars altera, *ad Quæstionum & Responsionum Danielis Hofmanni in grauissima de Cœna Domini controuersia, partem alteram. Geneuæ.*

Elenchi Paradoxorum : Quibus Ecclesias Germanicas iam multis ab annis : inprimisque ab obitu Philippi Melanchthonis perturbarunt Vbiquitarij : mutato genere doctrinæ, & phrasibus Ecclesiæ Catholicæ & orthodoxæ in articulo Christianæ Religionis omnium præcipuo : De persona Christi : Pars prima. Fide optimâ ex eorum libris, qui προσ(?)τεγμένοι *in hoc infausto certamine fuerunt collecta : Et ad refutandam impudentiam atque audaciam Tubingensium Theologorum, qui in libro contra Bremenses maledicentissimo recens emisso, tum negare, tum sophismatum nouorum præstigijs polliare ista non desinunt : Responsionis necessariæ loco edita : à Ministris Ecclesiæ Bremensis.*

Beumleri Apologia contra Schmidlinum.

Apologia Marci Beumleri *breuis & necessaria, in qua primò exponuntur causæ, cur Iacobi Andreæ manus & lingua : instar Ismaelis sit contra omnes. Deinde diluuntur falsæ criminationes, quas in postremis suis scriptis aduersus Io. Iacobũ Grynæum, partim in Beumlerum, partim in Zuinglium mortuum, partim denique in inclytam Rempub. Tigurinam, sine fronte atque pudore confinxit. Tiguri.*

Beumleri Elenchus Sophismatum Schmidlini.

Eiusdem Beumleri perspicuus Elenchus Sophismatum Jacobi Andreæ, *quæ orthodoxæ & inuictæ Disputationi de sacra Eucharistia anno 84. à D. Io. Iacobo Grynæo, mandatu Illustrissimi Principis Ioannis Casimiri, &c. Heydelbergæ habitæ opposuit ; vt ingeniosæ iuuentuti quasi seges Sophisticarum fallaciarum proponatur, ratioque eas dissoluendi monstretur. Tiguri.*

Adhortatio ad Selneccerum.

Commonitio & Adhortatio ad Nicolaum Selneccerum : *vt cum suis gregalibus Anhaltinos Theologos conuitiando lacessere, & agnitam veritatem contra propriam conscientiam impugnando pergere desinat. Seruestæ, Germanicè.*

Tossani antiqua fides de persona Christi.

Antiqua fides de persona & officio Christi : *ex Psalmo* 110. *septem homilijs Heydelbergæ declarata & explicata à* Daniele Tossano. *Neostadij, Germanicè.*

Amelingi victoria.

Wolffgangi Amelingi Victoria *de triumphata Communicatione Idiomatum reali, contra Matthæum Smalcaldensem. Seruestæ.*

Responsio pro libello Kemnitij.

Responsio pro libello Martini Kemnitij, de Vnione hypostatica naturarum in Christo, & de communicatione Jdiomatum, ad eius Examen à Lamberto Danæo conscriptum. *Addita est* Admonitio, *num fides possit euolare supra cœlos, & illic ipsam carnem Christi apprehendere. Lipsiæ.*

Schmidlini theses de dicto Christi, Spiritus est qui viuificat, &c.

Iacobi Andreæ Theses *de dicto Christi Ioannis* 6. Spiritus est qui viuificat, caro non prodest quicquam.

Declaratio contra Bremenses.

Declaratio binorum librorum à Bremensis Ecclesiæ Ministris editorum anno 83. *nomine* Wirtenbergicorum *Theologorum typis euulgata.*

Hunij libelli 4. de persona Christi.

Ægidij Hunij Libelli quatuor, de persona Christi, eiusque ad Dexteram Dei sedentis diuina Maiestate. *Quorum* primus *doctrinæ Hunianæ ex Scriptura confirmationem, & contrariæ* ἔλεγχον *continet.* Secundus, *purioris Antiquitatis vnanimem Consensum tradit.* Tertius, *Lutheri constantem, & iam inde à moto certamine Sacramentario, inuariatam sententiam persuadere conatur.* Quartus *demonstrationem habet, Lutheranas Ecclesias asserendo Maiestatem Filij hominis ab Augustana Confessione nihil quicquam recedere. Francofurti.*

Examen primæ partis libelli Huniani. Errores Huniani libelli.

In Libellorum istorum prima parte, non de Christi appellatione rectè sentit Hunius ; neque argumenta æternæ Diuinitatis Christi integra Ecclesiæ relinquit, neq; carnis humanæ in Christo eandẽ, quæ in nobis est, veritatẽ retinet; neque de Communione & Vnione naturarum hypostatica, Eutychetis & Nestorij scopulos euitat. Nec vel de Idiomatum communicatione, propriè sic dicta, vel de actionum naturæ vtriusque in apotelesmatis officij Christi distinctione, fidei orthodoxæ columnam inconcussam relinquit : Dummodo, qui scopus ei est in toto libro propositus, naturam humanam Christi ex vnione personali, actu primo ; ex Sessione verò ad dexteram Dei, actu secundo realiter vbique seu Omnipræsentem, & alijs Idiomatis Deitatis præditam, atque carnem Christi Eutychiano Suenckfeldiano more Deificatam statuat.

Exempla captiosarum ambiguitatum.

Hic verò cùm scopus eius sit, plerunque alijs verbis & phrasibus mentem suam tegere solet. Hinc inuolucra illa sunt, quibus propter ambiguitatem vocis κοινωνίας, *oculos præstringere Lectori conatur, quum ait* λόγον in ipso momento incarnationis, omnipotentiæ, & reliquorum suorum Idiomatum Maiestatem carni assumptæ communicasse, *Quæstione* 90. λόγον in κοινωνίαν realem & Idiomatum suæ hypostaseos carnem assumpsisse & euexisse, *Quæstione* 77. & 99. Diuinam naturam Verbi carni suæ assumptæ suas diuinas proprietates communicasse, omnipotentiam, omniscientiam, viuificandi virtutem, omnipræsentiam, assumendo eam in horum realem κοινωνίαν eorumque verè participem illam efficiendo: *Quæst.* 69. *Item*, realiter, imò realissimè: *Quæst.* 80. λόγον per diuinissimam vnionem participem facere carnem diuinæ suæ maiestatis: *q.* 81. Et quidem propriam suam maiestatem humanitati

nitati communicasse. *Itemque* infinitam maiestatem illam inhabitare ὁλικῶς in humanitate sic; vt finita humanitatis natura, verè euaserit particeps infinitissimæ maiestatis diuinæ: *q.* 83. Humanitatem infinitæ omnipotentiæ, sapientiæ, omnipræsentiæ verè & realiter consortem, κοινωνὸν & participem esse factam: *q.* 68. 70. 72. Carnem in κοινωνίας potentiæ Verbi euectam: *q.* 105. Naturam humanam, tanquam alio quodam ab humanitate Christi, ratione οὐσίας, diuerso, personaliter perfici: *q.* 25. Exinanitionis tempore λόγον abdicasse secundùm carnem Dominum suum, neque exercuisse pro ea, quam acceperat, potentia, plenariam suam dominationem: *q.* 97. λόγον extra carnem non esse vspiam, *q.* 10. 14. 25. Carnem in λόγῳ non esse localiter, *q.* 114. λόγον extra omnem loci rationem carni vnitum esse, *q.* 117. *His & similibus ambiguitatibus, Deificationem carnis & monstrum Vbiquitatis apertissimè inuoluit ac tegit.*

Exempla falsarum Assertionum. *Palam etiam falsa sunt hæc, quòd in istis libellis* nomen Christi ad humanitatem tantùm, & ad dona Spiritus sancti huic data refert, confundens vngi, quod latiùs patet, & donis Spiritus sancti vngi, *q.* 1. 2. 91. Quòd omnipræsentiam λόγου, Cœlum & Regnum cœleste confundit, *q.* 43. Quòd carnem Christi fingit per se consideratam, localem; in vnione verò omnipræsentem esse, *q.* 45 Quòd differentiam specificam talem constituit, quasi λόγος ita sibi vniuerit naturam humanam, vt exinanitionis quidem tempore per eam opus redemptionis mundi perfecerit; nunc verò per illam omnia in cœlo & in terra agat & operetur, *q.* 49. Quòd aliud esse fingit Naturarum communicationem, aliud Vnionem naturarum, *qu.* 52. *Etsi κοινωνίας, quam ipse fingit*, obtinere nequeat, nudam naturarum combinationem vocat Vnionem personalem, *q.* 53. Quòd communicationis Idiomatum tria genera facit, *q.* 58. Quòd verbalem, *id est*, fictitiam vocat prædicationem, cùm Deus dicitur passus esse, sic vt sola Christi humanitas passa sit & mortua *q.* 62. Quòd κοινοποίησιν, quæ est operationum communio in apotelesmatis officij, qua natura vtraque agit, quod suum est, secundum genus communicationis vocat, & carni omnipotentes actiones diuinitatis ascribit, *q.* 64. 66. & tanquam erroneum rejicit, quòd diuinas actiones Christus iuxta solam Deitatem, & non etiam iuxta humanitatem perficiat, & inde sequi *ait*, omnipotentiam diuinam naturæ assumptæ esse ἀκοινώνητον *q.* 67. Quòd tertium genus communicationis fingit, quo diuina natura verbi communicet humanæ SVAS diuinas proprietates 69. sic vt proprietates communicatæ carni, de humanitate PRAEDICENTVR 88. Quam communicationem Maiestatis vocat, 73. Quòd humanam Christi naturam omnipotentem esse *ait*, non οὐσίᾳ sed ἐξουσίᾳ *q.* 85. quòd diuinæ ἐνέργειαι ex vnione personali carni proueniant *q. ead.* quòd etiam ratio sit prorsus in vtroque: quòd humanitas sit omnipotens, & quòd caro sit viuifica, *confundens nimirum viuificationem, quatenus est diuina ἐνέργεια communis tribus personis diuinitatis, & quatenus est opus θεανδρικόν* 66. 86. quod caro eo ipso momento, quo maiestatem suam accepit, eiusdem pleuum vsum euacuauerit. 92. Quòd secundùm carnem assumptam λόγος sumpserit formam serui, & quòd exinanitio & exaltatio Christi tantùm ad humanam naturam Christi referenda sit *q.* 95. Quòd Christus (*Quo nomine naturam assumptam intelligit*) propter VNITAM SIBI diuinitatem DEO æqualis fuerit 96. Quòd ad carnis maiestatem & omnipotentiam refert, quòd Christus in horto hostes Iudæos prostrauit *q.* 97. quòd carni in statu exinanitionis tribuit speciales actiones diuinas, & miracula, per quæ maiestatis illius diuinæ, per vnionem acceptę, radij quidam sub illa forma seruili emicuerint. 98. quòd particulas IN, cum, & per carnem confundit 101. 102. Quòd in efficaci operatione miraculorum ait λόγον sic adhibere carnem, vt non tantùm ministerium externum, sed illa ipsa diuina efficacia Verbo originaliter, humanæ autem naturæ ἑπομένως ex vnione hypostatica κοινωνίᾳ reali adscribatur 102. quòd Christum fingit intermisse realis omniscientiæ carnis ratione ignorasse extremi iudicij diem: Et Christum etiam secundùm carnem nunc nosse omnia quæ velit, reuelante λόγῳ: confundit cum eo, quod carnē ipse sentit secundùm humanam suam mentem & Spiritum omniscium esse: 104. *ficut mox q. sequente* confundit notitiam visionis & omniscientiam, quæ est increata illa Dei solius intelligentia. Quòd exinanitionem definit abdicationem plenissimæ energiæ maiestatis acceptæ ad tempus, 180. Quòd humanitatem fingit etiam in morte mansisse realiter omnipotentem, *vel vt ipse obscurè & perplexè loquitur*, quòd nulla facta sit communicatæ omnipotentiæ ablatio 109. Quòd omnipræsentiam ait carni Christi ascribendam esse, & quòd pars exinanitionis fuerit, non modò, quòd Christus vno in loco natus, vno loco passus est, sed etiam quòd Angeli dicunt, Surrexit, non est hic 114. Quòd NATVRÆ humanæ qua-

1585.

quatenus in persona filij Dei personaliter subsistit talia ascribantur; quæ non cum hominibus alijs, sed cum SOLO CREATORE communia habeat 115. Quòd caro Christi vnà cum λόγῳ etiam in vtero matris, in cruce, in sepulchro, existente VBIQVE fuerit, etsi in statu humiliationis λόγος non habuerit eam cæteris in orbe creaturis præsentem: quibus gubernandis tunc humana natura nondum adhibita fuerit: Iam autem in statu gloriæ λόγον nō sibi tantùm illam habere præsentem personaliter, sed eandem quoque creaturis, ratione gubernationis præsentem habere, quatenus λόγος per exaltatam humanitatem omnia gubernet & administret in cœlo & in terra: Et quòd in vtero matris esse, in cruce, in sepulchro esse, Christo conuenerit κατὰ φύσιν non secundùm maiestatem, gratia cuius nec in cruce, nec in sepulchro, sed in ipsa Deitate caro Christi fidei oculo aspicienda sit: 118. Quòd Christi humanitas intra Dei Verbum subsistens omnibus in locis adesse dicatur & illocalis 123. Quòd CARO OMNI-præsens sit ex vi vnionis hypostaticæ 1.5. & quatenus in λόγῳ personaliter subsistit ab OMNI localitate penitus absoluta sit: Quòd etiam in personali præsentia Christi hominis, nec vnus, nec alter, adeoque nullus prorsus locus esse vel considerari possit, *q.126.*

Exempla deprauationis locorum Scripturæ.

Præterea prima hæc pars continet deprauationes manifestas multorum insignium locorum Scripturæ. Sic Pauli dictum 1.Cor. 10. de Petra comitante, quæ fuit Christus, corrumpit q.4. affirmans, ideo tantùm dici eo in loco Christum, quia post tempus illud, ex quo Filius Dei homo factus sit, Apostolus ipsa scripserit: *quod eodem prorsus modo Antitrinitarij hodie quoque sentiunt ac scribunt, qui vnctionem etiam Christi, de qua Hunius dicta Psal.45. Dan.9. Isa.11. Ioan.3. q.1.2.3. allegat, more Huniano q.91. detorquent ad diuinam carnis maiestatem.*

Est & alia in dicto Ioannis 3. Non dedit ei Spiritum ad mensuram, deprauatio, cùm ad λόγον qui carnem suam infinitâ plenitudine proprij sui Spiritus vnxerit, detorquet *q.91. quod non de Filio seipsum aut carnem suam vngente, sed de Patre, qui misit Filium eumque diligit, & omnia in manum eius dedit, manifestissimè textus dicit.*

Similes corruptelæ sunt dulcissimorum illorum dictorum Ioan.6. Caro mea est cibus viuificus q.70. Ioan.14. Ego vado ad Patrem q.20. 16. Marc.2. Vidit Iesus Spiritu cogitationes Pharisæorum: Quam particulam, Spiritu, plerumque omittit. *Et quòd Marc.5. & Luc.8. dicitur: Sensit virtutem ex se exiuisse, pro eo Hunius mentionem corporis subjicit, q.110. Mutilat & Petri dictum Act.10. de potentia, qua sanârit Christus à diabolo oppressos, omittens clausulam quæ additur: Quia Deus erat cum illo, q.92.100. Prorsus vero in alienum sensum detorquet dicta Coloss.2. In ipso habitat omnis plenitudo Deitatis corporaliter, q. 83. Et, in Christo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ sunt reconditi, q. 92. Et Philip.2. Qui cùm in forma Dei esset, non rapuit æqualem esse Deo, sed seipsum exinaniuit, q.94.95.96.*

Exempla deprauationis Symbolorum & Patrum: item labefactionis argumentorum, quibus orthodoxi vtuntur ad probandam æternam Filij Deitatem.

Pari studio corrumpere conatur sententiam Symboli Chalcedonensis, in quo cùm emphaticè contra Eutychen posita sit particula INCONFVSE, *passim eam Hunius omittit: quemadmodum & clausulam illam insignem nusquam attendit:* Haudquaquam differentiam vnione tollente, sed potiùs proprietatem vtriusque naturæ conseruante, quæ in personam, *id est*, subsistentiam vnam concurrit.

Neque vllum ferè ex Patribus dictum citat, nisi vel mutilatum, vel in sententia corruptum, vel ad institutum suum perperam accommodatum.

Cumque initio libri à quæstione 7. vsque ad 30. paginas multas expleuerit disserendo de æterna Filij Dei æternitate, fortassis fidem sibi hac ratione conciliaturus, si vera quædam præmittere videretur: neque in his tamen sincerâ fide agit, non solùm omittens argumenta maximè illustria ab omnipotentia, omniscientia & omnipræsentia Christi sumpta, quæ non minùs quàm cætera aduersus Seruetianos vrgenda erant, sed etiam diuellens Idiomata Deitatis, & de carne ipsa non quidem omnia, sed quæ videntur ipsi Idiomata diuina prædicans. In quo quantum sit periculi, Antitrinitariorum scripta ostendunt.

Axioma etiam illud Catholicum corrumpere & labefactare conatur: Quòd nihil verè Omnipotens sit, ac dici queat, nisi quod essentialiter Deus est, *q. 80. 86. Quemadmodum & illud Axioma immotum oppugnare audet*: Cuicunq; naturæ realiter diuersæ species præsentiæ tribuuntur, eidem diuersas quoque essentias asseri oportet, *q.122.*

Sophismata verò plurima continet: vt cùm dicit omnipotentiam tum demum desinere proprietatem diuinitatis esse, si Idioma humanitatis euadat, ita vt ex se & suæ naturæ propriæ conditione humanitas sit omnipotens, *qu.* 80. Cùm carni actiones diuinas *assignat*, sic tamen, vt Deitatis actio naturalis non fiat actio naturalis humanitatis, & vt humana natura ex se aut naturali sua vi ac proprietate actiones illas diuinas non producat: *q.40. Quasi non potiùs quæstio sit, an humana natura diuinas pro-*

*proprietates & actiones omnipotentes habeat, quàm unde hac, quod falsò ei adscribitur, habeat: aut quasi in exempla hominis dici posit corpus humanum esse intelligens, & ratiocinari; sed vim intelligendi nan fieri Idioma carporis, neque corpus ex se & naturali proprietate intelligere & ratiacinari. Quad propter absurditatem Hunius ipse dicere non audet, quantumuis q.*81. 85. 115. *Similitudine corporis, viuentis beneficio animae, & ferri igniti abutatur, confundens propria quarti & secundi modi: Et quaest.* 107. *prorsus alienam & ineptam similitudinem de infante & philosopho & pullo gallinaceo afferat ad omniscientiam carnis probandam.*

Sunt & merae praestigia Sophismatum, Cùm contra regulam, quae vetat 4. *terminos esse in Syllogismo, crassâ & plusquam puerils hallucinatione infert:* Quia loco exemptus fit λόγος, & vnio non fit localis: Caro autem Christi fit in λόγῳ eique vnita: propterea carnem in persona Verbi extra & supra omnem locum esse: *q.*45. *&* 46. *Et audet tamen simili absurditate argumentari*: Quia λόγος ab aeterno est, & ab omni tempore penitus exemptus, propterea etiam humanitatem Christi in persona τοῦ λόγου extra & supra omne tempus esse. *Quasi verò falsa fit Christianorum aera annorum* 1587. *aut quasi hic numerus, ad humanitatem per se aut extra vnionem consideratam, qualis nusquam est nec vnquam fuit, non autem ad humanitatem in λόγῳ subsistentem pertineat.*

*Manifestus etiam paralogismus est, ex ambiguitate artus, cùm Christi humanitatem cauillatur participem fieri potuisse omnipotentiae & caeterarum proprietatum, id est, vt ipse intelligit realiter omnipotentem, omnipraesentem, &c. quia caro ipsius λόγου capax facta, id est, λόγῳ vnita est quaest.*83. *Cumque* 132. *omnipotentiam carni communicatam esse, id est, realiter omnipotentem factam esse, ratiocinatur, quia immortalitas fit communicata, quasi non discrimen fit inter immortalitatem, quatenus communicatur rei creata: & omnipotētiam, quae simpliciter est Idioma essentiale solius Deitatis. Quod discrimen quia non considerat, falsò ab exemplis illis planè diuersis, habere sapientiam, bonitatem, iustitiam: & esse sapientiam, bonitatem, iustitiam ipsam: (quorum illud etiam creaturis, hoc soli Deo congruit) argumentatur*, discrimen inter haec quoque infinitum esse: Omnipotentiam habere, & esse omnipotentiam *qu.*85. *tùm de Deo dicatur vtrumque.* Et Carnem *ait* habuisse ac retinuisse maiestatem ipsam actu primo, sed actu secundo non vsurpasse exinanitionis suae tempore *qu.* 93. *quasi vt de rebus creatis, sic de Deitate quoque & huius Idiomatis, distinctio actus primi & secundi à Philosophis sit tradita.*

Quid etiam nisi inane χρυσοῦ ὄρος *est, quod fingit*, id quod omnipotens est, tum demum Deum esse, si ex natura sua & essentiae proprietate naturali fit omnipoteos: *quaest.* 86. *quasi verò aliud quàm Deus verè omnipotens esse possit: aut quasi omnipotens aliquid dici queat, quod non ex natura & essentia sua proprietate est omnipotens. Et quòd ait, vnam & eandem esse carnem Christi, quae fit localis per se, & illocalis in λόγῳ, ficut vna est diuinitas λόγου, etiamsi aliter est in creaturis omnibus, aliter in sanctis, aliter in Christo: q.*122. *quasi verò carni, quamdiu caro est, competat modus essendi alicubi repletiuus, ac definitiuus, sicut diuinitati (quae vbique modum essendi repletiuum retinet) rectè tribuitur, vt alibi fit generali, alibi speciali operatione efficax: soli autem natura assumpta vnita hypostaticè: aut quasi eadem diuinitas in vnione fiat localis, quia caro localis est, ficut carnem in vnione ait illocalem esse, quia λόγος fit illocalis. Et quòd omnipraesentem fingit naturam humanam propterea, quia natura dua non sint locis separata: q.*119.

Praeterea multa contrarietates sen contradictiones insunt primae huic parti: veluti, quòd q. 9. propterea dicit Christum Deum esse, quia in ipso vtpote imagine & charactere substantiae paternae diuinitas, bonitas, potentia & sapientia Patris absolutissimè refulgeat. *Et quòd tota libro isto falsò pugnat*, carnem esse omnipotentem, omniscіam, omnipraesentem, *quam Deum & characterem Patris esse affirmare non audet.*

Contrādictiones Hunnianae.

*Quod q.*11. *locum Isaia* 35. *qui de miraculis Messia loquitur*, Deus ipse veniet: Tunc aperientur oculi caecorum; *fatetur pertinere ad confirmandam Christi Deitatem: Et q.*17. *rectè ait:* Christum euincere ex miraculis suis, & diuinis operibus, Johan. 10. se Deum esse, & vnum cum Patre. Et quòd Iohannes hinc pet miracula gloriam eius, gloriam tanquam vnigeniti à Patre conspectam esse asserat. *Et q.* 21. Opera omnipotentiae toti Trinitati communia esse ait: *Item, q.*92. Virtutem edendorum miraculorum rectè *ait* non aliam nisi diuinam esse, *iuxta illud Psalmi: Tu Iehoua facis mirabilia solus? Et tamen q.*98.102. *& alibi passim*, miracula & opera diuina tribuit carni, *cui dicta illa, quae sunt descriptio Deitatis, minimè congruunt.*

*Quòd q.*15. Inuocationem soli Deo Iehouae rectè tribuit, & Christum verum Deum esse ex eo, quod inuocatur, illustrari *fatetur: Et alibi tamen* carnem propterea inuocandam esse docet, Quia fit omnipotens, omnipraesens, &c. *Causam videlicet ponens*

1585. *nens in ipsa omnipotentia & omniprasentia carnis.*

Sic q. 20. Scrutari hominum corda solius Dei esse *fatetur, Et tamen* carnem Christi realiter omniſciam eſſe pugnat.

Qu. 31. Coniungit tamquam æquipollentia: Aſſumpſit ſemen Abrahæ & κοινωνίαν carni. *Et tamen q.* 52. 53. 54. *vult* aliud eſſe vnionem, aliud *κοινωνίας* naturarum.

Sic qu. 57. *ait* differre vnionem perſonalem & communicationem Idiomatum: *Et tamen dictum Pauli Coloſſ.* 2. *In ipſo habitat, &c.* aliàs de vnione, aliàs de effuſione Idiomatum diuinorum in carnem *interpretatur. Neque tamen omnium, ſed* aliquorum *tantùm q.* 79. *cùm de omnibus loquatur dictum Pauli, vt Hunius ipſe fatetur q.* 82. ſub plenitudine Deitatis citra controuerſiam, omnem maieſtatem Filij Dei comprehendi.

Qu. 36. *Rectè negat* carnem Christi alterius ſpeciei eſſe, quàm ſit humanæ ſubſtantiæ caro, *& q.* 37. *ait* humanam Christi naturam non fuiſſe ſpectrum, nec φάντασμα. *Fatetur etiam q.* 40. non ſubſiſtere humanitatem in ſeipſa, ſed tantummodo in perſona τοῦ λόγου conſideratur, inuiſibilem, incircumſcriptam, illocalem *fingit: quæ naturam carnis Christi prorſus in aliam ſpeciem mutant.*

Eadem q. 37. *fatetur* Incarnationem Verbi hoc fine & conſilio factam, vt moriendo pro nobis ab æterna morte nos liberaret. *Cur igitur pugnatur* carnem Christi omnipræſentem & omnipotentem eſſe ex vi vnionis perſonalis? *Quod ſi verè diceretur, non potuiſſet Chriſtus mori, id eſt, nec corpus & anima diſſolui in eo potuiſſent, neque pati, & ſenſu deſertionis diuinæ affici.*

Qu. 38. *fatetur*, quòd Christus creuerit ſapientiâ, id animæ rationali ſiue intelligenti humano ſpiritui competere: *q.* 104. puerum Ieſum *ait* ſapientiâ creuiſſe non ſimulatè profectò, ſed in rei veritate: *cur igitur pugnat Chriſti humanitatem ex vnione omniſciam fuiſſe? Idque vt qu.* 106. *loquitur*, in ipſo conceptionis puncto? *Nam quòd qu.* 107. ſapientia ipſa, *inquit*, in Christo non creuit, ſed creuit ſapientiæ manifeſtatio in humanitate: *Id contradictionem nouam implicat: Nec poteſt idem dicere de ſtatura & ætate, cuius mentio ab Euangeliſta coniungitur cum creſcente ſapientiâ.*

Qu. 39. naturarum propria omnino *ait* diſtincta eſſe, Et diuinitatis propria non fieri propria humanitatis: Operationes etiam naturarum, *inquit*, diſtinctas eſſe, *q.* 40. *Cur igitur humanitatem ſtatuit realiter omnipotentem & omniſciam? Cur diuinitatis actiones carni ſic tribuit, vt eadem agat humanitas Chriſti, quæ Diuinitas agit? Cur omniſcientiam, & cætera Idiomata Deitatis aliàs actu primo, aliàs ἐνεργητικῶς q.* 107. *competere humanæ naturæ fingit, cuius Idiomata eſſe negat?*

Qu. 62. *Negat rectè dici*, ſolam humanitatem Christi paſſam eſſe, *& mox tamen addit*, Christum ſecundùm humanitatem paſſum eſſe, Diuinitatem enim paſſionum expertem eſſe. *Et rurſus ſeq. q. ait*, carnem non communicare paſſionem ſuam τῷ λόγῳ. *Et tamen pugnat, realem, vt ipſe loquitur, communicationem eſſe, quòd Filius Dei paſſus ſit.*

Qu. 75. *tuetur*, effuſionem Idiomatum diuinorum in humanitatem rectè vſurpatam eſſe à Brentio, exemplo donorum S. Sancti, quæ abundanter in ſanctos effundantur: *Et tamen* Idiomata, & dona toto genere diuerſa eſſe *fatetur. q.* 69. Vbi tantùm dona, *ait*, humanam Christi naturam communia habere cum Sanctis: Non autem maieſtatem, *cuius appellatione Idiomata Deitatis intelligit. Item, Donorum ſubiecta eſſe ſanctos negare non poteſt: At diuinorum Idiomatum ſubiectum negat eſſe naturam humanam aſſumptam: Sic enim inquit q.* 78. Humanitas Christi Idiomata illa non in ſemet ipſa, vel vt in ſubiecto habet: *Et mox tamen addit*, humanitatem SIBI in perſona Verbi realiter communicata obtinere Idiomata illa. *Quod perinde eſt, ac ſi quis dicat, corpus in vnione cum anima eſſe intelligens, & ratiocinandi facultate præditum: Non tamen in ſe eſſe intelligens, neque intelligentiæ ſubiectum eſſe, & obtinere tamen vim intelligendi realiter ſibi communicatam.*

Qu. 80. *ait*, Omnipotentiam proprietatem eſſe ſolius Deitatis & quidem in quarto modo perpetuò, & immutabiliter, nec vnquam fieri humanæ naturæ Idioma: *Contra verò paſſim pugnat, quòd humana natura facta ſit omnipotens: idque exemplo vitæ communicatæ corpori ab anima, & ſplendoris ſeu ardoris, quem ferrum accepit ex igne ſecum vnito, probat q.* 81. 85. *cùm hi effectus ſubiectiuè ſint in corpore, & ferro: & ad propria ſecundi modi pertineant. Maieſtatem verò carnis negat Hunius eſſe creatum aliquid, quod inſit humanitati tanquam accidens q.* 74. *idem repetit de omniſcientia q.* 104.

Qu. 82. *ait*, perinde maieſtatem diuinorum Idiomatum ineſſe carni, ſicut tota Deitatis plenitudo perſonaliter inhabitat in Christo, reſpectu carnis, & hac ratione illam de Carne PRÆDICARI. *Sed quomodo de ea prædicari poteſt, cùm ei non inſit, vt ſubiecto, ſicut eadem qu. inquit: Etſi plenitudo Deitatis omnia Idiomata comprehendit, imò & eſſentiam diuinam: quomodo de carne prædicari*

1585.

dicari magis potest, quòd sit omnipotens, quàm quòd sit immensa, materiæ omnis expers, & Deus? præsertim cùm q. seq. dicat, humanam naturam verè participem evasisse Infinitissimæ majestatis divinæ.

Qu.85.ait, voluntatem humanam subiectam esse divinæ. *Et tamen pugnat humanitatem realiter esse omnipotentem: Quo ipsa tollit, quod scriptum est*: Subiecta sunt ei omnia, præter eum, qui ei subiecit omnia.

Qu.87.ait, Spiritus sancti omnipotentiam (quæ eadem est τοῦ λόγου omnipotentia) cum ejusdem essentia converti, nec inferiori gradu omnipotentem esse, quàm sit vel Pater vel Filius: *At cum humana omnipotentia non converti, & eam planè diversum quiddam esse dicit ratione οὐσίας. Quid igitur nisi fucus est, quòd negat, se duas omnipotentias statuere. q.47.& alibi sæpe.*

Qu.88.inquit, Nos in hoc mysterio nihil ultra præscriptum Divini Verbi vel affirmamus, vel defendimus: Et hoc nomine non credimus, quòd humanitas Christi sit ab æterno & infinita facta: *Cur igitur pugnat humanitatem esse ubique, cum neque* REI *neque* PHRASEOS *istius ullum fundamentum ex sacris Literis proferri possit?*

Eadem q.ex dicto Dan.7. Quòd filio hominis data sit æterna potestas *non audet ratiocinari, naturam humanam esse æternam? Et tamen ex simili dicto*: Mihi est omnis potestas data, *colligit*, humanitatem esse omnipotentem, *non discernens inter omnipotentiam, quæ est Idioma Deitatis communicabile, & omnem potestatem, quæ est officii & regni in Mediatore.*

Prætereo, quòd exinanitionem carni passim tribuit, eam interpretatur intermissionem usus realis omnipotentiæ, *idque declarat simili* lipothymiæ *q.109. & quod passim* primum & secundum actum omnipotentiæ constituit, *Idque intelligit de communicata omnipotentia. Et negat tamen omnipotentiæ subjectum esse carnem.*

Qu. 111. fateri cogitur, citra solutionem unionis personalis cum λόγῳ animam, & corpus Christi in morte locis diversis fuisse: *Et q.115.ait*, λόγον non habuisse carnem suam in statu humiliationis, cæteris in orbe creaturis præsentem: *Cur igitur q. 116. solui unionem hypostaticam fingit, nisi humanitas omnipræsens statuatur?*

Qu. 112. fatetur, immortalitatem communicatam esse corpori Christi, beneficio & jure unionis, Et hinc in ipsa mortalitate corpus Christi incorruptibile mansisse *ait. At si immortalitatem hanc intelligit de immortalitate increata, cur pugnat Idiomata Deitatis communicata carni non inesse, ut subjecto? Sin de creata immortalitate loquitur, cur per instantiam creatæ immortalitatis, infringere conatur regulam*: Nullum Idioma Dei essentiale communicatur rei creatæ.

Multis etiam quæstionibus pugnat, carnem Christi esse omnipræsentem: *Et negat tamen* vel plura corpora Christo hac ratione attribui: vel humanitatem infinitam fieri, vel extendi. Et aliter in suæ naturæ proprietate considerari carnem ait, aliter in λόγῳ. *Negat tamen* se constituere carnem extra unionem. *Quod si verè sentit, cur in ipsa unione cum λόγῳ conditiones contrarias carni eidem adscribit, ut sit localis & illocalis? Fraudulenter autem disputationem de Cœna Domini miscet*: Et nisi Vbiquitas ponatur, sentit præsentiam corporis Christi in Cœna defendi non posse. Eius verò præsentiæ modum replerivum ponit & causam in unione personali collocat, *& vult tamen ὁμόδοξος videri D. Luthero*, qui fundamentum totius doctrinæ de Cœna docet esse non ubiquitatem, sed verba Christi.

Augustanæ Confessionis historia edita.

Edita est etiam hoc anno Augustanæ Confessionis Historia, *quomodo anno 1530. Imp. Carolo V. exhibita, & ab iis, qui eam profitentur Imperii Ordinibus in articulo de sacra Cœna perpetuò intellecta, &c. Item, De Concordia anno 1536. Witebergæ instituta usque ad finem anni 1561. continuata: Opposita Narrationibus quas Ambrosius* Wolfius *de his rebus disseminavit: A delectis quibusdam ad eam rem Theologis primùm Germanicè conscripta, sed hoc anno in Latinam linguam translata per Iacobum Godefridum Brunsuicensem. Lipsiæ.*

Responsio ad declarationem reformationis in Palatinatu.

Responsio *ad libellum cujus hic est titulus*, Declaratio vera institutæ reformationis in Palatinatu, *Theologorum quorundam è Palatinatu dimissorum. Tubingæ, Germanicè.*

Acta Heydelberg. disputationis.

Heydelbergensis Disputationis de sacra Cœna anno 84. *instituta, inter eius loci Theologos & Ioannem Iacobum Grynæum* Acta. *Lipsiæ.*

Responsio ad scriptum Bremensium.

Responsio *ad scriptum quod Bremenses Theologi adversus Collectores Apologiæ pro Formula Concordiæ publicarunt. Lipsiæ.*

D. Hofmanni Apologia ad Bezam.

Danielis Hofmanni Apologia, *missa ad Theodorum Bezam, quâ τὸ ῥητὸν in verbis Cœnæ Dominicæ immotũ, Bezæ autem coargutationes adversariæ falsæ demonstrantur. Helmstadij.*

Danæi assertio

Lamberti Danæi Assertio, *quòd humana Christi natura neq; in unione personali, neque per unionem cum Deitate τοῦ λόγου sit & evaserit Deus: contra postremum Iacobi Schmidlini scriptum de adoratione carnis Christi. Genevæ.*

Acta Quedelburgen.

Acta Colloquij Quedelburgensis de Vbi-

1585. Colloquij.

quitate corporis Christi: *unà cum* Iudicio Hesshusii de Apologia Erphordensi. *Neostadii, Germanicè.*

Querela de certamine Sacramentario.

Querela *ad iustum Iudicem D. N. Iesum Christum, de certamine Sacramentario. Heydelberga, Germanicè.*

Fickleri Spongia.

Ioannis Baptistæ Fickleri *I.V.D.* Spongia *contra Prædicantium VVirtembergensium aspergines, illorum qui superioribus annis Patriarchæ Constantinopolitani iudicium super capita Augustanæ Confessionis temerè expetiuerunt. Ingolstadii.*

VVirtembergensis Princeps Theologis suis silentium imposuerunt, & petunt ut idem fiat in Palatinatu.

Fuit hoc etiam anno Heydelbergæ Illustriss. Princeps VVirtenbergicus & Comes Mompelgardensis Fridericus, *qui nomine Illustriss. Principis* Ludovici *Ducis VVirtenbergici inter alia, quæ ad mutuam pacem & Concordiam conservandam facerent, Illustrissimo ac fortissimo Duci Ioanni Casimiro, Comiti Palatino, Electoralis Palatinatus Administratori ac Tutori, retulit;* Theologis VVirtenbergicis à suo Principe mandatum esse, ut posthac Theologos Heidelbergenses publicis scriptis non ampliùs lacesserent, petens ut suis quoque Theologis silentium imperaret Princeps Palatinus: *id quod etiam haud difficile fuit impetrare.*

Schmidlini Cuculus editur.

Sed quid fit? Jacobus Andreæ, *sui Principis voluntate neglectâ & authoritate eius insolenter contemptâ, non quidem sub suo, sed cujusdam* Holderi *nomine virulentissimum librum edidit, cui* Cuculi *titulum fecit, & Grynæi Apologiæ superiori anno editæ opposuit: in quo non solùm Academia Basiliensis traducitur & exagitatur, quasi & Grynæo & Religioni suæ metuens, non verò publicæ tranquillitati consulens, Epistolam illam scripserit, de quo paulò antè: sed etiam Grynæum horrendis conviciis obruit, maledictis lacerat, ejusque sanam doctrinam tanquam hæreticam & blasphemam traducit.*

Beumleri Falco.

Huic Cuculo Marcus Beumlerus *Tigurinus pro Grynæo* Falconem *opposuit, ad capiendum, deplumandum & dilacerandum miserum & scabiosum istum Cuculum.*

Hellopæi Pannonij de rotare Sacramentaria tractatio.

Edita est quoque hoc anno Valentini Hellopæi Zikzai, *in Ecclesia Debreczienfi, apud Pannonios, Pastoris,* De Sacramentis in genere, sive de rotare Sacramentaria Tractatio, *permodestè simul & eruditè scripta, & in tres libros distincta. Primi libri capita sunt hæc.*

Libri 1. capita.

1. Ἔτυμον & homonymia vocis Sacramenti. Quòd Sacramenta signa sint, & ex quo signorum genere. Quid in Sacramentis Signi appellatione censendum.

2. Sacramenta quarum sint rerum signa. Docetur vitam animæ in fide consistere. Proinde Sacramenta fidem obsignare. Fides porrò tria quærit, causam efficientem instaurationis nostræ, gratiam: causam materialem, Christum: causam formalem, fructus meriti Christi, puta sapientiam, iustitiam, sanctificationem & redemptionem: quæ tria sunt res omnium Sacramentorum. Cur Sacramenta Deus Verbo non contentus instituerit? Aliquot Sacramenti definitiones.

3. Epilogus superiorum, in quo summatim docetur ex re gemina quodlibet Sacramentum constare.

4. Methodica causarum, partium & finium Sacramenti tractatio, ut tandem ad definitionem veniatur.

5. Qualis sit connexio duplicis materiæ in Sacramentis, & quomodo participes fiamus cælestis materiæ, nempe spiritualiter per solam fidem.

6. Nullos incredulos & hypocritas rem Sacramenti percipere, utcunque symbola percipiant.

7. Prædicationum sacramentalium ratio, quæ consistit in Signi & Signati Metonymia, quod plurimis Scripturæ locis probatur.

8. Quæ sit ratio ejusmodi μετωνυμίας, & cur duo disparata de se mutuò in Sacramentis prædicentur, præsertim quum in promptu esset propria loquutio.

9. Usus superioris doctrinæ, ut caveatur tum excessus, tum defectus: hoc est: ut nec plùs nec minùs quàm par est Sacramentis tribuamus.

10. Quæ sit convenientia, quæ item discrepantia Sacramentorum Veteris & Novi Testamenti.

11. Quot sint Sacramenta Novi Testamenti, & de conditionibus per quas vera Sacramenta ab adulterinis discerni queant.

Libri 2. capita.

Libri secundi capita hæc sunt de Baptismo.

1. Baptismi vocis ἔτυμον & variæ significationes. Quid signi vicem in Baptismo obtineat, & quæ Signa sint adulterina, utpote institutioni Christi addita.

2. Quæ res sint significatæ in Baptismo.

3. Quæ sit ἀναλογία inter signa & res signatas Baptismi.

4. Methodica causarum, partium & effectorum Baptismi tractatio, ut tandem plenior Baptismi definitio constituatur.

5. Quæ sit efficacia Baptismi, an peccato abluat, & an gratiam conferat.

6. De discrimine Baptismatum Ioannis & Christi.

7. De Anabaptismo & triplici ejus occasione: 1. ex rebaptizatis, qui leguntur Act. 19. 2. ex enormi post Baptismum priorem lapsu: 3. ex fidei defectu, quum videlicet ante fidem prior Baptismus susceptus est. Ostenditur autem contra hos omnes errores, Baptismum minimè iterandum esse.

8. Circumstantiæ circa Baptismum observandæ. Quibus sit commissa Baptismi administratio. Qui sint baptizandi. Ubi, Quomodo, Quo ritu bapti-

baptizandum. De Pædobaptismo quoque, hoc est, infantium Baptismo, copiosè disputatur.

Libri 3. capita.

Tertii libri capita hæc sunt de sacra Domini Cœna.

1. *Cœnam Domini à Sathana magis quàm Baptismi Sacramentum fuisse impetitam. Cur id factum, causæ redduntur. Variæ appellationes hujus Sacramenti recensentur. Denique quid in Cœna Domini sit signum, & quotuplex sit explicatur.*

2. *Quot sint res significatæ in Eucharistia, nempe corpus & sanguis Domini, Passio & mors ejusdem, comestio corporis & haustus sanguinis, & proinde συσσωμάτωσις cum suis fructibus, sapientia, justitia, sanctificatione & redemptione: denique mutua charitas.*

3. *Quæ sit ἀναλογία signorum & signatorum in Eucharistia.*

4. *Methodica causarum & partium Cœnæ Dominicæ explicatio, & triplex definitio: una Signi, altera Signati, tertia totius complexi. Et de verbo Cœnæ Dominicæ, & de Consecratione.*

5. *Disputatio de mutilatione elementorum in Eucharistia.*

6. *Altera pars methodi sequitur: nempe, disputatio de sensu Enunciationum,* Hoc est corpus meum: *&,* Hoc est sanguis meus, &c.

7. *Prima Classis rationum, in qua decem validissimis argumentis ostenditur, omnino fieri non posse, ut illæ enunciationes sine figura regulariter & propriè accipiantur, quod ex ipso quoque quantumvis contradicentium confessione consequitur. Refutantur quindecim eorum rationes.*

8. *Probato, figuratas esse illas enunciationes; quæritur quænam sit illa figura?*

9. *Secunda Classis, in qua propositionem μετωνυμικῶς explicandam esse, tum ex verbis adjunctis & circumstantiis, tum ex collatione aliorum Scripturæ locorum ostenditur. Sic autem hæc loca recensentur, ut universum hoc argumentum per illa illustretur.*

10. *Tertia Classis, in qua demonstratur à perpetua omnium Sacramentorum communi natura in Eucharistia Signo signatum per μετωνυμίαν attribui. Proponitur autem tabella typorum & Sacramentorum, ut res uno intuitu concipi possit. Et quia multi abhorrent à signi, figuræ, typi, &c. nominibus, ex perpetuo totius antiquitatis consensu ostenditur nihil esse illis verius.*

11. *Apologia capitis proximi contra eos qui negant μετωνυμικῶς Signi Signatique nomina vicissim inter se permutari, cùm in aliis Sacramentis, tum etiam in Eucharistia.*

12. *Quarta Classis argumentorum depromptorum ab articulo fidei nostræ, qui est,* Ascendit ad cœlos, &c.

13. *Apologia quartæ Classis, in qua refutantur rationes adversariorum, de cœlo ὑτοπικῷ & allegorico, negantium Christum ascendendo in cœlos re verà abiisse.*

14. *Quinta Classis argumentorum, à veris humanæ Christi naturæ proprietatibus, quæ quandiu verus est homo, non patiuntur humanitatem Christi alibi quàm uno simul loco esse, ac proinde prohibent illius corporis essentiam localiter in pane & poculo, in tot orbis terrarum partibus, in quibus Eucharistia administratur contineri.*

15. *Apologia quintæ Classis contra eos, qui negant obstare genuinas veri corporis proprietates, quo minùs revera & localiter adesse possit in Cœna. Refutantur illorum obiectiones.*

16. *Sexta Classis, ex propriis fructibus manducationis & haustus corporis & sanguinis Domini, ubi etiam de vero manducationis modo differitur.*

17. *Apologia sextæ Classis, contra eos qui sacrosanctum Christi corpus etiam impiis prostituunt, & sine fide percipi in symbolis docent, ubi differitur plenius de triplici manducationis modo: cum refutatione eorum modorum quos falsò commenti sunt, qui Transsubstantiationem & Consubstantiationem tuentur.*

18. *Septima Classis argumentorum ab antiquitate nostræ sententiæ, quæ omnibus retrò seculis apud Orthodoxos obtinuit, Consubstantiatione demum definitâ in Pseudosynodo Lateranensi.*

19. *Octava Classis, ex refutatione præcipuorum argumentorum, quibus contraria sententia superstruitur.*

Friderich Widebrami Theologi vita & obitus.

Hoc anno etiam 2. Maii ex hac mortali vita ad cœlestem illam vocatus est à Deo, Reverendus, & omnium bonorum memoria & amore dignissimus D. Fridericus Widebramus *S. Theologiæ excellentissimus & orthodoxus Doctor, natus anno 1532. honestissimis parentibus* Pesneccii, *Voitlandiæ oppido non incelebri. Cùm Ienæ Thuringorum, in efflorescenti Academia recens instituta, linguæ Latinæ Professorem ageret, in ea autem urbe, quidam ἑτεροδιδασκαλοῦντες parùm æqui essent, pridem piè defuncti Melanchthonis doctrinæ & consiliorum æstimatores: atque adeò iis omnibus, qui hæc probantes delectabantur memoriâ virtutum, doctrinæ, & meritorum in Rempub. Christianam tanti viri, infesti essent: factum est, ut humanissimis literis Doctoris Peuceri, doctissimi ac optimi quidam viri,* Witebergam *accerserentur, ac eò quoque se conferrent. In horum numero fuit Clariss. ille Iurisconsultus Germaniæ, M.* Wesenbeccius, *&* Widebramus. *Accidit autem, Anno Christi 1570. ut unanimi consensu Ecclesiæ, Senatus & Academiæ Witenbergensis, cura Pastoris eius Ecclesiæ,*

Wesenbeccius & Widebramus vocantur Witebergam. Widebramus eligitur Pastor Ecclesiæ Witebergensis, eiusque moderatio in negotio Cœnæ ante æquitatem verò latam.

1585. sia, post obitum P. Eberi, D. VVidebramo, seriò tantam provinciam detrectanti, demandata sit. Fassus est postea aliquoties ingenuè magnis quibusdam viris, se, cum ad Ministerium Ecclesiæ accederet, alienum à sententia, quam de Eucharistia Orthodoxa Ecclesia profitentur: hoc tantùm habuisse, ut nostros iudicaret odio non habendos: nec hostilibus anathematismis & virulentis Scriptis insectandos. Sed cùm incidisset in quosdam doctos & exercitatos homines, qui iis argumentis orthodoxam doctrinam defendebant, quibus non nisi responsionibus ab ipsomet Luthero in Polemicis scriptis traditis, satis fieri posse opinatus fuerat: ubi vidisset nullum Argumentum ita solidè ab eodem confutari, paginas interdum Ironiis, sarcasmis & aliis inconsultis vocibus respergi: lachrymis præ dolore se paginas illas madefecisse, simul confessus est. Anno 1572. Dresdam unà cum optimis & doctissimis Collegis vocatus est VVidebramus, ubi consensu Theologorum, qui tum erant in ditione Illustrissimi Electoris Saxoniæ, Formula Consensus Dresdensis deliberata & edita fuit.

Widebramus in cognitionem veritatis pervenit, sed mox propter illam persequutionem patitur.

Interea dum hæc fiunt, Dominus Iesus respexit optimum virum D. VVidebramum, & eodem tempore, veritatis circa causam Eucharisticam fulgore, mentem eius magis magisque illustravit: & eundem Veritatis comitem CRVCEM gestare iussit. Namsequente anno, qui fuit 1574 ob diu multumque denegatam subscriptionem Torgensium Articulorum, de controversia Eucharistica, unà cum aliis præstantibus viris, captivitate, cujus (ut in Epistola quadam ait Hieronymus) nulla maior calamitas est, quàm ad alienam libidinem trahi, & menstruo carcere mulctatus: certis tandem expressisque conditionibus, quarum testes se fore quidam Lipsenses Theologi, sanctè receperant, iisdem subscripsit. Sed conditiones eæ postea (ut mollissimè loquar) ab his neglectæ, nec etiam editæ fuerunt. Post hanc tragœdiam, Naumburgum est relegatus, & per triennium in urbe illa commoratus. Post exactum triennium exulare iussus (id quod illi & cum aliis bonis commune, & patrimonii causa difficilè & singularis damni causa fuit) quum loca quædam adiisset, hospitium tandem honestum, & functionem sanctam obtinuit in valle Deciana, benignissimè eum vocante & tanquam Heliam exulem suscipiente, Illustri & Præpotente D. Iohanne Comite Nassoviense, cuius ea erat animi tum magnitudo, tum pietas, ut Christi servos & testes, nequaquam in cujusdam alterius Principis gratiam, sibi iudicaret aspernandos.

Widebramus exul à Comite Ioanne Nassoviensi excipitur humaniter.

Anno D. 1583. Collega Casparo Oleviano, Ecclesias in ea Ditione Solmensi, quæ subiecta est Inclyto & Illustri D. Conrado Comiti à Solms, &c. in quibus non pauca Pontificia corruptela in ceremoniis & Liturgia Sacramentorum, sicut in aliis ferè omnibus, huc usque reliqua hæserunt, reduxit ad sinceritatem puritatemque doctrinæ Apostolicæ, & ceremoniarum primitivæ Ecclesiæ. Vocatus tandem est D. VVidebramus ab Illustrissimo Principe D. Iohanne Casimiro, &c. Heidelbergam, Anno 1584. ut deliberationibus de Ecclesiis & Scholis rectè instituendis & regendis, unà cum aliis quibusdam clarissimis, optimis & prudentissimis viris, Senatoribus Ecclesiasticis & interesset & præesset. Hoc autem anno docendi laboribus, curis de Ecclesia, incommodis exilii, injuriis adversariorum fractus & confectus hecticâ febre, ad quam alia quoque symptomata accesserunt, correptus, piè placideque 2. Maij, mane, intra quintam & sextam ex hac misera vita decessit.

Widebrami obitus.

In morbo rogavit aliquoties & Grynæum, & alios quosdam præstantes viros, ut testes essent sui sermonis, quo professus esset, se iam in actu postremo vitæ suæ, cum sensu spiritualis gaudii, doctrinam Ecelcsiarum, quæ Calvinismi nomine gravantur, de Eucharistia & Spirituali communione corporis & sanguinis Christi, ad eujus agnitionem serò vocatus esset à Domino, probare: eius cognitionem sibi gratulari: & in ea aequiescentem ad Christum Dominum migrare. Hoc solùm valde quærebatur, quòd cùm eo animo Heydelbergam accessisset, ut regni Christi negotiis promovendis, reliquum vitæ tempus optimè collocaret, adversâ valetudine præpeditus, minus præstitisset quàm volebat.

Widebrami postrema Confessio de Cœna.

Hoc anno denique Senatusconsultum factum est ab Amplissimo Noribergensium Senatu, & Theologis, Pastoribus & Concionatoribus ejus urbis prælectum. In quo primò ipsis in memoriam revocarit Senotus, quoties antehac, & quam paternè eos monuerit, & rogarit, ut non tantùm in privatis congressibus & conviviis, sed etiam publicè pro suggestu Christianâ modestiâ utantur, præsertim verò in Refutationibus dogmatum à convitiis, maledictis, calumniis & condemnationibus importunis abstineant. Deinde eis exprobravit, quòd his Christianis admonitionibus hactenus nequaquam paruerint, sed inter concionandum maximam temporis partem convitiando, calumniando & condemnando consumpserint. Tertiò, etsi confessus fuerit Senatus in hoc ipso decreto, quòd velit constanter retinere doctrinam Augustanæ Confessionis anno 30. Carolo V. Imp. exhibitæ, postea verò in nonnullis Principum Conventibus repetitæ & declaratæ, & nolit ullorum errorum refutationes prohibere; tamen nunc denuò Pastoribus & Concionatoribus suis severè iniunxit, præcepit ac mandavit,

Noribergensium Senatusconsultum contra condemnationes.

ut ab

ut ab huiusmodi intempestivis condemnationibus, conviciis & calumniis, quibus non tantùm levi aliqua de causa suspectos cives, sed etiam exteros Principes, Magistratus, Respub. Scholas, Academias, Ecclesias & Regna florentissima obruant & insectentur, prorsus abstineant, quum non ad ædificationem, sed potiùs ad scandalum & destructionem pertineant. *Quartò, præcepit illis*, ne errores & falsa dogmata in libro Concordiæ comprehensa civibus Noribergicis vel publicè, vel privatim instillent; scire enim eos ex relatione anno 80. in Conventu totius Ministerii Noribergici facta, quibus de causis Amplissimus Senatus subscribere recusàrit, &c. *Actum 6. Octob. anno 1585. Præsentibus prudentissimis viris* Bartholomæo Pomero, Iulio & Anthonio Guderis, Paulo Colero *Senatoribus & Tito* Laurentio Frecho *Cancellario.*

ANNVS M. D. LXXXVI.

Augusti Saxoniæ Elector fecit das celebrat nuptias cum Principis Anhalti ni filia.

A*Nni superioris 85. die 2. Octob. ex hac vita migravit D.* Augusti *Electoris Saxoniæ* coniunx *Regina Daniæ. Hoc igitur anno die 30. Ianuarii, secundas nuptias celebravit cum* Filia Anhaltini Principis *Christianissimi. Ac spem conceperant boni omnes, ex hoc matrimonio boni aliquid in Saxonia eventurum. Constanter enim affirmabant viri primarii in Aula Electoris, cœpisse Electorem agnoscere veritatem, & detestari Schmidlini & similium fraudes, ac concessisse in Colloquium Torgæ habendum inter suos & Anhaltinos Theologos.*

D. Peucerus quibus conditionibus è carcere liberatus intercessione Anhaltini Principis.

Post has nuptias Cl. V. D. Caspárus Peucerus *è carcere, in quo iam inde ab anno 75. detentus fuit, tandem liberatus est intercessione Anhaltini Principis, eique his conditionibus donatus ab Electore,* Ne ullâ ratione ille ulciscatur captivitatem tam diuturnam: Ne ex Anhaldina ditione pedem moveat sine venia impetrata: Ne, unquam Theologicis rebus se misceat: Si vnam harum conditionum violet, Lipsiæ denuò ad custodiam pristinam sistatur, *Subscripsit his conditionibus Anhaltinus ipse manu propriâ, quum alia rationes liberandi illius se non offerrent. Venit igitur* Peucerus Dessaviam, *qua sedes est Anhaltini Principis, 9. Febr.*

Peucerus venit Dessaviam.

Augustus Sax. Elector. moritur, eique succeßit Filius unicus Christianus.

Biduò pòst, nimirum 11. *Februarii, Elector* Augustus *citra horam septimam vespertinam, apoplexia correptus, hora tertia pòst expiravit, non sine magno bonorum omnium dolore. Successit ei Filius unicus, ut nomine, sic etiam re verè* Christianus.

Is mox gravissimo edicto per universam Electoralem Saxoniam mandavit, ut Ministri Ecclesiarum Verbum Dei purè annuntiarent populo, abstinerent autem à conviciis, maledictis, calumniis, condemnationibus & invectivis, quibus hactenus intemperantissimè usi fuerant: secus facientes loco movit. Præfecit rursus Saxoniam omnibus iis, qui paulò antè ob orthodoxam sententiam de Cœna inde ejecti & pulsi fuerant. Concordiæ librum abrogavit, & corpus doctrinæ, aliaq; Philippi orthodoxa scripta Ecclesiis & Scholis restituit. Evocavit hinc inde moderatos, pios ac pacis amantes doctores, quos in præfractorum & seditiosorum locum substituit. Exorcismum quoque abrogavit, & Baptismum, abiectis omnibus humanis additamentis, juxta institutionem Christi simpliciter, ad morem Apostolicum, administrare iussit.

1586. Reformatio in Saxonia.

Acta Colloquii Mompelgardensis.

Occasio Colloquii.

H*Abitum est etiam hoc anno* 1586. Mompelgardense Colloquium, *Illustrissimi Principis Wirtenbergici & Comitis Mompelgardensis* Friderici *auspiciis. Ante quadriennium & amplius ferè Iacobo Schmidlino instigante, agi de eo cœptum est, non quidem veritatis cognoscendæ causâ, quod ad Schmidlinum attinet, sed partim ut Optimus Princeps ab exulibus Gallicis; quibus Mompelgardi & per reliquum suum territorium hospitium & liberum religionis exercitium concesserat, abalienaretur hac occasione. Tubingæ enim non obscurè ante hunc congressum iactatum fuit, Schmidlino omnino procurandum esse hoc Colloquium, & ubi procuratum esset, maturandam ei esse profectionem, ut Principem inter Gallos exules versantem: à Calvinismo averteret. Partim etiam, ut desperatâ Vbiquitatis defensione, novum incendium excitaret, & Calvinistis apud doctos pariter & indoctos odium maximum conciliaret. Schmidlinus quidem in Actis huius Colloquii Tubingæ à se editis scribit, Dominum Baronem* Clarevantium *Regis Navarreni apud Germanos Principes Legatum, hoc Colloquium Tubingæ apud sese & ursisse & promovisse. Clarevantius autem coram multis postea, ubi comperisset hac de se spargi, testatus est hoc esse vanissimum. Nec enim se ea de re ullum habuisse mandatum, nec quid iam antea Mompelgardi agi cœptum esset, ex quoquam tunc cognovisse. Imò quum fortè de pace Ecclesiarum procuranda, ab omnibus bonis tantopere expetitâ, sermo fuisset inter ipsos Tubingæ injectus, & Schmidlinus de hoc ipso Colloquio nonnihil dixisset: testatus est idem Clarevantius se longè aliud misisse; nempe, ut potius utrinque delectorum aliquot doctorum & piorum hominum Synodus, adhibitâ Principum authoritate, cogeretur.*

Etenim,

1586. Etenim *inquiebat*, ista inter duas privatas personas Collocutio, vel nihil vel certè parùm ponderis ad componendas tantas controversias habebit: *Ad quæ Schmidlinus, suo more iocotus, totidem istis verbis responderit, adhibito inter ipsos interprete, D. Clarevontii fratre*, Dicor ego Germaniæ Papa; Beza verò Galliæ: si inter hos duos Papas convenerit, Episcopi reliqui facilè assentirentur.

Beza postulatur ad Colloquium.

Tandem igitur persuasus Princeps Fridericus *in Colloquium consensit. A nobilibus igitur Gallis qui erant tum Mompelgordi scribitur Genevam D. Bezæ, gratum ipsum facturum Illustrissimo Principi, multis quoque exulibus, si & ipse in hoc Colloquium posset consentire. Recusovit id primò D. Beza, odditis causis quibus illorum plerique facilè sunt assensi. Mox tamen iterotur eodem petitio: cui accedunt etiam litera Principis, quibus Beza rogatur, ut ad Colloquium venire dignetur. Bezo igitur, ne quid fortè peccoret, percontotur ea de re Tigurinæ & Bernensis Ecclesiæ Ministros. Petit etiam à suis Symmistis consilium. Tigurini modis omnibus dissuaserunt Colloquium cum Schmidlino, homine vafro, gloriabundo, impudente, froudulento, versipelli, quique in manifesta fraude & mendacio deprehensus nunquam erubescere soleat. Beliqui responderunt, etsi nihil boni ob hoc Colloquio, quod ad Schmidlinum attinet, expectandum videatur, tamen quum id tantopere Illustrissimus ac Optimus Princeps desideret, obtemperandum sibi videri ipsius voluntati, quòd fortassis ea res oditum ad moderationem aliquom istarum rixarum obtinendam esset patefactura. Consensit etiam uterque Magistratus Bernensis & Genevensis, ad quos jam anteo ea de re Illustrissimus Princeps scripserat. Quo re cognitâ, vocatur etiam à Principe Schmidlinus, qui continuò cum suo Hosiandro Tubingô Mompelgordum aduolot.*

Tigurini dissuadēt Bezæ Colloquium cum Schmidlino.

Schmidlinus etiā vocatur ad Colloquium.

Profecti sunt eodem alterius quoque partis Theologi, Beza cum Foyo Genevâ, & Musculus cum Hybuero, & Alberio Bernâ, quibus adiuncti fuerunt primarii quidom viri ex utraque Republico, ac Mompelgardum venerunt osperrimo tempore, 20. Martii hujus onni. Inuitissimus sonè eò pertroctus fuit Beza, vel ob hanc cousam, quòd sub idem tempus Schmidlinus, edito virulentissimo & plonè songuinorio scripto, satis ostendisset quo onimo in nostras omnes Ecclesias affectus, quamque studiosus veritatis & pocis Ecclesiarum esset: ut videri meritò posset, non aliud hoc Colloquio eum captosse, quàm ut, hac occosione redintegrato certomine, Germonos Principes ob auxilio, piis in Gallio extremo quaque patientibus, quos isti teterrimos hæreticos ex pulpitis oppellare consueverunt, summittendo deterreret.

Beza cū suis Mompelgardū veniunt.

Postquom Mompelgordum ingressi essent nostri Theologi, à prandio in arcem vocoti, & à Principe ipso primùm, posteo etiam à Schmidlino & Hosiandro humanissimè excepti fuerunt. Hospitium etiam in arce eis datum est, in quo ad finem usque Colloquii manerent.

Acta primi diei.

Sequenti die, qui fuit 21. Martii horo septima matutina ad Collocutionem ut venirent dicta eis fuit: ad quam posita, & holosericis pannis strata eront in Gynaceo mensa duæ, in quarum altera Princeps ipse, cum Schmidlino & Hosiondro, cæterisque Wirtenbergicis *legotis consedit, Bezo verò cū suis collegis in altera. Admissi sunt etiam omnes tam exules Galli, quàm indigena, docti pariter & indocti quicunque interesse & audire cupiebant.*

Postquam ito convenissent, Cancellarius primùm de scripto recitavit, quænam Illustrissimi Principis in hac Collocutione instituendæ intentio fuerit. Postea actis Principi de tam pio & soncto instituto gratiis, octum est de modo & forma Collocutionis. De hac Beza & collegarum ejus sententia fuit, ut utrinque omnia scriptis, propriâ Collocutorum manu subsignatis, agerentur, idque vitandæ prolixitatis gratiâ, & ut sic omnis occasio convitiondi, & in maledicta erumpendi procideretur. Pars verò adversaria hanc disputandi formom repudiavit, & vivâ potiùs voce, quàm scriptis certare voluit, idque, ut ojebant, in gratiam ouditorum. Placuit hac forma Principi quoque cui mos omnino gerendus fuit.

De modo & forma Colloquii

Postulavit dehinc Beza, ut utrinque dicta, à probatis & utriusque partis consensu delectis Notariis exciperentur, quæ deinde cuique parti recognoscere, & additâ subscriptione confirmare liceret. Hac enim erat profectò iusto & syncera colloquendi ratio, ut sic falsationi occurreretur, quom ex duplicis Protocolli Mulbrunnensis Colloquii editione cognoverat. Sed ne hoc quidem placuit Schmidlino: qui insuper disertis quoque verbis testatus est, sese ne latum quidem pilum ab ea quam adhuc professus esset doctrina discessurum: *tum Beza ad Abrahamum Musculum & alios suos collegas conversus,* Quorsum igitur, *dixit,* huc advenimus. *Et certè jam tum iustissimam habuissent recusandi omnis Colloquii causam. Sed veriti ne discedendi occasiones captasse, & Illustrissimum Principem delusisse viderentur, eas omnino Colloquii conditiones omnes admiserunt, quas Schmidlinus præscripsit.*

Schmidlini præstatio superba.

Ibi tum propositæ sunt Theses è Tubingensibus de Cœna Domini, quibus contrario scripto respondit Beza, ejusque collega.

Alterâ die, qui fuit 22. Martii, recitotis publicè utriusq; partis scriptis, cæptum est disputori, & in biduum producta disputatio. In eo duabus

Acta secundi & tertii diei de

do re-

Cæna Domini. *de rebus, Cœnam attinentibus, actum est potissimum; nempe* de præsentia Sacramentali, signorum & rerum significatarum, eorundemque perceptione.

Schmidlini mos disputandi. *Cùm verò in omni recta Disputatione primo loco curandum sit, ut de qua re quæratur, sive de statu quæstionis constet, deinde ut inter disputandum nunquam à quæstione aberretur, quorum neutrum unquam à Schmidlino impetrari potuit, modò ab una quæstione ad alteram transeunte, argumenta cumulante, nihil prorsus syllogisticè concludente: opera pretium Beza cum suis facturum se putavit, si, finitâ hac prima disputatione de Cœna, obtinerent finitâ capitum singulorum disputatione, ut brevi scripto quibus de rebus inter eos conveniret, & de quibus adhuc controverteretur, utrinque collato scripto quodam comprehenderent. Sic enim futurum sperabat, ut cum iis occurreretur, qui velut veriti ne non satis sit in Ecclesiis dissensionum, dissidere nos sibi & aliis persuadent in nonnullis, in quibus tamen summus est consensus: tum hunc saltem fructum ex hac collocutione referrent, ut ubi constitisset de nonnullis demum inter partes ambigi, quæ salvo manente doctrina de Cœna Domini fundamento, possint à nonnullis ignorari, paulatim mitigatis animis, alij sese aliis propiùs adiungerent. Sed hoc quoque frustra fuit: nam Beza cum suis ex scriptis Antithesibus, & ex habita disputatione, capita dissensionis sedulò collecta Wirtenbergicis obtulerunt: illi verò tum ea repudiarunt, tum sua quadam eis oblata statim repetierunt. Ex illo scripto, quod Theologi Wirtenbergici tunc nostris obtulerunt, adscribam, in quibus partibus consensus, & in quibus dissensio, in prima hac de Cœna disceptatione, fuerit.*

Quod ad priorem partem attinet, utrinque consensum est.

1. Sacramentum Cœnæ Domini constare duabus rebus, nempe signis & rebus significatis.

2. Signa esse ex Domini institutione, panem & vinum: Res autem significatas, illud ipsum corpus traditum pro nobis, & illum ipsum sanguinem pro nobis effusum.

3. Beneficia Christi in legitimo sacræ huius actionis usu non esse separata ab ipso Christo, à quo proficiscuntur.

4. Hæc signa & res significatas non alia ratione quàm coniunctione sacramentali copulari.

5. Quod ad Deum nobiscum paciscentem attinet, & semper veracem, nunquam nuda esse signa, sed utraque hæc sacramentaliter sic coniuncta, verè semper quibusvis accedentibus, sive dignis sive indignis præberi. 1586

6. Hoc sensu, id est, huius sacramentalis coniunctionis respectu veteres Patres dixisse, corpus Domini esse In, Sub, & Cum pane.

In his autem non consensum est.

1. Quòd Wirtenbergenses Collocutores censent in sacramentali coniunctione tam signa, quàm res significatas suis substantiis & reipsa in terris, quamvis non physicè nec localiter, tamen verè simul & inseparabiliter copulari: ac proinde ori quorumvis sive dignorum sive indignorum accedentium exhiberi.

Collocutores autem alterius partis in coniunctione sacramentali, quam relativam faciunt, docent res significatas, id est, corpus & sanguinem Domini, non alibi nunc quàm in cœlis esse & permanere, quorum signa sint in terris, ac proinde illas quidem menti, ista verò ori quorumvis accedentium præberi.

2. Istis phrasibus, In, Cum, & Sub pane & vino, VVirtenbergenses intelligi censent, illam suam sacramentalem coniunctionem realem substantiarum in terris, quâ fiat, ut utraque illa, nempe signa quidem physicè & localiter; corpus autem & sanguis Domini nec physicè nec localiter, sed imperscrutabili quodam modo verè & simul in terris adsint, & ori quorumvis accedentium præbeantur.

Alterius autem partis Collocutores docent, illis phrasibus nullam aliam coniunctionem, quàm illam relativam exprimi.

In altero autem capite de perceptione sacramentali signorum & rerum significatarum consensum est.

1. Signa, sicut quibusvis, sive dignis sive indignis accedentibus præbentur, ita à quibusvis ore recipi, à dignis quidem ad vitam, ab indignis verò ad condemnationem.

2. Solam spiritualem perceptionem per fidem, a[illegible]lignè accedentium propriam, qua res significatas accipiant, esse salvificam.

3. Perceptionis illius rerum significatarum modum esse imperscrutabilem, &, ut Paulus loquitur, verè mysterium magnum & adorandum non perscrutandum.

In hoc autem non est consensum.

1. Quòd VVirtenbergenses, sicut utraque simul & inseparabiliter, ut dictum est, ori

1586. ori quorumvis accedentium præberi censent: sic etiam credunt à quibusvis eodem oris instrumento, nec tamen (quod ad res significatas attinet) physico & locali, sed imperscrutabili modo percipi, à dignis quidem ad vitam, ab indignis ad condemnationem.

Alterius autem partis Collocutores docent, sicut soli menti res signatæ præbentur: itaà solis fidelibus (ut qui soli unicum illud mentis instrumentum afferant quo Christus cum suis beneficiis apprehenditur) spiritualiter percipi: ac proinde indignos fieri reos corporis & sanguinis Domini, non quòd illa indignè sumpserint, sed quòd ea per suam incredulitatem & impœnitentiam repudiarint.

Acta quarti & quinti diei de persona Christi.

Finitâ Disputatione de sacra Domini Cæna, postridiè, nempe 24. Martij, Genevensibus & Bernensibus Theologis proposita fuerunt à VVirtenbergicis alia Theses de Persona Christi: *ad quas similiter primùm scripto responderunt, postea recitatis utrinque scriptis disputarunt itidem per biduum.*

In hac Disputatione utrinque consensum est.

1. Quòd in hypostatica unione duæ perfectæ naturæ, nempe divina τοῦ λόγου, & humana ex virginis Mariæ Substantia per omnipotentiam divinam creata & assumpta, salvæ unà cum omnibus suis proprietatibus essentialibus, citra ullam mutationem, confusionem & permixtionem permanserint.

2. Quòd hac unitione constituatur unum ὑφιστάμενον, sive unica persona. Nec enim hanc humanam naturam, priùs creatam fuisse, aut per se subsistisse, sed simul & eodem momento fuisse creatam & assumptam: & subsistentiam, quæ jam non sit duplex, à λόγῳ assumente accepisse.

3. Illam unitatem personæ perpetuam esse & penitus in æternum indissolubilem, quâ factum sit, ut ὁ λόγος sic in æternum verus ille Homo, ex Maria virgine assumptus, & vicissim ille Homo ex Maria virgine assumptus in æternum sit verus ille Deus ὁ λόγος.

4. In hac unione hypostaticâ naturam divinam assumentem, longè excellere supra naturam assumptam, quæ creata sit, & in λόγῳ subsistentiam habeat, quum illa Divina sit creatrix, & illi assumptæ naturæ subsistentiam præbeat, quamvis unicâ illâ unitione & ὁ λόγος illi homini, & homo ille τῷ λόγῳ sit unitus.

5. Hominem illum, præter quàm quòd est Deus, per istam Vnitionem dona sibi infusa, nobis ineffabilia, & quantacunque in rem ullam creatam divinitùs inferi possunt, percepisse, adeò ut supra etiam omnes Angelos beatos hac quoque ratione (quæ Gratia habitualis in Scholis dicitur) sit evectus.

6. Communicatione ἰδιωμάτων sive proprietatum essentialium, nō intelligi aliquam illarum immigrationem, sive à natura divina in humanam, sive ab humana in divinam.

7. Hæc enunciata, quibus vel humanæ proprietates τῷ λόγῳ, ut quum dicimus, Deum esse crucifixum, vel divinæ proprietates homini attribuuntur, ut quum dicitur, homo ille, in terris cum Nicodemo loquens, fuisse simul in cœlis, non esse vana, & nomine tenus sine re intelligenda, sed verè & reipsa de persona illa Christi, quatenus unica est prædicari: ac proinde in illis Deum intelligi, non simpliciter ut Deum, sed Deum incarnatum, & vicissim hominem illum non simpliciter ut hominem, sed ut hominem θεωθέντα, id est, ut sic loquamur, Deificatum, sive à Verbo in unitatem personæ assumptum.

In hoc autem consensum non est.

1. Quòd VVirtenbergenses hanc communicationem proprietatum censent esse statuendam ut Vnionis hypostaticæ effectum: & locum habere tam in abstracta humanitatis, quàm in concreta hominis appellatione: ac proinde tam verè ac realiter humanitatem illam per hypostaticam Vnionem dici omnipræsentem, omniscientem, omnipotentem, vivificatricem & adorandam, quàm illa omnia de Homine illo assumpto dicuntur.

Alterius autem partis Collocutores docent, sicut etiam in hypostatica Vnione, non rectè dicitur Humanitas esse Deitas, verè tamen dicitur Homo ille esse Deus: ita rectè dici non posse, etiam in ipsa Vnione, Humanitatem illam omnipræsentem, omniscium, omnipotentem, vivificatricem, adorandam, &c. quamvis verè dicatur, Homo ille propter unitatem personæ esse omnipotens, omniscius, omnipræsens, vivificus, adorandus.

2. Quòd Collocutores VVirtenbergenses nolunt reciprocari istam idiomatum communicationem, ideoque asserunt, non posse, nec debere dici Deitatem fuisse passam, crucifixam, &c. sicut verè dicitur Humanitas esse omnipotēs, omniscia, omnipræsens: quoniam videlicet in hypostatica Vnione Deitas nihil ab Humanitate, sed humanitas à Deitate omnia sibi communicata recepetit.

Alte-

Alterius autem partis Collocutores asserunt, sicut in concretis enunciatis per hypostaticam Vnionem, tam reciprocè dicitur Deus ὁ λόγος esse passus, &c. quàm Homo ille omnipotens, &c. ita etiam quia non obstante Deitatis assumentis præstantiâ, una & eadem sit ac planè reciproca unio, una & eadem ratione neutrum hoc enunciatum esse verum: Humanitas est omnipræsens, omnipotens, &c. &, Deitas est creata, passa, &c.

3. Eadem est explicatio de carnis vivificandi vi ac adoratione, quæ VVirtenbergenses ipsi quoque humanitati in abstracto attribuunt.

Alterius autem partis Collocutores homini duntaxat in concreto ista assignant: sed præterea in abstracto (semper tamen unitam) humanitatem agnoscunt, meritò dici duabus rationibus vivificam. Primùm, quia in ea humanitate ὁ λόγος omnia quæ ad nostram reconciliationem pertinebant, adimplevit, & per eam nunc quoque nos regit & servat. Deinde quòd non nisi illius à nobis per fidem apprehensæ interventu, Christus virtutem illam suæ Deitati propriam & salvificam, beneficia denique omnia sua suis membris communicat. Sic etiam ab adoratione Deitatis τοῦ λόγου minimè separant alterius partis Collocutores humanitatis adorationem: non tamen in sese, nec absolutè consideratæ, sed respectivè, id est, quia est Deo τῷ λόγῳ unita, sive quia Christi Deitas, quæ proprium & absolutum est veræ adorationis obiectum, non est simpliciter Deitas incarnata, & illa humanitas, non simpliciter humanitas, sed τοῦ λόγου humanitas.

Beza cū suis propter Schmidlini convitia Colloquium abrumpere statuerunt.

In hac Disputatione de persona Christi, quum Schmidlinus post multa absurdissimè dicta, tandem etiam in convitia erumperet, & alterius partis Theologos Mahometanis non tantùm conferret, sed etiam postponeret, indignitate rei moti, postquam Beza gravissimè ad illa convitia respondisset, abrumpere Colloquium statuerunt, quum satis appareret, se exoptatum Collocutionis finem, pacem scilicet & concordiam minimè consequuturos.

Schmidlinus de Prædestinatione etiam disputare vult.

Ecce verò, Schmidlinus non jam disputatoris, sive alterius partis, personam sustinens, sed ipsius Illustrißimi Principis nomine, Genevenses & Bernenses Theologos compellat, & præter omnium expectationem de Prædestinatione quoque Theses eis exhibet, & insuper etiam de aliis compluribus, quorum magnum fasciculum secum Tubingâ attulerant, petitque, ut de iis etiam secum disputaretur. Hi contra dimissionem ab Illustrißimo Principe modestè postulant: Primùm, quòd in iis literis, quibus Princeps eos evocasset, nullam aliam causam huius conventus attulisset, quàm infelicem illam de Cœna Domini controversiam, & ab ipsorum Civitatibus non aliam ob causam missi advenissent. *Deinde*, quòd hæc gravissima quæstio publicè in illo cœtu, aliis utrinque contrariis sententiis, disceptari absque nonnullorum offendiculo non posse videretur, nec etiam brevi tempore absolui: sese autem, instante jam Paschæ festo, à suis Ecclesiis abesse commodè non posse. *Addiderunt tamen*, paratos se esse, si liberet ipsius Celsitudini, suam hac etiam de re sententiam divini Verbi testimoniis confirmatam, privatim apud ipsum exponere: & si quas eis Theses Schmidlinus proponeret, domum eas referre, & commodum ad illas responsum domi meditatè parare. *Et sic quidem absolutum est eius diei Colloquium, qua fuit Martij 25.*

1586.

Beza cum suis dimissionem petunt.

Acta sexti diei.

Postridie verò, quum rursus convenissent, oblato Princips supplice libello à Beza & suis collegis, in quo petierunt, partim clementem dimißionem, repetitâ rationibus, propter quas inconsultum sibi videretur, cum his Collocutoribus in alias plures & graviores disputationes ingredi: partim, ut quum in præcipuis & essentialibus doctrina de Cœna Domini capitibus, nempe de Signis & rebus significatis, tum adversus Transsubstantiatores, tum adversus eos qui nuda signa constituunt inter utriusque partis Collocutores conveniret: & de sola per fidem utili corporis & sanguinis Christi perceptione satis constaret, omni acerbitate sublatâ, & abrogatis illis sectarum appellationibus, mutuam fraternitatem, sic præparato ad pleniorem de præsentia modo & indignorum manducatione concordiam aditu, syncerè deinceps testarentur. Iußis autem ad hac eis, itidemque auditoribus paulatim secedere: manentibus autem apud Illustrißimum Principem, idque novo prorsus exemplo, VVirtenbergicis, & unà cum ipso deliberantibus, paulò post revocati, (perbrevis enim fuit illa deliberatio) Schmidlinum rursus duplicem personam sustinentem audiverunt, multis verbis suo more differentem; quorum hac ferè fuit summa. Quòd Illustrissimus Princeps nullam aliorum trium capitum mentionem in suis literis fecisset (*duo enim Schmidlinus tum quoque primùm expressè adiecit*) idcirco accidisse, quòd eos in istis quoque tribus dissidere non intellexisset: & paratum quidem illum esse neque labori neque sumptui ulli parcere, adferendo malis istis remedio. Quòd si Bezæ & suis collegis non placeret de istis quoque tribus conferre, sibi tamen videri ut Theses de his capitibus, à sese conscriptæ audientibus omnibus recten-

Schmidlini oratio.

1586. recitentur, domum ab ipsis postea, sicut petierant, referendæ, ad quas prout & quando visum esset responderent. *Et hæc quidem ille Principis nomine; quibus ipse postea de suo quicquid valuit adiecit. Idcirco autem tam vehementer Colloquium seu Disputationem de Prædestinatione & Electione ursit, quòd verevetur, ne, si nostri non consentirent, præclaram, ut sibi videbatur, eas in omnium odium adducendi occasionem amitteret. Dixisse enim illum ante aliquot annos quadam in loco ad aliquos negari non potest*, Se disputationem de Prædestinatione ad ultimam usque necessitatem, *vel, ut ipse scurriliter more aleatorum, locutus est*, zum stich / reservaturum: si cum illa suo tempore prorumpat, fore ut fundum dolij penitus evertatur: So werde dem faß vollend der boden auß gestossen.

Schmidlinus de Prædestinatione disputationis impudentia. *Quàm autem partim absurda, partim manifestè aliò detorta sint, quæ tum in Bezam & eius collegas, non minùs acerbè quàm impudenter dixit, ex summa hac orationis eius Lector cognoscere potest.*

1. Doctrinam, *inquiebat*, de Prædestinatione non utilem modò, verùm etiam necessariam esse: ac proinde requiri ut auditores in concionibus rectè de hac quoque instituantur. *Quasi verò nostrorum aliquis hoc unquam negarit.*

2. Nisi hæc doctrina rectè & ad fidei analogiam explicetur, fenestram ad Epicureorum vitam aperiri. *Quod nostri verum omnino fatentur.*

3. Illâ malè explicatâ doctrinâ desperationis occasionem, afflictis & à Satana tentatis conscientiis præberi. *Et hoc concedunt nostri.*

4. Doctrinam de Prædestinatione non ita esse ad Scholas ablegandam, ut non opus sit eam etiam rudi & imperito populo proponere. *Neque verò hoc nostri faciunt, vel unquam fecerunt.*

5. Nostros docere de Prædestinatione, Deum æterno, occulto & immutabili decreto maximam partem hominum nolle servari, & ad agnitionem veritatis pervenire. *Quod si verò decrevisset Deus nullos prorsus servare, num illum Schmidlinus cuiquam iniuriam facturum fuisse dixerit?*

6. Nostros negare Baptismum esse lavacrum Regenerationis, sed eius duntaxat sigillum & obsignationem. *Hæc verò falsissima est Schmidlini calumnia.*

7. Non omnes infantes regenerari qui baptizantur, sed infinitos pueros baptizatos, in æternum occulto Dei decreto damnari. *Cur verò minùs existimare licet inutiliter aliquos baptizari, quàm ab aliquibus fa-cram Domini Cœnam ad exitium sumi?*

8. De Imaginum quoque *inquiebat Schmidlinus*, demolitione inter nos controvertitur, an priùs ex oculis, quàm ex animo removendæ sint imagines, quæ idololatriæ occasionem præbere videantur. *Quasi verò Deus in Verbo suo eas non ab oculis & ex animo removera jusserit.*

9. Controvertitur etiam, *ait*, An in templis vera Evangelij prædicatio & Sacramentorum usus celebrari possit, in quibus Pontificij suam idololatriam exercuerunt, an verò potiùs sint evertenda? quo nomine magnum odium sustinetis, quòd superioribus annis tot templa in Gallia & Belgio à vestris funditus sint eversa. *Quarum prius impudentissimum est mendacium, nostrat unquam dubitasse de vero Dei cultu in ipsis templis Papistarum instaurando. Posterius verò, etsi negari non possit, habet tamen aliquam excusationem, quum multa etiam à Lutheranis in bello Smalcaldico facta sint, quæ vitare satius fuisset.*

Et hæc quidem tum Schmidlinus: quibus à Beza, ne ignem foderet, dissimulatis, petitâ rursum dimissione, respondit bonâ cum Principis pace, sibi æquum non videri publicam Thesium Schmidlini recitationem, ne auditorum animos aliqua subiret suspicio, sese illorum dogmatum esse conscios, quæ Schmidlinus jam obiecisset eis, & quæ proculdubio in suis illis Thesibus esset repetiturus.

Beza responsio.

Ad hæc autem Schmidlinus, pari rursum pudore Principis personam sustinens, multa locutus est de Celsitudinis ipsius pietate & zelo: tum scommatis generis convitia ac probra in Bezam & eius collegas coniecit. Inter alia dixit, Se quidem in assertione doctrinæ suæ perspicuum, apertum & manifestum Dei Verbum protulisse: Bezam autem nihil præter humanæ rationis argumenta & humanas glossas. Hoc infaustum & perniciosum certamen de Cœna Domini, & de Christi persona, non aliunde quàm à Zuinglianis seu Calvinistis ortum esse. Ipsos simplicem sensum verborum Christi semper retinuisse, & adhuc retinere: Calvinistas autem Christi Testamentum corrumpere, & planissima eius verba in alienum sensum detorquere. *Et mox ludibrium etiam ad hanc contumeliam adjicere non est veritus*: Studebimus autem, *inquit*, paci & tranquillitati publicæ: Gallicarum Ecclesiarum miseriâ seriò & vehementer afficimur: pro illis seduiò precamur, & precabimur quoad vixerimus, nec unquam ex parte nostra nos illis defuturos pollicemur.

Schmidlinus rursus convitia.

Adhæc etiâ à Principe dimissionẽ impetrarunt

Geneven-

Genevenses & Bernenses, sed tamen cum indignatione aliquâ. Cumque sic, ut diximus, verbis quidem & amicè Schmidlinus Bezæ ac cæteris valedixisset, & ita discessissent ut abitum in posterum diem pararent: postridie tamen eùm Schmidlinum & Hosiandrum, quasi ipsis subterfugientibus victores triumphum canere, & Principem ipsum abruptam hanc collocutionem iniquissimè ferre intellexissent, neque discedendum sibi cum mala Principis gratia putarent: veriti denique ne Gallis exulibus, qui magno tum numero Mompelgardum, à Principe humanissimè excepti, confugerant, fraudi esset huiusmodi discessus: quamvis quò evasura essent reliqua satis prospicerent, manè nihilominus, mutatâ sententiâ, Principe salutato, in reliquam sequentem collationem consenserunt: eâ tamen conditione, ut adversariæ partis Collocutor Schmidlinus brevitati & modestiæ magis quàm hactenus studeat.

Acta septimi diei. Denuò itaque in Dominica Palmarum congressi sunt, & de Templis Papistarum demoliendis, necnon etiam de Imaginibus & Organis eâ die primùm disceptarunt: postea etiam de Baptismo quadam. Sequenti die manè iterum de Baptismo, & proximo loco de Prædestinatione: *Acta octavi diei.* de qua quum D. Beza doctrinam Confessionis Helveticarum Ecclesiarum prolixè & perspicuè per sesquihoram exposuisset: Schmidlinus autem post multam altercationem amarulenter admodum Bezæ insultaret, adeò ut auditoribus penè omnibus bilem & nauseam moveret; Beza graviter ipsius insolentiam & impudentiam reprehendit, & ita finem Colloquio imposuit. *Exitus Colloquij.* Quo finito, tandem 29. Martij ita ab invicem discesserunt, ut neque illi nostros pro Fratribus agnoscerent, neque nostri illis dexteras suas præbere vellent.

Colloquij Mompelg. catastrophe funesta. Fuit autem ista Catastrophe Colloquij huius funestissima illa fax, quâ mox à Schmidlino, Hubero & similibus Ubiquitariis, tristissimum illud incendium de Prædestinatione & Electione contra Calvinistas aliàs excitatum fuit.

Acta & Scripta Colloquium Mompelgardense sequuta.

De Mompelgardensi Colloquio multa & varia sparsa. De hoc Colloquio postea multorum sermonibus & literis multa ac varia hinc inde sparsa sunt. Nam Argentinæ 13. Maij scriptum fuit, Comitem Wirtenbergensem, cuius sumptibus istud Colloquium institutum fuerit, nunc magis confirmari in vera sententia doctrinæ sanæ, quem antea Calvinistæ conati fuerint à veritatis via avertere. *Argentinensis eo nuntium literæ vanissima.* Cumque Beza intercessisset pro Calvinistis apud Comitem Mompelgardensem ut ipsis exercitium Religionis Mompelgardiæ concederetur, Comitem id planè detrectasse, & respondisse, sibi non integrum fore, ut diversæ Religionis doctrinæ sub ipsius tutela spargantur. *Hoc etiam contigisse,* quòd in festo proximo Paschatis ultra 40. viri, qui antea Zuinglianis adhæserant, cum cæteris synceræ Religionis assertoribus unà sacram celebrarint synaxin. *Legatum quoque Bernensem, qui Colloquio jussu Magistratus sui interfuerit, publicè affirmasse,* se nunquam credidisse, quòd ipsorum Theologi tam vanam defendant doctrinam, quæ saltem glossis nitatur dictorum ex Patribus desumptorum, quum contrà adversaria pars S. Scripturæ fundamento insistat.

Hæc verò omnia pura puta mendacia. Notissimum enim est omnibus, & testabuntur Mompelgardenses, paulo post Colloquium, Principem optimum Gallis Mompelgardi profugis permisisse Cœnam Domini celebrare juxta normam veræ fidei, quæ in Confessione Ecclesiarum Gallicarum extat, quam etiam Pastores Mompelgardenses coram Notariis publicis approbârunt. Gallos autem ultra 40. ab hoc Colloquio cum Lutheranis Domini Cœnam celebrâsse vanissimum est: & facile esset tales nugigerulos cum tota civitate Mompelgardensi falsitatis manifestissima, & Theologis præsertim indignissima coarguere. Legatus verò Bernensis D. Samuel Meyerus, ubi comperisset, quæ de se narrentur, coram multis testatus est, ea sibi ne in mentem quidem unquam venisse, & non magis vera esse, quàm boni viri sint, qui hæc confinxere sint ausi.

Hosiandri literæ de Mompelg. colloquio. Hosiander etiam Witebergam Polycarpo Leysero inter alia multa falsissima, quæ Beza in Præfatione partis prioris Actorum huius Colloquij graviter confutavit, scripsit, Principem coràm expressè confessum esse, se nunquam existimasse, tantam impietatem sub dogmate Calviniano latere. *Imò ipse Schmidlinus literis Tubingæ datis 6. Maij, ausus fuit scribere*, Illustrissimum Principem per Secretarium suum in Collocutorum & Gallorum plurimorum præsentia, Bezæ & collegis ipsius dicendum curasse, Celsitudinem suam, tantùm ex hoc Colloquio didicisse, ut etiamsi tota vita sua Zuinglianus fuisset vel Calvinista, hoc ipso tamen momento fuerit illud dogma in æternum detesturus. *Schmidlinus de eodem.* *Multi verò, qui Colloquio interfuerunt, hominum istorum impudentiam ac vanitatem satis mirari nequeunt. Etsi enim quid inter alios de hoc Colloquio Illustriss. Princeps censuerit vel judicarit incertum sit: illud tamen certissimum, nunquam neque ex eius ore, neque per Secretarium ipsius audivisse, vel Genevenses & Bernenses, vel Gallos,* quot-

1586.

quotquot Colloquio interfuerunt, ex quo Principem in unas potiùs quàm in alteras partes inclinare constare posset, sed omnes uno ore fatentur, æquum illum utrisque semper in publico conventu præfuisse.

Daniæ Rex interest Hamburgi concioni virulentissimæ.

Hoc etiam anno Conventus quorundam Principum Luneburgi est habitus, cui interfuit quoque Serenissimus Rex Daniæ. *Is domum rediturus, Hamburgi, quà transire eum oportebat, in diem alterum substitit. Et quia Dominicus dies erat, Senatus Hamburgensis pridie de voluntate Regis certior factus, quòd templum publicum, quemadmodum & Luneburgi fecerat, ingressurus esset, monuit* Stamnichium *Pastorem Ecclesiæ ad S. Catharinam, habiturum concionem coram Rege, moderatè ut se gereret, & à convitiis & condemnationibus abstineret. Rex etiam antequam templum ingrederetur, per Suos moneri illum jussit, tum ne nimis prolixè concionaretur, tum ut ne sibi molestiam crearet intempestivis seu condemnationibus, seu invectivis in alios absentes, quòd hunc morem in suo Regno apud suos non facilè ferret. Stamnichius verò contemptâ authoritate non solùm Magistratus sui, sed etiam potentissimi Regis, occasione textus Dominicalis, de cavendis pseudoprophetis, penè ad verbum pro concione recitavit, quæ ab Hosiandro scripta recens erant ad Chytræum de Colloquio Mompelgardensi, & tum plenis velis convitiorum navim orationis impellens, ad calumnias de Dominica Cœna progressus est.*

Stamnichij concioni intersunt quoque Legati Synodi Belgicæ.

Intererant tum fortè huic concioni Legati etiam Synodi Belgicæ, qui iis diebus à Synodo in istam viciniam ob quædam negotia missi, Hamburgi, Regis Daniæ adventu cognito, substiterant. Hi igitur, quum Stamnichius suas calumnias & prodigiosa mendacia in præsentia Serenissimi Regis, Comitatus totius Regij & magnâ hospitum ac civium frequentiâ impudenter evomuisset, conscientiæ & officij sui ratione adducti, de calumniis istis à cervicibus Ecclesiarum suarum depellendis cogitârunt. Quod ita faciendum eis visum fuit, ut Serenissimo Regi primùm, postea & Senatui Hamburgensi Libellos Protestantium afferrent. Et is quidem qui Regi oblatus fuit, de verbo ad verbum sic habet.

Contestatio Belgicorum Legatorum, de innocentia suarum Ecclesiarum, ad Serenissimum Daniæ Regem contra Stamnichij Hamburgensis Concionatoris convitia & calumnias.

Serenissime ac potentissime Rex, Domine Clementissime, posteaquam Illustris ac Generosus Dominus D. Robertus Dudlæus, Comes Leycestriæ, Serenissimæ Anglorum Reginæ, &c. Legatus & Princeps in Unitis Provinciis Belgij ad gubernacula admotus est, nihil prius habuit, quàm ut exemplo piorum Principum inter initia suæ gubernationis de constituendis Ecclesiis Belgicis seriam curam susciperet. Quam ob causam Synodum Nationalem nuper Hagæ celebrari jussit. Ab hac Synodo quum ad conficienda certa negotia in hanc viciniam ablegati essemus, eaque occasione per hanc urbem transiremus, magno cum dolore nostro in concione antemeridiana hodiernæ Dominicæ, cui & Serenissima vestra Maiestas Regia interfuit, eas adversus Ecclesias nostras audire coacti sumus accusationes & calumnias, ut pro conscientiæ & muneris ratione facere non potuerimus, quin ad amovendum præiudicium, quod inde ad Ecclesias nostras redundare poterat, de innocentia nostrarum Ecclesiarum apud Serenissimam R. V. M. humillimè ac subiectissimè contestaremur. Etenim Minister ille, cui Stamnichio nomen est, quum veritatem ex patefacto Dei Verbo annunciare, ab opinionibus perperam conceptis auditores suos revocare, insontes à falsis calumniis vindicare deberet, occasione textus, quem præ manibus habebat, falsò obiecit nostris Ecclesiis; quas Sacramentariorum nomine traduxit: Quòd corpus & sanguinem D. N. Iesu Christi ex Cœna sacrosancta penitus tollant, atque ita thesaurum illum cœlestem, qui est res signata, in usu huius Sacramenti piis cordibus subripiant. Quodque divinæ omnipotentiæ derogent, quasi fieri per hanc nullâ ratione possit, ut corpus Christi communicetur fidelibus ubicunque locorum Eucharistia sacra celebretur. Omittimus alia, quæ ex Epistola quadam Scriptoris cuiusdam nostrarum Ecclesiarum calumniosè, atque in contrarium prorsus sensum allegavit, quasi reiectione localis inclusionis, ipsam etiam veram communionem corporis Christi ille negârit. Quam adeò in Ecclesiis nostris nemo piorum negat, ut sine hac ne Cœnam quidem Domini esse ultrò ac sponte fateantur omnes. Cùm autem in præsentia Serenissimæ M. V. & Aulæ Regiæ, & in tanta auditorum nobilium & plebeiorum frequentia contra jus & fas in Ecclesias nostras eiusmodi calumniæ palàm prolatæ, nostrisque Ecclesiis atrox iniuria facta sit: Oramus atque obtestamur Serenissimam R. M. V. per gloriam & amorem æterni Filij Dei

Domini

Domini nostri Iesu Christi, ut ne his retris Stamnichij aut aliorum quorumvis huius similium calumniis, de doctrina nostrarum Ecclesiarum fidem adhibeat. Sed hanc de innocentia nostrarum Ecclesiarum testificationem; quam syncerè coram Deo & tota Ecclesia ad R. M. Vestram repetimus, benignè admittat, nostrasque Ecclesias pro heroica sua pietate commendatas sibi habeat: quum constet, Serenis. V. M. hoc tempore præcipuum caput esse inter eos, qui Religionem Evangelicam profitentur. Nos quidem & apud eos à quibus ablegati sumus, Serenissimæ M. V. benignitatem prædicabimus, si hanc de innocentia nostrarum Ecclesiarum testificationem benignè admiserit. Ad Magistratum huius urbis de eadem innocentia nostra testaturi sumus, parati, Deo juvante, ubicunque res atque usus postulaverit, rationem fidei Ecclesiarum nostrarum reddere. Deus æternus Pater Domini ac Liberatoris nostri Iesu Christi, Maiestati V. R. indies magis magisque benedicat, & felicem ac salutarem gubernationem largiatur.

Serenissima M. V. R.
Addictissimi
Synodi Ecclesiarum Belgicarum
Nationalis Legati.

Regis Daniæ Responsio ad Legatorum Belgicorum supplicem libellum.

Rex elementer hunc supplicem libellum à Legatis accepit, & per Cancellarium utrumque quorum alter Regni, alter Regis Cancellarius est, respondit: Molestissimè sibi quoque accidisse intemperiem illam Concionatoris, de qua si constitisset sibi priùs, se ne quidem ad concionem eius accessurum fuisse. Affectionem quoque optimam erga ipsorum Ecclesias testatus est, etsi in tantis temporum ac certaminum confusionib. judicium sibi de dogmatibus arrogare minimè posset. *Consulibus etiam eius urbis, quos in prandio secum habuit, disertè dixit*, ægrè se tulisse conviciandi libidinem illam, quâ Pastor ipsorum usus esset, qualem si in Regno suo haberet, neutiquam se permissurum aiebat, ut suggestum ampliùs conscenderet. *Etsi autem Consulum unus, cui protestatio eiusdem argumenti Latinè & Germanicè à Legatis scripta offerebatur, promisisset eis universo Senatui se eam exhibiturum, & lectam etiam fuisse postea cognoverint, multi quoque boni viri liberè sententias suas dixissent, quibus ostenderunt, compescendam esse Stamnichii intemperiem, ut vel deinceps modestius pro concione se gereret: tamen post discessum suum nihil aliud actum esse ex amicorum literis intellexerunt, quàm ut per eum Consulem, cui protestatio tradita fuerat, Stamnichio eadem legenda exhiberetur. Qui ex eo tempore adeò non est factus modestior, ut contumeliosiùs multò in Orthodoxos debacchatus fuerit.*

1586.

Editi sunt etiam hoc anno ab utriusque partis Theologis in Controversia Sacramentaria sequentes libri.

Silberschlagij Assertio.

Isaiæ Silberschlagij Assertio *de vera & reali corporis Christi in Eucharistia præsentia. Erphordiæ.*

Matthæus Schmalcaldensis contra Amlingum.

Ioannis Matthæi Smalcaldensis Responsum *ad errorem novo libello ab Amlingo sparsum, de Victoria sua, quam se de Ioannis Smalcaldensis tractatu, quem de unione personali & communicatione Idiomatum reali scripserat, reportâsse gloriatus est.* Witteberga.

Sattlerus de manducatione corporis Christi, quæ fide fit.

Basilij Sattleri *Pastoris Helmstadiensis* Responsio ad Quæstionem, de manducatione corporis & sanguinis Christi, quæ fide tantùm fit, *utrùm ea ad describendam manducationem in Cœna Domini à Christo institutam sufficiens sit: & utrùm ij qui solam fidei manducationem statuunt, nuda signa in sacra Cœna relinquant, proposita Helmstadij in promotione Magistrorum Helmstadij.*

Philippus Nicolai contra Calvinistas.

Philippi Nicolai *apud Herdecanos Ecclesiæ Ministri, fundamentorum Calvinistarum cum veteribus Arianis & Nestorianis communium detectio, quâ demonstratur, neminem Christianorum Calvinistis adhærere posse, quin unà Arianismi & Nestorianismi suscipiat defensionem. Tubingæ.*

Heshusij Assertio.

Heshusij Assertio *veræ præsentiæ corporis & sanguinis D. N. Iesu Christi in S. Cœna: cum refutatione argumentorum Calvinistarum.*

Item: Quomodo sint examinandi qui de Calvinismo suspecti sunt. Germanicè.

Gerlachij Theses.

Stephani Gerlachij Theses *de persona Christi, eiusque ut Hominis, divina maiestate. Tubingæ.*

Patriarcha Constantinopolitanus de doctrina Wirtenbergensium.

Ieremiæ Patriarchæ Constantinopolitani sententia definitiva, de Doctrina & Religione VVirtenbergensium Theologorum. *Vnà cum* Antidoto *ultimæ responsionis eorundem ad censuram Patriarchæ, de Articulis Confessionis Augustanæ, Constantinopoli ex Patriarchio allata, &c. Addita est præterea* Stanislai Socolovij *ad VVirtenbergensium Theologorum Invectivam, brevis & erudita* Responsio. *Treviri.*

Volanus de Transsubstantiatione & aliis erroribus ex ea natis contra Scargam Iesuitam.

Andreæ Volani *Poloni libri tres*, Defensionis veræ, orthodoxæ, veterisque in Ecclesia sententiæ, de Sacramento corporis & sanguinis Domini nostri Iesu Christi, veraque eius in Cœna sua præsentia, *contra novum & commentitium Transsubstantiationis dogma, aliosque errores ex illa natos, ad* Petrum

1586. Scargam *Iesuitam Vilnensem, vanissimi huius commenti propugnatorem. Respondetur hic quoque obiter* Francisco Turriano *Iesuita : qui duobus libris, altero Florentiæ, altero Romæ publicatis, Scargam sibi suscepit, contra Volanum, defendendum.*

Valdensis Refutatio Vbiquitatis. Bezæ Conspicilium.

Christiani Valdensis Refutatio *novi dogmatis de Vbiquitate corporis Christi. Basileæ.*

Theodori Bezæ Conspicillum *ad Danielis Hofmanni Demonstrationes ad oculum. Geneva.*

Georgius de Valentia contra Vbiquitatem & Calvinismum.

Ediderat ante triennium Georgius de Valeoria *Iesuita* Disputationem, *quâ tum Vbiquitarios, tum Orthodoxos, quos Sacramentarios vocat, oppugnat: & adversus quidem Vbiquitarios veterem & catholicam de persona Christi, Doctrinam propugnat: adversus Sacramentarios autem Pontificiam illam & Orthodoxæ Antiquitati ignotã corporis Christi sub speciebus præsentiam. Cùm autem propter utriusque partis trienne silentium Iesuita triumphum ante victoriam canere inciperet,* Fortunatus Crellius *in Academia Heydelbergensi Professor, pro parte Sacramentariorum, hoc est, Orthodoxorum, ei respondit hoc anno publico scripto, tali inscriptione seu titulo:* Fortunati Crellij de re Eucharistica cum Georgio de Valentia Disceptatio.

Crellius contra G. de Valentia pro Calvinismo.

Zanchij responsio ad partẽ Prodromi Holderi, eiusque responsionis summa.

Hieronymi Zanchij *ad partem Prodromi VVilhelmi Holderi* Responsio, in qua de Visionibus, quibus post Ascensionem tum Stephano, tum Paulo suo vero corpore apparuit Christus, placidè disputatur. *Neapoli. Zanchius libro de Natura Dei secundo, cap. 6. postequam Vbiquitariorum sententiam, de omnipræsentia corporis Christi, multis argumentis refutasset: responsurus ad præcipua illorum argumenta, eadem in duo distinxit genera: in quosdam sacræ Scripturæ locos, è quibus immediatè Vbiquitatem evinci posse contendunt, & in rationes ab unione cum primis hypostatica, & à Sessione ad dexteram Patris petitas: Ad primum genus quod attinet, ubi ex verbis Cœnæ, Vbiquitatem minimè evinci posse demonstravit; accessit ad alterum locum, de quo postea inter Zanchium & quendam Holderum controversum est, & in cuius explicatione putavit Holderus se nonnulla invenisse, quæ maximâ reprehensione digna sint. Verba Zanchij dicto loco hæc sunt:* Alter locus, quo ad suum commentum abutuntur, desumptus est ex historia Apostolica, Act. 9. & 22. cap. Christus (inquiunt) posteaquam ascendisset in cœlum, apparuit Paulo supra Damascum, & cum eo collocutus est. idem tamen Christi corpus eodem tempore fuit in cœlo: & proinde fuit & in cœlo & in terra. Quare potest etiam in pluribus locis, ac proinde ubique esse. Verum triplex ad hoc argumentum est responsio. Prima negat alterum antecedentis membrum: eodem scilicet tempore corpus Christi & in cœlo simul, & in terra fuisse. Potuisse enim Christum, quod ad humanitatem attinet, tuoc temporis cœlum deserere, & in aërem descendere, ut appareret Paulo; Neque enim corpus Christi, ita uni alicui cœli loco alligari, ut inde nequeat discedere, sed liberum illi esse, quocunque velit se transferre. Nihil igitur hinc concludi pro πανταχουσίᾳ corporis Christi. Altera responsio est, conclusionem esse ἀσυλλόγιστον. Non enim sequitur, corpus Christi erat in cœlo eodem tempore quo apparuit Paulo supra Damascum: ergo erat etiam in terra: & ita duobus in locis simul. Potuit enim Christus apparere Paulo, manens atque existens in cœlo suo corpore: sicut etiam apparuit Stephano. Quomodo? Aperti fuerunt ei cœli, oculi etiam eius fuerunt àcutissimâ videndi acie atque facultate in cœlos usque ad Christum penetrandi donati. Cur non idem potuit contigisse Paulo? Ergo quum non apertè dicat Apostolus, Christum sibi apparuisse in terris: sed tantùm, se fuisse luce quadam de cœlo circumfulsum, & vocem Domini audivisse, utrumque autem fieri potuerit, sine ulla loci mutatione, sicut & Stephano contigit: hic locus Apostoli nihil facit ad confirmandam omoipræsentiam corporis Christi. Quòd si quis nolit concedere, Christum eodem modo apparuisse Paulo, quo etiam Stephano, accedit tertia responsio. Ea est, Christum sua Deitate, quâ ubique est, corpus sibi novum formasse, atque sub illo, Paulo in terris apparuisse: suo naturali corpore in cœlis interim relicto, à quo tamen non discessit. Nam sic etiam solitus erat in Veteri Testamento facere: ut quum apparuit Abrahæ, & luctatus est cum Iacobo. Huc accedit, quòd neutro Actorum loco legitur, Christum cum suo corpore apparuisse: sed duo tantùm audimus: primum, lucem quandam è cœlo Paulum circumfulsisse: deinde vocem Christi a Paulo auditam fuisse. Nulla autem fit mentio corporis Christi. *Et mox:* Sed adversus hanc tertiam interpretationem excipi potest, quòd Apostolus ad Corinthios, probaturus à testibus, Christum resurrexisse, ait, sibi quoque novissimè apparuisse, *&c. Ex his variis interpretationibus nihil aliud concludere voluit Zanchius, quàm ex illa historia, de apparitione & locutione Christi ad Paulum, Vbiquitatem minimè probari posse. Deinde tertiam illam interpretationem, sibi nequaquam probatam fuisse, quando eam manifestissimo & firmissimo*

Corpus Christi quod apparuit post ascensionẽ Stephano & Paulo nõ simul in cœlo & terra fuit.

Non sequitur, corpus Christi erat in cœlo quo tempore apparuit Paulo, ergo etiam in terra.

ſimo argumento, à vera veri corporis Chriſti poſt reſurrectionem manifeſtatione, petito, dilucidè paulòpòſt citata verba eodem loco refutavit, & duas tantùm priores defendi poſſe dixit. Holderus verò illas potiſſimùm, quæ in tertia interpretatione continentur, & quas Zanchius minimè probavit, imò quas & refutavit, ipſum exagitare in ſuo ſcripto conatus eſt: Zanchium vocans non ſolùm Marcionitam, ſed etiam Marcionis primogenitum. Ad ea igitur reſpondit hoc libello Zanchius, catera Prodromi-Holderiani Beumlero confutanda reliquit.

Beumleri triplex contra Schmidlinum ſcriptum.

Edidit autem Beumlerus *ad Iacobi Andreæ libellum ſub nomine Holderi evulgatum triplex ſcriptum. Primum,* Falconis complementum, *in quo de Metonymia ſacramentali, de rei ſignatæ perceptione, de manducatione infidelium diſputatur. Secundum,* Prodromi Vbiquitarij modeſtam confutationem. *Tertium,* Indicem aliquot graviſſimorum certaminum & errorum Iacobi Andreæ *è poſtremis eius centonibus collectorum.*

G. Lupichij declaratio de perſona Chriſti contra Selneccerum.

Georgij Lupichij *ſolida declaratio, ut apud imperitam plebem ſana doctrina de perſona Chriſti & Sacra Cœna D. N. Ieſu Chriſti ſuſpecta reddatur & corrumpatur, contra libellum Nicolai Selnecceri, in quo, in antitheſi Lutheraniſmi & Calviniſmi, ipſe Calvini Doctrinam & ſententiam truncatè & malâ fide citavit. Heydelbergæ, Germanicè.*

Toſſani oratio de Aſcenſione Chriſti in cœlum, eiuſque ſumma.

Danielis Toſſani Oratio de Aſcenſione Chriſti in cœlum. *In ea primò tractat, qualis fuerit ille Chriſti aſcenſus: & quid hoc ſibi velit, quòd in cœlum aſcendiſſe dicitur. Deinde quiſnam illius Aſcenſus ſit uſus, & quantum in illo Fidei articulo ſit momenti. Tertiò, per antitheſin exponit, quænam ſint cum illo articulo pugnantia, & quàm tetris erroribus illi ipſi importuni homines ſint implicati, qui famoſis & contumelioſis ſcriptis, totius Catholicæ orthodoxæ Eccleſiæ de hoc articulo doctrinam inſectari & traducere non deſinunt: ac docet,* 1. fingere iſtos homines cœlum eſſe ubique, ubi Deus eſt, & in domo Dei Patris, & in regno cœleſti infernum ipſum contineri, 2. Ab utero virginis Chriſtum aſcendiſſe in cœlum. 3. Metaphoricum etiam facere iſtos Chriſti in cœlum aſcenſum. 4. Confundere articulum Aſcenſionis cum articulo Seſſionis ad dexteram.

Sohnij theſes de ſtatu Filij Dei incarnati.

Georgij Sohnij de Statu Filij Dei incarnati ſeu Chriſti θεανθρώπου *duplici, altero humiliationis, altero exaltationis Theſes Theologicæ. Neoſtadij.*

Parei methodus totius controverſiæ

Davidis Parei Methodus totius controverſiæ Vbiquitariæ brevis & perſpicua: *In Præfatione breviter, ſed ſolidè reſpondet ad libellum Philippi Nicolai Herdecani, Sycophanta audaciſſimi, & iſti libello præfixam Præfationem Tubingenſium, in qua Arianorum, Mahometanorum & Neſtorianorum ſtercora, maiori, quàm antehac unquam, impudentiâ orthodoxis Eccleſiis aſpergere conantur. In ipſo verò libello magnâ brevitate & facilitate univerſam controverſiam Vbiquitariam explicat, ac Statum nunc quidem temporis in tertia Prædicationum genere de Communicatione idiomatum verſari oſtendit. Et quia adverſarij abſtractivis phraſibus in hoc genere de omnipotentia, omniſcientia, omnipræſentia, &c. carnis Chriſti, ad imitationem quarundam, quas ex vetuſtis Patribus, ſed perperam inflexas, ſuis admiſcent, novè confictis & in Theologiam invectis, receptam ac veram Eccleſiæ de perſonali unione doctrinam interpolare, & novam, Scripturæ ignotam, multiſque modis noxiam & periculoſam poſteritati obtrudere conantur, tantùm ut ſarta tecta maneat carnis Chriſti in pane corporalis præſentia, & oralis atque impiorum manducatio: idcirco ad id ſolidè reſpondet, & docet,* omnia illa Scripturæ loca, quæ tertio huic generi probando adducuntur, ad regulam non quadrare, ſed revera ſecundi eſſe generis, & proinde hoc tertium genus non Scripturæ teſtimoniis, ſed gloſſis humanis magna ex parte niti.

1586. *Vbiquitariæ, eiuſque ſumma.*

Schmidlini 16. errores craſſiſſimi de perſona Chriſti à D. Hofmanno detecti.

Errores ſedecim Iacobi Andreæ craſſiores, *collecti & detecti à* Daniele Hofmanno *Theologo Helmſtadienſi, ſana, de perſona Chriſti & ſacra Domini Cœna, doctrina, potiſſimùm vim inferentes. Sunt autem hi ferè.*

1. *Andreæ* fingit novam & inuſitatam diſtinctionem Communicationis. *Dicit enim in Theſibus VVirtenbergicis, theſi* 112. Quatuor communicata humanæ naturæ à divina: ipſam divinitatem, *theſi* 113. perſonam, *theſi* 116. Maieſtatem, *quæ τῷ λόγῳ propria eſt, theſi* 123. Actiones divinitatis proprias. *Hinc in Refutatione orthodoxi Conſenſus, à VVirtenbergicis conſuta ſic legitur*: Humana Chriſti natura divinæ ſuas paſſiones communicat, & divina natura quæ ipſius propria ſunt, videlicet vim vivificandi, omnipotentiam, omniſcientiam & omnipræſentiam, adeoque divinam Maieſtatem ſolius divinæ naturæ propriam, aſſumptæ naturæ communicavit. *fol.* 351.

2. Non diſtinguit cum ſuis inter Concretum & abſtractum, & eorum prodigioſas definitiones confingit. *In Diſputatione anni* 85. *theſi* 167. *dicit*: Neq; hic inter Deum & Deitatem diſtinguat. *Et theſi* 170. Vocabulum Deus abſolutè poſitum minimè eſt concretum vocabulum, quod Deum homini mutum ſignificat: ſicut & vocabulum Homo, niſi addas vocabulum Chriſtus.

Hinc

1586. *Hinc in Refutatione Orthodoxi Consensus fol.* 343. Naturam assumptam quatenus cum Filio Dei unita est, in Concreto considerari dicimus. Quando verò in se & per se, ratione suæ propriæ naturæ, & naturalium proprietatum consideratur, in abstracto considerari dicimus. *Inde etiam in eadem Refutatione pag.* 349. *& in thesibus anni* 85. *thesi* 299. rectè illi dici videtur, Deitas est passa, Humanitas fuit ab æterno, vel est ubique.

3. Quemadmodum inter primum & tertium genus prædicationis non distinguit: ita refert ad communicationem Maiestatis omnia idiomata divinitatis, *ut est videre in thesi* 175.

4. Docet absolutam seu generalem Vbiquitatem corporis Christi secundùm essentiam. *Nam in Refutatione Orthodoxi Consensus*, Corpus Christi, *ait*, personaliter adesse, eo modo adesse dicitur, quo ad dexteram Dei sedet, quia Humanitas eius glorificata est Maiestate omnipræsentiæ: *fol.* 413.

5. *Gerlachius Iacobi Andreæ sententiam explicare volens contra Busaeum fol.* 220. quòd omnia idiomata Divinitatis Humanitati Christi communicentur, *sic scribit*: Quædam attributa Dei humanæ naturæ ita communicata sunt, ut eam realiter perficiant, qualia sunt omniscientem, omnipotentem, vivificam, omnipræsentem esse. *Et pag.* 201. Sciens, & omnisciens, potens & omnipotens, uni & omnibus locis præsens, non sunt contradictoria, sed eius naturæ ut infirmiora præstantioribus per gratiam unionis supernaturaliter perfici putent: & hoc modo Substantia suâ naturâ duntaxat viva, potens, sciens, & uni loco præsens gratiâ unionis hypostaticæ, cum Verbo vivifico, omnipotente, omnisciente, omnipræsente facta est & ipsa vivifica, omnipotens, &c.

6. *Andrea in Refutat. Orthodoxi Consensus pag.* 46. *scribit*, Corporis Christi longè aliam esse veritatem, rationem & definitionem, quàm aliorum corporum. *Hac verò est abolitio veri corporis Christi, nam definitio & definitum sunt termini convertibiles.*

7. Constituit duplicem definitionem Deitatis, & duplicem Omnipotentiam atque Deitatem.

8. Vbiquitatem absolutam articulum Fidei facit. *Nam in Refutat. Orthodoxi Consensus sic scribit pag.* 119. Vniversalis præsentia, quæ Christo per Sessionem ad dexteram Dei secundùm humanitatem tribuitur, peculiaris est Symboli Apostolici articulus. *Hoc statuit ex unione personali ratiocinans, pag.* 83. *similiter ex dextera Dei pag.* 89. *Sic Gerlachius contra Busaeum pag.* 374. *ait*, Hanc doctrinam tam certam esse, quàm articulum de assumptione humanitatis in Deum resurrectione & ascensione disertè profiteri non dubitamus.

9. Statuit suam absolutam Vbiquitatem à momento conceptionis Christi universaliter & perpetuò necessariam.

10. *Docet*, Vbiquitatem generalem corporis Christi fundamentum esse præsentiæ eiusdem in Sacra Cœna: *fol.* 401. *in Refut. Orthodoxi Consensus.*

11. *Docet*, Verba institutionis Cœnæ Dominicæ, non efficere præsentiam corporis & sanguinis Christi: sed hoc solùm, ut corpus & sanguis Christi, quæ jam antea ubique sint præsentia, jam in Cœna percipiantur: *In Refut. Orthodoxi Consensus fol.* 401. *&* 402.

12. Tollit verum & genuinum sensum verborum Christi, Hoc est corpus meum, &c. Dicit enim, Pronomen, Meum, aliam constituere definitionem corporis: *fol.* 461. *Refut. Orthod. Consensus.*

13. Negat talem carnis manducationem in Cœna Domini fieri, quæ carni nostra ratione humanæ sit similis & consubstantialis: *In Refutat. Orthodoxi Consensus, fol.* 328.

14. *Probat*, Præsentiam corporis Christi in Cœna sacra, secundùm modum sessionis ad dexteram Dei: *in Refut. Orthod. Consensus* 84.

15. Duos tantùm modos statuit præsentiæ Christi in Cœna: Vnum per ascensionem & descensionem: alterum, per Vbiquitatem: *in Refutatione Orthodoxi Consensus, pag.* 85.

16. Corpus Christi in pane Cœnæ præsens esse etiam extra usum Sacramenti.

Edita est etiam hoc anno Iacobi Andreæ Oratio, *de Incarnatione Filij Dei, contra errores Zuinglianorum & Calvinistarum, habita Tubingæ in Vigilia Nativitatis Christi.*

Schmidlini oratio de Incarnatione Filij Dei. Idem de persona Christi contra Cidenorum.

Eiusdem libellus, de Vnione personali *& supernaturali duarum naturarum in Christo, contra disputationem Eusebij Cleberi Sangallensis Pastoris in Helvetia, Geneva anno* 83. *impressam Tubingæ.*

Confessio Egidij Hunij, *cum eiusdem Confessionis* Censura *virorum quarundam doctorum. Addita est &* Responsio Hunij *ad argumentum præcipuum Orthodoxorum contra Vbiquitatem: Cum* Examine ac Refutatione eiusdem Responsionis *à pluribus viris doctis scripta, Neostadij.*

Confessio Hunij cum eiusdem censura.

Iacobi

Groschius contra VVirtenbergenses.

Iacobi Groschij Animadversio, sive Crusius, *in Theologos VVirtenbergenses, sua acta & scripta, præsertim de Cœna Domini, apud Patriarcham Constantinopolitanum jactantes, &* Stanislai Socoluij, *operam in edenda Ecclesiæ Orientalis Censura calumniantes. Coloniæ.*

Bellarmini Disputationum pars prima.

Roberti Bellarmini *Iesuitæ* Disputationum *de controversiis huius temporis* Tomus primus. *Libro 3. de Incarnatione Christi cap.* 8. *explicat*, in quo propriè consistat Vnio hypostatica duarum in Christo naturarum. *Cap. 9. proponit quæstionem*, An ex unione hypostarica sequatur communicatio realis attriburorum divinorum, ac præcipuè Vbiquiraris. *Cap. 10. docet*, ex unione hypostatica non fluxisse communicarionem Idiomatum realem respectu naturarum. *Deinde refellit* Vbiquitatem variis argumentis. *Cap.* 11. quia pugnat cum Verbo Dei. *Cap.* 12. quia repugnar Symbolo Apostolico. *Cap.* 13. quia repugnat præsentiæ veræ corporis Domini in Cœna. *Tum cap.* 14. refellirur testimoniis Patrum. *Postremò* solvit Vbiquistarum argumenta & obiectiones periras ex Verbo Dei, ex ipsa Incarnatione Christi, ex Patrum testimoniis, ex Doctrina Scholasticorum, & ex naturali ratione.

ANNVS M. D. LXXXVII.

Mompelgarden. Colloquij acta à Tubingensibus edita.

E*Dita sunt hoc anno* 87. *à* Tubingensibus Acta Mompelgardensis Colloquij, *quod habitum fuit anno superiore mense Martio sub Illustrißimo Principe Friderico Comite VVirtenbergico & Mompelgardensi, inter Iacobum Andreæ & Theodorum Bezam. Huic verò Colloquio nulli certi ac delecti sunt adhibiti Notarij, qui utriusque partis dicta fideliter exciperent, quamvis id Beza cum suis instanter flagitaret. In id tamen consensum est, & utrinque promissum fuit, nullam vim & auctoritatem protocolli habere debere quæcunque à privâtis essent excepta. Sic igitur conscripta & evulgata sunt ista. Acta à Tubingensibus, ut Iacobus Andreæ Theses, in Colloquio exhibitas utrinque, ex animi sui sensu, additis ad marginem Scholiis, prout ei libitum fuit, interpretaretur: sua dispiceret, expenderet & expoliret, Beza verò pro arbitrio mutilata, interpolata ac diminuta proferret, sicut ipsemet Beza postea in præfatione Responsionis ad acta ista de hoc conqueritur, & ab Andreæ factum fuisse res ipsa evincit.*

Schmidlini fraus & dolus in edendis Actis Mompelgar. Colloquij.

Beza Responsio ad Acta ista.

Cùm Theodoro Bezæ *variis ex locis, quid Tubingenses in animo haberent, significaretur, noluit id primò credere, donec Acta in lucem edita & ad ipsum allata essent. Adornavit igitur ac edidit gravem & necessariam* Responsionem ad Acta ista *à Tubingensibus contra pacta publicata, ex qua facile Lector intelligere & judicare potest, utra pars utri iniuriam fecerit, utra etiam spiritu pacis & Concordiæ agatur.* 1587.

Actorũ Mompelg. colloquij editio fax fuit maiorum certaminum.

Hanc autem Actorum istorum editionem nihil aliud consecutum est, quàm ut nova redintegrandi veteris certaminis Sacramentarij, & novi excitandi occasio ambitiosis ac contentiosis hominibus præberetur. Cuius rei satis luculento exemplo, certamen Bernæ Helvetiorum hoc ipso anno inter Abrahamum Musculum *&* Samuelem Huberum, *de Prædestinatione & Electione exortum, esse potest, de quo non est huius loci scribere, quum ad Sacramentariam causam nihil pertineat, licèt* Huberus *odio orthodoxæ sententiæ de Cœna Domini, cui tamen juramento sese astrinxit, & publicè eam ore professus est & docuit, hanc litem Bezæ & Musculo intenderit. Acta tamen eius si quis legere desiderat, integra inveniet in Apologia Theologorum Helveticarum Ecclesiarum ad maledicum* Huberi *librum edita.*

Certamen Bernæ inter Musculum & Huberũ exortum.

Refutatio Sophisticæ Hunij de persona Christi, &c. à Iosepho Grabio edita, cum Præfatione Pezelij.

Edita quoque est Refutatio necessaria Errorum & Sophisticæ, *quâ* Egidius Hunius *corrumpit & contaminat sacrosanctam & salutarem Doctrinam de persona Christi, eiusque ad Dexteram Dei sedentis Divina Maiestate: Libellis Hunianis quatuor opposita, à* Iosepho Grabio *Bremensis Schola Professore: Cum* Præfatione D. Pezelij, *qua breviter capita Huniana Sophistica ob oculos Lectori proponuntur.*

Meditationes Eucharisticæ Ioannis Guilelmi Stukij. *Tiguri, Germanicè.*

Stukius de Cœna.

Hunius contra Grabiũ & Pezelium.

Edidit etiam Egidius Hunius *Commentarium in Epistolam Pauli ad Ephesios, in quo simul suis distinctis locis, ut & in Præfatione, respondet ad Bremensium Theologorum Pezelij & Grabij scriptum, pro defensione libellorum suorum de persona Christi. Francofurti.*

Andr. Hosiander contra VValdensem.

Evulgatur quoque Andreæ Hosiandri *tractatus de omnipræsentia Christi, in quo ad Vbiquitatis corporis Christi confutationem, per quendam Christianum VValdensem institutam, respondetur. Tubingæ.*

Burkardi discrimen inter Lutheranos & Calvinistas.

Francisci Burkhardi *discrimen inter Lutheranorum & Calvinistarum Doctrinam de Sacramentis præsertim de Cœna, Erfordiæ, Germanicè.*

Editum etiam est hoc anno Volumen Tractationum Theologicarum Zachariæ Vrsini *SS. Theologiæ in Schola Heydelbergensi & Neustadiana Professoris celeberrimi. In eo continentur inter alia doctißima scripta.*

Zach Vrsini Tractationũ Theologicarum volumen.

Primò, Theses complectentes breviter & perspicuè summam veræ doctrinæ de Sacramentis ram veteris quàm novi Testamenti

in

1587. in genere : Speciatim verò de Baptiſmo & ſacra Cœna Domini , *ſcripta anno Chriſti* 1559. *In Theſibus autem de Cœna refutat* pri- 2. mò *prophanationes eius, ut eſt Mutilatio Cœnæ, Miſſa ſacrificium , Adoratia Chriſti in , vel ad panem & Tranſſubſtantiationem:* Secundò *oppugnat decem validiſſimis argumentis Conſubſtantiationis figmentum , & oralem corporis Chriſti manducationem.*

Secundò, vera doctrina de ſacra D.N.Ieſu Chriſti Cœna, ex divinarum literarum, veteris & orthodoxæ Eccleſiæ, atque etiam Auguſtanæ Confeſſionis fundamentis ac ſenſu fideliter expoſita, *& nomine Collegij Theologici Heydelbergenſis primò Germanicè publicata anno* 1564. *Martio menſe. In huius Tractatus* c. 1. *docet , Quid de Sacramentis generatim ſacra Scriptura doceat.* Capite 2. *Quid de Cœna Domini in libris Apoſtolicis ſit traditum.* Capite 3. *Qui ſit ſtatus controverſiæ de Cœna Domini in Evangelicis Eccleſiis: videlicet, non hic, An caro Chriſti in Cœna verè edatur, hoc enim nos non negamus: ſed, Quomodo edatur. Hîc reſpondent Lutherani, corporaliter & oraliter à piis & impiis: Nos contrà dicimus, Spiritualiter tantùm à fidelibus: Ratio hæc eſt, quod nulla in Verbo Dei alia corporis Chriſti manducatio , uſquam deſcripta vel promiſſa eſt : de quo vide fol.* 403. *& ſeq.* Capite 4. *Ex quibus fundamentis de ſententia verborum Chriſti* , Hoc eſt corpus meum, *&c. iudicandum ſit.* Capite 5. *Utra verborum Chriſti expoſitio , cum Articulis Fidei conſentiat.* Capite 6. *Utram verborum Chriſti ſententiam, doctrina de Sacramentis & de Cœna Domini requirat.* Capite 7. *Quam interpretationem horum verborum* , Hoc eſt corpus meum , *&c. alia Scripturæ loca admittant , in quibus eadem ſententia, mutatis tantùm verbis exprimitur.* Capite 8. *Quæ apud veteres & orthodoxos Eccleſiæ Chriſti Doctores , verborum Chriſti de ſacra Cœna , extet interpretatio.* Capite 9. *Doctrinam de Cœna Domini Zuinglianorum & Calviniſtarum, ut vocantur, Confeſſioni Auguſtanæ , eiuſque Apologiæ , non adverſari : ubi & de vera ſententia Auguſtanæ Confeſſionis & Apologiæ, quod ad articulum de Cœna Domini attinet, agitur.*

3. *Tertiò* , Argumenta , quibus monſtratur, Hæc verba, *Hoc eſt corpus meum quod pro vobis traditur : Hoc eſt ſanguis meus novi Teſtamenti , qui pro vobis effunditur , &c.* eſſe promiſſionem gratiæ additam ritui Cœnæ.

4. *Quartò* , Vera doctrina de principali fine Sacramentorum: hoc eſt, de fidei per Sacramenta confirmatione.

5. *Quintò* , Refutatio theſium cuiuſdam, ad oppugnandum Sacramentorum finem primùm, principalem & proprium, nempe, quòd Deus per hæc , tanquam viſibilia ſigna & pignora , ſuam erga nos gratiam teſtificando, fidem & beneficiorum ſuorum communicationem in nobis augeat atque confirmet.

6. *Sextò*, Annotationes Vrſini ad Theſes de Sacramentis anno 1581. in Academia Roſtochiana ad diſputandum propoſitas à Luca Baemeiſtero , *Theologiæ Doctore & Profeſſore.*

ANNUS M.D. LXXXVIII.

Grabius de persona Christi contra Hunium

E*Diti ſunt hoc anno* 88. *in cauſa ſacramentaria ſequentes Libri.* Ioſephi Grabij de perſona & Maieſtate Filij Dei & Hominis, *adverſus Strophas Neſtoreas & Eutychæas Egidij Hunij.*

G. Altrathius contra Schelhamerum.

Georgij Altrathij Reſponſio *ad Ioannis Schelhameri Narrationem de præcipuis Calviniſtarum & Sacramentariorum erroribus. Herbornæ, Germanicè.*

Beumlerus contra Asinum Schmidlini.

Marci Beumleri *calumniarum & Sophiſmatum , quibus Iacobus Andreæ poſtremum ſcriptum, Aſinum ouem, complevit,* Elenchus. *Lugduni Batavorum.*

Tossani Orationes Eucharisticæ.

Danielis Toſſani Orationes Euchariſticæ duæ. *Una , de Statu controverſiæ Euchariſticæ , certiſque & immotis Eccleſiarum orthodoxarum fundamentis. Altera de religioſa ſalutarique ad ſacram Synaxin præparatione. Heydelbergæ.*

Responsio ad Heshusij quaestiones.

Brevis Reſponſio *ad decem fraudulentas & captioſas quæſtiones & Heſhuſij , quibus eos qui de Calviniſmo ſuſpecti ſunt examinandos cenſet.*

Samuel Huberus novas turbas excitat.

Cùm Samuel Huberus *propter irrequietum ingenium , & quòd manifeſtè Ubiquitariorum dogmata portentoſa defenderet , ab ampliſſima & magnifica Senatu Bernenſi urbe & agro ſuo excedere iuramento iuſſus eſſet , confeſtim Tubingam ad ſuum Schmidlinum confugit, eique , ſed falsò , exponit , ut Theologi quatuor Civitatum Evangelicarum in Helvetia, Acta Mompelgardenſis Colloquij Tubingæ , nomine & authoritate Ludovici Ducis VVirtenbergici & Friderici Comitis Mompelgardenſis edita , publicè coram Senatu Bernenſi corrupta , adulterataque à Schmidlino teſtati ſint, adeoque non eius ſolùm , ſed Illuſtriſſimorum quoque illorum Principum authoritatem valde diminutam ac læſam eſſe : effecitque ut Principes illi legationem & unà Schmidlinum hanc ob cauſam Bernam mitterent. Venerunt igitur legati Bernam 4. Sept. & in Senatum admiſſi de iniuriis ſuis Principibus illatis, deque læſa eorum maieſtate graviter conqueſti ſunt. Ipſe quoque Schmidlinus in Senatu tunc etiam*

longam

longam orationem habuit, in qua inter alia, ut prudentissimo Senatui imponeret, sine verborum involucris palàm dixit, suam & Bernensium doctrinam ac sententiam de Cœna non usque adeò dissimilem esse, nam se quoque docere, Corpus Christi spiritaliter in Cœna sumi ac edi. *Quibus tamen verbis prudentissimus Senatus nullam prorsus fidem habuit, quod sciret hominem versipellem & Protheo mutabiliorem aliis in locis aliud loqui & docere. De altero illo sic respondit Legatis, ut inde malitiosam, fraudulentam & impudentissimam Huberi vanitatem, ac mentiendi libidinem cognoverint.*

Schmidlinus vulpes.

Etsi verò Huberus *initiò magnâ congratulatione à Theologis* Wirtenbergicis *exceptus publico synceritatis testimonio ornatus, & in collegam adscitus fuerit, paulò tamen post, ejus ingenium turbulentum ac dogmata prodigiosa etiam ipsi odisse ac detestari cœperunt. Vnde in Præfatione Actorum Huberianorum sic de eo inter alia scribunt*: Huberus, *inquiunt*, propè omnes alios Ecclesiæ Doctores, partim errorum, partim negligentiæ in officio faciendo accusat, & sese unum præfulgidam mundi lucem constituit, quæ nullis planè tenebris obfuscata, ubique corusca sit. *Et mox*: Huberus tot monstrosis, absurdis, & inauditis novitatibus prægnans & turgens, tot calumniis & vanitatibus alios præclaros Doctores (quorum utilissimi labores in Ecclesiam extant, & quibus ille nulla ratione conferendus est) miserrimè dilaniat; & totum Christianum Orbem commovere laborat. Hoc enim statuisse illum secum, ex omnibus illius conatibus & scriptis manifestè apparet; si fortè sic emergere, Theologorum Censor ac Dictator, adeoque Doctor Gentium evadere possit. Hinc fœnum in cornu habens, & spirat tragicum satis, & feliciter audet: adeoque seipsum etiam, quod veteri Proverbio dicitur, suspendere non dubitat, dummodo apud Thebanos Heroa fieri sit concessum. Tantâ etenim gloriæ famæque suæ, tum etiam vindictæ cæcâ cupiditate ducitur, ut neque sibi neque aliis, neque ipsi clarissimæ veritati & Ecclesiæ Christi parcat: verùm, ut furiosam cupitæ ultionis, gloriæque sitim restinguere possit, omnia periculis objicere tentat. *Item*: Omnes Huberi putidas vanitates, malitiosas infectationes, diabolica mendacia, diras calumnias, & quicquid vipereo suo gutture evomere potest, non aliter æstimamus, quàm cùm incircumcisus Goliathus exercitui Israelis malediceret. *Rursus*: Tot vanissimas vanitates, tot dira convitia, tot horrendas calumnias, quas nullis rationibus in omnes omnium seculorum æternitates unquam probare poterit, iisque vel ipsum διάβολον præceptorem ac magistrum primum superare videtur, in scriptis & chartis suis, cumulatas per orbem dispergit, & Illustrissimis Electoribus, Principibus & Statibus Rom: Imperii inauditâ impudentiâ obtrudere conatur. *Ibidem eum nominant Ironicè*, alterum mundi Heliam, qui in doctrinæ cœlestis puritate tuenda & propaganda solus factus sit superstes. *Item*: effrontem, calumniatorem, vanissimum hominem, Reformatorem Orbis, Ecclesiæ pacisque publicæ temerarium & fastuosum perturbatorem, hominem qui opinionum monstris ipsam Africam superet. *Doctrinam & dogmata Huberiana vocant* orthodoxis inaudita, nova, monstrosa, Scripturæ sacræ contraria paradoxa, & portenta, nunquam vel per febris somnium cognita: *Item*, Huberiana mendacia, vanitates, fraudes, imposturas, præstigias, malitias, calumnias, blasphemias, impias corruptiones & depravationes Scripturarum.

Huberus hat zu Tübingen Balb auß geDienet. Wirtenbergensium de Huberi virtutibus testimonium.

1588.

Pontificiorum partibus typis excusus & divulgatus est Ingolstadii Tomus secundus Disputationum Roberti Bellarmini, *Iesuitæ*, de Sacramentis. *In ejus controversia tertia generali negotium Eucharisticum sex libris explicatur. In primo & secundo libro probare conatur* veram, realem & substantialem præsentiam corporis & sanguinis Christi in Eucharistiæ Sacramento; *primò* ex Verbo Dei: *Secundò* ex Patribus: *Tertiò* ex judicio rationis. *In tertio libro agit* de modo ac ratione existentiæ Christi in Eucharistia: *Nempe*, Sit-ne ratio existentiæ Christi in Eucharistia; conversio panis & vini in corpus & sanguinem Christi, *quam* Transsubstantiationem *vocant*: an potius assumptio panis & vini ad unionem hypostaticam corporis & sanguinis Domini: aut omnipræsentia, sive Vbiquitas humanitatis Christi; an aliquid aliud? *In quarto libro disputat* de ipso Sacramento, *& primò de* Natura eius; Sit-ne res aliqua permanens, an actio transiens: *Hinc descendit ad quæstionem* Vtrùm in Eucharistia sit corpus Domini solùm in usu, an etiam extra usum: *Deinde de materia, forma, fine seu effectu, de ministro, de usu, id est, de communione sub una, vel altera specie; & tandem de veneratione Sacramenti disserit. In quinto & sexto libro tractat* de Missa & eius sacrificio: 1. Sit ne Missa sacrificium verè, ac propriè dictum: 2. Quale sacrificium sit, propitiatoriúmne, an solùm laudis & gratiarum actionis: 3. Quibus prosit, viventibus tantùm, an etiam mortuis: 4. Liceat-ne in Sanctorum honorem, & memoriam Missas celebrare: 5. De modo ac ri-

Rob. Bellarmini Tomus secundus Disputationum de Sacramentis.

1588. ac ritu celebrandi: & An licitæ sint Missæ privatæ: 6. An Missa linguâ peregrinâ celebranda sit: 7. An possint quædam submissâ voce legi in Missa: 8. de Ceremoniis Missæ: quæ in actione aut rebus consistunt: ubi & de Canone ejusdem: 9. De veritate, & antiquitate eorum omnium, quæ leguntur in Missa.

Busæi Apologeticus contra Ubiquitarios.

Edidit etiam Ioannes Busæus *Iesuita* Apologeticum *Disputationis Theologicæ de persona Christi adversus Ubiquitarios. Moguntiæ.*

Christianus Elector Saxoniæ Colloquium instituit inter Lutheranos & Calvinistas.

Anni etiam hujus mense Novembri Dux & Elector Saxoniæ Christianus, *inter Lutheranos & Calvinistas, ut vocantur, placidum instituit Colloquium: ex quo tempore Calvinistis æquum se & benignum præbuit Dominum ac Principem, deque eorum doctrina magis magisque inquirere cœpit.*

ANNUS M. D. LXXXIX.

HOc anno *in causa sacramentaria hi libri sunt editi.*

Tractatus Christophori Pezelii propositus in Gymnasio Bremensi, in explicatione Examinis Philippi Melanchthonis de Cœna Domini: De vero intellectu verborum Cœnæ: Deque vera tum præsentia, tum manducatione corporis, & sanguinis Christi. *In horum autem explicatione, tria potissimùm capita tractat.* PRIMUM *Caput est Refutatio prætextûs tergiversationum, quibus nonnulli accuratiorem de hac controversia cognitionem repudiant; ut eùm dicunt:* Quòd in simplicitate acquiescendum sit: Quòd in quæstionem non vocandum sit quod Christus dixit: Quòd, juxta Cyrillum, judaïcum sit, quærere, Quomodo? Quòd omnis intellectus captivandus sit: Quòd Philosophia inprimisque Logica & Physica non debeant locum habere in huius controversiæ explicatione. *Refutatio item obiectionis de authoritate Lutheri, sub cuius nomine tueri sua conantur: extenuationis etiam personarum adversæ partis; odiosi quoque nominis Beren, Zuinglii & Calvini.* SECUNDUM *Caput continet refutationem calumniarum undecim adversus doctrinam Orthodoxam in hac cōtroversia: statum item huius controversiæ triplicem*, De intellectu verborum Cœnæ, De modo præsentiæ corporis Christi in Cœna, Deque modo manducationis corporis Christi. TERTII *Capitis primum membrum de intellectu verborum Cœnæ, In quo sequentia continentur.* 1. Argumenta octo confirmantia, quòd panis Eucharisticus non sit propriè, & simpliciter, sed sacramentaliter corpus Christi. 2. Quomodo prædicatio Sacramentalis congruat ad formas prædicationum, quæ apud Dialecticos traduntur. 3. Duo genera abhorrentium à Sacramentali locutione figurata in verbis Cœnæ. 4. Refutatio Generalis, quòd non sit proprius, neque inusitatus modus prædicationis in verbis Cœnæ. 5. Quòd qui omnium maximè contendunt, de litera, & naturali, seu propria locutione in verbis Cœnæ, literalem sensum minimè retineant. 6. Quomodo à litera verborum recedant Pontificii, ponentes transsubstantiationem. 7. Quomodo discedant à litera: qui copulationem substantialem ponunt panis & corporis Christi: 8. Obiectiones 14. quæ pro literali sensu afferuntur contra figuratam locutionem in verbis Cœnæ, & earum refutatio. 9. Quo respectu figurata locutio locum habeat in verbis Cœnæ: 10. An si figurata prædicatio ponatur pro vero corpore Christi substituatur corpus figuratum. 11. Petri Martyris, & Theodori Bezæ sententia de statu quæstionis cùm de figurata locutione in verbis Cœnæ agitur. 12. Quòd, cùm Grammatici, & Rhetores ipsi dissentiant à se invicem in definiendis, ac discernendis Tropis, modus adhibendus sit disputationibus illis, quæ de sede, & nomine Troporum in verbis Cœnæ pugnant. 13. Quòd Metonymia dextrè explicata non sit aliena à Sacramentali prædicatione. 14. Quatenus Synecdoche locum habeat in verbis Cœnæ. 15. Responsio ad argumenta duodecim, quæ contra Metonymiam, & Synecdochen Sacramentalem obiiciuntur. 16. Confirmatio, quòd à verbis Cœnæ, & à natura Sacramentorum aliena sit Synecdoche talis, & inusitata prædicatio eiusmodi, qua significatur copulatio cum pane substantialis. 17. Responsio ad argumenta tredecim, quibus synecdochicam, item inusitatam prædicationem talem defendunt aliqui, quâ significetur inexistentia corporis in pane Eucharistico. TERTII CAPITIS *Secundum membrum de Modo præsentiæ. In quo sequentia habentur.* 1. Argumenta tria in genere, & quidem negativè opposita præsentiæ corporali in pane. 2. Argumenta, quæ in specie ostendunt: qualis sit coniunctio Sacramentalis, & quæ sit præsentia seu unio corporis Christi cum fidelibus in usu Eucharistiæ. 3. Extrema fugienda in disputatione de præsentia. 4. De præsentia speciali in toto Ministerio. 5. Institutionis primæ Cœnæ circumstantiæ. 6. Quomodo præsentia corporalis evertat veram κοινωνίαν nostri cum corpore Christi, & articulos fidei, quomodo item stabiliat ἀρτολατρείαν

1589.

τρόπον Pontificiam, & perpetuam implicationem contradictionis pariat. IN TERTIO MEMBRO *capitis tertii continentur.* 1. Argumenta confirmationis, quòd fide percipiatur κοινωνία corporis Christi, sicut symbola ore percipiuntur. 2. Quòd duo tantùm sint genera manducationis in Cœna. 3. Quòd impii omni fide carentes non percipiant corpus Christi sine figura Sacramentali loquendo. 4. Responsio ad argumenta 8. quæ afferuntur pro manducatione orali, & impiorum. 5. Testimonia Patrum de Sacramentali interpretatione verborum Cœnæ.

Sadeel de spirituali & sacramentali manducatione corporis Christi.

De spirituali manducatione corporis Christi, *& spirituali potu sanguinis ipsius in S. Cœna Domini*, Antonii Sadeelis *Theologica & Scholastica tractatio.*

Eiusdem, de Sacramentali manducatione corporis Christi, *& sacramentali potu sanguinis ipsius in S. Cœna tractatio Theologica & Scholastica.*

Piscatoris quæstiones de Cœna.

Ioan. Piscatoris Quæstiones Rhetoricæ tres, *de verbis Domini, hoc est corpus meum. 1. An sit in illis Tropus? 2. Quisnam Tropus ille sit? 3. In qua voce sit? Herborna.*

Pezelii tractatus de Cœna.

Christophori Pezelii Tractatus de Cœna Domini, *propositus in Schola Bremensi, in explicatione Examinis Theologici. Brema.*

Declaratio certaminis Sacramentarii.

Brevis Declaratio, *quomodo Christianus quàm simplicissimè ex certamine sacramentario sese explicare possit, ex verbis ipsis Domini petita. Herborna.*

Historica Embdensium narratio de toto certamine sacramentario.

Historica narratio vera, & doctrina Verbi Dei de toto certamine Sacramentario à Ministris Ecclesiæ Embdensis certis capitibus comprehensa. *Docent autem primo capite*, In quibus Lutherani & Calvinistæ consentiant, & quis sit hodie Status controversiæ de Cœna Domini, inter utramque partem, *Cap.* 2. Quando primò certamen de Cœna inceperit, *Cap.* 3. Quomodo certamen Sacramentarium ex Papatu in reformatas Ecclesias sit translatum. *Cap.* 4. Quam ob causam Lutherus Papisticam Transsubstantiationem liberam permiserit, & tamen corporalem præsentiam Christi corporis in Cœnæ pane defenderit. *Cap.* 5. De origine certaminis Sacramentarii inter Carolostadium & Lutherum. *Cap.* 6. ut Concordia inter Lutherum & Helveticas Ecclesias tandem sit inita. *Cap.* 7. Lutherum & Lutheranos sæpe contraria & pugnantia de Cœna Domini docuisse. *Cap.* 8. Quas ob causas pius & fidelis cum Lutheranis in negotio Cœnæ sentire non possit nec debeat. 9. Quid fidelibus in Cœna Domini promittatur, exhibeatur & obsignetur. 10. Quòd promissio & præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna, non corporaliter, sed sacramentaliter & spiritualiter intelligenda sit. 11. Confutatio præcipuorum argumentorum, quibus Lutherani suam sententiam de reali præsentia corporis & sanguinis Domini tueri conantur. 12. De modo, quo corpus & sanguis Domini in Cœna rectè & verè percipiantur. 13. Refutatio oralis comestionis in Cœna. 14. An impii & hypocritæ in Cœna verum corpus & verum sanguinem Christi percipiant, &c.

Dogmatum Schmidlini comparatio cum August. Confessione.

Dogmatum Iacobi Andreæ *de Persona Christi & de Cœna Domini, è principiis suis repetitorum, cum Saxonica Confessione* Comparatio.

Schmidlini errores detecti.

Quadraginta quinque falsa & erronea dogmata Iacobi Andreæ, *partim à* Daniele Hofmanno, *partim verò à* Davide Pareo *detecta. Neostadii, Germanicè.*

Narratio rerum gestarum cum VVitebergensibus Theologis.

Repetita ac vera narratio eorũ, quæ cum VVitebergensibus Theologis anno 74. propter Torgenses articulos gesta sunt, *ex Responsione Christoph. Pezelii ad Hamelmanni calumnias, adversus Danielis Hofmanni convitia hoc anno recusa. Brema. Germanicè.*

Adami Francisci & Hunnii theses.

Adami Francisci Theses de Cœna Domini. *Tubinga.*

Theses iisdem de Ascensione Christi in cœlum, & Sessione ad dextram Dei Patris: *Quibus adiectæ sunt Theses aliæ de universali præsentia totius Christi in gubernatione omnium creaturarum, per* Egidium Huninm. *Tubinga.*

Wigandus de Vbiquitate.

Ioannis VVigandi de Vbiquitate seu Omnipræsentia Christi in genere, & specie in sua Ecclesia: de humana natura in Persona Christi in toto mundo, *in Testamento Dominico, in Ecclesia & credentibus tractatio. Regiomonti & Tubinga.*

Responsio Hofmanni ad lib. Pezelii.

Responsio Danielis Hofmanni *ad rationes & signa Christophori Pezelii, quibus docuit veros Sacramentarios agnoscere. Helmstadii, Germanicè.*

Declaratio Vbiquitatis.

Declaratio Vbiquitatis: *hoc est, generalis præsentia totius Christi nō solùm juxta divinitatem, sed etiam humanitatem in omnibus cœlestibus, terrestribus, visibilibus & invisibilibus creaturis. Tubinga, Germanicè.*

Wirtenbergensium Iudicium de 16 erroribus Schmidlini ab Hofmanno collectis.

VVirtenbergensium *Theologorum* Iudicium de libello Danielis Hofmanni *de 17. erroribus crassioribus Iacobi Andreæ. Tubinga, Germanicè.*

Eorundem Assertio, *quòd doctrina de Maiestate hominis Christi in Verbo Dei fundata sit: unà cum Responsione ad librum Danielis Hofmanni, in quo 17. errores crassiores eis adscribit. Tubinga, Germanicè.*

Selnecceri Calvinus redivivus.

Nicolai Selnecceri Calvinus redivivus: *id est, Calvini, Bezæ, & Zuinglii vera sententia, de*

1589. *tia, de quibusdam controversis articulis religionis, ex ipsorummet libris collecta.*

G. de Valentia Examen. Geor. de Valentia *Iesuita* Examen & Refutatio *præcipui mysterii doctrinæ Calvinistarum, de re Eucharistica, cum responsione ad objectiones Ant. Sadeelis & Fort. Crellii. Ingolstadii.*

ANNUS M. D. XC.

Iacobi Schmidlini virtus et obitus. INitio *hujus anni* 1590. *die nimirum* 7. *Ianuar. ex hac vita migravit* Iacobus Schmidlinus, *cognomento Andreæ, quòd* fabri *cuiusdam* Andreæ *filius fuisset. Hic, ut præsens historia, præterea multæ Respub. Ecclesiæ, Academiæ, adhuc docti pariter & indocti testantur,* infelicissimo quodam totius Germaniæ fato Theologus factus est. Fuit homo monstrosissimè audax, & impudentissimè ambitiosus.

Interdum summam summi Theologi gravitatem, interdum verò summæ levitatis & scurrilitatis documenta dedit; *Vnde quidam ex amicis ejus hanc illius levitatem excusare volens, crebrò dicere solitus fuit:* Fateri cogimur & res ipsa loquitur, dignissimum nostrum Cancellarium interdum in rebus arduis scurriliter, sed tamen animo non malo ludere.

Non solùm in Academia Tubingensi multis invitis, & ipso longè doctioribus, principatum sibi vendicavit, & insolenter usurpavit: sed etiam exterarum Ecclesiarum, Scholarum & Rerumpub. ἀλλοτριεπισκοπεῖν egit, in iisque magnas & periculosas turbas excitavit. *Ac meminerunt aliqui ut* Vol. 8. *Heydelbergenses in Epistola sua consolatoria ad Schmidlinum & Hosiandrum testantur, ipsum, cùm aliquando in convivio hilarior esset, & secretiores suas cogitationes recluderet, demonstrare conatum,* Ecclesiarum tranquillum statum tueri difficile esse, nisi ad aliquem tanquam summum Administratorem & Pontificem rerum summa deferatur. Hunc verò Pontificatum Iacobum affectasse, *acta vita & peregrinationum ejus haud obscurè testantur.*

Falsum pro vero, fabulas pro historiis narrare pro ludo habuit.

In tota sua vita, etiam in manifestissima fraude deprehensus, nunquam tamen erubuit.

Doctrinam & sententiam suam de Religionis capitibus mutavit sæpius. *Vnde Anhaldini Theologi in Apolo. an. 81. edita, pag. 389. promittunt, se ex ejus autographis demonstrare posse,* ipsum octidui spatio ter suam de controversis capitibus fidem & confessionem mutasse. *Et palàm in pleno Senatu Bernæ Helvetiorum professus est,* Suam & Bernensium doctrinam & sententiam de Cœna non usque adeò dissimilem esse: Nam se quoque docere, corpus Christi spiritualiter in Cœna sumi ac edi. *Cùm nihil minus fecerit, ut scripta ejus testantur.*

Conviciis, calumniis, mendaciis, sarcasmis impudentibus potiùs, quàm firmis & solidis rationibus cum adversariis certavit.

De seipso magnificè sensit: reliquos omnes præ se contempsit.

Has virtutes Philippus Melanthon *in Colloquio VVormatiensi in homine isto animadvertens, dixisse fertur:* Behüt Gott das diser Schwab kein rugken im Teutschland bekom / sonst würde er groß jammer im Teutschland anrichten. *Hoc est:* Deus prohibeat, ne hic Suevus præsidiũ aliquod in Germania consequatur: alioquin magnas turbas & calamitates in ea excitaret. *Hoc vaticinium verissimum esse exitus probat; Scholæ dissipatæ testantur, multorum doctorum & bonorum virorum exilia & carceres clamant; Principum etiam animi distracti & exacerbati, satis superque ostendunt.* *Philippi Iudicium de Schmidlino.*

Nicolaus Selneccerus *quoque Schmidlini peregrinationum Vbiquitariarum individuus comes & socius, de ipso sæpe coram multis bonis fideque dignis viris dixisse fertur;* quòd nullum omnino habeat Deum, si Mammonem & Bacchum excipias: nam se nunquam audiuisse, vel conjecturâ aliqua salrem animadvertere potuisse, toto illo tempore, quo venalem Vbiquitatem circumuexerunt, quòd vel cubitum iturus, vel de lecto surrecturus, aut orationem Dominicam recitaverit, aut ullam Dei mentionem fecerit. In reliqua verò vita, dictis, factis, consiliis, nullam pietatis scintillam, summam verò levitatem semper deprehendisse. *Selnecceri iudicium de Schmidlino.*

Eundem Schmidlinum Selneccerus *&* Andreas Musculus *nominarunt* erronem, levissimum scurram, qui, ut ex dictis & factis ejus cognoscatur, neque religionem neque conscientiam ullam habeat, qui petulantissimâ suâ linguâ omnes insectetur, & calumniando, mentiendoque sese apud Principes & quoscunque alios insinuare studeat. *Andreæ Musculi iudicium de Schmidlino.*

Kemnitius *in epistola ad ipsum scripta* 8. *Aprilis, anno* 80. *inter alia testatur,* plerasque Saxonicas Ecclesias commercium nullum cum eo habere & amicitiam colere voluisse, propter fraudulentum eius in rebus omnibus agendi modum, & quòd prodigiosa ac puriori Vetustati incognita dogmata conetur defendere & propugnare. *Refert ibidem,* ipsum non talem virum esse, *Kemnitius de Schmidlino.*

ut

ut ejus præjudicio damnati, ab aliis quoque pro damnatis haberi debeant: omnes præ se contemnere & flocci facere, ut ipse solus e...ineat, & more Paparum, cuncta in Germania pro libidiue cegat: in omnibus denique controversiis accusatorem, procuratorem & judicem sese haberi velle.

Heshusius etiam [illegible] *vocavit* Einen Tüncher und Schmierer/ wegen des getriebenen Concordi Wercks/ als der sich mit dem selben underſtanden hab/ Christum, und Belial/ liecht/und Fünsternuß/ Lügen/ und Wahrheit/ Gott/ und den Teuffel mit ein ander zuvergleichen/ und alle Ketzereyen zubeschönen/außzubreiten/ und fortzupflantzen.

Hoc Schmidlinus ipse fatetur in literis ad Ducem Brunsuicensem Anno 86. *die* 18. *Maii datis. Et in Colloquio Quedelburgensi Anno* 1583. *habito, Heshusius in præsentia Theologorum Electoralium, Kirchneri, Zimmermanni, Selnecceri, & Kemnitii palàm dixit*: Jacob Andreas hat land und Leuth/auch Kirchen und Schulen/als ein falsarius betrogen. *p.* 152. *Act. Colloquii Qued. Iohannes Sturmius in suo prodromo adversus Iacobi Schmidlini calũnias probat eum esse* Sycophantam, & quidem seditiosum Sycophantam: 2. Mendacem spiritum, imò venenatum, & levissimum, seu vanissimum, atque etiam impurissimum spiritum: 3. Sophistam impudentissimum: 4. Minoa, Rhadamanthum, & Æacum, hoc est, inquisitorem truculentissimum: 5. Indoctum Blateronem: 6. Scholæ Diabolicæ discipulum: 7. Vbiquitatis patronum: Impudentissimum nequam: 8. Aulicum Aristippum, seu gnathonem, & parasitum: 9. Epicureum: 10. Protheum: 11. Scripturæ sacræ depravatorem: 12. Erronem: 13. Evangelicum negotiatorem, seu cauponatorem: Academiarum, & Scholarum eversorem: 15. Carcinoma, & labem Ecclesiastici Ministerii: 16. Primogenitum Diaboli.

Landgravius Wilhelmus *de eodem Schmidlino ad quendam Principem hæc scripsit*: Wir haben/ sambt unseren Raht herren und Theologen D. Iacobum Andreæ mit disputiren zimlich hart angegriffen; Aber wie Er ein listiger und geschwinder Mann ist/ und auf diese Materien tag und Nacht dichtet und trachtet/ so kan Er alle obiectiones suis argutiis der massen verdrähen/ daß es wunder ist/ sonderlich aber hat er den possen an sich/ daß er auf alles das er fraget/ categoricâ responsionem haben will; Als/ ob man glaube/ daß Christi natürlicher leib an zweyen orthen/ da das Sacrament werde gereicht/ zu gleich uno momento sein Könne. Wer ihme darauf nicht mit ja antwortet/ sondern distinguiren und gegenfragen führen will/ der ist nicht seines Manns/ sondern den rufft er sobald für einen Calvinisten auß/ mit dem nicht zu disputiren schuldig. Also auch/ wann er ein wenig zu hart getrungen wirdt/ so spricht er flugs/ der sey ihme zu jung/ der sey kein Doctor, der sey kein Theologus, der sey nicht der vocation daß er von dingen disputiren soll/ und eludirt also die Disputatores.

1590.

Dux quoque Saxoniæ Elector Augustus *sanctè coram aliquot Principibus* testatus est, se quatuor tonnas auri daturum, si polypragmona & garrulum istum Suevum in suam Ditionem nunquam vocasset, aut vocato non adeò se præbuisset credulum.

Augustus Elector Saxoniæ de Schmidlino.

Alii hoc indicium de eo tulerunt: Modestus ac verax vir est Iacobus ille Mulciber, Sed quum loqui aut scribere incipit, mox deserit laus veritatis & modestiæ virum.

Aliorum iudicia de Schmidlino.

Ein bescheyden und wahrhafftig Man
Wirt Jacob Schmidlin gesehen an/
So lang und fern er schweigen kan.
Als bald er redt und schreibt
All sein lob gantz darnider ligt.
An warheit und schamhafftigkeit.

Referunt hæc omnia & alia in hanc sententiam plurima Neuburgenses Palatini Theologi *in Censura sua libri Concordiæ*: Auctores *item* Protestationis contra Jacobi Andreæ vendicatum novum Primatum, iniustas condemnationes, ac impudentissima mendacia & calumnias, *anno* 89. *editæ.*

De reditu ejus ex Saxonia Ioan. Sturmius in sua Epistola Apologetica contra Schmidlinum sic scribit: Virgæ furibus inventæ sunt contra avaritiæ crimen; & lapidationes adulteris: Si ab his duobus criminibus Iacobus Andreas solutus est, non est quòd metuat. Ego facilè fero, quod celatum est, occultum esse, neque ipsum scrutor, neque mulos Marianos ejus, quid secum ex Saxonia & Misnia deportarint, quales illæ clitellæ fuerint; σκευοφόροι ne fuerint milites Mariani, sua secum suis deportantes onera humeris, an πλουτοφόροι, argento & auro onusti. Ego sinum Sycophantæ non excutio. per me licet ut sit locupletissimus: Vnum scio, si quid secum inde divitiarum abstolit: id pauperum esse debere, & ad pauperum fiscum redigi; & illorum esse debitam mercedem, quos è suis muneribus unà cum uxoribus eiecit: & tam magnum esse ipsius sacrilegium, quàm magnæ opes sunt, quas secum deportasse dicitur.

Ioan. Sturmius de reditu Schmidlini ex Saxonia.

1590.

In Obitum inopinatum Schmidlini, de Mosis senecta gloriantis.

Dixerat in Cathedra exclamans niger ille Fabellus,
Cui nusquam cœlum, nusquam & Auernus erat:
Hem, mihi quàm vegetæ restant in corpore vires,
Membra nihil senio hæc attenuata gero,
Mosis ad exemplum, cui fertur lumen ócellis
Et vigor in membris nil habuisse seni.
Non tulit hunc fastum contemti Numinis ira,
Vix rediit sacrâ Doctor ab æde domum,
Moxque saginatum corpus febri sensit aduri:
Atque inopinatam sic luit ille necem.

Edita sunt complura hoc ipso anno Elogiorum Collectanea *in* Exequias Schmidlini *ad Ioannem Schelhamerum Staphelstenium.*

Sed sit relictus iudicio Dei
Smidlinus: at nos perpetuas Deo
Christoque agamus pectore gratias
Toto, quòd ipsum sustulerit graui
Morbo peremptum: & reddiderit bonam
Spem pacis afflictæ grauibus malis
Ecclesiæ: fundamus & ad Deum
Nostrum patentem cum lachrymis preces,
Dignetur vt pacem stabilem dare,
Quam turbet Atæ nulla proteruitas.

Anno eodem sequentes libri in controuersia Sacramentaria editi sunt.

Testimonia veterum de interpretatione verborum Cœnæ. Tossani descriptio Cœnæ contra Arturum Iesuitam.

Testimonia veterum scriptorum *insigniora de sacramentali verborum Cœnæ interpretatione. Brema.*

Cœnæ Dominicæ & Apostolicæ descriptio *ex D. Paulo* 1. *Cor.* 11. *Thesibus aliquot perspicuis à* Daniele Tossano *comprehensa: in quibus inter alia ostenditur*, Laurentium Arturum *Iesuitam Possnaniensem, in sua (quam vocat) oppugnatione Cœnæ Caluinianæ, Cœnam Apostolicam oppugnare, & eius loco idolum Pontificium obtrudere & defendere. Heydelbergæ.*

Index errorum Georgij de Valentia *Monachi blasphemæ societatis: Ex eo libro quem inscripsit*, Examen præcipui Mysterij doctrinæ Caluinistarum, *&c. Confectus à nonnullis Theologiæ & Philosophiæ candidatis in Schola Geneuensi (Scriptus est autem à D. Casparo Laurentio filiorum D. Sadeelis præceptore) Errores sunt numero sexaginta, qui crassiores visi sunt, ac proinde Transsubstantiatione digniores.*

Nobilis Ioannis à Monster declaratio solida totius doctrinæ de Cœna Domini. Bremæ.

Narratio de sex capitibus ad certamen sacramentarium pertinentibus.

Perspicua & vera narratio, *primò*, quæ sit verè doctrina eorum, qui falsò Caluinistæ vocantur: *Secundò*, quæ ad componendum certamen sacramentarium, viuente adhuc Luthero, vsque ad initam Wirebergensium Concordiam, tentata & gesta sint. *Tertiò*, Quomodo & per quos Sacramentarium certamen renouatum sit: & quam sententiam Philippus Melanthon ante & post Lutheri mortem renuerit ac defenderit. *Quartò*, Quis Ioannes Caluinus, & quænam eius doctrina de Cœna ante & post Lutheri mortem fuerit. *Quintò*, quę in religionis tractatibus, de certamine sacramentario ab Augustanæ Confessionis Ordinibus decreta sint. *Sextò*, quid de schismaticis istis Lutheranorum & Caluinistarum nominibus sentiendum sit. *Brema, Germanicè.*

Reudenij Synopsis.

Synopsis loci de Sacramentis in genere, & specie de Baptismo & Cœna Domini, Ambrosij Reudenij, *Ienæ.*

Heshusij de duabus naturis in Christo.

Tilemanni Heshusij *tractatus de duabus naturis in Christo, earumque vnione hypostatica, Magdeburgi.*

Heylbrunneri compendium. Caluinianæ doctrina.

Iacobi Heylbrunneri Compendium, & Confutatio *Zuingliana & Caluiniana doctrina de quibusdam articulis Christiana religionis, & præsertim de Cœna. Germanicè.*

Kemnitius de vera præsentia corporis Christi in Cœna.

Martini Kemnitij doctrina *de vera præsentia corporis & sanguinis Iesu Christi in sacra eius Cœna: vnà cum declaratione decimi articuli Augustana Confessionis de Cœna. Francofurti, Germanicè.*

Hunius de Sacramentis.

Egidij Hunij Articulus siue locus de Sacramentis Veteris & Noui Testamenti, *præcipuè de Baptismo & Cœna Domini, per* Quæstiones & Responsiones *ex immotis, vt putat S. Scriptura fundamentis pertractatus: confutatis è contrà Pontificiorum & Caluinistarum argumentis, qua in illorum scriptis hac de re occurrunt. Francofurti. In* Præfatione *probare conatur, Augustana Confessiani cum Caluinistarum doctrina de Cœna Domini nihil esse commercij.*

Continet autem liber ipse Hunij multas falsissimas assertiones, quibus corrumpuntur articuli fidei, de Incarnatione Christi, Ascensione in cælum, & sessione ad dexteram in cælo: Videlicet 1. Quòd vnicum corpus Christi diuersos essendi modos habeat.

2. Quòd dextra Cœnę quoq; celebrationē & ante eam, corpus Christi vbiq; præsens sit.

3. Quòd Christi corpus, locis omnibus exemptum sit.

4. Quòd

4. Quòd modum omnipræsentiæ illocalem habeat.

5. Quòd transcendat, contineat, comprehendat, circumscribat loca omnia, & creaturas vniuersas.

6. Quòd humanitas illocaliter sit, vbicunque λόγος est.

7. Quòd ex Ascensione, sequatur tantùm visibiliter ampliùs Christum non versari in terra.

8. Quòd Christus secundùm carnem loco omni penitissimè liberatus sit, & factus transcendens, imò continens locorũ omniũ.

9. Quòd Nestorianum sit, λόγον esse in carne, & extra eatuem (neglecta phraseos huius ambiguitate.)

10. Quòd nulla sit distantia inter carnem Christi, & Creaturas omnes.

11. Quòd inuisibiliter manserit Christus apud eos, à quibus visibiliter discesserit.

12. Quòd humanitas Christi non contineatur, nec mensuretur à locis, sed contineat, & mensuret loca.

13. Quòd omnia locorum & temporum interualla, coram humanitate ad paruitatem vnius apicis, & atomon vnũ redacta sit.

14. Quòd humanitas Christi non modò possit, sed omnino, & actu ipso præsens sit creaturis omnibus.

15. Quòd illocalis præsentiæ modus necessariò tribuendus sit humanitati Christi, & quòd hæc sit majestas omnipræsentiæ collata in humanitatem.

16. Quòd corpus vbiq; præsẽtissimum, omnia impleat, transcendat, contineat, &c. Et quòd hęc sit diuinissimæ præsẽtię Maiestas.

17. Quòd cœlum supra firmamentum, id est tertium illud ab Apostolo sic nominatum cœlum, sit Empyreum cœlum Caluinistarum.

18. Quòd qui negant cœlum de cœlesti gloria, & beatitudine Intelligendum esse, sint in Theologia rudes, & indocti.

19. Quòd Christus non sit quærendus in loco alicuius creati cœli, ne suspensi relinquamur, ad quam cœlorum plagam nos vertere debeamus.

20. Quòd sensibile & visibile esse, non dicantur necessariò de corpore Christi.

21. Quòd eiusdem generis sint: quòd Christus se palpari, & cerni voluit post resurrectionem: & quòd comedit, & bibit per dispensationem.

22. Quòd reliqua etiam corpora glorificata in se futura sint visibilia.

23. Quòd corpus Christi actu simul sit, & visibile, & innisibile.

24. Quòd in loco esse possit, & simul sit extra locum.

25. Quòd circumscriptum sit naturæ suæ 1590. terminis proprijs, & non sit circumscriptum vllo loco.

26. Elogia Iacobi Andreæ, & Magiri.

27. Quòd qui præsentiam Christi secundùm humanitatem in Ecclesia: non autem omnipræsentiam docent in omnibus creaturis, ita se inuoluant, vt quid dicant, & statuant, ignorent.

Ad tuenda autem hæc Paradoxa & falsissimas assertiones his sophismatis Hunius in hoc libro vtitur.

1. Quia regnum Christi est vbique.

2. Quia Christus implet omnia. Ephes. 4.

3. Vt in Cœna sacra caueatur ascensus & descensus corporis Christi ex cœlo.

4. Quia λόγον in illocalem hypostasin suam, carnem assumpsit.

5. Quia caro Christi sedet in illocali throno.

6. Quia corpus Christi, etsi est circumscriptum, tamen non est locale.

7. Quia circumscriptio localis merè accidentaria est, non proprietas quædam systatica corporis.

8. Quia etsi Christus localiter potest esse, & appa[illegible]re, quando, & vbi vult, tamen, & corpus eius sortitum est præsentiæ modum quendam planè illocalem, ex quo pendet etiam præsentia in Cœna.

9. Quia corpus Christi in vnione est assumptum in locum, sed in λόγον, seu in ipsam purissimam hypostasin Verbi, in qua nulla vel cogitari possunt loca.

10. Quia incarnatio est intima plenissimaque naturarum ad se inuicem præsentia, non in eo loco tantùm, vbi caro est, sed in omnibus alijs locis, quantumvis infinitis.

11. Quia totus λόγος, tota sua hypostasi in carne existit, & extra Corpus nullibi est.

12. Quia in Cœna esse non potest, si sic putetur in Cœlum ascendisse, vt transnaturali modo non ampliùs adsit in terris.

13. Quia si λόγος constituitur in his terris extra carnem suam, rumpitur vinculũ vnionis hypostaticæ.

14. Quia retinendum est discrimen inter ascensionem Christi ad Cœlos, & aliorum sanctorum, quod tollitur, nisi corpus Christi, tam in cælo, quàm in terra præsens esse statuatur.

15. Quia Christus promisit præsentiam suam in terris post ascensionem. Matth. 28.

16. Quia Ephes. 4. scriptũ est: non in cœlũ, sed supra omnes cœlos Christum ascẽdisse.

17. Quia ascensu suo Christus peruenit in eandem sedem, quæ est dextera potentiæ Dei, quæ est vbique præsens, & omni loco exempta.

1590.

18. Quia in aſcenſu ſuo omnia ſunt Chriſto tradita in manus,& omnia ei ſubjecta.

19. Quia Chriſtus poſtquã conſedit ad dexteram Dei, Apoſtolis vbiq; prædicantibus cooperatus eſſe ſcribitur per ſubſequentia ſigna.

20. Quia Chriſtus in exaltatione ſua conſtitutus eſt caput ſuper omnia.

21. Quia implere omnia in omnibus ab Apoſtolo dicitur.

22. Quia ſcriptum eſt: Dominabitur vſque ad fines terrarum:&, Dominare in medio inimicorum tuorum.

23. Quia ambulare dicitur in medio candelabrorum, id eſt, Eccleſiarum Aſiæ in his terris Apoc.1.& 2.

24. Quia ſi perſona λόγου ſtatuitur extra carnem aſſumptam, falſum erit, quòd λόγος omni plenitudine Deitatis ſuæ in carne habitet.

25. Quia, quamdiu hypoſtaſis Verbi (à quo vnio dicitur perſonalis) conſtituitur extra naturam aſſumptam, non poteſt ampliùs affirmari, λόγον eſſe cum humana natura vnitum perſonaliter.

26. Quia incarnatio non definitur exiſtentia Verbi extra carnem, etſi innumeris iſtis locis, (quibus aſſumpta caro per eſſentiæ proprietatem non adeſt) fingitur λόγος totus, tota ſua perſona, & hypoſtaſi eſſe extra illam: ſequitur,quòd illis in locis λόγος non ſit incarnatus.

27. Quia λόγος per aſſumptam naturam in ſolio omnipræſentiæ collocatam gubernat,& adminiſtrat vniuerſa opera Dei,idq; non per abſentem,ſed præſentem humanitatem.

28. Quia omnia omnino obſtacula Chriſto ſecundùm carnem ſedenti ad Dexteram ſublata ſunt, quæ vllam abſentiam, vel diſtantiam inter creaturas, & humanitatem parere poſſe videbantur.

29. Quia λόγος, dum in creaturis agit, humanitatem ſibi intimè præſentem habet: eamq;ad dexteram Dei exaltauit,& hunc thronum eius,vnde dominetur, eſſe voluit: & ſupra omnia loca euexit: & omne locorum interſtitium,quod abſentiam efficeret, remouit.

30. Quia quum Euangeliſta inquit: Chriſtus diſceſſit ab eis:non de inuiſibili, ſed de viſibili tantùm diſtantia loquitur.

31. Quia coram dextera Dei,& proinde etiã corã humanitate,in illa dextera Dei ſupra localitatẽ omnem euecta,loca uniuerſa ad indiuerſi apicis paruitatem,reducta ſunt.

32. Quia Chriſtus, quoad homo eſt,omnes Creaturas ſibi habet præſentiſſimas.

33. Proteſtatio contraria facto:Quòd non vtantur Vbiquitarij hiſce phraſibus, humanitatem Chriſti in omnibus pyris, pomis & locis fœtidis eſſe.

34. Quia humanitas Chriſti non minùs in omnibus rebus conditis, quàm in Eccleſia citra deſtructionem eſſentiæ ſuæ præſens eſſe poteſt, & reipſa præſens eſt.

35. Quia omnipræſentia carnis, etſi voluntaria dici poſſit reſpectu primæ originis; tamen poſt vnionem, & ſeſſionem ad dextram, immutabilis eſt.

36. Quia alia ratio eſt aſſumptæ naturæ, quàm reliquarum creaturarum, quæ non ſunt in hypoſtaſin vnigeniti intromiſſæ.

37. Quia λόγον extra carnem eſſe Neſtoriana eſt aſſeveratio, repugnans reali κοινωνίᾳ hypoſtaſeos λόγου, in quam venit humanitas.

38. Quia in humanitate locum non habet localitas, ideoque λόγου in carnem incluſio non ſequitur, etiamſi dicatur λόγος non eſſe extra carnem.

39. Quia Majeſtatis omnipræſentiæ communicatio collata humanitati præſtat, vt λόγος, etſi nullibi ſit extra humanitatem, non tamen ſit ea circumcluſa.

40. Quia Athanaſius extra rerum eſſentias quidem ait, Filium Dei verſari: ſed nunquam dicere auſus fuit, λόγον eſſe extra corpus ſuum.

41. Quia Athanaſius contrarium diſertè pronuntiat, in Oratione 2. & 4.contra Arrianos.

42. Quia vt λόγος non eſſentialiter extra ſuum corpus: ſic neque λόγος extra ſuum corpus eſt.

43. Quia infinitas verbi non eſt intelligenda de quadam extenſione eſſentiæ λόγου, vt quidam verbo excedendi vſi ſunt.

44. Quia λόγος totus incarnatus carnem aſſumptam ſuæ omnipræſentiæ participem reddit.

45. Quia humanitas particeps eſt omnipræſentiæ Majeſtatis citra ſui expanſionem,quæ tantùm in localitate regnat.

46. Quia Deus infinita altitudine omnia loca tranſcendit,& ſupergreditur. Idemque etiam de hypoſtaſi filij credendum eſt,intra quam humana natura aſſumpta eſt.

47. Quia duplici modo conſideratur humanitas Chriſti,quatenus eſt finita: & quatenus eſt humanitas hypoſtaticè cum λόγῳ, & collocata ad dextram omnipotentiæ.

48. Quia humanitas in ſtatu exinanitionis locum mutauit, ſaltem ſecundùm primum modum conſiderationis.

49. Quia ſecundùm alterum modum cõſiderationis, humanitas ἀδιαστάτως vnita λόγῳ in infinitę præſentiæ,& potentiæ throno

no præsens dominatur, supra opera manuum Dei.

50. Quia λόγος citra ullius localitatis respectum, corpus & sanguinem suum nobis manducandum & bibendum dispensat.

51. Quia Scriptura etiam de aliis rebus, distinctionibus sumptis à diuersa consideratione præsentiæ vtitur, vt de Deo, de Spiritu sancto, De dicto Hugonis falsò nominati ab Hunio S. Victoris: Corpus Christi habere dignitatem hanc ex vnione, vt simul sit in multis locis. De dicto 1. Cor. 5. vbi Paulus dicit, se corpore absentem, spiritu præsentem Corinthiis. De dicto: Quærite quæ sursum sunt vbi Christus est ad dextram Patris. De dictis Scripturæ in quibus dicitur Deus descendere, prospicere, mittere, exaudire ex cœlo. De loco Athanasij ex oratione contra Greg. Sabellij. De dicto Augustini: si in Cœlis locus Dei esse creditur, melioris meriti sunt aues, quarum vita vicinior est Deo. Ibidem. An quærendus sit Christus supra, respectu loci. De dicto: ἐγένετο ἄφαντος. An ascensio fuerit disparitio Christi. De corporibus spiritualibus. De apparitionibus resuscitatorum cum Christo. An ex sessione ad dextram, corpus Christi acceperit inuisibilitatem cum omnipræsentia coniunctam. De dicto: spiritus carnem, & ossa non habet. De manducatione Christi post resuscitationem, & diuersis formis apparitionum. An pugnent inter sese: Corpus Christi visibiliter alibi esse, & alibi inuisibiliter simul adesse. An quia corpus in λόγῳ est, & λόγος est illocalis, propterea ipsum quoque corpus illocale sit. An tollatur contradictio, de localitate, & illocalitate Corporis Christi per Exempla: λόγος est inuisibilis, & est manifestatus in carne: currus ignei sunt conspicui Elisæ, & puero eius inconspicui. Angelus fuit asinæ visibilis, & Bileamo inuisibilis: An vnum sit & maneat corpus, quod in certo loco sit, & nihilominus actu verè sit extra locum. An verè contradicant sibi hæc: Corpus naturæ suæ terminis finitum esse, & in dextra Dei implere omnia. An obiectio de contradictione sit hæreticorum, & Diaboli ipsius latibulum. De dicto: Nescitis Scripturas, & virtutem Dei.

Selnecceri Testamentum de Cœna. Selnecceri Confessio & Testamentum de S. Cœna Domini, *quid sit, & quid in ea distribuatur ac percipiatur: cum quibusdam obiectionibus & responsionibus. Germanicè. In Præfatione mandat, & suos discipulos hortatur,* *Nota.* vt sese Papistis iungant, & concordiam cum eis teneant, tantùm vt Caluinistæ opprimantur.

1590. Homiliæ duæ de Cœna. Maria virgo Caluinista est G. Mullero. Homiliæ duæ de sacra Cœna Christi, *vera item & substantiali corporis & sanguinis eius præsentia, distributione & perceptione in ea. Mompelgardi.*

Cum Georgius Mullerus 25. *Martij locum illum Lucæ 1. c.* Quomodo erit istud? *&c. publicè pro suggestu explicaret, inter alia beatissimam virginem Mariam & matrem Domini cuius hæc verba sunt*, Zuinglianam & Caluinistam *nominauit*.

ANNVS M. D. XCI.

Confutatio Responsionis Hofmanni. Anno 1591. *sequentes libri de certamine Sacramentario sunt editi.*

Confutatio Responsionis Danielis Hofmanni *de signis, quibus Sacramentarij agnoscendi sint. Bremæ, Germanicè.*

Homiliæ tres de tribus articulis. Tres Homiliæ, *in quibus repetitur & declaratur Orthodoxarum Ecclesiarum doctrina & Confessio de his tribus articulis*: 1. propter quē Christus in mundum venerit. 2. De personali & Sacramentali Vnione. 3. De Prædestinatione. *Heydelbergæ, Germanicè.*

Antithesis Vbiquitatis & veræ doctrinæ de Cœna. Antithesis Vbiquitatis & Orthodoxæ doctrinæ de persona Christi, *illam propugnante* Georgio Heruuarth, *hanc defendente* Sebastiano Ambrosio *Seruo Christi in Ecclesia Keyßmarensi. Seruestæ.*

Responsio C. Pilcij ad Apologiam Wagneri. Breuis & perspicua Responsio Casparis Pilcij *Waraliensis Ecclesiæ Marciuillanæ in Scepusio superioris Hungariæ Pastoris*, Ad maledicam & futilem Apologiam Martini Wagneri testamentariam, *Barthpha editam operâ Iacobi Wagneri N. Ministri Ecclesiæ Barthphensis, Thomæ Fabri Ludirectoris Barthphen. & Seuerini Sculteti Ludirectoris Epperiensis. In hac Responsione ostendit primò*, aduersatios suos Augustanæ Confessionis sinceros sectatores non esse. *Secundò*, Eos nequaquam affirmatiuam sententiam in Cœna retinere, sed perpetuis antilogijs seipsos implicare, Institutionemq; Domini euertere. *Tertiò*, se suosq; ab affirmatiua, iuxta Christi mentem intellectâ, nequaquam discedere. *Quartò*, mendacia aduersariorum ordine refutat, & in refutatione mendacij 23. euidentissimè euincit, verbum manducandi in propria & prima significatione ipsi corpori Christi accommodari nequaquam posse. Hyperphysicam quoq; manducationē nullam aliam esse, quàm veri & substantialis corporis Christi, quæ fide fit iuxta Euangelium, perceptionem & fruitionem.

Colloquium Chepregiense de Cœna. Historia Colloquij Chepregiensis, De Cœna Domini, *inter* Seuerinum Sculteti *Barthphensis liberæ in superiori Hungaria Ciuitatis Pastorem, &* Stephanum Bœyte, *Pastorem in Nemeth Vyuar, Ecclesiarum quæ sunt circa Rabum fluuium Superintendentem.*

Theo-

1591.

Rullius contra cauillationes Gerlachij. Theodori Rullij Refutatio Cauillationum à Stephano Gerlachio *Vbiquista in 1. e. Disputationis Moguntinæ de persona Christi, eiusque Apologeticum, obiectarum. Moguntiæ.*

Defensio Pezelij contra Selneccerum. Defensio contra vanissimas calumnias, quas N. Selneccerus euomuit in *Responsione* Christophori Pezelij Confutationis *quatuordecim causarum Selneccerianarum de condemnationibus Caluinistarum. Bremæ.*

Pilcij Assertio. Caspari Pilcij Assertio Regularum Cœnæ Dominicæ sententiam complectentium, *aduersus earundem* Examen *nomine Ecclesiæ & Scholæ Barthensis per Martinum VVagnerum editum.*

Epistola contra Grundmannum. Epistola *contra falsam declarationem Christiani* Grundmanni de Caluini libello, *quem Lutherus cum reuocatione sua Confessionis & doctrinæ de Cœna Domini, approbasse dicitur; Gerapoli, Germanicè.*

Demonstratio imposturarum Hunij. Demonstratio imposturarum ac fraudum, quibus Egidius Hunius *in libro de Sacramentis veteris ac noui Testamenti pro defensione dogmatis Vbiquitarij contra veritatem orthodoxam pugnat. Bremæ.*

Cur VVitebergenses nolint consentire in condemnationes Caluinistarum. Causæ *ob quas Theologi VVitebergenses noluit consentire in* condemnationes *falsò nominatorum* Caluinistarum. *Item: Causa 12. ob quas Zuingliani & Caluiniani publicè pro suggestu sint nominandi & condemnandi. Vrsellis, Germanicè.*

Confutatio causarum Selnecceri. Confutatio causarum *ob quas Selneccerus putat, fidos pastores concreditum sibi populum à Caluinianorum errore monere debere. Germanicè.*

Piscatoris responsio ad dictata Hofmanni. Ioannis Piscatoris Responsio ad dictata Danielis Hofmanni: *quibus quæstiones illas Rhetoricas de Tropo in verbis Cœnæ anno* 1589 *editas, oppugnauit. Herbornæ.*

Sohnij tomus 2. continens Exegesin præcipuorum articulorum Augustanæ Confessionis. Georgij Sohnij Operum tomus secundus, continens Exegesin præcipuorum articulorũ Augustanæ Confessionis. *Et quod articulum tertium de persona Christi eiusq; officia attinet, in eius explicatione agit de hodierna controuersia in reformatis Ecclesijs orta, de præsentia corporis Christi in Cœna: ac vbi de statu controuersiæ huius, deq; eius ortu egisset; argumenta, quibus dogma Lutheri de tribus modis essendi, ac inprimis de modo Repletiuo, hoc est, de Vbiquitate corporis Christi, contineri aduersarij probare conantur, in sacra Scriptura, in scriptis veterum & orthodoxorum Patrum, deniq; in Augustana Confessione, refutat; & dogma hoc pugnare ostendit, cum sacra Scriptura, cum veterum Patrum scriptis & Augustana Confessione. Herbornæ.*

Declaratio quòd Lutherani non retineant veram Cœnæ institutionem. Declaratio, *quòd Lutherani non retineant veram Cœnæ Dominicæ institutionem. Neostadij, Germanicè.*

Vera sententia & Declaratio de emendatis exemplaribus Augustanæ Confessionis, *& quis sit Status controuersiæ de Cœna Dominica: quòd etiam Philippo Melanchthoni iniustè tribuatur, ac si post mortem Lutheri demum, aliter de sacra Cœna Domini, quàm ab initio, sentire cœperit:* Opposita *postremæ* Confessioni & Testamento Nicolai Selnecceri. *Bremæ, Germanicè.*

Declaratio de emendatis exemplaribus Augustanæ Confessionis. Pezelij scriptum contra Selneccerum. Demonstratio manifestæ veritatis, in omnibus ac singulis articulis Bremensium historicæ narrationis de certamine Sacramentario, quam Nicolaus Selneccerus oppugnare conatus est. *Indicatur autem, à Selneccero præcipua capita historicæ illius narrationis silentio præteriri: scopum & intentionem eius inuerti & mutari: & manifestam veritatem impudenter negari.*

Commentarius in Augustanam Confessionem. Commentarius in Confessionem fidei *anno* 1530. in Comitijs Augustanis *Carolo* v. *exhibitam, eiusdemque Confessionis Apologiam, publicè in Academia Argentinensi propositus, cum præmissa Confessionis & Apologiæ editione, Francofurti.*

Responsio ad quæstiones 3. Piscatoris. Ad trium quæstionum (*An in verbis Cœnæ, panis & corpus, Tropus sit? quisnam ille sit? & in qua voce insit?*) explicationem a Ioanne Piscatore institutam & editam Responsio. *Lemgauia.*

Modestini immodestum scriptum. *Editum est & à* Ioanne Modestino virulentum ac maledicum scriptum, *in quo probare conatur, Sacramentarios, Zuinglianos & Caluinistas non Christianos, sed baptizatos Iudæos & Mahumetanos esse.*

Schachtij declaratio verborum Cœnæ. *Prodijt etiam in lucem* Declaratio *quædam* verborum Cœnæ Dominicæ, pro hominibus pijs, *vt titulus fert,* in simplici veritate confirmandis: *Conceptam quidem à* Valentino Schachtio, *Professore apud Rostochienses Theologico: edita vero in lucem Ienæ, editionem procurante* Georgio Mylio *Professore Ienensi, eamq; Præfatione exornare volente.*

Exempla inconstantis doctrinæ Schachtij. *In hoc libro* Inconstantiæ atq; inconstantis doctrinæ *exempla sunt quàm plurima. Vt quando dicit B.3.* Vnionem corporis Christi cum pane Cœnæ, & sanguinis cum vino non esse substantialem, neque corporalem aut naturalem: *& tamen vult Schachtius,* præsentiam corporis & sanguinis Christi hîc in terris & in pane Cœnæ esse substantialem & corporalem. 1.

Item: Panem & vinum Cœnæ ordinata esse, vt sub his corpus & sanguis Christi distribuantur: *& tamen idem* corpus & sanguinem mystico & arcano modo hîc in terris copulari, & simul ore participari *vult: aliud enim ordinatio, aliud copulatio seu applicatio est.* 2.

C.1. dicit, Locutiones has, Panis est corpus Christi, & vinum est sanguis Christi, non 3.

esse

esse vsitatas neq; regulares: *Et tamen ex his oralem corporis & sanguinis Christi cum pane & vino participationem extruere contra omnes logicas leges ineruditissimè conatur.*

4. *Ibidem sine distinctione dicit*, Panem Cœnæ esse naturale & substantiale corpus, & vinum Cœnæ naturalem & substantialem sanguinem Christi: *& tamen prædicationes has non esse vsitatas neq; regulares.*

5. *Ibidem inusitatam locutionem definit*, quòd tantùm spectet ad propositiones de Filio Dei: *& tamen locutionem hanc, quâ corpus Christi de pane, & sanguis de vino prædicantur, vocat etiam inusitatas. At nihilo magis sacramentales prædicationes inusitatis, quàm inusitatæ sacramentalibus subjici possunt: sunt enim distincta prædicationis species.*

6. Negat prædicationem figuratam esse in verbis, Panis est corpus Christi, *& tamen concedit, panem & vinum esse figuras, typos & symbola corporis & sanguinis Christi: concedit etiam Synecdochen ac Metonymiam quandam: quo ipso tamen Tropum agnoscit. Omnis enim Metonymia, omnis Synecdoche, qualis qualis sit, Tropus est, quam inusitatam prædicationem esse negat. Nemo enim hactenus tam fuit audax atque rudis præceptionum Grammaticæ & Rhetoricæ, vt inusitatas prædicationes metonymicas vel synecdochicas esse dicere ausus fuisset.*

7. Negat consubstantiationem corporis Christi cum pane, & sanguinis Christi cum vino, *& tamen corpus Christi cum pane, & sanguinem cum vino disparatas substantias scilicet, ita copulat, coniungit, connectit, complectitur, vt altero sumpto, alterum necessariò sumatur, atque ambo in vno eodemque loco statuantur præsentia.*

8. Sacramentalem sumtionem definit, quòd sit externa sumtio corporis & sanguinis Christi cum pane & vino, arcana tamen & rationi incomprehensibilis.

9. Sumtionem corporis & sanguinis Christi oralem esse externam, & tamen arcanam & imperuestigabilem humanæ rationi. *Item*, rationi humanę hîc non esse locum sed simpliciter eam credendam, *& tamen Syllogismo illud demonstrare conatur, Dei.*

10. Negat panem esse signum vel symbolum corporis, & vinum signum sanguinis Christi: *& tamen corpus Christi pani, & sanguinem vino sacramentaliter vniri concedit: quo ipso fatetur panem esse signum corporis Christi, & vinum sanguinis Christi: non autem totam actionem cum rebus quæ exhibentur, nempe ipso etiam corpore & sanguine Christi, esse signa.*

11. Negat localem præsentiam corporis Christi hîc in terris, *& tamen corpus Christi eodem in loco præsens adesse volunt, vbi panis præsens adest. Item negant*, motum corporis Christi localem, *& tamen cum pane ex manu Ministri accipi ac manducari ijdem volunt: quod sine locali motu fieri ne cogitari quidem potest.*

1591.

12. Statuit omni vel multipræsentiam corporis Christi hîc in terris, *nec tamen omnipotentiam eiusdem statuere disertè volunt, cum tamen eadem sit ratio omnipotentiæ, quæ omnipræsentiæ. Vtrumuis autem statuant perinde est: statuunt enim hac ratione omnipotentem & omnipræsentem hominem: quod Lutherus damnat.*

13. *Statuit*, panem esse naturale & substantiale corpus, & vinum in calice naturalem & substantialem sanguinem Christi: *Et tamen postea dicit, panem & vinum esse externa & visibilia elementa, distincta à corpore & sanguine Christi.*

Dicit, Christum non loqui de allegorico corpore, sed de vero ac naturali pro nobis tradito: *& tamen vult ipsum loqui de corpore quod vbique est. Hoc tamen nec verum, nec naturale, nec pro nobis traditum est.*

Præter quinque etiam illos errorum fontes, quos aduersarijs D. Antonius Sadeel in sua disputatione De Sacramentali manducatione corporis Christi, fol. 290. & seq. ostendit, sequentes etiam in hoc Schachtij libro continentur. Tres Vbiquitariorum errorum fontes.

14. *Miserâ seruitute* signum pro re signata, & rem signatam pro signo accipit. *Dum enim dicit*, panem esse naturale corpus Christi, *signi naturam tollit: dum verò dicit*, corpus & sanguinem Christi sub communem rationem σφραγῖδ☉ venire, *rem signatam in signum conuertit.*

2. *Contra consensum totius Ecclesiæ*, negat verba Christi promissionem gratiæ continere, *& hac sententiâ adductus primùm componit diuidenda, & diuidit componenda, deinde verò* voculâ HOC, panem & corpus notari contendit.

3. *Nec naturam Sacramentorum, nec præsentiam corporis Christi in Cœna, nec vnionis Sacramentalis rationem, nec manducationis sacramentalis & spiritualis discrimen, nec sacramentales prædicandi modos intelligit. Sed perpetuo errore se & alios decipit, quòd pro confesso sumit*, essentialem carnem & sanguinem Christi coniuncta esse reipsa inseparabili nexu extra fideles, & situm loci esse cum pane & vino ipso Cœnæ Domini, *quod priùs ex institutione probandum esset.*

DE

1591.

De Christiani Saxoniç Electoris ingenti studio in propaganda vera Religione, eiusque OBITV, & quę hunc sint consequuta.

Christianus Saxoniæ Elector moritur.

HOc ipso anno ex mortali hac vita in beatam illam ac cœlestem migrauit Christianus Saxoniç Dux & Elector, *Princeps optimus ac verè Christianus, mensis Septemb. die 25. paulò ante horam septimam matutinam. Dum viueret in terris, dici non potest, quàm inter varias occupationes & animi distractiones solicitus de Repub. & Ecclesia fuerit, & inprimis de Scholis illustribus & Academijs, quas mirificè exoptabat regi posse à viris omni liberali doctrinâ politissimis. Luculentis igitur stipendijs vndique doctos inuitare, celeberrimorum Theologorum & Iurisconsultorum operam conducere, nullam non curam suscipere, quâ fieret, vt eruditorū hominum copiâ ditio eius amplissima floreret, & vt ipse dicere solitus est*, ab indoctis & opinione scientię inflatis clamatoribus tandem liberaretur. *Sæpe hac vox, digna pio & magnanimo Principe, ex ipso audita est:* Deus nouit, tantùm queri à me ipsius gloriam, & tantùm hoc agi, vt ditioni meæ subiecti in doctrina veritatis cœlestis rectè instituti possint, remotis ijs, qui pacem & quietem Ecclesiarum turbant. *Ad mentionem factionum & partium sæpe, non sine vehementi animi commotione*, Ego, *inquit*, neque Caluinianus sum, neque Flaccianus, sed Christianus. Habeant Flacciani suum cœlum, in quo etiam ipsum Orcum collocant. *Non rarò conquestus est de fraudulentis Theologorum artibus, quibus in fabricanda Concordiæ formula, & venditanda Augusto Patri suo optimo vsi essent: net dissimulauit, se ex animo odisse illos, quos sciret acceptâ pecunia summâ certa ad subscriptionem inductos fuisse, à qua antea se alienissimos, etiam in publicis concionibus ostenderant. Excusarunt ijdem factum hac ratione,* quòd *dicerent*, obtestationibus & lachrymis etiam Electoris Augusti fractos se tandem manus dedisse, *vel potius commodasse falsitatis comprobationi. Atque erant hi tum in ipsa Aula, qui leuitatis huius impiæ sibi conscij, miror quam frontem postea obtulerint Christiano Electori constantia, veritatis & candoris amantissimo. Hic memor eorum, quæ Patri accidissent, apertè profitebatur*, se per Dei gratiam ipsum cogniturum controuersias, nec in rebus grauissimis, & ad animę salutem pertinentibus aliorum decretis acquieturum, multò minus passurum, vt quouis doctrinę vento huc illuc raperetur. *Quare quum quotidie à suis Caluinianos atrociter insectari & exagitari audiret, & insimulari eosdem horribilium errorum: non accusatorum sententijs sibi standum esse putauit; sed vsurpandum illud Atticum; ἀμφοῖν ὁμοίως ἀκροᾶσθαι. Auditis igitur in colloquio quodam priuato vtriusque partis Theologis, perlectis etiam scriptis & Apologijs Caluinianorum, mox ingeniosus & acutus Princeps animaduertit, criminationum, quibus Ecclesiæ Caluinianæ infamarentur, malitiosam futilitatem, & importunam vanitatem. In hoc laudabili studio cùm pergeret, etiam alijs copiam fieri voluit cognoscendæ veritatis, procurauitque vt publicè Caluinistarum libri in Ditione sua venales essent.*

Christiani Electoris Sax. studium in propaganda vera religione.

Quia verò nihil magis in votis habebat, quàm Ecclesijs perturbatis veram, non fucatam restituere concordiam, præclareque intelligebat, huic rei præcipuè obstare, iniquissimas exterarum Ecclesiarum condemnationes, & acerrimas dissentientium insectationes, ex odij acerbitate potiùs, quàm ex zelo asserenda veritatis profectas: optimo & maximè salutari consilio edita parentis pietatis plenissima ante complures annos impressa & publicata, denuò diuulganda curauit, ratus non antè animos exulceratos sanari & coniungi posse, quàm è medio tollerentur ea, quæ fouendis distractionibus & rixis augendis essent, accusationes nimirum & excommunicationes non necessariæ ante decisionem controuersiæ, conuitiorum petulantia, calumniarum atrocitas, contumeliis appetens famam innocentium hominum. Interim tamen nulli adempta potestas errores & hæreses refutandi ex Verbo Dei: ex Verbo Dei, inquam, quam solam regulam esse etiam ipsi Lutherani faterentur omnibus dogmatibus examinandis idoneam.

Vicissitudo rerum in Saxonia.

Hic verò operæ pretium est considerare rerum vicissitudinem, & quantum situm sit in temporibus. Tunc enim quum iussu Patris Augusti mandata illa conscripta & promulgata fuêre, nemo erat, qui ea reprehenderet, imò verò laudabant ea ferme omnes. Iam eadem promulgata ac edita à filio, contumaciter respuerunt & insolenter abiecerunt illi ipsi, qui auctores Principibus esse debebant eiusmodi consiliorum & actionum, quibus omnes turbarum occasiones præciderentur. Tantum autem abfuit, vt voluntati optimi Principis gratificarentur, & Ecclesiæ tranquillitati consulerent, vt etiam quasi irritati acrius deinceps latrarent mallentque stationem potiùs deserere, quàm ingenij pertinaciam mutare, prætexentes nihilominus patrocinium non tam veritatis, quæ à nullo oppugnabatur, quàm authoritatis Lutheri, & sub hac sua ipsorum quoque Plebs rudis à demagogis illis, pendere, mendacijs impudentissimè conuictis fidem habere, certò persuasa,

suasa, nouum doctrinæ genus & planè hæreticum introduci ab ijs, quos vociferatores isti Caluinianas appellare solebant. Hos execrari omnes: nisi sponte cederent, cædem, exilium, & direptionem bonorum minitari, Cleonibus illis instigantibus & impellentibus plebem furiosam eò, quò aliàs sponte suâ fertur & rapitur. Exstat apud Lucianum festiua & erudita narratio de quodam falsa vate. Hic cùm præstigijs suis maiori propemodum orbis terrarum parti illusisset, à mysterijs & sacris suis curiosè admodum Christianos arcere consueuerat, quòd horum præcipuè operâ fraudes suas alijs simplicioribus innotescere sciret. Ad eundem modum Vbiquitarij Theologi quosuis alios ferre passunt in suis Ecclesijs, præter Caluinianos, quum probè norint, ab his maximè opinionum suarum commenta ridicula, profana & nugatoria demonstrari atque etiam refelli passe. Tandem eò audacia ventum est, vt famosis libellis, virulentis scriptis, maledictis & conuitijs publicè & priuatim ipse quoque Elector impetitus, & tantùm non laceratus fuerit, vel ab ipsis Lutheranis Thealogis, vel saltem ab alijs, sed istorum Theologarum & Vbiquistarum instinctu & impulsu: Qui etiam toti in id incubuerunt, vt aliorum Principum animos contra illum exacerbarent & irritarent, charitatemque & concordiam inter ipsos extinguerent. Multi quoque ex illis multa ac varia, ipso adhuc viuente, de eius morte prædixerunt: quæ res postea satis firmam dati veneni suspicionem præbuit. Etsi autem ex peruersitate illa naua & planè insolente magnis se implicari difficultatibus videret Christianus Electar, vrsit tamen constanter id, quod sciebat & Deo gratum & hominibus salutare esse, magno animo aspernatus, quicquid in sui contumeliam vel publicè vel priuatim effutiendo disseminaretur, subinde solitus iterare tritum illum versiculum.

Cùm rectè facias, ne cures verba malorum.

Theologorum Saxonicorum odij erga Christianum Electorem causæ.

Ad hoc verò plus quàm Vatinianum odium commoti sunt his potissimùm de causis. Primò, *quòd Illustrissimus ac optimus Elector æquiorem se quàm ipsi vellent, Caluinianis præberet.* Deinde, *quòd Exorcismum in Baptismo abrogasset, & infantes fidelium iuxta institutionem Christi baptizare præcepisset: nec credidisset vel suos, vel aliorum fidelium infantes, vt qui in fœdere Dei comprehensi sint, à Diabolo obsessos esse.* Tertiò, *quòd Theologis mandasset, vt præ polemicis scriptis, Verbum Dei legant ac purè doceant: auditores suos in fide & pietate, doctrinâ & vitâ erudiant: denique à condemnationibus exterarum Ecclesiarum, piorum & bene de Republica Christiana meritorum virorum abstineant. Hoc enim edicto tota ipsorum Theologia sublata erat, quæ tantùm in conuitijs, maledictis, mendacijs & condemnationibus consistit.* Quartò, *quòd sanctissimum virum* Philippum Melancthonem, *& eiusdem* corpus doctrinæ *à mendacijs & conuitijs Vbiquistarum & Flaccianorum acerrimè vendicasset, & in Scholis rursus legi & explicari iussisset.* Quintò, *quòd suis his legibus obedire nalentes amouisset, & alios in eorum locum substituisset.*

Mortem verò eius plurima portendere visa. Terræmotus aliquot præcessere: Campana in turri templi aulici nullo mauente insonuit: horribiles exauditi ventorum fremitus, multaque in cœlo conspecta chasmata.

Lætabantur igitur effusissimè inter bonorum gemitus & lachrymas, Vbiquistici Thealogi de morte Christianissimi Principis. Sed fuerunt valde inhumani isti, imò ferrei & ingrati homines, de Ecclesiæ commodis & Reipublicæ dignitate parùm soliciti, qui immatura florentissimi Principis obitu non vehementer fuerunt turbati. Nam, vt de Ecclesia taceam, propter virtutem & opulentiam, maiestatem imperij tueri poterat, & in externis etiam regnis vi iniustâ oppressos armis, virisque iuuare. Sed νυῶν ζῶντας ; καὶ ἐπισκιρτᾶν τῷ νεκρῷ καὶ παιανίζειν, *cuius ingenij sit, ex Plutarcho discere debuerunt.*

Reliquit post se tres filios, quorum maximus natu tum decem annorum fuit: ideaque Electoratus Administratio Friderico Wilhelmo, *Saxoniæ Duci, & proximo pupillorum agnatò tradita & commissa fuit.*

Mortem Christiani Electoris quæ consequuta.

Mortem Electoris Christiani sequuta est, quad Theologi Vbiquistici vnicè optabant, persequutio grauissima omnium orthodoxorum per vniuersam Ditionem eius. Inquisitares enim, hoc est, Theologi Vbiquistici, quibus Administrator, optimus alioquin Princeps, frena nimiùm laxauerat, non solùm Theolagos quàm plurimos ab Ecclesiarum & Scholarum administratione amauerunt, sed etiam Iurisconsultos aliosque politicos, viros hanestos, graues, prudentes & pios, vel parùm de Caluinismo suspectos, ex Academijs & Consistorijs eiecerunt, alijsque officijs & dignitatibus priuarunt, ne suis conatibus resisterent.

Nicolaus Crellius Saxoniæ Cancellarius in vincula coniicitur.

Pridie quàm Christiani Ducis Saxoniæ & Electoris exequiæ Dresdæ celebrarentur, cùm Doctor Nicolaus Crellius Saxaniæ Cancellarius ex Aula domum concederet, aliquot satellites è Curia missi sunt, qui eum in ædibus suis custodirent, danec quid de eo faciendum esset, statueretur. Max subsequuti sunt alij, qui scripta illius omnia in catalagum redegerunt, scrinijs incluserunt, & consignarunt. Objiciebatur illi, quòd Duci Christiono auctor fuisset mutata in Saxonia Protestantium Religionis, &

1591. *introducti Caluinismi: quòd Dux eo impulsore anno* 1588. *mense Nouembri Doctores vtriusque Religionis ad Colloquium conuocauerat, & ex illo die semper occasionem mutandæ Religionis quæsiuerat.*

Paulò pòst currum ascendere iussus, confluente maximâ hominum multitudine, in arcem Hohenstein *deductus, ibique in carcerem detrusus fuit.*

Theologi Calvinistæ in vincula coniecti sunt. Vrbanus Pierius.

Post sepultum Ducem, Theologi nonnulli diuersis in locis comprehensi, & in vincula coniecti sunt: inter quos D. Vrbanus Pierius, *Professor VVitenbergensis quoque fuit. Cùm enim eò Consiliarij quidam venissent*, Pierium *ad se vocarunt, mandatum suum illi exhibuerunt, & tandem sententiam pronuntiarunt, vt captiuus scilicet à Magistratu in arcem abduceretur. Qui cùm hanc sententiam iniquam esse diceret, & causam suam multis argumentis defendere conaretur, in apertam penè disputationem prouecti fuissent. Caterùm rata permansit sententia, & Pierius captus in arcem, quàm occultè fieri potuit, à Consule abductus est.*

Christophorus Gundermannus.

Fama hac Lipsiam ad aures D. Christophori Gundermanni *mox allata est. Is sibi metuens clam aufugit, & Naumburgum profectus, apud Ministrum Orthodoxum, seu Caluinistam, vt appellantur, diuertere constituit: sed in suburbio agnitus, clàm declinauit. Interea duo nuncij à Curia missi Lipsiam venerunt, & Gundermannum studiosè quæsiuerunt. Sed quia discesserat, diuersis itineribus profecti sunt (id enim in mandatis habebant) alter Eckersbergam, alter Ienam: Hìc inuentus est Gundermannus, & à nuncio ac Magistratu Lipsensi per literas persuasus, cum illo Lipsiam reuersus est. Postquam enim fama increbuerat, Gundermannum profugum esse, Ordines Patriæ scripserunt Magistratui, si Gundermannus ipsorum negligentiâ euasisset, ipsum restituerent & Ordinibus traderent. Cùm Gundermannus rediisset, paucisque diebus domi latuisset, tandem 15. Decemb. à Gubernatore, Consule, & quodam Nobili, eius Bibliotheca perlustratur, perlustrata clauditur, & consignatur: ipse autem in carcerem detruditur.*

Theologorum quoque instinctu pacta & fœdera ab Electoribus Saxonicis ante hoc tempus cum exteris Regibus ac Principibus inita, irrita decernuntur. In quo egregiè Romanos Pontifices imitantur, qui pacem & Concordiam Euangelicorum Principum ferre minimè possunt, sperant enim sic se faciliùs suis artibus & dolis perrumpere posse.

Edictum etiam technis ipsorum promulgatum est, quo Caluinistarum librorum omnium non solùm lectio, sed etiam venditio prohibita fuit.

ANNVS M. D. XCII.

Conuentus Ordinum Electoratus Saxoniæ Torgæ. Ordinum Electoralis Saxoniæ petitio.

ANno *Domini* 1592. *Dux* Fridericus Wilhelmus Administrator Saxoniæ *Torgouiæ quam Argeliam Misniæ Ciuitatem vocant, Conuentum Ordinum habuit, multaque tum ad Religionem, tum ad Politicam administrationem pertinentia proposuit, ad quæ obiter Ordines responderunt*: Dolere se immaturum Ducis Christiani obitum, viduitatem vxoris, & orbitatem sobolis: Se Administratori in omnibus fore obedientes, quæ ad Religionem, & Politicam administrationem pertineant: Optare se Administratori multos annos, & felicitatem in hoc suo munere. Cæterùm orare, ne insuetis exactionibus & tributis Prouincias oneret: sed iura & libertatem populi sartam tectam conseruet. Famosos Sacramentariorum libellos prohibeat, & in authores debitis supplicijs animaduertat. In futura Visitatione diligentiam adhiberi iubeat, vt Caluinianorum latentium ratio habeatur, ex Scholis, Ecclesijs, Magistratibus, alijsque publicis administrationibus ejiciantur. Captiuos Theologos, periuros, & in subscriptione Concordiæ, cui consenserant, perfidos, Crellii complices, nequaquam bonâ fide (vt postularant) ad tempus dimittendos, sed diligentiùs examinandos esse. Orant vt Iunioris Principis diligens habeatur ratio; Pædagogus illi detur vir doctus, pius & Religioni Patriæ deditus. Alius item Nobilis quidam illi addatur, à quo mores & consuetudines aulicas, quæque ad externam conuersationem pertinent paulatim discat. *Hac aliaque plura in illo Conuentu acta sunt.*

Ordines Electoralis Saxoniæ Cancellarium Crellium accusant.

Tandem Ordines accusationem aduersus Cancellarium Crellium instituunt, eumque multorum scelerum reum agunt. Eum cruentis & facinorosis Consilijs suis Patriæ suæ ad perpetuam ignominiam, damnumque irreparabile contra conscientiam suam præfuisse. Electorem ad mutationem Religionis & Politicæ administrationis, ad subsidia quoque in Gallias mittenda, impulisse: eundem Electorem contra Cæsaream Maiestatem, cæterosque Electores & Principes Imperii instigasse, prouincias & populum varijs periculis exposuisse: schismata & discordias in Concilium Principis disseminasse, multos Consiliarios suspectos & exosos falsò reddidisse: Cum cæteris, qui suæ opinionis & Religionis erant clandestina consilia communicasse: Pastores Lutheranos persequutum esse, Saxoniâ eiecisse

eieciffe: adeò vt multo tempore quibusdàm in locis Ecclesiarum ministri nulli fuerint, qui Verbum Dei annunciarent, Sacramenta administrarent, infantes baptizarent: Biblia & Catechismum Lutheri eiusque sectatorum prohibuisse & perdidisse: Caluinianorum scripta eorum loco introduxisse: Augustanam Confessionem, anno post millesimum quingentesimum tricesimo in dubium reuocasse. *Horum, aliorumque plurimorum criminum, qua omnia recensere non lubet, Ordines Saxonia Crellium incusarunt, singula magno verborum pondere exaggerantes, & tandem vindictam & supplicium ab eo sumi postulantes. Placuère hac omnia Administratori, sed in contribuendo ne sint difficiles petijt. Crellium quoque se Dresdam, petente id vxore, eò quòd in carcere morbum contraxerat, in proprias ades sub diligenti custodia missurum Ordines admonuit. Anno Christi* 1601. *Nou.*9. *die, Dresda in Saxonia ceruicibus eius caput abscissum est.*

Visitatio in Saxonia Electora li instituitur.

Eodem anno Saxones, quo Caluinismum, vt vocant, funditus extirparent, ad Visitationem in vltimus Comitijs propositam, procedendum esse omnino statuerunt. Huic operi ab initio prafecti erant Nicolaus Selneccerus *&* Polycarpus Leyserus; *Sed cùm illi mense Maio proximo extremum diem obijssent, alij in eorum locum quidam ex Misnia, quidam ex Voytlandia, alijsque Saxonia Prouincijs surrogati sunt.*

Articuli visitationis.

Articuli Visitationis erant quatuor. Primus, de Cœna Domini, in sex capita distributus. *Secundus*, de Persona Christi, in quatuor. *Tertius*, de Baptismo similiter in sex. *Quartus*, de Prædestinatione & Præscientia in tres sectiones diuisus. *In singulis articulis proponuntur interrogationes affirmanda & probanda. Inde subijciuntur neganda & improbanda, vt quas ex Caluini dogmatibus desumptas asserunt. De affirmandis non est magna controuersia. Negandas obiter enumerabimus.*

In primo Articulo de Cœna Domini iubentur detestari; *primò*, verbum illud, Accipite, comedite; Hoc est corpus meum: Accipite, bibite; Hic est sanguis meus, non secundùm literam, sed figuraliter & typicè intelligendum. *Secundò*, in Cœna nuda esse signa & symbola: Corpus Christi tam longè abesse à pane, quàm cœlum est à terra. *Tertiò*, Christum hic præsentem virtute & operatione sua, non corpore: quomodo Sol suo lumine & operatione est in his inferioribus efficaciter, Corpus verò solare est in cœlo. *Quartò*, Typicum & figurale corpus esse, significans tantùm. *Quintò*, solâ fide ascendente in cœlum, & non ore percipi. *Sextò*, solos dignos sumere, indignos verò, qui fide hac, quæ cœlos penetrat, destituuntur, nudum panem & vinum accipere.

1592.

In secundo Articulo de persona Christi anathematizare *debuerunt*; *Primo*, Deum esse hominem, & Hominem Deum, figuralem esse locutionem. *Secundo*, Humanitatem cum diuinitate non reipsa & veritate, sed nomine tantùm communionem habere. *Tertiò*, Impossibile esse etiam Christo cum vniuersa sua omnipotentia facere, vt naturale suum corpus, vno eodemque tempore in pluribus locis, quàm vno, sit. *Quartò*, Christum secundùm humanitatem suam, per exaltationem suam, omnes dotes & gratias creatas certamque potestatem accepisse: sed non omnia scire, nec posse. *Quintò*, Christum secundùm humanitatem absentem his regere, quomodo Rex Hispaniarum in nouis Insulis. *Sextò*, execrandam idololatriam esse, spem, fidemque animi, non in Christum Deum solùm: sed etiam hominem collocare, & honorem, inuocationemque super hanc fidem ædificare.

In Tertio Articulo de Baptismo hac damnanda *proposuerunt. Primò*, Baptismum externum tantùm esse lauacrum, quo interna peccatorum ablutio tantùm significatur. *Secundò*, Baptismum nec regenerationem, nec fidem, nec salutem conferre: sed tantùm hæc significare & obsignare. *Tertiò*, non omnes qui baptizantur in aqua, consequi per illud gratiam Christi, & donum fidei, sed solos electos. *Quartò*, regenerationem non fieri in & circa Baptismum, sed postea, ætate crescente, imò quosdam non nisi in senectute regenerari. *Quintò*, Salutem non pendere à Baptismo, ideoque priuatum Baptismum, tempore necessitatis in Ecclesia non permittendum, sed cùm ministerium Ecclesiæ haberi non potest, absque Baptismo puerum mori satiùs esse. *Sextò*, Christianorum infantes sanctos esse, & à Baptismo, & à partu, imò in vtero materno, idq; per pactum & fœdus æternæ vitæ, alioquin Baptismum ipsis conferri non posse.

In Quarto Articulo de Pradestinatione & Prascientia Dei, eiurare *pracipiuntur subsequentia. Primò*, Deum non pro omnibus hominibus, sed pro Electis tantùm mortuum esse. *Secundò*, Deum maiorem hominum numerum ad perpetuam damnationem creasse, nec velle, vt conuertantur & salui fiant. *Tertiò*, Electos & regeneratos non posse aut fidem, aut Spiritum S. amittere, aut damnari, etiamsi in grauissima peccata, ac turpissimas blasphemias incidant. *Quartò*, Non electos necessariò damnandos, nec posse ad salutem

1592.

tem peruenire, etiamsi millies baptizentur, etiamsi tam irreprehensibiliter atque sanctè viuant, quàm qui sanctissimè.

Visitationis executio

Isti Articuli, vt Caluiniani, in omnibus Ecclesijs, Scholis & Magistratibus, vbi Visitatio instituebatur, propositi sunt, quos eiurare, & subscriptione manus propriæ damnare; nisi officijs suis moueri vellent, omnes tenebantur. Ab vrbe Witebergensi *hac Visitatio cœpta est. Biduo ante Visitationem sub pœna capitis interdictum est, ne clandestina fiant conuenticula; sed vt quisque exitum Visitationis expectet. Visitatione peractâ, ij qui Articulis subscribere noluerunt, officijs suis amoti sunt: Quatuor Academiæ Doct. & Profess. duo: in iudicio Principis duo: in Magistratu totidem.*

Visitatores deinde Witebergâ *Lipsiam profecti, ibidem officium quoque fecerunt: vbi sex reperti sunt, qui propositos Articulos probare noluerunt: ideoque suis functionibus decedere iubentur.*

Quod Witenberga*, quod Lipsia cœptum est, per totam deinde Saxoniam fuit continuatum.*

Tossanus contra articulos Visitationis Saxonicæ.

Istis verò Articulis, seu Thesibus & Antithesibus partim falsis, partim captiosis, alias opposuit Daniel Tossanus *in Academia Heydelbergensi, ad testimonium veritati reddendum in publica disputatione; Respondente M. Clemente Timplero Stolpensi Misnico.*

Lipsiæ 8. Octob. noua, sed particularis Visitatio instituta est. Multi enim, Caluinianæ Religionis suspecti, examinati, officijs suis priuati, & Iurisconsultis nonnullis Praxis interdicta est. Inter alios quoque Consul *quidam à Visitatoribus citatur, vt causam reddat, cur in suo Consulatu multos libros, inter quos,* Serpens antiquus, *seu*, Sacramentariorum Dæmon, Lupus excoriatus, Prodromus, Caluinus rediuiuus, Rationes cur Lutherani Sacramentariorum, Caluinistarumque falsam doctrinam non debeant approbare, & multos similes interdixerit, vendique prohibuerit.

Administrator Saxoniæ interdicit Pastoribus Ecclesiarũ conuitiandi morem.

Etsi verò in Electoralis Saxoniæ Academijs, Scholis, Consistorijs & Magistratibus, hoc modo omnes, qui Caluiniana Religionis erant, loco moti, & officijs dignitatibusque spoliati fuerunt, non tamen solum vertere cogebantur, sed licebat ijs in Patria apud suos viuere, modò se honestè & tranquillè gererent. Quamuis autem iam antea sæpe in Saxonia propter hos, aliosque pacis amantes viros, Pastoribus Ecclesiarum ab Administratore Optimo, pro ingenita Clementia sua, prohibitum esset, Caluinistas in pulpito conuitijs ac maledictis consectari: nondum tamen Pastores abstinebant: sed nonnulli vehementiores in conuitijs, calumnijs & blasphemijs totum concionis tempus consumebant; populum non in Religionem tantùm Caluinianam, sed in ipsos homines isti Religioni addictos concitabant. Hac Pastorum petulantia cùm quotidiè cresceret, Caluiniani libellum supplicem Administratori tradiderunt, in quo flagitabant hanc linguarum libertatem nonnihil coerceret. Administrator auditâ precum æquitate, ad tria Consistoria Lipsiense, Witenbergense *& Misnense in hunc ferè modum scripsit: Se ex diuersorum hominum querelis intellexisse, Pastores aliquos omnino indecoris suis concionibus vti sermonibus: ita vt non solùm maiorem concionum suarum partem in conuitiandis Caluinianis consumant, sed & populum in ipsas personas concitent. Toto se Administrationis tempore, præsertim in vltima Visitatione omnibus hominibus satis testatum fecisse suam erga Confessionem Augustanam, in libro Concordiæ prolixè satis repetitam fidem & constantiam, minimè tamen sibi placere, quæ in Caluinianos ipsos quotidie proclamantur. Certum enim esse, & notum omnibus, se Ecclesias, Magistratus, aliaque officia ad conseruationem Reipub. pertinentia ijs omnibus commendasse, in quos nulla caderet suspicio: eum quoque ordinem constituisse, vt si quis adhuc defectus sit, ei facili negotio possit succurri, remediumque adhiberi. Priuatos autem homines audere alios subditos Caluinianos appellare, publicè conuitiari, & in eos inuehi, eorum personas, fortunasque in discrimen vocare, se hoc tempore vt legitimum istarum prouinciarum Magistratum, dissimulare non posse: minimeque sibi videri hac doctrina & spiritui Lutheri consentanea esse. Experientiam verò docere, hac ad publicam seditionem viam prastruere, omnibusque facinorosis, flagitiosisque ansam viros diuites & alicuius authoritatis diuexandi præbere. Cùm igitur hæc tandem ad interitum omnium ordinum erumptura videantur; sui autem muneris sit venientis mala occurrere, se petere tam suo, quàm Illustrissimi Principis Iohannis Georgij Brandeburgensis Marchianis nomine, vt omnibus Superintendentibus, Pastoribus & Ecclesiarum Ministris suæ inspectioni subiectis, Suæ Celsitudinis indignationem significent, eisque sub pœna priuationis Ministerij sui præcipiant, vt ab omnibus conuitijs, importunisque verbis abstineant, suas oues ex verbo Dei ad pacem & concordiam diligenter admoneant. Ante hæc tempora multò magis necessarium fuisse, quàm nunc, Ecclesias custodire: sed tum plerosque obmutuisse, & huius tanti erroris causam præbuisse. Vnicuique cognitum esse, quomodo & quando correptionibus in doctrinalibus vti, & suos à Caluinianis erroribus deterrere debeat: in ijs suam Celsitudinem Ministerio nihil præscribere velle. Quòd autem ipse maiora mala præpedire cupiat,*

piot, speroré se id neminem in malam partem interpretaturum, aut malignam aliquam inde suspicionem concepturum, cùm indubitata spes sit Ecclesiam citiùs mansuetudine & æquitate ædificandam; Ministeriumque Euangelij commodiùs, quàm inconditis istis clamoribus propagandum esse. Datum Dresdæ 28. Augusti, anno 93.

Vbiquistæ seditionem Ambergæ concitant.

Eodem tempore etiam Vbiquistæ superiorem Palatinatum, aduersus legitimum suum Principem Fridericum 4. Electorem Palatinum, concitarunt: in qua tumultu Viceprinceps, multique ex Magistratu fuga elapsi, cæteri vel obtruncati, vel Ambergâ eiecti sunt. Irruperunt etiam seditiosi in Electorales ædes, in quibus multa fœda & atrocia designarunt.

Colloquium Saxo. Theologorum cum Pierio.

Hoc ipso quoque anno Inquisitores Saxonici Mirus, Hunius & Mullerus *die Iulij Mensis* 21. *cùm* D. Vrbanum Pierium *iam septimanas 36. ob sententiam de Cœna Domini Orthodoxam in carcere detentum, per præfectum vigiliæ horâ quintâ vespertinâ, de suo ad illum in carcerem aduentu vix præmonuissent, continuò subsequuti sunt, & vbi ex ordine consedissent, cum eo colloqui cœperunt; primò, de subscriptione Libri Concordiæ; secundò, de Omnipræsentia corporis Christi in terris. Acta Colloquij huius, bonâ fide ab vno qui interfuit, excepta anno sequenti 93. in lucem sunt edita: digna certè quæ legantur, vt sophismata Hunij probè cognoscantur.*

Demonstratio altera impostu-rarum Hunij.

Anno eodem sequentes libri de bello Eucharistico sunt editi. Demonstratio altera, *imposturarum ac fraudum, quibus Hunius Ecclesiæ Orthodoxæ doctrinam petulanter corrumpit. Bremæ.*

Conquestio super controuersia de Cœna. Vlmeri Chorus orthodoxus testium doctrinæ de incarnatione verbi & Cœnæ Domini.

Conquestio pia & seria *ad iustissimum iudicem Christum super controuersia de Cœna Domini mota, qua Orthodoxa confessio breuiter repetitur & explanatur. Basileæ.*

Ioannis Conradi Vlmeri *Ecclesiæ Scaphusianæ apud Heluetios Ministri*, Chorus orthodoxus testium fidei Catholicæ, de Incarnatione Verbi, & sacra Domini Cœna: *iuxta seriem annorum, inde ab Ioanne Apostolo, vsque ad hæc nostra tempora deductus. Oppositus tetris & multiuarijs Vbiquariorum & similium erroribus, dirisque & rabiosis clamoribus: in primis verò de reali & physica Idiomatum diuinæ naturæ, Verbi, in Humanam effusione: deque reali Vbiquaria, & orali corporis & sanguinis Christi in pane & poculo Dominico perceptione. Scaphusij Heluet.*

Christiana Concordia.

Christiana Concordia: *hoc est, Christianum Colloquium de omnibus controuersis articulis ad doctrinam & Ceremonias pertinentibus. In eo agitur etiam de Vbiquitate, & inuisibili præsentia corporis & sanguinis Christi in Cœna. 2. De communicatione duarum naturarum in Christo. 3. De abrogatione argenteorum poculorum. 4. De Confessione ante perceptionem Cœnæ Dominicæ. 5. De altaribus & mensis in templis. 6. De Tintinnabulis, quæ aliquibus in locis Cœnæ celebrationi adhibentur. 7. De Casulis alijsque indumentis Papisticis. 8. De hostiolis rotundis. 9. De fractione panis.*

Refutatio Examinis Caluinianæ doctrinæ.

Refutatio Libelli *quem* Claudius de Sainctes *Monachus edidit cum hac inscriptione:* Examen doctrinæ Caluinianæ & Bezanæ de Cœna Domini: Auctore Antonio Sadeele. *In hac Refutatione primò confirmat; falsum esse quod asseruit Monachus, Orthodoxas Ecclesias, quas Caluinisticas vocant, in Cœna Dominica quæstione inter se dissidere: nulliusque momenti esse quod ascripsit ad istius mendacij confirmationem. Deinde docet, ea omnia quæ Caluinistis obijcit Sainctes, in eius doctoribus eiusq; doctrina ita hærere, vt ipsum suis conciliandis vel emendandis operam dedisse præstiterit, quàm Caluinistis perperam examinandis. Postremò, refellit paucis & modestè ea conuitia, quæ Monachus in Caluinum & Bezam non satis modestè coniecit.*

Defensio veræ doctrinæ de persona Christi contra Horuuath.

Defensio Orthodoxæ doctrinæ, *tum de alijs quibusdam Christianæ religionis capitibus, tum etiam de persona Christi, totiusq; sacrosanctæ Trinitatis vna ac indiuidua essẽtia, corruptelis* Gregorij Horuuath *de Gradecz, Domini in Neerer, opposita*, à Sebastiano Ambrosio *Keismarcensis Ecclesiæ Ministro.*

Admonitio de libello quo Pierius de Caluinismo purgatur.

Admonitio *de libello nundinis proximè vernalibus anno 91. sub studiosorum* Witebergensium *nomine promulgata, quo D. Vrbanum Pierium de Caluinismo purgare conantur, edita per aliquot Theologos. Tubingæ.*

Hunij assertio contra Pezelium.

Assertio doctrinæ de Persona & Maiestate Christi ad dextram virtutis *potentiaque Dei, sub forma Quæstionum & Responsionum proposita, in qua refutare conatur* Hunius, *argumenta Pezelij contra Particulam quandam libri Huniani de Sacramentis. Francofurti.*

Schlusselbergius de Caluinistarum Theol.

Conradi Schlusselbergij Theologiæ Caluinistarum libri tres, *in quibus probare nititur, quòd de nullo ferè doctrinæ Christianæ articulo rectè sentiant. Francofurti.*

Selneccerus contra Pezelium.

Selnecceri Repetitio doctrinæ de sacra Domini Cœna, *cum Confutatione Responsionis Christophori Pezelij ad Caluinum rediuiuum. Islebij, Germanicè.*

Declaratio contra Marcum zum Lamm.

Declaratio contra Marcum zum Lamm / *Heydelbergensem, quòd non Lutherani, sed Zuingliani & Caluiniani doctrinam de sacra Cœna & persona Christi corrumpant. Tubin. Germ.*

Forschemeri libellus.

Martini Forschemeri *libellus, in quo probare conatur*, Caluinistarum doctrinam con-

1592. conuictum esse errorem, *quem Lutherus & Philippus damnarint, oppositus libello Grundmanni. Germanicè.*

Greg. Horuuat pars prima Responsionis ad antithesin Seb. Ambrosij.

Responsionis Gregorij Horuuath pars prima, *ad Sebastiani Ambrosij Antithesin Vbiquitatis & Orthodoxa doctrina de Persona Christi.*

ANNVS M. D. XCIII.

ANno *hoc sequentes libri de Certamine Sacramentario à Caluinistarum partibus editi sunt.*

De vero sensu verborum Cœnæ contra Schachtium.

De vero sensu verborum Cœnæ Dominicæ, Theologica & Scholastica Disputatio: *Scripta, Orthodoxorum studiosorum quorundam operâ in Academia VVitebergensi, pro Veritate: Professoribus Theologiæ, ac studiosis Orthodoxis in dicta Academia: exteris quoque Ecclesijs, ac Synodo proposita.* Contra Valentini Schachtij *Professoris Rostochiensis* Declarationem *& alias Sacramentariorum deprauationes. Cui præter Analysin illius Declarationis, à veritatis studioso scriptam, in fine additur Examen Præsumptionum Georgij Mylij, Doctoris nouæ & suæ Theologiæ.*

Variæ & inconstantes Lutheranorum sententiæ de præsentia corporis Christi in Cœna, & interpretationes verborum eius.

In Præfatione varias & inconstantes Lutheranorum & Vbiquistarum sententias de præsentia corporis Christi in Cœna, & interpretationes verborum Christi, Hoc est corpus meum, referunt his verbis: Aliqui istorum aiunt, corpus Christi perpetuò in pane latere, ac proinde incantatorum esse, quod suorum aliqui dicant, prolatis verbis in eum demum venire.

Alij verò promissionis verba absque declaratione secundùm literam vrgent: contra quos veniunt qui synecdochen Lutheri in pronomine HOC, quærunt, ac panem verum relinquunt.

Schachtius & literam & synecdochen Lutheri vrget, apertâ & suis quoque notâ contradictione.

Alij autem voculam HOC, rectè ad panem & vinum tantùm: quibus contrarij sunt, qui illam simul ad panem & corpus, vinum & sanguinem accommodant.

Rursus alij, extra vsum Cœnæ, nudum panem & vinum: alij & corpus ac sanguinem Christi esse contendunt. Illi negant indignorum rei signatæ participationem, hi eam requirunt.

Alij quoque vbiquitatem carnis Christi figmentum ad Cœnam inutile esse dicunt aliqui rem, eamque perutilem.

Et denique vt taceamus, aliquos Papisticas ceremonias in Cœnæ administratione sublatas, aliquos verò eas defensas velle, constat quosdam adorationem Christi in pane reijcere, quosdam verò approbare.

De controuersijs in Cœna D. disceptatio Bezæ.

De controuersijs in Cœna Domini per nonnullos nuper in Germania partim renouatis, partim auctis, Christiana & perspicua disceptatio, Theodori Bezæ. *Genevæ. Cùm autem quinque præcipua sint capita huius controuersiæ; nempe, 1. De signis: 2. De rebus significatis: 3. De sacramentali signorum & rerum significatarum coniunctione: 4. De rerum significatarum perceptione: 5. De ipso proprio Cœnæ Domini fine & vsu, de ijs sigillatim in hoc libello breuiter, sed perspicuè agit.*

Zanchij libri duo de Incarnatione Filij Dei.

Editi sunt etiam Hieronymi Zanchij de Incarnatione Filij Dei libri duo, *quibus vniuersum hoc mysterium solidè explicatur. Nam lib. 1. cap. 1. & 2. interpretatur locum Pauli Philip. 2.* Hoc sentiatur in vobis, quod & in Christo Iesu. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam duxit esse æqualem Deo. Sed ipse se exinaniuit formâ serui acceptâ, similis hominibus factus: & habitu compertus vt homo, &c. *His verbis docere Apostolum hæc capita indicat cap. 3. Primùm,* ante Mundi constitutionem, Filium fuisse à Patre destinatum ad sumendam formam serui, seu humanam naturam, in qua fieret Patre minor, propter salutem nostram: vt scilicet in ea carne & forma seruiret, tum Patri obediendo, tum nobis salutem nostram comparando & dispensando: Nec Filium hoc recusasse, sed lubentissimè voluisse, quod & Pater voluit. Non enim hanc rapinam cogitasse sibi esse faciendam, vt simpliciter esset semper æqualis Patri. 2. Suo igitur tempore Filium sponte seipsum exinaniuisse, sumtâ serui formâ: & in ea factum esse minorem Patre, quanquam in forma Dei manserit semper æqualis Patri. 3. Filium solum, non autem vel Patrem, vel Spiritum sanctum sumsisse sibi formam serui. 4. Et sumsisse non seruum seu hominem, & personam aliam, sed formam ipsam, id est, naturam. 5. Sumtionem hanc factam esse non per vllam vel personæ assumentis, vel naturæ assumtæ mutationem, aut crasin, mixtionem & confusionem: sed per veram vnionem personalem; qua scilicet res assumta ita vnita est arctissimo vinculo cum persona assumente, vt persona illa, sicut antè in sola forma Dei subsistebat, nunc in forma etiam serui subsistat, tanquam in assumta huius personæ substantia atque natura. Est enim verè factus verus homo. 6. Itaque & veram, & totam naturam humanam, non autem vel partem, vel κατὰ δόκησιν, cum omnibus tū animi, tum corporis proprietatibus, à Filio Dei: in vnitatem per-

personæ assumptam esse : idque ἀτρέπτως, ἀσυγχύτως, ἀδιαιρέτως, ἀχωρίστως. Est enim in similitudine hominum, nobis aliisque hominibus per omnia, excepto peccato, similis effectus. 7. Ac quòd verus homo factus sit, verè humana anima, & verè humano corpore præditus: hoc esse certissimum: quoniam tum ex figura corporis, tum ex actionibus humanæ vitæ, quæ omnibus hominibus sunt communes, verus homo fuisse, ab omnibus qui eum viderunt, & cum eo versati sunt, deprehensus est. 8. Vnam igitur & eandem personam nempe Christi, in duabus, & ex duabus formis constantem, forma Dei & forma servi, cum distinctis, & inconfusis utriusque proprietatibus: verum esse Deum verumque hominem, Patri secundùm unam, nobis secundùm alteram ὁμοούσιον. *Ex his deinde refutat hæreses Ebionis, Cerinthi, Samosateni, Photini, Praxeæ, Patripassianorum, Sabellii, Nestorii, Eutychis, Apollinaris, Marcionis, Valentini, Anabaptistarum, Schuenkfeldianorum & Vbiquistarum.*

In Secundo libro totum Incarnationis mysterium prolixè explicat, & tandem ad quæstionem descendit, in qua cardo totius controversiæ, quæ hodie de persona Christi agitatur in Ecclesia, positus est & in hunc finem ab Vbiquistis excogitata, ut inde carnalem corporis Christi in pane Cœnæ Dominicæ præsentiam concludere possent: videlicet, De reali proprietatum divinæ in Christo naturæ, in humanam eiusdem naturam communicatione. *Vbi non quæritur*, An humanæ naturæ essentiales Dei proprietates communicatæ sint, & de ea prædicentur per gratiam unionis: *Sed*, An reali communicatione, illa harum facta sit particeps: non in λόγῳ se sustentante, sed in seipsa ab illo sustentata. *Vbiquistæ affirmativam partem tuentur. Respondet igitur Zanchius primò ad testimonia quæ citant ex sacris Literis pro sui erroris defensione, eaque perspicuitatis gratiâ in certos ordines dividit, ut habitâ explicatione loci unius aut alterius, in quovis genere testimoniorum, quid etiam ad reliqua eiusdem generis loca respondendum sit, dilucidiùs appareat.*

Vbiquistarum fraudes in citandis testimoniis Verbi Dei pro sua doctrina defensione.

1. *Nam quædam de ipsa sunt persona Christi subsistantia, hoc est, de unione duarum naturarum in quibus subsistit: quale est illud Ioan.* 1. Verbum caro factum est. 2. *Quædam sunt de altera Natura, Divina scilicet cum suis proprietatibus essentialibus: sed quas falsò inde concludunt Vbiquistæ, humanæ naturæ realiter communicari: quale est illud Ioan.* 17. Glorifica me eâ gloriâ, quam habui, *&c. Item illud Col.* 2. In quo omnis plenitudo Deitatis inhabitat 3. *Quædam de proprietatibus Divinæ Naturæ videntur, cùm non sint: ac si sunt, illa de Christo secundùm humanam naturam non prædicantur, nisi per communicationem Idiomatum: quale est illud de potestate Matth.* 28. Data est mihi omnis potestas. 4. *Quædam de actionibus sunt Divinæ Naturæ: sed quas imperitè & falsò naturæ etiam humanæ attribuunt: cùm illæ realiter non prædicentur de Christo nisi secundùm Divinam Naturam: quale est illud Ioan.* 5. Pater meus usque modò operatur & ego operor. *Item*, Quæ facit Pater & filius ὁμοίως facit. 5. *Alia sunt de operibus seu ἀποτελέσμασι communibus, sed quæ tamen alio modo divinæ, & alio humanæ naturæ attribuenda sunt. Vbiquistæ autem actiones modosque humanæ & Divinæ confundunt: ut illud Ioan.* 6. quòd caro Christi vivificet. *Item* 1. *Ioan.* 1. quòd sanguis emundet à peccatis. 6. *Quædam sunt de exaltatione & glorificatione Christi secundùm humanam naturam, & quatenus Mediator est, sed infra Deum tamen: quæ falsò ad æqualitatem cum Deo pertrahuntur: quale est illud*, Sedet ad dextram Patris: *& similia.* 7. *Quædam sunt de iis, per quæ patefactus est, ut Deus.* 8. *Loca de honore & cultu capitis: ut de adoranda carne Christi. Ad hos ordines testimoniorum sacræ Scripturæ quæ ab Vbiquistis citantur, sic respondet, ut illos graviter & multipliciter peccare ostendat. Primùm in subjecto:* quod enim de persona dicitur, id illi de humana natura interpretantur. 2. *In prædicato:* quia cùm sæpe Scripturæ loquantur de donis creatis, illi interpretantur de proprietatibus Dei essentialibus: & quod illæ de ἀποτελέσμασι intelligunt, hoc isti explicant de actionibus: quasi actiones naturæ divinæ communes sint humanæ 3. *In verbo seu in modo prædicationis:* quia cùm divinæ naturæ proprietates de humana prædicantur per gratiam unionis: isti per realem communicationem prædicari volunt.

Secundò respondet ad testimonia Patrum quæ Kemnitius citat, sic ut doceat, ea nihil prorsus ad realem communicationem idiomatum pertinere: & ostendat fontes simul paralogismorum, quos in citandis Patribus admittit. Nam primò κοινωνίας nomen apud Patres Græcos frequentissimum, accipit Kemnitius pro μετοχῇ, id est, reali participatione: cùm Patres ea voce sæpe nil aliud voluerint, quàm ἕνωσιν. Est autem maximum discrimen inter unius & alterius vocis significationem. Natura & naturarum proprietates in persona uniuntur: non autem ab una natura in alteram realiter communicantur, quod tamen facit Kemnitius contra voluntatem Patrum. 2. *Apud Patres distinguuntur ἀποτελέσματα nostræ salutis ab ἐνεργείαις naturarum, quæ ad unum ἀποτέλεσμα concurrunt distincta. Kemnitius autem con-*

Vbiquistarum fraudes in citandis Patrum testimoniis ad sua doctrinæ defensionem.

 Lll 4 *fundit,*

1593. *fundit,& communes etiam facit actiones Deitatis cum humanitate. 3. Quæ sunt propria opera Deitatis, ea sæpe attribuit realiter carni: quæ tamen à Patribus distinguuntur. Exemplum: Quòd Christus ingressus sit suo corpore ad discipulos ianuis clausis, hoc Patres dant Deitati; Kemnitius autem ipsi corpori, cui fingit realiter datam fuisse & communicatam divinam omnipotentiam, ex unione hypostatica. 4. In recitandis Patrum dictis non semper agit cum fide bonâ fide, omittendo ea, quæ apertè contra suam faciunt opinionem, & quæ veram Patrum sententiā exprimunt, afferendo sentētias ex Patribus truncatas, prætermissis illis verbis, quæ quid voluerint Patres, luculenter aperiunt; invertendo etiam verba Patrum. 5. Quòd si integras & synceras recitat sententias, eas tamen à Patrum mente in longè diversum sensum detorquet, aut subjectum, aut prædicatum, aut modum prædicationis depravando. Hæc omnia in explicatione testimoniorum, quæ ex Patribus citantur, declarat, simul quoque veterem & Catholicam orthodoxam fidem de veritate carnis, unione personali, ac salvis & inconfusis proprietatibus utriusque naturæ D. N. Iesu Christi, luculenter ex S. Literis, Oecumenicis symbolis, & vetustis Patribus, ac perpetuo consensu Ecclesiæ asserit & stabilit.*

Pezelii Responsio ad Hofmanni libellum.

Edita est quoque Christiana & modesta responsio Christophori Pezelii, ad Danielis Hofmanni *libellum,cui titulum fecit,*De Moderatione D. Philippi Melanchthonis *in certamine Cœnæ Dominicæ.Bremæ.*

Ejusdem Pezelii explicatio dictorum ferè omnium,quæ de Sacramentali verborum Cœnæ interpretatione, & plerisque aliis partibus doctrinæ de Cœna Domini citari ex veteribus Scriptoribus solent, ad confirmandum pium Lectorem in vera & indubitata sententia scripturæ Sacræ, & Ecclesiæ Orthodoxæ Veteris: Et ad defendendum Appendicem Tractatus de Cœna Pezelii; in qua testimonia Patrum insigniora de Sacramentali locutione in verbis Cœnæ,collecta, & ubi opus fuit, explicata sunt: quam Hermannus Hamelmannus libello, cui titulum fecit: De depravatione, fraudulentia, impostura, & falsitate D. Christophori Pezelii, & omnium Sacramentariorum; *temerario ac stolido conatu oppugnare ausus fuit.*

Quæstiones 2. de Cœna à Io. Smalcaldensi explicatæ.

Quæstiones duæ; prima, Num doctrina Philippi Melanchthonis de Cœna Domini, sit quædam media sententia inter Lutheri & Calvini doctrinam, *Secunda*, An Philippus Melanchthon sequutus sit Calvini doctrinam de Cœna Domini? à Iohanne Matthæo *Schmalcaldensi explicatæ, Francofurti.*

Philipp. Marbachi cōtra Pezelium.

Refutatio Tractatus Christophori Pezelii *de Cœna Domini,*Philippo Marbachio *authore.Tubingæ.*

Piscator. ad Elenchos Buscheri.

Responsio Ioannis Piscatoris ad Elenchos Heizonis Buscheri, *quibus doctrinam de Tropo in verbis sacræ Cœnæ, & de propositionibus quæ vocantur inusitatæ refellere conatur. Herbornæ. Probat autem Piscator in hoc libello, quòd in prædicatis verborum Cœnæ,* Hoc est corpus meum, Hoc est sanguis meus, *sit tropus: & is quidem Metonymia,quæ res signata ponitur pro signo. Deinde negat,quòd in pronuntiatis de Filio Dei, quibus aliquid de eo affirmatur per communicationem Idiomatum,ut Deus est homo, & similibus,sit prædicatio inusitata, id est,quæ nec regularis, nec tropica sit.*

Zepperus de capitibus 3. inter Lutheranos & Calvinianos cōtroversis.

Vera doctrina de tribus capitibus, quæ inter Lutheranos & orthodoxos sunt in controversia: *1. de Persona Christi: 2. de sacra Cœna: 3. de Electione divina, VVilhelmi Zepperi Ministri Ecclesiæ Dillenbergensis, Herbornæ,Germanicè.*

Beumlerus cōtra Heilbrunnerum.

Responsio Marci Beumleri Tigurini ad libellum Iacobi Heilbrunneri *de Zuinglianorum & Calvinistarum doctrina, anno* 90. *editum.Tiguri.*

Confessio Ecclesiarum Sax. de Cœna.

Confessio Saxonicarum Ecclesiarum de Cœna Domini,*ad Ioannis Calvini librum ipsi dedicatum.Francofurti ad Oderam.*

Historia certaminis Sacramentarij.

Historia certaminis Sacramentarii, *seu præsentiæ & perceptionis corporis & sanguinis Dominici sub speciebus panis & vini, breviter tanquam in Indicem collecta à Theodosio Fabritio. Magdeburgi,Germanicè.*

Mylii thesis de persona Christi.

Disputatio de persona Christi,*sub præsidio* Georgii Mylii.*Ienæ.*

Wigandus de Vbiquitate.

De ubiquitate, seu Omnipræsentia Dei, primò in genere: secundò, in specie, in sua Ecclesia: *1. Humana natura in Persona Christi, in toto mundo: 2. in Testamento Dominico: 3. in Ecclesia, & in credentibus: Consideratio methodica Ioannis VVigandi.Ienæ.*

Hunii disputatio de Augustana Confessione.

Egidii Hunii *disputatio prima de Augustana Confessione. VVitenbergæ.*

Magiri Confutatio.

Confutatio libelli *cuiusdam studiosi Heydelbergensis,de Persona Christi, Baptismo & Cœna Domini*, per Ioannem Magirum. *Tubingæ.*

Heilbrunneri Confutatio.

Confutatio doctrinæ de sacra Cœna Domini anno 64. *Vniversitatis Heydelbergensis nomine edita,per* Iacobum Heilbrunnerum. *Lavingæ.*

Menzerus cōtra Sadeelem.

Elenchus errorum Antonii Sadeelis *in libello,de veritate humanæ naturæ Iesu Christi: authore* Balthasare Menzero *Allendorfensi ad Salinas Hassiacas, Ecclesiæ Kyrtorffensis in Hassia Pastore, in* 8. *VViteberga.*

De-

1593.

Hubertus contra Calvinũ.

Demonstratio Fallaciarum Ioannis Calvini *in doctrina, De Cœna Domini, quibus usus esse fingitur in libro Institutionis Christianæ à* Samuele Hubero. *VVitenbergæ.*

Erotemata de cõmunicatione Idiomatum Sculteti.

Erotemata de Communicatione Idiomatum, *hoc est, proprietatum divinæ & humanæ naturæ in una individua persona Christi, authore* Severino Sculteti *Pastore Ecclesiæ Bartphensis.*

Canonis Missæ explicatio Bielis in Epitomẽ cõtracta.

Canonis Missæ Expositio Gabrielis Biel in Epitomen contracta. *Bergomi.*

Lipsiæ tumultus inter Lutheranos & Calvinianos ab Hubero excitatur.

Mensis Maii nonâ die Lipsiæ ingens inter Lutheranos & Calvinianos ortus est Huberi *instinctu tumultus.* Adolphus VVeinhausius *Caupo, Religione Calvinianus, inter alios suos hospites, nonnullos habebat Helvetios Bernenses studiosos, qui cõterraneum suum* Huberum, *Theologum VVitenbergensem ad prandiũ vocaverant.* VVeinhausius *hujus rei non ignarus, suæ quoque Religionis ac gentis homines aliquot invitavit. Cæptum est inter prandendum, ut fit, disputari.* Huberus, *ut potuit, se defendit, donec aliorum bonorum virorum intercessione utrinque interdictum est silentium. Postridiè quidam studiosi Academiæ, præsertim autem Principis alumni in Collegio, postquam ex* Huberi *querelis & lamentationibus rem omnem intellexissent, hanc iniuriam, ei factam, vindicare volentes, diversis in locis Chartulas valuis affixerunt, quibus petebant, ut omnes, qui synceri essent Lutherani, octovâ horâ vespertinâ armati in forum coirent: se enim* VVeinhausii, *aliorumque* Calvinianorum *ædes expugnare decrevisse. Aderant hora constituta: concurrunt studiosi: adiungunt se eis fabri, baiuli, lixæ, calones & urbis quisquiliæ. Audita nona, magno clamore & furore in Adolphi ædes impetum faciunt.* VVeinhausius *instantis mali præmonitus, quosdam suæ Religionis socios armatos per ædes disposuerat, qui minoribus tormentis ejaculantes, multos vulnerarunt. Lutherani hac defensione neutiquam territi, sed ferociores effecti, pergunt ædes Calvinianas lapidibus, omnique telorum genere oppugnare: adeò ut quotquot in ædibus erant, periclitarentur.*

Duravit hic tumultus ab hora nona vespertina, ad primam nocturnam: quo tempore omnem vim & petulantiam, quam excogitare potuerunt, exercuerunt: contemtis etiam excubitoribus, qui ut tumultum sedarent, accurrerant: sed lapidibus in suas stationes reiecti sunt. Postridiè patibulum in foro erexerunt studiosi cum suis, à quo VVeinhausium, *si vivus in eorum manus devenisset, suspendere decreverant. At ille in ipso diei crepusculo cum suis complicibus clam ædibus erepserat, & apud alios sese occultaverat. Unus autem ex sociis captus est: aliorum qui evaserant bona publica custodia sunt subsignata: mane cùm magna hominum multitudo ante ædes convenisset, spectatum quid pridie actum esset, cumque ianuæ essent apertæ, quidam ingressi in singulis cubiculis magnos lapidum cumulos invenerunt. Mox unà cum illis irruunt homines aliquot nihili & perditorum faces, iterumque omnia disturbare incipiunt, cumque nihil reliquum esset, omnes mercatorum hinc inde in fornicibus, abaces & arcas aperiunt, aurum, argentum, factum non factum primò, deinde omnem supellectilem diripiunt: quod secum auferre non potuerunt in plateas ejectum pedibus conculcarunt. Erat adhuc in ædibus quidam* Ionas Heideckerus, *& ipse Calvinianus, qui sibi metuens, per impluvium in proximas ædes se transferre volebat: sed dum incautiùs ambulat, lapsus vertebras, seu spinam dorsi fregit. Direptio hæc in duodecimam circiter horam continuatur.*

Magistratus tandem cum aliquot civibus accedens, plebeculam hanc ædibus expellit, & januas claudit. Sed vix recesserat Magistratus, cùm iidem homines seditiosi denuò conveniunt; fores iterum reserant, aliaque cubicula, ad eam usque horam clausa, aperiunt, & quicquid residuum erat, rapiunt. Ablatis & distractis, omnibus, ad tectum ascendunt, atque illud demoliri incipiunt: sed ne in cæpto opere pergerent, gravi supplicio interdictum est. Erant nonnulli alii ex Optimatibus in urbe hujus Religionis suspecti, quorum ædes simili modo spoliare & evertere decreverant: Magistratus peiora metuens, cives omnes in curiã vocat, celebritatem urbis & Academiæ ipsis proponit: non ferendum, ait, eam à tam paucis seditiosis hominibus, præsente & inspectante universo mundo (erant enim publicæ nundinæ) principibus quoque viris obscurari. Hortatur ut memores iuramenti, arma induant, & tantam vim vi, si aliter non liceat, opprimant. Cives ad hæc; Se ita propter Calvinianos periclitari non posse. Fateri se in hujusmodi Magistratui obstrictos: sed cùm videant non tantùm tolerari hujus sectæ indigenas, sed etiam alienigenas, quos Brunsvvicenses non ferunt, recipi; integrum sibi non esse pro his arma capessere. Quòd si Magistratus his ante occasum Solis urbem interdicat, paratos se esse ad omne obsequium. Magistratus trium dierum deliberationem petit. Non conceditur. Iubentur igitur cives nomina eorum, quos eiici cupiunt, scripto tradere. Mox quindecim notantur, & Senatus edicto urbe exire jubentur. Deinde cives armati unà cum Magistratu ad tumultuantem populum se recipiunt, & armorum depositionem imperant. Hoc modo urbi pax est restituta.

Administrator Fridericus VVilhelmus *huius tumultus certior factus, celerrimis equis*

Lipsiam

1593. *Lipsiom proficiscitur: Geargio Mullero iubet, ut concionem pro populo hobeat, quò doceat omnem vim, qua sine Magistratus imperio exercetur, illicitam esse. Quam concionem postea Cancellarius longâ oratione excepit, & amplificavit.*

Deinde Administrotor omnes, qui urbe pulsi eront revocavit, & Magistratui tutelam eorum imperovit: eò quòd iam visitatianis articulis subscripseront. Tondem edicto publico pracepit, ut si tumultus similis exoriatur, cives omnes Magistratui opem ferant: qui detrectaverit, capite mulctetur. Auctores quoque pracedentis tumultus debitis suppliciis punirentur. Quadroginta igitur ex seditiosis illis capti, & quatuor capite damnati sunt. Administrator metuens ne mercotores deinceps hujusmodi seditiasas nundinas vitarent, publicum scriptum edidit, & ad pracipua loca Germania misit, quo securitatem & publicam fidem omnibus mercatoribus pollicetur: facti atrocitatem prout potuit elevat, & subsecutum supplicium, adhibitumque remedium commemorat.

Exemplum Vatiniani & irreconciliobilis odii Lutheronorum ergo Calvinistas commemoravimus: non pigebit tamen adhuc unum vel alterum adscribere.

Exemplum irreconciliabilis odii Vbiquistarũ erga Calvinistas.

Obiit mense Novembri, Dresda, Iacobus Lossius, *Italus, Placentinus, qui viginti circiter onnos cantinuos sub Augusta & Christiano ejus filio, Ducibus Soxonia, aulicum egerat Musicum & fidicinem. Erot is dum viveret Calvini oddictus sententia, & tam in vita, quòm in hora mortis à Lutheronorum socris sese abstinuit. Quore mortuum neque in Polyandrio, neque usitatis cum ceremoniis sepelire Dresdenses voluerunt. Institit socer Magistrotui, seu Ecclesiasticis supplex, ut locus illi in sepulcreto concederetur, utque honestè, & Christianorum more conderetur. Caterùm nihil aliud impetravit, quòm in cœmiterio S. Bartholomai, ubi malefici, seu homines flagitiasi post publicè datam pœnam sepeliri solent, & hunc Lossium licere tumulori. Amici itaque & affines quatuar mercenorios canduxerunt, qui eum loco dicto sepelirent. Duodecimo itaque Novemb. horâ quintâ pomeridianô, paulò antequam parta urbis clauderentur, funus absque ullo cantu, aut aramentorum sonitu cum summo silentio efferunt. Cùm autem extra partom ventum esset, occurrunt aliquot lanionum & fabrorum ministri, aliique homines suburbani, forte ad hoc destinati, qui lapides in vespillanes certatim jacere cœperunt: nec destiterunt, priusquam illi relicto funere, seu cadavere, sese in fugam conjicerent. Alii cum impetu occurrentes, sandapilam & capulum comminuerunt, ipsumque cadaver immaniter tractarunt, & allectis canibus laniandum obiecerunt. Dum ita in hominem mortuum insaniunt, rustici quidam Strellenses, qui vicino in pago nuptias celebrârunt, forte fortuno istac iter faciunt, domum ad suos reversuri. Qui videntes honc tragœdiam accurrunt, tympanumque suum pulsantes nova pugna signum dederunt, animosque & vires iam fessis addiderunt. Hic iterum in cadaver insiliunt, lapidibus cooperiunt, iniecto pedibus laqueo od praterfluentis Albis ripam protraxerunt, in fluvium pracipitare volentes. Id ne fieret quidam paulò cateris humanior impedivit. Hoc modo à quinta hora ad octavam in miserum hominem debacchati sunt, defessique tandem recesserunt. Quod cùm vespillones intellexissent, reversi ad cadaver sanguine & cerebro ospersum, ac pulvere cœnoque fœdatum unà cum capulo corrasenunt, otque in polyandria S. Bartholomai sepelierunt.*

Nondum tomen odia Lutheranorum erga Orthodoxos quiescebant. Nuper enim Iahannes Mator, cum uxore, & omni suppellectili relicta Misnia domicilium mutare decreverat, & jam itineri se commiserat. Cùm outem fama ad aulam Saxonicam perlata esset, à prafectore arcis Targaviensis mandatum est, ut Matarem ex itinere retraheret, captivumque detineret, quad & factum est. Vxor dimissa, iter Servestam versus cœptum perficit: Major primò in Grassenhein, inde in Hogenstein captivus ducebatur.

Eodem fere tempore de Calvinionis, hoc est, Orthadaxis Lipsia rumor spargebatur falsus, quòd incendium quibusdam in lacis excitare decreverint. Magistratus igitur pracepit civibus, ut aquarum copiam ad restinguendum si opus esset, incendium, ante ades exponerent; excubias quaque ad prahibendum omnem tumultum in platearum capitibus auxit. Hac mense Iunia facta sunt: Iulia mense ante portom D. Petri Rotenii adificium occulta igne arsit, neque enim sciri potuit, unde incendium illud exortum esset. Ex falsa igitur pracancepta suspicione communis opinia fuit, ignem hunc à Calvinionis in adificium illud iniectum esse. Augebat hanc opinionem, quòd eadem tempare multa hinc illinc reperta ferebantur litera folsò Calvinianis attributa, qua ignem, & incendium adversariis suis palam minabantur. Hac & similia vehementer auxerunt conceptum semel in Colvinianos odium, odeò ut duodecima Iulii Anno 1593. quidam Lutherani, & Vbiquista libellum famasum, quem Pasquillum vocont porta D. Petri clam offixerint, in quo Fridericum Guilhelmum Saxonia Administrotorem monebant, ut omnes Calvinianos Vrbe pelleret: Deinde Senatum groviter perstringebant, tanquam fautorem civis cuiusdam, qui reliquis incalis planè exosus erat: Tertiò Ministros Ecclesia perfidia levitatisque accusabant, ut qui nunc aliter, quàm ante mensem soliti fuissent con-

concionarentur, & docerent. Missus est hic libellus ad Administratorem, qui cùm legisset illum, non leviter indignatus jussit eum omni diligentia in Authorem inquiri, sed inveniri non potuit. Querelis autem injustis de Ecclesiæ Ministris Georgius Mollerus, & Martinus Mirus occasionem dederant, qui ab Administratore admoniti, jam non ita, ut antea fecerant, in suis concionibus Orthodoxos convitiabantur, sed modestius paulò agebant. Quæ res illos in suspicionem Calvinismi apud populum adduxit. Alii aliis in locis Concionatores partim videntes se populo gratificari, partim odio Calviniani dogmatis incitati, non destiterunt omnibus in concionibus non tantùm in doctrinam eorum invehi, & debacchari, sed & sectatores illius damnare, detestari, dirisque devovere. Quare Administrator coactus est omnes Superintendentes ex tribus Saxoniæ Consistoriis Lipsensi, Wittēbergēsi & Misnensi evocare, eisq; per suos Cōsiliarios significare: Esse quosdam in suis Superintendentiis Concionatores, quibus non satis sit doctrinam Calvinianam impugnare, sed & personas ipsas variis convitiis proscindere, iniquis, inconsideratisque verbis in suis concionibus nimis protervè tractare. Hujusmodi conciones non solùm odium apud Calvinianos, invidiamque apud auditores conciliare, sed & publici tumultus, atque seditionis occasionem dare posse. Suam Celsitudinem ne in minimo Calvinismo favere, nec tempore suæ administrationis eam Religionem permittere decrevisse: tamen seriò mandare omnibus Ecclesiasticis, ut deinceps in pulpito sic sermones suos instituant, ut error refutetur, & damnetur; ipsis autem personis, quæ adhuc converti possunt, parcatur: ignorantes doceantur, seducti in rectam viam reducantur, & nemini occasio majoris simultatis, invidiæ, inimicitiæ, seditionisque præbeatur. Quare Superintendentibus imperatum est, ut Pastores, & Concionatores sibi subditos convocent, eis mandatum Administratoris exponant, eique sub pœna ab officio suo destitutionis parere jubeant.

Audito Administratoris mandato, Superintendentes conventu facto, inter se deliberârunt, & tandem Consiliariis scripto responderunt, cujus hæc est summa. Se debita cum reverentia Administratoris voluntatem intellexisse, eamque inter se maturo consilio ponderâsse. Initio se vehementer gavisos, quòd intelligerent, Suam Celsitudinem à Calvinismo prorsus abhorrere: nihilque hoc suo mandato aliud agere velle quàm ut Cōfessio Augustana rectè doceatur, & conservetur. Ob hoc se Deo gratias agere quòd Verbo suo tam potentem, & Christianum patronum excitâsset, eique supplicare, ut per Spiritum suum sanctum, Principem hunc regat, eumq; & totam domum Saxonicam ab omnibus machinationibus, insidiis, & dolis publicorum, occultorumque Calvinistarum defendat, Lutheranamque doctrinam tueatur. Quòd in quibusdam locis tumultus, turbæque propter Calvinianos motæ essent, suosque Pastores harum auctores fuisse, sibi esse incognitum, inauditumque, nec in inspectionibus suis de ullo tumultu, excepto ipso Lipsensi quicquam intellexisse. Quòd verò eam ob causam Pastores suos convocarent, eisque leges in concionibus adversus Calvinianos præscriberent, id ipsis minimè consultum videri: Per ejusmodi enim Synodos se non tantùm Calvinianorum animos denuò erecturos, & in errore confirmaturos esse, sed & Auditores ad maius odium maioremque inimicitiam, non tantum adversus Calvinianos sed & proprios Pastores, quos eiusdem erroris suspectos arbitrabuntur, concitaturos esse. Promittere nihilominus sese, suos Pastores privatim officij admonere velle, ut pax, & tranquillitas conservetur, nulla seditionis causa detur, & tamen Calvinismo ne in minimo quicquam indulgeatur. Repetunt deinde breviter promissionem Administratoris, quâ se ministerio nihil præscripturum pollicitus sit.

1593.

Brunsvigæ quid Calvinianis acciderit.

Brunsvuigæ etiam duo urbis Syndici, Michael Mascus, & Hieronymus Nevenius, *Calvinianæ Religionis alumni, suam de Cœna Domini, aliisque nonnullis dogmatibus sententiam in vulgus spargere, & propagare cœperunt. Lutherani contrà omnibus quibus potuerunt viribus restiterunt, ne illorum doctrina fidem apud populum inveniret. Nicodemus enim Frischlinus publico scripto, Polycarpus Leiserus Superintendens, & aliæ Ecclesiasticæ personæ publicis concionibus doctrinam eorum redarguerunt. Quare uterque Syndicus diligenter ab incolis & civibus observabatur. Leyserus petenti Friderico VVilhelmo Saxoniæ Duci iam antea missus erat, ut biennio VVittebergensi præesset Ecclesiæ, cujus absentia gravis erat populo: ut qui suspicabatur hanc duorum Syndicorum esse inventionem & machinationem, ut eo absente liberius suas opiniones disseminarent. Convenientes itaque civium tribus omnes, de communi consilio decreverunt, aut Leyserum in urbem revocandum, aut utrumque Syndicum urbe exterminandum. Congregato in Curia Senatu, cives ante curiam (absque armis tamen) coeunt, mittuntque Tribunos, qui petitionem suam ad Senatum referant: addantque, cives inde non recessuros, nisi priùs illorum petitioni Senatus annuat. Senatus auditâ civium postulatione, omnibus utitur mediis, ut populum pacatiorem reddat. Ostendit Leyserum petente Electore Saxoniæ, cui id negandum non erat,*

idque

1593. *idque ad biennium tantùm, dimissum. Syndicos quibus potuit modis defendit, excusavit, & pro illis deprecatus est. Sed hac omnia nihil apud tumultuantem populum efficere potuerunt: qui in ea perstitit sententia, Senatus ante Solis occasum utrumque Syndicum, ut Templis & Scholis perniciosum, urbe expelleret. Cùm itaque Senatus hanc furentis populi pertinaciam animadverteret. Syndicos suos, quibusdam è suo Collegio eos comitantibus, & ab insalentia plebis defendentibus, urbe statim eduxit. In prima Religionis mutatione magna fuerat authoritas Levini ab Embden huius urbis Syndici, & quicquid ille tentabat, suo non caruit effectu: quam ejus fœlicitatem fortaßis hi etiam Syndici sibi pollicebantur: sed expectatione suâ frustrati, ipsi sibi ingens malum pepererunt.*

ANNVS M. D. XCIV.

A*Nno Domini* 1594. *sequentes libri à Lutheranis & Vbiquistis typis sunt editi in negotio Eucharistico.*

Schroderus cōtra Grabiū.

De Nestorianismo & Eutycheismo, *contra Iosephum Grabium Bremensem Tractatus*, Ioanne Schrodero *Treisensi Hassa authore: cum Præfatione Egidii Hunii: VVitteberga.*

Schlussenburgii Theologia Calvinistarum

Theologiæ Calvinistarum libri tres, *in quibus* Conradus Schlussenburgius *probare conatur, eos de nullo ferè Christiana doctrina articulo rectè sentire. Francofurti.*

Menzeri Elenchus 2. errorū Sadeelis.

Elenchus alter errorum Antonii Sadeelis *in libello de Sacramentali manducatione carnis Christi: authore* Balthasare Menzero *Allendorfensi, Pastore Kyrtorfensi in Hassia. VVittenberga.*

Heilbrūneri Synopsis errorum de Cœna.

Synopsis variorum huius temporis errorum *circa doctrinam de Sacramento Eucharistia, Philippi Heilbrunneri. Lavingia.*

Buscherus cōtra Piscatorem.

Heyzonis Buscheri Exercitationum Theologicarum & Logicarum, *Responsioni Ioannis Piscatoris oppositarum, Pars prima, de Doctrina Troporum usitata: de verbis Cœna propriè, non tropicè intelligendis: de præsentia corporis Christi in Cœna ex verbis illis demonstranda. Lemgovia.*

Nicolai responsio ad libellos 2. Sadeelis.

Philippi Nicolai *Ecclesiasta VVildungensis ad duos Antonii Sadeelis libellos, quorum alterum de spirituali, alterum de sacramentali fruitione corporis & sanguinis Iesu Christi inscripsit,* Responsum *Christianum, breve & placidum, qua Calvinianas in verbis Cœna Metanymia interpolatis, nullam fruitionem corporis & sanguinis Domini neque spiritualem, neque sacramentalem ostendere posse, demonstrare nititur. Hala Saxonum.*

Schopperi tractatus de Cœna.

De sacrosancta Cœna Domini nostri Iesu Christi, Tractatus: continens solida argumenta vera institutionis: cum confutatione sophismatum, quibus nonnulli Testamentum hoc Christi adulterare conantur: à Iacobo Schoppero editus. VViteberga.

A Calvinistarum autem partibus hi libri sunt editi in hac causa.

Crastovij bellum Iesuiticū

Bellum Iesuiticum: *sive,* ducentarum & quinque Iesuiticarum contradictionum Index: *Nempe*, De Eucharistiæ mysterio nonaginta: De Antichristo 15. Pseudographiæ, seu falsò citatorum testimoniorum aliquot loci. *Duo item libelli de* Opificio Missæ: *quorum prior Disputationem contra Iesuitam Robertum Bellarminum susceptam, & in capita thesesque digestam continet: Alter Evangelicam & Apostolicam adversus horrendum Missa sacrificium, in novem partes distributam, disputationem proponit. Praxis denique de Ceremoniis & Canone Missa* [illegible] *conscripta; per* Andream Chrastovium *Polonum, Verbi Dei in Lituania Ministrum. Basilea.*

Acta Concordia.

Acta Concordiæ *inter Lutherum & Helvetios in causa sacramentaria anno 36. inita. Amberga.*

Pincieri Eucharistica opera omnia

Ioannis Pincieri Theologi, *Ecclesiasta VVetterani in Hassia, Scripta Eucharistica omnia, antehac sub variis nominibus edita, nunc verò primùm collecta, in unum volumen congesta, & sub nomine authoris typis excusa: Herborna.*

Fridericus Kranmeyer de compositione certaminis Sacram.

Extirpatio Antichristi: *hoc est: quomodo Christi Ecclesia ab Antichristo liberata iuxta Verbum Dei reformari: & certamen sacramentarium componi posit: authore* Friderico Kranmeyero, *Germanicè.*

Anhaltinorum demonstratio cōtra Vbiquitarios

Demonstratio necessaria, *quòd argumenta* 42. *contra Vbiquistica somnia, adhuc firmiter stent: authoribus* Ministris Ecclesiarum in Ducatu Anhaltino. *Servesta.*

Comitia Ratisponensia, in quibus nonnulli Palatinum Electorem ex pace Imperii excludere conati sunt Theologorum suorum instinctu Vbiquistarum se distinxit libelli.

Hoc anno Comitia Imperij Ratispana celebrata sunt propter bellum Turcicum potißimùm. Venit eò Rodolphus 2. Imp. 7. *May. Conati sunt autem in his Comitiis duo Principes* Fridericum 4. Comitem Palatinum & Electorem *à pace Religionis excludere, & Electorali dignitate privare, quòd nec in Augustana Confeßione, nec in Concordia libro comprehensus esset: Hanc ob causam Theologi eorum, quos secum adduxerant, non solùm chartulas quasdam in Comitiis disperserunt, in quibus probare voluerunt, Calvinistas ab Augustana Confeßione à Concordia libro, & Lutheri Catechisma discessisse, ac proinde à Religionis pace excludendos esse: Sed etiam libellum Germanicâ linguâ à se editum Principibus, Comitibus & Nobilibus privatim exhibuerunt huiusmodi Titulo:* Beweisung / daß der Heydelbergischen Theo-

Theologen lehr / Gottes wort / der Christlichen Augspurgischen Confession und derselben Apologia, auch der Wittenbergischen Concordi anno 1536. nicht gemeß seye. Item/ daß sie in etlichen Artickeln / von ihrem eigenen Catechismo und Schrifften abgewichen desgleichen ihren H. Philippus Melanchton in vielen artickeln explicitè und offentlichen widerspreche / darinn mit ihren eigenen Schrifften und worten außgeführt / daß sie / sonderlich in vier Artickeln / Nemlich/ vom H. Nachtmahl deß Herren / von der Tauff / von der Person Christi / und von der ewigen Gnadenwahl Gottes gemeldter Glaubens bekanntnuß zu wieder lehren und handeln. *Id est*: Demonstratio, quòd Heydelbergensium Theologorum doctrina, neque Verbo Dei, neque Augustanæ Confessioni, eiusdemque Apologiæ, neque VVitebergensi Formulæ Concordiæ anno 1536. initæ conformis sit. Item, Quòd in nonnullis articulis, à suo ipsorum Catechismo & Scriptis discesserint. Præterea, quòd ipsis Philippus Melancton in multis articulis explicitè & manifestè contradicat. Vbi indicatur ex ipsorummet Scriptis, quòd in quatuor præcipuè Articulis, nempe, de Cœna Domini, de Baptismo, de Persona Christi, de æterna Prædestinatione Dei, dictæ Confessioni contraria doceant & faciant.

Elector Palatinus ab Imp. confirmatur.

Nihil autem his artibus effecerunt. Imperator enim Legatos Principis Palatini honorificè excepit, & in sessionem Principum admisit. Datis insuper feudis, Elector à Cæsare confirmatus est. Brandeburgensis *enim &* Brunsvicensis *Principes, cum* Moguntino *Archiepiscopo optima Palatino cupiverunt & fecerunt.* Brunsvicensis *suo Idiomate dixisse fertur*: Watt itt dat Papen werck / lat mer dit man zufrieden: Das ist / was ist das für ein Pfaffen werck / laßt mir diesen man zufrieden.

Nondum tamen cessarunt irrequieti illi & sanguinarij Theologi. Cùm enim Gravamina Imperij conscripta essent, multis adductis causis & rationibus, obtinuerunt apud suos Principes, ut vnà cum Electoris Palatini Legatis ea exhibere Cæsari nollent: reliqui tamen Principes & Legati se non ab iis seiunxerunt.

Ab Heydelb. Theologis libello Vbiquistarum aliud oppositum est.

Interea Heydelberga libellus excusus, & durantibus adhuc Comitiis Ratisponam allatus est, qui Gegenbewehrung *vocatur. In eo sese excusant, & obiecta crimina fortiter à se depellunt Palatini Theologi, docent enim, quòd in pristina sua doctrina & Confessione ne minimum quidem ab sese vel mutatum, vel revocatum sit: Sed ea tanquam vera, Verbo Dei, Augustana Confessioni & Formula Concordia VVitebergensi conformia, adhuc propugnent & defendant. E contra verò probant, Saxonicos Theologas à Confessione Augustana defecisse, nec idem cum ea docere.*

1594.
1595.

ANNVS M. D. XCV.

ANno Domini 1595. sequentes libri in causa sacramentaria à Lutheranis & Vbiquistis in lucem editi sunt.

Antapodoma Marbachij ad responsionem Pezelij.

Antapodoma Philippi Marbachii *ad Responsionem* Christophori Pezelli, *qua refutationem Tractatus sui de Cœna Domini eludere conatus est. Francofurti.*

Refutatio historica narrationis de certamine sacram. Hunij.

Refutatio Narrationis historicæ de certamine Sacramentario, *à Ministris Emdensis Ecclesia conscripta: in qua* Hunius *demonstrare conatur, eos veras historias, & doctrinam de Cœna Domini corrupisse. VVitebergæ.*

Declaratio opposita refutationi Heydelb.

Declaratio opposita Refutationi ab Heydelbergensibus Theologis editæ, *contra VVitebergensium Demonstrationem in proximis Ratisponensibus Comitiis evulgatum. Francofurti.*

Theses pro integro Sacramento.

Theses pro integro Sacramenti Eucharistici usu, *adversus ea, quæ pro sacrilega ejusdem mutilatione Rob. Bellarminus disputat in suo opere. Iena.*

Synopsis Pfaffradij disputationis.

Synopsis primæ disputationis Caspari Pfaffradij de methodo Calvinismi *in doctrina de Cœna Domini pro* Daniele Hofmanno, *adversus Ioannem Piscatorem edita à quibusdam Theologiæ studiosis in Academia Iulia. Lemgoviæ.*

Responsio ad Calvinistarum supplicationem.

Responsio ad Supplicationem Calvinistarum ad Protestantium Ordines In proximis Ratisponensibus Comitiis factam; *in qua petierunt, ne condemnentur priusquam audiantur. VViteberga.*

Gerlachij disputatio contra Busæum.

De persona Christi Disputatio secunda adversus Apologeticum Ioannis Busæi, *Iesuitæ Moguntini, scripta à Stephano Gerlachio: Tubinga.*

Schachtij assertio.

Assertio *declarationis verborum Cœna Dominica*, Valentino Schachtio *auctore. VVitteberga.*

Callia contra Costerum.

A Calvinistarum autem partibus edidit Andreas Callia *Gratianopolitanus Ecclesiastes*, de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento verè Catholicam & analyticam Assertionem *adversus* Francisci Costeri *Iesuitæ fumos. Morgiis.*

G. de Valentia contra Genevenses.

Inter Pontificios autem Georgius de Valentia *Iesuita edidit* Redargutionem *inscitiarum & fraudum, quibus nonnulli Theologi & Philosophi Genevenses, subsidiarij* Antonij Sadeelis, *eum librum cavillati sunt, quo præcipuum mysterium doctrinæ Calvinistarum convictum est.*

1596.

ANNVS M.D. XCVI.

Nicolai Methodus de omnipræsentia carnis Christi.

HOc anno à Lutheranis & Vbiquistis sequentes libri sunt typis evulgati. Methodus controversiæ de omnipræsentia Christi *secundùm naturam eius humanam. Additum est* responsum *breve ad* Antonij Sadeelis *libros de spirituali & sacramentali manducatione corporis Christi, auctore* Philippo Nicolai. *Francofurti.*

Epistolæ contrariæ Pezelij & Friderici Petri.

Epistolæ Contrariæ Christophori Pezelij D. & Friderici Petri: *num fides ipsam substantiam rei absentis apprehendat, an verò solam eius imaginem pictam in spiritibus cerebri. Witenbergæ.*

Almanni Responsio ad Heydelber. Demonstrationem.

Responsio ad Heydelbergensium Theologorum libellum, *cuius titulus est:* Demonstratio, quòd Heydelbergensium doctrina Verbo Dei, Augustanæ Confessioni, eiusdemque Apologiæ, & Witenb. Formulæ Concordiæ anno 36. initæ conformis sit, &c. Conradi Almanni. *Lipsiæ.*

Institutio de persona Christi, &c.

A Calvinistis autem sequentes libri sunt editi. Institutio, de persona Christi, S. Domini Cœna, & æterna Dei Prædestinatione. *Hanoviæ.*

Iod. Nahum assertio Testamenti Christi.

Assertio sacrosancti Testamenti Christi *contra μυσηεομάχας, per* Iodocum Nahum, *Ecclesiæ Sigenensis Ministrum. Sigenæ Nassoviorum.*

Amlingi repetitio veræ doctrinæ de Cœna.

Vera & Christiana Repetitio doctrinæ de Cœna Domini D. VVolfgangi Amlingi. *Ambergæ.*

Tractatus historicus de sententia Philippi in controversia Cœnæ.

Tractatus historicus *de clarissimi viri* Philippi Melanchthonis sententia de controversia Cœnæ Domini: à D. Casparo Peucero *ante plures annos scriptus: sed jam primùm separatim, boni publici ergò, excusus: Cum* Appendice *selectarum Epistolarum & Iudiciorum aliquot* Philippi, *aliorumque præstantium virorum de eadem materia, veritatis illustrandæ gratia subiuncta: Studio* M. Quirini Reuteri. *Ambergæ.*

Catechismus Vbiquisticus, eiusque summa.

Catechismus Vbiquisticus: *sive,* Doctrina Vbiquistarum de persona Christi, & Cœna Dominica. *In hoc libello demonstratur testimoniis & locis ex* Brentij, Schmidlini, Marbachij, Musculi, Hosiandri, Simonis Pauli, Pappi, Huberi, Parsimonij, Mathesij *& aliorum scriptis, seu libris editis, & concionibus habitis, citatis & allegatis, eos docere.*

1. Vbiquistarum doctrina de Vbiquitate.

Primò, De Vbiquitate corporis Christi, quòd verè & substantialiter præsens sit in omnibus creaturis, in cœlo & terra, in omni ligno, lapide, aere, igne, aqua, pomo, piro, caseo, cervisia, laqueo, culmo, pisce, ave, Sole, luna, stella, gramine, folio arborum, vino, pane, taberna, poculo, fæce, cathedra Tubingensi, quin etiam in Inferno, & in ipsis diabolis, *Quòd idem sit*, Vbiquitas & Maiestas Christi: ubique esse, & Deo similis fieri. *Quòd* Christi corpus, cùm in præsepi jacuit, in templo docuit, & in cruce pependit, etiam in aliis locis ubique fuerit. *Quòd* post resurrectionem in sepulchro, & extra illud, item cum Apostolis in terra, & simul etiam in cœlo; post ascensionem verò in cœlo, in terra, in India, Achaia, Romæ & omnibus simul regionibus fuerit. *Quòd* Christi corpus, cùm per clausas januas ad Apostolos venit, jam antea apud ipsos eo in loco fuerit. *Quòd* Christus alter Proteus sit. *Quòd* Christi corpus in utero matris statim à conceptione ubique fuerit. *Quòd* Sancti in altera vita etiam ubique sint futuri. *Quòd* Vbiquitas articulus fidei sit. *Quòd* Vbiquitas doceatur in libro Concordiæ, eiusque Apologia. *Quòd* Angeli, negantes Vbiquitatem, sint Anathema Maranatha.

2. De personali unione.

Secundò, de Personali unione, Quòd sit realis effusio & communicatio omnium divinitatis proprietatum in humanitatem. *Quòd* in omnibus hominibus duæ sint naturæ, divina & humana, inseparabiliter unitæ. *Quòd* divina natura cum omnibus hominibus, Angelis & creaturis personaliter unita sit. *Quòd* differentia humanæ naturæ in Christo & aliis hominibus, consistat in Vbiquitate, & deificatione humanitatis Christi. *Quòd* Adami & Evæ creatio maius sit miraculum, quàm conceptio & nativitas Christi ex virgine.

3. De duplici divinitate & deificatione Christi.

Tertiò, De duplici divinitate, & deificatione humanitatis Christi; Quòd in Christo duplex sit divinitas, videlicet æterna Filij Dei, & communicata humanitati Christi. *Quòd* humanitas Christi deificata sit. *Quòd* homo Christus Deo similis sit. *Quòd* humana Christi natura, sive corpus Christi sit Deus, & deificatum corpus.

4. De communicatione Idiomatum.

Quartò, De communicatione Idiomatum; Quòd vocabula Deus & Deitas, Homo & Humanitas idem sint. *Quòd* omnia loca Scripturæ de Christo intelligi debeant de utraque natura Christi.

5. De passione & morte Christi.

Quintò, De Passione & morte Christi; Quòd Christus passus & mortuus sit, non tantùm juxta carnem, vel humanam naturam, sed etiam secundùm divinitatem, & utramque naturam, & quòd hæc negaures damnati sint.

Sextò, De resurrectione Christi; Quòd ea ro Christi seipsam à mortuis excitarit. *Quòd*

Petri

De resurrectione Christi.

Petri resurrectio maius sit miraculum, quàm Christi.

7. De cœlo & Ascensione Christi.

Septimò, De cœlo, & Ascensione Christi; Quòd cœlum non sit certus locus, sed ubique, & Deus ipse. *Quòd* panis & vinum Cœnæ Dominicæ sint cœlum in quod ascendit Christus. *Quòd* sint quatuor cœli, & septem ascensiones Christi. *Quòd* sit visibilis & invisibilis Ascensio Christi. *Quòd* Ascendere, nihil aliud sit quàm discrete, invisibilis fieri, & ubique esse. *Quòd* ascendere in cœlum, & sedere ad dexteram Dei, idem sint. *Quòd* Christus in utero matris, in Cœnæ institutione, in cruce pendens, & in resurrectione ascenderit in cœlum. *Quòd* Ascensio Christi in monte Olivarum non fuerit vera ascensio, sed tantùm dispensatio, & visibile, seu externum spectaculum usque ad nubes & disparitio. *Quòd* articulus Fidei de Ascensione, non de Ascensione Christi in monte Olivarum, sed de conceptione eius intelligi debeat. *Quòd* Christus in ascensione sua ne latum quidem unguem à terra recesserit. *Quòd* Christi corpus non semper eam formam retineat, quam ascendens in cœlum in monte Olivarum habuerit. *Quòd* Patres primitivæ Ecclesiæ pueriles cogitationes habuerint de cœlo. *Quòd* impij, damnati, Iudæi, Ethnici, Turcæ & diaboli ipsi in cœlo sint. *Quòd* cœlum & infernus sæpe in uno eodemque homine sint. *Quòd* infernus non sit certus locus. *Quòd* infernus sit in eo cœlo in quod receptus fuerit Christus. *Quòd* infernus pars cœli, & per totum terrarum orbem sit.

8. De Sessione ad dexteram Patris.

Octavò, De Sessione ad dextram Patris; Quòd Sedere ad dextram Patris nihil aliud sit, quàm ubique esse, & in cœlum ascendere. *Quòd* ascendere in cœlum, Incarnari, Sedere ad dextram, ubique esse, & Deificari unum & idem sint. *Quòd* Sessio ad dextram Patris, de qua in articulis Fidei, tantùm fuerit manifestatio prioris Sessionis ad dextram. *Quòd* vera Sessio ad dextram non post ascensionem demum in Olivarum monte, facta sit. *Quòd* Christus corpore suo sederit ad dextram Patris in utero materno. *Quòd* panis & vinum Cœnæ Dominicæ sint etiam dextra Dei, ad quam sederit Christus. *Quòd* Christus non potuerit nos redimere, nisi ante mortem sedisset ad dextram Patris.

9. De Cœna Domini.

Nonò, de Cœna Domini; Quòd Ubiquitas sit fundamentum realis præsentiæ corporis Christi in Cœna. *Quòd* corpus & sanguis Christi, per Ubiquitatem in pane & vino Cœnæ etiam ante consecrationem sint. *Quòd* verba institutionis non sufficiant ad probandam corporalem præsentiam Christi in Cœna. *Quòd* Calvinistæ sine Ubiquitate non refutari possint. *Quòd* Lutherani Calvinistæ fiant si negent Ubiquitatem. *Hæc, inquam, & similia multa prodigiosa ex dictorum Ubiquistarum Libris & Concionibus in hoc Ubiquistico Catechismo bonâ fide citantur.*

1596.

Costerus contra Calliam.

Ex Pontificiis in lucem edidit Franciscus Costerus *Iesuita*, Responsionem *ad Assertionem analyticam de sacrosancto Eucharistiæ Sacramento* Andreæ Calliæ *Calvinistæ*, *Colonia.*

Zecchus de Sacramentis.

Tractatus de Sacramentis *authore* Lelio Zeccho *Theologo, & I. V. D. Brixia.*

Ioan. de Lapide decisiones.

Decisiones casuum, *qui Sacerdotibus in Missarum celebratione contingere solent, authore* Ioanne de Lapide. *Constantia.*

Petij Epitome.

Epitome Sacramentorum *edita à* Laurentio Petio *de Colonia. Constantia.*

Anhaltinus Princeps reliquias Papatus in sua Ecclesia abrogat.

Eodem anno Illustrissimus & piissimus Princeps Anhaltinus D. Ioannes Georgius, *in Ecclesiis sua Ditionis, reliquias Papatus, videlicet Exorcismum in Baptismo, Cantum in peregrina lingua, Cruces, Imagines, picturas in templis, Indumenta Papistica in celebratione Cœnæ, Altaria lapidea, Hostiolas rotundas in Cœna sacra huc usque usurpatas & similia, abrogavit, easque ad exemplum Apostolicæ & Primitivæ Ecclesiæ reformavit.*

Mox verò supplici libello sex ad summum nobiles, & quinque cives urbium Ducatus Anhaltini, harum ceremoniarum restitutionem à Principe suo petierunt.

Respondit eis Princeps clementer publico scripto, in quo causas reformationis huius exponit, docetque se nihil fecisse, nisi quod verbo & mandato Dei sit consentaneum.

Theologi Witebergenses Anhaltinæ reformationi impetère conantur.

Tum verò etiam Facultas Theologica VVitebergæ *pio huic & Principe Christiano digno instituto acriter sese opposuit: Nam edito libro hanc solidam Principis Responsionem refutavit, reformationem Anhaltinam impiam & horrendam Ecclesiarum deformationem calumniata est, quæ à nullo Christiano homine probari debeat, & dictas ceremonias omnes præsertim verò cruces & imagines, quas abrogaverat Princeps, tanquam res indifferentes defendit ac propugnavit.*

Ambergici Theologi respondent Witebergensibus.

Theologi *autem* Ambergici *mox ediderunt* Admonitionem, *in qua ex verbo Dei docent, quid de hoc VVitebergensium libro statuendum & sentiendum sit.*

Witebergenses contra

VVitebergenses *hanc* Admonitionem *continuò oppugnare conati sunt libro, cui hunc titulum præfixerunt:* Abfertigung der zum Amberg ohn Ienast außgesprengten Anleitung / ꝛc. *In hoc libro rursus Anhaltinam Reformationem tanquam impiam & non Christianam opus calumniatur: hortantur etiam*

1596. 1597.

Ambergenses Vbiquistices spiritus. *Apologia Ambergensium contra Witebergenses.*

omnes ſubditos Principis Anhaltini, ut hoc opus ſui Principis impediant quibuſcunque modis ac rationibus poſſint: Sin minus impedire paſſint, ipſi tamen ceremonias nuper introductas non approbent, nec iis utantur.

Huic reſponſioni Ambergenſes *gravem* Apologiam oppoſuerunt, *in qua hæc capita luculenter tractantur.*

1. An res ſit indifferens Imagines in templis Evangelicorum retinere?

2. An res indifferens ſit, Imagines in templa collocare, non quidem adorationis, ſed tantùm memoriæ vel ornatus gratia?

3. An nullas prorſus Imagines facere aut habere Chriſtianis liceat?

4. Num illæ Imagines, quæ in Ducatu Anhaltino ex templis eiectæ fuerunt, à Deo prohibitæ ſint?

5. An res indifferens ſit ex Decalogo integrum præceptum erâdere.

6. An linguæ peregrinæ uſus in Sacris Chriſtianorum ſit res indifferens?

7. An res indifferens ſint hoſtiolæ totundæ in Cœna ſacra?

8. An res indifferens ſit fractio panis in Cœna?

9. An res ſit indifferens ceremoniis Papiſticis in celebratione Cœnæ Dominicæ uti.

10. Num Anhaltini condemnent alias Eccleſias, quæ ceremonias ab ipſis abrogatas retinent?

11. Num Anhaltini in hac ſua reformatione Carolſtadiano proceſſu uſi ſint.

12. Num Anhaltinus Princeps Calviniſmum reformatione hac in Ditionem ſuam introduxerit. W*itebergenſes in Reſponſione ſua affirmantem, Ambergenſes verò in hac Apologia negantem partem tuentur.*

Hoc quoque anno Eccleſias ſuas à fermento Papiſtico, & Vbiquiſtico, quo erant huc uſque infecta, Illuſtris, ac Generoſus Comes Philippus Ludovicus Hanovius &c. piè, & fideliter repurgavit in articulo præſertim, & doctrina de Cœna Domini. Illuſtris parens eius, etiamſi reliqua vita ſuæ curriculo cum altera Evangelicorum parte, qui Lutheri ſectatores videri volunt, idem ſemper ſenſerit, paucis tamen ante obitum ſeptimanis in Caſtro quodam extra ſuam Ditionem; imò quatriduo adhuc, antequam corpore ſolutus hinc emigraret, illi ſella, in qua etiam præter omnium, qui præſentes erant, expectationem, placidiſſimè exſpiravit, inſidens, ultrò & nemine ad tales ſermones materiam ipſi ſubminiſtrante, diſertè teſtatus eſt, Gravem eſſe, quo imbutus hactenus fuerit, errorem: quòd ſi longiorem vitæ huius uſuram ipſi largiretur Deus, latiùs de hoc negotio cogitaturam, eidemque manus admoturum. In Ceremoniarum tamen Correctione ſubſiſtendum adhuc eſſe, donec de doctrina rectè inſtruatur populus; alioquin fore, ut plus deſtruat, quàm ædificet. Imò quamvis anno 77. à propinquiſſimis etiam urgeretur, adduci tamen non potuit, ut Concordiæ libro ſubſcriberet. Quod ergo Pater in animo habuit, filius feliciter perfecit.

ANNVS M. D. XCVII.

Reſponſio Chriſtmanni ad Naũ aſſertionem.

A*Nno Chriſti 1597. ſequentes libri à Lutheranis ſunt editi.* Reſponſio *dilucida ad* Iodoci Naum Aſſertionem Teſtamenti Chriſti, *quâ veram doctrinam de manducatione ſacramentali carnis Chriſti, &c. vindicat;* Vdalrico Chriſtmanno *authore. Francofurti.*

Schroderi diſputationes duæ.

Diſputationes anaſceuaſticæ duæ: *prima, de orali corporis Chriſti manducatione, poſterior de Idiomatum reali communicatione contra* Iodocum Naum, Ioannis Schroderi.

Tractatus hiſtorici de Philippi ſententia de Cœna confutatio.

Libelli Calviniani, *cui titulus*, Tractatus hiſtoricus de clariſſimi viri Philippi Melancthonis ſententia, de controverſia Cœnæ Domini, à D. Peucero ante plures annos ſcriptus: Refutatio, *à Theologica facultate in Academia* Witebergenſi *concinnata. Qui autem huius Refutationis maledicæ & impudentis authores ſunt, hoc nomine convitia & criminationes ſuas, ſive elevare, ſive excuſare in Præfatione ſua conantur: quòd quæ in probrum Melancthonis proferunt, ab aliis etiam, ante ipſos in lucem publicam prolata ſint. Qui autem ſint illi* ALII, *ſatis manifeſtè in eo produnt, quòd libro ſeu Refutationi ſuæ tum ex Matthiæ Flaccij Illyrici, & gregalium huius calumniis, & ex Selnecceriana Auguſtanæ Confeſſionis hiſtoria, narrationes falſas & commentitias paſſim inſerunt: tam ſcripta integra Ioachimi VVeſtphali, Ioannis Matthæi Schmalcaldenſis & Tilemanni Heſhuſij aſſuunt, qui quales fuerint, quóve ingenio præditi, publicè conſtat.*

Rennecheri aſſertio veritatis carnis Chriſti.

A Calviniſtarum autem partibus hi libri in negotio ſacramentario ſunt editi. Aſſertio ſolida & pia veritatis carnis Chriſti, *cum ementita Vbiquitatis refutatione, edita ab* Hermanno Rennechero. *Hanoviæ.*

Martinius pro Sadeele contra Menzerum.

Incisio capitalium φαινομένως nervorum, ὄντως nævorum Balthaſaris Menzeri contra Antonij Sadeelis libellum *de veritate humanæ naturæ Chriſti, per Matthiam Martinium. Sigenæ.*

Eiuſdem ſpicarum ſpinarumque Balthaſaris Menzeri collectio & examen *per ipſius elenchos oppoſitos Antonij Sadeelis libello de*

veritate humana natura Christi. Sigena.

Martinius contra Methodum Nicolai.

Methodi de omnipræsentia carnis Christi concinnatæ à Philippo Nicolai, Examen, eodem Martinio auctore.

Busæus contra Gerlachij disputationem.

A Pontificiis autem edita est. Defensio secundi capitis Apologeticæ disputationis de persona Christi adversus cavillationes Stephani Gerlachij, authore Ioanne Busæo. *Moguntiæ.*

ANNVS M.D. XCVIII.

ANno Domini 1598. *ab Vbiquitariis & Lutheranis Theologis in sacramentaria causa sequentes libri editi sunt.*

Gieskenij defensio pro Hamelmanno contra Pezelium.

De veritate corporis Christi in Sacra Cœna, *certoque de hac doctrina Augustanæ Confessionis consensu*, Defensio *pro* Herm. Hamelmanno *contra* Pezelium, *per* Gerardum Gieskenium. *Francofurti.*

Pfaffradij commentatio.

Caspari Pfaffradij Commentatio *de prædicationibus sacramentalibus: Panis Cœnæ Dominicæ est corpus Domini: & vinum consecratum est sanguis illius. Helmstadij.*

Theses de Cœna & Ascensu Christi.

Theses *de Cœna Domini* VVolfgangi Franzij: *Item, De Ascensu Christi in cœlum, & sessione ad dexteram*, Davidis Rungij. *VVitenbergæ.*

Schafmannus de Cœna.

Προκεφαλαίωσις controversiarum veterum & novarum de Cœna Domini, *proposita per* Andream Schafmannum *Tremonianum. Tremon.*

A Calvinistis autem sequentes libri sunt editi.

Rodolphi Hospiniani Sacramentaria historia pars prima.

Historiæ Sacramentariæ pars prima. *Hoc est*, Libri quinque de Cœnæ Dominicæ prima Institutione; Eiusque vero usu & abusu in Primitiva & veteri Ecclesia: Tum de Origine, Progressu, Ceremoniis & Ritibus Missæ, Transsubstantiationis, & aliorum penè infinitorum errorum, quibus Cœnæ prima institutio horribiliter in Papatu polluta & profanata est: Cum Refutatione sophismatum & argumentorum Roberti Bellarmini, & aliorum, qui profanationem hanc defendere conantur: Rodolpho Hospiniano Tigurino Auctore.

Summa historiæ huius sacramentariæ.

Primus liber *Historia huius à Cœna Dominica prima Institutione, ad annum usque centesimum post natum Christum extenditur: & huius seculi integram historiam Rituum, Ceremoniarum ac veræ doctrinæ de Cœna in Christi & Apostolica Ecclesia continet.* In secundo & tertio libro *recitatur Historia ex probatis Authoribus & Patribus, de Ritibus, Ceremoniis & Doctrina sacrosanctæ Cœnæ generaliter, in plerisque Asiæ, Africæ & Europæ Ecclesiis, tum verò specialiter in Romana: primò ab anno Christi centesimo, usque ad annum 600. secundò, ab anno Domini 600. usque ad annum 850. eiusdem: In qua tota narratione solidè demonstratur, licèt in accumulandis Ceremoniis & Ritibus, à simplici prima & Apostolica Ecclesiæ forma posteræ ætates nonnihil recesserint: veram tamen & sanam doctrinam Christi & Apostolorum de Sacra Cœna toto hoc temporis spatio, ultra octingentos videlicet annos puram & incorruptam in vera Ecclesia permansisse.* In quarto libro *agitur de inclinatione sanæ & veræ doctrinæ de Cœna Domini: ac primò de origine, seu initio certaminis Sacramentarij: quando videlicet, quâ occasione & quibus authoribus ab Apostolica & primitivæ Ecclesiæ vera & Orthodoxa Doctrina Cœnæ recessum, ac de modo præsentiæ corporis & sanguinis Christi in Cœna disputari cœptum sit: & num verba Christi,* Hoc est corpus meum, *&c. realiter, citra mysterium exponenda sint, an verò hac sub mysterii figura contineantur? Secundò, de progressu certaminis Sacramentarij, & prima Transsubstantiationis institutione. Tertiò de dogmatis huius confirmatione. Quartò, quâ Transsubstantiationis dogma confecta sint.* Quintus liber *totus est Elenchticus. Nam in eo refutantur Ceremoniæ & Ritus Missæ, Transsubstantiatio & alij penè infiniti errores, quibus Cœna prima institutio & sana de eadem doctrina horribiliter in Papatu polluta & profanata est: unà cum sophismatis & argumentis Roberti Bellarmini Iesuitæ & sociorum eius, quibus hanc profanationem & corruptelas defendere conantur.*

Parei consideratio de pane & panis fractione in Cœna.

Christiana & solida consideratio de pane & panis fractione in Sacra Cœna Domini, Davide Pareo auctore. *Germ. Ambergæ. In hac consideratione auctor primò docet, quid Pontificij Theologi de pane & vino Cœnæ Dominicæ doceant, & quid de hac illorum doctrina sit sentiendum.* Secundò, *Lutheranorum & Vbiquistarum doctrinam de Pane & Vino Cœnæ recenset, cum censura eiusdem.* Tertiò, *Orthodoxorum sententiam de Pane & Vino Cœnæ exponit.* Quartò, *agit de Pontificiorum panis fractione in Missa, & simul indicat, quid de ea sit iudicandum.* Quintò, *Lutheri & Vbiquistarum sententiam de panis fractione in Cœna recitat, cum Censura eiusdem.* Sextò. *declarat veram & solidam Orthodoxorum doctrinam de Ceremonia panis fractionis in Cœna.*

Lutherani non retinere verba Cœnæ.

Demonstratio, quòd Lutherani neque ordinem neque verba Institutionis Cœnæ Dominicæ retineant. *Germ. Servestæ.*

Ioan. Conr. Vlmeri homiliæ quinque de Cœna.

Ioannes Conradus Vlmerus *quoque Scaphusij Helvetiorum Pastor Ecclesiæ fidelissimus libellum edidit Germanica lingua, hoc titulo:* De Sacramento Cœnæ Dominicæ Homiliæ quinque, *&c. In his Homiliis luculentissimè*

1598. *lentiſsimè traditur, quid ſentiendum, credendum & ſequendum ſit in controverſia Sacramentaria: & quaſi tabula in iis continetur, in qua præcipua corruptelæ, profanationes, abuſus, errores, abominationeſque à ſuperſtitioſis hominibus in Cœnam Chriſti invecta uno quaſi intuitu conſpicienda proponuntur: cum elencho & examine, quo illa diſcutiuntur & refutantur. Nam* prima *homilia veram doctrinam & ſententiam de Sacramentis generaliter docet.* Secunda & tertia *ſpecialiter dogma Cœnæ Dominicæ illuſtrant; nimirum eius ſenſum genuinum, cibum & potum, modum edendi ac bibendi, uſum, fructum, finem & præparationem exponentes, ſicut ab ipſo Chriſto & ſanctis eius Apoſtolis initiò traditum, indeque ſupra octingentos annos à priſca Eccleſia Chriſtiana, licèt in aliis non mediocriter ab Apoſtolica doctrinæ forma deflectente, purum & incorruptum obſervatum fuit.* Quarta *demonſtrat inclinationem ſanæ doctrinæ de Cœna Domini; quomodo nimirum poſt octingenteſimum demum annum à Chriſto nato primùm obſcurata, poſtea depravata, polluta, & ferè tota everſa ſit erroribus Tranſſubſtantiationis, Conſubſtantiationis & Vbiquitatis, accumulatis etiam aliis abuſibus in Ceremoniis & ritibus. Vltima examinans & refellens opiniones iſtas pravas atque errores pernicioſos, veritatem ac puritatem Sacræ Cœnæ argumentis ſolidis ex puro ſacræ Scripturæ fonte & aliis probatis auctoribus vindicat. Latinitate poſtea donatus eſt ab* Hartmanno Sprunglio *Tigurino, anno Chriſti* 1601.

ANNVS M. D. XCIX.

ANno 1599. *à Lutheranis & Vbiquiſtis hi Libri ſunt editi.*

Grauveruс de præſentia corporis Chriſti contra Keckermannũ.

Analyſis quæſtionum quarundam Theologo-phyſicarum de Localitate, illocalitate & omnipotentia corporis Chriſti, *Theſibus comprehenſa, & oppoſita contemplationi Phyſicæ*, M. Barthol. Keckermanni *Philoſophi Heydelbergenſis*, *per* Albertum Grauverum. *VVitenbergæ.*

Acta cũ Krenzhemio.

Publicatio Actorum, quomodo in Ducatum Lignizenſem Leonhardus Krenzheimen Calviniſmum introducere voluerit, *per* Egidium Hunen. *VViteberga, Germanicè.*

Apologia Viſitatorum Saxonic.

Apologia de 4. Articulis controuerſis, *de ſacra Domini Cœna, de Perſona Chriſti, de Baptiſmo & æterna Dei Prædeſtinatione, per* Viſitatores Saxonicos *concinnata. Lipſiæ.*

Explicatio Problematis Eucharistici.

Explicatio Problematis, *utrùm ſi dicatur corpus Chriſti fide percipi: ideo ſequatur, id tantùm imaginariè fieri, à Theologis quibuſdam concinnata, Tiguri.*

ANNVS M. DC.

Barthol. Maioris inſtitutio, in qua ſtatus controverſiæ ſacramentarij hodie conſiſtat.

HOc anno edidit D. Bartbolomæus Major Superintendens *& Paſtor Eccleſiæ Caſſelanæ in Haſſia*, Brevem, ſimplicem & veram Inſtitutionem, *quâ docet*, in quo hoc noſtro tempore triſte & diuturnum diſſidium inter reformatas Eccleſias de ſacratiſſima Domini Cœna conſiſtat: & quiſnam controverſiæ illius ſtatus hodie ſit? *Hic videlicet*, An nova, & in vera Eccleſia Chriſti inaudita doctrina de Vbiquitate, ſeu omnipræſentia corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti, quam ex perſonali unione divinæ & humanæ in Chriſto naturæ probare conantur, Verbi Dei & purioris Antiquitatis doctrinæ & fidei conſentanea ſit? *&*, an ea neceſſaria ſit, ad probandam præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti, in vero & à Chriſto inſtituto uſu Cœnæ? *Deinde*, An phraſes, quibus utuntur, quòd ſcilicet In, Cum & ſub pane & vino, corpus & ſanguis Chriſti diſtribuantur, & percipiantur? *Item*, quòd ſpiritualia hæc dona non ſolùm à dignis, ſed etiam ab indignis oraliter ſumantur, ad explicandam hanc controverſiam pertineant, aut etiam ſufficiant? *Ad hæc omnia* Negativè *reſpondet. Et quod ad Vbiquitatem attinet, probat*, eam non ſolùm non confirmare, ſed excludere è Cœna præſentiam corporis & ſanguinis Chriſti. *Deinde docet*, tale ubiquiſticum, ſupernaturale, inviſibile & incomprehenſibile corpus, quale ab Vbiquiſtis in Cœna requiratur, ex vera doctrina de perſonali unione duarum in Chriſto naturarum, in unica eius perſona, probari & confirmari nequaquam poſſe. *Probat autem hoc, primò*, verbi Dei perſpicuis teſtimoniis. *Secundò*, Rationibus, & ex Verbo Dei, ac immotis naturalibus principiis, & regulis deſumptis conſequentiis, quibus humanæ naturæ Vbiquitas prorſus præciditur. *Tertiò*, Conſenſu totius Eccleſiæ, & rectè ſentientium Doctorum, qui dogma ſeu figmentum hoc de Vbiquitate apertiſſimè damnarunt & reiecerunt.

Libellus de perſonali unione & communicatione idiomatum.

Edidit quoque hoc ipſo anno idem Maior *libellum*, de Perſonali unione, & communicatione Idiomatum, & quæ vera de his duobus articulis ſit doctrina, quodque confundi nullo modo debeant: *ante annos aliquot à doctiſſimo quodam viro conſcriptum.*

Idiomatum communicatio quid verè.

In eo ex ſententia & conſenſu totius Eccleſiæ Chriſti ſic Communicatio Idiomatum definitur, quòd ſit (propriè loquendo) illa forma loquendi in Scriptura, in qua perſona Chriſti de-

sti denominatæ ab humana natura tribuitur proprietas divinæ naturæ. *Hac definitio ibidem exemplis illustratur, & testimoniis Patrum atque etiam Lutheri confirmatur.*

Idiomatum communicatio. *Huic deinde orthodoxæ definitioni opponitur alia Flaccianorum & Vbiquistarum, qui realem Communicationem Idiomatum faciunt, & docent, quòd ea sit* realis effusio omnium, *Falsa Vbiquistarum definitio.* vel saltem aliquarum proprietatum divinæ naturæ in humanam naturam Christi. *Nam iidem in hoc nondum consentiunt, an omnes, vel aliqua saltem communicentur.*

Rationum autem & Maximarum, quibus novam & absurdam hanc doctrinam palliare conantur, est hæc prima: Christum non satis posse à nobis evehi atque extolli. *Secunda,* Si phrases sacræ Scripturæ de Divinitate Christi, non etiam tribuantur humanitati eius: nec dicamus, Christum æquè secundùm humanitatem in terris esse, ac secundùm divinitatem, dimidium tantùm Christum nos habere in terra, & sic Personam dividi: *Tertia,* nullum esse discrimen inter Hominem & Humanitatem: *hoc est,* inter Concretum & Abstractum: *Quarta,* Nisi Vbiquitatem corporis Christi concedamus, præsentiam eius in Cœna defendi non posse.

Hæ verò Rationes & Maximæ solidissimè refutantur.

Vltimò, Absurda & impij errores, ex Vbiquitate & illa reali Communicatione Idiomatum promanantes, ordine recensentur in hoc libello.

ANNVS M. DC. II.

R*Atio totius Controversiæ de Cœna Domini, ex mente & verbo Testatoris in solidum decidenda*, Raphaele Eglino *Tigurino authore.* 1602

Atque hæc sunt præcipua ferè, quæ quidem ad meam cognitionem pervenerunt, quæ ab anno 1517. *usque ad hunc præsentem, spatio nimirum* 85. *annorum, in funesto dissidio, & tristi certamine Sacramentario de Cœna Dominica inter Lutheranos, Vbiquistas, Zuinglianos seu Calvinistas, & Papistas gesta sunt. Ex quibus liquidissimè constare arbitror, quanta contentiones, dissidia, odia, certamina & turbæ in reformatis, & à Papisticis facibus repurgatis Ecclesiis ex parvis initiis orta sint: Deinde, quòd docti quoque & pij alioquin viri, contendendi & vincendi studio & ardore, extra metas abripiantur interdum, tanquam homines, qui errare, labi & decipi possunt, ideoque eorum authoritatem perpetuo totius veteris & Orthodoxæ Ecclesiæ consensui non anteferendam, nec scripta illorum pro norma Doctrinæ Ecclesiasticæ habenda: tertiò, quòd Magistratus politici nullis vel sumptibus vel laboribus pepercerint, & omnia tentarint, ut infaustum hoc & infelix schisma ex Ecclesia tolleretur, à Theologis autem pugnacibus & contentiosis hunc illorum pium conatum strenuè impeditum fuisse: Denique utra pars pacem vel recusarit, vel initam prior turbarit, & utrùm Theologi, vel Principes & Politici moderatiores fuerint. Det Deus Opt. Max. ut triste hoc dissidium tandem tollatur ex Ecclesia, utque per Christum acquisita pacis consortes, pacem quoque inter nos colamus terrenam, cœlestis illius certissimum indicem: quò validiore cum manu, cùm est opus, communibus veritatis hostibus resistere possimus,* Amen Amen.

FINIS.